




MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA.

TOMVS XX.

MONVMENTA GERMANIAE HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

AVSPICIIS
SOCIETATIS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI


EDIDIT
GEORGIVS HEINRICVS PERTZ
SERENISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSIL. REGIM. INT. BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTVS.

SCRIPTORVM
TOMVS XX.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII AVLICI HAHNIANI
MDCCCLXVIII.



TOMO SCRIPTORUM VICESIMO CONTINENTUR:



Dum Annalibus Suevici aevi absolutis, edendis iam in novo hoc volumine Chronicis saeculi duodecimi accingerer et magna ex parte editis insisterem, subito felici ave evenit, ut libri duo saeculorum XI. et XII. diu desiderati et frustra per viginti fere annos quaesiti, tandem in manus amicorum optime de re patria merentium pervenirent, qui eos luci paratos flagitanti mihi in Monumentis Germaniae publici iuris faciendos concesserunt. Cuius voti compos factus, praeter alia eiusmodi supplementa in principio voluminis edita, Annales quoque Altahenses et Herbordi librum de vita Ottonis episcopi Babenbergensis integrum cum lectoribus nostris statim communicare constitui. Nam licet eis receptis volumen iustum paginarum numerum quodammodo excedere videretur, vero tamen lectorum commodo consulere malui quam

eos libellis in aliud volumen sepositis fructu iuste desiderato per alterum fortasse annum privare. Ceterum primus et vicesimus Scriptorum tomus reliqua saeculi duodecimi chronica, Helmoldum et Arnoldum Lubicensem iam praelo excusos, tum chronicon Laurishamense aliosque complectetur; et quartus Legum tomus, praelo fere absolutus, quam primum fieri poterit evulgabitur.

Scribebam Berolini in Bibliotheca Regia mense Decembri anni MDCCCLXVII.

1

761.

habuit in duria uilla publica. et de utilitate reg
francorū tractans. suos optimates ibi adunauit.
Uuagfarius autē in tō prauo consilio. exercitū uua
in fines burgundię direx̄. quiusq; ad cauadone
urbē totā illā partem burgundię uastauerē. Ho
cū pippino regi nuntiatū fuisset qđ uuagfariu
fidē ꝑmissā post poneret. cū exercitu ad ligeru
fluuiū uenit. Quo transiecto. ad castrū cui nomen
burbone in pago biturico uenit. destructoq; eod
castro. cunctos quos ibi repperit captius secū dux
pagratamq; aquitaniā usq; darum montē castr
montē ꝑuenit. qđ non sua uoluntate sed bella
ui inmisso igne concrematū est. In quo tenereb
dinus ꝑfidus comes in ꝑsentiā pippini regis cap
est. ductus ē. Innumerabilib; itaq; spoliis et cap
tiuis totus ille exercitus ditatus in franciā reu
sus ē. Celebrauitq; gloriosus rex pippinus natale
dnī in carisiaca uilla. et pascha similit̄.
ANNO. dcc. lxii. Tertia uice gloriosus rex pipp

2.

785

parte illius hiemalis tēporis residens. pascha celebrau.
Sed dū in eodē castro resedisset. frequentissimis expe
ditionib; saxones ꝑtriuit. et firmitates eorū ac castel
la destrux̄. et uias exercitui suo ꝑparauit. Aestatis ū
tēpore conuentū francorū habuit ad patrebrunna
inde itinere accepto ꝑuias planas nemine contra
dicente totā saxoniā peragrauit. Et cū ꝑuenisset
in bartengouue. ibi adeū uuidikind et abbi generius
uenit. et firmauerē sub sacramentis illū se secuturos
eē in franciā. Postquā ū reuersus ē rex in franciā misit

ANNALIUM SAECULI OCTAVI
FRAGMENTA WERTHINENSIA.

Quum ante hos quadraginta annos in primo Monumentorum tomo Karolingici aevi annales quo tunc fieri poterat studio collectos integritatique restitutos proponerem, praecipuorum saeculi octavi annalium, Laurissensium scilicet, quibus multo perfectiores deinde Einhardi annales superstructos atque ad annum 829 *usque deductos novimus, originem et initia primo circiter Karoli Magni regis anno adsignanda esse iudicavi, quia in priore Laurissensium annalium parte quae ad annum* 768 *usque pertingit, Nibelungi comitis libelli vestigia deprehendere mihi visus eram; alteram vero partem usque ad annum* 788 *per annos singulos additam fuisse eo minus dubitavi, quod auctorem inter scribendum librumve absolvendum passim voces sententiasve addere, immutare vel delere, neminem fugit qui scripta historicorum autographa manibus suis evolvit*[1]. *Novum tamen fontibus historiae saeculi octavi lumen hodie affunditur, fragmentis annalium repertis qui saeculo isto compositi, et Nibelungi opere innixi, annalium Laurissensium Mettensiumque fontibus adnumerandi esse videntur.*

Sunt autem fragmenta duo, quae manibus terere beneficio Virorum doctorum ut contigit, ea eiusdem olim codicis partes fuisse statim agnovi, quod et utriusque ectypo proposito lectoribus nostris patebit.

1. *Fragmentum primum explet folium integrum membranae in folio minore,* 19 *linearum per paginam, scripturae saeculi decimi optimae, cuius tamen interior margo bibliopegae incuria in initio vel fine cuiusque lineae aliquot litteras amisit. Adglutinatum siquidem libro cuidam ex bibliotheca monasterii Werthinensis archivo regio Dusseldorpiensi illato Vir de historia patria optime meritus tabulario ipsi praepositus Th. Iosephus Lacomblet socius noster ut conspexit, illud tegumento abduci curavit atque cum textu Annalium Mettensium collatum in annalibus ad historiam terrae Rhenanae inferioris evulgavit*[2].

2. *Fragmentum alterum, eiusdem codicis dimidium folium, decem tantum in quoque latere linearum, superior scilicet paginae pars integra, a D. Antonio de Spaun ICto in libro saeculi XV. qui a.* 1856 *Vindobonae sub hasta venit emtus, primum Föringero nostro, eoque monente mihi transmissum, bibliothecae palatinae Vindobonensi traditum est, notitia de ipso annalibus litterariis*[3] *prius inserta.*

Nos igitur utriusque fragmenti compotes facti, textum ad eorum fidem proponimus, partes abscisas restituimus, et quo melius ratio operis perspiciatur,

1) cuius rei evidentia exempla codices autographi Liudprandi et Cafari praebent. 2) Archiv für die Geschichte des Niederrheins T. IV. p. 218. 219. 3) Serapeum 1859 pag. 264 seq.

textum fontis eius, Nibelungi, atque annalium ex nostro derivatorum Mettensium et Laurissensium e latere exprimendum curavimus. Unde textum nostrum inde derivatis ampliorem atque magis authenticum, et unum omnium eius aevi fontium Abbionem generum Widikindi praedicare patebit, et iustum latentis thesauri iterum reperiundi desiderium movebit.

Ceterum nec Werthinenses nec Laurissenses Mettensesve magis quam Childebrandi Nibelungique libellos annales regios vel imperii vocaveris; quo titulo, si ullus alius liber, Einhardi annales digni forent, ab auctore Karolo, Hludowico et Hlothario imperatoribus caro compositi, et reliquis saeculi octavi et noni ineuntis annalibus praesertim Laurissensibus non solum lingua, sed, quod reliquis omnibus historici virtutibus praestat, animo intellectu et veritatis studio insignes, quod cuique apud Einhardum Francorum clades a. 775 *apud Hlidbeke, a.* 778 *in Pyrenaei transitu et a.* 782 *in monte Suntal acceptas cum reliquorum praesertim Laurissensium narratione conferenti illico patebit.*

Initium annalium Werthinensium facile annus 741 *fuerit, dum et fons unde*

NIBELUNGUS

(c. 124.) 759. His itaque gestis et duobus annis cum terra cessasset a proeliis, praedictus rex Pippinus legationem ad Waifario Aquitanico (760.) principe mittens, petens ei per legatos suos, ut res ecclesiarum de regno ipsius qui in Aquitania sitas erant redderet, et sub inmunitatis nomine, sicut ab antea fuerant, conservatas esse deberent; et iudices hac exactores supra praedictas res ecclesiarum, quod a longo tempore factum non fuerat, mittere non deberet, et Gotos praedicto rege quod dudum Waifarius contra legis ordine occiserat, ei solvere deberet; et homines suos quod de regno Francorum ad ipso Waiofario principe confugium fecerant, reddere deberet. Haec omnia Waiofarius quod praedictus rex per legatos suos ei mandaverat, hoc totum facere contempsit. Igitur Pippinus rex invitus coactus, undique contraxit exercitum, et partibus Aquitaniae per pago Trecassino usque Autissiodero urbem accessit. Inde ad Ligerem fluvium cum omni exercitu Francorum ad Masua vico in pago Autisioderinse Ligerem fluvium transmeavit, per pago Bitorivo usque Arvernico accessit, regionem illam pervagans, et maximam partem Aquitaniae igne concremavit. Waiofarius princeps Aquitaniae per legatos suos pacem supplicans, sacramenta vel obsides ibidem donat, ut omnes iustitias quas praefatus rex Pippinus per legatos suos ei mandaverat in placito instituto facere deberet. Rex Pippinus cum omni exercitu suo inleso reversus est ad propria.

ANNALES WERTHINENSES.

759.

[. . . . . propter interius domesticas] regni[a] sui causas corrigendas Pippinus nullum iter exercuit[a]. Natus est autem ei filius, cui nomen suum imposuit[a]. Qui vixit annos duos, et in tertio defunctus est. Celebravit[a] autem gloriosus rex Pippinus eodem anno natalem Domini[a] in Longlare[b], et pascha in Iopila.

760.

Anno[a] incarnationis Domini 760. Pippinus rex cernens Wagfarium[a] ducem Aquitaniorum minime iustitias ecclesiarum[a] quae in partibus Francorum erant facere voluisse[a], ex consilio optimatum principumque suorum in Aquitaniam[a] iter direxit, et pervenit in locum qui dicitur Tedoad. Cum[a] haec vidisset Wagpharius, direxit nuntios suos Witbertum[a, c] scilicet et Dadinum[d], et dedit obsides Adelgarium[a] et Iterium[e], spopondens[f] sub iure iurando, ut[a] quod quondam malo ordine commiserat contra dominationem regis Pippini, secundum iudicium et legem emendaret. Hac firmitate suscepta, pius princeps Pippinus ad propria revertitur, et celebravit natalem Domini Carisiaco, et pascha similiter.

a) *linearum initia, scilicet litteras* r ex p Ce D An W e i t C W A u *(aut partem earum) abscisas supplevi.* b) longare *c.* c) *ita c.;* Autbertum *Ann. Bertin.* d) Dadinum *Ann. Bertin.* e) iter. *codex.* f) spo *iam erasum codex.*

nonnulla hauserunt, Nibelungi scilicet annales, et ex nostro derivati annales Laurissenses et Mettenses ad illum usque annum ascendunt.

Anni 759 *reliquiae apud Nibelungum desiderantur, et in annalibus derivatis multo breviores habentur. Textus anni* 760 *prior pars ex Nibelungi narratione annorum* 760 *et* 761 *petita, aeque ac reliqua adbreviata in annalibus Mettensibus et Laurissensibus reperitur, ea tamen ratione ut Mettenses Laurissensibus ampliores, ad Werthinenses propius accedant. Quod idem fere in narratione anni* 761 *locum habet.*

Fragmentum alterum in fronte partem textus anni 784, *in aversa pagina anni* 785 *praebet, Nibelungi libello deficiente quantum iudicare licet totam authenticam, et derivatis annalibus ampliorem, quod vel duabus vocibus „Widekindus et Abbi gener eius" non solum eo aevo sed per totum medium aevum, quantum video, singularibus examinatis elucet.*

Quae quum ita sint, reliquias istas in capite novi Scriptorum voluminis sistere non dubitavi.

ANNALES METTENSES.

759.

Anno dominicae incarnationis 759. Pippinus praeter domesticas interius regni sui causas corrigendas nullum exercuit iter. Natus est autem ei filius, cui nomen suum imposuit. Qui vixit duos annos, et in tertio defunctus est. Celebravit autem gloriosus rex Pippinus eodem anno natalem Domini in Longlare, et pascha in Iopila.

760.

Anno dominicae incarnationis 760. Pippinus rex cernens Waifarium ducem Aquitaniorum minime iustitias ecclesiarum, quae in partibus Francorum erant, facere velle, consilio optimatum suorum iter in Aquitaniam direxit, et pervenit usque ad locum qui dicitur Tedoad. Cumque haec vidisset Waifarius, direxit nuncios ad regem Pippinum, deditque obsides, spondens se sub iureiurando, ut quod quondam malo ordine commiserat, secundum iudicium et legem emendare deberet. Hac firmitate suscepta, princeps Pippinus ad propria revertitur, et celebravit natalem Domini Carisiaco, et pascha similiter.

ANNALES LAURISSENSES.

759.

Natus est Pippino regi filius, cui supradictus rex nomen suum inposuit, ut Pippinus vocaretur sicut et pater eius; qui vixit annos duos, et in tertio defunctus est. Eodem anno celebravit natalem Domini in Longlare et pascha in Iopila. Et inmutavit se numerus annorum in

760.

Tunc Pippinus rex, cernens Waipharium ducem Aquitaniorum minime consentire iustitias ecclesiarum partibus quae erant in Francia, consilium fecit cum Francis, ut iter ageret supradictas iustitias quaerendo in Aquitania. Et pervenit usque in locum, qui dicitur Tedoad. Et cum haec vidisset Waipharius, misit missos suos, Adotbertum et Dadinum, et dedit obsides Adalgarium et Eitherium regi Pippino, ut omnia redderet, quicquid supradictus rex quaerebat in causis ecclesiasticis. Et celebravit natalem Domini in Carisiago et pascha. Et inmutavit se numerus annorum in

NIBELUNGUS.

(c. 125.) 761. Evoluto anno, id est anno decimo regni ipsius, omnes obtimates Francorum ad Dura in pago Riguerinse ad campo Madio pro salute patriae et utilitate Francorum tractandum placito instituto ad se venire praecepit. Dum haec agerentur, Waiofarius inito iniquo consilio contra Pippino rege Francorum insidias parat, exercitum suum cum Uniberto comite Bitorivo et Bladino comite Arvernico qui dudum ante anno superiore ad praedicto rege Pippino cum Bertelando episcopo Bituricae civitatis missus fuerat et animum regis ad iracundiam nimium provocasset, cum reliquis comitibus clam hostiliter usque Cavalonnum omnem exercitum suum transmisit, et totam regionem illam id est Agustudinensium usque ad Cavalonnum igne concremavit, et suburbana Cavalonnae urbis quicquid ibidem repperierunt omnia vastaverunt. Melciaco villam publicam incendio cremaverunt, cum multa spolia et praeda nullo resistente remeaverunt ad propria. Cum hoc Pippino rege nuntiatum fuisset, quod Waiofarius maximam partem regni sui vastasset, et sacramento quod ei dederat fefellisset, nimium in ira commotus iubet omnes Francos, ut hostiliter placito instituto ad Ligerem venissent. Commotoque exercito cum omni multitudine iterum usque ad Trecas accessit, inde per Antisioderum ad Nevernum urbis veniens, Ligeris fluvium transmeato, ad castro cuius nomen est Burbone in pago Biturivo pervenit. Cumque in giro castro posuisset, subito a Francis captus atque succensus est, et homines Waiofario quos ibidem invenit secum duxit, maximam partem Aquitaniae vastans, usque urbem Arvernam cum omni exercitu veniens, Claremonte castro captum atque succensum bellando cepit, et multitudinem hominum tam virorum quam feminarum vel infantum plurimi in ipso incendio cremaverunt, Blandino comite ipsius urbis Arvernicae captum atque ligatum ad praesentia regis adduxerunt; et multi Wascones in eo prelio capti atque interfecti sunt. Igitur rex Pippinus urbem captam hac regionem illam totam vastatam, cum praeda vel spolia multa Deo auxiliante illesum exercitum iterum remeavit ad propria. Factum est autem, ut postquam Pippinus rex urbem Arvernam coepit, ac regionem illam totam vastavit,

ANNALES WERTHINENSES.

761.

Anno 761. Pippinus rex conventum Francorum habuit in Duria villa publica, et de utilitate regni[a] Francorum tractans, suos optimates ibi adunavit. Wagfarius autem inito pravo consilio, exercitum Wasconum[a] in fines Burgundiae direxit, qui usque ad Cavallonem[a, b] urbem totam illam partem Burgundiae vastaverunt. Hoc[a] cum Pippino regi nuntiatum fuisset, quod Wagfarius[a] fidem promissam postponeret, cum exercitu ad Ligerum[a, c] fluvium venit. Quo transiecto, ad castrum cui nomen est[a] Burbone in pago Biturico venit, destructoque eodem[a] castro, cunctos quos ibi repperit captos[d] secum duxit[a], peragratamque Aquitaniam, usque Clarum[e] montem castrum[a] montem[f] pervenit, quod non sua voluntate sed bellatorum[a] vi iniecto igne concrematum est. In quo itinere Blandinus[a] perfidus comes in praesentiam Pippini regis captus[a] ductus est[g]. Innumerabilibus itaque spoliis et captivis totus ille exercitus ditatus, in Franciam reversus[a] est. Celebravitque gloriosus rex Pippinus natalem[a] Domini in Carisiaca[h] villa, et pascha similiter.

NIBELUNGUS.

(c. 126.) Sequenti anno id est anno undecimo regni ipsius, cum universa multitudine gentis Francorum Bituricas venit

ANNALES WERTHINENSES.

762.

Anno 762. Tertia vice gloriosus rex Pippinus[a] . . . .

a) *linearum fines, scilicet litteras* ni seonum m c s m est em it um orum lan tus er m inus *(aut partem earum) abscisas supplevi.* b) cauadonem *c.* c) *ita codex.* d) captus *c.* e illirum *corr.* darum. f) *ita c.* g) c. est d. est *c.* h) carisica *c.*

ANNALES METTENSES.

761.

Anno dominicae incarnationis 761. Pippinus rex conventum Francorum habuit in Duria villa publica, et de utilitate regni Francorum tractans, suos ibi optimates adunavit. Waifarius autem pravo consilio exercitum Wasconum in fines Burgundiae vastavit. Hoc cum Pippino regi nunciatum fuisset, quod Waifarius fidem promissam postponeret, cum exercitu ad Ligerim fluvium venit. Quo transiecto, ad castrum, cui nomen est Burbone, in pago Biturico venit; destructoque eodem castro, cunctos quos ibi repperit, captos secum adduxit. Peragrataque Aquitania, usque ad Clarummontem castrum pervenit, quod non sua voluntate, sed bellatorum vi iniecto concrematum est igne. In quo itinere Blandinus perfidus comes in praesentia Pippini regis captus est. Innumerabilibus itaque spoliis et captivis totus ille exercitus ditatus, in Franciam reversus est. Celebravitque gloriosus rex Pippinus natalem Domini in Carisiaca villa, et pascha similiter.

ANNALES LAURISSENSES.

761.

Waipharius dux Aquitaniorum, minime cogitans de obsidibus vel de sacramentis suis, quasi in vindictam supra Pippinum regem exercitum misit, qui ad Cavalonum civitatem venerunt. Dum et supranominatus rex synodum suum teneret in villa qui dicitur Dura, nuntiatum est ei, quod Waipharius in omnibus mentitus est; iterum rex Pippinus illuc cum exercitu iter peragens, et eius filius primogenitus nomine Carlus cum eo, et multa castella coepit, quorum nomina sunt Burbonnis, Cantela, Clarmontis. Istas per pugnam coepit, et in Alverno alia multa castella coepit per placitum, quae se subdiderunt in eius dominio, et pervenit usque Limovicas, vastando et desertando supradictam provintiam propter neglegentiam Waifarii ducis. Et celebravit natalem Domini in Carisiago villa, et pascha similiter. Et inmutavit se numerus annorum in

ANNALES METTENSES.

762.

Anno dominicae incarnationis 762. gloriosus rex Pippinus tertia vice perfidum Waifarium ducem persequens in Aquitaniam intravit. Destructisque castellis et munitionibus, ad ultimum Bituricam munitissimam civitatem conquisivit, et Thoarcis castrum, quo in Aquitania firmior non erat, destruxit. Reversusque cum victoria ad sedem propriam regni sui, in Gentiliaco villa natalem Domini et pascha celebravit.

ANNALES LAURISSENSES.

762.

Tertio in Aquitania Pippinus rex iter faciens, et coepit civitatem Bituricam et castrum quod dicitur Toarcis. Et celebravit natalem Domini in Gentiliaco villa, et pascha similiter.

ANNALES WERTHINENSES.

784.

[domnus rex Karolus pervenit ad Huculvi. Ibi consilio inito . . filium suum domnum Karolum una cum scara contra Westfalaos] misit. Ipse vero coepto itinere per Toringiam usque ad fluvium Albiam pervenit, et inde usque ad Steinfurt, inde Scahuningi pervenit. Ibi quoque contione cum Francis habita et victoria perpetrata in Franciam reversus est. Westfali vero adunata manu valida contra Karolum filium magni regis Karoli aciem dirigunt, bellumque acerrimum commissum est. In quo auxiliante Domino Karolus victor extitit, interfectisque plurimis immo innumerabilibus Saxonum, cum triumpho ad genitorem suum in Wormaciam civitatem reversus est. In qua urbe consilio inito cum *[Francis ut iterum hieme tempore iter fecisset domnus rex in Saxoniam . . celebravit natalem Domini iuxta Skidrioburg etc.]*

Exciderunt lineae novem.

ANNALES METTENSES.

784.

Anno dominicae incarnationis 784. Karolus rex iterum ingressus est Saxoniam, eo quod iterum rebellassent, et cum eis aliqua pars Fresonum. Et pervenit usque ad Hucculvi, circumeundo et vastando omnia. Erat autem nimia inundatio aquarum. Ipse igitur per Turingiam ab orientali parte intravit super Westfalos. Porro filium suum misit cum valida manu contra Westfalos. Itaque rex Turingiam ingressus, pervenit usque ad fluvium Albiae, et inde ad Stainfurt, deinde ad Scanninge; ex quo loco reversus est in Franciam. Westfali vero adunaverunt se iuxta Lippiam. Quibus occurrit filius regis in pago, qui dicitur Dragini, et inierunt pugnam. Quibus viriliter superatis, reversus est Warmatiam ad genitorem suum. Rex itaque cum consilio procerum suorum iterum hyemis tempore intravit Saxoniam, et celebravit natalem Domini iuxta castrum Kiridrioburc in pago Waizzagavi super fluvium Ambra, in villa Leuhidi.

ANNALES WERTHINENSES.

785.

[domnus rex Karolus reversus est Aeresburgum, ubi cum uxore sua domna Fastradane regina una cum filiis et filiabus suis reliqua] parte illius hiemalis temporis residens, pascha celebravit. Sed dum in eodem castro resedisset, frequentissimis expeditionibus Saxones protrivit, et firmitates eorum ac castella destruxit, et vias exercitui suo praeparavit. Aestatis vero tempore conventum Francorum habuit ad Patrebrunna, inde itinere accepto per vias planas nemine contradicente totam Saxoniam peragravit. Et cum pervenisset in Bartengowe, ibi ad eum Widikindus et Abbi gener eius venit, et firmaverunt sub sacramentis illum se secuturos esse in Franciam. Postquam vero reversus est rex in Franciam, misit *[Amalwinum, qui obsides Widikindo et Abbioni traderet eosque una cum sociis Attiniacum ad regem duceret.]*

ANNALES METTENSES.

785.

Anno dominicae incarnationis 785. rex usque ad Rime pervenit super fluvium Wisaram, ubi confluit Waharna, et propter nimiam inundationem aquarum inde reversus est ad Heresburc castrum, ubi uxorem suam Fastradam cum filiis et filiabus venire iussit, ibique per totam hyemem mansit. Ubi etiam pascha celebravit. Et multis vicibus exercitum super Saxones misit, et eorum castra destruxit, et in Maio synodum apud Paderbronnam habuit; et inde iterum pergens, nullo contradicente, totam Saxoniam circuivit. Et cum pervenisset in Bardengawi, misit inde post Widichindum et Abbionem, et utrosque ad se fecit venire. Quos sacramento constrinxit, ut in Franciam ad eum venirent. Qui acceptis obsidibus, ad regem in villa Attiniaco venerunt, ibique baptisati sunt; et sic tota Saxonia subiugata est Francis. Et in eadem villa celebravit rex natalem Domini et pascha similiter.

ANNALES LAURISSENSES.

784.

Et tunc rebellati sunt iterum Saxones solito more, et cum eis pars aliqua Frisonum. Tunc deinde domnus Carolus rex iter peragens, Renum transiit ad Lippiham, et ingressus est Saxoniam circuiendo et vastando, usque quod pervenit ad Huculvi. Ibi consilio inito, eo quod nimium inundaciones aquarum fuissent, ut per Toringiam de orientale parte introisset super Ostfalaos, et filium suum domnum Carolum dimisisset una cum scara contra Westfalaos: quod et ita factum est. Domnus rex Carolus perrexit per Toringiam usque ad fluvium Albiam, et inde ad Stagnfurd et inde ad Scahiningi, ibique conventionem factam, reversus est in Franciam supradictus gloriosus rex. Westfalai vero voluerunt se congregare ad Lippiam. Quo auditu a supradicto filio domni Caroli regis, obviam eis accessit una cum scara quae cum eo dimissa fuit, in pago qui dicitur Dragini, et inierunt bellum. Auxiliante Domino, domnus Carolus, filius magni regis Caroli, victor extitit una cum Francis, multis Saxonibus interfectis. Volente Deo, inlaesus remeavit ad genitorem suum in Wormaciam civitatem: ibique inito consilio cum Francis, ut iterum hieme tempore iter fecisset supradictus domnus rex in Saxoniam; quod ita et factum est. Et celebravit natalem Domini iuxta Skidrioburg, in pago Waizzagawi super fluvium Ambra in villa Liudihi. Et inmutavit se numerus annorum in

785.

Tunc domnus Carolus rex supradictum iter peragens, usque ad Rimie pervenit super fluvium Wisora, ubi confluit Waharna. Et propter nimias inundationes aquarum inde reversus est Aeresburgum: uxorem suam domnam Fastradanem reginam una cum filiis et filiabus suis ad se venire iussit. Ibi tota hieme resedens, et ibi pascha iam fatus excellentissimus rex celebravit. Et dum ibi resideret, multotiens scara misit, et per semetipsum iter peregit: Saxones, qui rebelles fuerunt, depraedavit, et castra coepit, et loca eorum munita intervenit, et vias mundavit, ut dum tempus congruum venisset, sinodum publicum tenuit ad Paderbrunnen. Et inde iter peragens, vias apertas, nemini contradicente, per totam Saxoniam quocumque voluit. Et tunc in Bardengawi venit, ibique mittens post Widochindum et Abbionem, et utrosque ad se conduxit, et firmavit, ut non se subtrahissent, nisi in Franciam ad eum pervenissent: petentibus illis, ut credentias haberent, quod inlaesi fuissent: sicut et factum est. Tunc domnus rex reversus est in Franciam, et mittens ad supradictum Widochindum et Abbionem obsides per missum suum Amalwinum; qui cum recipissent obsides illos secum deducentes, coniunxerunt se ad Attiniacum villa ad domnum regem Carlum. Et ibi baptizati sunt supranominati Widochindus et Abbi una cum sociis eorum. Et tunc tota Saxonia subiugata est. Coniuratio Hardradi et orientalium Francorum, qua contra regem conspiraverant, deprehensa est, et auctores eorum partim morte partim exilio damnati sunt. Et in eadem villa celebravit saepedictus gloriosus rex natalem Domini, et pascha similiter.

ANNALES BAWARICI BREVES.

Leguntur in codice bibliothecae imperialis Petropolitanae L. F. v. Old. IV. 4 *signato membranaceo saeculi IX. exeuntis, ubi post Gesta regum Francorum scripti, annales Laurissenses maiores, Einhardi vitam Karoli et vitam Hludowici imperatoris nec non genealogiam Karolorum antecedunt. Ubi in itinere suo Russico repertos Wilhelmus Arndt laborum nostrorum socius exscripsit, nobisque Petropoli transmisit, scripturae specimine adiecto. Qui licet nihil tradant quod non in aliis quoque fontibus habeatur, tamen quum omnia eiusmodi monumenta authentica collectioni nostrae inserenda sint, eis hunc locum adsignavi. Notitiae priores proxime ad annales Francicos accedunt, reliqui annorum* 787—811 *cum annalibus in Bawaria conscriptis Iuvavensibus maioribus et Sancti Emmerammi conveniunt, quare eos in Bawaria conscriptos fuisse statuerim.*

687. 697. Pippinus senior regnare coepit.
714. Karolus regnare coepit.
Mart. 28. 717. Karolus contra Ragenfridum pugnavit.
Oct. 732. Karolus contra Saracenos[a] pugnavit ad Pictavis.
737. Karolus contra Saracenos[a] pugnavit ad Birram fluvium.
741. Karolus obiit, Karlomannus et Pippinus regnare coeperunt.
746. Karlomannus Romam profectus est.
751. Pippinus rex constituitur.
768. Pippinus obiit, Karolus et Karlomannus regnare coeperunt.
Dec. 4. 771. Karlomannus obiit 2. Nonas Decembris.
774. Papia capta a domno Karolo.
783. Hildegardis regina obiit[1]. Eclipsis solis[b] 2. Kalendas Mai.
785. Eclipsis solis bis[c].

PARS ALTERA A. 787—811.

787. Domnus Karolus Romae pascha celebravit.
791. Avari victi et Pannonia subiugata.
795. 796. Adrianus pontifex defunctus, Leo successit.
Dec. 25. 801. Domnus Karolus Romae imperator et augustus[d] coronatur.
Iul. 8. 810. Pippinus rex Italiae filius domni Karoli imperatoris decessit 8. Idus Iulii.
811. Dec. 12. Karolus maior natu filius domni Karoli imperatoris obiit 2. Nonas Decembris.

a) faracenī *c.* b) .S. *c.* c) .S. biſ *c.* d) agaū *c.*

1) pridie Kal. Maii.

CHRONICON EBERSPERGENSE

EDENTE WILHELMO ARNDT.

Inter monumenta Eberspergensia historica, quae Oefelius anno 1763 *in secundo Scriptorum rerum Boicarum volumine edidit*[1], *legimus etiam chronicon, ab eo* posterius *nominatum, quod, quum iam de antiquitate eius rectum protulisset iudicium Scholliner*[2], *nunc post copiosam criticamque Sigefridi Hirsch*[3] *disputationem, nemo ultra dubitabit vindicare saeculo undecimo. Sapit enim totus opusculi tenor scriptorem laudati saeculi, qui quamvis magis fabulas, quibus populus delectabatur, sequens, itaque mirum in modum permultas res gestas confundendo cum fictis traditionibus, nobis tamen servavit notas historicas haud spernendas reverendaeque antiquitatis. Econtra auctor chronici illius, ab Oefelio falso* antiquius *nominati, nil egit, nisi ut superstrueret hoc antiquiori, eique ex sua terrae locorumque cognitione nec minus ex necrologio et codice traditionum Eberspergensium adderet quaedam comitum Eberspergensium illustrantia facta. Quum autem pugnam a.* 1246 *ad Leitham fluvium initam commemoret*[4], *tempus quo redegerit opus elucet, nostrum autem in fine abbatum Eberpergensium seriem usque ad Ekkibertum Willirammi praedecessorem productam servans, eo profert testimonium conscriptum esse sub regimine abbatis Willirammi. Auctori diplomata varia ad manus fuere, ut ex codice Traditionum Eberspergensium cognoscimus, atque quibusdam locis sub textu alligatis probabimus.*

Codex ad cuius fidem textum emendamus servatur in archivo regio Monacensi signatus: Ebersberg Cart. B.[5] *Est membranaceus, saeculo XI. scriptus, quinquaginta foliorum, in quorum sex prioribus Chronicon nostrum exaratum invenimus.*

In quaternione praecedente, paginarum numeris carente, Necrologium, in reliquis codicis foliis legitur Codex traditionum Eberspergensium. Annorum numeri in chartis saepe erasi sunt, postea tamen alia manu, quam semel Jaffeus dum textum olim cum Oefelio contulit saeculi XIV. esse adnotavit, suppleti, fortasse ex chronico prolixiori, ubi eosdem offendimus.

Oefelius tamen alium codicem inspexit. En habes ipsius verba (II. p. 2): Continentur haec omnia in codice membraneo valde spisso, in quarta quam vocant forma eaque maiori, quem e collegio patrum Monacensi nobilis ac

1) Rerum Boicarum Scriptores II. a) Chronicon antiquius p. 4—11. b) chronicon posterius p. 11—14. c) necrologium p. 15—18. d) codex traditionum Eberspergensium p. 18—44. e) libellus concambiorum monasterii Eberspergensis p. 44—48. 2) Hermanni Scholliner de Gerbirge Geisenfeldae sepulta eiusque parentibus ac progenitoribus disquisitio. Praecedit stemmatographia comitum de Semta et Ebersberg. In Neue historische Abhandlungen der churfürstlich Baierischen Akademie der Wissenschaften. Vierter Band. München 1792. p. 553 sqq. V. praesertim pp. 553 et 554. 3) Jahrbücher des Deutschen Reichs unter Heinrich II. T. I. p. 151. n. 4) p. 7. 5) Cf. Giesebrecht Deutsche Kaisergeschichte edit. 3. II, 568. n.

consultissimus vir Ioannes Langius Relationum Historico-Bavaricarum nuper editarum auctor indefessus acceptum mihi exhibuit, horulae spatio inspiciendum. *Secundum apographa Langiana, festinanter et supine descripta, ut ipse testatur, ab Oefelio instituta est editio; praeterea ei porrigebatur chronici sui antiquioris copia ab Ioh. Bapt. Fickler ex codice manuscripto „bibliothecae Bavaricae" desumta, qua textum emendare multis in locis potuit. De his duobus codicibus nil certi constat.*

Catalogum abbatum Eberspergensium, a Philippo Jaffe ex codice descriptum prima vice luci damus, eum tempore Willirammi abbatis conditum esse, redarguit scriptura, quum inde a successore suo Ruodperto usque in decimum quintum saeculum variae manus abbatum seriem contexerint.

Scribebam Berolini 14. *die mensis Novembris a.* 1865.

W. ARNDT.

Tempore Karolomanni caesaris in Norica regione quidam preses erat nomine Sigi-
6 hardus, qui fiscale forum habuit secus emporia fluvii Semnaha[6], unde locus equivocum nomen sortitus est. Qui Sigihardus autumnali tempore causa venandi proximum nemus petens, repperit ad australem eius partem insolitae magnitudinis vel singularem aprum silvarum, intra arenatium lapidem et tiliam iacentem, qui abactus inde nocteque recurrens per aliquot dies capi non potuit, demum vero pagum effugiens omnem conaminis eorum spem delusit. Quam rem cum ipsi fantasticam esse dicerent, lateque pro miraculo narrarent, famosae religionis clericus Chounradus de Hewa[7], quod est oppidum iuxta Potamicum lacum[8], famam audiens, Sigihardo demandavit ita: *Eruncari iube locum de quo singularis[9] inter arenatium lapidem et tiliam iacens egre depulsus est, quia per Dei manifestationem predico illum divino servitio sublimandum et a Dei servis colendum, qui satan populos venenoso dente ledentem expellant; si basilicam edificaveris eam separatim in mundo loco[a] construe iuxta morem antiquorum, qui religionis non esse dixerunt prope lectisternia aecclesiam visitare. Si sumptus suppetit, maenia construe, quia sicut Deus unum flagelli nervum Ermanrici Egidiique patricii regno, videlicet Attilam regem Hunorum, induxit; ita presenti generationi delictis exigentibus secundum flagelli nervum incutiet.* Ipso tempore aliqui de Argentina urbe venientes similem a Gebehardo ibidem incluso prophetiam acceptam de provehendo loco retulerunt. In signum haec credendi predixit in nemore singulares deficere, quod sub Oudalrico nepote suo contigit per nivem maximam. Post haec ipse locus eruncatur, lignis oppidum construitur, quod Eberesperch vocatur et flexa silva munitur. Arnolfus ergo caesar filius Karolomanni, quia consanguineus erat, Sigihardum multis ditans prediis, ad novi castri supplementum dedit tres mansos in villa Chagininga, et tres in villa Otinga[9*] cum omnibus ad eos pertinentibus, traditionem firmans testamento regale sigillum habente[10].

906. Oct. 10. Anno dominice incarnacionis nongentesimo sexto[b] Sigihardus obiens Eberspergensem locum filio Ratoldo dedit, qui in divinis secularibusque rebus erat nimis strenuus, ob quod ei caesar Karentinos terminos tuendos commisit[11]. Hic Chounradi prophetiae memor castri suburbana ampliavit, omnibus sumptibus locum cumulavit. Hic gignit[c] Eberhardum,
919. Ian. 20. Adalperonem, Willibirgam. Obiens[12] vero Ebersperch dedit Eberhardo, ac Iuvavio sepelitur in aecclesia sancti Amandi ad occidentem anguli, qui madescit ex corporibus sanctorum.

933. Hoc tempore Hunis, qui et Ungri, orientales terminos devastantibus, Eberhardus castrum muro circumdare, fossas ampliare caepit; sed dum quadam nocte dormiret, gallo

a) *sic correxi secundum Chron. prol. Nostrum habet:* aed. mundo separatim loco. b) Anno — sexto *in loco raso posita sunt manu saec. XIV. cod.* c) gignitur *cod*

6) Semta fluv. 7) Hewen. 8) Bodensee. 9) Singularis dictus aper, Graecis μόνιος, quod delectetur solitudine, vel quod solus et singularis primis duobus annis vagetur, nostris *sanglier.* DUCANGE. 9*) Oetting. 10) Cf. Mon. Boica. XXVIII. p. 111: *Anno* 896. *Iul.* 8. *Regenespurg … cuidam dilecto comiti et propinquo nostro nomine Sigihardo in comitatu Regingarii hobas tres loco Chaganinga sitas.* Cf. Dümmler Ostfränkisches Reich II. p. 486. n. 80. Quo consanguineitatis gradu coniunctus fuerit comes Sigihardus cum Arnulfo, non elucet. 11) Inter marchiones Karinthiae alias non nominatur. 12) Annum emortualem praebet Chron. Ebersp. maius l. c. p. 5.

canente evigilans, iterumque dormitans, estimavit se cum multitudine militum ac ministrorum suorum in castro gradientem, operariis suis demonstrare quales turres et officinas unoquoque loco construi vellet, ac gallum excitatorem suum in egeni effigie conversum, qui se opilionem testatur orientalium esse, dicere sibi: *Castrum hoc quod construis inimicorum patet insidiis, si non in eo mansionem qua vigil eius commaneat edificaveris. Sed si mihi thus, vinum et oleum dabis, ego munia suscipio custodis, ut tu ipse tutus nullius, qui tecum mihi haec comportat, damnum patiaris.* Dum igitur anxius in somnis propter haec dicta custodes oppido cursim delegaret, donec custodi mansionem sumptibus longe conquirendis exstrueret, et thus cum vino et oleo, quibus vigil conduceretur, nimio forent precio comparanda, pre lassitudine sudans et tremebundus evigilavit. Sollicitus vero ne somnium aliquid mali presagiret, convocato Hunfrido clerico suo laicisque sapientibus, somnium dixit, sed singulis secundum quod sibi visum est coniectantibus, minus autem animo eius coniecturis eorum placentibus, Hunfridus dixit: *Gallus, qui de ovo matre fovente generatur, quique declinata nocte diem propinquare nunciat, multis scripturae documentis Ihesum de Virgine natum significat, qui homines iubet tenebras, hoc est mala opera fugere, et diem, id est opera bona diligere. Ipse pro nobis egens ac indigens in hoc mundo; iuxta illud: Vulpes* Matth. 8, 20. *foveas habet. Ipse opilio sicut per Ezechielem: Sicut pastor visitat,* Ezech 34, 12. *et ipse in euangelio: Ego sum pastor bonus,* Ev Ioh. 10, 11. *orientalium, id est christianorum, qui ab ipso cuius nomen est Oriens, propheta*[13] *teste, orientales vocantur. Civitatem vero, in qua ipse vigil non est, hostibus patere etiam psalmista testatur, dicens: Nisi Dominus custodierit.* Ps 126, 1. *Thus autem, quod eo incenditur, rectam fidem et devotionem oraminis significat: Dirigatur oratio sicut incensum.* Ps. 140, 2. *Apocalypsis: Orationes*[a] *sanctorum.* Apoc 5, 8. *Vinum, amaritudinem penitentiae signat*[b]*: Potasti nos vino compunctionis.* Ps. 59, 5 *Oleum, quod languores depellit lucemque administrat, bona opera significat; unde virgines oleo carentes regno caelorum exclusae sunt.* His auditis Eberhardus ait: *Si mille coniecturae mihi super hoc somnium possent proferri, omnes comparatione illius, qui de divinis libris dicitur, pro nihilo computarem. Ut ergo Deus meorum oblitus peccatorum caelestem dignetur mihi gratiam prebere, rectam fidem, cordis compunctionem, cum bonis operibus eum in me nunc deprecor augere: et si dignabitur mihi vitam prolongare quousque ei templum edificem visibiliter, tus vinum et oleum ad servitium eius dabo.* Et sequenti die ipse tres 934. lapides in loco, quo fundamentum orientale iaci voluit, super arenatium lapidem posuit. Sed Hunfridus domum Dei dixit super firmam petram potius quam super arenam fundari debere, aufferreque lapidem arenatium tiliamque deicere, quam[c] vulgus quasi sanctam venerabatur. Quibus secundum eius dicta ablatis, aecclesia in crucis modum 50 pedum latitudine, 80 pedum longitudine edificatur[14], diebus 8 intermissis omne cementicium opus 14 consummatur, quem numerum in veteri novaque lege non pauca mysteria Hunfridus continere demonstravit. Tabula consecratum marmor habens super aram ponitur continens sancti Sebastiani reliquias, in cuius nomine Deo ad serviendum dedit aream Ratispone in platea rerum venalium[15], ad tus emendum, vineam 4 iugerorum in Ascah[16], Winchil, Chapfas, locum qui dicitur Ad Semitaha[17], Chleteheim[18], aecclesias 2 dotatas cum decimis ad Tegerenpach et Ongoltingun et decimationem venationum et cedendarum arborum in nemore. Aheim[19] quoque dare voluit, sed consensum fratris ad hoc non habuit. Clericis coadunatis Hunfridum prefecit. Quo tempore Huni 8 annis Noricum vastantes, in 9.[d]

a) oratio apocal. incensum est orationes *cod.* b) signum *cod.* c) quę *cod.* d) VIIII *cod.*

13) Zachar. 6, 12: *Haec ait Dominus exercituum dicens: Ecce vir Oriens nomen eius.* 14) In traditionibus Eberspergensibus (ap. Oefele II. p. 20. N. XV.) haec leguntur manu saeculi XI. exarata: *A generatione hac in aeternum Deo credentibus sit in memoria, quia regnante primo Heinrico rege Francorum Eberhardus comes eiusque frater Adalpero nomine ad exemplum Iacob patriarchae lapidibus in titulum erectis in Eberespergensi castro monasterium construxerunt in honorem Dei et sanctae Mariae genitricis eius sanctorumque martirum Sebastiani, Cyriaci, Viti et sancti Martini confessoris Christi atque pontificis; ad quorum commemorationem inibi perpetualiter retinendam adunatis clericis aliqua de prediis suis tradiderunt anno ab incarnatione dominica nongentesimo trigesimo quarto pro redemptione corporum animarumque suarum atque prosperitate parentum suorum et omnium successorum suorum. Post haec autem ipsum monasterium dedicatum est a Friderico Iuvavensi archiepiscopo nongentesimo septuagesimo anno dominicae incarnationis, indictione septima,* 13. *Kalendas Februarii, Oudalrico strennuissimo comite predicti Adalperonis filio licentiam in hac re obtinente ab Abraham Frisingensi antistite.* 15) Chron. prolixius habet haec p. 6: *Aream Ratispone in loco, qui vulgariter dicitur Lederbanck, quae est sita in platea sive foro rerum venalium.* 16) Aschach. 17) Sempt. 18) Klettheim. 19) Aham.

numerum excedentes per Noricum dispersi sunt. Quorum legio ad orientem castri Ebersper-
gensis in equis accurrens, ac sagittas pro omine contra castrum emittens, et id tutum per
omne sentiens, cum gannitu ab eo profugit. In qua re vigilantiam custodis nundinati
Eberhardus se cognoscere dixit. Exercitu vero Hunorum ipso itinere prope fluvium Lehc
955. Aug. 10. a Heinrico rege et filio eius Ottone devicto, milites Eberhardi sororisque eius Willibirgae,
quae tunc in sepe dicto castro morabatur, Sur regem et Leli[20] ducem Ungrorum cum aliis
Ungris ad Ebersperch detulerunt; sed regem et ducem Ratisponam regibus remittentes,
reliquos Ungros iaculatos ingenti fosse inmiserunt. Tunc Willipirgis ait: *Nimis credula sum
verbis illorum, qui locum istum Dei servitio magnificandum predixerunt, quia malorum prin-
cipes aecclesiam Dei devastantes, ad honorem loci Dominus huc vinctos perduxit.* Et Eber-
hardus primitias tollens de torquibus aureis et tintinnabulis in imis vestium pendentibus tres
libras auri ad calicem fabricandum, crucemque argenteam, quae in scuto regis infixa fuit,
et aliud argentum ad aecclesiastica ornamenta dedit. Sentiens post haec mortem propin-
quam, misit post fratrem suum, qui tarde veniens dixit: *Frater meus liberis carens, cum
sua predia clericis vult dare, petit me ad se festinare, non cogitans esse melius prediis, quae
mihi hereditate contingunt, filios meos ditari, quam alios iniuste predari.* Et Eberhardus dixit:
Deus mihi miserere et erga locum istum voluntatem tuam operare; et fratre suo tarde veniente
949. Nov. 16. mortuus est et Frisingis sepelitur. Frater autem eius moenia consummavit; qui septem
filios habuit elegantes, et octavum, quem sanctus Oudalricus[21] baptizans equivocum sibi
fecit, occultavit hospitibus propter ignaviam suam et deformitatem. Ob quam rem amita
eius Willibiric ait: *Indubitanter nostris exigentibus peccatis iste privatus est sospitate, cum
omnes a filiolo meo Oudalrico aliqua benedictione sacrati, gaudeant integro sensu et corporis
sanitate; nam ut de ceteris taceam, cum ego eum adhuc adolescentulum in monasterio sancti
Galli, quo nutritus est, visitans orarem, ut edentulae matrinae suae, quae mortem pre inedia
timerem, misereretur, ille aliqua velut iocularia ad haec respondens „Tandem ad tua, ait,
remea; petitio tua felicem efficaciam assequetur." Iuxta cuius dicta mihi repatrianti, dentes
contra naturam veteranae succrescunt, et maior quam ante capitis sanitas ab inde perseverat.
Unde scio, quod episcopale baptisma non parvam conferret ei prosperitatem, si delicti nostri
non obstaret enormitas. Procura ergo placare Deum ac sanctum Sebastianum, cui frater
noster Eberhardus predium Aheim dare promisit, de cuius pensionibus thuris vini et olei votum
suum voluit solvi.* Quo consilio percepto, frater eius Oudalrici caput super aram sancti
Sebastiani posuit, predium Teigingun atque duos mansos ad Huntilipach sitos dedit, 30
22 quoque denarios dans, totidem se aut puerum annuatim daturum spopondit[22], quos ipsi et
Adalpero postea usque ad mortem solverunt. Post haec spassat, prepollet, ac inter multa
prelia, quae gessit, invulnerabilis extitit. Patrem ac matrem Lutecardem mortuos[23] Fri-
singis sepelit, ac pro animarum eorum requie sancto Sebastiano predium nomine Risun
dedit. Post haec duxit uxorem Rihcardem sororem Marhwardi presidis de Carinthia, cui
ipse suam in coniugium vocabulo Hademuodem dedit, quae post obitum mariti cuncta sua
pro Dei nomine derelinquens in Palestinae partibus mortua plurimis signis declaratur.

20) Lele dux etiam commemoratur in Ann. Sangall. Maior. ad a. 955. M. G. I. p. 79. vide Jahrbücher des Deutschen Reichs I, 3. p. 182 sq.

21) episcopus Augustanus.

22) Vide cod. tradd. Ebersberg. l. c. p. 21. N. XVII. Quae verba hic alligamus: *Idem* (scilicet Eberhardus) *igitur ab exordio construendi monasterii dare promisit in ministerium Dei donaria thuris et vini ac olei, quibus augmentum fidei compunctionisque cordis et operum bonorum, quae praenominatae res designant, spiritualiter promereretur, et ob hoc Ahaheim predium suum, ex cuius pensione tria hec insimul exsolverentur, Deo sibique dilecto sancto Sebastiano devovit donare; sed ad voti expletionem fratris sui Adalperonis, qui multos filios habuit, assensum nec in hora suae mortis impetravit. Quo defuncto cum idem Adalpero ipsum predium possideret ut opinabatur licenter iure hereditario, pro hoc expertus est in se extendi manum Dei in retribuendo. Nam in brevi temporis spatio tres filie et duo filii, qui ei elegantissimi erant, vitam finierant. Et cum eius durum et inpenitens cor necdum desineret thesaurizare sibi iram in die vindictae, non est in his aversus ab eo Dei furor, sed adhuc manus eius extenta tetigit os et carnem Oudalrici, qui ei solus erat superstes de prole mascula, ita ut succrescente per dies langueret ignavia. Cuius caput pater super altare ponens, eum Deo sanctoque Sebastiano commendavit et per eius manum triginta argenteos* (scilicet denarios) *offerens devovit pro sospitate eius ab ipso proleque sua, quae monasterium Eberspergense possideret annuatim ipso altari totidem offerendos. Predium quoque Teiingun et mansos duos sitos ad Huntilipah dedit in ministerium altaris proprie possidendos, ut si quid delicti esset in retentione predii, quod suus germanus sancto Sebastiano devovit, hac datione expiaretur.*

23) v. Necrol. Ebersp. l. c. p. 17: 3. *Id. Sept.* (i. e. Sept. 11.) *Adalpero comes, pater Oudalrici obiit. 4. Kal. Nov.* (i. e. Oct. 29.) *Luitkard comitissa uxor Adalperonis prioris obiit.*

Quo tempore Frisingensis episcopus Abraham[24] Eberspergensem basilicam dedicare denegat, quia Oudalricus Ottoni puero tercio regi fidelis, Heinrico duci Bawariorum, cui pontifex idem favebat, ad rebellandum regi non consensit. Idem enim dux ungui se faciens in regem, preliis multis Oudalricum attemptabat, sed iustitia prevalente victus est ab eo. Episcopus quoque prefatus, qui eum depredatus est, equali facto in tantum coartatus est, ut Frisingis adiutorio regali obsessus caperetur ac in custodiam a rege detruderetur. Dux etiam propter haec in Patavia[25] ad deditionem cogitur et in custodiam mittitur. Ex qua emissi amicitiam cum Oudalrico firmant, ita ut dux Eberspergense castrum petens copiosam peccuniam et 9 ministros suos sancto Sebastiano delegaret. Dixit enim sibi Treveris, ubi custodiebatur, per visum a sancto Materno manifestatum esse, non prius solvi carceris sui angustias, quam promitteret se beati Sebastiani interventum petiturum et Oudalrici amicitiam habiturum. Episcopus ergo, quoniam olim deiuravit Oudalrici aecclesiam a se numquam benedicendam esse, dedit ei licentiam consecrandi eam a quolibet episcopo. Convocatur ergo Fridericus Iuvavensis aecclesiae presul, qui consecravit eam anno dominicae incarnationis 970.[a] indictione[a] ac villa Ruothartesperc in dotem datur[26]. Post haec Oudalricus genuit Adalperonem, Eberhardum, Willibirgam et alias tres filias[b]. Adalpero duxit uxorem Rihlindem[27], filiam Rudolfi Suevi, sororem Welfhardi comitis, qui rebellavit Heinrico regi secundo; haec sterilis fuit. Eberhardus vero duxit Adelheidem Saxonem, quae tres genuit filios, quorum[c] biennio vix, anno dominicae incarnationis 972[d], Hunfridus moritur, quem Dietgerus sequitur. Post quem Meginpoldus subrogatur 16 annis. Quo tempore Gunzo[28] successit, Grecis ac Latinis litteris doctus, qui erat conscolasticus Gerberti pape, prefuitque annos 11[29].

Anno dominice incarnationis 990.[d] Reginpoldus Augustensis abbas adunatis monachis preficitur, cui quidam miles Eberhardus suum filium, Altmannum vocabulo, monastice educandum dedit, quem genuit de Ruottrude[e], quae fuit Oudalrici filia ex concubina. Reginpoldus vero cum 11 annis Eberspergensi abbatiae prefuisset, ab Heinrico rege II. Francorum 1018. ad Lorsam[30] abbatiam regendam sustollitur, et Altmannus ab eo monachis Eberspergensibus preficitur, aliquantisper Oudalrico renuente propter florem primae iuventutis; annorum enim 20 erat, sed incredibili ingenii astutia morumque maturitate pollebat.

Oudalricus ergo nullam ex filiis prolem videns preter unam virginem Hadamuoden vocabulo, neptem suam de filia Willibirga, predia haec: Sevun, Otacheresperc[31], aecclesiam dotatam in villa quae dicitur ad Niuunchirchun[32] cum decimis, et duos mansos ad Huntilpach[33] sancto Sebastiano dedit, ut eius interventu benigno Deus inpune sibi prolique suae concederet usum predii Ahaheim, quod patruus suus divinis devovit servitiis, et ut felicem mereretur posteritatem; quam petitionem cum effectum consequi non posse videret, vel in senecta sua peccatis suis deputans quod exaudiri non meruit, toto nisu in amorem Dei monasteriis et egenis pecunias distribuit, posteaque pauper ipse pauperibus ministravit, mundum etiam relinquere peregreque proficisci voluit. Sed laicus quidam, Adalgerus nomine, pro sancto habitus, id decere contradixit, dicens: sibi in divina voce dictum, de posessis bonis elemosynam assidue annuatim dare melius esse, quam semel omnibus relictis nil postea conferre pauperibus. Talibus verbis credulus acceptis, animo se retraxit; qui cum sequenti tempore in Tinchove[34] moraretur, coniunx eius Rihcart Deo devota, quadam die petiit eum, ut secum Eberspergense castrum pro sibi necessaria causa visitaret. Quam

a) *numeri in loco raso scripti sunt, fortasse* XIII. *numerus indictionis erasus est et non suppletus cod.* b) filas *cod.* c) *locus ut videtur corruptus. Chron. prolixius habet haec:* filios. In eodem biennio, vix anno post basilicae Eberspergensis consecrationem, dom. incarn. 972. Hunfridus primus praepositus, qui 29 annis praefuerat, moritur, et Dietgerus eidem ecclesiae in praepositum subrogatur. d) *numeri in loco raso scripti sunt cod.* e) *ita emendavi; Jaffé* Dervottrude *legerat.* PERTZ.

24) 957—993. 25) v. Ann. Hildesh. ad a. 977. M. G. SS. III, 64. Sed falso auctor noster de Ottone III. disputat, quum revera de Ottone II. agendum fuisset. 26) Haec exhibet Cod. tradd. Ebersb. l. c. p. 22 sub Nr. XIX: *Idem Oudalricus accersiens Iuvavensis aecclesiae archiepiscopum nomine Fridericum, licentia Frisingensis antistitis Abrahae fecit ab eo dedicari cultui divino basilicam Eberespergensem, cui secundum christianum ritum in dotem dedit vicum vocabulo Ruothartesperc cum mancipiis et omnibus quae ipso die consecrationis in quacumque utilitate inibi possidebantur. Haec autem dedicatio facta est nongentesimo septuagesimo anno ab incarnatione dominica, regnante primo Ottone rege Francorum.* 27) v. stemma genealogicum ap. Stälin Gesch. Wirt. I, 556. Cf. quoque Hirsch Heinr. II. T. II. p. 234. 28) In catalogo abbatum Eberspergensium nominatur Guntheri. 29) Non recti numeri. 30) Lorsch; postea est episcopus Spirensis, 1032–1039. 31) Seeon, Ottakers. 32) Neunkirchen. 33) Hundsbach? 34) Thingau.

causam dum ille requireret, dixit ei, actu potius quam verbis illam se intimaturam. Cuius petitioni cum annuens castrum adiret, alia die fortuito accidit eam solam sedere in ceta, qua pedissaeque solitae fuerant operari, ubi pulcherrima virgo, niveis induta fulgoroso vultu apparuit, ei dicens: *O Rihcart domina carissima, quomodo te sedere solam contigit, quod antea numquam vidimus; hoc tuam disciplinam, hoc tuam reverentiam non deceret. Ego autem, ut tui custos sim, veni.* Quo dicto disparuit, quam visionem uni presbytero duabusque[a] pedissequis sibi familiaribus dixit, et quod discessum suum portenderet, intimavit;
1013. Apr. 23. quae statim infirmata 10. die obiit 9. Kal. Maii et in eodem castro sepulta est anno dominicae incarnationis 1013.[b] a filiis suis[c]. Quibus pater ait: *Ego nescius si ultra vos conspiciam, paucis admoneo, quae sigillet in cordibus vestris memoria diei, quo mater vestra terrae commendata est; in hoc enim asciscitis Dei placorem et mundialem honorem. Regi numquam rebelletis, vel domum ulla occasione vocetis, quia tunc opes vestri disperdentur.* Igitur a pascha, post quod Rihcart defuncta est, Oudalricus carne abstinuit, venationibus, verbis otiosis omnibusque iucundis; adversa mundi prosperis cariora ferebat. Unde quodam tempore cum in Eberspergensi castro cum familiaribus sederet, atque de succrescentibus mundi malis sermocinaretur, contra beati Sebastiani altare conquiniscens ait: *Cum maximos dolores animo meo prius ingereret, quod nepotibus careo, modo tibi Deus, tibique mi possessor Sebastiane magnas proinde gratias ago.* Quod cur diceret dum ab assidentibus interrogaretur, ait: *Cum mundanae res ita constarent, ut quisque tranquille sua retinere posset ac decenter vivere, gauderem si mihi Deus propaginis concederet. Isto vero tempore quia malis multiplicatis aut ignominiose degere quisque cogitur aut male facere, carius habeo nepotibus carere, quam eos absque sui honore vel Dei gratia habere. Sed causam vobis enarro venturam, quae sequentem generationem postea*[d] *malo*[e] *acrioris infortunii est depressura. Cum Romani terrarum orbi imperarent, ita moderamine legum scripto regebatur*[f]*, ut nulli impune cederet factum, quod lex vetuerat. Postquam vero Germanum regnum a Romanis recesserat, Sigipertus et Theodericus ac deinde Carolus iura dictabant, quae si quis potens ac nobilis legere nesciret, ignominiosus videbatur, sicut in me coevisque meis, qui iura didicimus*[g]*, apparet. Moderni vero filios suos neglegunt iura docere; qui quandoque pro suo libitu et possibilitate mendoso iure quosque iuvant aut deprimunt et per exlegem temeritatem.* Oculum sinistrum in senecta doluit, quem non curari voluit. Guntherius heremita post secretam confabulationem[h] predixit eum ante sese moriturum et predia eius de multis aggregata in multos sed non in suos cognatos partiri. Obiit senex 4. Idus Martii anno dominicae incarnationis
1029. Mart. 12. 1029.[i] indictione 11, et sepultus est Ebersperc iuxta coniugem. Pro cuius animae requie filius Adalpero predium Hasalpah[35] dedit.

36 Anno 1031. Chuonradus[36] obiit, adoptivus filius Rihlindis amitae eius, quo obeunte[k] Heinricus tercius rex Francorum libertate donavit monasterium Adalperonis petitione, et electionem abbatis cum carta fratribus concessit[37].

Anno 1037, anno 1036. sua aedificia diruens, novum claustrum construxit ad austrum basilicae.

Mart. 27. Anno 1045.[l] obiit in castro Persinpiuga[38], omnia committens coniugi recte tractanda, quae pro anima eius sancto Sebastiano dedit comiciam[m] in Persinpeuga cum omnibus attinentiis suis[m], pro qua[n] suscipienda Altmannus abbas ivit cum Rihlinde, quae contra con-
Mai. silium Oudalrici caesarem convocat domum in Persinpiuga, ut beneficia comitatumque Adalperonis committeret[o] Welfhardo duci[39], filio fratris sui, quod ad explendum cum caesar ferulam abbatis Welfhardo porrigeret, de loco cedente columna lignei caenaculi, in quo sederunt, ceciderunt in locum balnei, quod aqua super montem ducta congruo tempore complevit. Ex quo casu Rihlint et Altman egrotantes mortui sunt[40]. Fratres electionem abbatis a caesare consecuti, Gerwicum eligunt, sed missi fraudulenter a nesciente caesare

a) duobus *cod.* b) *numeri posteriori manu in lacuna, quam primus scriba vacuam reliquit, positi sunt cod.* c) f̄ē c. d) p̊te *cod.* e) *addidi ex Chron. antiq.* f) regebat *cod.* g) dididimus *cod.* h) confabulatur *cod.* i) *numeri in loco raso ab alia, posteriore quidem manu scripti sunt cod.* k) ob̄ *cod.* l) *numeri in loco raso. cod.* m) comiciam — suis *in loco raso manu saec. XIII scripta sunt cod.* n) quia *cod. v. Giesebr. II,* 642. o) *in loco raso cod.*

35) Hasselbach. 36) Fortasse ille Chuonradus puer qui mortuus ad 10. Kal. Aug. in Necrologio Ebersperg. l. c. p. 16. commemoratur. 37) v. dipl. Heinrici III. a. 1040. Ian. 1. datum Ratisponae. Hund Metrop. Salisb. II, 275. Origg. Guelf. II, 252. Commemoratur quoque in hac charta Eberhardus frater Adalperonis. 38) Persenbeug in Austria. 39) Karinthiae. 40) cf. Necrol. Ebersp. l. c. p. 16: 2. *Idus Iun.* (Iun. 12.) *Richlind comitissa obiit uxor Adalperonis.* — 16. *Kal. Iul.* (Iun. 16.) *Altman abbas obiit.*

Euticum abbatem impetrant prelaudatum ab Altmanno. Hic prefuit anno uno et dimidio, conversus de clerico, consanguineus Adalperonis. Dehinc Ekkibertus de Herisvelte Tegrenseuvensis abbas anno dimidio, et preficitur Fuldensibus monachis. Reginpolt, Altman, Etich, Ekkibertus omni laude digni in monasticis et saecularibus rebus.

CATALOGUS ABBATUM EBERSPERGENSIUM.

NOMINA EBERESPERGENSIUM

DOMINORUM.	UXORUM.	PREPOSITORUM.
Sigihardus et Ratoldus.	Gotini condiderunt castrum Eberespergense. Engilmout.	
Eberhardus et Adalpero filii eius	Liudkart.	Hunfrit preerat annos 29. Dietger 21. Meginpolt 18.
Oudalricus	Rihkart.	Guntheri 11.
Adalpero et Eberhardus filii eius, Eperesperc monachi.	Rihlind. Adalheit. Gisinvelt sanctimoniales.	Reginboldus Augustensis abbas 11, et preficitur abbatiae Laureshammensi, deinde Spirensi episcopio. Altmannus abbas 21. Etih abbas 1 et dimidium.

Egpertus abbas dimidium prefuit et preficitur abbatiae Fuldensi.
Willirammus abbas 37.
Roudpertus[a] abbas 30.
Alpero 1 et dimidium.
Haertwich.
Heinrich[b] 28.
Gelbof dimidium.
Hereman 11.
Heinrich dimidium et preficitur abbatiae S. Albani.
Routperht 13.
Isengrim 6.

Anno ab incarnacione Domini 1184. in secunda vespera octave assumptionis sanctae Mariae piae memoriae Chunradus abbas de familia ministerialium ortus et in monasterio nutritus, post annum et ebdomadas 10 in ruina turris cum aliis quinque eiusdem structurae operariis cum ingenti luctu omnium inmatura morte rapitur, est[c] de abbatibus hic dormientibus sextus post Alberonem.

Post mortem Chuenradi[d] abbatis preficitur Burchardus frater uterinus eius, qui prefuit ecclesie 17 annis, cumulans predia et transferens claustrum ab australi parte ad aquilonem, et quia ingruebant tempora periculosa, dimisit abbatiam.

Cui successit Wirndo abbas, nichilominus et ipse filius ecclesie, qui post annos 14 obiit.

Uolricus Ratisponensis successit Wirndoni, qui et post annos 14 obiit.

Cui successit Chuonradus, qui post 17 annos obiit.

Chunrado successit Heinricus, qui post annos 13 obiit.

a) *abhinc variae manus.* b) *fol. 41' leguntur haec:* Anno ab incarnatione dominica 1124. constitutus est abbas Heinricus et domnus. c) et *cod.* d) *manus recentior supra* Chuenradi *scripsit:* primus infulatus.

Heinrico successit Uolricus, qui post 20 ebdomadas obiit.

Ulrico successit Hainricus, qui post[a] 17 annos cessit abbatie.

Et abbas Chunradus in locum suum eligitur, qui post alterum dimidium annum obiit.

Item abbas Eberhardus eligitur, qui post 7 annos et dimidium cessit abbacie.

Et in locum suum dominus abbas Petrus eligitur, qui post[a] duos annos et dimidium eciam cessit abbacie.

Et in locum suum dominus abbas Udalricus eligitur, qui post 11 annos cum dimidio obiit.

Et in locum suum dominus abbas Otto eligitur, qui post 44 annos obiit et multa bona fecit ecclesie, predia comparanda, edificia restauranda.

Et ei successit dominus Meinhardus abbas et obiit anno Domini 1354.

Cui successit dominus abbas Steffanus Ebsar, obiit anno Domini 1385.

Post quem successit Philippus Hohenberger, qui obiit anno Domini 1412.

Post eum fuit electus in abbatem Symon Castner, et obiit 1442.

Cui successit dominus Eberhardus abbas et rexit 5 annis et mortuus est in partibus Austrie et sepultus aput Predicatores in Krembs in ecclesia in una cappella in dextra parte, obiit anno 1446.

Post Eberhardum successit dominus abbas Ekhardus qui incepit reformationem Mellicensem cum conventu[b] et aliis observanciis et cerimonialibus ecclesiasticis, quasi a novo construxit monasterium preter corpus ecclesie; et rexit 26 annis et resignavit abbatiam propter senectutem et post resignationem obiit in tercio anno, scilicet 1474.

Cui successit dominus Sebastianus abbas.

EPITAPHIUM WILLIRAMMI ABBATIS[41].

Fuldensi monachus Wilram de fonte vocatus,
  Hic licet indignus pastor eram positus;
Nominis officium corrupit fictio morum;
  Qui sibi nempe malus, cui valet esse bonus?
Verus peccator falsusque boni simulator
  Nil ego preterii quicquid erat vitii.
Correxi libros, neglexi moribus illos,
  Iusti supplicii conscius ipse michi;
Sed quia deliqui, tua Christe flagella cupivi,
  Te tamen hoc solum det michi propicium.
In Nonis Iani mortis decreta subivi,
  Quae vivens nemo praeteriit ullo modo.
Conpatiendo mihi vos illum poscite vivi,
  Mitiget[c] ut poenam detque reo veniam.

a) *addidi.* b) *9lu cod.* c) *ita correxi; Jaffé* Minget *scripserat.* PERTZ.

41) Legitur hoc epitaphium in cod. Germ. bibliothecae Monacensis 10 folio primo manu saeculi XI. vel XII. exaratum, ex quo id iam Graff in Diutiska III, 438 quamvis mendose edidit, Jaffé iterum exscripsit.

LANDULFI DE SANCTO PAULO

HISTORIA MEDIOLANENSIS

EDENTIBUS L. BETHMANN ET PH. JAFFÉ.

Landulfus, scriptor harum historiarum, humili genere ortus[1], *in vitam venit circiter anno* 1077[2], *duobus post annis quam avunculus eius*[3] *Liprandus, Mediolanensis* c. 1077. *presbyter ecclesiae sancti Pauli in Compito, turbulentus ille Patarinorum concitator, in seditione anni* 1075 *auribus naribusque mutilatus est. Hoc eodem contumace homine et foede deformato puer educatore*[4] *usus est, cui tali consuetudine domestica quam parum mansuetudinis morum insitum sit, facile arbitrari licet. Et certe iam mature Landulfum oportet a tranquillitate procul abfuisse, cui „infantulo" dicax condiscipulus eius, Nazarius Muricula, clocam* Sancti Pauli *cognomen imposuerit*[5]. *Cum isto enim Nazario etiam annis* 1095 *et* 1096[6], 1095. 1096. *quum undeviginti annos natus esset, a praeceptore Andrea Dalvultum, presbytero et primicerio ecclesiae sanctae Theclae, instituebatur. Postea florentes tum Galliae scholas compluries adiit. Etenim Aureliani anno* 1103 *„egregio ma-* 1103. *gistro Alfredo et nobili Iacobo" operam dedit*[7], *dum Mediolani ante ecclesiam sancti Ambrosii indomitus avunculus eius gradiens inter flagrantes lignorum strues Grossulanum archiepiscopum probat noxium simoniae esse, sicque concitato populo, profugere ab urbe cogit. Ex Gallia Landulfus ad larem suum reversus, quum rursum mobilis ventus popularis tam vehementer flaret adversus avunculum, ut ad eum ipsum vexationes redundarent, dimisso Liprandi convictu, in duorum nobilium adolescentium fidem se commisit, Anselmi de Pusterla et Olrici vicedomini Mediolanensis; cum quorum priore iterum in Galliam profectus est circiter anno* 1106.[8] *Ubi posteaquam annum unum et dimidium An-* c. 1106. *selmo, et Turonibus et Parisiis audienti Alfredum et Guilielmum magistros, adiumento fuit, confestim a reditu anno* 1107 *Liprandum avunculum, qui* 1107. *asperitatis Mediolanensium vitandae causa in vallem Tellinam secesserat, adversa valetudine revertentem, a monasterio Clivatensi reduxit Mediolanum, incolis de iniucundo adventu indignationem nequaquam dissimulantibus*[9]. *Postremum*

1) Nam eius avunculus (v. infra n. 3) Liprandus seu Liuprandus presbyter *a progenitoribus ecclesiae* (Mediolanensis) *vernula* dicitur ap. Arnulfum, Gesta aepp. Med. IIII. c. 9, supra SS. VIII, 28. 2) anno enim 1136. scribens (v. infra pag. 20) suae *sexagenariae aetatis* mentionem intulit, cap. 46. 3) Liprandum *avunculum* suum dicit scriptor in cap. 21, seque *nepotem* illius profitetur in cap. 14. 4) Sese Liprandi *alumnum* fuisse, saepius ostendit Landulfus in capp. 11, 14, 25. Cf. etiam capp. 23 et 35, ubi de Liprando *suo magistro* memorat. 5) idque *non sine causa,* ut asseverat ipse Landulfus in cap. 40. 6) cap. 40: *In isto namque tempore nostre coevitatis et discipulatus Urbanus papa synodum Placentie* (1095. Mart.) *celebravit atque de Frantia Mediolanum redivit* (1096. Sept. Oct.). 7) cap. 14. 8) cap. 22. 9) cap. 23.

tempore belli, quod spatio annorum 1107—1111 cum Laudensibus gerebant c. 1109. *Mediolanenses, in Galliam contendit circiter anno 1109, ab iisdem, quos supra nominavi, Olrico vicedomino et Anselmo de Pusterla, studiorum causa deductus* 10 *Laudunum*[10]*, ubi duo celeberrimi nominis magistri, Anselmus et Rodulfus fratres, ea aetate vigebant.*

Iam puer autem in clericorum numerum ascitus, Landulfus ante annum 1099, quo quidem duos et viginti annos complevit, obtento e minoribus ordinibus ecclesiasticis[11] *quarto, acolythus, ecclesiae sancti Pauli intitulatus, presbytero Liprando avunculo suo affuit*[12]*. Neque vero demissum hunc clericatus gradum, quamdiu vivebat, transgressus est. Nam vir etiam sexagenarius sese tantummodo acolythum esse significavit*[13]*.*

At ipsius merito accidisse reperimus, ut neque ad ampliora promoveretur officia, et alia etiam incommodo eaque diuturna sustineret. Potentissima enim 1111. *Mediolanensium pars quum exeunte anno 1111 ad Grossulanum destituendum Iordanumque archiepiscopatui praeficiendum parata esset, acolythus, adversariorum sententiam secutus, rei constitutae temere et imprudenter repugnavit*[14]*.* 1112. *Immo vero etiam, Iordano die 1. Ianuarii anni 1112 archiepiscopo facto tantaque in Landulfum benignitate uso, ut suae capellae diaconatum ei tribueret*[15] *aesque eius alienum solveret*[16]*, is ab avunculo Liprando, qui post paullo vitam posuit, sollicitatus*[17]*, non dubitavit, quin Iordani episcopatum aspernans*[18]*, ad subdiaconatum, qui quidem est primus maiorum ordinum ecclesiasticorum, produci ab eodem fastidiret*[19]*. Quibus iniuriis archiepiscopus lacessitus, ab eo castigando non diutius se continuit. Itaque factum est, ut Iordani auctoritate Landulfus non solum a suis vicinis, qui iam pridem ut in avunculum sic in eum ipsum infenso animo fuerant, imprimisque a progenie illorum, qui Liprandum truncaverant, ex ecclesia sancti Pauli pelleretur*[20]*, sed etiam „communi beneficio presbyterorum et clericorum Mediolanensium", quo eum Andreas primicerius affecerat*[21]*, omnino privaretur*[22]*. Hac accepta calamitate, Landulfus in posterum instituendis pueris, epistolis concipiendis, aliis „publicis officiis" exsequendis victum quaeritare cogebatur*[23]*.*

Neque vero is fuit, qui aequo animo miseram suam sortem toleraret. Quin potius iterum ac saepius repetitis, tametsi irritis semper, conatibus papas, imperatores, reges, consules, vulgus ad amissa recuperanda opem atque auxilium flagitare non cessabat. Adiit sui iuris persequendi causa concilium a Paschali II. 1116. Mart. *Romae mense Martio anno 1116 celebratum, in quo Iordanus, improbato Grossulano, archiepiscopus confirmatus est; sed falsa spe delusus a Iordano, ad* Mart. 12. *accusationem non descendit, in eo acquiescens, quod die 12. Martii inter Villani*

10) cap. 25. 11) qui sunt ordines ostiarii, lectoris, exorcistae, acolythi. 12) Vivo enim Urbano II. papa Liprandum „ecclesiam S. Trinitatis inchoasse et simul cum Landulfo *suo acolito* et alumpno fundasse" legimus in cap. 11, ecclesiamque S. Pauli „titulum suorum ordinum" fuisse, docet Landulfus in capp. 23 et 36. 13) Inito enim anno 1137. librum suum in cap. 68 conclusit Landulfus verbis his: *Surgat igitur Deus —, qui — me acolitum oppressum et expoliatum — iure gubernet et protegat.* 14) capp. 30 et 31. 15) cap. 35. 16) cap. 37: *Yordanus quoque tum Widoni Falcimario, creditori meo, pro me dedit peccuniam.* 17) cap. 35. 18) In cap. 48 Iordanum inducit Landulfus de se sic loquentem: *Ille non tenet me pro episcopo.* 19) cap. 37: *Quodsi et ego non concupivi per illius Yordani manus in subdiaconatus gradum promoveri.* 20) cap. 23: *Parvi namque filii eorum, qui propter Patariam Herlembardum occiderunt et presbiterum Liprandum naso et auribus troncarunt, me ab ecclesia S. Pauli exturbant;* et cap. 37: *convicini mei cur per eius* (Iordani) *auctoritatem presumpserunt me exturbare ab ecclesia S. Pauli?* 21) cap. 37: *Andreas primicerius — solempniter me suscepit in communi beneficio presbiterorum et clericorum Mediolanensium.* 22) cap. 41: *Ego itaque merens de — omnis ecclesiastici benefitii et offitii in me facta expoliatione.* 23) cap. 23: *— lector, scriba, puerorum eruditor, publicorum officiorum et beneficiorum particeps et consulum epistolarum dictator — videor;* cap. 52: *— ego sedens et de solito more pro victu meo scribens —.*

episcopi Brixiensis consecrationem a Iordano in ecclesia Lateranensi factam sibi liceret „secundum ordinis sui officium, legere lectionem de libro exodi“[24]. *Proximo anno* 1117 *inito, quum populus Mediolanensis, ingenti terrae motu* 1117.
conturbatus, in campum qui brolium archiepiscopi dicebatur, ut a Iordano sacra procurante reciperet peccatorum veniam, confugisset, subito Landulfus apparuit crucem manu gerens et suum palam reposcens, tantamque omnium indignationem in se convertit, ut eum et archiepiscopus „hominem diaboli“ vocatum linguam compescere, et irata plebs clamore contumelioso abire iuberet[25]. *Eandem ob* 25
causam subsequente anno 1118, *dum Romae Heinricus V. imperator Burdinum* 1118.
antipapam ecclesiae praeponit, Landulfus Caietae initiis Gelasii II. affuit; a quo commendaticiis ad Iordanum litteris die 15. *mensis Martii acceptis*[26] *domi* Mart. 15.
ne minimum quidem profecit. Calixto II. quoque papae, ex Gallia Romam anno 1120 *iter facienti, de se restituendo et Dertonae institit die* 9. *Aprilis et* 1120. Apr.
Placentiae eodem mense[27]. *Omnia haec expertus, quum post Iordani mortem (*1120 *Oct.* 4*) neque ab huius successore Olrico, suo quondam in Gallia sodali, nisi „societatem communis officii et beneficii ordinariorum et decumanorum presbyterorum“ impetravisset*[28], *neque in Lateranensi quadam Calixti II. synodo quidquam profecisset, anno* 1125 *in Germaniam ad Heinricum V. proficisci de-* 1125.
crevit. Iamque, per Veronam itinere facto, ad Tridentinum episcopatum appropinquarat, quum repente molestus ei de imperatoris obitu nuntius affertur. Quapropter Mediolanum non sine maestitia remigravit[29].

*Anni autem spatio interiecto, Anselmus de Pusterla, de quo memoravi supra, simul ut in Olrici mortui (*1126 *Mai.* 28*) locum substitutus est, secundiorem* 1126.
paullo conditionem Landulfo concessit. Non enim modo capellanis suis eum praefecit[30], *sed in negotiis administrandis etiam adhibuit. Nec sine magna quidem alacritate anno* 1128, *quum Mediolanenses Conradum, sororis Heinrici V.* 1128.
filium, a fratre Friderico II. duce Sueviae adversus Lotharium regem creatum Italiamque ingressum, corona regia ab archiepiscopo exornari iuberent, Landulfum suas partes agere videmus. Ex Leuco castro enim ab Anselmo missus, ut civium animos exploraret, sub vesperum proficiscitur, festinat tota nocte, Mediolanum prima luce pervenit, in concionem cleri populique accedit, omnibusque rebus cognitis, Leucum revertitur, quaeque intellexisset, ostendit. Deinde Modoetiae postquam ab Anselmo diadema Conrado impositum est, pompae regiae a sancti Michaelis ecclesia discedenti lituum episcopalem opipare et fortunate praetulit, in ecclesiamque sancti Iohannis quum pervenissent, sacris ibi simul cum rege affuit[31]. *Gloriosissimam hanc vitae diem laeta semper me-* 31
moria retinebat, nec tum saltem colere Conradum „suum dominum regem“ destitit, quum is quod sibi sumpserat regium nomen amisisset[32].

Ecclesiae quoque Romanae schismate anno 1130 *exorto, ad auctoritatem* 1130.
Anacleti II. Landulfum se contulisse una cum suo archiepiscopo Anselmo (cui quidem studium hoc in exitium cessit), annoque 1135 *demum simul cum* 1135.
ceteris Mediolanensibus Bernhardi abbatis Claraevallensis opera in partes et Innocentii II. papae et Lotharii imperatoris transgressum esse, quamvis diserte non sit memoriae traditum, ex rebus tamen Mediolani gestis liquido iudicari potest.

In omni hac autem rerum varietate quum Landulfo, ut in ecclesiam sancti

24) cap. 41. 42. 25) cap. 44. 26) cap. 48. 27) ibid. 28) cap. 49. 29) cap. 51. 30) cap. 52. 31) cap. 53. 32) cap. 54: *Verumtamen quidquid directe est actum in illo meo domno rege, dilexi et diligo.* Cf. cap. 65.

Pauli restitueretur, non contigisset, ultimam spem in Lothario imperatore anno
1136. *1136 Italiam ingrediente reposuit. Roncaliam igitur contendit atque ibi die*
Nov. 4. *4. Novembris beneficio Conradi, antea regis, sub tentorio imperatorio actionem instituit. Qua re evenit, ut Lotharius Landulfi causam a consulibus Mediolanensibus „iuste et paterne tractari“ iuberet. Sed consulibus de imperato non*
33 *laborantibus, acolythus in ecclesiam sancti Pauli nequaquam restitutus est*[33]. *De cuius morte litteris nihil est mandatum.* —

Quae hactenus exposui, ea omnia habet in se pretiosum Landulfi opus, quod curis novis retractandum suscepi. Quum enim iam annos sexaginta natus
1136. Oct.-Aug. *esset, spatio mensium Augusti Septembris Octobris anni 1136 ad scribendas res eas accessit*[34]*, quae inde ab exeunte saeculo undecimo Mediolani gestae essent. Aequalem igitur suorum temporum memoriam protulit, relationeque ad initum*
1137. *annum 1137 producta, non de Mediolanensi solum historia illustranda excellenter meritus est, sed omnino imperii etiam ecclesiaeque rebus gratissimum lumen attulit, quantumvis obstiterit eius et mens sollicita et adversa fortuna, quominus de unaquaque re satis integre existimaret. In extremo opere (cap. 68) quum, quae exposuerit, designet verbis his:* in hac mea copia, *hoc fuisse videtur, quare aliquando is liber „copia Landulfi de Sancto Paulo“ inscriberetur*[35].

Codices libri Landulfiani supersunt tres, in bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi repositi, quos omnes in priore editione apud Muratorium SS. RR. It. V, 469—520 *adornanda consuluit I. A. Saxius, cuius annotationibus uberrimis hic illic adiutus sum. Iisdem codicibus a Bethmanno et a me ipso Mediolani anno* 1861 *excussis, quum pateret, et codicem* R. 119. super. *et* N. 296 super., *utrumque chartaceum saec. XVII, niti in*

codice H. 89 infer. *membranaceo forma quadrata, hunc unum in expurgando textu adhibui. Fuit codex „Francisci Castelli sanctae Mediolanensis ecclesiae ordinarii 1574“, deinde in bibliotheca capituli metropolitani Mediolanensis servatus et Muratorio et Saxio circiter anno 1724 patuit, postremo „a domino archipresbytero Mediolanensi Octaviano Fererio“ transiit die 29. Maii anni 1822 in bibliothecam Ambrosianam. Post Arnulfi gesta archiepiscoporum Mediolanensium et Landulfi (senioris) historiam, quae una manus saec. XIV. exaravit (cf. supra SS. VIII, 4 et 35), praebet codex a librario paullo recentiore positum librum nostrum, hoc titulo praemisso:* Liber hystoriarum Mediolanensis urbis Landulfi de Sancto Paulo, *et Arialdi passionem*[36]. *Accessit autem Landulfi operi etiam alter scriba, qui capitum distinctionem instituens, saepe interrupto contextu verbisque aliquot erasis, lemmata crebro insulsa modo in margine modo inter versus rubro colore adiecit. Quum haec ita sint, mea libri*

33) cap. 65. 66.

34) Nam scribendi consilium a sese captum esse, docet Landulfus in cap. 1, „cum in diebus Robaldi Albanensis episcopi, ferentis infulam archiepiscopatus Mediolanensis, ingens dolor instaret Mediolanensibus pro suis militibus et civibus captis Cremone atque Papie“. A Cremonensibus quidem iam paullo post 1135. Iul. 29. „centum triginta milites“ Mediolanenses captos esse, perspicuum fit ex cap. 62; at demum post Anselmum de Pusterla mense Augusto a. 1136. custodiae mandatum, docet cap. 63, „vexilla Mediolanensium et eorum agmina capta aut fugata esse a Papiensibus, velut mitissima ovium pecora“. Idcirco, quum teste cap. 67, die 9. Nov. 1136 „Papienses reddiderint imperatori, quotquot habebant de Mediolanensibus in sua captione“, quando scribere orsus sit Landulfus, non est obscurum.

35) De nostra enim historia Padilironensem vitae Mathildis epitomatorem (supra SS. XII; 381 n. 6) censuerim cogitasse, referentem haec: *Scribitur tamen in libro qui dicitur copia Landulfi de S. Paulo;* licet, quae tamquam ex isto libro desumpta affert, verba haec: *ad secessum residens dux quidam nomine Gothfridus, Gothfridi filius, gladio confossus interiit, coniuge relicta Matilda Bonifacii ac Beatricis admodum clarissima filia,* non ex Landulfi scripto, sed ex Arnulfi gestis archiepp. Mediolanensium V, 4, SS. VIII, 29, manaverint.

36) Hanc passionem, ab ea, quam scripsit Andreas, Arialdi vita diversam, infirma ratione a Puricellio Landulfo nostro scriptori attributam esse, iam alii viderunt. V. supra SS. VIII, 6.

recognitione in uno codicis H. 89 inf. *exemplo, nequaquam a vitiis maculisque puro, posita, nonnullis naevis correctionem non dubiam adhibui, scriptoreque in nova capita dispertito, prioris dispositionis numeros in marginem et lemmata in annotationem relegavi.*

Berolini Idibus Martiis a. 1863. *PHILIPPUS JAFFÉ PROF.*

1. Cum[a] in diebus Robaldi, Albanensis[37] episcopi, ferentis infulam archiepiscopatus (I.) 1136. Mediolanensis, ingens dolor instaret Mediolanensibus pro suis militibus et civibus captis Cremone atque Papie[38]; non sum inmemor Armani de Gavardo, qui sub specie religionis 38 plantavit quandam radicem novitatis, que paulatim non solum Mediolanensem ecclesiam, set regnum Longobardorum per omnes suos status fere perturbavit, donec Bernardus, 1135. Iun. Iul. abas Clarevalensis, ad expelendum demones et ad sanandum et ad erigendum infirmos contritos[b] secundum iussum hominum[c] Mediolanum intravit[39].

2. Armanus enim ille monachus, quasi cardinalis Romanus et a parte Brisiensium civium atque favore comitissae Matildis in ecclesia Brisiensi electus episcopus, defuncto[40] 1097. Sept. 24. Arnulfo archiepiscopo Mediolanensi, ad alium eligendum venit. Qui ubi sensit, nobilem multitudinem Mediolanensium convenire ad eligendum Landulfum de Badagio, sancti Ambrosii canonice prepositum, in archiepiscopum, virumque moribus et vita quam bene ornatum, substitit et electioni illi non consensit. Corona unde vulgi, gratia Romane ecclesie et Brisiensis ac Matildis comitisse favore putans, illum fore virum religionis, mox ubi sensit, illum Armanum huic electioni abesse, cepit adversus ipsam electionem insanire, et clericos et sacerdotes pugnis et fustibus vehementer lacerare, virum quoque de[d] ... civibus Paganum nomine et in porta Horientali[d] .... in ipsa ecclesia, que dicitur Yemalis, presumpsit occidere. Hanc insaniam nobilis Landulfus vitavit, et descendens secretarium[41] ecclesie, 41 ad domesticam suam ecclesiam, que sancti Iohannis ad Quatuor Faties dicitur, pervenit. Armanus autem ille in tanta perturbatione in ecclesia sancti Ambrosii ait populo sibi congregato: *Vobis fiet, prout proverbium dicit: „Populo stulto episcopus lurdus.“* Hoc dicto, statim ellegit sibi et illis in archiepiscopum Anselmum[42] de Buis, hominem simplicem, et canonice sancti Laurentii prepositum. Hic vero, ut se[e] sensit ellectum a Brisiensi illo Armano et populo impetuoso conlaudatum, illico cathedram archiepiscopatus ascendit et sedit. Et deficientibus sibi sufraganeis episcopis, omnes ecclesiasticos ordines usque ad presbiteratum, ordinationem quoque episcopatus ab extraneis episcopis suscepit[43]. Virge quoque Nov. 3. pastorali per munus comitissae[f] Matildis adhesit; stollam[44] autem, per legatum domini Urbani pape sibi delatam, induit. Deinde homo iste, effectus prudens, neglexit Obertum[45] 1098. Apr. 5. agnomine Baltricum, qui propter investituram Brisiensis episcopatus, quam a rege suo Henrico susceperat, Armano repugnabat; et Armanum, qui se in archiepiscopum elegit, in episcopum Brisiensem ordinavit. Hoc quidem providentia archiepiscoporum antecedentium sibi, videlicet Anselmi[46] de Raude et Arnulfi de Porta Orientali[47], facere[g] vitavit.

3. Cono[48] quoque rex, qui, dum pater eius Henricus viveret, per contractationem Matildis comitisse et officium huius Anselmi de Rode fuit coronatus[49] Modoetie et in ecclesia[h] 1093. sancti Ambrosii regali more, ad horum pontificum, scilicet Anselmi de Buis et Armani 1097. 1098. Brisiensis, ordinationem non respexit. Set regnans in loco, qui Burgus Sancti Domnini 1098 dicitur, vidit presbiterum Liprandum, propter pattariam naso et auribus troncatum[50], | 1099. euntem ad Urbanum pontificem Romanum. Cui presbitero rex ipse cum devotione inquit:

a) *in cod. praemissa est rubrica haec:* 1. Anselmus de Buis in archiepiscopum Mediolanensem eligitur anno Christi 1094. b) contrictos *cod.* c) *an* Domini? d) *sequitur lacuna in cod.* e) se *addidi.* f) comitissae *scripsi pro* abatissae. g) *pro* Hoc — facere *cod. legendum videtur* Henrico — favere. h) epta *cod.*

37) immo Albensis. De Alba Pompeia enim, non de Albano agitur. 38) Cf. infra capp. 62 et 63. 39) Cf. infra cap. 61. 40) 1097. Sept. 24; v. catal. archiepp. Mediol. supra SS. VIII, 105. 41) sacristiam. 42) IV. archiep. Med. 43) 1097. Nov. 3. Obiit enim Anselmus IV. 1101. Sept. 30, quum sedisset a. 3, m. 10, d. 28, teste catal. archiepp. Med. l. l. 44) i. e. pallium. 45) Sententiam excommunicationis et anathematis, ab Urbano II. in Obertum ep. Brixiensem latam, confirmavit Anselmus IV. archiep. Med. in concilio, 1098. Apr. 5. Mediolani celebrato. V. Giulini Mem. di Mil. IV, 540. 46) Anselmi III, archiep. Mediol. 1086 -1093. Dec. 4. 47) Arnulfi III, archiep. Mediol. 1093—1097. 48) sive Conradus, filius Heinrici IV. 49) Cf. Bernoldi Chron. 1093, supra SS. V, 456. 457. 50) anno 1075. V. Arnulfi Gesta archiepp. Mediol. IV. c. 10 supra SS. VIII, 28.

Cum sis magister patarinorum, quid sentis de pontificibus et sacerdotibus regia iura possidentibus et regi nulla alimenta prestantibus? Et presbiter ipse absque ullo rancore in beneplacito Dei et ipsius regis respondit. Verumtamen altera die faciens iter suum cum presbitero Arnaldo magistro scolarum Mediolanensi, et Siro sacerdote ecclesie sancte Marie
51 Podoni[51], captus est ab hominibus Parmensis episcopi, qui dicebatur[a] digerens penam, ad locum qui dicitur[b] .....; ibique per quot[c] dies retentus et expoliatus, inde Mediolanum rediit. Rex vero ipse, prout audivi, a raptoribus illis emendam et mulum ipsius presbiteri
1101. Iul. suscepit. Et mox in Tusciam adire temptavit; et cum pervenisset Florentiam[52], rex ipse prudens et sapiens atque decorus specie, proh dolor adolescens, accepta potione[53] ab Aviano, medico Matildis comitissae, vitam finivit[54].

1100. (II.) 4. Rege[d] igitur in regno deficiente, supradictus Anselmus de Buis Mediolanensis archiepiscopus, quasi monitus apostolica auctoritate, iam dicto presbitero[55] nolente, studuit congregare de diversis gentibus exercitum, cum quo caperet Babilonicum regnum. Et in hoc studio premonuit preelectam iuventutem Mediolanensium, cruces suscipere et cantilenam de *Ultreia*[56] *ultreia* cantare. Atque ad vocem huius prudentis viri plures viri cuiuslibet conditionis per civitates Longobardorum, villas et castela eorum, cruces susceperunt, et eandem cantilenam de *Ultreya ultreia* cantaverunt. Statuit quoque et ipse, dum esset in hac expeditione[57], de reditibus archiepiscopatus non daretur sacerdotibus et levitis et ceteris clericis benefitium, quod consuevimus suscipere per celebrationes festorum sanctorum martirum, virginum et confessorum[58]. Insuper quidam preoptandus michi frater, nomine Girismannus, spectans ad illius admonitionem, patrem et matrem, sorores et fratres, uxorem quoque et filiam unicam in cunabulis dimisit; atque rediens a Yerosolimis, viam universe carnis intravit, et Babilonis terram, prestante sibi divina gratia, simul cum multis peregrinis vitavit. Archiepiscopus vero ille de Buis, a Turcis et Saracenis fugatus, in gravi
1101. Sept. 30. luctu Cunstantinopolim expiravit[59].

(III.) 5. Sed[e] ne finis mei laboris hic inteligatur, dico. Cum adhuc homo iste simplex[60]
1098. Mediolani viveret et exercitum congregaret, habuit conscilium statuendi sibi vicarium hominem multarum artium. Unde quidam sagacissimi viri, ab eo ordinati sacerdotes,
61 mandatum eundi Saonam[61] susceperunt, ut in ipsa civitate suo iussu et auctoritate electionem episcopi admonerent et fieri cogerent. Qui dum iter facerent, venerunt Ferariam[62], in quo nemore amplexi sunt Grosulanum et eius conscilium. Quorum sacerdotum exercitium in tantum valuit, quod quidam ex Saonensibus ipsum Grosulanum, in victu afflictum, in vestitu abiectum, elegerunt sibi in episcopum. Et eligentes una cum illo ellecto et illis duobus sacerdotibus ab archiepiscopo missis, videlicet presbitero Iohane Aculeo et presbitero Nazario Muricula, Mediolanum pervenerunt; ibique per iussionem archiepiscopi, quia iam erat in expeditione positus[63], Grosulanus ab Armano Brisiensi et Arialdo Ianuensi et Mainardo[f] Taurinensi ordinatus est episcopus[64] et archiepiscopi vicarius. Verum quia ipse ordinatus sedem Saonensem nundum ascenderat, ad ipsam civitatem adire temptavit

a) *sic cod.* b) *sequitur lacuna in cod.* c) q̊t *cod.* d) 2. Anselmus contra Saracenos transfretat et in Constantinopoli moritur. Rege *cod.* e) 3. Anselmus Grossulanum in Saonensem episcopum consecrat, et suum vicarium facit in Mediolano ante transfretationem. Sed *cod.* f) Mamardo *cod.*

51) Mediolanensis. 52) Florentiae mortuum esse Conradum, tradidit etiam Donizo, Vit. Math. II, 13, supra SS. XII, 397; sed „apud Aretium", Wilhelmus Malmesbur. Gest. reg. Angl. III, 288. V, 420, supra SS. X, 474. 478. 53) De veneno dato cf. Mariani Scotti cont. I, 1101 (1123) et Ekkeh. Chron. 1101, supra SS. V, 562. VI, 219. 54) Conradi obitum anno 1101. assignant Mariani Scotti cont. I. l. l., Ekkehardi Chron. l. l., Sigeberti chron. SS. VI, 368, annales Elwangenses SS. X, 19. Neque aliter sentit Donizo l. l. canens haec:

. . . . *Iulius autem*
Mensis erat, magnus moritur Chonradus, et annus
Tercius, Urbanus quod transierat memoratus.

Obiit enim Urbanus II. a. 1099. Iul. 29; itaque et veterum et medii aevi hominum ratione annus 1101. recte tertius ab anno 1099. dictus est. 55) Liprando. 56) quae vox ex *ultra!* et *eia!* videtur composita esse. Cf. Saxii adnotationem ap. Muratori SS. V, 473 n. 4. 57) Viae se commisisse Anselmum d 13. Sept. a. 1100, intelligimus ex Notis S. Mariae Mediol. supra SS. XVIII, 385. Cf. de hac Anselmi expeditione etiam Wilken Gesch. d. Kreuzz. II, 115 sq. 58) De his largitionibus cf. Beroldi librum in Muratorii Antiq. Ital. IV, 919 seq.: *Incipit ordo qualiter denarii omnium festivitatum dividuntur.* 59) 1101, Sept. 30. V. Catal. aepp. Mediol. l. l. 60) Anselmus IV. 61) Savonam, sedem episcopatus suffraganei ecclesiae Mediolanensis. 62) Videtur esse Ferriera del Giovo, a Savona ad septemtriones. 63) Cf. Giulini Mem. di Mil. IV, 377. 64) Grossolanus, Sagonensis episcopus, iam die 9. Apr. a. 1098. subscripsit tabulae Anselmi IV. archiep. Med. ap. Giulini IV, 544.

et quodam modo pervenit. Set requies ibi, si quam habuit, parvissima fuit. At citissime inde exiens, Mediolanum rediit. Cuius magne civitatis commonuit gentem, ut per singulas 1100. ebdomodas in secunda feria ad sancti Ambrosii ecclesiam convenirent et pro archiepiscopo illo Anselmo eiusque exercitu letanias facerent. Ipse vero Grosulanus non solum in ipsis feriis, sed fere per singulas festivitates illi magne genti loculente sermocinabatur et sermocinando non magis affectabat eam sibi, quam asperitate vestitus et cibi.

6. Interea[a] presbiter Liprandus ipsi Grosulano, adherenti cathedre archiepiscopi, (IV.) 1100–1102. coram Andrea primicerio et quibusdam alliis sacerdotibus placide dixit, ut oridam[65] capam exueret et convenientem tanto vicario indueret. Cui presbitero ille Grosulanus, pretium emendi non habere[b], respondit. Tunc presbiter Liprandus ad primicerium inquit: *Primiceri[c], dives es, et potes hoc pretium bene prestare. Verumtamen, si placet, prestabo medietatem tanti pretii.* Primicerius autem presbitero: *Hoc satis perficium in crastino.* Et vicarius ait, quod eam non indueret, cum de contemptu mondi vitam agere proposuisset. Hoc ut presbiter ille Liprandus audivit, sub quadam admirationis specie protulit dicens: *Cum spernis mondum cur venisti in mondum? En civitas ista suo more utitur pellibus variis grixis[66], marturinis et ceteris pretiosis ornamentis et cibis. Turpe quidem eris nobis; cum advene et peregrini viderint te hispidum et pannosum in nobis.* Attamen vicarius in hac sua comoditate afflictionis et orationis atque sermocinationis per duos annos[67] laboravit, et laborando certitudinem de morte predicti Anselmi de Buis accepit. 1102.

7. Primicerio igitur ipse Grosulanus et ordinariis maioris Mediolanensis ecclesie inquit, ut se praesente eligerent sibi et populo archiepiscopum convenientem, priusquam rediret ad episcopatum Saonensem. Tunc[d] primicerius, habito conscilio cum nobilibus, (V.) clericis et viris Mediolani, coram populo et ipso[68] alterum de duobus Landulfis, Mediolanensis ecclesie ordinariis, videlicet de Badaglo[69] et de Vareglate[70], a Yerosolimis redeuntibus, ellegit. Set Grosulanus de absenti persona ellectionem fieri prohibuit. Pars itaque cleri et populi ad nutum Arialdi, abatis monasterii sancti Dyonisii[71], clamavit et laudavit Grosulanum sibi in archiepiscopum. Ipse vero, statim ut vidit se a quadam magna multitudine vulgi et nobilium conclamatum et ab abate illo plaudatum[e], archiepiscopalem sedem ascendit et sedit. Et sedens, illum Arialdum abatem de abatia in abatiam maiorem, videlicet Clavatensem[f, 72], transtulit.

8. Set ante huius[73] translationem contigit, quod quidam, qui videbantur moribus et vita[g] viri et clerici Mediolanenses, quedam turpia de Grosulano et de eius ellectione presbitero Liprando notificaverunt. Quibus viris et clericis presbiter ipse conscilium prebuit, ut literas et duos ydoneos clericos miterent Romam, rogando papam[74], quatenus Grosulanum in archiepiscopatu non firmaret, donec se ipsos, mitentes literas, in proximo tempore videret et audiret. Bernardus autem, abas Umbrose Vallis et cardinalis Romanus, ad has literas et nuntios, videlicet Obizonem, qui cognominatur Nigrum, et Heribertum de Bruzano, contempnentes Grosulani causam ipsiusque[75] legatorum verba, videlicet Arderici de Carimate et Iohannis presbiteri de Ploltelo, coram apostolico et eius curia non respexit; set accepta stola, curiam comitisse Matildis intravit. Ibique inito conscilio in beneplacito Arderici de Carimate, qui pro Grosulano et stolla Romam iverat, abbas ille Bernardus Mediolanum venire festinavit. Et cum procul vidissent Mediolanum, Ardericus idem in protensi[h] virga usque ad maiorem ecclesiam civitatis portavit, clamando: *Hecum la stola, hecum la stola.* Et in hoc clamore plenitudo vulgi fuit et aclamavit: *Moriatur, quicumque contradixerit.* Clamor iste ingens et continuus fuit, donec abbas ille cardinalis et Grosulanus pulpitum maioris ecclesie Mediolani ascendit. Et cum uterque ibi videbantur in victu afflicti, in vestitu dimissi, in sermone preclari, tantum plausum audierunt sibi, veluti si

a) 4. Presbiter Liprandus Grossulanum de villi habitu reprendit, et audita morte Anselmi, instat electionem fieri Grossulanus. Interea *cod.* b) *ita corr. Murat.;* pretium habendi non emere r. *cod.* c) Primicerii *cod.* d) 5. Grossulanus in archiepiscopum eligitur et a Romano pontifice sibi stolla transmittitur. Tunc *cod.* e) paludatum *legendum esse videbatur Saxio.* f) *sic scripsi pro* Clarevalensem *cod. Cf. infra cap. 22 et Giulini IV,* 471. g) probi *vel simile verbum excidisse videtur.* h) protensa *legendum videtur.*

65) i. e. horridam. 66) Gall. *vairs gris;* Grauwerk. 67) inde a die 13. Sept. 1100; v. supra p. 22 n. 57. Itaque de Anselmi IV. archiepiscopi morte anno 1102. certior factus est Grossulanus. 68) Grossulano. 69) de quo cf. supra c. 2. 70) Landulfi de Vareglate vitam scripsit Philippus Malabayla, Acta SS. Iun. T. II, 43 seq. 71) Mediolanensis. 72) *Civate* a Como ad orientem. 73) Arialdi. 74) Paschalem II. 75) Grossulani.

1102. pure forent angeli Dei. Ibique Grosulanus stola indutus; et abas, in suo tempore remuneratus, quievit et recessit, et post paucos dies in gratia predicte comitissae Matildis idem
1106. abas Parmensem episcopatum suscepit[76].

1102.(VI.) 9. Grosulanus[a] vero, consentiens humane fragilitati, usus est cibis delitiosis et vestibus
77 pretiosis, atque petiit subcinculum[77], quo presbiter Liprandus fruebatur in officio misse secundum morem cardinalis. Set presbiter ipse ipsum cingulum Grosulano dare negavit. Deinde ipse archiepiscopus quoscunque non potuit sibi blandire, temptavit minis terrere, presbiterum Liprandum precipue. Qui presbiter, cum esset coram cuncto populo urbis Mediolani interrogatus, inquit: *Quam plures de hic consedentibus et stantibus ad libitum suum placitumque tuum locuti sunt, atque de literis Romam missis, propter quas super me intendis, tibi responderunt. Quod si vis meum inde habere responsum, dic michi, si vis ut dicam tibi verum, an mendatium. Alioquin non dabo tibi inde responsum.* Grosulanus vero super hoc percunctatus, tandem in eodem conventu dixit: *Volo, ut dicas verum.* Tunc presbiter, quasi a Domino confortatus, dixit: *Literas, de quibus me interrogas, ego non dictavi nec scripsi. Set et alias in divina pagina legi, et in ipsis non inveni verbum, quod confirmaret, te iure posse esse Mediolanensis ecclesie archiepiscopum; atque conscilium et auxilium dedi pluribus clericis et viris, qui miserunt Romam Obizonem Nigrum et Heribertum de Bruzano, ut rogarent papam, ne tibi miteret stolam.* Unde Grosulanus comotus ait: *Archiepiscopus nunc sum et stolam habeo. Quod nisi satisfeceris michi de hac presumptione, faciam de te, quod michi pertinet facere.* Tunc presbiter porexit sibi cartam signatam apostolico sigillo, hec conti-
1075. nentem: *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Liprando sacerdoti salutem et apostolicam benedictionem. Si sanctorum memoriam veneramur, de quorum legimus morte et abscissione membrorum, si patientiam laudamus eorum, quos a fide Christi gladius nec ulla pena[b] divisit: tu quoque absciso naso et auribus pro Christi nomine laudabilior es, qui ad eam gratiam pertingere meruisti, que ab omnibus desideranda est, qua a sanctis, si perseveraveris in finem, non discrepas. Integritas quidem corporis tui diminuta est, set interior homo, qui renovatur de die in diem, magnum sanctitatis suscepit incrementum. Forma visibilis turpior, set imago Dei, que est forma iustitie, facta est in diminutione iocondior, in turpitudine pulcrior. Unde in canticis canti-*
Cant 1, 4. *corum gloriatur ecclesia dicens: „Nigra sum, filie Yerusalem." Quod si interior species nichil passa est detrimenti hiis abscissionibus, non est abscisum a te sacerdotale officium, quod proprium est sanctitatis et non tantum conscideratur in integritate membrorum, quantum in integritate virtutum. Unde imperator Constantinus Yerosolomitani episcopi cuiusdam occulum pro nomine Christi erutum sepe osculabatur. Et exemplo patrum atque documento maiorum didicimus non auferre sacrum officium martiribus pro huiusmodi cesura membrorum. Proinde, martir Christi, confortare in Domino; magis credas in te nunc esse presbiteratus officium, quod prius olei unctione, nunc vero tibi est sanguinis tinctione comissum; et quanto minus habes quod possit auferri, tanto minus timeas predicare, que recta sunt, seminare que centuplicata redentur. Scimus quidem, te ab inimicis sancte ecclesie semper inimicari atque affligi; set tu ne eos timeas, neque pertenearis, quia nos tam te, quam tua omnia sub nostra et sub apostolice sedis tutella cum magna caritate tenemus. Et si in aliquibus tibi necessarium fuerit apostolicam sedem apellare concedimus; et*
1102. *si ad nos et ad sedem nostram veneris, cum gaudio et magno honore suscipere parati sumus.* Hiis perlectis, Grosulanus, quasi vellet destruere, sigillum strinxit et capa sua texit. Inde presbiter seu irato animo rem suam quesivit, et requirendo Grosulano ait, nisi sigillum et cartam sibi inlesam rederet, civitatem totam inde commoveret. Et carta sigillata et inlesa sibi redita, Arialdus abas monasterii sancti Dionisii, seorsum presbiterum fecit et in cameram duxit, atque inter multa blanda presbitero ait, ut manum obedientiae Grosulano daret. Set presbiter ipse, exaltando et reiterando vocem, inquit: *Manum obedientie? manum obedientie? Per viventem in secula, nec minimum digitum manus mee darem pro hac re.* Quod cum audisset conventus clericorum, qui adhuc aderat in palatio, ait intra se: *Hoc conscilium non est in scilentio.* Et cum abas et presbiter cameram exissent, et archiepiscopus signum dissolvendi conscilium dedisset, presbiter sibi scilentium indixit et audientiam habuit, dicens: *Ne scandalum in me faciatis, scitote, ego[c] .... in meo officio, secundum quod ipse servaverit me in suo.* Et talli tenore prebuit manum Grosulano.

a) Grossulanus voluit presbitero Liprando bullam exemptionis auferre, dum fateretur se adversariis favisse. Grosulanus *cod.* b) pēna *cod.* c) *sequitur unius vocis spatium in cod.;* servabo eum *excidisse putat Saxius.*

76) mense Novembri a. 1106, v. Donizonis Vit. Mathildis II. c. 17, supra SS. XII, 401. 77) i. e. subcingulum.

10. Cum[a] alter alterum[b] suspectum haberet, contigit, quod Heribertus de Bruzano, valde agravatus febribus, venit ad dictum presbiterum suplicando, ut adversus infirmitatem daret sibi remedium. Ministri vero presbiteri ministraverunt cibum et lectum convenientem illi egrotanti, donec Dominus virtutum per impositionem manuum eiusdem presbiteri prebuit salutiferum remedium ipsi egrotanti. Unde Grosulanus stimulatus ait ad presbiterum: *Quia participasti Heriberto meo excommunicato, precipio tibi, ut missam non cantes, quousque penitentiam inde susceperis et michi satisfeceris.* Et presbiter ad illum: *Quod feci in Heriberto, bonum fuit et a Deo venit; atque de bono et Dei opere non novi penitere. Etsi non habes super me hanc potestatem, tamen propter hoc scandalum vitandum tibi contemperabo.* Quendam igitur sacerdotem scolasticum in domo sui proprii iuris presbiter Liprandus induxit, qui sibi missam cantabat in ecclesia sancti Pauli, que dicitur in Copodo[78], quam ipse presbiter Liprandus una cum ecclesia sancti Germani sita in Niguarda[79] rehedificando et magnificando ditavit, et ut nunc aparet, decoravit, accepto in se suisque heredibus iure fundationis, quemadmodum legitur in cartis, a regalibus iudicibus et viris et clerico ordinario subscriptis et atestatis. Hinc est etiam, quod ipse stabilius Grosulano restitit et ceteris, inimicantibus sibi et suis. (VII.) 1102–1103. 78

11. Ut[c] securitatem sibi et suis clericis constitueret, ecclesiam quoque sancte Trinitatis inchoavit, et in proprio suo alodio ad locum, qui Pons Guinizeli[80] dicitur, simul cum Landulfo[81] suo acolito et alumpno fundavit. Ipsam quoque beato Petro obtulit et Urbanus papa II. suscepit et cum privilegio ipsum presbiterum et ecclesiam communivit, subscribens: *Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Liprando*[d] .... *Statuimus ecclesiam illam cum prediolo*[e], *in quo fundata est*[f] .... *vel per allios fideles illic Domino largiente collata fuerint, ab omni seculari oppressione quietam perpetuo manere ac liberam. Clericis vero ibi victuris vivendi regulariter concedimus facultatem; eosque decernimus tam proprias ordinationes quam altarium et ecclesiarum consecrationes, ceterorumque dona sacramentorum a Mediolanensi archiepiscopo suscipere, si quidem catholicus fuerit et comunionem ac gratiam apostolice sedis habuerit, et si ea gratis et si non pravitate indulserit. Allias autem liberum eis arbitrium sit sacramenta eadem suscipere a quocunque voluerint catholico episcopo. Decernimus ergo, ut neque Mediolanensi archiepiscopo neque alicui viventium liceat eandem ecclesiam et fratres, qui illic Deo servierint, quolibet occasionis iugo deprimere, aut bona eorum distrahere et suis usibus applicare, vel temerariis vexationibus*[g] *fatigare; set omnia integre conserventur, vobis et successoribus vestris omnimodis profutura, salva eiusdem Mediolanensis archiepiscopi catholica reverentia. Ad indicium autem huius percepte libertatis a Romana ecclesia Mediolanensis monete numos sex quotannis*[h] *Lateranensi palatio persolveritis*[i]. *Si qua igitur in crastinum ecclesiastica secularisve persona, huius decreti paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, potestatis honorisque dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque a sacratissimo corpore et sanguine Christi Dei ac domini redemptoris nostri Yhesu Christi aliena fiat, et in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iuxta*[k] *servientibus sit pax domini nostri Yhesu Christi, quatenus et hic fructus bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen.* (VIII.) 1088–1099.

12. Grosulanus[l] autem et eius turba ad hanc apostolicam monitionem[m] neque ad multas nobilium virorum preces, pro presbitero Liprando fusas, respexit; set cupiens subvertere illum, sibi laboravit, ut episcopos et principes Longobardiae commoveret et cum ipsis sinodum celebraret. Huius sinodi tempus dum apropinquaret, et multorum hominum tumultus multa turpia adversus Grosulanum tumultuabat, et Grosulanus ad compescendum illum tumultum, quasi in prima vigilia cuiuslibet[n] autentice noctis matutinum pulsare fecit, et gentem multam tam per se quam per suos sacerdotes et ministros, (IX.) 1103.

a) 7. **Liprandus Heribertum in domo suscepit egrotum, unde iussu Grossulani a celebratione abstinuit.** Cum *cod.* b) C. a. a. *a correctore coaevo, erasis quinque vel sex vocibus.* c) 8. **Liprandus ecclesiam sancte Trinitatis cum exemptione Urbani II. fundavit.** Ut *cod.* Ut *posuit corrector in rasura trium vel quatuor vocum.* d) *sequitur spatium undecim versuum relictum in cod.* e) pradiolo *cod.* f) *sequitur spatium quarundam vocum.* g) vesationibus *cod.* h) quater annos *cod.* (q̄l' ān̄os). i) persolvetis *cod.* k) *an* iuste? l) 9. **Liprandus predicat, Grossulanum simoniacum esse, et id se per ignis iudicium probaturum.** Grosulanus *cod.* m) munitionem *cod.* n) *an* cuiusdam?

78) sive Compodo, Compedo, Compito, Mediolani. 79) haud procul a Mediolano, ad septentrionem. 80) cuius loci situs ignoratur. 81) scriptore huius historiae.

1103. occasione matutini habita, congregavit. Atque matutino cantato, multo populo coram ipso convocato, de passione Christi et proditore Iuda prolixum sermonem fecit, et sue cause ipsum sermonem coaptavit, atque in fine sui sermonis super sancta Dei euangelia, nullo interrogante, publice iuravit, quod a die, qua egressus est de utero matris, pollutionem non fecit et carnem suam non coinquinavit. Arialdus vero, monasterii sancti Dionisii abbas, et Guazo, qui cognominatur de Orreo, id ipsum iurando firmaverunt. Et mox Grosulanus adiecit dicens: *Si quis vult adversum me dicere aliquid, nunc dicat. Quod si modo tacuerit, amplius adversum me audientiam non habebit.* Hoc cum presbitero Liprando renuntiatum fuit, et ipse plures cives ad ecclesiam sancti Pauli vocavit in die. Quibus dixit: *Videtis me abscisum*[a] *naso*[b] *et auribus pro nomine Christi; unde michi magna retributio est promissa*[82], *si in finem perseveravero. Pro amore itaque Christi vestraque salute et pace rogo vos, ut ad me et ea, que vobis dixero, intendatis.* Et cum hec et plura bene dicta beneque sonantia presertim adversum symoniam dixisset, proposuit dicens: *Grosulanus, qui pro archiepiscopo tenetur, est simoniachus de archiepiscopatu Mediolanensi per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab osequio.* Et cum hec in suo proposito procederet, sepissime ortabatur
83 omnes, ut convenirent ad veram cognitionem huius propositi per divinum iudicium[83], adprobatum in vita vel morte sua, manifestata per ipsum. Sed Grosulani turba hoc perturbabat auctoritate pontificum, qui Mediolanum venerant ad celebrandum sinodum cum Grosulano.

13. Verumtamen presbiter ipse adversus episcopos disputans, rationibus et exemplis suam sententiam sustinuit nec dimisit. Grosulanus vero, parvi pendens huius presbiteri verba, veluti in presentia eius non essent prolata, sinodum suam in ecclesia sancte Marie, que dicitur Yemalis, per duos dies tractavit, atque in tertia in prato, quod dicitur Brorium, coram infinita hominum multitudine dedit sententiam deponendi Andream primicerium et allios sacerdotes, quos Anselmus de Rode, Mediolanensis archiepiscopus, et a rege Henricho investitus, ordinavit. Quam sententiam multitudo cleri illico et populi, et non multum post ipse Pascalis papa Romanus contempsit.

(X.) 14. Attamen[c] Grosulani turba, dimicans adversus primicerium, Landulfum eiusdem primicerii clericum lapide occidit. Deinde quasi in consensu totius civitatis dictum fuit presbitero, ut ad faciendum iudicium multa ligna congregaret in prato, quod clauditur in muro iuxta sancti Ambrosii monasterium. Et presbiter ipse, plenus magno spiritu, anonam et vinum, que ad edendum habebat, pauperibus erogavit, suamque lupicervinam pellem pro lignis pignoravit; cetera vero, que possidebat in libris et alliis rebus, statuit ut conservarentur Landulpho, nepoti suo et alumpno atque ecclesie acolito, qui tunc temporis discebat Aureliani ab egregio magistro Alfredo et nobili Iacobo. Statuit etiam, si contigerit illum mori in illo iudicio, si quid corporis eius residuum fuerit, portaretur ad ecclesiam sancte Trinitatis, quam ipse, sicut superius[84] in privilegio legitur, in alodio suo fundavit et beato Petro tradidit. Hiis ita statutis et ordinatis, idem .... Ambrosii ecclesiam ivit. Et cum ipse facturus iudicium ...., manus Grosulani prevaluit et ipsa ligna in prato disposita dispersit, ipsumque presbiterum ab illa dispositione separavit ignominiose.

15. Deinde in domo sua et sancti Pauli ecclesia presbiter iste[d] siluit et quievit, donec pueri et puelle, mares et femine in proximo tempore clamaverunt: *Foras, foras, Grosulane!* Hunc clamorem Grosulanus cupiens compescere, habuit conscilium cum satelitibus suis, quibus dixit: *Ite et vos; et publice eligite viros de populo, qui dicant illi Liprando, aut ad satisfactionem meam veniat, aut de terra ista*[e] *exeat, aut iudicium, quod se facturum promisit, faciat.* Consciliarii itaque, de latere eius venientes ad concionem populi, in vesper-
Mart. 22. tina hora dominice diei de ramis palmarum seu olivarum publicaverunt, quae audierant a domino suo archiepiscopo Grosulano. Quapropter non solum viri, in concione electi, venerunt ad presbiterum hanc legationem dicere, set innumera hominum multitudo venit hanc legationem confirmare. Ad quorum clamorem clamantem: *Veniat presbiter ipse Liprandus!* ipse humilis exivit. Et ut legationem audivit et intellexit, manus ad celos levavit, et Deo gratias egit, et interrogando legatos inquit: *Vult et mandat iste*[f], *quod michi dicitis?* Qui omnes respondentes dixerunt: *Utique vult et mandat.* Et presbiter ad eos:

a) abscissum *cod.* b) naxo *cod.* c) 10. Presbiter Liprandus per ignem transivit illesus. Attamen *cod.* d) ĩ *cod.* e) ĩ *cod.* f) ĩ *cod.*

82) a Gregorio VII, v. supra p. 24. 83) Dei iudicium, *Gottesurtheil.* 84) p. 25.

Teram non exeo. Set in istis duobus diebus ieiunium ago et in quarta feria[85] *faciam iudicium,* 1103. Mart. *prestante Deo. Set unde ligna emam, non habeo.* Tunc Grosulani et rei publicae ministri 23. 24. quercina ligna, ad flamam et ad calorem aptissima, triginta solidis denariorum emerunt, que in campo ante atrium ecclesie sancti Ambrosii in duabus congeribus, respicientibus se, composuerunt; longitudo quarum[a] decem cubitorum fuit, et altitudo et latitudo maior statura hominis cubitorum quatuor; via vero inter ipsas congeries unius cubiti et semis.

16. Hiis ita dispositis et quibusdam lignis in via interpositis, in quarta feria[86] presbiter, indutus cilicio, camisio atque casula more sacerdotis, ab ecclesia sancti Pauli usque Mart. 25. ad ecclesiam sanctorum martirum Protasti et Gervasii et beatissimi Ambrosii nudis pedibus crucem portavit. Super quorum sanctorum altare, ceteris sacerdotibus deficientibus, ipse sibi missam cantavit. Et missa cantata, Grosulanus quoque, gerendo crucem, eandem ecclesiam intravit, et pulpitum cum Arialdo de Meregnano et Berardo, iudice Astensi, ascendit. Et facto scilentio in populo, et presbitero stante nudis pedibus super lapidem marmoreum, qui in introitu chori continet Herculis simulacrum[87], idem Grosulanus ait ad populum: *Atendite, quia in tribus verbis hunc hominem vincam et eius confusionem ostendam.* Et ad presbiterum inquit: *Proposuisti, quod ego sum simoniachus per munus*[b] *a manu. Modo dic. Cui dedi?* Tunc presbiter super populum occulos aperuit et digitum ad tres illos, qui stabant in pulpito, extendit dicens: *Videte tres grandissimos diabolos, qui per ingenium et pecuniam suam putant me confundere. Et nonne ille diabolus, qui suasit eum fieri symoniachum per peccuniam, suadere potest, ut adhuc maiorem peccuniam daret, et veritatem ocultaret, et testes et iudices mondanos michi auferet? Et nonne scitis, quia propter vitandam astutiam diaboli et pravorum hominum ego elegi Deum iudicem, qui neque per pecuniam neque aliquo modo potest falli in iudicio? Ad cuius iudicium si vultis venire, paratus sum, quod promisi, facere.* Et Grosulanus ad eum: *Modo dic. De qua simonia dicis?* Et presbiter ad illum: *Modo dic tu. Que est bona?* Et Grosulanus aliquantulum subsiluit, et ait: *Est simonia, que simoniam non deponit.* Et presbiter ait: *Ego dico de illa, que deponit abbatem de abbatia, episcopum de episcopatu, archiepiscopum de archiepiscopatu, in quo est.* Et cum in hiis verbis satisfecisset omnibus, audivit populum clamantem: *Exite foras ad iudicium! exite foras ad iudicium!* Et presbiter in hoc multiplicato clamore, licet senex, desuper lapide, continente Herculis simulacrum, prosiluit, et una cum populo in campo, in quo erant lignorum congeries, venit. Ibique dum ignis lignis accendebatur, presbiter circumstantibus dixit: *Vos preter me non cernitis sacerdotem, qui hunc ignem michi benedicat; set cernitis cartam hanc quam teneo, in qua sancta verba et signa sancte crucis continentur. Et ego minister hec verba et signa inferius dicam et faciam; et Deus, qui est dominus meus, desuper ignem benedicat.* Et audientes et bene inteligentes dixerunt: *Amen.*

17. Atque cum in circuitu ignis hec verba dixisset et signa fecisset, et aquam benedictam et incensum super ignem, astante ibi Grosulano, aspersisset, dubitabatur de ordinando sacramento[88] apud Grosulanum et Arialdum de Meregnano, qui erat quasi potentissimus princeps Grosulani et procurator iudicii et expectans, presbiterum per ignem in morte finiri, vel per nimium terrorem ad dominum suum Grosulanum converti. Ipse namque Berardo, iudici Astensi[c], hanc legem non solum per mortem set per quamlibet ignitam lesuram in presbitero factam condempnare, dixerat: *Absit, quod lesura. Set ignem adeo magnificabo, quod procul occulos ignis de capite eius eruet et in ipso igne ardens cinis putrefiet.* Attamen presbiter cum vidisset, eos de ordinando sacramento dubitare, dixit ad eos: *Sinite me, quod ego bene ordinabo. Nec finiam sacramentum, donec dixero tantum, quantum vobis satisfecerit.* Et ilico in consensu eorum apprehendit capam Grosulani, ipsamque quassavit dicens: *Iste Grosulanus, qui est sub ista capa — et non de alio dico — est simoniachus de archiepiscopatu Mediolani per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab osequio.* Et cum illis videbatur sufficere, adidit: *Et ego ad fiduciam maleficii aut incantationis vel carminis non intro hoc iudicium; sic*[d] *Deus me adiuvet et ista sancta euangelia in isto sancto iudicio.* Facto hoc sacramento concorditer, Grosulanus equum ascendit, et ad ecclesiam sancti Iohannis, que dicitur ad Choncam, venit. Arialdus vero predictus de

a) quorum *cod.* b) manus *cod.* c) dicenti *excidisse videtur.* d) si *cod.*

85) Mart. 25. 86) die 25. Martii 1103. Cf. Notas S. Mariae Mediol. et Annal. Mediol. min. supra SS. XVIII, 385. n. 13 et p. 393. 87) de quo cf. Giulini IV, 488. 88) i. e. iurisiurandi verbis Liprando dicendis ante initum iudicium.

1103. Mart. 25. Meregnano, inquirens et expectans plenitudinem ignis, presbiterum tenuit, et tenendo, manum suam lesam procul ab ipso calore ignis sensit. Et tamen ad presbiterum inquit: *Presbiter Liprande, vide mortem tuam in igne; convertere ad dominum meum archiepiscopum, habita securitate tue vite. Alioquin vade, et arde te cum Dei maledictione.* Et presbiter ad illum: *Sathana, retro vade!* Illo retrocedente, presbiter prostratus a tera levavit. Et signo crucis sibi apposito, ingens flama ignis in meridiem et septentrionem se divisit, et via aparuit, quam presbiter intravit. Et transiens per ipsos carbones ignis, ceu harenam calcaret sensit; et dum per ipsam viam transibat, flama post ipsum[a] coibat. Et ut ipse michi dixit et bene intelexi, donec in via huius ignis fuit, hanc orationem Deo protulit, dicens: *Deus, in nomine tuo salvum me fac et in virtute tua libera me; Deus, in nomine tuo salvum me fac et in virtute tua libera me; Deus, in nomine tuo salvum me ...;* et dum tertio proferet hoc verbum: *fac*, se extra ignem vidit, nec in se, nec in suis sacerdotalibus vestibus lineis ac sericis, quibus erat indutus, sive in cilicio lesionem ullam sensit.

(XI.) 18. Tunc[b] populus plene, quasi ex uno ore laudem Deo et huic presbitero extra et infra civitatem contulit. Grosulanus vero intrepidus sedem archiepiscopatus deseruit et civitatem, quia a parte communi civitatis iuratum erat, quod neutri illorum, nec alicui de parte illorum pro hac actione malum fieret, nisi quod Deus sibi faceret. Set quia presentia episcoporum suffraganeorum huic legi et triumpho favorem integre non prebuit, et ignis manum presbiteri, quam in proiciendo aquam et incensum super ignem[c], lesit, et quia pes equi Iohannis de Rode nudum presbiteri pedem de igne exeuntis dure calcavit: turba, tristis de casu et ruina Grosulani, in presbiterum et eius legem post paucos dies scandalizavit, et scandalizando, hortatu quorumdam sacerdotum, prelia et homicidia multa comisit.

19. Interea Grosulanus domnum papam Pascalem gratum sibi invenit. Landulphus
89 vero de Vareglate, qui primus in Coritiana fuga[89] fuerat, rediens a Yerosolimis, Romam pervenit, atque in Grosulano, iam inde regresso, didicit non solum quod actum fuerat Mediolani propter concertationem presbiteri et Grosulani, set etiam, quam solempniter Romanus pontifex post tallia facta ipsum Grosulanum susceperat. Quia ipse quidem papa Pascalis super sedem suam ipsum Grosulanum posuit; et per quot dies idem Grosulanus tunc temporis Laterani fuit, eundem super sedem suam sedere fecit, atque ipsi sedenti cessit et locum dedit, suam quoque curiam et omnes causas ecclesiasticas, a se discernendas et iudicandas, ipsi Grosulano ad discernendum et iudicandum tradidit.

1103–1104. 19. Set tamen Landulphus ille de Vareglate, veniens Mediolanum, non presbiterum nec eius legem directe contempsit. Set clero et populo Mediolanensi promitens deponere Grosulanum ab omni ecclesiastico officio iuxta canonum rationem, inquit: *Cur de lege presbiteri Liprandi et Grosulano contenditis et prelia et homicidia in vobis facitis? En vobis certissime dico et per Iohannem Vicomercatensem Grosulano mando, quod ego apud dominum papam Pascalem eiusque curiam vel synodum certis cum rationibus et iustis et sanctis canonibus comprobabo, illum non posse subsistere in numero episcoporum, nec presbiterorum, aut etiam in aliquo ordine clericorum.* Clerus[d] vero et populus huic autentico viro et, secundum quandam novitatem, canonice sancti Nazarii preposito et maioris Mediolanensis ecclesie ordinario, credulus, una[e] cum Grosulano ad Romanam sinodum pervenire studuit. Unde rigidus et sapiens capitaneus Mediolanensium, Amizo de Landriano, ait: *Vos ludriam[90] in aqua negare[91] vultis.*

20. Set Grosulanus nil moratus ad pedes apostolici provolutus, sibi, lutus, sibi et suis
1105. iterum refugium suscepit. Presbiter vero Liprandus, cum iam senex esset, et duo anni post legem ab ipso factam mansissent[92], provocatus et quasi compulsus, Romam ad
Mart. synodum[93] venit. In qua predictus Landulphus de Vareglate, qui post ipsam sinodum fuit Astensis episcopus, neque ante papam vel eius curiam vel synodum adversum Grosulanum verbum ignominiosum protulit; set presbiter Liprandus causam, quam adversus Grosulanum

a) ipsam *cod.* b) 11. Liprandus in sinodo ante Paschalem papam Grossulani presentis simoniam accusat et ignis iudicium manifestat. Tunc *cod.* c) *hic quaedam excidisse videntur.* d) Verus *cod.* e) unaa *cod.*

89) ex bello a. 1100. suscepto contra regnum Babylonicum, sive „in Corrociana" (Chorasan). Cf. Notae S. Mariae 1100 supra SS. XVIII, 385, et huius historiae cap. 4 supra p. 22. 90) lutram. 91) suffocare, Ital. *annegare.* 92) post Martium anni 1103. 93) De concilio Romae mense Martio a. 1105. celebrato v. Regesta pont. Rom. p. 488.

habuit, pure notificavit. Et apostolicus non legem, per ipsum presbiterum datam et 1105. Mart. sacramento et igne notatam, laudavit, set gratiam et officium presbiteratus in illo firmavit et dixit: *Si hic presbiter iuraret, et duodecim sacerdotes cum illo iurando affirmarent, quod Grosulanus coegit ipsum presbiterum ire ad ignem, sustineret Grosulanus depositionem.* Atque super hoc spatium consulendi per unam noctem dedit.

(XII.) Nocte[a] autem illa transacta, apostolicus coram synodo a Grosulano suscepit sacramentum; in quo sacramento Grosulanus sic ait: *Ego Grosulanus, gratia Dei archiepiscopus, non coegi dictum Liprandum presbiterum ire ad ignem et facere iudicium.* Et Ardericus, Laudensis episcopus, iurando firmavit id ipsum. Azoni vero, Aquensi episcopo, proferenti id ipsum iurare ex parte Grosulani, ab apostolico fuit condonatum. Grosulanus itaque accessit, ut acciperet gratiam restitutionis; et cum ad accipiendam restitutionem accederet, gabuta[93] vel[b] pastoralis[c] virga, 93 quam idem Grosulanus sua tenebat manu, coram synodo ad terram coruit. Quod signum quampluribus fuit indicium, quod sacramentum eius fuit sacramentum mortis. Verumtamen nec papa nec eius sinodus ad hoc tunc respexit; set ipsum Grosulanum Azoni Aquensi et Arderico Laudensi atque Iordano de Clivi et ceteris Mediolanensibus tam clericis quam laycis, verum etiam episcopis eiusdem ecclesie suffraganeis, volentibus habere eum in archiepiscopum, licet otiose, restituit. Quoniam quidem presbiter ille Liprandus, licet occasione huius restitutionis foret suspectus Grosulano restituto et restitutum suscipientibus, tamen in ecclesia sancti Pauli suaque domo fuit sacerdos ydoneus in suo officio per septem annos[94] post ipsam restitutionem. Grosulanus vero, gratia Gulielmi abbatis monasterii sancti Ambrosii, et Andree Mediolanensis ecclesie primicerii, et Ottonis viccecomitis et alliorum multorum prudentum tam clericornm quam laycorum, nec sedem nec aliquam munitionem archiepiscopatus post legem ipsam, a presbitero factam, sive restitutionem, a synodo celebratam, habuit[d].

(XIII.) 21. Ipsa[e] quoque ecclesia et regnum, que pro Grosulano sinodum ipsam tractavit, in semet ipsis dissensionem servans, servavit et servando. Quis potest enarrare combustiones, desolationes, abhominationes, que combuxerunt et desolaverunt Mediolanum et regnum ipsumque sacerdotium ex[f] tempore, quo lex presbiteri Liprandi venit in ambiguum! Etenim, ut taceam combustiones, que perturbaverunt et perturbant Mediolanum[95], memor sum sugestionis principum, que tunc sugessit Henrico, deicere Henricum patrem suum, regem 1105. 1106. et imperatorem dictum. Ille quidem abhorrendo[g] symoniam in patre, patrem oppressit. In tempore huius oppressionis egregia stela, que dicebatur cometa, per plures dies et 1106. Feb. Mart. noctes in tempore veris[96] a setemptrione et quasi in occidente late et splendide nituit, et mortem oppressi Henrici presignavit. Aug. 27.

22. Ego quoque in hoc regali et sacerdotali turbine, orescendo[97] tribulationes improperiorum, que fiebant et fiunt michi propter livorem sepe dicti presbiteri avunculi mei, salva eius reverentia, ipsius convictum vitavi; et Anselmo de Pusterla et Olrico vicedomino Mediolanensi[98] adhesi, quibus duobus domi ac foris, ut manifestum est, utilis et rectus fui. Cum Anselmo namque per annum et dimidium Turoni et Parisius in scolis magistri 1106. 1107. Alfredi et Guilielmi legi, et legendo, scribendo multisque aliis modis Anselmo multam comoditatem dedi[h].

(XIV.) Meus[i] vero sepe dictus avunculus infra huius anni et dimidii spatium homines, qui non pro amore divine legis et ecclesiastice consuetudinis litigabant de sua lege et Grosulani restitutione, dimisit, et eorum civitatem exivit, atque Valtilinam vallem, a Mediolano ultra septuaginta miliaria remotam, habitavit. 1107. Tunc ego subtractus a studio, inveni sancti Pauli ecclesiam et meam domum isto meo patrono quasi desertam. Asumpto igitur equo Anselmi et meo, una[k] cum fratre meo M. ad ipsum meum patronum

a) 12. Grossulano coram papa, se non coegisse Liprandum ad ignem iurante, Grossulanus restitutus est, set a civibus non est receptus. Nocte *cod.* b) vel *scripsi pro* et *cod.* c) pastorali *cod.* d) habuit. Ipsa quoque *corrector in rasura trium vocum.* e) 13. Perturbatione in Mediolanensi ecclesia orta ob Grossulanum, Olricus vicedominus et Anselmus de Pusterla se Parisius in studium transtulerunt. Ipsa *cod.* f) et *cod.* g) abhortendo *cod.* h) com. dedi. Meus vero *corrector in rasura posuit.* i) 14. Hystoricus presens presbiterum Liprandum a Valtilina Mediolanum reducit. Meus *cod.* k) unaa *cod.*

93) seu gambuta, cambuta (lituus episcoporum). 94) 1105—1112. 95) De incendiis Mediolanensibus annorum 1104, 1105, 1106, 1124 v. Notas S. Mariae et S. Georgii Mediol. et Annal. Mediol. minor. supra SS. XVIII, 385. 386. 393. 96) mense Februario et Martio 1106. V. Ekkehardi Chron. 1106, SS. VI, 235. 97) horrescendo. 98) quorum uterque postea ecclesiae Mediolanensi praefuit archiepiscopus.

1107. festinavi. Et cum profecissem viginti quinque miliariis, michi angelus[1] occurit, dicens:
Presbiter Liprandus, rediens a Valtilina, infirmus iacet ad monasterium de Clivate. Citius
igitur, quam sperassem, inveni illum in lecto sedentem et lac edentem. Qui cum me
viderit, ambas manus levavit et gratias Deo dixit. Arialdus vero, illius monasterii abbas[2],
postquam audivit, me advenisse et consolationem ipsi egroto dedisse, me meumque fratrem extra cameram vocavit, et per plura verba, se trepidare fidelitatem, quam iuraverat
Grosulano, nobis notavit, atque nescientibus monachis nos admonuit, ut ipsum deportaremus egrotum a monasterio saltem duobus miliaribus. Infirmus autem, ut sensit, me
meumque fratrem solicitari super sua infirmitate et portatione, ait: *Nolite turbari, quia per
gratiam Dei nunc michi multum est melius; et in crastino, Deo annuente, ad civitatem iter
habebimus.* Et mane facto, derudatas quasdam suas vestes induit, et cibum sumpsit, et
quasi sanus factus, super mullam sedit. Puer quoque eius, habens suum asinum oneratum
pellibus stambucinis[3], licet de solito bis aut ter in die torqueretur caduco morbo, tamen,
presbitero sedente super mullam, puer idem venit nobiscum in una die usque ad Sanctum
Damianum de Baraza[4] absque ullo illius infirmitatis impedimento. Ibi gratia Dei et beatissimi Ambrosii, cuius locus iste cella est, bene recepti pernoctavimus et alteram diem
dimidiavimus; et ante sollis occasum ecclesiam sancti Pauli domumque nostram intravimus,
atque familiam, que ibi aderat, nostram letam fecimus.

(XV.) 23. Grosulanistas[a] et in parte altera fictos et dolosos murmurare de reditu nostro,
valde persensimus. At ego, ut minus et minus eorum murmura timerem et ut meam et
ipsius mei magistri causam amplius excusarem et comprobarem, domum inter cognatos
et vicinos meos non ociose emi. Quia in ipsa vivendo lector, scriba, puerorum eruditor,
publicorum officiorum et beneficiorum particeps, et consulum epistolarum dictator, salva
1136. mea querela, in ecclesia et in ipsa civitate Mediolani videor. Parvi namque filii eorum[5],
qui propter Patariam Herlembardum occiderunt[6] et presbiterum Liprandum naso et auribus
troncarunt, me ab ecclesia sancti Pauli, que est titulus meorum ordinum, exturbant.
Et quia non sperno libertatem et piam conversationem, que in ipso presbitero fuit, factus
sum quasi obprobrium illis, et me prohibente possident et vendunt res, que sunt mei proprii iuris. Verumtamen non ab opusculi mei proposito!

(XVI.) 24. Igitur[b] circha tempus, quo presbiter Liprandus a Valtilina rediit, pars cleri et
1107. populi Laudensis, metuendo periurium in episcopo suo, qui pro Grosulano in synodo Romana iuravit[7], ipsum quidem episcopum suspectum habuit. Hinc est etiam, quod Gairardus, frater eiusdem episcopi Laudensis, et ipse Ardericus episcopus dicuntur fuisse fautores
1111. et coadiutores Laudensium militum, suam civitatem destructioni tradentium. Mediolanensibus quippe manifeste conantibus ad ipsius civitatis destructionem, ipsi duo fratres spiritualiter et temporaliter dederunt conscilium et auxilium. Infinita autem malla, que operata
1107 sunt per quatuor annos[8] in ipsa guera, non enumero; set mortem Antelmi, germani mei,
1111. et aliorum multorum propinquorum meorum et civium per illam gueram manifestatam lugeo.
Nec tamen ceptum iter penitus desero. Quia, dum civitas illa Laudensis adhuc staret et
resisteret Mediolanensibus, conantibus eam destruere, Grosulanus a Mediolano exulabat et
Laudensis ille Ardericus suam civitatem perrarum intrabat, set Mediolanum frequentabat;
presbiter vero Liprandus in sua domo suaque sancti Pauli ecclesia consolationem regni et
ecclesie devote expectabat.

(XVII.) 25. At quidam[c], qui dicebantur amici presbitero expectanti et Grosulano exulanti,
c. 1109. dum hec prefata guera agebatur inter Mediolanenses et Laudenses, Papienses quoque et
Cremonenses Laudensem civitatem defendentes, sugeserunt Olrico Mediolanensi vicedomino
et Anselmo, de Pusterla cognominato, ire ad precipuum magistrum Anselmum de Monte
Leoduni[9]. Quibus duobus fuit gratum, secum ducere me Landulphum, presbiteri Liprandi

a) 15. Landulfus hystoricus se a presbitero Liprando separavit. Grosulanistas *cod.*, *ubi* Grossulanistas *in rasura positum est.* b) 16. Exulante Grossulano Mediolanenses bellum inchoant cum Laudensibus. Igitur *cod.* c) 17. Olricus et Anselmus revocati a studio, ad ordines sunt promoti. At quidam *cod.*

1) nuncius. 2) Cf. supra c. 7. p. 23. 3) pellibus rupicaprarum; quod quidem animal italice *stambecco* vocant. 4) *San Damiano* prope *Baraggia;* qui loci non longe absunt a Modoetia, inter orientem et meridiem. 5) quorum unus, Arnaldus, avus Arnaldi de Raude consulis Mediolanensis, nominatur infra cap. 66. 6) Herlembaldum, capitaneum Mediolanensem, anno 1075. 7) Cf. supra cap. 20 p. 29. 8) 1107—1111. Captam enim Laudem scimus m. Maio a. 1111, v. infra cap. 28. 9) Lauduni.

alumpnum. Et cum apud ipsum magistrum et fratrem eius Rodulphum studeremus, nuntiatum est illic, [1110.] quod Grosulanus Aronam[10], arcem munitissimam archiepiscopatus, possidet. Quo audito, vicedominus valde infremuit, quia propter eius absentiam dicebatur quod hic secundus[11] casus Grosulano contingerit. Et ideo, prout dicitur, Mediolanum [11] redire festinavit, ipsamque arcem et cetera, ad archiepiscopatum pertinentia, a iure et potestate Grosulani vacuam invenit. Et hii, qui in utraque dicebantur amici, quorum ortatu ipse adivit Leodunum, in isto reditu nescio quo spiritu ipsum iuvenem et infra ordinem vicedominum elegerunt in archipresbiterum. Et facta ista electione, ipsi, qui magis erant [Apr.] in parte Grosulani, prebuerunt Grosulano conscilium, ut huic electioni nec laudem nec vituperationem prestaret; set Yerosolimam peteret, et Ardericum, Laudensem episcopum, in ecclesia Mediolani sibi vicarium faceret. In hac manifesta dispositione et allia non pluribus cognita Grosulanus Yerosolimitanum iter intravit. Electus autem iste vicedominus, secutus conscilium Arderici de Carimate, qui precipue elegit eum in archipresbiterum, in mense Aprili, quo electus fuit, canonicam hedificare cepit; atque in subsequenti Iunio ad [Iun.] Arialdum, episcopum Yanuensem, cum quibusdam suis confratribus clericis ordinariis ivit. Et episcopus ille, licet non[a] foret Grosulano contrarius, tamen per representationem Arderici de Carimate, qui primus et maximus diaconus tenebatur in parte Grosulani, ordinavit ipsum vicedominum ostiarium, lectorem et exorcistam atque acolitum. Widonem[b] Falcimanium fecit subdiaconum, Anselmum de Pusterla atque Henricum de Birago levitam, Landulphum Caroniam fecit presbiterum. Qui quinque ordinarii, in Iunio apud Yanuam ordinati, plane videbantur infesti Grosulano. In quo facto Mediolanenses qui letabantur, etiam maiori gaudio gavisi sunt, quia in ipso mense susceperunt triumphum de Cremo- [Iun. 18.] nensibus[12], victis et superatis apud Brixanorii[13] campum.

26. Cognito[c] hoc[d] triumpho per regna, rex fortissimus Henricus cum ingenti exercitu [(XVIII.)] venit in Ytaliam, atque Rome in ecclesia sancti Petri discaltiatus stetit ante Pascalem [1111. Febr. 12.] papam, expectans coronam inperandi, quemadmodum promissum fuerat sibi. Set quia ipsam coronam sibi dare distulit ipse papa, ipsius regis iram sensit, et se suosque cardinales, quo non poscebat sive nolebant, duci vidit. Hinc strages multa crevit. Romanorum namque turba, ut suum papam suosque cardinales liberaret, armata cucurit. Et papa cum cardi- [Febr. 13.] nalibus in custodia Teothonicorum datis, rex discaltiatus in atrium ecclesie sancti Petri venit, ibique equum ferocissimum ascendit, et ut erat nudis pedibus, in ipso inpetu ibi equitando, ipsos marmoreos gradus ecclesie sancti Petri descendit et, prout ad aures meas pervenit, cum lancea una quinque de Romanis occidit. Otto autem Mediolanensis vicecomes[14] cum multis pugnatoribus eiusdem regis in ipsa strage coruit in mortem, amarissimam hominibus diligentibus civitatem Mediolanensium et ecclesiam. Sed regia facultas et multa religiosorum principum prudentia ita placide et benigne hanc perturbationem placavit quod altera die in loco sancto, scilicet in ecclesia sancti Petri, ydem Pascalis papa [Apr. 13.] secundus cum cardinalibus et episcopis ceterisque viris in religionem habitis, ipsum regem Henricum solempniter coronavit et in imperatorem exaltavit, et cum ipso exaltato et benedicto corpus et sanguinem Christi ad altare sancti Petri comunicavit.

27. Deinde idem imperator in Germaniam festinavit; ubi vix requiem ullam habuit. [Mai.] Quia cum in promuntorio, quod secus Guarmatiam continet abatiam, ipse imperator torqueretur acutissimis febribus, Guarmatini, qui magis de morte quam de eius vita sperabant, ut regalia sibi vindicarent, armati exierunt et conclamando ad ipsum montem appropinquaverunt. Quod cum ipse quasi moriens persensit, sub tenore iurate fidelitatis circumstantibus sibi ministris precepit, ut se a lecto erigerent et levarent atque induerent et super equum ponerent atque armarent. Hiis peractis, sudor ab ipso, ceu[e] aqua de fonte, exivit; et stipatus a paucis, Guarmatinis obvius fuit, atque in primo congressu Guarmatinorum

a) non *addidi. Qua voce addita, scriptoris verba bene inter se cohaerent; praeterquam quod Grossulanum ab ipso Arialdo episcopo Ianuensi, archiepiscopum consecratum esse, perspicimus ex cap. 5 supra p. 22.* b) Vudonem *cod* c) 18. Henricus imperator Paschalem papam cum curia captivavit et alia die pace facta, est ab eo solemniter coronatus. Cognito *cod.* d) Cognito hoc *corr. in rasura trium fere vocum.* e) seu *cod.*

10) ad lacum Verbanum. 11) prosper. 12) a. 1110. d. 18. Iunii secundum Notas S. Mariae Med. supra SS. XVIII, 385; sed Annales Cremonenses (ibid. p. 800) praebent d. 16. Iunii („infra Iunium in vigilia S. Imerii"). 13) Bressanoro, de cuius situ v. ibid. p. 385, n. 14. 14) Cf. Petri diac. chron. Casin. III. c. 39 supra SS. VII, 780.

1111. vexiliferum in mortem proiecit, ipsamque civitatem in ore gladii et combustione ignis
delevit. Illam tantum turbam[a] eiusdem civitatis, que ad ecclesiam sancti tunc[b] consurgit[b*],
inlesam servari precepit[15].

Mai. 24. 28. Mediolanenses quoque, quando iste inperator per Veronam a Roma in Germaniam
properabat, gladiis et incendiis diversisque instrumentis funditus destruxerunt Laude[16] in
Longobardia, civitatem alteram.

(XIX.) 29. Urbs[c] itaque Mediolanum cum iam esset secura de victis suis inimicis, placuit
Arderico de Carimate et vicedomino[17] et quibusdam aliis ordinariis valde studiosis, revocare
18 Yordanum de Clivi[18] a provincia que dicitur sancti Egidii[19], in qua ipse Yordanus legebat[d]
lectionem auctorum non divinorum set paganorum. Et, ut verum de eo dicam, psalterio
et timpano et ceteris bene sonantibus in ecclesia instrumentis commune in choro Mediolani
ita perpersit[e. 20], et neque psalmum neque canticum musice arti ydoneum nec singulariter
sive comuniter congrue sonuit. Verumtamen blanda facies eius speciei adeo Grosulano
1102 placuit, quod ordinavit eum subdiaconum, cum ipse Grosulanus videbatur pacifice tenere
1103. archiepiscopatum. Demum Yordanus idem adeo studuit in libro epistolarum Pauli, quod
1111. paginus[f] lector fuit eiusdem libri. Hunc quoque Ardericus predictus de Carimate in mense
Sept. Septembri, qui fuit quartus a Iunio, quo civitas Laude destructa fuit, iam dicto Yanuensi
episcopo[21] representavit; et ipse episcopus ipsum Yordanum et plures allios de Mediolanensibus in sacerdotes benedixit. Sciendum quoque est, quod hic rudis Yordanus sacerdos,
reversus Mediolani, a Gualdo, mire caliditatis presbitero, discere studuit, qualiter sacerdoti sit sacrificandum, et cum iste ista et allia ad sacerdotis officium pertinentia disceret....

(XX.) 30. Octubri[g] vero mense sequente[h] flumina per continuam pluviam in tantum creve-
Oct. runt, quod non solum villas set ipsam civitatem in mirum modum perturbarent. Quidam
etiam sibi et mondo finem timuerunt, quia homo[22] inperabat, qui patrem suum oppreserat.
Oct.–Dec. Set Guazo Cuminus una[i] cum Amizone de Sala, et aliis quam pluribus, tam clericis quamque laycis, a Guazone et Amizone inductis, tendentes ad alia, ceperunt predicare et dicere,
discordiam de Grosulano esse malitiam, altero diluvio dignam. Ad quorum voces Iohannes
Maneri et Petrus de Carate, qui erant primi et maximi in parte Grosulani pugnatores et defensores, et conscii consilii Guazonis atque Amizonis, coram populo responderunt et illis
dixerunt: *Dicite, quid vultis vobis fieri ex parte nostra?* Qui dixerunt: *Volumus, ut Ardericus de Carimate, qui levita est ordinarius, presbiter Iohannes ecclesie sancti Naboris prepositus, presbiter Nazarius Muricula, presbiter Petrus de Sancto Carpophoro, presbiter Lanterius de Sancto Protasio in Campo, presbiter Albricus de Sancto Dalmatio, presbiter Anricus de Sancto Victore ad Theatrum, presbiter Ambrosius de Sancto Iohanne ad Concham, presbiter quoque Galdo de Sancto Michaele, quos omnes scitis esse defensores Grosulani; et ex allia parte volumus, quod vicedominus Anselmus de Pusterla, Anselmus de Badaglo, presbiter Richelmus prepositus ecclesie sancti Nazarii, presbiter Girardus prepositus canonice ecclesie sancti Ambrosii, Rulucus quoque prepositus ecclesie sancti Stephani, presbiter Arialdus Amerii, presbiter Lanfranchus Propheta*[k] ..... *et nos duo, videlicet Guazo et Amizo, cum illis iurabimus: quod usque ad istas Kalendas proximi Ianuarii*[23] *concorditer dabimus iustam et rectam sententiam secundum canones de discordia Grosulani, si possit esse archiepiscopus Mediolani sive non. Et si non poterit esse, de allia persona concorditer faciemus catholicam electionem in eadem die. Volumus etiam, ut Landulphus Carogna, qui est presbiter ordinarius et Anricus de Birago, qui est levita ordinarius, presbiter Iohannes Actilens, presbiter Olricus de Sancto Martino, Iohannes etiam Manerius, Guazo Testaguadum et alii clerici et sacerdotes, milites et cives, quos nos vocabimus, venient et iurent, tenere sententiam, quam nos decem et octo dabimus sine discordia et*

a) *an* turrim? b) tūc *cod.* b*) confugit *legendum esse videtur.* P. c) 19. Iordanus de Clivi a studio revocatus, est in sacerdotio consecratus. Urbs *cod.* d) legebat *bis legitur in cod.* e) ꝑpersit *cod.* f) *an* quod ut paganus? g) 20. Eliguntur aliqui sacerdotes, qui debeant iudicare, an Grossulanus absens digne possit esse archiepiscopus. Octubri *cod.* h) Octubri vero *et* sequente *corrector in rasura unius et dimidiae lineae posuit.* i) unaa *cod.* k) *sequitur lacuna in cod.*

15) Unde omnis haec de destructione Wormatiae narratio nata sit, non videmus. 16) Laudem esse captam et destructam die 24. Maii 1111. docent Notae S. Mariae Med. et Annal. Mediol. brevissimi; quem diem confirmant etiam Annales Cremonenses: „die Mercurii“. V. supra SS. XVIII, 385. 391. 800. 17) Olrico. 18) de quo cf. supra cap. 20. p. 29. 19) Cf. Anselmi cont. Sigeberti 1118. supra SS. VI, 377: *Gothiam, quae provintia sancti Egidii dicitur.* 20) ironice dictum pro *ita inepte usus est.* 21) Arialdo. 22) Heinricus V. 23) 1. Ianuar. 1112.

scismate de Grosulano tenendo sive dimitendo, sive de allia persona, quam nos concorditer 1111. Oct.–Dec. *eligemus.* Guazone et Amizone poscentibus ita, pro posse meo restiti; et populo presente illis dixi: *Abraa nec aliquis fidelis homo veteris testamenti vel novi tale conscilium dedit, nec suscepit.* Verumtamen et hoc precedens sacramentum et hoc sequens, sicut a Guazone Cumino et Amizone de la Sala exposita et expetita sunt, sicut a prenominatis clericis et laicis, et Landulfo Carogna et Yordano de Clivi presbiteris ordinariis, alliisque presbiteris atque clericis, militibus etiam et civibus, iurata sunt, me humiliter seorsum existente. Sciendum quippe est, quod Ardericus, Laudensis episcopus, licentiam iurandi ista dedit, et Ardericus de Carimate primitus licentiam istam suscepit et iuravit et primatum ac potestatem super hoc negotium sibi vindicavit. Quia post multam pertractationem de Grosulano dimitendo vel tenendo, atque de Yordano eligendo vel non eligendo, demum dixit omnibus, in isto coniurio sibi coniuratis: *Procul dubio scitote, non dimittam Grosulanum, nisi habuero potestatem eligendi Yordanum.* Et propter hec huiusmodi Arderici verba corda illorum, qui Grosulanum et Yordani electionem spernebant, facta sunt quasi lapidea et voluntati Arderici conligata.

31. Sed[a] cum in ultimo die Decembris Ardericus ille et decem septem allii essent in (XXI.) Dec. 31. concordia eligendi Yordanum, ego iussu Andree primicerii, presbiterorum et clericorum decumanorum Mediolanensium ad eos veni et, ut ipse primicerius michi precepit, eis dixi, quod male consiliati erant. Verumtamen ipsi conscilium non mutaverunt. Set mane facto, videlicet Kalendis Ianuarii, Ardericus idem cum vicedomino et ceteris sibi coniuratis in 1112. Ian. 1. abiciendo Grosulanum, vel in suscipiendo aut in allium eligendo archiepiscopum catholice pulpitum ascendit; et facto scilentio in populo, coram illa maxima multitudine loquens dixit: *Nos salva reverentia pape, secundum auctoritatem et iustitiam canonum dicimus, quod Grosulanus non potest esse archiepiscopus Mediolani.* Isto dicto et confirmato, illico presbiterum Yordanum de Clivi elegit in archiepiscopum.

32. Hoc cum presbiter Liprandus audivit egrotus, a lecto surexit, et in altera die illi Ian. 2. electo piscem obtulit dicens: *Gratias Deo, quod nunc michi testimonium perhibetis. Set hii, qui te elegerunt in archiepiscopum, male fecerunt; et Deus illis misereatur*[b], *quia tu posses esse unus bonus presbiter de claustro. Nunc autem masculus esto.* Cum autem electus ille nec aliquis de tot circumstantibus ipsi presbitero respondisset, presbiter ipse propinquius accessit[c], et osculatus Iordanum, sicut unum de ceteris sacerdotibus relinquit. Landulphus autem Astensis episcopus et Arialdus Yanuensis et Mainardus Taurinensis[d] non solum ad osculandum venerunt; set quasi ut ordinarent eum episcopum, in sequenti mense Februario Febr. ad ipsum venerunt. Set Astensis cum vidisset, episcopum Aquensem[24] et Laudensem et ceteros sufraganeos et comprovinciales episcopos huic ordinationi et novitati abesse, innuit ordinationem Yordani differendam fore; et velut homo volens fugere, surexit in nocte, et cum suis rebus cepit abire. Set cauta manus Yordani ipsum Astensem retraxit, eiusque episcopi diaconem vulneravit, pueros quoque eorum verberavit et expoliavit. Die autem adveniente, habita cautione, dominus Yordanus eundem episcopum, quasi vinctum et absentem, verbis valde ignominiosis increpavit. Attamen Astensis idem per ammonitionem Yanuensis sueque humilitatis post talem suam ignominiam sua et suorum servientium spolia recepit, atque in altera die ordinationi, quam illi duo episcopi[25] de Yordano fecerunt, interfuit, non ut episcopus indutus; set ut viator carens sermone, ipsam ordinationem spectavit. Et dum in ecclesia, que dicitur Yemalis, ordinatio ista agebatur, cives pro hac re prelia gerebant et canonicam presbiteri Iohannis Aculei spoliabant. Tunc quam plures super hac causa et ordinatione murmurabant; in quo murmure episcopi supranominati, videlicet Azo Aquensis[26] et Ardericus Laudensis, videntur fuisse. Vigilante itaque hoc murmure, Mainardus Taurinensis[e] illico Romam adivit et stolam petiit. Et rediens inde, stolam et cartam, continentem sacramentum, quod papa poscebat a Yordano, atulit; alioquin stolam dari Yordano papa prohibuit, sicut idem Mainardus notavit. At Yordanus per 11 menses ieiunus fuit, et stolam non habuit[27].

a) 21. Iordanus de Clivi in archiepiscopum eligitur et consecratur. Sed *cod.* b) m̃eat[3] *cod.* c) accessisset *cod.* d) Tauriensis *cod.* e) Tauriẽsis *cod.*

24) Azonem. 25) Arialdus Iannensis et Mainardus Taurinensis. 26) Cf. A(zonis) episcopi Aquensis ad Heinricum V. epistolam in Udalrici Bab. cod. ap. Eccard. Corp. hist. II, 266. 27) Recepit pallium Iordanus die 6. Dec. 1112, v. infra cap. 36.

1112. Febr.–Dec. 33. Set infra hoc spatium 11 mensium, Bernardo episcopo Papiensi et Yordano Mediolanensi consentientibus, Papienses et Mediolanenses statuerunt et iuraverunt sibi federa, que nimium quibusdam videntur fuisse imperatorie maiestati et apostolice auctoritati contraria, et cum isti cives iurarent sibi servare se et sua contra quemlibet mortalem hominem natum vel nasciturum.

(XXII.) 1105. Mai. 9. 34. Putavi[a] non pretereundum scilentio, quod durante lite Grosulani, scilicet 1105. 7. Idus Maii, invente sunt reliquie pretiose in ecclesia sancte Marie ad Portam; unde ordinarii cum universo clero statuerunt festum solempne illa die in ecclesia predicta. In cuius rei testimonium tallis extat epistola: *Ordinarii cardinales sancte Mediolanensis ecclesie, necnon et primicerius cum universo sacerdotio et clero Mediolanensi omnisque populus et omnis ordo laycorum, omnibus sacerdotibus et clericis et laycis cuiuscumque ordinis, in diocesi Mediolanensis ecclesie constitutis, pacem et salutem a Domino et pleni gaudii participationem. Quoniam ratio expostulat et dignum est, ut exultante capite, cetera quoque membra exultationi congaudeant, ideo* [28] *immensae letitiae, quam nobis immeritis et insperantibus divina clementia contulit, vos exortes*[28] *esse non volumus. Notum igitur universitati vestre fieri volumus, quoniam inextimabiles thesauros et incomparabiles margaritas, sole splendidiores et omni aromate fragrantiores, divino nutu et munere nuper invenimus; videlicet partem de sudario Domini, et de syndone eius, et de lapide ubi sederunt angeli nunciantes resurrectionem domini nostri Yesu Christi, et de probato ligno salvifice crucis salvatoris nostri, et de veste sancte Marie, et de ossibus sanctorum Casti et Polimii, in ecclesia sancte Marie que dicitur ad Portam. Quapropter non solum in ea die, set etiam ab ea die et deinceps factus est ibi iugis et celebris et admirabilis concursus plebis utriusque sexus, Deum glorificantium et magnificantium, quod hoc tempore tales nobis thesauros sua benignitate revelare dignatus est; quorum patrocinia non solum nostre, set etiam universe diocesi*[b] *eius per Dei misericordiam, protectionem et salutem futuram esse speramus. Facta est etiam generalis processio ad honorem Dei et salvatoris nostri tam ingens, tam solempnis et tam admirabilis, qualem numquam retro ante tempora vel vidimus vel meminimus factam. Ad hanc igitur solempnitatem annue omnes populi devote concurrite, tam mentium securitate quam corporum obsequio nichil hesitantes, depromi*[c] *magnificentissimam remunerationem. Quanta enim virtus sanctorum est, tanta salus ocurenti populo. Titulus autem et nomen eius eximie festivitatis est sancti Salvatoris. Terminus autem huius celebrationis est 7. Idus Maii. Rogamus etiam vos et secundum statutum ecclesie nostre singulis et omnibus precipimus, ut in die huius festivitatis ad honorem Dei et salvatoris nostri ab omni opere servile vacetis et abstineatis tamquam in die resurrectionis et nativitatis domini nostri Yesu Christi. Quo etiam die ad frequentationem huius solempnitatis statutum est anuale et mercatum; et omnibus venientibus ad hanc solempnitatem, vel causa orationis vel causa mercandi, et redeuntibus stabilita est ab omni civitate firma et inviolabilis trevia octo dies ante festum, et octo dies post festum. Quodsi quis huius trevie violator extiterit, indignationem Dei non effugiet et iram totius civitatis super se et super sua bona gravissime indubitanter iucuret. Toloneum*[d]*, quod vulgo turadia*[29] *dicitur sive portenaticum in hiis prefatis diebus nulli omni modo tolletur. Ut autem magis sit autenticum et nulla umquam oblivione deleatur, quod Deo inspirante ad honorem Dei et salvatoris nostri decrevimus, per singulas plebes singulas epistolas in audientia omnium habitantium in eis has litteras legere et ponere studeant, et in martilogio*[30] *hoc festum scribant; quatenus per singulos annos et per singulas generationes istos dies nulla deleat oblivio, set perpetuo et solempniter honoretur. Hec autem epistola in scripturis ecclesie diligenter et semper servetur valde.* Inventi autem sunt predicti thesauri, scilicet reliquie: pars de sudario Domini, et de syndone eius, et de lapide suprascripto, et de ligno suprascripto, et de suprascriptis, anno Domini 1105, 7. Idus Maii in civitate Mediolanensi in porta Vercellina, in ecclesia sancte Marie, que dicitur ad Portam. Fuerunt autem predicti sancti confesores Castus et Pollimius diacones sancti Ambrosii; quorum corpora iacent in ecclesia sancti Victoris ad Celum aureum, que nunc dicitur ecclesia sancti Satiri, sita iuxta ecclesiam sancti Ambrosii requiescunt[e]. In pre-
1106–1136. dicto autem festo ab ecclesia estiva usque ad predictam ecclesiam sancte Marie ad Portam ordinarii ebdomadarii cum aliis ebdomadariis Mediolanensis ecclesie processionaliter vadunt semper, precedentibus vicinis et parochianis ipsius ecclesie sancte Marie cum viridibus

a) 22. De festo Agios, quod fit ad Sanctam Mariam ad portam Vercelinam die 9. Maii. Putavi *cod*
b) diocesi *cod.* c) depromi *scripsi pro* deprimi *cod.* d) Coloneū *cod.* e) *sic cod.*

28) i. e. exsortes. 29) quod vectigalis genus *curadia* dici solebat. 30) martyrologio.

frondibus et ramis arborum, candelis accensis aligatis eisdem, et cantantibus: *Agios, agios.* 1106 Propter quod dicitur festum de agios: quod est nomen Dei. Qui dicti ordinarii postea 1136. celebrant missam in ecclesia sancte Marie ad Portam. Deo gratias. Amen. Amen.

35. Nunc[a] ad propositum redeo. Presbiter Liprandus, in summa sua senectute positus, (XXIII.) 1112. michi ait: *Video te aliquantulum super me erubescere propter ea, que adversus Grosulanum dixi et feci. Set ut minus inde erubescas, vere dico tibi, quod ego illam causam reservo solli Deo omnipotenti, et dum michi superest spiritus, multum desidero huius mondi vitam meam finire in manibus eorum, quorum protectione corpus et anima mea, prestante divina gratia, protegatur a manibus eorum, qui protegendo Grosulanum, veritatem Dei occultare voluerunt et volunt. De ecclesia autem ista Mediolanensi, in qua consulis michi manere et vitam finire, dico, quod illla est michi, cupienti Yerosolimam adire, ceu[b] navis sine nauta et remige in portu putrescens. Quod si vixeris secundum etatem tuam, eam tallem esse experieris. Interim et ego consulo tibi, ut participationem mense Yordani eiusque beneficia, que potes tenere propter electionem et investituram diaconatus capelle eius, quam ab eo suscepisti me nesciente, quam citius vales, et tamen honeste dimitas; nec umquam per illum proficere speres. Vicedomino vero, dum gratus et benivolus tibi fuerit, ei tuum obsequium impendere non prohibebis*[c]. Per hec quoque verba, que hic meus magister michi dixit, ipse Yordanus eiusque fabrica michi suspectus, et in parte suspecta, atque grata, quemadmodum in vicedomino, fuit. Huius[d] (XXIV.) mei magistri conscilium sequens, cum velem prorsus dimitere Yordani administrationem, delatus est ipse presbiter ad Pontidii[31] monasterium, me nesciente. In quo monasterio 31 coram monachis et fratribus in festo sancti Nicholai usque ad festum epiphanie Domini Dec. 6. 1113. splendide vixit. Atque in eiusdem festivitatis nocte, quando spiritum emisit, magnus et suavis Ian. 6. splendor domum, in qua iacebat, admirantibus circumstantibus, illustravit et illuminavit. Et sicut[e] ille predixerat fratribus, in hora illa, quando corpus eius ferebatur ad sepulchrum, solis splendor aerem illuminavit et nubes cum nive cessavit. Ipso quoque presbitero existente in vita, cum Yordanus et ceteri Grosulanistae calumpniabantur eum et suam legem, 1103. nobilis[f] miles Placentinus de faucibus mortis ad laudem eius ereptus est; quia cum miles 1112. ille esset quasi in sompno, sensit hunc presbiterum palpare gutur suum, et statim evomit os piscis, quod suffocabat eum. Eodem etiam tempore, cum domus cuiusdam sui affinis et sibi atrahentis arderet, repente ymber fuit, et paleam et domum ipsius presbiteri integre servavit. Quod si curerem per singula, que Deus fecit ad laudem eius, deficeret quidem spiritus meus. Set Deus, qui per omnia secula vivit, et regnat nunc et semper, anime eius benedicat; Amen. Et michi gratiam recte scribendi tribuat. Quia sincere adhuc cupio scribere ea, que in ecclesia et in regno per pontifices et abates et sacerdotes et levitas, per consules et cives, et allios ecclesie et regni ministros seminata et operata sunt, non tantum ad augmentum, set etiam ad detrimentum religionis et directe consuetudinis.

36. Igitur[g] presbitero Liprando posito in Pontidii monasterio, fama de Grosulano (XXV.) 1112. redeunte a Yerosolimis aures Yordani et ordinariorum eius implevit. Et Mainardus Taurinensis[h] episcopus iterum Mediolanum venit, atque stollam, quam in precedenti anno[32] sine sacramento Yordano dare noluit neque dedit, nunc, videlicet in festo sancti Nicholai, Dec. 6. quando presbiter Liprandus Pontidium intravit, super altare sancti Ambrosii posuit. Et Yordanus, osculatus eam, de ipso altari asumpsit. Que positio et asumptio, absentibus ordinariis et primiceriis, facta fuit.

37. Deinde securius idem archiepiscopus, quos voluit, lesit. Me quippe eo tempore 1113. iniuste turbavit. Quod cum presbiter Andreas primicerius intelexisset, solempniter me suscepit in communi beneficio presbiterorum et clericorum Mediolanensium. Yordanus quoque tum[i] Widoni Falcimario, creditori meo, pro me dedit peccuniam; nec tamen indulsi ei, quam in me fecit, offensam, set equo animo sustinui illam. Quia tum[i] enses et lancee acuebantur, ut, adveniente Grosulano, ipse ab archiepiscopali sede eiceretur, nimirum si me humilem acolitum neglexit, et presbiterum Ariprandum Paliarium, virum

a) 23. Liprandus ammonet Landulfum hystoricum, ut a communicatione Iordani abstineat. Nunc *cod.* b) seu *cod.* c) *an* prohiberis? d) 24. Presbiter Liprandus in Pontidii monasterio obiit. Huius *cod.* e) sic *cod.* f) nobiles *cod.* g) 25. Iordanus stollam papalem accipiens, clericos exturbat et hystoricum ab ecclesia sancti Pauli removet. Igitur *cod.* h) Tauriensis *cod.* i) tum *scripsi pro* cum *cod.*

31) Pontida, a Pergamo ad occidentem. 32) immo eodem anno 1112, v. supra cap. 32 p. 33.

1113. sibi convenientem et in bello potentem, assumpsit. Et prout quibusdam placet, non debet esse absurdum, quod Gulielmus, venerabilis abbas, hoc in tempore, subridens et condolens de hiis casibus clericorum pontificum militum et civium, deseruit sancti Ambrosii monasterium, et rexit et regit abbatiam monasterii sancti Solutoris, constructam in episcopatu Taurinensium. Quod si et ego non concupivi per illius Yordani manus ad subdiaconatus gradum promoveri, convicini mei cur per eius auctoritatem presumpserunt me exturbare ab ecclesia sancti Pauli, que est titulus ordinationis mee? Et Andreas Sugaliola, qui, si 33 presbiter est, plebeianus est, quo iure potest ipsam meam ecclesiam possidere?[33] Insuper manus eius cur ossa parentum meorum de proprio nostro, non suo, sepulchro proiecit et suum mortuum in ipsum posuit? Preterea Sugaliola ille Andreas domos, campos, prata, vineas, silvas et allia multa, que mei proprii iuris sunt, quare usurpat, vendit et alienat? Hec quidem si ille eiusque manus eiusque auctores religiose et rationabiliter fecissent, defensoresque meos si iuste cecassent et decidissent, meos quidem oculos eruerem et sepulturam intrarem. Set ne moriar, sicut illi mei adversarii moriuntur et mortui sunt, 1136. valde multum descideravi et descidero, ut hii qui adhuc[34] vivere videntur, a solle iustitie illuminarentur; ut depulsa scismaticorum et superstitiosorum superbia, spernant suorum auctorum mendatia, atque diligant et teneant quam optimi regis[35] eiusque pontificis[36] patrocinia.

(XXVI.) 1113. Aug. 38. In[a] Augusto[b], qui fuit octavus mensis ab illo, in quo presbiter Liprandus obit, in isto enim mense et Grosulanus a Yerosolimis rediit, et primitus[c] post legem factam de eo ignitam intravit Mediolanum. Ibique tunc ad locum, ubi sanctus Victor carceratus fuit, suos labores suosque thesauros sacerdotibus et viris, quos sibi putabat fideles, explicavit; et explicando induxit[37] benignitatem, qua pavit et induit Yordanum, quem fecerat subdiaconum. Videbatur etiam instare adversus Yordanum, eo quod dicebat, eum sibi iurasse et deierasse. Quod fortis et valida turba Yordani non sustinuit; set asumptis armis, maximum insultum in Grosulanum fecit. Ipsius autem Grosulani caterva undique concurens, ferendo et inferendo vulnerationes, orbitationes[38] et occisiones multas in equis et in hominibus, fortiter et prudenter ipsum Grosulanum per quindecim dies in turribus de porta Romana 1113|1115. servavit. Interea Anselmus de Pusterla ad ecclesiam sancti Iohanis, que dicitur ad Concham, audita strage, venit; et in contione, que ibi tenebatur ex parte Grosulani, loquutus, plura consuluit, ut pernitiosa illa pestis cessaret, et certum locum certumque tempus statuerent, et per legiptimam et generalem sinodum cognoscerent, cuius causa iusta foret. Hoc autem conscilium quia Yordano eiusque fautoribus displicuit, peccunia utriusque pontificis ad milites et pedites bellatores, ad clericos quoque et mulieres bella instigantes, pervenit. Et Yordanus aperto ore coram sua gente de Grosulano ceu de Simone Mago cantavit; et Grosulanus apud suam plebem ydolo et vitulo conflatili atque homini perfido et periuro Yordanum comparavit. Ac sic stragem quam plurimam uterque pontifex commiscuit; in qua Rogerius de Sorexina, miles capitaneus, et Ariprandus de Lampugniano, vexilifer de vavassoribus, et Ariprandus de Meda, civis prudentissimus, cum quam pluribus eiusdem nobilitatis hominibus occisi sunt.

(XXVII.) 39. Set[d] cum Grosulani mantica foret exausta et Yordani adhuc honerata, conventio facta est per peccuniam, Grosulano promissam; quam ipse Grosulanus, prout dicitur, cum suis et Yordanistis[e] participavit. Et facta participatione, Grosulanus Mediolanum exivit atque Placentiam adivit; ibique in monasterio sancti Marchi, quod est de congregatione Vallis Umbrose, hospitatus, invenit Ardericum Laudensem, quem fecerat sibi vicarium, in victu et in vestitu eiusdem congregationis monachum. Alter vero Ardericus de Carimate, qui licentiam iurandi ab isto, cum esset vicarius, suscepit, et occasione illius iuramenti sententiam in Grosulanum dedit et Yordanum in archiepiscopum elegit, Grosulani adventum non expectavit, set circuens transmarina loca, inventus et iugulatus est a Turchis. Sciendum quoque est, quod Grosulano et Yordano existente auctore Mediolanensium per

a) 26. Inter Grossulanistas et Iordanistas pugna committitur, ipsis presulibus ad suos sermocinantibus. In *cod.* b) In Augusto *corr. in rasura unius lineae.* c) primitus *scripsi pro* prius *cod.* d) 27. Data pecunia Grossulano et Anselmo de Pusterla, Grossulanus Placentiam adiit. Set *cod.* e) Yordanisti *cod.*

33) Cf. infra c. 40. 34) i. e. anno 1136, quo quidem anno historiam hanc tractavit scriptor. 35) Lotharii imperatoris. 36) Innocentii II. papae. 37) commemoravit. 38) orbationes.

gratiam domini Pascalis pape secundi, clerus et populus Mediolanensis, natura nobilis et 1113
religiosus, in utraque parte non sine causa dicitur levis et vanus et ad cuiuslibet novitatis 1115.
presumptionem promptus. Cuius enim religionis et nobilitatis fuit ille spiritus, qui monuit
Yordanum suumque clerum et populum, ut exprobaret et excommunicaret Anselmum de
Pusterla, diaconem ordinarium, quia dedit conscilium, ut Grosulani et Yordani causa
discerneretur per legiptimam et generalem synodum? Iterum, qua ratione divulgavit,
eundem dici eroneum, quia cum clero et populo Grosulani egit scrutinium[39] et baptismum? 39
Et contra Yordanum, apostolica auctoritate donatum archiepiscopum, quis potuit dicere,
esse simulacrum et hominem perfidum atque periurum? Nimirum, si quero. Quia dum
Grosulanus in predicto sancti Marchi monasterio esset, et Anselmus Mediolani instaret et
obligationem conveniendi ad generalem sinodum quereret, et Yordanus hoc fieri prohiberet[a], dicitur et creditur, quod peccunia iurata et data fuit Grosulano atque Anselmo,
ne persona Yordani calumpniaretur ab illis in aliqua synodo.

40. Igitur[b] hac cautione facta per presbiterum Nazarium Muriculam et Lafranchum (XXVIII.)
Ferarium, prout dicitur, contingit, quod presbiter Andreas bone memorie primicerius obit.
Cui succesit predictus presbiter Nazarius. De quo Nazario superest michi adhuc quedam
scribere, veluti de homine, qui quasi coetaneus et condiscipulus extitit[c] mecum in una
vicinitate et sub disciplina huius presbiteri Andree, qui dictus fuit Dalvultum secundum
suam cognationem. Iste itaque Nazarius, cum esset infra ordines clericus et iuvenis ingenio acutissimus, non sine causa michi infantulo adiecit nomen, scilicet *clocam*[40] *sancti
Pauli*. Insuper ipse, dum singulariter habitaret solarium suum, me et Rusticum Gemmarum, sive Caccum atque Nazarium Flotam super ipsum solarium induxit, atque de nuptiis
fratris sui suave et dulce obsonium nobis prebuit; ubi per precedentia et sequentia, que
de libro cordis eius legi, illius animum previdi non magis appetere sancte Mediolanensis
ecclesie decorem, quam eiusdem ecclesie utilem et honestam nobilitatem. In isto namque tempore nostre coevitatis et discipulatus Urbanus papa synodum Placentie celebravit; 1095. Mart.
atque de Frantia Mediolanum redivit. In qua civitate cum ipse papa staret in pulpito sancte 1096.
Tegle, immense multitudini hominum utriusque sexus predicavit; et predicando de sua Sept. Oct.
magna sapientia protulit, quod minimus clericulus de ecclesia Dei est maior quolibet rege
mortali. Adidit etiam, quod clerici et sacerdotes per peccuniam in ecclesias non sunt introducendi, set per electionem hominum, qui sunt ecclesiarum vicini. De quibus apostolicis dictis clericus[d] iste Nazarius, in ingenio acutissimus et Muricula cognominatus, pennas
asumpsit, atque de solario suo ad ecclesiam sancti Babile sanctique Romani, que antiquitus
dicitur Conscilia Sanctorum, sine regali et sacerdotali auctoritate volavit. Et habito favore
vulgi illius vicinitatis, ibi habitavit et novum habitaculum hedificavit, expulsis inde sacerdotibus et clericis, consuetis servire ipsis ecclesiis. Ad huiusmodi exemplum Albinus, homo
de Magenta, et Iohannes Aculeus de Vicomerchato, et Mayfredus de Limidi, homines illiterati[e]
et intonsi, ac plures urbani et plebeiani non habentes sufficientiam, sequentes partium vulgi
clamores et laudes, intraverunt ecclesias; beneficia quarum susceperunt et inordinati possederunt, donec Arnulfus de porta Horientali, tunc temporis senex Mediolanensis archiepiscopus, 1097.
in Clavatensi monasterio fuit sepultus[41]. De cetero predictus Nazarius cum sue connexionis Sept. 24.
turba fere quodcumque voluit, fecit in Mediolanensi ecclesia et in Saona civitate. In Mediolanensi namque sublimavit Anselmum de Buis[42], hominem simplicem, in archiepiscopum; qui sublimatus Albinum, Iohannem Aculeum et ceteros de turba connexionis Nazarii
sua auctoritate in ecclesiis confirmavit, ipsumque Nazarium et Grosulanum ad omnes
ecclesiasticos ordines promovit et sacerdotes fecit. Nazarius vero ipse, presbiter factus,
una[f] cum presbitero Iohane Aculeo, sicut supra[43] legitur, in Saona elegit Grosulanum in 1098.
episcopum, et Anselmi, sui ordinatoris, vicarium et sucessorem. Preterea legem, quam 1102.
presbiter Liprandus fecit adversus Grosulanum, iste presbiter Nazarius contempsit; domum 1103.
quoque huius presbiteri Liprandi expoliari cognovit. Propter quam expoliationem Petrus Mart. 25.
Pazananus, homo de doctrina huius presbiteri Nazarii, occisus fuit. Grosulanum vero

a) prohibet *cod.* b) 28. De moribus et imbratis presbiteri Nazarii Muricule. Igitur *cod.* c) estitit *cod.*
d) *sic scripsi pro* clerus *cod.* e) illiterati *scripsi pro* literati *cod.* f) unaa *cod.*

39) examen catechumenorum. 40) campanam. 41) Cf. supra cap. 2 p. 21 not. 40. 42) Cf. supra
p. 21 not. 42. 43) supra cap. 5 p. 22.

1105. restitui in Romana sinodo[44] ydem presbiter Nazarius cum gaudio vidit, et ipsum restitutum
suscepit, eique sicut catholico suo archiepiscopo per undecim annos obedire cognitus fuit.
Tandem ipsum Grosulanum, apud Yerosolimam peregrinantem, deposuit, et Yordanum
1112. Iul. 1. de sue connexionis turba in archiepiscopum elegit[45]. Unde contigit, quod ipse presbiter
Nazarius, exprobratus a suis vicinis, suam ecclesiam dimisit, et per auctoritatem pravorum
hominum et Yordani, quos iuste tunc causabam et causo, res et ecclesiam meam usur-
1113. pavit[46]; et usurpando invenit cilitium, quod magister et avunculus meus inlesum per ignem
transportavit[a], a trabe ecclesie sancti Pauli deponeretur et ignominiose consumeretur.
(XXIX.) 1113 | 1115. Taceo[b] multa, que ipse presbiter Nazarius egit ad mei dampnum meamque iniuriam et
ignominiam; dicoque, quod post acceptam dignitatem primiceriatus a Yordano, huius
primicerii prudentia tantum valuit, quod furor armorum inter[c] Grosulanistas et Yorda-
nistas cessavit. Ad ecclesiam sancte Tegle, in qua fuit conversatio et finis precedentis
Andree primicerii, ivit et in ea habitavit meamque[d] dimisit. Verumtamen tunc, cum
meam dimisit, alterum, id est Andream Sugaliolam, ipse una[e] cum Yordano eidem mee
ecclesie intrusit.

41. Ego itaque merens de hac intrusione et omnis ecclesiastici benefitii et offitii in
1116. Mart. 6—11. me facta expoliatione, ivi ad synodum, quam papa Pascalis pro causa Grosulani et Yordani
Rome celebravit[47]. In qua supradictus Anselmus de Pusterla secundum suam dignitatem
honestum locum habuit et sedit; set neque pro Grosulano neque adversus Yordanum verbum
bonum aut malum in synodo protulit. Yordanus vero a principio synodi usque in finem,
sedens et scilens a destera apostolici nullo mediante, in ipsa synodo fuit. At Grosulanus ibi
stando et sedendo inter archiepiscopos et episcopos, ceu vir prudens, intendebat ad destruen-
dam Yordani impositionem et conversionem[48] eorum, qui ipsam fecerant impositionem;
et intendendo ad ista, egregie loquebatur de positione et restitutione sua, qua positus et
restitutus fuit in Mediolanensi ecclesia. Cui viro homo qui in ista sinodo sive in Lateranensi
palatio contradixerit, certum locum non habuit. Set dominus papa Pascalis, quasi affec-
tans redere illum placabilem Deo et sibi, eius scientiam eiusque facundiam comendabat;
atque labores, quos ipse papa per se suosque legatos Rome et per Longobardorum provin-
ciam pro ipso Grosulano sustinuerat, coram synodo referebat. Et ad leniendam duritiam
et asperitatem eorum, qui nec positionem nec restitutionem Grosulani susceperant vel
suscipiebant, non solum de presbitero Liprando eiusque lege mentionem faciebat, set rui-
nam gambute introducebat, que ruina tunc aparuit, quando ipse Grosulanus iuravit et ad
recipiendam restitutionem ascendit[49]. Insuper inferebat, quod Grosulani translatio de epi-
scopatu Saonensi ad archiepiscopatum Mediolanensem utilitatem non contulerat. Quos casus
Grosulanus a clipeo ecclesiastice consuetudinis et legis a se quodammodo repellebat.
Verumtamen dominus papa nec synodus neque in prima, neque in secunda, neque in tertia
sive in quarta die synodi Grosulano, per singulos dies pro se suaque causa in palatio et
Mart. 11. synodo agenti, non satisfecit. Set ipse Grosulanus in quinta die, qui fuit ultimus illius synodi,
apostolico, instanti suis cum predictis obiectionibus, flendo inquit: *Domine, domine, veniam
ad vos, quamvis[f] hii quibus dedisti potestatem iudicandi caussam meam, me non diligant.* Tunc
Portuensis Petrus episcopus se et ceteros, habentes hanc potestatem, de malivolentia
habita in Grosulanum honeste et sufficienter excusavit; et cum excusasset, in comuni con-
cordia illius excusantis et ceterorum, habentium potestatem istam, prolata fuit sententia,
que prohibuit, Grosulanum Mediolanensem ecclesiam inquietare, et ad episcopatum[50] dixit
ei redire. Ipse autem non ad Saonam ivit, set in ipsa Urbe apud monasterium, quod
dicitur Sanctus Sabaoth[51], per annum unum et menses quatuor ut episcopus vixit, atque
1117. Aug. 6. ibi sepultus est 8. Idus Augusti.

(XXX.) 1116. 42. Iordanus[g] vero, audita et publicata illa sententia de redeundo Grosulano ad epi-

a) *desse videtur* iussitque ut. SAXIUS. b) 29. Paschalis papa Iordanum confirmat, Grossulanum deponit, qui post annm in Roma moritur. Taceo *cod., ubi in rasura* Taceo *scriptum est.* c) in *cod.* d) eamque *cod.* e) unaa *cod.* f) quamvix *cod.* g) 30. Iordanus pape gratias agens, episcopum Brisiensem consecrat, promittens hystorico iustitiam facere. Iordanus *cod.*

44) V. supra c. 20 p. 28. 45) V. supra c. 30 et 31 p. 32. 46) Cf. supra c. 36 p. 35. 47) De hoc consilio diebus 6—11. Martii 1116. celebrato v. Ekkehardi chron. 1116. supra SS. VI, 250—252, et Regesta pont. Rom. p. 512. 513. 48) i. e. defectionem. 49) anno 1105; cf. supra cap. 20. p. 28. 50) Savonensem. 51) sancti Sabae.

scopatum, coram ipsa sinodo theatrum ascendit; et ibi ad pedes apostolici stratus, grates sibi redidit, et elevatus ab ipso apostolico, gratiam et virgam pontificalem in ipso theatro suscepit. [1116. Mart. 11.] Altera vero die ipse Yordanus archiepiscopus, monitus a Landulpho Astensi episcopo et quibusdam alliis episcopis, in quadam ecclesia Lateranensi, vivo et deposito quondam episcopo Armano Brisiensi, ordinavit Brisiensem ellectum in episcopum nomine Villanum. [Mart. 12.] In qua ordinatione secundum ordinis mei officium legi lectionem de libro exodi, atque mitram, de capite illius Villani casu ruentem, in ipsius capite firmavi. Quia archiepiscopus iste Yordanus in diebus, quibus Grosulanus causam suam notificabat, et ego in voce humilitatis et mansuetudinis geminata dominatione[a] quesivi audientiam in synodo, [Mart. 6–11.] promisit, michi satisfacere Mediolani de omnibus, que volebam adversus ipsum Yordanum conqueri in ipsa Romana synodo. Cuius promissioni tunc malui credere, quam synodaliter decertare; quia si ea decertatio directe tractaretur, aut Grosulanum et superimpositum dampnaret, aut divinam et humanam legem cum ipso papa, — salva reverentia sedis copiose iudicio hoc dico — sepeliret. Verumtamen pontifex ipse Yordanus post victoriam et ordinationem istam, quam Romae suscepit[b], nullam michi fieri inde[c] iustitiam dilexit nec fecit, set mestitiam in me augmentavit.

43. Henricum[d] imperatorem, in quo quodammodo sperabam, ipse Yordanus, si fas[e] est dicere, una[f] cum clero et populo suo, Iohanne Cremense cardinali Romano precipiente, in pulpito sancte Tegle Mediolonensis excommunicavit. [(XXXI.) 1116.] Magnus quoque terre motus[52], qui, vigilante ista excommunicatione, regnum Longobardorum penitus commovit et quassavit, [1117. Ian. 3.] me nimirum vigilem fecit. In eo quippe tempore gentes, que viderant magnas ruinas per civitates et quelibet loca, presertim per ecclesias, proferebant, gutas sanguinis ad modum pluvie de cello descendisse, monstruosos[g] partus et allia multa prodigia in aere, in aquis, montibus, planitiis silvisque vidisse, et subterranea tonitrua audisse. Et in hac divina visitatione etiam hii, qui videbantur esse sacerdotes, ignorabant, quo fugerent.

44. Longobardorum autem civitates et earum pontifices, audita legatione Yordani archiepiscopi et consulum eiusdem urbis, in statuta die convenerunt Mediolanum, in prato scilicet quod dicitur Brolium. [1117. Ian. Febr] Ubi archiepiscopus et consules duo theatra constituerunt; in uno archiepiscopus cum episcopis et abatibus et ecclesiarum prelatis stetit et sedit, in altero consules cum viris legum et morum peritis. Atque in circuitu eorum affuit innumera multitudo clericorum et laycorum, mulierum quoque et virginum expectantium sepelitionem vitiorum et suscitationem virtutum. Verumtamen presbiter Olricus de Sancto Martino, qui pro domino suo Grosulano, adhuc in Roma vivente, crucem ferebat, nec ego, qui pro me meoque magistro, scilicet presbitero Liprando iam Pontidii sepulto, iustitiam querebam et crucem portabam, in eloquio illo sive tempore audientiam habuimus, Yordano prohibente atque in me furente. In isto namque tempore terre motus Yordanus, eiusque vicedominus Olricus una[h] cum quadam turba pravorum hominum descendit ad arenchium[53], ubi plures homines me absente invenit. Atque cum ego essem penitus huius concionis sive arenchii ignarus, Rolandus ablaticus[54] Lanfredi coram Yordano totaque illa gente mentitus ait, me fore periurum Yordani. Quem Yordanus, mendatii huius certissimus, non corexit, set conticuit. Vicedominus vero tenere me excusavit, licet, illum Rolandum esse mentitum, aprobatissime novit. At ego longe magis solicitus, altera die veni in locum, qui dicitur Brorium archiepiscopi; ibique cum tenerem crucem et pignus in manibus meis et pro iustitia michi conservanda quererem[i] audientiam ab ipso Yordano et cuncto populo, ibi timore ruine maceriarum congregato, ut missam et predicationem audiret, idem Yordanus in me abusive clamavit: *Landulphe, homo diaboli, tace.* Set et cum vidisset, populum et gentem fere totam intendere ad vocem meam, prosiluit de cathedra cum furore, dicens: *Si illum audieritis, me non audietis.* Tunc furentis turba populi, oblita sui iurati iuris, vociferavit michi: *Tolle te hinc, tolle.* Ab eis itaque recessi. Set hii, qui ibi et alibi pacem et

a) devotione *legendum censuit Saxius.* b) Yordanus quam Rome suscepit post victoriam et ordinationem istam *cod.* c) in *cod.* d) 31. Iordanus Henricum imperatorem excommunicat, Mediolani consilium provintiale celebrat, a quo hystoricum conquerentem expulit. Henricum *cod.* e) fax *cod.* f) unaa *cod.* g) monstruosus *cod.* h) unaa *cod.* i) querorem *cod.*

52) De terrae tremore die 3. Ianuarii a. 1117 facto plerique significant annales; eumque sentitum esse per dies 30, tradunt annales Ferrarienses supra SS. XVIII, 663; per dies 40, Rogerius de Hoveden ap. Savile Rer. Angl. SS. p. 271'. 53) i. e. concionem. 54) nepos.

remissionem pecatorum tam in isto pontifice, quam a sufraganeis eius et consulibus eius susceperunt, non diu misericordes aut pacifici habiti sunt.

(XXXII.) 45. Pascalis[a] papa, ad quem religio et remisio peccatorum tunc spectabat, post hoc coloquium et tempus terre motus non ultra decem menses et dimidium vixit. In tempore 1118. Ian. 21. cuius mortis imperator, audita legatione Romanorum, a Taurinensium partibus[55] Romam Mart 2. adire[56] festinavit. Ex qua urbe simul cum Romanis 4. Nonas Martii misit Gagetas[57] legatos, Mart. 4. legando Iohanni Gagetano, ellecto in papam[58], cardinalibus quoque et episcopis, qui cum ipso erant Gayetis, uti Romam redirent, et in ecclesia beati Petri hoc, quod faciendum erat Mart 8. de papa substituendo, una[b] cum ipsis iuste et catholice facerent. Set 7.[58*] Idus eiusdem Martii in ecclesia beati Petri, presente imperatore Henrico, et populo Romano cleroque astante in aliquo, illud responsum, quod legati imperatoris[c] Romanorum vel[d] cum eligentibus a prenominato ellecto[d] audierunt et susceperunt, quodam modo relatum est, videlicet: quod in proximo Septembri[59] ipse cum cardinalibus et episcopis provinciarum Mediolani vel Cremone esset, et tunc Romani et[e] imperator, quid agendum sit de se in papam ellectum, vel allium substituendum, per doctrinam cardinalium et episcoporum sufficienter cognoscerent. Romani vero non intelligentes, hanc responsionem fore suffitientem et legibus et canonibus atque suis petitionibus convenientem, comoti clamaverunt: *Numquid honorem Rome volunt illi transferre Cremone? Absit. Set ut ubique valeamus astutias eorum opprimere, qui a nobis exierunt et Caietas fugierunt, secundum auctoritatem legum et canonum eligamus nobis papam prudentem et bonum.* Iuxta istam vel consimilem formam verborum Romanorum magister Guarnerius[60] de Bononia et plures legis periti populum Romanum ad eligendum papam convenit; et quidam expeditus lector in pulpito[61] Sancti Petri per prolixam lectionem decreta pontificum de substituendo papa explicavit. Quibus perlectis et explicatis, tantus populus elegit in papam quendam episcopum[62] Yspanie, qui ibi aderat cum imperatore. Quem ellectum imperator duxit in pulpitum, ubi ipse ellectus interrogantibus de nomine suo dixit: *Meum nomen est Burdinus; set quando papa Urbanus ordinavit me episcopum, nominavit me Mauritium.* Tunc quidam de indutis habitu ecclesiastico de pulpito ad populum tertio clamavit: *Vultis dominum Mauritium in papam?* Qui tertio respondentes et clamantes dixerunt: *Volumus.* Tunc ipse cum ceteris astantibus clericis, aperto libro super hunc ellectum et manto coopertum, sublimi voce clamavit dicens: *Et nos laudamus et confirmamus dominum Gregorium.* Facta igitur ellectione ista ad hunc modum, imperator hunc papam suum Gregorium promovit, et per castrum Sancti Angeli in palatium Laterani perduxit. In quo iste pontifex, si fas[f] est dicere, cathedram sedit et prandium sumpsit et pernoctavit. Mart 9. Altera vero die, nullo mediante, idem papa eundem imperatorem ad ipsum palatium suscepit, et cum ipso ad ecclesiam sancti Petri rediit; ante cuius et super cuius altare de clero[g] coram imperatore et pluribus Romanis in eadem die ad ordines promovit et missam cantavit. Ibique per quot dies et menses habitavit et fidelitatem suscepit, atque splendide de lege Dei et ecclesiasticis consuetudinibus predicavit absque ullo rancore[h], pacem regno et sibi et suum papam Gaietano Iohani in papam[i] ellecto exclamavit, donec imperator iterum ad Germaniam rediens, ipsum Gregorium suum papam in Sutrina civitate quasi securum fecit.

(XXXIII.) Mart. 9. 46. In[k] temporibus autem istis, in quibus hic Gregorius de clero quendam ante altare Mart 10. sancti Petri ad ordines promovit, Gayetanus in papam[l] ellectus, et presbiter et papa apud Gayetam solempniter est consecratus, et Gelasius papa secundus advocatus. Qui etiam per Iul.–Sept. plures dies et menses cathedram apostolicam in Laterano[m] sedit, ipsumque palatium cum

a) 32. Mortuo Paschali imperator Burdinum in antipapam eligi fecit, quem Gregorium nominavit. Pascalis *cod.* b) unaa *cod.* c) et *excidisse videtur; cfr. supra.* d) *pro* vel — electo *legendum videtur:* a praenominato electo vel eum eligentibus. e) et *deest cod.* f) fax *cod.* g) quendam *excidisse videtur, cf. cap.* 46 *infra.* h) *hic quaedam excidisse, apertissimum est.* i) papa *cod.* k) 33. Gelasius papa Gaiete consecratus, Ianuam et Pisas fugit, tandem in Frantiam, ubi moritur. In *cod.* l) papa *cod.* m) in Laterani *cod.*

55) Heinricum V. in „Paduanis regionibus“ de mortuo Paschali certiorem factum esse vult Ekkehardus in chron. 1118, SS. VI, 253. 56) Pervenit Romam die 2. Martii, teste Falcone Beneventano ap. Muratorium SS. V, 91. 57) Caietam. 58) Gelasium II. 58*) immo 8. Idus Martias, v. Regesta pont. Roman. p. 548. 59) immo die 18. Octbr., v. Regesta pont. Roman. n. 4884. 60) s. Irnerius, de quo cf. Savigny Gesch. des Röm. Rechts im Mittelalter IV, 9 sqq. 61) ambone. 62) archiepiscopum Bracarensem.

cardinalibus et episcopis habitavit. Deinde ipse cum navigio Pisas, Yanuam pluresque civi- 1118. Sept. Oct. tates et loca super mare posita quesivit. Eadem navi eius affixa Sancto Egidio, regnum Nov. Frantie intravit; et cum benigne foret receptus a principibus illius regni, de mondo migra- 1119. vit Cluniaci. Cui Viennensis ille episcopus successit, de regia stirpe genitus, et sinodum Ian. 29. Febr. 2. quam ipse papa Gelasius convocaverat, iste archiepiscopus Remis celebravit. Set prius Oct. cum imperatore coloquium habere disposuit. De concilio autem isto sive coloquio plura scribere, digitum mee sexagenarie etatis non constringo.

47. Set[a] ad prenotandam[b] inquietudinem Langobardorum meamque molestiam redeo. (XXXIV.) Quoniam quidem, ubi imperator a Roma exivit, et se a predicto papa Gregorio sive Burdino 1118. prolongavit, mox manus Guidonis, Cumani episcopi, eiusque militum et civium violenter aprehendit Landulphum Carcanensem, Mediolanensis ecclesie clericum ordinarium et ministrum[63]; atque in ipsa aprehensione interfecit Ottonem, eiusdem Landulphi nepotem et urbis Mediolani egregium capitaneum. Hinc Yordanus pontifex Mediolanensium contionem militum et civium, clamantium in Cumanos, intravit; ibique conumerando et lamentando quam plura malla, que Cumani fecerant in rebus et hominibus archiepiscopatus Mediolani, ipsam turbam contionis ad fatiendam vindictam inflamavit. Eodem quoque tempore idem pontifex Iordanus, obseratis ianuis ecclesiarum, suo populo negavit introitum, nisi materiali gladio vindicaret malitiam Cumanorum. Demum ad sonitum vocis et iussu huius pontificis Mediolanensis populus cepit facere gueram Cumanis. Atque in primo exitu[c], quo Mediolanenses castramentati sunt in Caneto[64], civitatem ipsam Cumanam occupaverunt, ipsumque Landulphum, qui investituram Cumani episcopatus a rege[65] et ordinationem a patriarcha Aquiliensi[66], suo metropolitano, susceperat, de captione liberaverunt. Set Cumani, illico restituti, Mediolanenses expulerunt, et quos invenerunt iacentes in fuga, sive in spoliis honeratos, in morte et in ore gladii dimiserunt. Guilicionem vero, Bucardum et Lanterium Sicheri, quendam quoque meum nepotem, et plures de egregiis militibus et civibus Mediolani, resistentibus ipsis fugantibus, occiderunt.

48. Marchiones vero et comites Longobardie in hac tempestate convenerunt Mediolani, 1118 ut ibi coram episcopis suffraganeis et cumprovincialibus explicarent imperatoris innocentiam, 1119. et ipsum imperatorem producerent in archiepiscopi et episcoporum benivolentiam. Episcopi itaque, consedentes in palatio Mediolanensi, una[d] cum archiepiscopo atente audierunt marchiones et comites, fideliter loquentes de domino suo; propter quorum verba quam plures arbitrati sunt imperatorem esse alienum ab excommunicationis culpa. Set dum archiepiscopus et episcopi contentiose adversus marchiones et comites, duces et reges disputarent, milites et cives Mediolani in atrio ecclesie iurabant facere gueram Cumanis, donec Vicum et Coloniolam[67] destruerent, civitatem quoque ipsam dissiparent. Huic autem iuramento manus Widonis, episcopi Cumanorum, resistit; set Arduinus, eiusdem episcopatus advocator, consensit, et ut ipsum iuramentum compleretur[e], multum studuit. Verumtamen utrorumque, scilicet Widonis et huius advocati, studium, recte sive non recte dicitur fuisse iniquitatis seminarium. In quo enim semine quis vivens vidit tot pessima opera? In hoc semine castra multa et iocundissima et opida fortissima cum habitantibus et villis suis utro- 1118 bique, etsi non eque, combusta sunt et destructa. Naves quoque multe et bellicose cum 1127. viris et innumerabili multitudine hominum in lacubus submerse iacent. Ipsa tandem civitas, suis evacuata cultoribus, lacrimabilibus occulis suam ruinam cottidie videt. Vel plures quoque de clero et populo totius orbis propter diversa studia Romani pontificis et eiusdem Urbis et ecclesie patritii et advocati[68], sive pie sive non pie dicuntur certare ad animarum perditionem et maximam corporum confusionem. Ego autem, memor horum mallorum, diversas suffero perturbationes, non quia scisma sedeat in animo meo, set quia scismaticis, usurpantibus res meas, non consentio. De ipsis apud sacerdotes, pontifices, milites, cives, consules et reges iustitiam quesivi et quero.

a) 34. Bellum inter Mediolanenses et Cumanos oritur, in quo civitas Cumana destruitur. Set *cod.* b) *an* pernotandam? c) excitu *cod.* d) unaa *cod.* e) compeleretur *cod.*

63) qui contra Guidonem constitutus episcopus Comensis erat iam ante a. 1098; v. Giulini Mem. di Mil. IV, 366. 64) Cantù, ut mihi quidem videtur; quamquam et Saxius et Giulini Mem. di Mil. V, 102. *La Canneda* planitiem intelligi volunt, quae dirimit *Lucino* et *Grandate*, a Como inter occidentem et meridiem. 65) Heinrico IV; v. relationem apud Muratorium SS. V, 407. 66) Udalrico I. 67) suburbia Comensia. 68) imperatoris.

(XXXV.) 1120. Apr. 9. 48. Guera[a] Cumanorum et Mediolanensium durante atque eorum consulum et pontificum, vidi domnum papam Calistum et Yordanum archiepiscopum cum pluribus ecclesiasticis et secularibus viris illustribus consedere in Terdonensi palatio. In quorum presentia querele mee causam protuli, scilicet de domno Yordano, et querendo introduxi iniurias et homi- 1118. Mart. 15. cidium, quod manus eius fecit in me post literas, quas domnus papa Gelasius misit illi pro me. Quarum exemplum hoc est: *G. episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Yordano, Mediolanensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem. Frater iste Landulphus ab ecclesia sua se queritur exturbatum. Quod autem ab eo queritur, ut titulationis sue certificationem exhibeat secundum beatum Gregorium, ridiculum demonstratur. Quid enim agit, iuxta eiusdem beati Gregorii dicta et legum statuta probare debet, alioquin non est huic calumpnia huiusmodi occasionibus inpingenda; set nisi alia causa impediat, sue restituatur ecclesie.* 1120. Apr. 9. *Datum Gaiete Idibus Martii.* Ipse vero Yordanus cum non haberet, unde se suamque turbam excusaret, et ibi coram papa taceret, interogatus ab Abraam, presbitero et magistro, suo capellano ait: *Quid debeo ei respondere? Ille non tenet me pro episcopo.* Tunc domnus Lanbertus, Ostiensis episcopus[69] et domni Calisti prolocutor, quasi propria sua manu aprehendit me stantem et proferentem: *Domine, ad hec debeo respondere*, et ait michi publice: *Frater, deposuisti querelam tuam, et tempus Ianuarii non est aptum calcandi uvas in torculari. Dominus quippe archiepiscopus occurit nobis propter eos, qui insidiantur gratia imperatoris. Volumus ideo nunc audire de eius consolatione et non perturbatione, atque cum ipso invenire, qualiter valeamus cum isto domino nostro propere et prospere Romam adire eiusque sedem obtinere. Interim archiepiscopus cum istis et alliis suis fratribus poterit habere conscilium et facere tibi bonum.* Iordanus itaque eiusque cetus locutus de sua opulentia in illa vespertina Apr. 10. hora et die altera palatium descendit. Apr. 11. Atque in tertia, que dies fuit dominicha de ramis palmarum in ecclesia sancti Martiani cum suis sufraganeis Petrum, Terdonensem ellectum, licet modo[70] abiectum, in episcopum ordinavit. In eadem quoque civitate et festivitate de ramis palmarum Guazo, clericus de Oreo et Mediolanensis ecclesie lector, accepit cartam a pontifice[b] et cardinalibus subscriptam, confirmantem, ipsius Guazonis coniugium esse legiptimum; quod Yordanus archiepiscopus cum suis consulibus in tempore terremotus[71] Apr. 12. de suo theatro divulgaverat esse adulterium. In die autem altera, que fuit secunda feria, dominus ipse ellectus papa Terdonam exivit; cum quo Olricus, vicedominus Mediolanensis, Yordano archiepiscopo redeunte Mediolanum, usque Placentiam ivit. Qui vicedominus cum intenderet excusare suum archiepiscopum michi, reiteranti querellam in Placentino palatio, de sensu suo ait: *Ferocem animum geris.* Cui quidam meus frater, Liprandus nomine, respondit: *Si secundum ferocitatem vellet agere, in una die posset quinque milia hominum excitare, qui pugnarent bellicis armis pro se.* Huic verbo vicedominus consensit. Et dominus papa surexit et cameram intravit; et ceteri qui ibi aderant potentes, tam episcopi quam cardinales, de suis ceperunt loqui confluentiis. At ego, illis dimissis, perveni ad cameram; de qua dominus papa dignatus exire ad me, dixit: *Frater, pecunia est res, de qua homo potest facere multum bonum. Tu pecuniam non habes, nec tempus supersedendi cause tue nunc* Apr. 18. *est. Set Deus potens est dare. Et transacto isto pascali festo, per vicedominum mandabo archiepiscopo, ut non sit tibi molestus, set beningnus.* Set post hoc pascale festum Romani Iun. 3. propere et solempniter susceperunt ipsum papam Calistum. 1121. Apr. Et ipse cum Romanis Sutrim comprehendit Burdinum, papam dictum, et in loco, qui dicitur Cava[c], posuit comprehensum.

(XXXVI.) 1120. Oct. 4. 49. Deus[d] omnipotens neque per literas domini Gelasii neque per legatum Calisti Yordanum michi suavem sive beningnum fecit, set de mondo illum tullit[72]. Et gratia presbiteri Nazarii primicerii et ceterorum, quos suspectos[e] habebam et habeo, Olricus vicedominus Yordano sucessit. Qui fere simili modo me gravavit, ut Yordanus; fere, quia hic in communi officio et benefitio cum ordinariis et decumanis presbiteris[f] non prohibuit.

1121. 50. Verumtamen illo Olrico archiepiscopo sedente in Roma tunc, cum papa Calistus

a) 35. Hystoricus ante Calistum papam Terdone et Placentie de Iordano frustra conqueritur. Guera *cod.*, *ubi ante* Guera *duo vocabula deleta sunt.* b) pontifice *scripsi pro* pontificibus *cod.* c) Cana *cod.* d) 36. Mortuo Iordano, Olricus eligitur in archiepiscopum, qui ad dextram Calisti pape sedit, contranitente Ravenate. Deus *cod.* e) susceptos *cod.* f) me esse *excidisse videntur.*

69) postea Honorius II. papa. 70) i. e. anno 1136. 71) 1117. 72) 1120. Oct. 4; v. catal. archiepp. Med., supra SS. VIII, 105.

synodum Rome celebravit[73], ego, ab ecclesia mea exturbatus et propriis meis rebus et 1121
alodiis expoliatus, coram domino papa Calisto eiusque curia, consedente in Lateranensi 1124.
palatio, causam meam notavi, et ut eam explicarem in sinodo, ipsam sinodum intravi. In
qua sinodo, gratia antique honestatis Mediolanensis ecclesie et condiscipulatus[74] eiusdem
Olrici, valde condolui de perturbatione, quam Ravenas archiepiscopus[74*] faciebat sibi.
Poscebat enim Ravenas locum sedendi in sinodo ad dexteram apostolici nullo mediante;
quem locum Grosulanus possedit, quando restitutus fuit[75]. Iordanus quoque, qui Grosulano
sucessit, eundem locum habuit, etiam tunc, quando idem Grosulanus eundem Yordanum
deponere studuit[76]. Hac itaque ratione et multis alliis, que tunc in memoria non habebantur,
domnus Olricus, Mediolanensis archiepiscopus, locum illum obtinere non dubitavit.
Set tamen ipse Mediolanensis Olricus in secunda feria, qua incepta et celebrata fuit sinodus,
loco vacante, neque in palatio neque in sinodo apparuit. Sinodus vero tunc in tertia feria
non fuit, et idem Mediolanensis palatium non intravit. Set in quarta feria, dum sinodus
celebrata fuit, Olricus idem, Mediolanensis archiepiscopus, ad dexteram apostolici Calisti
nullo mediante sedit. Ego[a] expectans alteram diem, convenientem mee cause meeque XXXVII.)
querelle, ex inproviso vidi et audivi, quod dominus papa gratia consecrandi altare dissolvit
sinodum in ipsa die Merchurii; nec ultra ab eo sinodum celebrari audivi nec vidi.

51. Set sperans in Domino, persensi, quod dominus Olricus, Mediolanensis archiepi- 1125.
scopus, prout moris et legis consuetudo exigit, pro rege Henrico oravit, et ei ramos pal- Mart. 22.
marum per Landrianensem Tealdum, Mediolanensis ecclesie egregium notarium, in Germaniam
misit. Ego itaque, ut ad ipsum regem pervenirem, et ei, sicut patri et domino meo,
causam meam notificarem, iter cum puero subintravi. Et vitans manus Cumanorum, qui Mai.
tunc temporis fatiebant gueram Mediolanensibus, Veronam adivi, ubi Bernardum episcopum[77],
meum quondam gratum condiscipulum, inveni; et per ipsum fere usque ad introitum
episcopatus Tredentini bene ivi[b]. Et cum sperarem ibi in melius procedere, pie et
tenere condolui super regis Henrici morte. Unde valde fessus redii ad domunculam meam Mai. 23.
cum merore.

52. In qua ego sedens et de solito more pro victu meo scribens, audivi voces et fletus
de morte Olrici archiepiscopi[78]. Et subsequenter compulsus a promiscuo sexu mee cogna- 1126. Mai. 28.
tionis et vicinie, ab ipso meo offitio surexi atque ad dominum Anselmum[78*] de Pusterla, a Iul. 1.
presbitero Nazario primicerio et ceteris clericis ordinariis et episcopis sufraganeis in archiepiscopum
ellectum[79], perveni. De cuius Anselmi morte[79] nimirum valde suspiro, quia, 1136.
licet ille fuerit mollis et dulcis suspectis meis meisque adversariis et suis proditoribus, tamen Aug. 14.
ipse non fuit ceu[c] Yordanus furiosus, nec immemor mei ceu[c] Olricus. In illa enim die, in 1126.
qua ellectionem iste Anselmus archiepiscopatus suscepit, me, ut preessem suis capellanis, Iul. 1.
ellegit. Quorum capellanorum conscilium, etsi non omnium, alienavit eum a me fere
in omnibus, que ipse operatus est. In eo enim, quod[d] ipse festinavit ad conferendam pacem
Cumanis, quando eorum civitas ad destruendam capta fuit[80], michi quippe placuit. Sed[e] 1127.
cum idem archiepiscopus, secutus conscilium quorundam capelanorum et primicerii[81], Aug. 27. (XXXVIII.)
Petri vero Terdonensis episcopi, contra publicum interdictum cleri et populi Mediolanensis 1127
Romam ivit, michi quidem non sedit. Verumtamen ipse, ceu[f] vir prudens, et sapiens, 1128.
cum papa Honorio et cardinalibus eius multa contulit, et conferendo ecclesiasticas consue-

a) 37. Hystoricus sentit imperatorem, ad quem pergebat, defunctum. Olricus moritur. Anselmus eligitur in archiepiscopum. Ego *cod.* b) ivi *scripsi pro* fui *cod.* c) seu *cod.* d) quod *scripsi pro* quo *cod.* e) 38. Anselmus a Romano pontifice respuit stolam suscipere, consentientibus Mediolanensibus, ne honor archiepiscopatus minuatur. Sed *cod.* f) seu *cod.*

73) Haec synodus quo anno habita sit, nescimus. De generali enim concilio a die solis 18. ad diem 30. Martii a. 1123. Romae celebrato (v. Regesta pont. Roman. p. 542. 543) non agi hoc loco, intelligimus ex eo, quod hanc synodum die lunae inchoatam duobusque diebus peractam esse, diserte ostendit scriptor. 74) cf. supra cap. 21 p. 29. 74*) Gualterius. 75) m. Martio a. 1105, v. supra cap. 20. p. 29. 76) m. Martio a. 1116, v. supra cap. 41. p. 38. 77) Veronensem. 78) Obiit Olricus 1126. Mai. 28, v. catal. archiepp. Med. l. l.; cf. Not. S. Mariae Med. supra SS. XVIII, 385. 78*) V. archiepiscopum Mediolanensem. 79) Anselmum V. sedisse a. 10, m. 1, d. 14, et obiisse d. 14. Aug. 1136, docet catal. archiepp. Med. supra SS. VIII, 105. Itaque die 1. Iulii 1126 praeesse ecclesiae Mediolanensi coepit. 80) d. 27. Aug. 1127, v. Not. S. Mariae Med., Not. S. Georgii Med., Ann. Med. minores, supra SS. XVIII, 385. 386. 393; sed diem 25. Aug. praebent Annales Med. brevissimi, ibid. p. 391. 81) Nazarii.

1127–1128 tudines Ambrosiane ecclesie et honores eius archiepiscopatus et urbis vivis et bonis rationibus defendit. Unde ipse papa huic prudenti viro dixit: *Frater meditatus et episcopus venisti. Set si vis frui auctoritate archiepiscopi in temporibus meis, necesse est, ut stolam suscipias a manibus meis, aut sicut ego suscepi, ad altare sancti Petri.* Hinc dominus iste Mediolanensis Ribaldum, Albensem episcopum, adiuravit, ut sibi consuleret. Tunc Robaldus ille Albensis sic ait, quod prius sustineret nasum suum scindi usque ad occulos, quam daret sibi conscilium, ut susciperet Rome stolam, et ecclesie Mediolanensi prepararet hanc novam et gravissimam, quam Honorius papa dicebat sibi imponere, mensuram. Mediolanum igitur iste Anselmus archiepiscopus sine stolla rediit, et eundem Albensem episcopum secum reduxit. Verumtamen archiepiscopalem sedem non ascendit, donec Ubertus de Meregnano, eius scriba, non iuravit, quod ipse dominus suus Anselmus nulli minuimento honoris ecclesie Mediolanensis consensit, et id ipsum Albensis ille episcopus Robaldus auctoritate sua confirmavit. Deinde pontifex iste Anselmus sedem et castella archiepiscopatus in beneplacito cleri et populi recuperavit.

(XXXIX.) 1128. 53. Anselmus[a], in castelis habitans, intelexit, quod clerus et populus Mediolanensis nobilem principem Conradum cum ecclesiastica pompa et civili triumpho, conveniente regi naturali, suscepit. Cum autem clerus et populus idem de coronando rege ipso tractaret, pontifex idem Anselmus a Leuco[82] descendit ad Modoetiam, qui est primus locus corone regis Ytalie. Ibique pernoctavit et conscilium redeundi ad montana suscepit. Et post trium dierum interpositionem castelum, quod dicitur Plebia[83], ascendit. Ibi plures sonos sonoros de coronando rege Conrado audivit. Et ego, non in amaritudine, ab ipso pontifice audivi, ut citissime Mediolanum adirem, et affectum civium omnium super huiusmodi regale negotium sibi renuntiarem. Tunc Wifredus Aboriti et armiger eius a vespera hora diei usque ad solis ortum mecum et puero meo requiem non habuit; set ad plenitudinem contionis cleri et populi, convocatam et congregatam Mediolani, quasi in hora tertia perveni. Ubi clerus et populus quasi homo unus amplissime et mirifice conlaudavit et conclamavit, ut archiepiscopus veniret et principem illum coronaret. Ad hec quoque Rugerius Clivelus, nobilis milles et potens, populo circumstante, ait: *Per corpus Domini, nisi voluntas Dei esset, ut hic nobilis dominus coronaretur, iste benedictus populus nequaquam ad laudem eius ita concorditer clamaret.* Causa itaque ista sic conlaudata et statuta, Anselmus de Badaglo subdiaconus ordinarius, Guido de Landriano ellectus capitanus, Guerenzo de Puzobonelo vavasor strenuus, Robacastelus civis et eques nominatissimus ex parte totius cleri et populi legationem de conlaudato et coronando rege Conrado pontifici Anselmo contulerunt. Qui cum esset in castro Plebie et intendisset super horum legationem et meam relationem, festinavit ad urbem[84]. De cetero ipse, quasi consentiens communi omnium gentium voto,
Iun. 29. in ecclesia sancti Michaelis, que est Modoetie, benedicxit et uncxit, et coronam ellecto Curado in festo sancti Petri posuit, altero episcopo astante regi coronando. In quo facto ego quippe piger non fui; set ante ipsum pontificem ipsumque coronatum ab ecclesia sancti Michaëlis pontificalem virgam in admirabili pompa, per Dei voluntatem congregata, ad honorem illius regis usque ad ecclesiam sancti Iohannis bona cum voluntate portavi, et in sancti Iohannis ecclesia solempniter cum rege isto quam optimo missam audivi. Eandem quoque solempnitatem coronationis idem pontifex in ecclesia sancti Ambrosii[85], me alibi non meo vicio detento, celebravit.

54. Verumtamen, quidquid directe est actum in illo meo domino rege, dilexi et diligo.
1128–1129. Hunc namque gradientem per comitatus et marchias Lonbardie et Tuscie, comites et marchiones, cuiuscunque nobilitatis viri, potentes et humiles, cum gaudio susceperunt et amaverunt. Qui vero rebeles fuerunt, eius acutissimi gladii fortitudinem senserunt atque mortem et confusionem, ceu[b] Anselmus marchio dal Busco[86] et illustris[c].... comes susceperunt. Alter quorum, Anselmus, vitam et absolutionem suscepit per gratiam Mediolanensium, quibus in angustissimis preliis campestris[d] ceu[b] miles fortissimus profuit; alter vero, scilicet comes, vel mortem sustinuit. Ac sic benigne et fortiter agendo, Rome appropinquavit.

a) 39. Anselmus archiepiscopus Conradum imperatorem coronat, quem Honorius papa reiecit. Unde Anselmus iussu pape excommunicatur. Anselmus *cod., ubi ante* Anselmus *corrector duo vocabula delevit.* b) seu *cod.* c) *sequitur lacuna parva in cod.* d) *sic cod.*

82) *Lecco* ad lacum Larium. 83) *Brebbia* prope Verbanum lacum. 84) Mediolanum. 85) Mediolanensi. 85) *Bosco* ab Alexandria ad meridiem.

Set fortis manus Honorii pape ipsum resupinavit, atque ad Germaniam, quasi ad sua pro-
pria loca, redire fecit[86]. 1132.

55. Iohanes igitur Cremensis, cardinalis Romanus, episcopos sufraganeos et compro- 1128. 1129.
vinciales Mediolanensis ecclesie, ut excommunicaret Mediolanensem pontificem convocavit
Papie. Quibus convocatis et cardinali per plures viros et sacerdotes ipse pontifex Mediola-
nensis mandavit, ne presumerent; set ipsum per unius diei spatium expectarent. At Pa-
pienses, Cremonenses[a], Novarienses quoque et eorum episcopi[87] et aliarum civitatum,
predicantes hoc regium opus Anselmi contrarium Deo et magno regi Lotario, nequaquam
illius pontificis legationem susceperunt; set ipsum, prestante cardinali illo Iohane, excom-
municaverunt. Et Mediolanensibus, protegentibus castrum Creme, gueram facere statue-
runt. Attamen in maxima parte Mediolanenses catholicam reverentiam, vivente papa Ho- 1128
norio, huic pontifici[88] prebuerunt. | 1130.

56. Honorio[b] defuncto, Anacretus, papa Romanorum secundus, huic Mediolanensi (XL.) 1130.
stolam per suos ydoneos nuntios, videlicet Iohanem Palistine episcopum[89] et Beltramum Febr. 14.
subdiaconum Romanum, mandavit. Quam stolam ipse Anselmus pontifex, clero et populo
Mediolanensi circumstante et colaudante Anacletum papam eiusque legatos et legationem,
reverenter suscepit. Pars vero sibi adversa inde magis detrahere cepit. At plenitudo cleri
et populi ad eum concurebat, timorem quoque et reverentiam regi Curado et pape Anacreto
ex dilectione portabat.

57. Et dum hic spiritus fuit in plenitudine ecclesie et civitatis Mediolani, et venditiones 1130
et privilegia, que egregii capitanei de Bessana et de porta Horientali atque Lomagna et Gre- | 1132.
gorius papa septimus et Urbanus papa secundus presbitero Liprando fecerunt, vim suam
obtinuerunt et oculis omnium latuerunt, nula guera Mediolanenses ignominavit; set Papien-
sibus, Cremonensibus, Novariensibus cunctisque suis inimicis late et splendide ipsi Medio-
lanenses prestiterunt[90]. At[c] ubi Anselmus archiepiscopus contra ipsas venditiones et pri- (X LI.) 1132
vilegia facere voluit et fecit, et multitudo cleri et populi atque consulum ipsas venditiones |
et privilegia legere voluit, contingit, quod quidam manipulus militum Mediolanensium 1134.
captus est a Cremonensibus; et plures de ordinariis decumanis sacerdotibus ceperunt nescio
quo spiritu super causa regis Curadi ridere et causam Anacleti latenter spernere. Hinc
Anselmus archiepiscopus multos sustinens stimulos, tandem presbiterum Azonem, ma-
gistrum puerorum, canentium principaliter in missa sacerdotum, celebrantium corporis et
sanguinis Christi sacrifitia, et quosdam allios, qui fuerunt dolosi in celebratione corone
regis Conradi, excommunicavit. Ex cuius[d] excommunicationis radice circumcisi[91] Christum
filium virginis ignorant, et maxima pars Quiritum et Longobardorum auctorem[e] divine et
humane legis minime amant, sine quibus auctoribus celi vel terre pace frui non possumus.
En etiam nunc discesio multa et pernitiosa nimirum orta est in Mediolanensi populo sub
excommunicationis titulo; quia si archiepiscopus excommunicavit hunc presbiterum et allios
in pulpito sancte Tegle, et episcopi comprovinciales et sufraganei, sicut supra[92] dictum
est, excommunicaverunt illum Papie.

58. Ordinarii itaque et decumani sacerdotes et ceteri faventes pape Innocentio secundo, 1134
et insidias preparantes huiusmodi archiepiscopo, suas peccunias effuderunt et ipsas legis | 1135.
et morum peritis atque bellatoribus viris tribuerunt. Unde ipse archiepiscopus compulsus
est intrare popularem contionem, ut ibi decertaret cum suis excommunicatis de excommu-
nicatione. Cumque ipse expectaret sagitas de iusta aut iniusta excommunicatione, Nazarius
primicerius, mire caliditatis homo, per prolixum sermonem cuncte concioni induxit fasti-
dium. Archipresbiter autem decumanorum Stephanus, qui cognominatur Guandeca, videns,

a) Clemonenses *cod.* b) 40. Anselmus archiepiscopus Anacleto antipape adheret et ab ipso stolam recipit. Honorio *cod.* c) 41. Clerus Mediolani Anselmum de archiepiscopatu pellit. Papa Innocentius id confirmat, et beatum Bernardum Mediolanum mittit. At *cod.* d) *an* Ex cuiusmodi? e) *an* auctores *(sc. papam et imperatorem)*?

86) Conradum demum anno 1132. in Germaniam reversum esse, docui in Geschichte des Deutschen Reiches unter Lothar dem Sachsen p. 236. 87) Bernardus Papiensis, Ubertus Cremonensis, Litifredus Novariensis. 88) Anselmo. 89) quendam Palaestinae episcopum, ut mea quidem opinio fert. Saxius *Praenestinae* legendum putat, Iohannemque illum contra Wilhelmum episcopum Praenestinum, qui Innocentii II. partes secutus est, ab Anacleto II. constitutum episcopum esse. At gemina haec coniectura probatione caret. 90) Victoriam Mediolanensium, de Papiensibus die 23. Iunii 1132. reportatam, memorant Notae S. Mariae Mediol. supra SS. XVIII, 385. 91) Iudaei. 92) cap. 55.

1134–1135. primicerium suum fastidiose fore locutum, vocem suam exaltavit et contra archiepiscopum sic ait: *Hoc, quod isti nolunt tibi dicere, ego dico. Tu es hereticus, periurus, sacrilegus, et alliis criminibus, que non sunt hic notanda, es reus.* Hiis auditis ex improviso, archiepiscopus obstupuit. Archipresbiter vero ille, habens testum euangeliorum ad manum, continuo iuravit, quod ipse de istis rebus, quas dixerat, esse in isto Anselmo, qui dicitur de Pusterla, in iudicio episcopi Novariensis[1] et Albanensis[2], qui sunt de suffraganeis ecclesie Mediolani, staret. Consules itaque Mediolani in concordia utriusque partis statuerunt, ut ipsi et allii suffraganei venirent.

59. In statuta itaque die non solum sufraganei, set quam plures, pure induti rudi et inculta lana et rasi insolita rasura, concurerunt. Cumque archiepiscopus iste Anselmus vidisset eos constare et populo, quasi si forent angeli de celis, ad ipsum populum ait: *Omnes illi, quos hic videtis cum illis capis albis et grisiis, heretici!* Inde simplices et compositi ad expellendum et deponendum[3] bellum comoverunt; verumtamen gladio Anselmi in die illa resistere non potuerunt. Set mediante nocte per expansam peccuniam manus primicerii et presbiteri Stephani fortissima[a] in summo[b] diluculo ipsum Anselmum a sede compulit. Qui cum non invenerit quo declinaret, paternam suam domum intravit. Factoque mane, die altera idem Anselmus coram humili sua plebe, in ecclesia sancti Ambrosii congregata, se presente iurare fecit camerarium suum, ne iste dominus suus effugeret iuditium ipse[c] suffraganeorum, et coram eis responderet Stephano Guandeca, dicto presbitero, de hiis rebus, quas sibi obiecerat[d], remota causa regis Conradi. Iohanes autem de Rode, unus de consulibus Mediolani, reversus ad alteram partem, que eum miserat, de iuramento isto Anselmi nichil retulit, set ait: *Dominus ille, ad quem me misistis, ad nullam rationem fatiendam nobis venire promitit.* Tunc qui in contione illa aderant, clamaverunt: *Et ipse deinceps sit remotus a nobis!* Ac sic[e] quisque sufraganeus ad sedem suam rediit, nisi Robaldus Albanensis, qui in crismate et in ceteris episcopalibus offitiis ecclesie Mediolani subvenit. Anselmus autem ille, quasi a cuncto clero et populo abiectus et expulsus, ad solita castela archiepiscopatus exivit, in quibus qualemcumque requiem suscepit.

1135. Mai. Iun. 60. Interim Innocentius papa Pisis sinodum celebravit[4], in qua, Ribaldo episcopo Albanense representante, Tedaldus de Landriano archipresbiter ecclesie Mediolanensis, Amizo de la Sala archidiaconus, Anselmus de Rode levita ordinarius et allii plures eiusdem ecclesie ordinarii, et cum primicerio decumani sacerdotes contra solitum decus Mediolani et eius ecclesie, Innocentio pape fidelitatem iuraverunt. Cremonenses vero nequaquam propter hanc fidelitatem milites Mediolanenses, quos captos habebant, dimiserunt. Set papa Innocentius depositionem et expulsionem sepe dicti Anselmi de Pusterla firmavit. Attamen prenominati, qui fidelitatem iuraverant, timentes hos casus urbis et ecclesie Mediolani, differebant redire Mediolanum, nisi haberent protectionem, qui coram populo Mediolani confirmaret Anselmi expulsionem, et in nichilum reduceret Conradi coronationem, et populum tante urbis convocaret et confirmaret ad Lotarii imperatoris amorem et ad ipsius Innocentii pape unitatem. Ad hec peragenda papa adeo ydoneum angelum[5] habuit, sicut Bernardus abbas Claraevalensis fuit.

(XLII.) c. Sept. 29. 61. Interea[f] princeps Conradus, altiori conscilio potitus, imperatoris Lotarii vexilifer est factus[6]. Et prenominatus abas iste, nil moratus, cum Carnotensi episcopo[7] et Robaldo Iun. Iul. Albensi Mediolanum intravit[8], quam civitatem nimirum prout voluit formavit. Ad nutum quidem huius abatis omnia ornamenta ecclesiastica, que auro et argento palliisque in ecclesia ipsius civitatis videbantur, quasi ab ipso abate despecta, in scrineis reclusa sunt; et non solum masculi, set etiam mulieres tonse sunt, et ciliciis et laneis villissimis induti, ad quelibet religiosa convertuntur; aqua in vinum mutatur[g], demones fugantur, contracti

a) facta *excidisse videtur*. b) sumo *cod.* c) *an* ipsius? d) obicerat *cod.* e) si *cod.* f) 42. Beatus Bernardus facit Mediolanenses obedire ecclesie et Lotario imperatori. Robaldus in archiepiscopum eligitur. Anselmus captus in Pado, Rome moritur. Interea *cod.* g) mitatur *cod.*

1) Litifredi. 2) Robaldi. 3) sc. Anselmum. 4) a die 30. Maii ad diem 6. Iunii a. 1135. V. Regesta pont. Rom. p. 573. Pisano hoc concilio ad annum 1134. perperam relato, Giulini et Fumagalli Delle antichità Longob.-Milanesi III, 131 sq. in exponendis rebus Mediolani gestis mirifice errant. 5) nuncium Cf. supra c. 22 p. 30. 6) Conradum anno 1135. circiter 29. Septembr. imperio Lotharii se subiecisse, ostendunt Annal. Hildeshem. supra SS. III, 116; Annal. Erphesfurd., Annalista Saxo SS. VI, 540, 770; Annales Magdeburg. SS. XVI, 185. 7) Gaufredo. 8) Cf. Ernaldi Vit. S. Bernhardi II, 9 (Opp. ed. Mabillon II, 1110 sq.), et Bernhardi epp. 131–134 (Opp. I, 141 sqq.)

eriguntur, infirmi etiam a quacumque infirmitate similiter sanantur. Et quoscumque infir- 1135. Iun. Iul.
mos captivos Mediolanenses habebant de inimicis suis in custodia, abas iste solvit et liberos dimisit; et tantum populum ad amorem imperatoris Lotarii[9] atque ad obedientiam Innocentii[9] pape per sacramentum panis, quod abas ipse porexit, confirmavit. Tandem idem populus, ut haberet abatem illum in archiepiscopum, ad ecclesiam sancti Laurentii, in qua erat hospitatus, cum hymnis et laudibus et solito suo *Kirie*[a] cucurit. Quod abas ille non tulit, set ait: *Ego in crastino ascendam palafredum meum; et si me extra vos portaverit, non ero vobis quod petitis.* Ac sic a Mediolano recesit. Set quidam de discipulis eius, qui remanserunt, per civitatem euntes, collectam multam de auro et argento et rebus pluribus sibi fecerunt et fatiunt.

62. Mediolnenses vero ordinarii et decumani, qui pape Innocentio fidelitatem iurave- Iul
rant, confortati de hac Mediolanensium conversione, fecerunt Litifredum Novariensem, Widonem Yporiensem et allios sufraganeos venire Mediolanum. Qui in conscilio suo subli- Iul. 29.
maverunt Robaldum Albanensem episcopum in Mediolanensem archiepiscopum[10], habita securitate retinendi, prout dicitur, Albanensem episcopatum. Isto sublimato, Mediolanum super Cremonenses exercitum suum admovit[11]; de quo exercitu ipsi Cremonenses aprehenderunt 130 milites, in nocte erantes.

63. Anselmus autem de Pusterla, audiens et inteligens horum militum captionem, proh nullam suscepit consolationem contra Robaldi sublimationem, neque secundum conscilium Alberti de Landriano et amicorum eius ambulavit. Set credulus Ugoni suo Naso[b] voluit 1136.
cognoscere, qualiter cum Anacleto, papa Romanorum, posset procedere. Attamen ipse cum isto suo capellano ambulans Romam, in flumine Padi iuxta Ferariam a Goyzo de Martinengo captus est et ad Innocentium papam transmisus. Qui papa in mense Augusti a Pisis Aug.
illum captum Romam misit; ibique, prout fama est, Anselmus ille in eodem mense in manu Petri Latri[12], qui procurator est Innocentii, vitam finivit[13]. Hiis[c] ita perpetratis Aug. 14. (XLIII.)
ad captionem Anselmi de Pusterla, vexilla Mediolanensium et eorum agmina capta aut fugata sunt a Papiensibus, velut mitissima ovium pecora. Instantibus igitur hiis infortuniis Mediolano, et Anselmo prout supra dictum est mortuo, Robaldus, eiusdem civitatis archiepiscopus, Pisis Innocentio pape iuravit, et iurando libertatem ecclesie Mediolanensi in contrarium convertit.

64. Adito quoque isto infortunio, imperator Lotarius cum principibus cuiuscumque dignitatis venit in Longobardiam. In cuius castris[14] iste[d] Mediolani cum suis sufraganeis Sept.
ad nutum imperatoris circumferebatur, et circumferendo excommunicavit Cremonenses, quia non rediderunt imperatori Mediolanenses, Cremonensium vincula et captionem sustinentes. Mediolanensium igitur exercitus, confortatus presentia imperatoris et vinculo excommunicationis, Sonzinum[15], Sanctumque Bassanum[16], et allia multa castela Cremo- Oct.
nensium destruxerunt. Quibus destructis, multitudo Mediolanensium ad civitatem rediit; archiepiscopus vero et quedam inclita pars militie Mediolanensium cum imperatore in Roncalia super Padum castramentati sunt; ibique per plures dies et ebdomadas imperator Oct. Nov.
curiam potestative habuit et leges dedit[e,17].

65. Tunc[f] ego quoque ibi per tres dies affui et licentiam lamentandi ad imperatorem (XLIV.) Nov.
a domino meo Conrado rege presente, Sigifredo filio eius[18] interprete, suscepi; et principibus cuiuscumque dignitatis circumsedentibus et vocem meam audientibus, sub temptorio Nov 4.

a) Kir̄. *cod.* b) *fortasse legendum est* vaso. BETHMANN. c) 43. Robaldus Innocentio pape fidelitatem iurat, Lotarium imperatorem sotiat, et Cremonensium castra dirruit. Hiis *cod.* d) archiepiscopus *excidisse videtur.* e) et *et* dedit. Tunc *corrector in rasura scripsit, erasis tribus vocubulis.* f) 44. Per imperatorem causa hystorici frustra consulibus Mediolani comititur. Tunc *cod.*

9) Cf. S. Bernhardi ad Richinzam imperatricem epistolam 137 (Opp. I, 144). 10) Inter Anselmi V. electionem (1126. Iul. 1; v. supra p. 43 n. 79) et electionem Robaldi interfuerunt anni 9 et dies 29, teste catalogo archiepp. Mediol. supra SS. VIII, 105. Ex quo efficitur, Robaldum electum esse 1135. Iul. 29. Qui cum post annorum 10 mensium 4 dierum 26 pontificatum die 30. Dec. 1145 obierit (v. cat. l. l.), ad diem 4. Aug. 1135. consecratio eius referenda est. 11) V. S. Bernhardi ep. 314 (Opp. I, 295). 12) Petri Latronis, de quo cf. Gesta pont. Rom. apud Muratori SS. III, 435. 13) 1136. Aug. 14, v. supra p. 43 n. 79. 14) Guastallae. V. Ottonis Frising. Chron. VII. c. 19. 15) *Sonzino* ad Ollium fluv., a Crema ad orientem. 16) *San Bassano* inter Cremam et Cremonam. 17) d. 6. Novembr., v. Mon. LL. II, 84. 18) Conrado non fuisse filium Sigifredum, constat. Itaque legendum fortasse est: *Sigifredo fideli eius.*

1136. Nov. 4. imperatoris querelam de Andrea Sugaliola feci[19]. Quam querelam archiepiscopus Trevirensis[a, 20] cum ceteris archiepiscopis et episcopis alliisque literatis viris intelexit et me, sicut vir prudens et sapiens, interrogavit et post meam responsionem domino imperatori causam meam per verba michi barbara revelavit. Et dominus imperator secundum petitionem meam, prout pontifices michi fidem fecerunt, imperavit consulibus Mediolanensibus, uti Mediolani causam meam iuste et paterne tractarent.

66. Set nimirum, si cetus consulum huic precepto non obedivit, quia Arnaldus de Raude, unus ex illis consulibus, in auribus eorum sonuit, quod investituram de meo placito
21 susceperat[21]; hoc quidem mens mea nullo modo novit, nec iure esse potuit. Quia Arnaldus,
1075. huius Arnaldi avus, Herlembaldum protectorem presbiteri Liprandi occidit, ipsumque auctorem mee cause ad truncationem nasi et aurium atque ad vincula et carceres violenter
1103. aduxit. Ardericus quoque, huius iuvenis Arnaldi patruus, eundem presbiterum ad ignem, per quem transivit, venire compulit. Ugo, alter eiusdem Arnaldi patruus, Andream, de
1136. quo iuste queror, non ratione set furiose protegit. Et Arnaldus iste, mire caliditatis homo, cum nullum in causam meam habeat accessum, studet me meamque causam inpedire per huiusmodi investiture verbum. Quapropter imperatoris presentiam expectavi.

(XLV.) Nov. 7. 67. Lotarius[b] postmodum[c] imperator in quarta die, que fuit dies sabati[22], post meam querellam, secus Papiam est castramentatus ad locum, qui dicitur Lardiracus[23], super
Nov. 8. flumen Oronam[24] positus. Cumque imperator ibi pernoctasset, et diem dominicum quasi dimidiasset, militia eius cucurit ad Papienses, qui armati exierant. In prelio illo fortissima manus principis Conradi quam plures de Papiensibus eiecit et comprehendit, neque a prelio se subtraxit, donec Papienses fere usque ad muros civitatis conculcavit et apropinquavit. Tunc Papienses, valde perteriti et metuentes hostilem exercitum Mediolanensium, con-
Nov. 9. curentium ad imperatoris triumphum, in primo diluculo[d] secunde ferie cum maxima devotione rediderunt imperatori, quotquot habebant de Mediolanensibus in sua captione. Imperator, comotus maxima pietate, Papienses eadem die a sua custodia solvit et liberos dimisit,
Nov. 10. et die altera sua castra amovit[25]; et ad locum, qui dicitur Abbiate Crassum[26], pervenit. Et omnis multitudo Mediolanensium cum suis militibus, a captione Papiensium liberatis, rediit Mediolanum. De cetero imperator Ticinum, atque Padum ad suum comodum transivit.

(XLVI.) 1136–1137. 68. At[e] Innocentius papa Cremonenses ab excommunicatione Robaldi archiepiscopi solvit. Verumtamen Mediolanensis exercitus Cremonensibus nec eorum episcopo[27] pepercit[f]. Quia post absolutionem Iuvenaltam[28], castelum eorum, et allia aprehendit; atque episcopum eorum, loricatum et hortantem suos ad pugnam perficientem homicidium, de ipso castelo pertraxit, et per plures menses in custodia tenuit, donec Herlembaldus de Bresorio, custos illius custodie, contaminatus veneno, prout dicitur, subito in mortem coruit. Et in ipsa nocte, qua ipse custos subito occidit, episcopus de ipsa domo, qua claudebatur, effugit, et liberatus Papiam, deinde Cremonam pervenit. Hic fortassis episcopus
1112–1120. iste reminiscitur[g] amaritudinis, qua potatus fuit Mediolani in die sue ordinationis, set prout quibusdam placet, non bene. Quia si Yordanus archiepiscopus eiusque ecclesia amovit Ugonem de Noceto, nobilem virum et Parmensis ecclesie quasi archidiaconum, ab episcopatu Cremonensi, in quo Cremonenses per suam ellectionem et Henricus, rex eorum, per

a) Treuirensis *scripsi pro* Tauriensis *cod.* b) 45. Lotarius, Papiensibus fussis, Mediolanum venit. Lotharius *cod.* c) Lotharius postmodum *corrector in rasura quattuor vocabulorum.* d) diliculo *cod.* e) 46. Mediolanenses episcopum Cremonensem capiunt; qui, venenato custode, de vinculis fugit. At *cod., ubi* At *in rasura duarum vocum positum est.* f) peperxit *cod.* g) remiscitur. *cod.*

19) die 4. Nov. Diem enim 7. Nov. „quartam diem post meam querelam“ dicit infra c. 67. 20) Albero. Quem *in expeditionem Italicam cum rege Lothario profectum esse* et *Conradum, superpositum regem, in predicta expeditione Alberoni archiepiscopo sese familiaritate magna et servitio adiunxisse,* tradidit Baldericus Gest. Alberon. c. 15, Mon. SS. VIII, 251. 252. Cf. Geschichte d. Deutsch. Reiches unter Lothar p. 251. 21) Andreas Sugaliola. 22) Nov. 7; v. infra n. 25. 23) *Lardirago* a Papia inter orientem et septentrionem. 24) *Olona* fluvius. 25) Prope Papiam die 10. Nov. 1136. Otto comes de Wolfrathusen occisus est. V. Not. Diessenses supra SS. XVII, 324 n. 3. Itaque quum Lotharium sciamus die 6. Novembris Roncaliae leges condidisse (v. supra p. 47 n. 17), *dies Sabbati*, de quo tradidit supra scriptor, fuit 7. Nov., *dies dominicus* 8. Nov., *secunda feria* 9. Nov., *dies altera* 10. Nov. 26) *Abbiategrasso* a Mediolano ad occidentem. 27) Uberto. 28) *Genivolta* a Crema ad orientem.

investituram sue laudationis et confirmationis ipsum posuerant et susceperant per plures annos reverenter et diu intus et foris tenuerant; quid mirum, si populus Mediolanensis compulit istum Ubertum, egregium virum, iurare fidelitatem ecclesie Mediolanensi et archiepiscopo Yordano, quando ipsum Ubertum episcopum consecravit. Quod si forte quis dixerit: *Amotio Ugonis fuit iusta, set compulsio Uberti fuit iniqua,* nec dicat, cuius mortalis auctoritate principaliter est regenda Cremona eiusque ecclesia; si vero dixerit: *Utrumque fuit mallum et iniquum*, surgat igitur Deus exercituum[a], qui Mediolanum et Cremonam corigat, et me acolitum oppressum et expoliatum, quemadmodum in hac mea copia, continente probos et pravos, legitur, iure gubernet et protegat. Deo ∴ gratias ∴ Amen ∴ Amen ∴[b].

a) excituum *cod.* b) *sequuntur in cod. haec:* Explicit liber hystoriarum Landulfi de Sancto Paulo de gestis Mediolani ab anno Christi 1094. usque ad annum Christi 1133, tempore Robaldi archiepiscopi, qui obiit anno Christi 1144, secundo die ante Kal. Ianuarii, iacet in ecclesia hiemali. Huic successit Ubertus de Pirovano, quo sedente Mediolanum a Federico funditus evertitur.

EX ORDERICI VITALIS
HISTORIA ECCLESIASTICA.

Ordericus patre Odelerico Aurelianensi, qui Wilhelmum nothum in Angliam prosecutus fuerat, anno 1075 *natus ab eoque decennis in Normanniam ad monasterium sancti Ebrulfi Uticum missus, ibi addito vocabulo Vitalis monachis per Meinerium abbatem adscriptus et tricesimo tertio vitae anno presbyter consecratus, abbatis iussu inde ab anno* 1124 *historiae monasterii scribendae accessit, eamque in generalem ecclesiae historiam extensam anno* 1141 *exeunte aut* 1142 *ineunte absolvit. Cuius initia et prima quasi fundamenta apparent annales monasterii sui Uticensis margini tabularum decennovennalium adscripti; quorum prima pars una eademque manu exarata usque ad annum* 1091 *percurrit, ab indeque postea a diversis auctoribus invicem sibi succedentibus, quos inter Heinrico I. Angliae rege Odelrici manus eminet, usque ad annum* 1503 *producta in codice olim Uticensi bibliothecae Parisiensis olim inter supplementa Latina numero* 801 *signato iam vero N.* 10,062 *habetur, unde a socio studiorum nostrorum doctissimo Leopoldo Delisle transscripta atque cum altero*[1] *saeculi XIII collata ad calcem Orderici T. V. p.* 139 *sqq. edita est. Codex ille antiquior inter alia praebet folia duo Kalendarii antiqui adiectis littera Anglosaxonica diebus emortualibus regum et virorum Anglorum e. g.:* 3. Non. Maias obitus fratris nostri Wulfgeati sacerdotis et monachi. 3. Id. Iul. Obitus Eadweardi regis. 8. Id. Iul. hic obiit Eadgar rex. 17. Kal. Iul. Depositio sancte Eadburge virginis. *Praeterea carmen in laudem Ricardi abbatis exhibet, fortasse Orderico tribuendum. Historia ecclesiastica per decursum viginti fere annorum intra annos scilicet* 1123 *et* 1142 *composita, magnam partem ex libris hodie quoque superstitibus bibliothecae olim ditissimae Uticensis*[2]*, tum ex ore populi et relationibus peregrinantium virorum a viro docto et rerum sui temporis praecipue in Normannia gestarum teste compositus, in his quidem necnon in rebus Anglicis et Francicis fidem sibi conciliat; textus tamen erroribus plurimis scatet, et melioribus testibus adhibitis examinandus est; cui negotio viros de historia bene meritos Le Prevost, Guerard, Delisle viginti annorum operam navasse novimus gratoque animo fructu inde relato usi sumus. Quorum editionem, quae in quinque tomos distributa Parisiis annis* 1838—1855 *prodiit, anteriores Chesnii et continuatorum Bouqueti tomis IX—XII. insertam*

1) Residu de S. Germain N. 97, n. 5. Archiv T. VIII. Tertius codex Uticensis N. 129 qui usque ad a. 1112. porrigebatur, et quartus bibliothecae S. Genovefae ab aliis continuatione donatus memorantur p. LXX.

2) quorum 42 enumerat et recenset V. cl. Delisle in prefatione tomi V. pag. LXIII–XCIII. et hic laudamus Eusebium, gesta et catalogum pontificum Romanorum, Pauli gesta Langobardorum, Bedae opera, Gildam, Marianum, Sigebertum, historiam Francorum Senonensem, Dudonem, Wilhelmum Gemmeticensem, Wilhelmum Pictaviensem, Godefridum Malaterram, Davidis Scoti historiam Heinrici V. imperatoris, vitas sanctorum complurium, acta conciliorum, chartas tabularii Uticensis, poemata nonnulla, gesta Romanorum, Merlini prophetias.

necnon translatorum qui inde hauserunt operas supersedere, iam inde constat, quod editores codicibus Orderici qui supersunt fere omnibus quibus opus erat usi sunt, textumque inde prolatum summo studio et doctrina illustraverunt.

Codices igitur, quos et ipse Parisiis praesens anno 1864 *in usum editionis nostrae evolvi, praeter librum supra laudatum Annalium Uticensium Nro.* 10,062 *hi sunt:*

1) *Codex autographus, olim Sancti Ebrulfi Uticensis, saeculi XII. medii, annorum scilicet* 1123—1142, *cuius scripturae specimen in tabula adiecta exhibeo*[3], *membranaceus in* 4°. *Olim in quatuor volumina distributus fuit, quorum adhuc tria in bibliotheca magna Parisiensi inter codices Latinos extant. Primum eorum numero* 5506 *signatum, prologum et libros I et II, secundum* [3] 5506. 2. *libros III. IV. V. VI, tertium, quod abolito monasterio Uticensi in bibliothecam Alencionensem indeque a.* 1847 *emtionis iure in Parisiensem transiit, inter supplementa Latina numero* 1135 *notatur, prima libri VII. folia et libros IX. X. XI. XII. XIII pene integros ideoque initium voluminis tertii et quartum fere integrum servavit. Quae vero hic desiderantur*

2) *Codex Vaticanus bibliothecae Christinae N.* 703 *praebet, olim monasterii S. Stephani Cadomensis membranaceus* 49 *foliorum in* 4°, *quem et ipsum ex monasterio Uticensi oriundum esse suspicari licet, dum finem libri VII. et librum VIII. exhibet. Quae quidem dum Romae versabatur a D. La Porte Dutheil transscripta, et tomo XVI. eius collectaneorum in bibliotheca Parisiensi collocata mihi quoque consulere licuit.*

3) *Apographa saeculi XV. exeuntis aut XVI. librorum I. et II. in bibliotheca Parisiensi inter codices S. Germani N.* 402, *librorum IV. V. VI. VII. in bibliotheca Ill. Thomae Phillipps baroneti Mediomontana N.* 1836, *et librorum VIII. IX. X. XI. XII. item in bibliothecae Parisiensi (Collectionis Dupuy N.* 875) *habentur, et nonnullis lacunis explendis usui fuerunt.*

4) *Alia saeculi XVI. apographa V. Cl. Delisle recenset in bibliotheca Parisiensi inter codices Latinos N.* 5122 *totum opus exceptis parte ultima libri VII. et libro VIII. et ex eo transscripti CC. N.* 5123 *et* 5124. *Ex iisdem fluxisse videtur*

5) *Codex bibliothecae Rotomagensis N.* 3. 4. *saeculi XVI.*

6) *Codex olim Bongarsii, hodie bibliothecae publicae Bernensis saeculi XV. libros nonum et reliquos continens, a Chesnio luci datus fuit.*

Quos praeter codices, qui ineunte saeculo XVIII. memorantur, Glannafolienses hodie latent. Codicem Parisiensem N. 4861 *olim Sancti Taurini Ebroicensis saeculo XIII. ineunte exaratum aliqua nullius pretii fragmenta Orderici exhibere docemur*[4].

Quibus subsidiis adhibitis quum editio totius operis princeps Parisiensis perfecta sit, nos eas tantum textus partes, quae ad historiam Germaniae facere videbantur, excerptas ope codicum authenticorum et apographi libri Vaticani non sine fructu recensuimus et hoc loco proponimus.

Ceterum Ordericum more saeculi sui annum a die nativitatis Domini, et indictionem die 24. *Septembris inchoare monendum restat.*

INCIPIT PROLOGUS IN AECCLESIASTICAM HYSTORIAM.

Anteriores nostri ab antiquis temporibus labentis seculi excursus prudenter inspexerunt, et bona seu mala mortalibus contingentia pro cautela hominum notaverunt; et

3) scriptura coloris fusci tum atri; littera initialis viridis rubra vel violacea. 4) Delisle T. V. p. CIV.

futuris semper prodesse volentes, scripta scriptis accumulaverunt. Hoc nimirum videmus a Moyse et Danihele factum aliisque agiographis; hoc in Darete Phrigio et Pompeio Trogo comperimus aliisque gentilium historiographis. Hoc etiam advertimus in Eusebio et Orosio de Ormesta mundi Anglicoque Beda et Paulo Cassiniensi aliisque scriptoribus aecclesiasticis. Horum allegationes delectabiliter intueor, elegantiam et utilitatem sintagmatum laudo et admiror, nostrique temporis sapientes eorum notabile sedimen sequi cohortor; verum, quia non est meum aliis imperare, inutile saltem nitor ocium declinare, et memet ipsum exercens, aliquid actitare quod meis debeat simplicibus sinmatitis placere.

5 In relatione, quam de restauratione Uticensis cenobii, iubente Rogerio abbate[5], simpliciter prout possum facere institui, libet veraciter tangere nonnulla de bonis seu malis primatibus huius nequam seculi. Non arte litteratoria fultus, nec scientia nec facundia praeditus, sed bonae voluntatis intentione provocatus, appeto nunc dictare de his quae videmus seu toleramus. Decet utique ut, sicut novae res mundo cotidie accidunt, sic ad laudem Dei assidue scripto tradantur[a]; et sicut ab anterioribus praeterita gesta usque ad nos transmissa sunt, sic etiam praesentia nunc a praesentibus futurae posteritati litterarum notamine transmittantur. De rebus aecclesiasticis, ut simplex aecclesiae filius, sincere fari dispono; et priscos patres pro posse moduloque meo nisu sequens sedulo, modernos christianorum eventus rimari et propalare satago: unde praesens opusculum aecclesiasticam hystoriam appellari affecto. Quamvis enim res Alexandrinas seu Graecas vel Romanas aliasque relatu dignas indagare nequeam, quia claustralis cenobita ex proprio voto cogor irrefragabiliter ferre monachilem observantiam: ea tamen quae nostro tempore vidi, vel in vicinis regionibus accidisse comperi, elaboro conibente Deo simpliciter et veraciter enucleare posterorum indagini. Firmiter ex coniectura praeteritorum opinor, quod exurget quis me multo perspicacior, ac ad indagandos multimodarum, quae per orbem fiunt, rerum eventus potentior; qui forsitan de meis aliorumque mei similium scedulis hauriet quod chronographiae narrationique suae dignanter ad notitiam futurorum inseret. Praecipuam nempe in hoc fiduciam habeo, quod hoc opus incepi venerandi senis Rogerii abbatis simplici praecepto, tibique, pater Guarine[6] qui secundum aecclesiae ritum ei legitime succedis, exhibeo, ut superflua deleas, incomposita corrigas, et emendata vestrae sagacitatis auctoritate munias. Inprimis ordiar de principio sine principio, cuius ope ad ipsum finem sine fine pervenire desidero, devotas laudes cum superis in aeternum canturus[b] *Alfa et Omega*[c].

EXPLICIT PROLOGUS.

EX LIBRO I[7].

INCIPIT LIBER PRIMUS AECCLESIASTICAE HYSTORIAE.

Omnipotens verbum per quod Deus pater omnia condidit, vitis vera, summusque paterfamilias, qui vineam plantavit, et a mane usque ad undecimam horam intromissis operariis excolit, ut uberem fructum ex eadem colligere possit, eamdem vineam, id est sanctam aecclesiam, nullo tempore desistit colere eiusque palmites per omnia mundi climata nobiliter propagare. Ipse etc.

Iun. 4. Anno ab incarnatione Domini 1039. Cônradus imperator obiit, et Heinricus filius eius
Ann. Utic. 17 annis regnavit. Anno quarto imperii eius magna hominum mortalitas facta est.

Anno ab incarnatione Domini 1047. apud Valesdunas acriter pugnatum est. Sed Guido[8] violentiam Henrici regis et Willelmi ducis[9] ferre non valens, victus est, atque de bello cum suis non sine magno dedecore et detrimento fugere compulsus est. His temporibus Bruno Tullensis episcopus legatione Lotharingorum fungens, Romam abiit; et in via, dum
Ier. 29, 11 quadam nocte oraret, angelos cantantes audivit: *Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis* et caetera. Bruno autem ad papam Damasum perveniens, honorifice ab eo susceptus est, et in senatu Romano cardinalis episcopus ordinatus est. Erat
1048. Aug. 9. enim pulcher et generosus, sapiens et facundus, et multis ornatus virtutibus. Eodem anno

a) ut *manu recenti inseritur.* b) caniturus *cod.* c) & *cod.*

5) Electus est abbas a. 1091, consecratus a. 1098. Aug. 28, munus deposuit a. 1123, defunctus est a. 1126. Ian. 13. PR. 6) Warinus secundum Ann. Uticenses abbas consecratus est a. 1123. Mai 8. Obiit a. 1137. Ian. 20. 7) Libri I et II scripti sunt a. 1136. et 1137, recogniti a. 1141, liber secundus circa a. 1136. 8) dux Burgundionum. 9) Normanniae.

Damasus papa defunctus est, et Bruno in Leonem papam electus est; qui sanctorum scita canonum passim restituere conatus est, quae iam transactis temporibus supradictorum regum et pontificum nimis deciderant, et pene a notitia hominum defluxerant. Ipse igitur anno Domini 1050. Remis utile concilium tenuit, et de castitate iustitiaque ministrorum 1049. Oct. Dei tractavit, et salubria decreta, quae iam antistites et presbyteri nesciebant, renovavit. Tunc ecclesiam sancti Remigii Remorum archiepiscopi Kalendis Octobris, Herimaro abbate procurante, dedicavit, et corpus eiusdem praesulis transtulit[10]; cuius solemnitas singulis 10 annis primo die Octobris in Francia celeberrime fit.

Anno Domini 1125. multorum principum mutatio facta est. Karolus-Henricus V. impe- 1125. Mai. 23. rator obiit, et Lotharius Saxonum dux in imperio successit. Tunc etiam egregii duces, Aug. 30. Guillelmus Pictavensis et Guillelmus Apuliensis, obierunt. Ann. Utic. Deinde tertio anno Karolus Flandriae dux, in ecclesia orans ad missam, Kal. Martii occisus est, eique Guillelmus Rodberti ducis Normannorum filius successit, qui sequenti anno apud Alost peremptus est. Tunc Germundus patriarcha Ierosolymitanus atque Goiffredus Rotomagensis archiepiscopus obierunt.

Anno ab incarnatione Domini 1130. Balduinus II. rex Ierusalem 18. Kal. Septembris obiit, cui Fulco Andegavorum Ann. Utic. comes gener eius successit. Secundo anno Romae Honorius papa mortuus est, et mox in ecclesia nimium schisma ex- 1130. Febr. 14. ortum est. Nam a quibusdam noctu Gregorius diaconus Papiae natus in papam electus est, et Innocentius[11] nominatus est; quem aecclesia in occidentis partibus constituta suscepit et secuta est. Tertia vero die ab aliis Petrus Leonis filius intronizatus est, et Anacletus[12] appellatus est. Hic, quia fratribus et cognatis potentibus et amicis admodum stipatus est, iam septem annis urbem Romam et redditus ac dominia papae efficaciter nactus est; ipsumque Apulia cum Sicilia et magno climate mundi secuta est.

Anno ab incarnatione Domini 1136. indictione 14. Henricus rex Anglorum et dux Normannorum, 1135. Dec. 1. pacis et iusticiae strenuus amator, et fidelis Dei cultor, inermis populi protector, aecclesiaeque sanctae fervidus defensor, in castro Leonis Kalendis Decembris defunctus est; et corpus eius aromatibus conditum in Angliam devectum est, et Radingis[13] in basilica sanctae Trinitatis, quam ipse monachis construxerat[14], sepultum est. Stephanus autem, ex sorore Hadala nepos eius, Dec. 26. in regno successit, iamque sextum[a] regni annum peragit, in[b] quo graves casus, multos dolores et multis detrimenta parientes[b] pertulit. Nam contra consules sibi rebelles Lincoliae pugnavit et victus est[c], captus et in carcere Rodberti Brihitou moerens vinctus est. 1141. Febr. 2.

Anno ab incarnatione Domini 1138. Petrus-Anacletus subito mortuus est. Ian. 25. Lotharius autem imperator[d], dum de subiugata sibi Apulia rediret, obiit[15]; eique Conradus Karoli-Henrici imperatoris nepos successit. Ann. Utic. Rogerius vero rex Siciliae pedetemptim secutus Apuliam intravit, mortuoque Rannulfo probissimo 1139. Apr. 30. duce, cui papa et augustus contra eum regionem commiserant, ablatas sibi urbes fortiter reoptinuit. Innocentium papam, qui nuper eum publice anathematizarat, per Rogerium filium suum Iul. 22. comprehendit, et pro libitu suo pacem cum illo fecit. Denique ab invito moestoque papa regnum Iul. 25. Siciliae et ducatum Apuliae recepit; et absolutus ab illo, Rogerium filium suum ducem Apuliae constituit.

Vestigia[e] maiorum prosecutus, chronographiam scribere tentavi, iamque in primo aecclesiasticae historiae libro lineam narrationis ab incarnatione Salvatoris inchoavi, et per seriem imperatorum et regum usque in hodiernum diem perduxi, quo Ioannes augustus Alexii filius praeest Constantinopoli, Lotharius vero dominatur Alemannis, Ludovicus Francis, Stephanus Anglis[f], et Remigius exmonachus Hispanis. Nunc autem in secundo, auxiliante Deo, de sanctis apostolis et apostolicis viris a priscis doctoribus edita, et ab antigraphis[16] scripta considero; et eorum gesta breviter congerere appeto, prout divini spiritus mihimet intimaverit inspiratio. De pontificibus Romanis et eorum in vinea Sabaoth cooperatoribus libet seriem diligenter perscrutari, et veraci stylo sociis id a me poscentibus profari.

a) *primo scriptum erat* secundum, *quod auctor in progressu operis atro colore mutavit in* sextum. *Hanc sententiam igitur inter Kal. Febr. anni* 1141. *et regis ex captivitate solutionem Kal. Nov* 1142, *mense Iulio quo Ordericus ultimum operis librum scripsit insertam esse D. Prevost statuit.* b) in — parientes *atro colore post addita.* c) *lacuna,* 12 *circiter litteris erasis; fortasse supplendum* ibique demum. d) *hic fuscae scripturae et paginae finis; quae in altera pagina sequuntur* dum — constituit *colore atro postmodum addita sunt.* e) Vestigia — Anglis *primo colore fusco scripta sunt anno* 1137. f) *hinc magis obscuro colore transitur in librum secundum.*

10) Secundum Anselmi Historiam dedic. eccl. S. Remigii apud Remos (Mabillon AA. SS. ord. S. Ben. VI, 1, 719) elevatur corpus sancti Oct. 1, ecclesia dedicatur Oct. 2. 11) II. 12) II. 13) Reading. 14) a. 1125. 15) 1137. Dec. 3. 16) Antigraphus: *scriptor, cancellarius.* DUCANGE.

Antistites nempe Romani a beatissimo Petro, cui primitus dictum est a domino Iesu Christo: Matth. 16, 19. *Tibi dabo claves regni celorum*, usque ad Innocentium papam, qui praeest hodie apostolicae sedi, 141 computantur. De his omnibus, quorum in gestis pontificum inserta est mentio, in sequenti libro aliquid propalare peropto.

EX LIBRO III.[17]

1056. Anno itaque dominicae incarnationis 1056, indict. 8. residente in sede apostolica Victore papa, Henricus cognomento Bonus imperator Romanorum, filius Cononis imperatoris, obiit, eique Henricus filius eius successit et annis quinquaginta regnavit.

In diebus illis erat quoddam honorabile xenodochium in confinio Baioariorum et Hunorum, quod fideles et potentes christiani de circumiacentibus provinciis instituerant ad susceptionem pauperum et peregrinorum. Tunc Ansgotus Normannus huic xenodochio electione indigenarum praeerat. Is nimirum Rogerii Toenitis, qui Hispanicus vocabatur, cognatus erat, et sub ducibus Normannorum Ricardo et Rodberto nobiliter militaverat; sed timore Dei compunctus omnia mundi reliquerat, et peregrinationem atque spontaneam paupertatem omni vita sua tenendam pro Christo arripuerat. Hic ut Teodericum abbatem cum sociis suis vidit, optime recognovit, et aliquot diebus ut compatriotas amabiliter retinuit, atque omnem humanitatem eis exhibuit.

Interea quidam religiosus Baioariorum pontifex peregre proficiscens illuc advenit, quem hospitalis Ansgotus cum omnibus suis clientibus more solito venerabiliter aliquot diebus ibidem retinuit. Deinde venerabilem Teodericum cum suis pedisequis ei suppliciter commendavit, et quantae sanctitatis apud Deum et sublimitatis erga homines in sua patria esset, luculenter enarravit. Praesul autem audita viri sanctitate Deo gratias egit, eumque, ut decebat tantum virum, benigniter suscepit, secumque reverenter usque Antiochiam deduxit. Ibi diversa peregrinis voluntas oborta est. Nam quidam eorum terrestre iter, ut ceperant, usque in Ierusalem tenere volebant. Alii vero barbariem gentium metuentes, navigio per pontum ire decreverunt, quorum consilio pontifex et abbas aliique plures assensum praebuerunt. Cumque praesul navem nautasque peritos perquireret, et quidam religiosus archimandrita cenobii sancti Symeonis in portu Syriae Teodericum cum suis comitibus honorabiliter detineret, Herbertus Uticensis monachus iter accelerandi desiderio fatigabatur, magisque per terram quam per mare sancta loca expetere nitebatur. Abbas itaque suus ei licentiam eundi quo vellet dedit. Ille autem terrestre iter carpens, cum turma peditum usque Laodiciam pervenit, ibique vehementer aegrotans sociis abeuntibus diu remansit. Et postquam vix de lectulo surrexit, non in antea pedem tetendit, sed Eois partibus relictis occidentalem Normanniam quamtotius repetiit.

Deinde praesul et Teodericus et Willermus Bona Anima sociique eorum in portu Sancti Symeonis navem ascenderunt, et sulcantes aequora in Cyprum insulam navigaverunt, ibique in littore maris abbatiam sancti Nicolai confessoris Myreorum archipraesulis conditam invenerunt. Cumque ecclesiam introissent, ibique prout coelestis gratia singulis inspiraverat Deum orassent, Teodericus post multas lacrymas de oratione surrexit, et labore senectutis taedioque maris aliisque incommodis fractus, in ecclesia anxius resedit. Tunc ab episcopo sibi fidissimo comite quid sibi contigisset cum interrogaretur, respondit: *Terrestrem Ierusalem, mi pater, adire decrevi, sed credo mihi aliter a Domino disponi. Anxietate corporis valde crucior; unde coelestem magis quam terrestrem Ierusalem appetendam esse arbitror.* Cui episcopus ait: *Ego, carissime frater, nunc ibo hospitium tibi procurare, et tu interim hic sedens requiesce.* Episcopus itaque hospitium sibi quaerere perrexit, et Teodericus ad altare accessit, ibique diu Deum, cui ab infantia fideliter servierat, oravit. Deinde coram altari se ad orientem prostravit, pannos circa se honeste composuit, super dextrum latus recubans, quasi dormire volens, caput suum super marmoreum gradum reclinavit, manusque super pectus in modum crucis aptavit, sicque Kal. Augusti fidelem spiritum Deo creatori reddidit.

EX LIBRO IV.[18]

1069. In illa tempestate Suenus rex Danorum magnam classem Danis et Anglis accuratissime instruxit, duosque filios suos et Osbernum fratrem suum pontificesque duos

17) Excepto prologo scriptus est circa annum 1123. 18) Scriptus est a. 1125.

comitesque tres dilectissimos praefecit, et in Angliam misit. Multotiens enim pecuniis 1069. Anglorum et obnixis precibus fuerat sollicitatus et ruina suorum, qui nuper in Heraldi conflictu occisi fuerant, motus; quin etiam proxima cognatione ad regni cupiditatem incitatus, utpote nepos Eduardi regis, Hardecunuti filius. Hic ingenti potentia pollebat, universas regni sui vires contrahebat, quibus a vicinis regionibus et amicis auxilia magna coacervabat. Adiuvabant eum Polenia, Frisia necne Saxonia. Leuticia quoque pro Anglicis opibus auxiliares turmas mittebat. In ea populosissima natio consistebat, quae gentilitatis adhuc errore detenta verum Deum nesciebat; sed ignorantiae muscipulis illaqueata, Guodenen et Thurum Freamque aliosque falsos deos, immo daemones colebat. Haec gens terra marique praeliari perita erat, quam Suenus cum rege suo saepe vicerat suaeque ditioni subegerat. Multis itaque triumphis sublimatus[a], ut sibi adhuc augeret potentiam et decus, contra Guillelmum regem, ut praediximus, magnam classem in Angliam misit Suenus. Appulsos Doveram regiorum militum occursus repulit. Itidem apud Sanguicum[19] abacti sunt, 19 sed a Normannis repulsi sunt. Nacti opportunitatem egrediendi, apud Gepesvicum[20] in praedam diffusi sunt; sed provinciales congregati triginta necaverunt, et reliquos in effugium coegerunt. Egressos Northguici[21] ad similem discursionem Radulfus de Guader invasit, et multis ferro, multis aqua vitam ademit, et reliquos turpiter navigium arripientes in pelagus abire compulit. Rex autem Guillelmus tunc in Dana silva[22] erat, ibique pro more venatui vacabat. Illic audito adventu Dacorum, statim nuncium direxit Eborachum, monens suos ut sese cautius in eos praepararent, ipsumque si forte necessitas posceret advocarent. Remandaverunt custodes praesidiorum non indigeri subventu eius ad annum. Iam Adelinus, Guallevus, Siguardus aliique praepotentes Angli ad Danos contulerant se. Perventum est ad Humbrae lati fluminis hostium. Adelinus ibi seorsum ab socia turba cum quibusdam suorum praedatum ierat. Quos insiliens familia regis e Lincolia cepit omnes, exceptis duobus cum Adelino elapsis, et navim confregit, quam custodia pavens deseruit.

Dani Eboracum accedunt, nimisque incolarum contubernio aucti sunt. Guallevus enim, Gaius Patricius, Marius Suenus, Elnocinus, Archillus et quattuor filii Karoli antesignani erant, et Danos Northwigenasque praecedebant. Castellani obviam eis inconsultius exeunt, et intra urbis moenia infeliciter confligunt. Non valentes resistere multitudini, omnes aut interimuntur, aut capiuntur. Castella desolata patent. Securo regi casus suorum nunciatur, terribilitas hominum maior quam sit amplificante fama refertur, et quod cum ipso dimicaturi confidenter praestolentur. Rex ergo tam dolore quam ira conturbatur, ac ad hostes cum exercitu properare conatur. Illi vero metu magni debellatoris in Humbram aufugiunt, et ripae, quae Lindissem[22*] attingit, applicant. Ipse illuc cum equitatu contendit, nefarios quosdam in paludibus pene inaccessibilibus reperit, gladioque punit, et aliquot latibula diruit. In ripam alteram evadunt Dani, opperientes tempus quo se sociosque suos possent ulcisci.

Eo tempore Saxones occidentales de Dorseta et Summerseta cum suis confinibus Montem-Acutum assilierunt, sed divino nutu impediti sunt. Nam Guentani, Lundonii, Salesberii, Gaufredo Constantiensi praesule ductore, supervenerunt, quosdam peremerunt, partim captos mutilaverunt, reliquos fugaverunt. Guali et Cestrenses praesidium regis apud Scrobesburiam[23] obsederunt; quibus incolae civitatis cum Edrico Guilda potenti et bellicoso viro, aliisque ferocibus Anglis auxilio fuerunt. Idem apud Exoniam Exoniensis comitatus habitatores fecere, et undique coadunata turba ex Cornu Britanniae. Nam supremi fines Anglorum occidentem versus et Hiberniam Cornu Britanniae, id est Cornvallia, nominantur. Exoniae cives regi favebant, non immemores pressurarum quas olim passi fuerant. Protinus rex, ubi haec accepit, comites duos Guillelmum et Briennum laborantibus subvenire praecepit. Verum priusquam illi Scrobesburiam pervenissent, urbe combusta hostes discesserant. Defensores quoque Exoniae subito eruperunt, et impetu in se obsidentes abegerunt. Fugientibus obvii Guillelmus et Briennus grandi caede temeritatem punierunt.

Anno quinto regni sui Guillelmus rex Guillelmum Osberni filium misit in Norman- 1071. niam, ut cum Mathilde regina tueretur provinciam. Tunc nimia dissensio inter principatus haeredes in Flandria surrexit. Balduinus[24] enim gener Rodberti regis Francorum,

a) *codex constanter* sullimatus *et similia scribit.*

19) Sandwich. 20) Ipswich. 21) Norwich. 22) Dean silva, in comitatu Glocester, apud villam Mitcheldean. 22*) Lindsey. 23) Shrewsbury. 24) Balduinus V.

1071. fortissimus Flandrensium satrapa fuit, et ex Hadala coniuge sua filios et filias plures multimoda indole pollentes habuit. Rodbertus Fresio, Arnulfus, Balduinus[25], Udo Treverorum archiepiscopus et Henricus clericus et Mathildis regina atque Iudith uxor Tostici comitis, soboles Balduini et Hadalae sunt. De quorum moribus et variis eventibus sophistae magna volumina componere possunt. Rodbertus primogenitus iamdudum patrem offenderat, a quo repulsus et eiectus, ad Florentium ducem Fresionum patris sui hostem secesserat, eique favorabiliter serviens filiam eius in coniugium acceperat. Unde Flandrensis dux vehementer iratus infremuit, Fresionem eum prae ira cognominavit, et eum omnino extorrem de- 1070. Iul. 21. nuncians, Arnulfum iuris sui haeredem constituit. Non multo post Balduinus dux defunctus est et Arnulfus Morinorum ducatum parvo tempore nactus est. Nam Rodbertus Fresio ingentem Fresionum aliarumque gentium catervam aggregavit, et Flandriam obnixe expugnavit. Philippus autem rex Francorum, qui consanguineus erat eorum, ad auxilium Arnulfi exercitum Gallorum adunavit, et Guillelmum comitem, Normanniae custodem accersiit. Ille vero cum decem solummodo militibus regem adiit, et cum eo alacriter quasi ad ludum in Flandriam accessit. Rodbertus autem Fresio exercitum Henrici imperatoris cuneis suis sociavit, et dominico septuagesimae, 10. Kal. Martii mane imparatos praeoccupavit, et Philippo 1072. Febr. 20. rege cum Francis fugiente, Arnulfum fratrem suum et Balduinum[26] nepotem suum et Guillelmum comitem telis suorum occidit[27]. Postea Morinorum ducatum diu tenuit, mo- 1093. Oct. 13. riensque filiis suis Rodberto Ierosolimitano et Philippo reliquit. Guillelmi vero comitis corpus in Normanniam a suis delatum est, et in coenobio Cormeliensi cum magno suorum luctu sepultum est. Duo quippe coenobia monachorum in suo patrimonio construxerat in 28 honore sanctae Dei genitricis Mariae. Unum quidem erat Lirae[28] secus Riselam fluvium, ubi Adeliza uxor eius tumulata est; aliud vero Cormeliis, ubi ipse, ut diximus, conditus est. Normannorum maximum strenuitate baronem valde omnes planxerunt, qui largitates eius et facetias atque mirandas probitates noverunt. Haereditas eius a rege Guillelmo filiis eius distributa est. Willelmus maior natu Britolium et Paceium et reliquam partem paterni iuris in Normannia optinuit, et omni vita sua fere 30 annis tenuit. Rogerius autem iunior frater comitatum Herfordensem, totumque fundum patris in Anglia optinuit; sed paulo post propter perfidiam et proterviam suam, ut in sequentibus enodabitur, perdidit.

Reginae Mathildi, licet potenter regnaret et innumeris opibus abundaret, luctus ingens ortus est de morte patris, de desolatione matris, de crudelitate unius fratris, qua ruina subito facta est alterius fratris et kari nepotis cum multis amicis. Sic omnipotens Deus immemores sui terrigenas percutit, superbos deicit, et quod dominetur excelsus super omnem terram lucide ostendit. Rodbertus itaque Fresio totam sibi Flandriam subegit et fere 21 annis possedit, amiciciamque Philippi regis Francorum facile promeruit. Ipsi nempe maiorum origine erant consobrini, et ambo coniuges habebant filias Florentii Fresionum marchisi, et filii eorum vinculo huiusmodi necessitudinis huc usque tenentur constricti[29]. Porro inter Normannos et Flandritas recidiva dissensio prodiit, et propter necem fratris reginae aliorumque affinium, et maxime pro casu Guillelmi comitis diu perduravit. Turbatis in Normannia rebus rex Angliae regnum optime disposuit, et ipse in Normanniam, ut ibidem omnia recte et utiliter edomaret, properavit. Audito undique regis adventu pacis amatores laetati sunt, sed filii discordiae et foedi sceleribus ex conscientia nequam adveniente ultore contremuerunt. Tunc Normannorum et Cenomannensium maiores congregavit, et omnes ad pacem et iustitiam tenendam regali hortatu corroboravit. Episcopos quoque et ecclesiasticos viros admonuit ut bene viverent, ut legem Dei iugiter revolverent, ut ecclesiae Dei communiter consulerent, ut subditorum mores secundum scita canonum corrigerent, et omnes caute regerent.

EX LIBRO V.[30]

Maiorum exempla sectantes, lethale otium indesinenter debemus devitare, utilique studio et salubri exercitio ferventer insudare; quibus intenta mens a vitiis emundatur, et in omne

25) Balduinus VI, non frater sed pater Arnulfi, qui a. 1070. d. Iul. 21. obiens, Flandriam Arnulfo filio reliquit. PR. 26) fratrem Arnulfi, qui Hannoniae comes primo Hierosolymitano itineri interfuit. PR. 27) apud Bavinchove prope Cassel in Flandria. 28) Lire et Cormeille. 29) Philippus rex Bertham Florentii filiam, Robertus Friso Florentii relictam Gertrudem de Saxonia duxit. PR. 30) scripto a. 1127. et sequentibus; liber sextus circa a. 1131. scriptus, a. 1141. recognitus est.

nefas vitali disciplina gloriose armatur. *In desideriis est*, ut ait Salomon, *omnis otiosus*. Et: *Desideria occidunt pigrum*. Piger nimirum et otiosus est, qui bona voluntate carens, sponte Prov 21, 25. vitiis submissus est. Miserabiliter segnitie premi iudicatur, qui in lege Domini die ac nocte, id est in prosperis et adversis, non meditatur, nec insidiis seu luctatibus Satanae reluctando resistere conatur, ut supernae vocationis bravium adipisci mereatur. Hunc procul dubio nociva desideria occidunt, dum in bono torpentem ad scelus pertrahunt, et per amplam proprii libitus viam in barathrum perditionis immergunt. Maiores igitur nostri pigritiam et otiositatem, animae inimicam, penitus condemnant, suosque sequaces ad commodum laborem et exercitium verbis et exemplis invitant; et in hac re non solum christiani, sed etiam poetae gentiles consonant. Ait enim Virgilius:

Quid labor aut benefacta iuvant? Labor* omnia vincit Georg. 3, 525.
Improbus, et duris urgens in rebus egestas. *Georg. 1, 145.

Ovidius quoque libidini resistere volentem sic instruit contra Venerem, dicens:

Otia corrodunt mentes et corpora frangunt.
Fac, fugias monitis otia prima meis. Rem. am 135 139 140
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptaeque iacent et sine luce faces.

Haec et alia huiusmodi diligenter perpendens, pater Guarine, aliquid quod aliquibus in domo Dei fidelibus prosit seu placeat, decrevi simpliciter edere, arreptum vero sedimen vigilanter tenere, ne cum servo torpente pro absconso in terra talento damner, Domino ad iudicium veniente. Primo itaque praeceptis venerandi Rogerii abbatis et postea vestris optavi parere, opusculum incipiens de statu Uticensis ecclesiae, quod priores nostri sese mutuo exhortati sunt facere, sed nullus eorum voluit hoc incipere. Nam quisque silere quam loqui maluit, et securam quietem edaci curae transactas res indagandi praeposuit. Libenter quippe legissent actus abbatum fratrumque suorum, et parvarum collectionem rerum suarum, quae ab egenis sed devotis fundatoribus tenuiter auctae sunt ingenti sollicitudine patrum; sed ad dictandi seu scribendi sedimen suum renuerunt curvare ingenium. Tandem ego de extremis Merciorum finibus decennis Angligena huc advectus, barbarusque et ignotus advena callentibus indigenis admixtus, inspirante Deo Normannorum gesta et eventus Normannis promere scripto sum conatus. Iam duos opitulante Deo libellos edidi, quibus de reparatione sedis nostrae et de tribus abbatibus nostris, cum quibusdam casibus temporis illius breviter inserui, veraciter allegans, prout ab annosis senioribus diligenter exquisivi. Amodo tertium ab anno incarnationis dominicae 1075 libellum exordiar, et de abbate meo ac Uticensi concione et de rebus per duodecim annos, scilicet usque ad Guillelmi regis obitum, gestis eloquar. A praefato nempe anno placet inchoare praesens opusculum, quo in hanc lucem 14. Kal. Martii matris ex utero profusus sum, sabbatoque sequentis Febr. 16. paschae apud Ettingesham in ecclesia sancti Eattae confessoris, quae sita est super Sabrinam Apr. 11. fluvium per ministerium Ordrici sacerdotis sacro fonte renatus sum. Post quinquennium Siwardo nobili presbytero litteris erudiendus a genitore traditus sum, cuius magisterio prima percipiens rudimenta, quinque annis subiugatus sum. Undecimo autem aetatis meae anno pro amore Dei a proprio genitore abdicatus sum, et de Anglia in Normanniam tenellus exul, ut aeterno regi militarem, destinatus sum. Deinde a venerabili patre Mainerio susceptus, monachilis habitus trabea togatus, sinceroque monachorum conventui foedere indissolubili sociatus, iam 42 annis lene iugum Domini gratanter baiulavi, et cum coaevis meis secundum regulae institutionem in via Dei pro posse meo alacriter ambulavi; ecclesiasticum morem et servitium ediscere laboravi, et semper ad aliquid utile ingenium applicavi.

Si pontifices nostri aliique rectores orbis tantae sanctitatis essent, ut pro illis et per illos miracula divinitus fierent, sicut olim ab antiquis patribus crebro facta sunt, atque sparsim diffusa per codices, lectorum corda suaviter imbuunt, et gloriam priorum miranda magistrorum signa praesentibus recolunt; excusso torpore memet ipsum exercerem, et digna relatu notitiae posterorum avidae scripto transmitterem. Verum quia nunc est illa tempestas, qua multorum refrigescit caritas et abundat iniquitas; sanctitatis indicia cessant miracula, et multiplicantur facinora ac luctuosa in mundo querimonia. Historiographis ad scribendum uberius thema dant praesulum litigia et cruenta principum praelia, quam theologorum syntagmata vel xerophagorum parcimonia sive prodigia. Antichristi tempus appropinquat, ante cuius faciem, ut Dominus beato Iob insinuat, praecedet egestas miraculorum,

nimiumque in his qui carnaliter amant se ipsos, grassabitur rabies vitiorum. Nunc audacter in nomine Domini prosequar quod coepi, venerabilis abba, beniguiter fisus quod vestra corriget solertia quidquid mea deliquerit inscitia.

EX LIBRO VII.[30]

30 Anno ab incarnatione Domini 1084. indictione septima, Henricus, Teutonicus rex, multitudinem Saxonum[a], Alemannorum, Lotharingensium aliarumque gentium coacervavit, 1083. Iun. 2. Italiam violenter ingressus penetravit, Romam obsedit et expugnavit. Porro Romanis, pro cupiditate munerum, quae illis spoponderat, sese dedentibus, Urbem caepit, Gregorium VII. 1084. Mart. 24. de sede apostolica expulit[b], et Witbertum Ravennatium metropolitam ei nefarie subrogavit. Tunc Gregorius Beneventum secessit, et maxima dissensio in Urbe orta, magnum filiis ecclesiae detrimentum generavit, et ad multorum perniciem diu permansit. Gregorius enim papa, qui Hildebrannus in baptismate dictus fuerat, a puero monachus fuit, omnique vita sua sapientiae et religioni admodum studuit, assiduumque certamen contra peccatum exercuit. Per singulos gradus ecclesiasticorum ordinum usque ad summi pontificatus apicem ascendit, in quo sedecim annis legem Domini vigilanter observare studuit. Zelo quippe veritatis et iustitiae inflammatus, omne scelus arguebat, nullique contra rectitudinem pro timore seu favore parcebat. Inde persecutionem et exilium ab indomitis et iugo Domini contrariis pertulit[c], nec tamen ab eis qualibet arte vinci usque ad mortem potuit[d].

Henricum ergo, Teutonicorum regem, quia divinae legis praevaricator erat incorrigibilis, saepe admonuit, corripuit, ad postremum excommunicavit. Nam princeps praefatus uxorem suam, Eustachii Boloniensium egregii comitis filiam[31], reliquit, et sordidis adulterii voluptatibus, ut porcus luto gaudens, inhaesit, Deique legibus et bonorum exhortationibus omnino infestus obstitit. Godefridus autem Lotharingiae dux, turpi repudio sororis suae mestus, bellum contra Henricum commovit, et multis in unum milibus congregatis cum eo conflixit, ipsumque cum dedecore victum de campo fugavit, et sic iniuriam sororis suae vindicavit.

Saepe[32] idem rex proceres suos, quorum uxores seu filias vel praedia concupiscebat, ad curiam suam fraudulenter accersiebat, et occulte praemissis satellitibus suis, in via securos perimebat. His aliisque multis nequitiis foedus rex se inficiebat[e], et innumeros complices pariter perditionis ad perniciem secum trahebat. Gregorius papa tantorum scelerum querelas ut audivit, praefatum virum ut vitam suam emendaret plerumque obsecravit. Sed illo nequiter medicum et doctorem subsannante, nihil profecit. Saepe multorum praesulum sinodum adunavit, et de christiano imperio, quod tam[f] turpiter et nefarie polluebatur, qualiter corrigeretur, tractavit. Denique Henricum saepius admonitum et in facinoribus pertinaciter resistentem iudicio sinodi excommunicavit, et sub anathemate obduratum, potestate regni damnabiliter usurpata expoliavit; et Conradum comitem auctoritate apostolica per plurimorum manus praesulum in regem consecravit. Privatus itaque Henricus per unum annum in domo propria conticuit, et comitatu, quem haereditario iure a parentibus susceperat, potitus, delituit[g]. Sed auxilia multa, sumptibus de thesauro, quem copiosum olim congesserat, dapsiliter datis, procuravit. Deinde multis milibus complicum aggregatis, Conradi[h] decretum contempsit, publicus hostis rebellavit, contra Conradum regem pugnavit[i], ipsum deiectum iugulavit, et exercitum eius varia clade quassavit.

Henricus itaque, hac victoria elatus, imperium quod amiserat invasit, rebelles cohercuit, magnisque sibi viribus adauctis Romam obsedit, totumque conatum contra Gregorium papam exercuit. Menti eius, ut reor, penitus exciderat, quod Absalon ingentes turmas contra David patrem suum congesserat, consilio Achitophel Gilonitis arma levaverat, ipsoque patre cum suis discedente Ierusalem invaserat, ac ad ultimum multa bellatorum milia pessumdederat; sed nefaria voluntate in multis completa, miserabiliter perierat. Sic iste contra patrem suum arma sustulit, meritoque postea diram a prole sua persecutionem pertulit. Inquirentibus vero, cur tam horrenda contra caput aecclesiae praesumpserat, hanc

a) Saxum 2. b) expulso 2. c) perculso 2. d) poluerit 2. e) interficiebat 2. f) iam 2. g) potius destituto 2. h) commune *ed.* i) publicum 2.

30) post a. 1135. scripto. 31) Haec manifeste falsa esse monstrat Prevost. 32) Cf. Brunonis bellum Saxonicum.

tantae discordiae causam inter se et papam esse, cum cachinno asserebat, quod medicus aegrotum nimis acriter curare impatientem nisus fuerat.

Obsidionem ergo validam rex effrenis Romae applicuit, Romanos viribus et minis terruit, muneribus et promissis lenivit, et his modis cives alliciens, Urbem obtinuit. Deficientibus itaque Romanis, Gregorius papa Apuliam expetiit, ibique a Normannis honorifice susceptus, quatuor annis habitavit, et mandata vitae filiis aecclesiae propinans, finem laborum peregit. Tunc Henricus augustus Witbertum Ravennatium metropolitanum, quem Clementem nuncupaverunt, in ovile Domini contra fas intrusit[a], et hac de causa gravis in mundo et diutina dissensio multos duplici morte mulctavit. Mediolanenses et Maguntini et multi alii, qui Witberto favebant, Gregorianos omnes anathematizabant, armis quoque crudeliter impugnabant. E contra Gregorius cum suis errantes Witbertinos ad unitatem ecclesiae revocabat, et redire contempnentes secundum ius ecclesiasticum excommunicabat.

Odo, Sutriae comes, invasoris Witberti nepos erat, omnesque tam peregrinos quam indigenas quos poterat ad nefariam partem deflectere vi precibusque elaborabat, et resistentes indebitamque subiectionem haeretico denegantes torquebat aut morte ferali puniebat. In tanta obscuritate catholica gemebat aecclesia, orans Deum, qui vera lux est et iustitia, ut, prostratis et ablatis discordiae auctoribus, pacem et veritatem conferret in terra bonae voluntatis hominibus.

In diebus illis eloquens Graecia gravi bellorum turbine quatiebatur, et ingentibus damnis afflicta, timore et luctu affatim replebatur. Bittinacius[34] enim Graecus, nimiae cupiditatis et 34
proterviae spiritu inflammatus, imperium invasit, Michahelem, Constantinopolitanum imperatorem, de regno expulit, et filium eius, qui in regno ei succedere deberet[b], oculis privavit, et in carcere compedibus constrinxit, filias duas Roberti Wiscardi, quarum unam idem iuvenis desponderat, custodiae mancipavit. Perturbatus vero Michahel in Italiam confugit, 1080.
auxiliumque Normannorum sibi sobolique suae humiliter efflagitavit. Magnanimus autem Wiscardus dux augustae maiestatis exulem honorifice suscepit, obsequiis et favoribus lenivit, et multiplex ei adiutorium alacriter spopondit. Nec mora, sicut pollicitus est, eum ulcisci vehementer molitus est. Verum multa laboriosa, nolente Deo, frustra comminatus[c] est; sed ei ad effectum rem, quam summopere flagitabat, producere permissum non est.

Alexius, princeps militiae, iussu Michahelis in Paphlagoniam ierat, secumque contra 1081.
Turcos, Niceam Bithiniae urbem obsidere captantes, exercitum Graeciae duxerat. Qui, dum audisset expulsionem ingenui imperatoris et temerariam tyrannidem perfidi praesumptoris, exercitum alloquitur, et quid agendum sit percunctatur. Erat enim prudens et probus, audax et largus et amabilis omnibus. Omnes igitur ei favent, eiusque iussui se promptos exhibent. Ille mox hortatur, ut unanimes Byzantium obsideant et imperiale ius vecordi tyranno viriliter auferant. Obsidione itaque Constantinopolis aliquot diebus vallata est. Sed per Raimundum Flandrensem[35], qui praecipuus custos et ianitor urbis erat, consulto civium patefacta est. Alexius augustale palatium intravit, Bittinacium de regali throno praecipitavit, Apr. 1.
prolixam ei barbam detruncavit, et carcerali custodiae illaesum commendavit[d]. Ipse cunctis gaudentibus imperiale sceptrum et diadema sumpsit, regnumque 30 annis in adversis et Apr. 4.
prosperis strenue viriliterque rexit. Erat enim multum sapiens et misericors pauperibus, bellator fortis et magnanimus, affabilis militibus munerumque dator largissimus divinaeque legis cultor devotissimus. Ipse mox ut regnare coepit, filium Michaelis, quem caecatum retuli, de vinculis sustulit, et abbati cenobii sancti Ciri tutandum tradidit. Ille vero, utpote mundo inutilis, monachus ibidem factus est, omnique vita sua cum servis Dei commoratus est. Filias quoque Wiscardi praefatus heros, ac si ipse genuisset eas, amavit blanditer et pie tractavit, et fere 20 annis sub tutela sua in deliciis educavit. Officium illarum erat mane, dum imperator de suo stratu surrexisset manusque suas ablueret, mappulam et pectinem eburneum afferre, et barbam imperatoris pectere. Nobiles puellae facili gratoque servitio a liberali principe deputatae sunt, quae post longum tempus Rogerio comiti Siciliae, augusto faventi, ut amico redditae sunt.

a) intromisit *ed.* b) debet 2. c) commenatus 2. d) commodavit 2.

34) Nicephorus Butaniotes; cf. Romoaldi Ann. supra T. XIX. p. 408. 409. 35) apud Romoaldum Arno ex genere Alamannorum dictus.

Cotidie mundi rota versatur titubantis.
Vera probant[a] fieri mortales dicta Tonantis.

Luc. 6, 38. *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Ecce, sicut Michael pepulit Diogenem vitricum[b] suum de regali solio, sic ipse de eodem culmine praecipitatus est a Bittinatio; qui nihilominus simili repulsa deiectus est ab Alexio.

Alexius cum patriarcha regiae urbis ac sapientibus et senatoribus regni Grecorum consilium habuit et rebus gestis tam priscis quam modernis profundae perscrutatis[c] comuni decreto, definivit ne sacrum imperium redderetur Michaeli, qui ad hostes publicos confugerat, et malefidis se et omnia sua Normannis commiserat, quibus moris est imperium sociis non reddere sed auferre, et quos ab aliis debent liberare atque ad obtinendum debitos fasces adiuvare, crudeli ritu demptis honoribus sibi penitus subiugare. Anglos igitur, qui perempto Heraldo rege cum proceribus regni Albionem reliquerant, et a facie Willelmi regis per Pontum in Traciam navigaverant, Alexius in amicitiam sibi ascivit, eisque principale palatium regiosque thesauros palam commendavit; quin etiam eos capitis sui rerumque suarum custodes posuit. A quatuor mundi climatibus in munere bellatorum cohortes contra eum convenerunt, ipsumque vita regnoque privare multum conatae sunt. Sed frustra vehementer laboraverunt. Nam ipse multas inimicorum insidias protegente Deo evasit, et in senectute sua Iohannem filium suum consortem imperii fecit. Sic cunctis sapienter intuentibus perspicue lucet, quod quem[d] Deus defensat ac refovet, nemo deicere vel adnihilare praevalet.

Procellis itaque tot motionum, ut diximus, in Illirico saevientibus, et Michaele Italos ad auxilium sui sollicitante lacrimis et questibus, Robertus Wiscardus ex omni ducatu Apuliae
1081. Mai. et Calabriae fortem exercitum Normannorum et Langobardorum contraxit, et valida classe parata, portum Otrentae intravit; deinde prosperis ventis spirantibus per mare Dyracio
Iun. 16. applicuit, et oppidanis viriliter obstantibus, in fine Iunii mensis urbem obsedit. In exercitu quippe suo non plus quam 10 milia bellatorum habebat, nec in numero sed in fortitudine virorum adversarios terrebat, et bellicosam a priscis temporibus Adrasti[e] et Agamemnonis Greciam invadebat. Robertus Gifardus et Gullielmus de Grentemasnillo aliique probatissimi tirones, qui nuper de Neustria venerant, huic expeditioni aderant. Marcus Buamundus, Wiscardi filius ex Normannica matre, patrem iuvabat, partem exercitus absente patre provido regimine ducebat, et in omnibus prudenter agens, futurae virtutis specimen[f] praestabat. Rogerius autem frater eius, cognomento Bursa, iussu patris in Apulia remanserat, ac ducatum sibi ex haereditate matris debitum custodiebat.

Alexius imperator, Diracianorum planctu excitus, ingentem exercitum aggregavit, et
1082. obsidentes urbem suam terrestri navalique praelio conterere sategit. Interea dum augustales veredarii[36] undique mitterentur, et cohortes bellatorum de insulis maris et de adiacentibus provinciis contraherentur, quadam die Marcus Buamundus cum quinquaginta militibus pabulatum perrexit, et quingentis militibus, qui obsessis adminiculaturi[g] exercitum expediti[h] praeibant, forte obviavit. Mox ut sese mutuo viderunt, vere certamen inierunt. Porro Danai, Normannorum impetum non ferentes, terga verterunt, multasque manubias amiserunt. Tunc aeream crucem perdiderunt, quam Constantinus imperator, pugnaturus contra Maxentium, visa cruce in coelo, fecerat. Redeuntes itaque de conflictu Normanni gaudium ingens et victoriae spem sociis intulerunt[i]. Pelasgi autem gravissimum dolorem et diffidentiam pro amissa cruce Domini habuerunt, quam maximo auri talento redimere multum laboraverunt. Verum Wiscardus talem mercatum agere indignum duxit, quia aes in cruce pro virtute Christi pretiosius omni auro aestimavit. Hanc itaque crucem secum in multis periculis portavit, quam post mortem eius cenobium sanctae Trinitatis Venusiae reverenter usque hodie custodit; et cum aliis sanctorum pignoribus excolitur.

1081. Oct. 18. Mense Octobri Alexius imperator Diracio appropiavit, et legiones suas ex multis nationibus accitas ad bellum ordinavit. Deinde commisso praelio, magna sanguinis effusio facta est, et ingens detrimentum utrique parti saevo Marte[k] furente collatum est. Denique fidelem paucitatem et instantiam occidentalium peregrinorum Dominus de celo respexit, eisque victoriam concessit, copiasque orientales, quae in virtute sua confidebant, terruit et cum dedecore fugavit. Deinde Robertus dux, tam nobili triumpho exhilaratus, Diracium reliquit,

a) probate 2. b) victricum 2. c) *ita corrigo* per scrutatis 2. d) quomodo 2. e) Adiasli 2. f) speccmatis 2. (speciem?) g) adminiculari 2. h) expeditus 2. i) retulerunt 2. k) morte 2.

36) nuncii equis instructi.

longiusque cum exercitu suo progressus, in Bulgaria hiemavit. Regionem enim circa Diracium obsidione trium mensium devastaverat, et nihil ibi unde homines vel equi subsistere possent dimiserat.

Tunc legati Romanae aecclesiae ad Robertum ducem cum litteris apostolicis venerunt, 1082. eumque suppliciter salutantes, dixerunt: *Gregorius papa, o strenuissime dux, ut pater filium, te humiliter et obnixe obsecrat, ut apostolicae sedi festinanter invincibilis tua probitas subveniat, nec ullam huic subventioni pro amore Dei excusationem praeponat. Henricus enim, Alemannorum rex, Romam obsidet, et papam cum clero sibi adhaerente in arce Crescentis inclusum cohercet. Ibi nimirum papa circumseptus cum turma fidelis populi timet defectione Quiritum, qui nimis cupidi sunt et versipelles, deludi et manibus inimicorum tradi irreverenter. Ad te igitur ab illo missi sumus, celeremque opem tuam ad tantam necessitatem requirimus. Fortitudo tua super omnes inimicos tuos divinitus sublimata est, nec ei mortalis manus resistere potest, quamdiu Deo militaveris, et vicario sancti Petri principis apostolorum obedieris.*

His auditis, magnanimus heros valde anxiatus est. Nam venerando papae a protervis leonibus profligato, sicut Petro in carcere Herodis, succurrere desiderat, et exercitum suum, quem[a] numero paucissimum inter multos hostes et callidos atque atroces computat, in terra aliena sine duce velut agnos inter lupos relinquere vehementer haesitat. Tandem erectis luminibus mentis ad Deum, a quo[b] omne bonum procedit, convocatis agminibus suis cum Buamundo filio suo, ait: *Semper obsecundare Deo, qui per communem catholicae aecclesiae pastorem alloquitur nos, oportet. Auxiliante Deo, iussioni papae obediam, et quam citius potero, ad vos redire satagam. Interea vos prudenter in hac provincia requiescite, et inter hostes undique circumspecti estote. Si quis praesumpserit bello vos impetere, in virtute Dei viriliter resistite. Vos tamen cavete ne bellare incipiatis, nec occasionem praeliandi hostibus detis, neque indigenas, quousque regressus fuero, contra vos lacessatis. Iniunctam mihi[c] a Domino servitutem inibo, et si vita comes fuerit, celeriter redibo. Per animam Tancredi patris mei iuro, et hoc iureiurando vobis firmiter assero, quod, donec reversus ad vos fuero, non utar balneo, barba mea non radetur, neque caesaries mihi tonsorabitur[d].*

Post haec verba bellicosus miles cum paucis commilitonibus mare mox ingressus est, Deoque ducente in Apuliam profectus est, et inde assumptis armatorum coetibus Romam aggressus est. Porro Henricus imperator, ut veraci rumore comperit, quod Rodbertus dux Constantinopolitanum imperatorem superaverit, ac ad subventionem papae quasi fulgur cum nimio impetu ex improviso advenerit, variis eventibus solerter consideratis valde timuit; iamque facta cum quibusdam Romanorum proceribus pace, partem Urbis recepit, ac 1084. postmodum occiduas regni sui partes repetiit. Maluit quippe sanus et liber honeste disce- post Mai. 21. dere, quam furibundum agonithetam[e] expectare et repentini certaminis involvi turbine.

Dum tam graves tumultus et tot bellorum tempestates in mundo saevirent et regna terrarum ut puppem inter pelagi fluctus agitarent, venerabilis Robertus, abbas Sanctae Eufemiae, postquam de bello Diraceno in Calabriam rediit, veneno, ut fertur, in esca sumpto 2. 1082? Kalendas Decembris aegrotare coepit. Nam quidam, genere Saracenus, arte pistoria Brixiensi coenobio serviebat. Hic sororem Willelmi prioris, filii Ingranni, in matrimonio habebat, et pro quadam latenti causa satisque parva occultum contra abbatem odium gestabat. Unde instinctu diabuli ferculum eius veneno corrupit, imitatus Ismahelem patrem suum, qui ferali ludo simplicem Isaac gravare studuit. Deinde vir Dei, monachis lugentibus, 13 diebus aeger iacuit, dataque confessione sanctaque sumpta communione 2. Idus Decembris obiit. In Dec. 12. ecclesia sanctae Dei genetricis Mariae, quam ipse a fundamento construxit, sepultus est, et per singulos annos anniversarius dies reverenter celebrari ob memoriam eius constitutus est. Hoc libenter agitur a monachis, quos ipse in domo Dei ut pater filios educare molitus est; pauperibus quoque uberem elemosinam ipso die pro defuncto pastore largiri mos est.

Appropinquante Wiscardo turgentes Romani convenerunt, et quod ab advenis 1084. persecutoribus[f] caput orbis impugnaretur indignum duxerunt. Multis igitur hortatibus animati, cum armis obviam processerunt. Sed statim a Normannis, in re militari nimis obduratis, facto impetu repulsi sunt. Deinde victores, civibus mixti fugientibus, Urbem intra- Mai. 29. verunt, iussuque fervidi ducis ignem tectis iniecerunt. Sic Wiscardus ferro et flammis sibi aditum Romae patefecit, nec ullus civium postea contra eum mutire ausus fuit. Deinde

a) qui 2. b) a quo ad deum 2. c) modo 2. d) tonsorabit 2. e) agonicheram 2. f) piscatoribus 2.

pervenienti ad turrim Crescentis papa cum clero obviam exiit, pro labore et subventu gratias egit, pro obedientia a reatibus absolvit, et aeternam ei a Deo benedictionem peroptavit.

Post alternam heroum allocutionem, post deprompiam a papa querelarum relationem, iratus dux subintulit huiuscemodi comminationem: *Romani cives pessimi sunt et infidi, Deoque et sanctis eius pro innumerabilibus beneficiis sibi collatis sunt et erunt semper ingrati. Roma, quae mundi caput et peccatorum medicina olim dicta est, nunc habitatio draconum et totius nequitiae fovea facta est. Hanc ergo speluncam latronum ferro seu flamma destruam, sordidos nefariosque habitatores eius perimam. Persecutionem in Christum*[a], *quam Iudei ceperunt, Romani pertinaciter perficere conati sunt. Nonne sicut Iudei Christum crucifixerunt, sic Romani membra Christi, Petrum et Paulum, martirizaverunt? Quid dicam de Lino et Cleto, Clemente et Alexandro, Sixto et Thelesphoro, Calixto et Urbano, Cornelio et Fabiano? Omnes hi pontificali cura mederi languentibus studuerunt, et a propriis*[b] *civibus, quos salvare nitebantur, iniuriose perempti sunt. Denique quid referam de Sebastiano, quem sagittatum in cloaca suspenderunt* 87 *gumfo?*[37] *Quid de Laurentio, quem crati ferreae imposuerunt, et prunis suppositis ut piscem assaverunt? Quid de Ypolito, quem alligatum equis indomitis discerpserunt? Quid de Hermete, Tiburcio, Zenone, Valentino aliisque sanctis, quorum numerus humanae notitiae est incomprehensibilis? Fama*[c] *refert, et astipulatur assertione multorum, quod tota Roma perfusa*[d] *est pretioso cruore martirum, et in latrinis Romanorum innumera latent corpora sanctorum. Eadem crudelitas, quae tunc grassabatur in paganis, nunc debacchatur in falsis christianis, qui cupiditate illecti favent prophanis, et contra catholicam ecclesiam auxiliantur hereticis insanis. Nulla igitur eis pietas impendenda est. Ultore gladio impios puniam, cruentam civitatem igne succendam, et transalpinis gentibus replendam, opitulante Deo, meliorem restituam.*

Tunc papa ad pedes ducis corruit, lacrimisque profusus ait: *Absit hoc a me, ut Roma destruatur pro me! Non enim ad destructionem Urbis, sed ad salvationem electus sum plebis. Malo dominum nostrum Iesum Christum morte*[e] *sequi, quam peccatoribus punitis iniurias meas nequiter ulcisci. Creatori quippe nostro contrarii sunt, qui statuta eius despiciunt et ordinem ecclesiae truculenter impediunt, dominicumque gregem, ut lupi rapaces, dispergunt. Ipsius nimirum est iniuria et ultio, servitus quoque et retributio. Novit pios clientes, et abhorret adversarios furentes. Eius igitur omnipotentiae nos et nostra commendamus, et corde benivolo exoramus ut legi sacrae adversantia censorio ense recidat, et nos ad beneplacitam voluntatem suam infatigabiliter dirigat.*

Sic iratum ducem papa lenivit, acceptoque consilio, de turre Crescentis cum clero sequaci exivit, et comitante duce cum valida manu ductus, Albam adivit. Hanc itaque urbem Ascanius Iulus, Aeneae filius, condidit, et Constantinus augustus sancto Silvestro papae dedit. Dux autem apostolica benedictione accepta, iter ad mare acceleravit, et trans pontum coetus suos festinanter, ut eis iuraverat, expetiit.

1082. Interea callidus imperator Grecorum, ut Robertum adiisse Italiam cognovit, ratus quod Normannos absente duce destitutos debilitare posset, insurrexit, multas cohortes adunavit, et invitos ad bellum Normannos coegit. Commisso autem praelio Normanni debiles in primis reperti sunt, et multis ex causis in initio certaminis territi et pene victi sunt. Nam ut paucitatem sui et absentiam fortunati ducis et multitudinem hostium perpenderunt[f], pene fugam ante pugnam inierunt. Sed cum Buamundus in conflictu cum turmis suis[g] vacillans trepidaret, et anxius Deum ex corde invocaret, divinae pietatis auxilium affuit, et vox huiuscemodi desuper intonuit: *Buamunde, quid agis? Praeliare fortiter. Nam ille, qui patrem tuum iuvit, te similiter adiuvabit, si in illo confisus fueris, eique fideliter militaveris.* Hac voce Normanni recreati et confortati sunt, et in antea progressi Pelasgos acriter impulerunt; quorum impetu Achivi repente repulsi sunt, et terga vertentes spolia multa indigentibus peregrinis dimiserunt.

Regressus de Tuscia Wiscardus suos hac victoria sat hilares invenit. Ipse quoque tam 1084. nobili tripudio exultans, Deo gratias egit. Buamundum vero, qui vulneratus fuerat in certamine, ut curaretur, misit ad medicos Psalerniae[38], quorum fama per orbem admodum divulgatur excellentia medicinalis peritiae.

1082 Porro Diraceni, dum Normannos perpendunt in Bulgariam longe progressos, pluresque provincias de imperio Bizanteo militari manu adeptos, seseque ab auxilio Tracum seu

a) episcopum *ed.* b) piis 2. c) Famam 2. d) profusa 2. e) mortem 2. f) prop. 2. g) sui 2.

37) catena. 38) Salerni.

Macedonum omniumque affinium[a] suorum penitus remotos, diffidentes mutuo saepe tractant, qualiter sibi nimis in arto positi consulant. Tandem procaciores quid agant vicissim diffiniunt, legatos ad ducem clam mittunt, pacem poscunt; et quod asilum urbis satellitibus eius tradant veraciter promittunt. At ille quod postulant concedit, et 300 milites ad recipiendam urbem mittit. Noctu itaque venientibus Normannis civitas aperta est, quibus receptis pax Febr. 18. inter utrosque et securitas firmata est.

Sichelguada, uxor Roberti Wiscardi, filia erat Guaimalchi ducis Psalernitani, sororque Gisulfi, qui ducatu privatus fuerat per avidam invasionem sororii sui. Haec Buamundum privignum suum odio habebat, metuens ne per eum, quia fortior erat et sensu multaque probitate pollebat, Rogerius filius suus amitteret ducatum Apuliae et Calabriae, qui sibi competebat haereditario iure. Unde ipsa letiferam potionem confecit, et Psalernitanis archiatris misit, inter quos enutrita fuerat, et a quibus veneficiorum eruditionem perceperat[b]. Protinus ipsi voluntatem dominae et alumnae suae cognoverunt, et Buamundo, quem curare debuerant, virus mortis contulerunt; quo percepto, ad mortem aegrotavit, patrique suo per nuntium languorem suum protinus intimavit. Callidus vero dux dolos uxoris suae subito animadvertit, ipsamque ante se tristis accersiens, sic interrogavit: *Vivitne Buamundus, dominus meus?* Quae respondit: *Nescio, domine.* At illc: *Afferte,* inquit, *mihi textum sancti euangelii et gladium.* Quibus allatis, gladium accepit et super sacra sic iuravit: *Audis, Sichelguada: per hoc sanctum euangelium iuro, quod si Buamundus filius meus hoc morbo, quo detinetur, mortuus fuerit, hoc ense interficiam te.* Porro illa tali allegatione nimis territa, salubre antidotum praeparavit, et medicis suis, per quos mortem paraverat, Psalerniam confestim transmisit nuncium[c], qui ut sibi periclitanti adminicularentur[d] blanditiis et precibus obnixis[e] sollicitavit. Archiatri detectam fraudem et angustiam herilem audientes, et in futurum ne terribiles minae ducis complerentur precaventes, toto nisu iuveni, quem laeserant, in omni exercitio phisicae artis mederi certabant. Opitulante Deo, qui per eumdem Turcos et Agarenos, christianae fidei hostes, comprimere decreverat, aeger convaluit. Sed tamen omni vita sua, pro veneno, quo infectus fuerat, pallidus permansit.

Interea versipellis et ingeniosa mulier multa secum revolvebat, nimioque metu indesinenter stimulata considerabat, quod si legatus suus ad transfretandum mare tardaret, et aegrotus ante adventum eius emigraret, illa iuratam sibi mortem ense mariti non evaderet; sibi aliam e contra tergiversationem truculentam et omnino execrabilem excogitavit. Veneno 1085. virum suum, proh dolor! infecit. Protinus ut ille aegrotare coepit, et ipsa de inevitabili casu Iul. 17. eius non dubitavit, convocatis parasitis suis cum reliquis Langobardis noctu surrexit, ac ad mare progressa, naves optimas cum omnibus suis intravit, et omnes reliquas naves, ne Normanni eam persequerentur, incendit. Dum vero littus Apuliae attigit, quidam miles de satellitio eius clam egressus, Psalerniam noctu venit, et Buamundum festinanter aggressus, ait: *Surge cito, et fuge, et salva te.* Cumque ille causam inquireret, nuntius respondit: *Pater tuus mortuus est, et noverca tua in Apulia est. Huc autem festinat venire, ut occidat te.* Nec mora Buamundus, tam gravi rumore perturbatus, asinum ascendit, clam urbem exivit, ad Iordanum principem Capuae, consobrinum suum, confugit; a quo amicabiliter receptus, fraudes et minas novercae suae sic evasit. Illa vero, ut Psalerniam pervenit, et egresso quem quaerebat, delusam se comperit, vehementer contristata[f] est, et Rogerius filius eius, cognomento Crumena, amplum citra mare ducatum ex successione maiorum adeptus est.

Undique nimiis anxietatibus aggravati sunt in peregrina regione Normanni, dum maximum ac strenuissimum ducem suum vident muliebri dolo periclitari, et robur exercitus sui defectione Langobardorum, qui cum domina sua clam discesserant, imminui, et se non posse in Italiam, quia naves eorum combustae erant, sine gravi mora et difficultate proficisci. Magnanimus itaque dux Robertum comitem Lorotelli[39] et Goifredum de Conversana, nepotes suos, Hugonem Monoculum de Claromonte, et Guillelmum de Grentemasnilo[40], Odonem quoque Bonum-Marchisum, sororium suum[41], aliosque cognatos proceresque suos ad se convocavit, et quid acturi essent interrogavit. Cumque omnes inter se mussitarent, nec certum quid proferrent, ait: *Ultio divina pro peccatis nostris nos percutit, et a nimiis[g] cupiditatibus nostris nos reprimit. Iuste nos Dominus ut servos suos verberat, et perspicue,*

a) animum 2. b) prçceperat 2. c) nunciumque ut 2. d) adminicularetur 2. e) obnoxiis 2. f) contrista 2. g) animis 2.

39) Rotello. 40) Grandmesnil. 41) Tancredi patrem.

quod mundi gloria non sit appetenda, nobis nuntiat[a]. *Gratias illi pro omnibus, quae nobis impertiri dignatus est, agamus, et ut nostri semper misereatur, toto corde appetamus. Ecce nos de pauperibus infimisque parentibus processimus, et sterile rus Constantini vacuosque necessariis rebus penates reliquimus, et profecti*[b] *Romam cum magno timore vix pertransivimus. Deinde donante Deo magnas et multas urbes optinuimus. Sed hoc non nostris viribus nec meritis, sed divinae ordinationi imputare debemus. Denique de imperio Constantinopolitano pro reatibus indigenarum invasimus, quantum potest in 15 peragrari diebus. Optime nostis quod in sui praesidium invitatus sum a Michaele imperatore, quem cives sui de solio regni nequiter expulere, quia filiam meam filio eius tradidi legitime. Constantinopolim, quam possidet imbellis populus deliciisque serviens et lasciviae, decreveram, si Deo placuisset, catholicis pugnatoribus subiugare, qui sanctam Dei civitatem Ierusalem Turcis auferrent, ethnicisque bello repulsis, christianum imperium dilatarent. Propter hoc desiderium tam magnum laborem et tam periculosum agonem inivi. Sed hoc aliter ordinavit irreprehensibilis voluntas omnipotentis Dei. David templum Deo Ierosolimis construere voluit, sed hoc a Salomone filio eius peragi cum ingenti tripudio Deus disposuit. Sic labor meus, ut autumo, futuris temporibus consummabitur, et fructus laboris quandoque manifestabitur, et incitamentum tantae probitatis utiliter posteris nostris propinabitur. Hinc*[c] *igitur, o viri fortes, sapiens consilium accipite, pristinamque virtutem vestram, quam in arduis et angustis rebus multoties expertus sum, perdere nolite. Unus homo sum, ac, ut reliqui, mortalis; vos autem multi estis, multisque carismatibus largiente Deo vigetis. Famosa vero gesta, quae longe lateque divulgata sunt, vos fecistis; nec umquam maiora a tam paucis et infimis hominibus leguntur in aliquibus historiis, quam iuvante Deo a vobis facta sunt. Fortiorem itaque et sapientiorem de vobis eligite ipsumque vobis ducem constituite, ne perdatis fecundam tellurem, quaesitam magno labore sed parvo tempore. Buamundus filius meus, si vita et sospitate viget, quantotius vobis succurrere sataget*[d].

Haec et his similia duce prosequente, Petrus Francigena aliique contubernales, ducis dicta subtiliter intuentes, dixerunt: *In hoc negotio, quod nobis imperas, ingens discrimen est et maxima difficultas. Innumeri sunt hostes et nos pauci sumus, nimiumque nobis adversatur imperator potens et callidus, quem te cohibente graviter in multis saepe offendimus. Fortitudini eius lataeque potentiae nequivimus resistere. Multis enim dominatur*[e] *regnis et nationibus. Utinam ad domos nostras, unde discessimus, cum pace et salute regredi valeamus!*

His auditis dux valde ingemuit, Deumque cum fletu invocare filiumque suum sic lugere cepit. *Heu! me miserum tot infortuniis circumdatum! Olim multis nocui, et iniuste multa peregi. Nunc simul mala invenerunt me, quae promerui longo tempore. Summe Deus, nunc parce mihi! Pie Deus, miserere mihi peccatori! Fortis Deus, succurre populo tuo, quem huc adduxi! Fili mi Buamunde, virtute et sensu Thebano par Epaminondae, ubi reperiam te? Nobilis athleta Buamunde, militia Thessalo Achilli seu Francigenae Rollando aequiparande, vivisne, an detineris pernicie? Quid tibi contigit? Quid probitas tua devenit? O si sospes, qualem te, dum Tusciam adirem, dimisi, praesto adesses, opulentam Bulgariae regionem armis nostris obtentam possideres. Scio namque quod tanta, si vivis, strenuitate polles, ut si morti meae divino nutu interesses, ius quod bello adquisivi, iuvante Deo, nullatenus amitteres. Eia commilitones optimi, caute vobis consulite, et quod a laribus vestris valde remoti estis perpendite. Recolite quam magna Normanni fecere, et quod parentes nostri Francis et Britonibus et Cenomannensibus multotiens restitere, et fortiter vicere. Ad mentem reducite, quam magna me duce gessistis in Italia et Sicilia. Psalerniam et Barum, Brundisium et Tarentum, Bismannum*[42] *et Regium, Siracusam et Palernum, Cosentiam et Castrum-Iohannis, aliasque multas urbes et opida optinuistis. Gisulfum quoque Salernitatum ducem et Watsonem Neapolitanum comitem aliosque principes fortissimos, me duce, per Dei iuvamen superastis. Nunc*[f] *igitur ne vilescatis amisso pristinae magnanimitatis conamine, electione communi unum ex vobis, ut dixi, ducem constituite, uberesque provincias, quas iam nacti estis, insigniter vobis retinete.*

Nullus eorum, qui rebus istis interfuere, ausus fuit ducatum huiuscemodi suscipere, sed omnes de fugae praesidio maluerunt cogitare. Deinde anno ab incarnatione Domini
1085. 1085. Robertus Wiscardus, Apuliae dux insignis nostrisque temporibus pene incomparabilis,
Iul. 17. facta confessione a peccatis mundatus et salutaris eucharistiae perceptione munitus, non

a) minuat 2. b) proseliti? c) Hunc 2. d) satagit 2. e) dantur 2. f) Hunc 2.

42) Bismantua mons et vicus prope Regium Lepidi, ab auctore nostro perperam Regio Iulii apposita. PR. Hodie *Pietra Bismantova*, in regione Mutinensi.

militari robore prostratus sed livore femineo corruptus, quoque primus Adam est de paradisi 1085. sede proiectus, non armis sed veneno laesus, adveniente mortis hora mundo est sublatus. Iul. 17. Quo defuncto, Normanni corpus eius sallierunt, et cum pace reditum in patriam suam ab imperatore petierunt. Imperator autem[a] licet laetaretur, quia liberatus a terribili hoste fuerat[b], defunctum tamen ducem, qui nunquam de bello fugerat, ex pietate multum[c] planxit. Licentiam his, qui redire in Italiam vellent cum cadavere principis sui et omnibus rebus suis, benigniter concessit; aliis vero, qui secum remanere sibique servire vellent, larga stipendia pepigit. Bizantio ex tunc itaque fideliter famulati sunt, qui antea fortiter impugnaverant. Remeantes autem in Apuliam, corpus ducis Venusiae detulerunt, ibique in coenobio sanctae Trinitatis cum luctu magno sepellierunt. Venerabilis Berengarius abbas, filius Ernaldi[d], filii Helgonis, eidem monasterio praeerat, quem Teodericus archimandrita prius apud Uticum[e] educaverat, et inde Robertus abbas secum in Calabriam adduxerat. Deinde ab Alexandro papa Venusiensi monasterio abbas consecratus est, atque post aliquot annos pro merito vitae et sapientiae doctrina ad pontificatum praefatae urbis a papa Urbano promotus est.

EX LIBRO VIII.[44]

Post obitum Gregorii papae et Guillelmi nothi aliorumque principum religiosorum in occiduis partibus pene totus abolitus est honestus patrum mos antiquorum. Illi enim modestis vestiebantur indumentis optimeque coaptatis ad sui mensuram corporis. Et erant habiles ad equitandum et currendum et ad omne opus quod ratio suggerebat agendum. Ast in diebus istis veterum ritus pene totus novis adinventionibus commutatus est ...... Blittero[45] quoque Flandrita in poemate quod super Henrico caesare nuper edidit, ruinam 45 mundi et miseros mortalium eventus elegiacis modis luculenter denotavit.

EX LIBRO X.[46]

Anno ab incarnatione Domini 1098. indictione 6, omnipotens Creator omnium signa quaedam in mundo palam demonstravit, quibus humana corda divinitus terruit, et exhibitis ostensionibus inusitatis, terribiliora praestolari praesignavit. Nam 5. Kal. Octobris pene per totam Ann. Utic. noctem coelum ardere visum est. Deinde, indictione 7, sabbato, die natalis Domini, sol in nigredinem versus est. Post haec multae mutationes magistratuum in orbe statim factae sunt, terribilesque casus et seditiones graviaque discrimina in mundo saevierunt. Urbanus papa, postquam 10 annis apostolicam sedem strenue utiliterque rexit, eo tempore quo Ierusalem capta est, Romae aegrotavit, et mercedem a Deo percepturus pro bonis studiis quibus apprime floruit, 4. Kalendas Augusti ex hac vita migravit. 1099. Iul. 29. Cuius opera quam laudabilia fuerunt, nitor et fama, quae magnitudinis suae per orbem late divulgata sunt, inimicorum etiam lamenta eo defuncto contestata sunt. Petrus Leo tres elegiacos versus super ipso edidit, et memoriam eius breviter sic commendavit:

Canonicum Remis, monachum[f] Cluniacus Odonem;
 Roma vocat, facit hunc Hostia pontificem.
Cumque fit Urbanus mutato nomine papa,
 Redditur expulsus integer Urbis honor.
Exequias huius celebres hic Roma peregit,
 Augustum quarto praeveniente die.

Alter quoque insignis versificator praefati papae vitam mores et occasum consideravit, et inde carmen huiusmodi compaginavit:

Canonicus Remensis Odo, quem Cluniacensis
 Hugo facit monachum, papa fit eximius.

a) vero 1. b) fuerit 2. c) militum 2. d) Urualdi 2 *in margine*. e) Itticum 2. f) tulerat *voci* monachum *superscriptum*.

44) annis 1133. et 1134. scripto; liber IX. a. 1135. editus est. 45) fortasse Blitero canonicus Ultraiectinus, qui chartae fundationis abbatiae de Berna a. 1134. subscripsit. Miraeus Dipl. Belg. I, 174. PR. 46) a. 1135. scripto.

Hic vivens lux Urbis erat, defunctus eclipsis,
Urbs stetit Urbano stante, ruente ruit.
Lege regens et pace fovens, tè, Roma, beavit,
Servans a vitiis intus, ab hoste foris.
Non flexit, non extulit hunc, non terruit unquam
Dives, fama, potens, munere, laude, minis.
Eloquium linguam, sapientia pectus, honestas
Mores ornabant, exteriora decor.
Ecce per hunc urbs sancta patet, lex nostra triumphat,
Gentes sunt victae, crescit in orbe fides.
Sed citius rapitur rosa, quae plus vernat in orto;
Sic et florentem fata tulere virum.
Mors hominem, requies animam, cisterna cadaver
Suscipit; inter nos nil nisi fama manet.

Adhuc Urbano papa in domo Domini lucente, et tenebras de cordibus mortalium prae-
1100. Sept. dicationibus et exemplis digniter effugante, Guitbertus Ravennatensis, quem Clementem nominarunt, occubuit; cui Petrus Leo huiuscemodi elogium, versificando insultans, intulit:

Nec tibi Roma locum, nec dat, Guitberte, Ravenna;
In neutra positus, nunc ab utraque vacas.
Qui Sutriae vivens maledictus papa fuisti,
47 In Castellana[47] mortuus urbe iaces.
Sed quia nomen eras sine re, pro nomine vano
Cerberus inferni iam tibi claustra parat.

1099. Aug. 13. Defuncto Urbano papa, Rainerius Vallis Brutiorum[48] monachus in Paschalem papa electus
Aug. 14. est, et 16. die a transitu praedecessoris sui canonice consecratus est. Apostolicam vero sedem fere 20 annis rexit[49], aecclesiaeque Dei summo sedimine prodesse insudavit. Tem-
1107. Apr. 14. pore Philippi, regis Francorum, in Gallias venit, paschale festum apud Carnotum celebravit, et privilegia eiusdem aecclesiae, venerabilis Ivonis episcopi petitione, confirmavit[50].

Henricus IV. imperator, qui sanctam aecclesiam ab adolescentia sua perturbaverat, et investituras aecclesiarum diutius violenter usurpaverat, et prophanos aecclesiasticae unitati adversarios in domo Domini intruserat, potentiaque saeculari truculenter armaverat, iam a Karolo, filio suo, de regni solio abiectus, facinorum immanitatem suorum erubuit,
1106. Aug. 7. et sic in misera senectute ab omnibus amicis destitutus, 7. Idus Augusti obiit. Sed quia pro sceleribus suis apostolico anathemate perculsus occidit, extra matris telluris gremium, ut beluinum cadaver, computruit, nec communi sepultura mortalium contegi vel honorari meruit. Hic fere quinquaginta annis regnavit, sed dira flagitiosae servitutis stipendia recepit.

Karolus Henricus V. imperator, anno ab incarnatione Domini 1106, indictione 14, regnare cepit, et paternam tirannidem arripuit, et fere 19 annis regnavit, et in via patris sui, sicut in Paralipomenon de perfido herede scelerosi patris legitur[51], ambulavit. Quinto
1111. autem anno regni sui cum 30 milibus militum et ingenti multitudine peditum Romam obsedit, pactisque conditionibus a Romanis susceptus, in basilicam sancti Petri apostoli intravit, et in kathedra imperiali iussu papae resedit. Mox apostolico, ut missam caneret, praecepit. Sed ipse, nisi quattuor optimates augusti, quos nominatim anathematizaverat,
Febr. 12. egrederentur, noluit. Iratus ergo imperator papam ante altare comprehendi imperavit. Protinus de satellitibus caesaris unus pontificem arripuit; sed audacior caeteris, imitator Simonis Petri, gladium exemit, validiusque invasorem papae, et atrocius quam Petrus Malcum, percussit, et ibidem repente uno ictu exanimavit. Ingens igitur in Urbe fit perturbatio, et ab utraque parte saeva concertatio, et in sacris aedibus absque reverentia sanguinis effusio. Duo milia Normannorum de Apulia Romanis suppetias advenerant. Illi cum Laciis et Quiritibus cito egressi sunt, et multitudinem Alemannorum aliarumque gentium trucidaverunt, qui iam in veteri Urbe trans Tiberim securi hospitati fuerunt. Augustum vero cum suis clientibus de Urbe ter expulerunt. Vinctum tamen papam, quia oculis eorum

47) Civita-Castellana. 48) Vallombrosa. 49) usque ad a. 1118. Ian. 21. 50) Exstat bulla, die 19. m. Aprilis data, qua iura monasterii S. Iohannis Carnotensis confirmat. Gallia christ. VIII. Instr. 308. 51) *Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses, pater suus.* II. Paral. 23, 22. PR.

abditus fuerat, eripere nequiverunt. Conatus est imperator per mediam Urbem in Cam- 1111.
paniam cum exercitu suo violenter transire; sed virtute bellica cum dedecore compulsus
est alias abire, et pro interfectione multorum, quos de cuneis eius in Urbe subito peremptos
esse diximus, multi flevere. Tunc papa sollerti custodia detentus omnique solatio desti-
tutus, imperatori quicquid petierat concessit. Unde, ab illo dimissus, multis postmodum Apr. 11.
vilior extitit. Nam Rodbertus Parisiensis, Gualo episcopus Leonensis et Poncius abbas
Cluniacensis aliique plures de cardinalibus et praelatis aecclesiarum papam redarguebant,
et quicquid imperatori verbo seu scripto concesserat, irritum esse debere, indubitanter cen-
sebant. Asserebant enim, quod pro veritate et iusticia debuisset optare mori, et usque ad
mortem innocenter Christum sequi, satisque malle vincula et flagra perpeti, quam aliquid
contra ius et statuta patrum potestati annuere saeculari. Ille vero reprehensiones sophi-
starum patienter tolerabat, et assertiones eorum legitimas ac veraces esse allegabat. Non
multo post concilium episcoporum Romae congregavit, et omnia testamenta, quae coer- 1112.
citus imperatori sanxerat, consilio iurisperitorum palam damnavit, ipsumque pro violatione Mart. 22. et 23.
domus Dei et captione sacerdotis Christi et effusione sanguinis christianorum excommuni-
cavit. Imperator itaque, sexto regni sui anno, Laciale decus tanto facinore maculavit, et
multas gentes ad tantum nefas peragendum frustra vexavit. Quam gravis et periculosa
hiemps pluviis et nivibus glacieque tunc fuerit, et quanta discrimina in angustis et inaequa-
libus viis et in transitu fluminum exercitus pertulerit, et qualiter imperator collectis viribus
Urbem obsessam plus minis quam armis expugnaverit, Irensis quidam scolasticus[52] decenti
relatione litteris tradidit. In illa expeditione imperator Mediolanum impugnavit, sed 1110.
repulsus inde nil profecit. Tunc etiam Mathildis, potentis erae, spaciosam regionem Aug.
devastaverat, quae Ticinum Placentiam et magnam partem Italiae, quae nunc Lumbardia
dicitur, possidebat, et sibi patrique suo diu multumque restiterat, iustisque apostolicis
Gregorio, Urbano et Pascali semper suffragata fuerat.

Henricus rex Anglorum Mathildem filiam suam imperatori in uxorem dedit; quam 1114.
Rogerius, filius Ricardi, cognatus regis, cum nobili comitatu de Anglia in Alemanniam Ian. 7.
duxit. Argenti quoque decem milia marcos cum filia sua rex opulentus ei donavit, et regali
more munera insignia destinavit. Imperator autem tam generosam coniugem admodum
dilexit; sed peccatis exigentibus, sobole imperio digna caruit. Unde imperiale stemma in
aliam, iubente Deo, familiam transiit. Nam eo defuncto Lotharius, Saxonum dux, a pro-
ceribus regni electus est, meritoque frugalitatis ac bonitatis in solium imperii promotus 1125.
est. Mathildis autem imperatrix post mortem mariti sui natale solum repetiit, et inter suos, Aug. 30.
licet ab exteris multum diligeretur, commorari maluit. Rex Anglorum, pater eius, Iosfredo 1127.
Andegavorum comiti eam in coniugem desponsavit; quae marito suo filium, nomine Hen- Mai. 22.
ricum[53], anno dominicae incarnationis 1133. peperit; quem multi populi dominum ex- 1133.
pectant, si Deus omnipotens, in cuius manu sunt omnia, concesserit. Mart. 25.

EX LIBRO XI.[54]

Tunc Henricus imperator Alemannorum 7. Idus Augusti expiravit; sed, quia pro 1107.
multis reatibus suis, aecclesia teste, Deo non satisfecerat, terra caruit, nec per multos Aug. 7.
annos humano ritu sepeliri meruit. Karolus Henricus V, filius eius, post eum imperavit,
qui post tres annos Mathildem, filiam Henrici regis Anglorum, uxorem duxit; sed legitimum
sibi de ea successorem non habuit.

Quondam in pagum Meldensem rex super Tedbaldum irruit, et Rodbertum Flan- 1111.
drensem satrapam cum aliis nobilibus secum habuit. Tunc ibidem a consulari familia
forte impetitus est, et maiori virorum copia praevalente, in fugam versus est. Rege
nimirum cum suis fugiente, Flandrensis marchisus in arcto tramite cecidit, et ferratis
equorum ungulis conculcatus, resurgere nequivit, sed membris male confractis difficulter
sublatus, post paucos dies expiravit. Pro cuius obitu reges et principes et multi homines
ploraverunt, et usque in Arabiam christiani atque gentiles casum bellicosi Ierosolimitae
planxerunt. In Atrebatensem vero urbem, quam ipse paulo ante contra Henricum impera-
torem muniverat, et insigni ex albo lapide muro undique cinxerat, corpus eius a Morinis
cum magno luctu delatum est, et in aecclesia sancti Vedasti praesulis, quam Theodericus

52) fortasse David Scotus, de quo cf. Ekkehardum SS. VI. p. 243 et Wilhelmum Malmesburiensem SS. X, 479. 53) postea Henricus II. rex. 54) a. 1136. scripto.

1111. rex, pro iniusta interfectione sancti Leodegarii Eduorum pontificis poenitens fundaverat[55], sepultum est.

Balduinus autem puer, filius eius, ei successit, et cum Clementia, matre sua, per aliquot annos paternum principatum gubernavit, indiciisque virtutum praecedentibus, magnam futurae probitatis spem amicis praestitit; sed quasi flos gratissimus levi laesura 1119. Iun. 17. tactus, in momento emarcuit. Henricus enim rex, postquam victor in Angliam remeavit, et Rodbertum ducem et quosdam alios, qui cum ipso capti fuerant, perenni ergastulo mancipavit, Guillelmum infantem[56], quem Heliae de Sancto Sidonio ad educandum commendaverat, consultu familiarium suorum comprehendi praecepit, et ad hoc peragendum Rodbertum de Bello Campo, vicecomitem Archarum[57], ad Sancti Sidonii castrum repente destinavit. Praefatus proconsul dominico mane cum illuc advenisset ipsumque populus in aecclesia subito videns obstupuisset, quamvis Helias paedagogus infantis absens fuisset, per necessarios tamen amicos puer dormiens de lecto repente sublatus est, et manibus quaerentium, ne cum patre suo vinculis innecteretur, subtractus est. Helias autem haec audiens, amabilem albeolum festinanter quaesivit, inventumque diligenter in exilio inter exteros enutrivit. Vicecomes igitur castrum Heliae dominio regis subegit, quod postmodum rex Guillelmo de Guarenna, consobrino eius, donavit, ut sibi fideliter cohaereret et inimicis pertinaciter resisteret. Helias vero per diversa fugitans, puerum servavit et usque ad pubertatis annos ut propriam sobolem educavit. Per plurimas illum regiones circumduxit, optimatibus multis et nobilibus oppidanis elegantiam eius ostendit. Ad amorem iuvenis quoscumque potuit precibus et promissis vivaciter attraxit, et querimoniam desolationis eius manifeste permulgavit, sicque corda multorum ad compassionem deiectionis illius inclinavit. Normannorum plures ei nimis favebant, et eundem sibi praeferre vehementer optabant. Unde nonnulli potentem sceptrigerum, qui tunc dominabatur eis, offendebant, seseque suspectos pluribus modis faciebant. Praecipue Rodbertus Belesmensis, recolens amicitiam et familiaritatem quam erga ducem habuerat, et ingenti potentia qua super maximos Normannorum sub eo floruerat, inclitum exulem ducis filium adiuvare totis nisibus satagebat. Inter eos veredarii frequenter discurrebant, et impigri cursores utrorumque arcana sibi vicissim reserabant. Sic alternis cohortationibus mutuo sese Rodbertus et Helias confortabant, et de provehenda sobole ducis obnixe tractantes laborabant. Ludovicum regem Francorum et Guillelmum ducem Pictavorum, Henricum quoque ducem Burgundionum et Alannum principem Britonum aliosque potentes regionum rectores frequentabant, legatis et epistolis crebro pulsabant, et omnimodis ad auxilium Guillelmi Clitonis invitabant. Tandem Fulco Andegavensis Sibillam, filiam suam, ei pepigit, comitatumque Cenomannorum concessit, et per aliquod tempus saepefatum tironem admodum adiuvit. Verum nimia Henrici regis industria praevalente, praescripta copulatio penitus interrupta est minis precibusque et auri argentique aliarumque specierum ponderosa enormitate. Missis etiam argutis dissertoribus, disputatum est de consanguinitate, pro qua diffinitum est eos secundum christianam legem coniungi non debere. Nam Ricardus Gunnorides dux Normanniae genuit Rodbertum, et Rodbertus Guillelmum Nothum, qui genuit Rodbertum, patrem Guillelmi Clitonis. Rodbertus autem archiepiscopus et comes, frater Ricardi ducis, genuit Ricardum comitem Ebroicensium, et Ricardus Agnetem Simonis uxorem, quae peperit Bertradam Fulconis genitricem, et Fulco genuit Sibillam. Sic nimirum Guillelmi et Sibillae parentela investigata est, diuque cupita clarae iuventutis connexio frustrata est. Praeclarus iterum iuvenis ab Andegavensibus expulsus est, et ab extraneis cum metu et labore suffragium poscere coactus est. Denique post multos circumitus ad Balduinum Flandrensem, cognatum suum, divertit, illiusque fidem et audaciam ac adminiculum temptavit. Quem ille alacriter suscepit et omne subsidium ei spopondit, et certamen pro 1122. illo, ut in sequentibus memorabo, usque ad mortem pertinaciter pertulit.

1109. Anno ab incarnatione Domini 1109. indictione 2. ultio divina hominum scelera pluribus flagellis puniit, et mortales solito terrore cum pietate terruit, ut peccatores ad poenitentiam invitaret, et poenitentibus veniam et salutem clementer exhiberet. In Gallia, maxime in Aurelianensi et Carnotensi provincia, clades ignifera multos invasit, debilitavit, et quosdam occidit. Nimietas pluviarum fructus terrae suffocavit, terraeque sterilitas inhorruit, et vindemia pene tota deperiit. Deficientibus itaque cerere et bacho, valida fames terrigenas

55) dotaverat. 56) infra Clito vocatur. 57) Arques.

1109. passim maceravit in mundo. Hic tam gravis annus fuit tercius regni Ludovici filii Philippi regis Francorum et nonus Henrici filii Guillelmi Nothi, ducis Normannorum et regis Anglorum.

1114. Ian. 7. Eodem anno Henricus rex Mathildem, filiam suam, dedit in coniugium Karolo Henrici filio, imperatori Alemannorum, quam suscepit a patre et conduxit marito Burchardus[58], praesul Camaracensium. Rogerius quoque filius Ricardi aliique plures ex Normannis comitati sunt, et per hanc copulam Romanum apicem conscendere putaverunt, atque dignitates optimatum audacia seu feritate sua sibi aliquando adipisci cupierunt. Sic nimirum antecessores eorum in Anglia per Emmam, Ricardi ducis filiam, dominati sunt, et in Apulia per Sichelgaudam, Guaimalchi ducis Psalernitani filiam, super genuinos heredes furuerunt. Haec siquidem vafer imperator, qui plura perscrutatus est, agnovit, et alienigenas indebiti fastus cervici suae imponere praecavit. Unde consultu Germanorum omnes, datis muneribus, ad propria remisit.

In illo tempore migraverunt plures sanctitate et sapientia praecipui doctores aecclesiarum: Anselmus scilicet archiepiscopus Cantuariorum, et Guillelmus archiepiscopus Rotomagensium, venerabilesque coenobiorum rectores: Hugo abbas Cluniacensis, Gervasius Redonensis et Guillelmus Cormeliensis aliique plures de hac luce subtracti[a] sunt. Quorum felices animae, ut sine dubio credimus, in manu Dei sunt. Pro tantorum itaque transitu baronum videtur ipse mundus lugere, agrorum et vinearum negata ubertate. Impii etiam, qui pro tantorum discessu patrum non doluerunt ex pietate, saltem multimoda coacti sunt gemere calamitate, quam, cogente Dei iusticia, subierunt pro sua impietate.

EX LIBRO XII.[59]

Anno ab incarnatione Domini 1118, *indictione* 11, vigilia natalis Domini, vehemens ventus aedificia et nemora in partibus occiduis plurima prostravit. Ann. Utic.

1118. Ian. 15. Mart. 9. Defuncto Paschali papa, Iohannes Caietanus, Romanorum pontificum antiquus cancellarius et magister, in Gelasium papam electus est; et contradicente imperatore, a Romano clero canonice consecratus est. Tunc etiam Burdinus, Bragarum archiepiscopus, qui suis a fautoribus Gregorius VIII. vocitatus est, imperatore conivente, in aecclesiam Dei intrusus est. Tunc gravis inde dissensio inolevit, saeva persecutio inhorruit, et katholicam plebem vehementer perturbavit.... Gelasius papa eruditione litterarum apprime instructus fuit, et longa exercitatione, utpote qui praesulum apocrisiarius fere 40 annis enituerat, calluit; sed non plene duobus annis Romanae aecclesiae praefuit. Hic, avaricia nimis aestuans, Gallias venit, et aecclesias illis in partibus immoderata superfluitate Quiritum opprimere coepit; sed cito instar gelu matutini, flante Deo, pertransiit.

1119. Anno ab incarnatione Domini 1119, indictione 12, Gelasius secundus papa 4. Kalendas Februarii apud Cluniacum mortuus et sepultus est, et Guido, Viennensis archiepiscopus, in Calixtum papam 4. Nonas Februarii electus est. Ibi Lambertus Ostiensis et Boso Portuensis, Cono Praenestinus et Iohannes Cremensis aliique plures de Romano senatu clerici affuere, quibus specialis praerogativa concessa est papam eligere et consecrare. Intronizatus est itaque Guido, ab adolescentia castus, religiosus, largus, in opere Dei fervidus, et multis pollens virtutibus. Hic filius fuit Guillelmi Testardiae, ducis Burgundionum, quem Rainaldo duci peperit Adeliza, filia Ricardi II. ducis Normannorum. Iste quidem Guido nepos fuit feri Guidonis, qui ducatum nisus est sibi vendicare Normannorum, ac apud Valesdunas pugnavit contra Guillelmum Nothum et Henricum regem Francorum, et Vernonem atque Brionnam contra eosdem fortiter tenuit per triennium. Sic de regali progenie ortus, frater ducum, consanguineus regum et augustorum, laudabilium imbutus nectare morum, provectus est ad summum pontificium. Quo strenue quinque annis potitus est, et multa bona in domo Dei statuit atque operatus est.

Oct. 20—30. In Octobris medio Calixtus papa cum Romano senatu Remis venit, ibique 15 diebus demoratus concilium tenuit, et de utilitatibus aecclesiae cum pastoribus dominici gregis sollerter tractavit. Ibi nimirum fuerunt 15 archiepiscopi et plus quam 200 episcopi, cum multis abbatibus et aliis aecclesiae dignitatibus. Apostolico enim iussu evocati de Italia et

a) subtractę c.

58) minime, sed praedecessor eius Odo. 59) annis 1136. 1137. edito; liber ultimus a. 1141. sequebatur.

1119. Germania, de Gallia et Hispania, de Britannia et Anglia, de insulis oceani et cunctis occidentalibus provinciis, congregati sunt pro amore Salvatoris, eius parati gratanter obe-
60 dire mandatis. Magontinus archiepiscopus[60] cum 7 praesulibus Remis ad sinodum properavit, quos quingentorum militum cohors secure vallavit. Quorum adventu comperto, exultavit, eisque Hugonem Trecasinum comitem cum turmis militum amicabiliter obviam misit.

Rex Anglorum praelatis regni sui ad sinodum quidem ire permisit; sed omnino, ne alicuius modi querimoniam alterutrum facerent, prohibuit. Dixit enim: *Omni plenariam rectitudinem conquerenti faciam in terra mea; redditus ab anterioribus meis constitutos Romanae aecclesiae singulis annis erogo, et privilegia nichilominus ab antiquis temporibus pari modo mihi concessa teneo. Ite, domnum papam de parte mea salutate, et apostolica tantum praecepta humiliter audite; sed superfluas adinventiones regno meo inferre nolite.*

In aecclesia metropolitana sinodus celebrata est. Ibi papa 14. Kalendas Novembris
Oct. 19. dominico missam cantavit, et Baiocensem Turstinum Eborachensibus archiepiscopum consecravit, privilegioque, ne Cantuariensi metropolitae veluti magistro sed quasi coepiscopo
Oct. 20. subiceretur, donavit. Sequenti autem dominico, Fredericum, Hermanni Namuri comitis fratrem, Leodicensibus episcopum benedixit; qui infra triennium ab aemulis veneno infectus obiit, et nunc miraculis ad sepulchrum eius coruscantibus feliciter splendescit.

In basilica sanctae virginis Mariae ante crucifixum 12. Kalendas Novembris[61] kathedrae praesulum appositae sunt, et singuli metropolitae, prout eis antiquitus a Romano pontifice constitutum est, ordinate consederunt. Radulfus cognomento Viridis, archiepiscopus Remensis et Leotericus Bituricensis, Humbertus Lugdunensis et Goisfredus Rotomagensis, Turstinus Eborachensis et Daimbertus Senonensis, Gislebertus Turonensis et successor eius Hildebertus Cenomannensis, Baldricus Dolensis et alii octo archiepiscopi, cum suffraganeis suis et absentium legatis, cum multis abbatibus et monachorum ac clericorum multitudine, futurum examen praefiguravere, quod in spiritu intuens Ysaias et quasi
Ies. 3, 14. digito demonstrans, exclamat cum metu ac mentis alacritate: *Dominus ad iudicium veniet, cum senibus populi sui et principibus eius.*

In sublimi consistorio apostolica sedes erat ante ianuas aecclesiae. Finita missa, Calixtus papa resedit, et in prima fronte coram eo Romanus senatus constitit, Cono Praenestinus praesul et Boso Portuensis, Lambertus Hostiensis, Iohannes Cremensis et Hato Vivariensis[62]. Hi nimirum prae omnibus aliis quaestiones subtiliter discutiebant, et mira eruditione imbuti, responsa ubertim proferebant. Crisogonus vero diaconus, dalmatica indutus, papae astabat, manuque canones gestabat, promptus propinare autenticas maiorum sententias, ut res exigebat. Porro alii sex ministri tunicis seu dalmaticis vestiti circumstabant, et frequenter, insurgente dissidentium tumultu, silentium imperabant.

In primis post letaniam et autenticas orationes papa coepit simpliciter et sancte Lacia-
Marc. 6, 45. libus verbis euangelium explanare: quod iusserit Iesus discipulos suos trans fretum praecedere. Eloquenter etiam retexuit quomodo vespere facto ventus oritur contrarius, et navis sanctae aecclesiae periclitatur in huius mundi fluctibus, multimodisque iactatur temptationum et tribulationum procellis; sed saevientes impiorum flatus subito conquiescunt visitatione Salvatoris, et optata tranquillitas revertitur ad filios pacis.

Deinde ut papa sermonem finivit, Cono cardinalis pontifex surrexit, et eloquentissime
cap. 29. 30. sacros archimandritas de cura pastorali admonuit. Ex libro quoque Geneseos verba Iacob memoriter protulit, et praelatos aecclesiae circa gregem Domini parem diligentiam habere spiritualiter debere asseruit, quam Iacob erga oves Laban, avunculi sui, se habuisse manifestavit.

Ludovicus rex cum principibus Francorum sinodum introivit; in consistorium, ubi papa residens omnibus praeminebat, conscendit, querimoniamque suam rationabiliter deprompsit. Erat enim ore facundus, statura procerus, pallidus[63] et corpulentus. *Ad hanc,* inquit, *sanctam concionem pro investigando consilio cum baronibus meis venio; domne papa, et vos o seniores, audite me, obsecro. Rex Anglorum, qui iamdudum mihi confoederatus extitit, mihi meisque subiectis plurimas infestationes et iniurias ingessit; Normanniam, quae de regno meo est, violenter invasit, et Rodbertum ducem Normannorum contra omne ius et fas detestabiliter tractavit. Hominem quippe meum, sed fratrem dominumque suum, multis modis molestavit, et ad ultimum*

60) Adalbertus. 61) i. e. Oct. 21. falso. 62) Viviers. 63) veneno hausto.

cepit, et huc usque in carcere longo detinuit. Ecce Guillelmum, ducis filium, qui mecum ad 1119.
vos huc accessit, funditus extorrem exhereditavit! Per episcopos et consules aliasque personas ipsum, ut captum ducem mihi redderet, requisivi; sed de hac re nichil ab eo impetrare potui. Rodbertum de Bellismo legatum meum, per quem mandaveram regi quae volebam, in curia sua cepit, vinculis iniecit, et in ergastulo truci huc usque cohercuit. Tedbaldus comes[64] *homo* 64
meus est; sed instinctu avunculi sui contra me nequiter erectus est. Eius enim divitiis et potentia inflatus, in me rebellavit, et infidus michi atrocem guerram fecit, regnumque meum ad detrimenta multorum conturbavit. Legitimum bonumque virum, Guillelmum comitem Nivernensem, quem bene nostis, remeantem de obsidione castelli cuiusdam excommunicati furis, ubi vere spelunca latronum et fossa diaboli erat, comprehendit, et usque in hodiernum diem carceri mancipavit. Religiosi praesules Tomam de Marla seditiosum praedonem totius provinciae merito adversati sunt, ideoque mihi generalem inimicum peregrinorum et omnium simplicium obsidere praeceperunt, et ipsi mecum legitimique barones Galliae ad comprimendos exleges convenerunt, et cum communi collectione christiani exercitus pro zelo Dei certaverunt. Inde praefatus heros cum mea licentia pacifice regrediens captus est, et a Tedbaldo comite usque hodie retentus est, licet eum multitudo procerum ex parte mea saepe pro liberatione comitis suppliciter requisierit, et tota terra eius ab episcopis anathematizata sit.

Cumque rex haec et his similia dixisset, et Gallicana concio veracem eius orationem allegasset, Goisfredus Rotomagensis archiepiscopus cum suffraganeis episcopis et abbatibus surrexit, et pro rege Anglorum rationabiliter respondere coepit. Verum orto tumultu dissidentium interceptus, conticuit, quia illic multi aderant inimicorum, quibus excusatio pro victorioso principe displicuit.

Interea Hildegardis, comitissa Pictavorum, cum suis pedissequis processit, et alta claraque voce querimoniam suam eloquenter enodavit, quam omne concilium diligenter auscultavit. Se siquidem dixit a marito suo esse derelictam, sibique Malbergionem, vicecomitis de Castello Airaldi coniugem, in thoro surrogatam. Cumque papa interrogaret, utrum consul Pictavensis secundum suum edictum ad sinodum venisset, Guillelmus eloquentissimus iuvenis, episcopus Sanctonensis, et plures episcopi et abbates de Aquitania surrexerunt, et eundem Aquitanorum ducem excusaverunt, asseverantes quod iter ad concilium inierit, sed aegritudine detentus obiter remanserit. Denique papa infirmitatis causa excusationem suscepit, inducias dedit, certumque terminum constituit, quo consul ad placitum in curiam papae veniret, ac aut legitimam uxorem reciperet, aut pro illicito repudio sententiam anathematis subiret.

Deinde barbatus Audinus, Ebroicensis episcopus, clamorem de Amalrico fecit, a quo et se turpiter expulsum et episcopium abominabiliter incensum denunciavit. Protinus e contra capellanus Amalrici palam respondendo audacter occurrit, et mendacem episcopum liquido coram omni coetu vocitavit: *Non Amalricus*, inquit, *sed nequitia tua te merito expulit et episcopium combussit. Ipse profecto, quem rex per fraudulentam malignitatem tuam exhereditavit, ut strenuissimus miles, armis pollens et amicis, debitum honorem recuperavit. Rex siquidem cum pluribus catervis suorum urbem obsedit, imperioque tuo ignem iniecit, et basilicas omnes cum aedibus concremavit. Tali tantoque damno peracto recessit, nec adhuc arcem seu civitatem optinuit. Videat et iudicet haec sancta sinodus: quis magis pro combustis aecclesiis condemnandus est, Audinus an Amalricus?*

Francis itaque contra Normannos adminiculantibus Amalrico, grandis ibi facta est verborum altercatio. Tandem facto silentio, papa locutus est: *Nolite, quaeso, karissimi mei, multiplicitate verborum inutiliter contendere, sed pacem, ut filii Dei, totis nisibus inquirite. Filius enim Dei pro pace de coelo descendit, et humanum corpus ex intacta virgine Maria clementer assumpsit, ut letalem guerram, per protoplasti reatum progressam, pie sedaret; ut pacem inter Deum et hominem, ipse sequester factus, mitteret; ut angelicam et humanam naturam reconciliaret. Ipsum in omnibus sequi debemus, qui eius in populo suo vicarii qualescumque sumus. Pacem et salutem membris eius omnimodis procurare satagamus, quia ministri et dispensatores ministeriorum Dei sumus. Membra quippe Christi populum christianum appello, quem ipse sanguinis sui redemit precio. Inter bellicos tumultus in perturbatione positus saeculari, quis digne potest spiritualia contemplari, vel in lege Dei competenter meditari? Bellica seditio plebes commovet ac dissolvit, et per abrupta vitiorum letaliter evagari cogit. Aecclesias violat,*

64) Blesensis.

1119. *sacrata contaminat, et plura nefaria irreverenter exaggerat. Clerum vehementer inquietat, et a studio religionis pluribus modis evocat. In cultu Dei consistentes territat, molestiis nequiter infestat, et quid agant prae timore nescientes enervat. Regularem disciplinam confundit ac dissipat, et indisciplinatos in omne nefas praecipitat. Aecclesiasticus itaque rigor dissolvitur, laetifera dissolutio passim diffunditur, et castitatis pudor flebiliter exponitur. Furia vero malorum abominabiliter grassatur, et iniquorum phalanx ad inferos miserabiliter cotidie raptatur. Pacem igitur, quam bonorum nutricem lucide videmus, in omnibus ubique ferventer amplecti debemus, indesinenter servare, omnibus imperare, verbis et exemplis praedicare. Hanc ipse Christus, ad passionem properans, suis reliquit, dicens: „Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis." Hanc eamdem ipse resurgens ex mortuis repraesentavit, dicens: „Pax vobis!" Magna quies et securitas est, ubi pax regnat; dolor et tribulatio terit omnes et cruciat, quos ira rodit ac discordia stimulat. Pax est blanda et salubris concatenatio cohabitantium, omnique creaturae rationali generale bonum, quo indissolubiliter nexi coelestes gaudent, terrigenaeque simili nexu colligari iugiter indigent; sine qua pestilentes timentur et timent, et nunquam securi turbantur et moerent. Hanc igitur virtutem, quam appeto, quam ex sanctarum auctoritate scripturarum et generali approbatione publicae commoditatis summopere laudo, toto nisu inquirere et in tota Dei aecclesia, ipso iuvante, diffundere vivaciter elaborabo. Treuiam Dei, sicut eam sanctae memoriae Urbanus papa in concilio Clarimontis tenendam constituit, praecipio, et reliqua decreta quae ibi a sanctis patribus sancita sunt, ex auctoritate Dei et sancti Petri apostoli omniumque sanctorum Dei confirmo. Imperator Alemannorum mandavit mihi ut*
65 *Mozonem*[65] *castrum adeam, ibique pacem cum eo ad utilitatem sanctae matris aecclesiae faciam. Illuc utique pro pace laboraturus nunc ibo, et coepiscopos meos Remensem et Rotomagensem et alios quosdam de fratribus et coepiscopis nostris mecum minabo, quos prae caeteris ad hoc placitum necessarios aestimo. Aliis omnibus episcopis et abbatibus iubeo, ut hic praestolentur nos quantotius redituros, auxiliante Conditore nostro. Omnes hic expectare commendo, nec etiam Goisfredum, abbatem Sancti Teoderici, abire permitto, quamvis eius hospitium sit in proximo. Orate pro nobis, ut Deus et dominus noster prosperum iter nobis concedat, et omnes conatus nostros ad pacem et utilitatem totius aecclesiae benigniter dirigat. Cum autem reversus fuero, clamores vestros et ratiocinationes, ut rectius potuero, diligenter discutiam, opitulante Domino, ut cum pace et exultatione ad propria remittatur haec sacra concio. Deinde spiritualem filium meum et originis propinquitate consobrinum, regem Anglorum, adibo; precibus et alloquiis ipsum et Tedbaldum comitem, eius videlicet nepotem, aliosque dissidentes admonebo, ut omnibus rectitudinem faciant, et ab omnibus eandem in amore Dei recipiant, et iuxta Dei legem pacificati ab omni bellorum strepitu sileant, atque cum subiectis plebibus securi quiescentes gaudeant. Porro illos qui persuasionibus nostris obtemperare noluerint, sed in sua procacitate contra ius et publicam quietem contumaciter perseveraverint, terribili anathematis sententia feriam, nisi a pravitate sua resipuerint, et pro transactis reatibus canonice satisfecerint.* His dictis, coetus fidelium solutus est.

Oct. 22. In crastinum, feria quarta, cum insigni comitatu Mozonem profectus est, et dominico
Oct. 26. sequenti prae labore et metu lassus et aeger, Remis regressus est. Interea multitudo magistratuum papae reditum aegre praestolata est. Nam qui de longinquis regionibus illuc apostolici iussu convenerant, ibi nichil agentes, infructuose sua distrahebant, suarumque curam domorum cum moerore intermittebant. Denique reversus papa per quatuor dies sinodum tenuit, et de diversis aecclesiarum negociis tractavit.

Oct. 27. Igitur feria secunda, postquam papa consedit, Iohannes Cremensis, eruditus et eloquens presbiter, surrexit, et peracti eventus itineris seriatim enucleare coepit: *Notum est,* inquit, *sanctitati vestrae, quod Mozonem perreximus. Sed infortuniis contra nos insurgentibus, nil commoditatis perpetravimus. Illuc festinanter ivimus, sed inde festinantius redivimus. Imperator enim cum ingenti exercitu ad praedictum locum advenit, et quasi pugnaturus armatorum ferme* 30 *milia secum habuit. Hoc itaque ut animadvertimus, domnum papam in praefato castro, quod in Remensis archiepiscopi dominio est, inclusimus, et nos inde ad constitutum colloquium egredientes, ipsum exire omnino prohibuimus. Secretius fari cum imperatore multoties quaesivimus, sed mox ut a turba segregati cum illo seorsum migraremus, innumeri satellites, voluntatis eius et fraudis conscii, nos circumdabant, et lanceas gladiosque suos vibrantes, ingentem nobis metum incutiebant. Non enim ad bellum instructi veneramus, sed*

65) Mouzon.

inermes pacem universali aecclesiae procurabamus. Imperator dolosus per diversas ambages cavillabatur, fraudulenter nobiscum loquebatur; sed praesentiam papae, ut eundem caperet, summopere operiebatur. Sic totum diem inutiliter exegimus; sed patrem patrum ab oculis eius sollerter occultavimus, memores quam fraudulenter idem ipse Romam intraverit, et ante aram in basilica sancti Petri apostoli Pascalem papam ceperit. Denique nos tetra nox diremit, et unusquisque sua mappalia repetiit. Nos utique, formidantes ne peiora incurreremus, iter repedandi, immo fugiendi, velociter inivimus; quin etiam, ne formidabilis tirannus cum multis legionibus, quas secum ducebat, persequeretur nos, valde timuimus. De his dixisse nunc sufficit. 1119.

Coloniensis archiepiscopus[65] legatos et epistolas domno papae direxit, et professa subiectione, pacem et amicitiam cum illo pepigit. Filium quoque Petri Leonis[66], quem obsidem habebat, ob amoris specimen gratis reddidit. Haec dicens, quasi ob insigne tripudium laetitiamque mirabilem digito monstravit nigrum et pallidum adolescentem, magis Iudaeo vel Agareno quam christiano similem, vestibus quidem optimis indutum, sed corpore deformem. Quem Franci aliique plures papae adsistentem intuentes, deriserunt, eique dedecus perniciemque citam imprecati sunt, propter odium patris ipsius, quem nequissimum foeneratorem noverunt. 65

Deinde Lugdunensis archiepiscopus cum suffraganeis suis surrexit, et ita loqui coepit: *Masconensis episcopus ad hanc sanctam sinodum clamorem facit, quod Poncius Cluniacensis ipsum aecclesiamque suam damnis multisque iniuriis affecit, aecclesias decimasque suas debitasque subiectiones sibi violenter abstulit, et congruas dignitates suorumque ordinationes clericorum denegavit.* Questus huiuscemodi ut Lugdunensis primas explevit, multi praesules et monachi atque clerici prosecuti sunt, et de rebus sibi violenter ablatis cum vociferatione clamores fecerunt, ac de iniustis invasionibus quas a Cluniacensibus perpessi sunt plures valde tumultuati sunt; diuque perstrepentes, acerba quae ruminaverant, evomuerunt.

Tandem facto silentio, Cluniacensis abbas cum grandi conventu monachorum surrexit, brevique responso et modesta voce ac tranquilla locutione querulosos impetitores compressit. Erat quippe magnanimus de Valle Brutiorum monachus, consulis Merguliensis filius, et Paschalis papae filiolus, imperioque eius inter Cluniacenses educatus; aetate quidem iuvenis et statura mediocris, sed a puericia docilis, in virtutibus stabilis, et coessentibus alacritate affabilis; candida vero facie decorus, moribus et genere ut dictum est conspicuus, regum et imperatorum consanguinitate proximus, religione ac peritia litterarum praeditus, ideoque tot karismatum praerogativis redimitus, fortis in adversantes aemulos stabat ac rigidus. Multis, ut caraxatum est, clamoribus in sinodo propulsatus, respondit: *Cluniacensis aecclesia soli Romanae aecclesiae subdita est, et papae propria, et ex quo fundata est, a Romano pontifice optinuit privilegia quae proclamatores isti sua nituntur abolere et frustrari violentia. Notum autem sit vobis, beati patres, qui adestis, omnibus, quod ego et fratres nostri monasticas res, quas iure servandas suscepimus, sicut eas venerabilis Hugo aliique sancti praedecessores nostri habuerunt, servare contendimus. Nulli damna vel iniurias ingessimus, res alienas non diripuimus, nec aliquatenus diripere sua cuilibet concupiscimus. Verum res, pro amore Dei nobis datas a fidelibus, quia pertinaciter defendimus a raptoribus, invasores dicimur, et opprobria multa iniuste toleramus. Nimia de his ad me sollicitudo non pertinet. Aecclesiam suam domnus papa, si vult, defendat, et aecclesias decimasque cum aliis possessionibus, quas ipse michi commisit, patrocinetur et custodiat!*

Papa igitur de omnibus quae ab utrisque partibus audierat, in crastinum perendinari iudicium imperat. Sequenti vero die Iohannes Cremensis surrexit, et locutionis suae prooemium huiusmodi inchoavit: *Sicut iustum est ut domnus papa clamores vestros sollerter audiat, vobisque sicut pater filiis sine fictione omnimodis subveniat, talique vobis obsequi famulatu non semel sed cotidie debeat, sic nimirum decet ac iustum est ut ipse idem in parrochiis vestris aliquid proprietatis possideat, aecclesiamque seu domum vel aliquam possessionem sua electione sive fidelium oblatione liberam habeat.* Postquam ab omnibus hoc gratanter concessum est, consequenter Iohannes adiecit: *Ducenti et eo amplius anni sunt ex quo Cluniacensis aecclesia fundata est, et ab ipso primordio fundationis suae Romano papae donata est, a quo utilibus privilegiis in Romana sinodo coram multis arbitris diversae dignitatis evidenter insignita est. Ratum est, et in cartis insertum legentibus liquido patescit, quod Geraldus Aquitanicus Cluniacense coenobium in alodio suo construxit, et illud, Romam pergens, Romano pon-* Oct. 28.

65) Fridericus. 66) postea Anacletum papam.

1119. *tifici devotissime commisit, nec id frustra fieri voluit; nam ipse tunc 12 aureos papae optulit, et exinde totidem singulis annis dari decrevit. Praefata ergo aecclesia nulli principum seu praesulum usque nunc nisi papae subiacuit, Deoque largiter opitulante, fundis et religiosis habitatoribus feliciter crevit; unde bonus odor laudabilis famae longe lateque per orbem fragravit, exemplumque sanctitatis pie quaerentibus disciplinam salubriter exuberavit. Conventus monachorum secundum regulam sancti patris Benedicti abbatem eligit, electum papae cum litteris attestantibus dirigit, quem ipse secundum aecclesiasticum morem consecrat ac benedicit. Omnis credentium multitudo credit ac perhibet, quod qui apostolicae sedi iubente Deo praesidet, ligandi atque solvendi potestatem habet. Principis enim apostolorum Petri vicarius est, cui divinitus*
Math. 16, 19. *dictum est: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo aecclesiam meam. Et: Portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis." Ergo apostolica sedes cardo et caput omnium aecclesiarum a Domino, et non ab alio, constituta est. Et sicut cardine hostium regitur, sic apostolicae sedis auctoritate omnes aecclesiae, Domino disponente, reguntur. Ecce beato Petro concessum est a filio Dei ut caeteris praeemineret apostolis; unde Cephas vocatur, quia caput et primus est omnium apostolorum; et quod in capite praecessit, in membris sequi convenit. Quis ei resistere potest, cui tanta potestas a Domino concessa est? Quis audet solvere quem Petrus ligavit, sive ligare quem ipse absolvit? Igitur, cum Cluniacensis abbatia soli papae subiciatur, et ille, qui praecipiente Deo in terris super omnes est, ipsam patrocinetur, Romana auctoritas Cluniacensium privilegia corroborat, et in virtute Dei omnibus aecclesiae filiis imperat, ne quis eos temere pristina libertate privet, nec possessionibus olim habitis spoliet, nec insolitis exactionibus praegravet. In pace omnia possideant, ut quieti semper servire Deo valeant!*

Haec Iohanne dicente, plures praesulum et aliorum qui confines illis erant, tumultuati sunt; nec ea quae per cardinalem constanter edita sunt, quamvis aperte contradicere iussionibus papae non auderent, concessa sunt.

In altercationibus multifluae iaculabantur sententiae, abundanter emanantes de profundo fonte divitis sapientiae. Sed omnia concilii gesta nequeo singillatim retexere. Arguti sophistae de multiplicibus aecclesiae negotiis subtiliter tractaverunt, et multa studiosis auditoribus documenta luculenter intimaverunt. Ibi Girardus Engolismensis, Hato Vivariensis, Goisfredus Carnotensis et Guillelmus Catalaunensis duces verbi prae ceteris intonuerunt, et dicacibus scolasticis atque fervidis amatoribus sophyae invidiosi enituerunt.
68 Nuncius de morte Tusculani cardinalis episcopi, nuper in itinere defuncti[67], locutus est, et epistola Clementiae, sororis papae, pro Balduino comite Flandrensium, filio suo, recitata est. Pro quibus et pro cunctis fidelibus defunctis lugubris pastor cum venerabili coetu Deum deprecatus est.

Oct. 30. In novissimo concilii die, Barcinonensis episcopus[68], corpore quidem mediocris et macilentus, sed eruditione cum facundia et religione praecipuus, subtilem satisque profundum sermonem fecit de regali et sacerdotali dignitate, quem summa cuncti qui percipere poterant hauserunt aviditate. Tunc papa Karolum Henricum, imperatorem teomachum, et Burdinum pseudopapam, et fautores eorum moerens excommunicavit, aliosque scelerosos qui manifeste saepius correpti, sed inemendabiles perdurabant, illis associavit, parique anathematis percussione usque ad emendationem multavit. Denique decretalia sinodi Remensis capitula propalari imperavit. Iohannes Cremensis ex consultu Romani senatus dictavit. Iohannes Rotomagensis Sancti Audoeni monachus, in carta notavit, et Crisogonus, sanctae Romanae aecclesiae diaconus, distincte et aperte recitavit. Textus autem concilii huiusmodi est:

Quae sanctorum patrum sanctionibus de pravitate simoniaca stabilita sunt, Spiritus sancti iudicio et auctoritate sedis apostolicae confirmamus. Si quis ergo vendiderit aut emerit vel per se vel per summissam personam quamlibet episcopatum, abbatiam, decanatum, archidiaconatum, presbiteratum, praepositurам, praebendam, altaria vel quaelibet aecclesiastica beneficia, promotiones, ordinationes, consecrationes, aecclesiarum dedicationes, clericalem tonsuram, sedes in choro, aut quaelibet aecclesiastica officia, et vendens et emens dignitatis et officii sui et beneficii periculo subiaceat. Quod nisi resipuerit, anathematis mucrone perfossus, ab aecclesia Dei, quam laesit, modis omnibus abscidatur.

67) Divitius cardinalis a. 1122. obiit. PR. 68) Oldegarius. PR.

Episcopatuum, abbatiarum investituram per manum laicam fieri penitus prohibemus. Quicumque igitur laicorum deinceps investire praesumpserit, anathematis ultioni subiaceat. Porro, qui investitus fuerit, honore quo investitus est, absque ulla recuperationis spe omni modo careat. 1119.

Universarum aecclesiarum possessiones, quae liberalitate regum, largitione principum vel oblatione qualiumlibet fidelium eis concessae sunt, inconcussas in perpetuum et inviolatas permanere decernimus. Quod si quis eas abstulerit, invaserit, aut potestate tirannica detinuerit, iuxta illud beati Simmachi capitulum, anathemate perpetuo feriatur. Nullus episcopus, nullus presbiter, nullus omnino de clero aecclesiasticas dignitates vel beneficia cuilibet, quasi iure haereditario, derelinquat.

Illud etiam adicientes praecipimus, ut pro baptismatis, crismatis, olei sacri et sepulturae acceptione, et infirmorum visitatione vel unctione nullum omnino praecium exigatur.

Presbiteris, diaconibus et subdiaconibus concubinarum et uxorum contubernia prorsus interdicimus. Si qui autem huiusmodi reperti fuerint, aecclesiasticis officiis priventur et beneficiis. Sane, si neque sic immunditiam suam correxerint, communione careant christiana.

Haec 3. Kalendas Novembris scita Calixtus secundus papa cum omni concilio sanxit, et omnes qui convenerant illuc, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti benedixit. Deinde sacrum illud collegium solutum est, et unusquisque laudans Deum ad propria regressus est.

Theodericus puer, Henrici nepos imperatoris Alemannorum, *[mense Novembris anni* 1120. *in naufragio Candidae navis cum reliquis interiisse scribitur, fortasse Agnetis et Friderici Sueviae ducis filius.]*

Anno ab incarnatione Domini 1120, indictione 13, Calixtus papa, aecclesiasticis rebus in Gallia bene dispositis, Italiam adiit, et ingens nobilium utriusque ordinis agmen secum duxit, et a Romanis favorabiliter susceptus, apostolicam sedem quinque annis rexit. Hic multa bona opera, iuvante Deo, peregit, et specialis aecclesiae temporibus nostris lux et virtutum exemplar emicuit. Burdinum, pseudo-papam, Sutriae tirannidem contra aecclesiam exercentem, comprehendit, et in coenobio quod Cavea dicitur, ne contra katholicorum pacem aliquo modo ganniret, intrusit. Ibi religiosorum habitatio est monachorum, quibus est secundum regularem ritum abundantia ciborum, et omnium quibus indiget humana necessitas, affluentia rerum. Ille vero locus extrinsecus inaccessibilis est, et nemo illuc nisi per unum aditum ingredi potest, ideoque monasterium istud Cavea praesagialiter appellatum est. Sicut enim leones vel ursi aliaeque indomitae ferae in cavea coartantur, ne, pro libitu suo libere discurrentes, in homines seu pecudes crudeliter grassentur, sic agrestes et indisciplinati, qui, sicut onagri solitudinis, per diversa lascivientes noxie vagantur, in hac scolari Cavea sub iugo Dei regulariter vivere coguntur. 1120.

Henricus rex, amissa coniuge et libero, uxorem ducere consultu sapientum decrevit, egregiamque puellam Adelidem, filiam Godefredi Lovenensium ducis, desponsavit. Regalibus insigniis celebre redimitus, eam sibi christiano ritu copulavit, et regina, ministerio sacerdotum consecrata, 15 annis in regno floruit; sed aliis rebus abundans, optata sobole huc usque caruit. Honores defunctorum prudens rex provide vivis distribuit. Uxores enim eorum aut filias sive neptes tironibus suis cum patrimoniis coniunxit, et sic plures consolatus, ultra spem liberaliter sublimavit.

Rex [Angliae Henricus post pascha anno 1124.] iudicium de reis, qui capti fuerant, Rotomagi tenuit, ibique Goisfredum de Torvilla et Odardum de Pino pro periurii reatu oculis privavit. Lucam quoque de Barra pro derisoriis cantionibus et temerariis nisibus orbari luminibus imperavit. Tunc Karolus marchio Flandriae, qui Balduino iuveni in ducatu successit, cum multis nobilibus curiae regis interfuit. Infaustorum quoque condemnationi pie condoluit, atque, caeteris audacior, ait: *Rem nostris ritibus inusitatam, domne rex, facis, qui milites bello captos in servitio domini sui debilitatione membrorum punis.* Cui respondit rex: *Rem iustam, domne consul, facio, et hoc manifesta ratione probabo. Goisfredus enim et Odardus concessu dominorum suorum legitimi homines mei fuerunt, periuriique nefas ultro committentes, mihi fidem suam mentiti sunt, et iccirco nece seu privatione membrorum puniri meruerunt. Pro servanda, quam mihi iuraverant, fidelitate, omnia potius quae in mundo habebant, debuissent deserere, quam ulli hominum contra ius aliquatenus inhaerere, fidemque suam nequiter prodendo, legalis heri foedus disrumpere. Lucas autem homagium mihi nunquam fecit; sed in castro Pontis-Aldemari contra me nuper dimicavit. Ad postremum, pace facta, quicquid forisfecerat indulsi, et cum equis rebusque suis liberum abire permisi. At ille hostibus meis protinus* 1124.

1124. *adhaesit, redivivas, illis iunctus, inimicitias in me agitavit, et peiora prioribus addidit. Quin etiam indecentes de me cantilenas facetus coraula composuit, ad iniuriam mei palam cantavit, malivolosque mihi hostes ad cachinnos ita saepe provocavit. Nunc iccirco Deus illum mihi tradidit ut castigetur, ut a nefariis operibus cessare cogatur, aliique, dum temerarii ausus illius correptionem audierint, commode corrigantur.* His auditis, Flandriae dux conticuit, quia quid contra haec rationabiliter obiiceret non habuit. Carnifices itaque iussa compleverunt. Porro Lucas ut aeternis in hac vita tenebris condemnatum se cognovit, miser, mori quam fuscatus vivere maluit, et lanistis perurguentibus, in quantum potuit, ad detrimentum sui obstitit. Tandem inter manus eorum parietibus et saxis, ut amens, caput suum illisit, et sic multis moerentibus, qui probitates eius atque facetias noverant, miserabiliter animam extorsit.

1125. Anno ab incarnatione Domini 1125, indictione 3, Calixtus papa defunctus est, et Lambertus Hostiensis episcopus in papam Honorium assumptus est. Hic senex eruditissimus et in observatione sacrae legis fervidus fuit, aecclesiamque Romanam sex annis rexit. Eadem etiam septimana qua Calixtus papa hominem excessit, Gislebertus Turonensis archiepiscopus, qui pro aecclesiasticis negociis Romam perrexerat, illic obiit. Quod audientes Turonici, Ildebertum Cenomannensem probatum praesulem sibi asciverunt, et Honorii papae permissu, gaudentes in Turonicae metropolis cathedram transtulerunt. Ibi fere 7 annis honorifice vixit et subiectis profecit. Cenomannis vero Guiumarum Britonem episcopum consecravit.

Mai. 23. Eodem anno in ebdomada pentecostes Karolus Henricus quintus imperator mortuus est, et Spirae, metropoli Germaniae, sepultus est. Imperii vero insignia moriens caesar imperatrici Mathildi dimisit, quibus postmodum, quia nulla soboles illi superfuit, Lotharius dux Saxonum generali plebis edicto intronizatus successit. Maguntinus enim archiepiscopus, qui potentia et strenuitate pollebat, providentiaque sua ne scisma vel inordinata surreptio imperii fieret praecavebat, episcopos et proceres totius regni cum exercitibus suis convocavit; cum quibus una collectis de imperatore constituendo tractavit. Insignia siquidem ab imperatrice procuraverat ornamenta imperii, antequam de tanto praesumpsisset negocio fari: *Excellentissimi,* inquit, *barones, qui adsistitis in hac planicie, me, quaeso, sollerter audite, et prudenter intendentes, his quae dicam oboedite. Pro commoditate omnium vestrum et plurimorum qui non adsunt laboro, et nocte dieque anxius cogito. Multis sermonibus hic modo non opus est. Bene nostis: Imperator noster sine prole defunctus est, cui Deo fidelis et devotus*
70 *aecclesiaeque filiis utillimus successor sapienter inquirendus est. Quadraginta*[70] *igitur ex vobis sapientes et legitimi milites eligantur, et seorsum eant, ipsique secundum fidem suam et conscientiam optimum imperatorem eligant, qui merito virtutum imperio praeferatur, omnique populo sibi subiecto summopere patrocinetur!* Sic ab omnibus concessum est. Ibi nempe plus quam 60 milia pugnatorum aderant, et in diversa nitentes exitum rei considerabant.

Denique spectabiles sophistae, qui de tot milibus segregati fuerunt, post diutinam collocutionem reversi, dixerunt: *Fredericum ducem Alemannorum, Henricum*[71] *ducem Lotharingorum, et Lotharium ducem Saxonum laudamus, et honorabiles viros imperioque dignos praedicamus. Hoc pro certo, non peculiari favore illecti dicimus, sed universali salute perspecta, prout nobis visum est, asserimus. De his tribus quemcumque volueritis in nomine Domini sumite, quia omnes, ut iam dudum probatum est, laudabiles sunt personae, et merito strenuitatis toti mundo, ut arbitramur, praeponendae.* His auditis, archiepiscopus dixit: *Vos gloriosi principes qui nominati estis, alacriter ite, et de vobis tribus unum eligite. Illi autem quemcumque elegeritis subiciemur in nomine Dei omnipotentis. Porro, si quis vestrum a communi discrepaverit edicto, decolletur continuo, ne per unius proterviam christianorum perturbetur sancta concio.* Animosi praesulis rigida conditio cunctis formidabilis extitit, nec in tanta multitudine quisquam contra praelatum mutire praesumpsit. Igitur praetitulati duces seorsum abierunt, et circumstante legionum corona in medio constiterunt, seseque invicem contuentes aliquandiu siluerunt. Tandem binis silentibus, Henricus rupit silentium primus: *Quid hic, seniores, agimus? Nunquid huc directi sumus, ut taciturnitati vacemus? Ingens negocium nobis iniunctum est. Non ut taceremus, sed ut de maximo bono loqueremur, huc convenimus. Iam vestram satis loquelam expectavi. Nunquid totum diem transigemus muti? De tractatu nobis*

70) Recte, decem scilicet ex singulis gentibus Baiuvariorum, Suevorum, Francorum et Saxonum; sed de reliquis omnibus cf. relationem codicis Gottwicensis tomo SS. XII pag. 510—512 a nobis repetitam.

71) Liupoldum III. marchionem Austriae; cf. elect. Lotharii supra SS. T. XII. p. 510—512.

iniuncto cogitate, et quid vobis placuerit edicite. Sociis annuentibus ut proferret quid sibi, qui 1125. senior erat, placeret: *Optimum,* inquit, *nunc decet nostrum esse consilium, quia modo ad nostrum tota Latinitas suspirat arbitrium. Oremus ergo dominum Deum, qui Moysen Hebraeis praefecit, eique victoriosum successorem Iosue revelavit, ut ipse clemens cooperator nobiscum sit, sicut fuit cum Samuhele ad ungendum in regem David.* His ita dictis, generum suum elegit Lotharium. Porro tercius contradicere formidat, veritus sententiam quam archipraesul sanxerat. Deinde ad conventum reversi sunt. Henricus vero, diligenter intentus omnibus, dixit: *Lotharium ducem Saxonum, multis virtutibus adornatum, militia iusticiaque in sublimitate principali iam diu probatum, eligimus in regem Alemannorum, Lotharingorum, Teutonum et Baioariorum, Langobardorum et omnium Italiae populorum, et in imperatorem Romanorum.* Ab omnibus auditum est, et a pluribus libenter concessum est.

Tunc primas et ordinator huius collectae fuit, ut dixi, archiepiscopus Maguneiae. Qui mox iussit, ut omnes summi proceres, antequam de illo campo migrarent, in conspectu omnium Lothario mox hominium facerent. Protinus gaudens Henricus, et moerens Fredericus, et omnes post illos praecipui magnates coram Lothario genua flexerunt, homagium illi fecerunt, eumque regem et augustum sibi praefecerunt.

Dissoluto conventu, exercitus Frederici super Lotharium irruit, ipsumque et plurimos de parte illius vulneravit, et terga vertentes fugavit. Fredericus enim armatorum fere 30 milia secum adduxerat, quia timore vel favore sese regem fore autumabat. Sed quia probi pontificis ingenio praeventus, ut dictum est, velle suum perpetrare nequivit, per Conradum, fratrem suum, maximam postmodum guerram fecit. Lotharius tamen, auxiliante Deo, praevaluit, meritoque strenuitatis et religionis laudabilis iam 10 annis regnavit.

[Anno ab incarnatione Domini 1127.] Kalendas Martii, Karolus dux Flandriae, Cunuti 1127. regis Danorum filius, cum Tesnardo Brothburgi oppidano et 20 militibus ad aecclesiam Brugis, ut missam audiret, venit, ibique, dum pronus in terra Deum oraret, a Burchardo de Insula aliisque 32 militibus peremptus est, et pene omnes qui cum illo erant ibidem crudeliter occisi sunt. Guillelmus autem de Ipro, tam gravi facinore audito, mox castrum de Brugis obsedit, et ferales homicidas undique inclusit, donec Ludovicus rex Franciae cum Guillelmo Normanno venit, et obsidione menstrua diros carnifices coartavit, cepit et de altissima turre Brugis praecipitavit. Deinde Guillelmo Normanno ducatum Flandriae dedit, et Vilcassinum cum oppidis quae dederat recepit. Verum Guillelmus, ut ducatum Flandriae dono regis et haereditario iure optinuit, solummodo 16 mensibus laboriose rexit.

In primis enim contra proditores Karoli ducis insurrexit, totisque nisibus eos indagavit, nullique pro qualibet causa nobilitatis seu potentiae vel ordinis aut poenitentiae pepercit. Fere 100 et 11 condemnavit, et praecipitio vel aliis mortium generibus crudeliter puniit. Interfectorum ergo consanguinei vehementer contristati sunt, et detrimentum illi perniciemque machinati sunt. Ipse paedagogo suo Heliae de Sancto Sidonio, qui diutius pro illo exulavit et cum Tirello de Maineriis exheredari pertulit, Monsteriolum castrum[72] donavit. 72 Mense Augusto contra Stephanum, Boloniae comitem, exercitum duxit, eumque sibi subicere volens, terram eius ferro et flamma censiter devastare coepit. Denique fidi caduceatores missi sunt, et quia consobrini erant, sibi dextras dederunt, treuiisque triennalibus datis, pacificati sunt. Interea, dum Guillelmus dux in hac expeditione occupatus esset, eique aliquando laeta et plerumque tristis fortuna variabiliter insisteret, Ewenus de Ganda et Danihel de Tenero Monte[73], nepotes Balduini de Ganda, ultionem amicorum callide quaesierunt, et excogitatum facinus ad multorum lamenta perficere conati sunt. Nam Teodericum comitem Auxentium[74] adierunt, ipsumque cur hereditarium ius neglegenter et sine calumnia perderet increpaverunt, eique sese aliosque plures, si suum ius calumniaretur, auxiliatores fore spoponderunt. Teodericus itaque Auxensis et Lambertus Ardennensis comes Flandriam expetierunt, et opinatissimum castrum quod Insula[75] dicitur et Fornas atque Ganda, aliaque plura Morinis assentientibus, receperunt. Guillelmus autem, his auditis, Stephano Boloniensi treuias dedit, et contra intestinos hostes usque ad mortem dimicavit. Erant enim viri potentes et nobiles, audaciaque et multa probitate laudabiles, divitiis et amicis et munitionibus et favore contribulium formidabiles.

Mense Iulio, dux aggregato exercitu castrum Alost obsedit, et cum Godofredo Lovensium duce per dies aliquot coartavit. Multi ad eum de Neustria venerunt. Ipsum enim

72) Montreuil. 73) Termonde. 74) Alsatiae. 75) Lille, Furnes, Gent.

1127. plures in tantum diligebant, et falsa spe decepti, tantam in eo fiduciam habebant, ut natale
76 solum cum naturalibus eris[76] ac parentibus et amicis ultro relinquerent, quidam vero, periuriis vel homicidiis polluti, exules illi adhaererent. Guillelmus de Ipro, Rodberti Morinorum marchionis filius, in primis ei obstitit; sed fortuna prodente, in manus eius apud Triam[77], Vilcassini castrum, incidit, quem servandum Amalrico de Monte-Forti protinus destinavit. Denique non multo post dux eundem per amicorum procurationem in amiciciam recepit, et a vinculis liberavit.

Apud Iprum tres munitiones erant, quarum una ducis erat, altera Guillelmi, et tercia Danihelis et Eweni. Ibi hostes ducis in mortem eius conspiraverunt, in arcem eius noctu irruere decreverunt, et quattuor turmas, ut nullatenus exitium evaderet, extrinsecus constituerunt. Porro dux, qui tam feralem machinationem sibi paratam nesciebat, ad quandam venit iuvenculam quam amabat. Illa vero caput eius, ut solebat, lavit, et, cognita hostili coniuratione, lavando flevit. Adolescens lacrimarum causam ab amica inquisivit, precibus et minis sollerter extorsit, quibus coacta seriatim detexit quicquid ab inimicis eius de morte compererit. Protinus ille cum suis arma, capillis adhuc impexis, arripuit, ipsamque secum, ne aliquo modo periclitaretur, sustulit et Guillelmo duci Pictavensium, coaevo commilitoni suo, per quendam abbatem destinavit, ipsumque ut liberatricem suam honorabili conubio, sicut sororem suam, donaret obsecravit. Quod ita factum est. Tunc Guillelmus omnes insidias incolumis pertransivit, et iratus publicos hostes condemnavit.

Bellicosus deinde iuvenis undique vires collegit, castrum Alost obsedit, acriter debellavit, et totis nisibus oppidanos ad deditionem cogere sategit. Ipse ducis et militis officio plerumque fungebatur, unde a karis tutoribus, pro illo formidantibus, crebro redarguebatur. Saepe centurias advocabat, ut acer dux imperabat, sed crebrius ut tiro fervidus pugnabat.

Quadam die ad transitum cuiusdam aquae hostilis phalanx venit, obsessis suffragari studuit, contra quos dux repente 300 milites direxit. Sed conflictu nimis[a] durante, et hostium virtute admodum crescente, milites ducis coeperunt aliquantulum relabi et vacillare. Quod videns dux infremuit, suppetias advolavit, audacter dimicavit, suos ita corroboravit, hostesque fugavit. Inde reversus ad portas castri repente irruit, eoque veniente turma satellitum qui egressi fuerant, dispersa confugit, quorum pars super aggerem exilivit. Quos ibidem dux dum vidisset, et lanceam cuiusdam peditis sibi obstantis apprehendisset, forte ferro quod capere dextera nisus est, in pinguedine manus quae inter pollicem et palmum est, usque in pulsum brachii subito perniciose punctus est. Graviter itaque sauciatus inde recessit, familiaribus suis vulnus ostendit, cordetenusque dolens plangere coepit, nec multo post in lectum decubuit. Ignis enim, quem sacrum vocant, plagae immixtus est, totumque brachium usque ad cubitum instar carbonis denigratum est. Quinque diebus aegrotavit, scelerumque poenitens monachatum petiit, et dominici corporis perceptione cum confessione munitus, obiit.

Helias et Tirellus aliique domestici ducis, qui semper ei fideles fuerunt, letale vulnus iuvenis eri Flandrensibus et omnibus extraneis celaverunt, et oppidanos ad deditionem expugnando coegerunt. Ewenus vero princeps castri reconciliatus est, et datis obsidibus ac pace firmata, familiaris amicus factus est. Tunc Normanni ducis in tentorium eundem duxerunt, dominumque suum in feretro mortuum lugubres ostenderunt: *En*, inquiunt, *potes videre quid fecisti: dominum tuum occidisti, et innumeris sic milibus luctum invexisti.* Quod ille videns, contremuit, et vehementi moerore motus in lacrimas erupit. Cui Helias ait: *Desine, quaeso*, [*nunc flere, quia*][b] *amodo tuae inutiles sunt lacrimae* [*nec duci amplius*] *auxilio. Vade, arma tua sume* [*atque iube tuos*] *milites armari, et defuncti corpus ducis ad Sanctum Bertinum fac honorifice deduci.* Quod ita mox completum est. Conventus autem monachorum obviam processit, et cadaver in basilica suscepit. Ibi secus Rodbertum ducem sepultum est, et in lapide superposito epitaphium huiuscemodi exaratum est:

Miles famosus, Guillelmus, vir generosus,
Marchio Flandrensis, iacet hic, monachus Sithiensis.

a) x repent *et* nimis *iam desiderantur, ex Chesnio supplevit PR.* b) nunc flere quia . . . nec duci amplius . . . atque iube tuos . . . *voces iam in codice desideratas ex codice Dupuy supplevit PR.*

76) i. e. heris. 77) Trie-le-Château prope Gisors. PR.

Rodbertus pater huic, materque Sibilla fuere, 1128.
Et Normannorum gentis frenum tenuere.
Luxque Kalendarum Sextilis quinta redivit,
Cum pugnax apud Alst ferro plagatus obivit.

Iohannes, filius Odonis Baiocensis episcopi, primus Henricum regem adivit, eique casum nepotis sui nunciavit, et sigillatos apices de parte eius supplex optulit, in quibus moriens adolescentulus a patruo suo malorum quae contra illum fecerat indulgentiam postulabat, eumque ut omnes qui ad se confugerant, si ad illum remearent, benigne susciperet, obsecrabat. His itaque rex perceptis annuit, et plures ad illum reversos recepit; alii vero quam plures, erili nece conturbati, crucem Domini sustulerunt, et exules pro Christo sepulchrum eius in Ierusalem expetierunt. Teodericus autem Auxensis Morinorum dux factus est, et Ludovico regi Francorum, et Henrico regi Anglorum a secretis, confoederatus est. Stephanum comitem Boloniensium, aliosque Normannos qui terras habebant in Flandria, rex Henricus ei subiugavit regali iusticia. Denique pulcherrima uxor eius, quam tunc habebat, post aliquot annos occubuit, et ipse consilio regis Angliae Sibillam Andegavensem, Guillelmi praedecessoris sui sponsam, in coniugem accepit.

Auxilio superni dispensatoris fretus, rex Henricus inter tot adversa rigidus in fastigio perstitit, et rebelles a temerario ausu deficientes, eumque suppliciter repetentes suscepit, et sollerti benignitate secum reconciliari consensit. Primus itaque, ut supra dictum est, Guillelmus de Rolmara regi honorifice reconciliatus est, et exinde familiaris eius conviva et amicus factus est. Generosam quoque Mathildem, filiam Ricardi de Radveriis, illi rex coniugem dedit, quae filium ei speciosum, nomine Guillelmum Heliam, peperit. Praefatus miles in adolescentia lubricus, nimisque libidini deditus fuit; sed divino verbere plectendus, in gravissimam aegritudinem incidit. Unde cum Goisfredo archiepiscopo fatus, emendatiorem vitam Deo devovit. Deinde Novum Mercatum reversus, postquam convaluit, in aecclesia sancti Petri apostoli, ubi quattuor canonici saeculares servierant, 7 monachos constituit, eisque, praeter illa quae Hugo de Grentemaisnil ibi monachis Sancti Ebrulfi dederat, plura libenter adiecit. Cartam confirmationis rerum quas dederat dictavit, et cancellum aecclesiae cum domibus monasticis renovavit.

Anno itaque 28. Henrici regis Guillelmus adolescens Flandriae comes obiit, cum quo robur et audacia omnium qui suffragabantur ei contra patruum suum, corruit. Arrogantum temeritas cui adhaereret non habuit, postquam iuvenile caput, pro quo Normanniae rura ignibus et armis conturbaverat, perdidit. Tunc Rodbertus dux, qui ad Divisas in carcere servabatur, in somnio viderat quod in brachio dextro lancea percutiebatur, eoque mox privabatur. Mane autem expergefactus, dixit adstantibus: *Heu! filius meus mortuus est.* Nondum rumor illuc ore nunciorum perlatus fuerat, dum pater eius in somniis istud edoctus coessentibus intimabat. Qui et ipse post 6 annos Carduili defunctus est, et de carcere tunc eiectus, Gloucestrae sepultus est[a].

Anno ab incarnatione Domini 1131, Romae Honorius papa mortuus est, et mox in 1131. aecclesia Dei nimium scisma exortum est. Nam a quibusdam Gregorius diaconus in papam electus est, et Innocentius nominatus est; ab aliis vero Petrus Anacletus consecratus est.

EX LIBRO XIII.

Romana aecclesia, sub duobus principibus qui de papatu contendebant, a transitu Honorii papae turbata, ingens tribulationum et dissensionum per orbem exuberavit copia. Nam in plerisque coenobiis duo abbates surrexerunt, et in episcopiis duo praesules de pontificatu certaverunt, quorum unus adhaerebat Petro Anacleto, alter vero favebat Gregorio Innocentio. In huiuscemodi scismate anathema formidandum est, quod difficulter a quibusdam praecaveri potest, dum unus alium summopere impugnet, contrariumque sibi cum fautoribus suis feraliter anathematizet. Sic nimirum quisque ad id quod agere appetit, sed impossibilitate praepeditus ad effectum perducere nequit, sua saltem imprecatione Deum contra aemulum suum expetit. Petrus potentatu fratrum parentumque suorum Urbem optinuit, et Rogerium ducem Apuliae regem Siciliae consecravit, cuius ope pene totam Italiam

a) *textus hic in media pagina 420. substitit, in pagina 421. pergitur.*

1130. sibi associavit. Gregorius autem cum Quirinali clero Gallias expetiit, primoque ab Arelatensibus susceptus, legatos inde Francis direxit. Porro Cluniacenses, ut eius adventum cognoverunt, 60 equos seu mulos cum omni apparatu congruo papae et cardinalibus clericis destinaverunt, et usque ad suam basilicam favorabiliter conduxerunt. Tunc ibidem 11 diebus papam cum suis detinuerunt, aecclesiamque novam in honore sancti Petri apostolorum
Oct. 25. principis ab eodem cum ingenti tripudio populique frequentia dedicari fecerunt. Inde magnam auctoritatem apud occiduos promeruit, quod a Cluniacensibus Petro praepositus fuerit. Ab eisdem quippe Petrus in puericia enutritus coaluit, et eorum habitu ac professione monachus extitit. Gregorius itaque, a Cluniacis, quorum auctoritas inter nostrates monachos maxime praecellit, amicabiliter ut pater patrum susceptus, pontificali stemmate in Galliis enituit, et deinceps ab occiduis principibus et episcopis susceptus, in brevi magnas vires impetravit. Nam apud Carnotum Henricus rex Anglorum ad pedes eius humiliter corruit,
1131. Ian. 13. illique reverentiam papae debitam Idus Ianuarii sponte exhibuit, et multa donaria Romanis clericis regali munificentia contulit, ibique in domo Helisendis vicedominae hospitatus, Francis et Romanis gaudentibus triduo permansit.

Deinde praefatus papa toto illo anno Franciam peragravit, et immensam gravedinem aecclesiis Galliarum ingessit, utpote qui Romanos officiales cum multis clientibus secum habuit, et de redditibus apostolicae sedis in Italia nichil adipisci potuit. Cum Lothario imperatore locutus est, et ab eo cum suis ut magister venerabilis habitus est. Concilium Remis mense Octobri habendum constituit, ad quod omnes episcopos et abbates totius occidentis accersiit.

1132. Anno ab incarnatione Domini 1132, indictione 10. Innocentius papa, postquam a Gallis, in quibus oboedientiam et ingentem amiciciam repererat, recessit, Italiam expetiit; sed a
77 Romanis repudiatus, Picenum[77], opulentam metropolitam, secessit; illic per plures annos apostolicam dignitatem exercuit, et inde per orbem decretalia scita destinavit.

1133. Anno ab incarnatione Domini 1133. Lotharius imperator, ab episcopis aliisque fidelibus ob amorem Dei rogatus, Romam obsedit, et pacificare populum Dei, qui post Gregorium seu Petrum dissidentes errabant, sategit. Mandavit enim Petro ut alii cederet, aut iudicium de ordinatione sua subiret. At ille gratanter mandatum suscepit, ac ad examen iustorum se venturum coram ipso caesare adquievit. Deinde augustus Innocentio similia mandavit, sed ille, nisi omnia quae ad praesulatum pertinent ei libere redderentur, ad placitum venire recusavit. Imperator autem, ut haec audivit, contra Gregorium indignatus, Petro quaeque possidebat dimisit, et negocio imperfecto, post ebdomadas 7 recessit.

Anno 1138. .... Petrus Anacletus, qui sedem apostolicam fere 7 annis usurpaverat, in kathedra sedens, 8. Kalendas Februarii subita morte decessit, atque, ut fertur, a fratribus suis, filiis videlicet Petri Leonis, quorum in urbe Roma maxima potestas est, ita occultatur, ut ubi cadaver eius sepultum sit ignoretur.

Sequenti quoque mense fama longe personuit quod Rogerius Apuliae dux defunctus esset, quem praefatus scismaticus in regem Siciliae consecraverat, dataque sorore sua, sibi ad perturbandum aecclesiae ius asciverat. Porro Lotharius imperator, ut Rogerii occasum audivit, in Apuliam festinavit, eamque sibi secundum morem antiquum statumque Romanorum subiugare satagit. ....

Eodem tempore Theodericus Flandrensis satrapa filiam suam filio Stephani regis coniugem dedit, totumque ducatum Flandriae dimisit; deinde crucem Domini accepit, et[a] Ierusalem perrexit, indeque regressus puerum cui filiam in[b] uxorem dederat sibi coniunxit.

Anno ab incarnatione Domini 1139, indictione 2. Innocentius papa II. Romae in medio quadragesimae ingens concilium tenuit, et multitudini praelatorum statuta sanctorum patrum inviolabiliter teneri praecepit. De multis regionibus exciti ad synodum convenerant, et hac de causa brumali tempore periculosum iter inierant, sicque cum multis suarum dispendii rerum Romana moenia viderant. Multa illis papa de priscis codicibus propalavit, insignemque sacrorum decretorum textum congessit. Sed nimis abundans per universum orbem nequitia terrigenarum corda contra aecclesiastica scita obduravit. Unde remeantibus ad sua magistris, apostolica decreta passim per regna divulgata sunt; sed nihil, ut manifeste patet, oppressis et opem desiderantibus profuerunt, quoniam a principibus et optimatibus regnorum cum subiectis plebibus parvipensa sunt .....

EXPLICIT LIBER HISTORIAE AECCLESIASTICAE.

a) *reliqua sententiae in loco raso colore fulvo.* b) in u. d. s. c. *haud dubie exeunte.* 77) Pisas.

SEQUITUR VITA PIENTISSIMI PATRIS FRATRIS ORDERICI VITALIS MONACHI UTICENSIS AB EODEM COMPENDIOSE DESCRIPTA.

Ecce senio et infirmitate fatigatus librum hunc finire cupio, et hoc ut fiat pluribus ex causis manifesta exposcit ratio. Nam sexagesimum septimum[a] aetatis meae annum in cultu domini mei Iesu Christi perago, et, dum optimates huius seculi gravibus infortuniis sibique valde contrariis comprimi video, gratia Dei roboratus, securitate subiectionis et[b] paupertatis tripudio. En Stephanus rex Anglorum in carcere gemens detinetur, et Ludovicus rex Francorum, contra Gothos et Guascones expeditionem agens, pluribus curis crebro anxiatur. En, praesule defuncto, Luxoviensis[c] cathedra caret episcopo, et quando vel qualem habitura sit pontificem nescio. Quid amplius dicam? Inter haec, omnipotens Deus, eloquium meum ad te converto, et clementiam tuam ut mei miserearis dupliciter exoro. Tibi gratias ago, summe rex, qui me gratis fecisti, et annos meos secundum beneplacitam voluntatem tuam disposuisti. Tu es enim rex meus et Deus meus, et ego sum servus tuus, et ancillae tuae filius, qui pro posse meo a primis tibi vitae meae servivi diebus. Nam sabbato paschae apud Attingesham baptizatus sum, qui vicus in Anglia situs est super Sabrinam ingentem fluvium. Ibi per ministerium Ordrici presbiteri ex aqua et Spiritu sancto me regenerasti, et mihi eiusdem sacerdotis, patrini scilicet mei, nomen indidisti. Deinde, cum quinque essem annorum, apud urbem Scrobesburiam scolae traditus sum, et tibi prima servitia clericatus obtuli in basilica sanctorum Petri et Pauli apostolorum. Illic Siguardus insignis[d] presbiter per quinque annos carmentis Nicostratae litteras docuit me, ac psalmis et hymnis aliisque necessariis instructionibus mancipavit me. Interea praedictam basilicam super Molam flumen sitam, quae patris mei erat, sublimasti, et per piam devotionem Rogerii comitis venerabile coenobium construxisti. Non tibi placuit, ut illic diutius militarem, ne inter parentes, qui servis tuis multoties oneri sunt et impedimento, paterer inquietudinem, vel aliquod detrimentum in observatione legis tuae per parentum carnalem affectum incurrerem. Iccirco, gloriose Deus, qui Abraham de terra patrisque domo et cognatione egredi iussisti, Odelerium patrem meum aspirasti, ut me sibi penitus abdicaret et tibi omnimodis subiugaret. Rainaldo igitur monacho plorans plorantem me tradidit, et pro amore tuo in exilium destinavit, nec me unquam postea vidit. Paternis nempe votis tenellus puer obviare non praesumpsi, sed in omnibus illi ultro adquievi, quia ipse mihi tua[e] ex parte spopondit, si monachus fierem, quod post mortem meam paradisum cum innocentibus possiderem. Grataanter facta inter me et te, genitore meo proloquente, conventione huiuscemodi, patriam et parentes omnemque cognationem et notos et amicos reliqui, qui lachrimantes et salutantes benignis precibus commendaverunt me tibi, o summe Deus Adonai. Illorum orationes, quaeso, suscipe, et quae mihi[f] optaverunt, pie rex Sabaoth, clementer annue.

Decennis itaque Britannicum mare transfretavi, exul in Normanniam veni, cunctis ignotus neminem cognovi. Linguam, ut Ioseph in Aegypto, quam non noveram audivi. Suffragante tamen gratia tua, inter exteros omnem mansuetudinem et familiaritatem reperi. A venerabili Mainerio abbate in monasterio Uticensi, 11. aetatis meae anno, ad monachatum susceptus sum, undecimoque[g] Kalendas Octobris, dominico die[h], clericali ritu tonsoratus sum. Nomen quoque Vitalis pro Anglico vocamine, quod Normannis absonum censebatur, mihi impositum est, quod ab uno sodalium sancti Mauricii martyris, cuius tunc martyrium celebrabatur, mutuatum est. In praefato coenobio 56 annis, te favente, conversatus sum, et a cunctis fratribus et contubernalibus multo plus quam merui amatus et honoratus sum. Aestus et frigora pondusque diei perpessus in vinea Sorech inter tuos laboravi, et denarium quem pollicitus es, securus, quia fidelis es, expectavi. Sex abbates, quia tui fuerunt vicarii, ut patres et magistros reveritus sum, Mainerium et Serlonem, Rogerium et Guarinum, Ricardum et Rannulfum. Isti nempe Uticensi conventui legitime praefuerunt, pro me et pro aliis tanquam rationem reddituri[i] vigilaverunt, intus et exterius solertiam adhibuerunt, nobisque necessaria, te comitante et iuvante, procuraverunt. Idus Martii, cum 16[k] essem annorum, iussu Serlonis electi, Gislebertus Luxoviensis praesul ordinavit me subdiaconum. Deinde post biennium, 7. Kalendas Aprilis, Serlo Sagiensis antistes mihi stolam[l] imposuit diaconii[m], in quo gradu 15 annis tibi libenter ministravi. Denique, 33. aetatis meae anno, Guillelmus archiepiscopus Rotomagi, 12. Kalendas Ianuarii, oneravit me sacerdotio. Eodem

a) *deest c. Dupuy.* b) et p. *desunt D.* c) lexoviensis *constanter D.* d) *deest D.* e) *ita D.*; sua *ed.* f) *deest ed.* g) undecimaque *ed.* h) *deest ed.* i) *deest D.* k) XV. *D.* l) *ita D.* m) diaconi *ed.*

vero die 244 diacones et 120 consecravit sacerdotes, cum quibus ad sanctum altare tuum in Spiritu sancto devotus accessi, iamque 34 annis cum alacritate mentis tibi sacra misteria[a] fideliter persolvi.

Sic, sic, domine Deus, plasmator et vivificator meus, per diversos gradus tua mihi dona gratuito dedisti, et annos meos ad servitutem tuam iuste distinxisti. In omnibus locis, ad quae iam dudum me duxisti, a tuis amari, non meritis meis, sed tuo munere me fecisti. Pro universis igitur[b] beneficiis tuis, benigne Pater, tibi gratias ago, toto corde et ore[c] laudo et benedico, et pro innumeris reatibus meis misericordiam tuam flebiliter imploro. Parce mihi, Domine, parce, et non[d] confundas me, sed secundum[e] infatigabilem bonitatem tuam pie plasma tuum respice, et omnia peccata mea dimitte et absterge. Perseverantem in tuo famulatu da mihi voluntatem viresque indeficientes contra versipellis Sathanae malignitatem, donec adipiscar, te donante, perpetuae salutis hereditatem. Et quae mihi, benigne Deus, hic et in futuro dari deposco, haec amicis et benefactoribus meis peropto. Haec etiam cunctis fidelibus tuis secundum providentiam tuam concupisco. Ad obtinenda perennia bona, quibus ardenter inhiant corda[f] perfectorum, quia nostrorum non sufficit efficacia meritorum, o domine Deus, omnipotens Pater, conditor et rector angelorum, vera spes et aeterna beatitudo iustorum, subveniat nobis apud te gloriosa intercessio sanctae virginis et matris Mariae et omnium sanctorum, praestante domino nostro Iesu Christo redemptore universorum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia secula seculorum. Amen.

a) ministeria *ed.* b) *deest ed.* c) et ore *desunt ed.* d) ne *ed.* e) me. Ad i. *ed.* f) desideria *ed.*

Ordericus Vitalis

Codex autographus Paris. 5506. Latin

T. I. fol. 12. faciendā & multa alia pfecte uite iussa de-
promit. De thesauro in celo condendo. de eo
qđ nullus possit duobꝫ dn̄is seruire. de uola-
tilib; & liliis agri. de festuca & trabe in oc(u)lo.
de margaritis ante porcos n̄ mittendis. de
introitu ad uitā p angustā portā. de cauen-
do a falsis pphis. de domo edificanda sup petrā.

fol. 123. interēmit. Ceteri autē qui euaserīt. in tēplū apol-
linis fugerunt. Insignis athleta xp̄i salaminā urbē

G. H. Pertz scripsit a. 1863.

Ottonis Frisingensis chronicon.

1
C. Hannoveranus olim Augustanus.

PReCORDIALI amico summiq; int̄ orbis p̄ncipes p̄ncipis
nobili cancellario REGENALDO. Otto di gr̄a Frising
ecclē ep̄c salutē & obsequiū. Cum iuxta Boeciū in omnibꝰ phi-
losophie disciplinis ediscendis atq; tractandis summū uite posi-
tum solamen existimem. urē nobilitatis psonā eo familiarius ac
locundius amplector. quo ipsius studio uos hactenus insudasse
meaq; ad p̄me eru ditum esse ɔgnosco. Ea ppt̄ non ut rudi
ſ; ut philosopho de libro quem dn̄o impatori transmisi. urē

G. H. Pertz scripsit a. 1819.

2
C. Sveftelariensis.

xx. iiii.

ANNO impii theodosii. xxx. terre mot̄ horribilis constanti-
nopoli fuit. ob eā causam. αγιος. ο θεος. αγιος. ισχυρος.
αγιος. αθανατος. ελεησον ημας. hoc ē. scs ds. scs fortis
scs immortalis miserere nob. diu applo cū populo epo suo.
celesti cōmonitione caneret. terre mot̄ cessauit. Unde ab i
patore eiq; sorore pulcheria. ut ptotū orbē canticū hoc ca-
neret p̄ceptū est. Roma quoq; tē ex terre motu ī multis suis

R. Wilmans scr.

3
C. Weihenstefanensis fol. 2

cepi. Missim' aū p̄sentiū latoresq; uenerabile abbtē. Rabo
tonē sc̄i stephani & capellanū nr̄m Regewinū q̄ hanc
hystoriā ex ore nr̄o subnotauit. ut de hoc uerbo sub gr̄a
ur̄a p(er) nob sufficienter respondant. Plogus eiusdē

4.
C. Graecensis fol. 101.

diuisoris delecti dicit̄. Huiꝰ maxime ɔcussionis auctor fuisse
ex baioaria q̄dā Skirensis comes memorat̄ q̄ tū pfidie sue pe-
nas soluēs dū ungaros ī cautē eductos morti exposuisset. ab eis
tāq; traditor necat̄ ē. Porro tra ipiꝰ ī fiscū redacta. parti a rege rui-
ecclās diuisa. parti heredibꝰ eiꝰ cū castͦ Skirensi relicta. ctno ana-
themati ab epis addicata fuisse tradit̄. Rex uō d(e)inde diēs Sclauos re-

R. Wilmans scr.

5
C. S. Crucis l. 3. c. 8. 9.

Mortuo Herode archelaus filiꝰ eiꝰ successit ī regnum.
ANNO. Ab incarnatione dn̄i vi. viii
A maxima fames in urbe Roma fuit. que intm̄
familias inualuisse dicit̄. ut lanistas. & peregrinos.

Wattenbach scr.

OTTONIS EPISCOPI FRISINGENSIS
CHRONICON

EDIDIT ROGERUS WILMANS PH. D.
AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS ET REGIO TABULARIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Ottonis Frisingensis episcopi chronicon, quod edituri sumus, historiae conscribendae artem currente medio aevo ad summum forsitan provexit fastigium. Unicum, ni fallor, huius temporis documentum, quo auctor res inde a mundo condito ad sua usque tempora gestas una narratione complexus cuncta generis humani fata rerumque mutationes a Deo ita ordinata esse ostendit, ut finem mundo ab ipso propositum consequerentur. Quod opus artis historiae philosophice componendae primum specimen iure dixeris. At philosophia quae tunc in scholis docebatur omnino christiana vel potius theologica erat. Non igitur est quod miremur, quod auctor in conscribendo chronico totum mundi finem in exaltanda ecclesia ac condenda per terram coelesti civitate posuit, quodque non multum curavit, ut res sua aetate gestas et quibus ipse testis ocularis interfuit, disertius posteris traderet[1].

Quae operis indoles ipsum ecclesiasticis viris ita commendabat, ut iterum iterumque transcriberetur. Hoc modo factum est, ut post eum nullus rerum gestarum scriptor componendae historiae totius orbis provinciam in se susciperet. Generis humani historicorum qui per medium aevum floruere, praeclarum agmen claudit Otto.

Cuius eximii auctoris, qui tam illustri genere quam scientia ingenio moribusque inter magnos saeculi XII. viros insignem obtinuit locum, vita scriptaque accuratius perscrutanda sunt.

Antequam vero de hac re disputationem instituimus, pauca de fontibus praemittenda videntur quibus ea quae dicturi sumus innituntur.

Luculentam notitiam vitae studiorumque Ottonis ea praebent quae Ragewinus[2]*, quo Noster diu usus est notario*[3]*, de ipso litteris mandavit*[4]*. Quae* 2
quanti momenti sint, inter omnes qui de Ottone disseruere, iam diu convenit; velim tamen, Ragewinus in describenda eiusdem vita accuratius tempus et annos, quibus quae gessit tribuenda sint, notasset. Ex hoc fluxere quae Conradus sacrista Frisingensis in gestis episcoporum Frisingensium anno 1187 *conscriptis*[5] *de Ottone tradidit, paucis exceptis quae testis ocularis addidit*[6].

Non minoris momenti habenda sunt quae monachus quidam Claustroneoburgensis scripsit[7]. *Nam post annum* 1168[8] *et ante* 1177 *quo schismati finis*

1) Res regnantibus Lothario et Conrado gestae nimis succincte narrantur. De Ottonis arte historica egregie disputavit Wattenbachius noster D. G. Q. p. 350 sq. 2) Ita appellatur continuator Ottonis, non Radevicus. 3) Cfr. Prooem. Chron. Ottonis ad Frid. I. et prooemium Ragewini ipsius. 4) Rag. Gesta Frid. I. lib. II. c. 11. 5) nondum editis, quibus ex codice Guelferbytano 205. (2* A. 1.) uti mihi licuit. 6) Ragewini enim verbis de ultimo Ottonis itinere Morimundum versus suscepto II, 11. *salutatis fraterna caritate media quam intime fratribus et vale dicto* haec subiungit Conradus: *magna cordis contricione et lacrimarum effusione nobis astantibus et contuentibus hanc sedem deseruit.* 7) SS. IX. p. 610. Ex hoc fluxit Narratio gen. posterorum S. Leopoldi s. XIII. conscripta apud Pez SS. I, 574. et magna ex parte etiam opusculum saeculo XII ex. tribuendum, quod Wattenbachius SS. IX, 609 nota 33 edidit. 8) l. c. p. 611. 30.

impositus est opus exaravit, eaque quae de Ottone retulit, a Friderico eiusdem socio se audivisse diserte professus est[9].

Praeter quos saepius chartae et diplomata Ottonis[10] *in Meichelbeckii historia Frisingensi et Monumentis Boicis edita, a me in partes vocanda neque ea negligenda erant quae V. Cl. de Meiller*[11] *de Ottone collegerat.*

Quae in his fontibus leguntur, tam pauca sunt, ut si tempus ante adeptum episcopatum respicis, fere ubique coniecturae locum des necesse sit. Haec vero tempora illustrari posse viderentur annotationibus, quas Ricardo Neobrigensi et Ortiloni debemus[12]. *Quae quidem nulli eorum qui de Ottonis vita disputaverunt*[13], *ad hunc usque diem suspicionem moverunt. Attamen iam anno* 1839 *Vir Clar. Blumberger in Annalibus litterariis Vindobonensibus*[14] *clare demonstravit, utrumque librum falsarii cuiusdam opus esse, eo consilio confectum, ut Babenbergicae gentis historia magna rerum gestarum copia exornaretur. Hanc sententiam denique V. Ill. Chmel, codice*[15] *qui nunc in bibliotheca Caesarea Vindobonensi asservatur, inspecto omnino confirmavit*[16]. — *Omnes igitur opiniones, quas viri docti his mendaciis innixi de Ottonis vita protulere reiiciendae sunt, neque dubito quin etiam nostri commentarii adulterinam utriusque operis indolem probaturi sint.*

Haud dissimilis sententia de illa Ottonis vita ferenda est, quae teste Manriquez[17] *circa medium saeculum XVII, quo eiusdem liber in lucem edebatur, in monasterio Morimundensi asservabatur. Quae enim ex ipsa affert*[18], *neque venerandae sunt antiquitatis neque ignoti auctoris. Nam verbo tenus ex Aeneae Sylvii historia Friderici III.*[19] *petita sunt*[20]. *In quibus conscribendis Aeneas Sylvius praeter Ottonem et Ragewinum etiam monachum Claustroneoburgensem consuluit*[21]. *Fieri igitur potest, opusculum a Manriquez laudatum idem esse atque Huldrici praedicatoris* vitam Ottonis Fr. calamo strictissimo comprehensam, *quae ex Hoheneicheri libris*[22] *nunc in bibliothecam V. R. de Deutinger Monacensis praepositi transiit. Haec enim, teste V. Cl. Föringer, nihil est nisi compilatio, ex Ragewino et Aenea Sylvio inter annos* 1498 *et* 1541 *conscripta.*

9) ib. 611. 1. 10) Epistolae nonnullae ab Ottone datae vel ad eum missae reperiuntur in operibus Gerhohi (apud Pez Thes. I et VI) et Wibaldi (Jaffé Mon. Corb. p. 519) atque in collectione Tengnagelii. gesten zur Gesch. der Markgr. und Herzoge aus dem Hause Babenb. Wien 1850. inde a pag. 18. 12) Ortilonis notulae ex chronico Aloldi de Pecklarn ann. 902—1063, posteriores ann. 1075—1198, et Leupoldi de Neunberga indiculus chronicus actorum et liberorum S. Leopoldi Austriae marchionis, excerptus ex historia D. Rikardi canonici de Neuburga, statim post obitum sancti marchionis scripta, exstant in Ternione scriptorum vett. Austriacorum addito Hanthaleri Fastis Campililiensibus. 13) Inter quos B. Huber, Otto von Freising, sein Charakter etc. Münch. 1847. et Th. Widemann, Otto von Freysingen nach seinem Leben etc. Pass. 1849. novissimi. 14) Band 87. Anz.-Bl. p. 41. 15) qui saeculo XVII. vel XVIII. conscriptus speciem libri s. XII. vel XIII. exarati induit. 16) Chmel Verz. der Handschr. der Hof-Bibl. II, 656. 17) Annales Cistercienses. Lugd. 1642. fol. 18) Vol. I. p. 377. ad an. 1139: *Audi quae de hac* (Ottonis) *promotione profectuque ecclesiae ex ea secuto, Morimundo leguntur in eius vita. In monasterio Morimundensi, inquit, abbas ordinatus, in quo multa laudatissimae conversationis suae documenta relinquens* etc. usque *ut fundator eius magis quam instaurator esse putaretur.* Uberiorem de hac vita sententiam profert II, 172: *Porro humanioribus tantum imbutum literis et necdum adhuc promotum ad philosophiam, habemus ex eiusdem vitae epitome antiquitate sua veneranda, ignoto licet auctore, quae a multis annis observata Morimundi, haec inter alia verba de eo habet. Ab ipsa pueritia religionis studia sectatus est* etc. usque *regularem imbuit disciplinam.* Quibus denique tertium subiunxit locum inde mutuatum II, 176: *Ita habetur in vitae eius epitome. In monasterio Morimundi* etc. usque *quorum antea discipulus extiterat.* 19) ap. Schilter SS. rer. Germ. p. 10. 20) Ex eodem opere ea manaverunt quae Vitus Arnpeckh in scheda codici suo (Guelferb. supra laudato 2* A. 1) agglutinata verbis Conradi sacristae subiunxit, quaeque etiam in Serie episcop. Frising. (ap. Deutinger Beiträge z. Gesch. der Diöc. Münch.-Freys. I. p. 173) inveniuntur. 21) At ex aliis etiam nunc deperditis fontibus hausisse videtur, cum Ragewinum recte praepositum vocet, quod a nullo traditur quodque mihi nunc primum ex chartis S. Viti Frising. eruere licuit. 22) Arch. I, 170.

Praeter haec Manriquez II, 172 *etiam ad* tabellam ad sepulchrum eius appensam *provocat, non diversam, ut opinor, ab epitaphio II,* 324 *laudato* [23], *quae nihil nisi verba monachi Claustroneoburgensis in epitomen redacta afferunt.* 23

I. Vita Ottonis.

De anno natali primordiisque Ottonis pauca tantum nota sunt. Natus est ex foecundissimo illo matrimonio quod Liupoldus Sanctus Austriae marchio cum Agnete Heinrici IV. filia iamque Friderici ducis Sueviae vidua anno 1106 *contraxit* [24], *atque inter sex inde procreatos filios quintum obtinuit locum* [25]. *Quae cum nobis a scriptore omnino coaevo, continuatore scilicet Caustroneoburgensi qui ad testimonium sociorum Ottonis provocat, tradantur, nemo non videt plane absurdum esse falsi Rikardi commentum* [26], *Ottonem quintum filium ex matrimonio anno* 1106 *contracto iam anno* 1109 *Nonis Decembris natum esse. Ex genuinis vero fontibus nec annus, nec dies natalis probari licet, et id solum statuendum, ipsum nullo modo ante annum* 1111 *procreatum esse posse. Quibus argumentis si addis, quod ex quinque sororibus, quae ad nubilem aetatem provectae sunt, vel etiam de septem germanis tempore infantiae de medio sublatis, forsitan unum alterumve natu maiorem habuit, libenter Ottonis annum natalem ad* 1114 *vel* 1115 *produces* [27].

Neque tamen ultra. Iam enim anno 1128 *una cum fratribus Adalberto Liupoldo et Ernestone chartam subscripsit quibus pater reditus quosdam coenobio S. Nicolai Pataviensi restituit* [28]. *Haec mihi quidem probare videntur, tunc Ottonem ad eam aetatem provectum fuisse, ut chartam subscribere legitime posset; neque tamen iam ordines recepit, quod sine ullo dubio notandum curasset pater. Hoc in charta factum est die* 15. *Mart.* 1133 *data* [29], *qua Liupoldus* rogante filio suo Ottone in sancte conversationis habitu iam constituto *episcopatui Bambergensi quosdam ministeriales tradidit.*

Hoc ergo tempore non solum clericali ordini addictus et praepositus ecclesiae Claustroneoburgensis factus [30], *sed etiam inter coenobii Morimundensis monachos receptus est. Nam auctor ille Claustroneoburgensis tradit anno* 1133 *ecclesiam Claustroneoburgensem, expulsis canonicis saecularibus, a Leopoldo marchione regularibus S. Augustini datam fuisse, quod factum evenerit paulo post professionem ab Ottone in monasterio Morimundensi factam* [31]. *Quae*

23) — *nam monachi pro epitaphio vitae epitomen, nec tunc forte sed postea composuere.*

24) Ex priore marito Agnes Fridericum patrem Friderici I. imperatoris et Conradum III, ex Liupoldo vero octodecim genuit liberos, *quorum septem quidem*, ut continuatoris Claustroneoburgensis p. 610 verbis utar, *tempore infantiae de medio sublati sunt, undecim vero qui supervixerunt, sex videlicet filii et quinque filiae, ad honores temporalium rerum non modicos fere omnes promoti sunt.* Anno 1106. Agnetem uxorem duxisse Leopoldum tradunt Annales Mellicenses (SS. IX, 503.) et Otto ipse Gest. I, 10; annus igitur 1096, cui in chronico Reichersp. ex ed. Ludewig. II, 235. nuptiae adscribuntur, aperte falsus est.

25) Cont. Claust. p. 610. 19: *Quintus Otto* etc.

26) l. c. p. 1309: *Altero anno* 1105. *Lewpoldus cum nobilibus suis processit Ratisponam — — — Post anno sequenti* (1106) *Kal. Maii cum Agnete vidua Friderici de Hohenstaufe fecit nuptias magnificas in Melikh* — —; p. 1311: *Otto natus anno* 1109. *Non. Decembris.*

27) morientem a. 1158. Ragewinus II, 11 *iuvenem aetate* vocat.

28) Monum. Boica IV, 311: *praesentibus quatuor filiis suis Adalberto, Liupoldo, Ottone, Ernestone.* Quam chartam V. Cl. Meiller anno 1128. tribuit, quod non omnino constat, cum alteri tantum huius anni documento adscripta sit, et ipsa nullam temporis prae se ferat notam. In codice traditt. Claustroneob., quem V. R. Max. Fischer a. 1851. in lucem edidit, duae chartae occurrunt, quae praesente Ottone datae sunt No. 33. p. 9. et No. 494. p. 106; sed in utraque annus non notatur.

29) apud Hormayr Taschenb. f. vaterl. Gesch. 1843. p. 367.

30) Cont. Claust. p. 610. 19: *Quintus Otto qui liberalibus studiis appositus, ut in scriptis suis iam claret et diu in posterum clarebit, in egregium profecit clericum. Quem cum adhuc scholaris esset, mortuo Ottone primo Niwenburgensis ecclesiae preposito, pater suus fecit eidem ecclesiae prepositum, substituens ei vicarium Opoldum nomine.* Ottonis I. praepositi mentio occurrit in cod. Claust. Nr. 201. p. 41. et Nr. 245. p. 49; quando vero mortuus sit, minime patet. Noster autem Otto, secundus praepositus, in nullo documento quoad sciam memoratur; e contra Opoldus saepissime Nr. 20. 21. 22. 23. 25. 32. 117. 206. 224. 249, nusquam vicarius, plerumque canonicus appellatus.

31) Pergit Cont. Claust.: *Deinde ex propria camera et ex redditibus ecclesiae cui preerat datis et stipendiis,*

igitur idem scriptor de duplici Nostri itinere Parisios instituto, ipsiusque studiis hoc loco absolutis[32] mandavit litteris, haec inter annos 1128 et 1133 contigisse facile mecum statues.

Ottonem monachum Morimundi[33] factum esse tradit Claustroneoburgensis, neque tamen addit ibidem abbatem electum esse. Hoc quidem ex Ragewino accipimus[34]. Sed quas res abbas gesserit et quamdiu monasterio praefuerit, apud nullum coaevum scriptorem reperitur. Manriquez quidem disertis verbis tradidit, Ottonem inde ab anno 1131 usque ad anni 1137 finem Morimundum rexisse atque multa laudabilia ibidem gessisse[35]. Quibus fides habenda est nulla. Si enim annum respicis quo ex monacho abbas Morimundensis factus sit, hunc iis inniti invenies, quae Claudius Robertus in libro suo Gallia christiana nuncupato ex catalogo abbatum Morimundensium refert[36]. Annus vero quo Manriquez eum electum esse opinatur, deductus est ex illo anno quo ad episcopatum Frisingensem Otto promotus est. At ne hic quidem annus omnino constat, neque catalogus ille Claudii Roberti magnam prae se fert auctoritatem atque a recentiore quodam scriptore conscriptus esse videtur[37]. — Gesta vero quae de Ottone abbate Manriquez recenset nihil sunt nisi enumeratio novorum monasteriorum quibus ordo Cisterciensis annis 1131—1137 auctus est[38]. Quae monasteria hoc quidem tempore constructa fuisse non nego, neque notitiis veteribus a Manriquez[39] hac de re in lucem editis fidem derogo. Atque hae ipsae notitiae nomen abbatis, cuius tempore fundationes novae factae sint, alto operiunt silentio; ita ut nullum in promptu sit argumentum, cur has Ottoni nostro tribuas.

studii causa misit eum Parisius. Unde dum post aliquos annos rediret, ecclesiam suam vl. Niwenburgensem veneratus, attulit ei reliquias — — Paucis vero diebus domi demoratus, denuo ad scholas rediit. Ibi proposito tempore studii transacto, dum ad propria redire properat, in cenobio Morimundensi ubi pernoctaverat se monachum fecit, cum aliis quindecim qui secum venerant electissimis clericis. Qui etiam, ut ab uno illorum audivi, Friderico nomine — omnes in diversas dignitates promoti sunt. Quo audito marchio pater eius, cum iam videret locum filii vacare et ecclesiam Niwenburgensem praeter se provisorem non habere — — — canonicos saeculares — decentissime avertit et regularibus b. Augustini — — anno inc. D. 1133. *eundem locum — — tradidit.*

32) Haec ex solo Claustroneob. scimus. Ragewinus vero II, 11. multis verbis operam extollit quam Otto philolosophiae et inprimis Aristotelis libris navavit, sed Parisiensis studii mentionem non fecit. Omnia quae praeter haec a posterioribus scriptoribus referuntur, merae nugae sunt.

33) Est Burgundiae monasterium Cisterciense notissimum, una ex quatuor filiis Cisterciensis monasterii. Cf. infra n. 36.

34) Gesta Frid. II, 11: *Sane vivendi modum iuxta Cisterciensis ordinis religionem instituerat: ibique in monasterio Morimundensi primo abbas, eousque probatus et electus inventus est, ut merito sibi diceretur: Amice ascende superius. Episcopus factus, transcurso iuventutis fervore* etc.

35) Annal. Cisterc. I, 377. 518. II, 171. 176. 224.

36) Manriquez I, 377 dicit: *Rationem temporis subobscuram apud antiquos insinuare videtur Catalogus abbatum Morimundensium, quippe Otto septem annorum abbas dicitur. Rexit, inquit, hanc abbatiam annis septem, postea vigesimus tertius episcopus Frisingensis* atque in margine provocat ad Galliam christianam Claudii Roberti. Eundem catalogum iam I. p. 171. laudavit. Integer huius libri titulus datur a Lelong in Bibl. hist. de la France I. p. 147. No. 2909: *Gallia christiana in qua regni Franciae ditionumque vicinarum dioeceses et in iis praesules describuntur cura — Claudii Roberti Lingonensis presb. in fol. Parisns. Cramoisy* 1626, quem tamen adipisci non potui. Lelong I. p. 811. praeterea alium manuscriptum librum laudat qui ad rem nostram facere videtur. No. 13109. Ms. *Series abbatum Morimondi et de iurisdictione eorum. Ce manuscrit est conservé dans la bibliothèque de M. Floret de Fontenette, conseiller au parlement de Dijon. L'abbé de Morimond est electif et l'un des quatre pères de l'ordre de Citeaux; il est aussi superieur immédiat des ordres militaires d'Alcantara et de Christ en Espagne et en Portugal.*

37) quippe qui Frisingensium episcoporum numerum, sed falsum, det. Forsitan idem liber est, cuius titulum supra ex Lelong exscripsimus.

38) quae maiore ex parte ex Morimundo monachos acceperunt. Manr. I, 518: *Ex monacho Morimundi electus anno* 1131, *sequenti Vilorium in Metensi dioecesi, subsequenti Bethaniam, Clarum-fontem, Veterem montem et S. Crueem in Austria fundat; hanc ultimam ministrante sumptus et dotem S. Leopoldo — — Neque tot fundationibus exhaustus a.* 1134. *duplicem aliam prolem luci dedit. Coronatum, alias Morimundum in Lombardia, et Bellum-pratum Tullense in Lotharingia. Triennio post alia quatuor coenobia protulit: Aquam-bellam alias honestam villam, Bonum-fontem, Scalam Dei et Berdonas seu Berdonarum, ex quibus Morimundus brevi intervallo multis neptibus aucta foecundavit Hispaniam copiosa prole, ex Scala Dei militias etiam sacras susceptura. Cum septem annos praefuisset et paucos menses, in episcopum Frisingensem promotus est.*

39) I. p. 253. 332.

Huc accedit quod Galliae christianae auctores Sammartani de Waltero I. qui Ottonem in regendo monasterio Morimundensi praecessit, quaedam afferunt documenta[40], *nescio unde desumpta, quae Walterum etiam anno* 1136 *inter vivos et Morimundi praesidem fuisse probant. Idem innui videtur charta a Liupoldo, Ottonis patre, San-Crucensi monasterio anno* 1136 *data*[41], *in qua ita de Nostro loquitur:* Inde est quod ego Liupoldus D. g marchio Austriae — Ottone dilecto filio qui se apud Morimundum ordini subiecit Cisterciensi adhortante, fratres a predicto Morimundensi coenobio evocarim et in loco qui actenus Sattelbach dicebatur, nunc vero — ad S. Crucem vocatur, collocaverim.

Certe si tunc temporis monasterio Morimundensi abbas praefuisset Otto et monachos illos in Austriam ipse direxisset, id adnotandum non neglexisset pater.

Quae cum ita sint, non crediderim Ottonem ante medium annum 1136 *abbatem electum fuisse neque iis omnino contradixerim quae Albericus anno* 1146 *tradidit*[42]*: ....* Huc usque pertingit narratio episcopi Ottonis qui fuit vir nobilis et monachus Morimundensis et una die electus in abbatem eiusdem loci, sequenti die factus est in Bavaria episcopus Frisingensis. *Quae cum ab auctore litteris mandentur, qui vix centum annis post Ottonem scripsit et de ordine Cisterciensi multa et utilia retulit*[43], *maiorem certe fidem mereri videntur, quam eisdem hucusque viri docti tribuerunt.*

Quamdiu Morimundense coenobium rexerit et quando episcopus Frisingensis electus fuerit, non minus magnis obvolvitur tenebris. Antecessoris quidem episcopi Heinrici mortem anno 1137 *evenisse Continuatione Claustroneoburgensi prima*[44] *evincitur, idque Otto ipse*[45] *confirmat, qui Heinricum inter eos enumerat, qui mortem principis (Lotharii) aut praecesserint aut secuti sint. Obiit si lapidi sepulchrali credere fas est*[46], VII. Idus Octobris *eiusdem anni. His egregie consonant quae Meichelbeckius in Calendario Weihenstephanensi* synchrona manu *notata inveniebat*[47], *quod electio Ottonis anno* 1137. *contigerit, isque anno primo sequenti (*1138.*) in episcopatum introductus fuerit. Quibus non contradicere videntur Annales Admuntenses*[48] *et Auctarium Garstense*[49].

Neque tamen omnem evellunt scrupulum. Currente enim anno 1138. *nulla in tabulis publicis occurrit mentio Ottonis*[50]. *At ex libro copiali monasterii Chiemseensis saec. XIV. conscripto*[51] *charta in lucem prodiit*[52], *qua* Matheus D. g. episcopus Frisingensis anno 1138. presidente Innocentio papa II, regnante rege Chonrado *sanctimonialibus decimas in Homeldorf concessit*[53]. *Cui si fidem non negas*[54], *forsitan coniiceres, turbulentis temporibus quae Lotharii mortem sequebantur Matheum a fautoribus Welficae partis intrusum, sed post a Conrado III. non confirmatum fuisse, qui fratri uterino Frisingensem episcopatum conferre malebat. Quam coniecturam*[55] *omnino reiicerem, si ex Ottonis chartarum signis*

40) Gall. chr. IV, 814. 41) et quidem ante diem 4. Iunii, vide Meiller p. 22 et 216. 42) in Leibn. Access. hist. I, 2. p. 315. 43) Confer quae diximus hac de re in Annalibus nostris Arch. X, 182. 235. 44) SS. IX, 613. In Ottonis chronici codice Argentin., olim Altahensis. XII. ex. vel XIII. in., eadem manus fere coaeva quae etiam Ellenhardi et Reginhardi epp. Frising. mortes prius notaverat subiunxit nomini Lotharii imperatoris: *MCXXXVII. Heinricus episcopus obiit. Otto succedit.* 45) Chron. VII, 21. 46) Meichelb. I, I. 314. 47) ib. p. 316 et 317. 48) SS. IX, 579. a. 1138: *Otto Frisingensis episcopus eligitur.* 49) ib. 569. a. 1138: *Reginbertus Pataviensis episcopus et Otto Frisingensis episcopus et Gotfridus Admuntensis constituuntur.* Chronicon vero Reichersperg. ed. Petr. Stevart III. p. II. p. 259. repugnat: *a.* 1139. *Otto frater regis Chunradi, episcopus Frisingensis constituitur.* 50) Charta quam affert Jaffé Conrad III. p. 288. ex Meich. I, II. pag. 545. anni 1139, non praecedentis notam prae se fert. 51) Monum. Boica I, 360. nota *a.* 52) ibid. II, 446. 53) Huber p. 7 sq. primus hanc chartam in partes vocavit. 54) Nihil deprehendere potui quod spuriam eam esse ostenderet. Quod l. c. p. 447. ex eodem codice desumptum sequitur Ottonis nostri diploma anni 1154. sine ullo dubio genuinum est. 55) Aliam viam ad dirimendum scrupulum hanc Pertzius proposuit. Cum saepissime in libris copia-

chronologicis certo elici posset, Nostrum episcopatus initium inde ab anno 1137,[55] *vel saltem ab ineunte anno* 1138. *sumpsisse. Sed inter omnes eius chartas*[56] *octo tantum, quoad sciam, Ottonis episcopatus annos enumerant. Inter quas tres in fine anni* 1137. *episcopatus initium ponunt*[57], *ceterae vero in annum* 1138. *vel* 1139[58] *quadrare videntur*[59]. *Itaque non possumus quin Meichelbeckii sententiam*[60]: Quo sane anni illius (1138) mense ac die in Baioariam Otto venerit, edisserere hactenus non possumus, *non solum confirmemus, sed annum ipsum* 1138 *in dubium vocemus*[61].

Quae episcopus gesserit, a Ragewino ita laudibus efferuntur[62]: Is primo velut celitus et a Deo missus, cum eandem ecclesiam reperisset omnibus fere bonis destitutam, distractas facultates, collapsa pallatia, familiam attritam, religionis monasteriorum nullam vel parvam memoriam, ope divina tandem ipsam in eum locum reduxerat, ut clero religionem, familiae libertatem, facultatibus copiam, aedificiis decorem ab hac luce subtractus restituisset, eiusque cura, labor, meritum circa sedem et gentem suam perinde fuerat, ac si non tam instaurator quam fundator illius exstitisset. *Haec eo maioris momenti facienda sunt, quia pontificatus antecessoris Heinrici, Wicpertinae vel potius caesarianae parti dediti religioni ac ecclesiasticae vitae permagnum intulerat damnum*[63]. *Quae ad hoc reparandum Otto fecerit, nobis nota non sunt; id tantum scimus, quod Novam-Cellam S. Petri monasterium ordinis Praemonstratensis prope Frisingam de novo fundavit, coenobia vero Scheftlariense, quod post Ungarorum incursum dirutum iacebat*[64], *et Schledorfense restauravit*[65]. *Cetera autem documenta quae Ottonis nomen prae se ferunt in Meichelbeckii Historia Frisingensi nec non in Monumentis Boicis in lucem edita, plerumque ad res exteriores, inprimis ad possessiones monasteriorum vel ecclesiarum spectant, nihilque continent, quod in eius ingenio diiudicando nos adiuvet.*

Si rationem respicis quae ipsi cum principibus vicinis tam saecularibus quam ecclesiasticis intercesserit, praeter controversiam inter ipsum et archiepiscopum Salzburgensem Conradum exortam, sed paulo post sopitam[66], *lites*

libus nomina episcoporum, abbatum etc. non nisi littera initiali indicentur, facile fieri potuit, ut litera *O*, quae in scriptura saeculi XIV. haud dissimilis est litterae *M*, ab editore Monumentorum Boicorum perperam pro littera *M* haberetur. 56) praesertim in Monumentis Boicis et Meichelbeckii Hist. Fris. editas. 57) [a]) dat. Mosburg 9. Decemb. 1144. ind. 6. anno episcopatus septimo, Meichelb. I, I. 327. [b]) dat. 1155. ind. 1. (4.) anno ep. 17. Mon. B. III, 426. [c]) d. Frisinge 1157. 6. Novemb. ind. 5. a. ep. 18. 58) [a]) dat. 1142. ind. 5. anno episc. Ott. 4. Mon. B. X, 453. [b]) dat. Ratisbone 1142. anno Ott. 4. Ried Cod. dipl. Ratisp. I, 206. [c]) dat. Slierche 1147. anno ep. O. 10. Mon. B. VI, 168. [d]) dat. 1154. ind. 2. a. Ott. 16. Mon. B. II, 447. [e]) dat. 1158. ind. 6. Frid. I. regni 7, imperii 4. anno ep. O. 19. Meichelb. I, I. 340. 59) Primum de Ottone episcopo certum chronologicum testimonium praebet diploma, quo Conradus III. die 19. Iul. 1139. Norimbergae petitione Ottonis episcopi Frisingensis et Bernhardi abbatis Clarevallensis Balduino episcopo Pisano possessiones episcopatus confirmat. Quod anno 1139, non 1138. adscribendum esse clare evincit Jaffé, Conr. III. p. 24 not. 30. 60) Hist. Fris. I. I. 316. 61) Qui Ottoni in Morimundo successit Rainaldus non ante annum 1139. memoratur, Gallia christ. IV, 816; ad eundem S. Bernhardi epistola 359 data est. 62) II. c. 11. Hunc secuti sunt Conradus sacrista et Vitus Arnpeckh in G. ep. Fris. ed. Deutinger p. 41 sq. 63) In epistola quam Conradus archiepiscopus misit ad Frisingenses canonicos, Heinricus vocatur: *lupus non per ostium qui Christus est, sed aliunde ut mactet et perdat, in ovile, sicut omnibus patet, ingressus.* Meichelbeck. I, I. 300. De controversia quae inter utrumque agitabatur passio S. Quirini nondum edita haec refert: *Causa vero et fomes discordiae fuit inter hos praesules a puericia, iuxta alios autem, quia a Wicpertinis dicebatur episcopus promotus. Id autem coram sede apostolica non adeo agitari potuit, quin usque ad mortem episcopus in gradu suo maneret, archiepiscopus autem — — — contra canones sine iudicio ecclesie zelo pio excedens, omnimodis enitebatur dedicationes ab episcopo factas annullare.* Cf. Meich. I, I. 292. 64) Cf. Arnpeckh. Gest. epp. Fris. ed. Deut. p. 40, quibuscum convenit quae apographo suo Conradi sacristae (2* A. 1) in folio agglutinata subiunxit. Cfr. Gesta epp. Fris. ap. Deuting. Beitr. I, 173. et Chron. Scheftlar. apud Oefele I, 640. 65) Cf. Meichelb. I, I. 323. 66) Wiedem. p. 27.

6 Cod. Admontensis

INCIPIT LIBER TERTIUS
ANNO AB URBE CONDITA
octingentesimo .x. interfecto Gayo Iulio cesare Octavianus
q testamto nom et hereditate avunculi accepat pmo dolo

R. Wilmans ser.

7. Cod. Jenensis.

fol. 3'. .I. Pregnorum divisio orbis. Incipiunt capitula libri
.II. Qualiter adam de paradiso eiect utrosq; Primi.
Q cives genuerit. et quo tepe iuxta iosephu a paternis legib; decli
nare homines. et gygantes generari ceperint. et naturalium inchoatio.
.III. De diluvio iuxta iosephu. et fcē de longevitate antiquorum patru. genti
liu auctoritates. annorum numerus iuxta diversas translationes. ca
pitaq; familiaru ab adā usq; ad noe. et usq; ad confusione linguaru.

fol. 89. qda ex nris hc reru humanaru casu deplorans. rethmu in modu tgedie.
simplici stilo oposuit. q sic incipit. Qui habet voce serena. hac pferat canti
lena. Itaq multo preverso ab italia imprr. sciniq; pentecost i inferiori Tierto
fresie urbe celebrante in ipsa sollempnitate infirmat. xvii. regni impii
u. xiiii. anno die ultimu clausit. sepultisq; ibidē intestinis ei reliquu
corp i spirensē urbe deportat ibiq; in eccla. S. Marie humat. xxxii.

fol. 91'.

REGNI QZ CUPIDO QUIEVIT. FILIUS IN PATREM. PATER IN NATI VISCERA SEVIT. +

Henricus senior

Iunior

NOVARE SENATUM. CONSILIO CLERI. VULT

Innocentius papa II.

SENATUS.

8. C. Argentinensis. Omnis homo caput ad hoc rationis ē. ut auctore suu dm cognoscat. fac
tac; sua ceco corde n transeat. surdis auribus n audiat. Denique ad hoc
creatu hominē ēē. forma quoq; corporis n in modu ceterorum animantiu ac-

Engelhard ser.

inprimis notemus oportet, quae inter Nostrum et gentem Wittelsbachicam factae sunt. Cum vero illae maximis premantur tenebris, neque irae causas, qua Otto in omnem hanc gentem excanduit, deprehendere fas sit[67], *ea quae de his rebus* 67 *dicenda sunt, infra cum de interpolatione Wittelsbachica sermo inciderit, locum obtinebunt. At querelam quam Tegernseenses adversus Ottonem habebant, hic tangamus necesse est. Exstat enim epistola ad Conradum III. regem data*[68], *qua Conradus abbas Tegernseensis* sub alas regiae almitatis *confugit, conquerens de nova disciplina quam Otto in Tegernseensem ecclesiam introducere conatus sit. Nostrum abbatiam hanc sibi subdere voluisse, tam ex subsequentibus Conradi abbatis verbis*[69], *quam ex passione S. Quirini in ipso monasterio paulo post annum* 1163 *conscripta, sed nondum edita*[70], *eruere possumus*[71]. *Quamvis autem huic controversiae iam ante annum* 1147 *finem impositum esse, eiusdem abbatis ad Conradum archiepiscopum Salzburgensem*[72] *missae litterae probent*[73], *tamen etiam post annum* 1156, *quo abbas Conradus e vivis excessit*[74], *Tegernseensibus libertatem auferre nisus est*[75].

Si partem respicis quam in rebus publicis habuit regnante Conrado III, non magni momenti fuisse, neque arctioris amoris vinculo uterini fratres coniuncti esse videntur. Nam mea saltem sententia diverse de ratione sentiebant, qua salus Germaniae reperiri paxque patriae confirmari poterat; inprimis bellum Welficae parti ad internecionem usque illatum Ottonis suffragia non tulit. Quod ne uno quidem verbo in Chronico prodit[76], *sed ex laudibus Friderici I. eliciendum est, quas ei ob Bawariam Welficae familiae restitutam plena manu fudit*[77].

Anno 1145 *exeunte Italiam petivit atque Eugenium III. die* 18. *Novembris invisit*[78], *ex quo itinere medio sequenti anno reversus est. Mense Februario* 1147 *Ratisponae cruce signatus*[79], *exeunte mense Maio cum Conradi exercitu Danubium descendit, omniumque miseriarum particeps factus circa mensem Octobrem Nicomediam venit. Controversia deinde inter Conradum et principes de itinere quo Asiam minorem peragrarent orta, Otto cum* 14,000 *hominum Nicaeae a fratris exercitu discessit atque in maris litore progredi conatus est. Neque meliorem quam frater sortem consecutus est, totus enim exercitus a Graecis proditus Turcarum gladiis deletus est. Episcopus ipse cum paucis comitibus navem conscendit, circa mediam quadragesimam* (17. *Martii* 1148) *mare transgressus*[80] *in*

67) prout in Annalibus nostris Arch. XI. p. 68—76. fusius ostendimus.

68) Pez Thes. VI, I. 369.

69) l. c. *Locus noster, quamquam appendiciis ad eum pertinentibus ablatis, vestrae regali dignitati subditus, a domno Frisingensis ecclesiae episcopo nostro de quadam immutatione impetitur, qui privilegiis antiquorum regum — libertati deditus dinoscitur esse.*

70) Exstat in cod. Tegerns. 571. nunc Monacensi 18, 571.

71) l. c. fol. 151: *Antequam suorum consiliis sinistris depravaretur* (Heinricus advocatus Tegernseensis), *honorem admodum diligebat loci, nec Ottoni Frisingensi tercio quoque impetu episcopatui eum subicere multifariam laboranti, prorsus consensit.*

72) qui hoc anno obiit. Jaffé, Conrad III. p. 260.

73) Pez VI, I. 372: *Nam episcopus noster Frisingensis nos et locum nostrum in gratiam antiquitus habitam recepit et si quid gravaminis nobis intulerit, non sua sed personae vestrae auctoritate se fecisse asserens, totius mali nos inmunes se excusavit.*

74) v. Freyberg Gesch. von Tegernsee p. 69.

75) si iis fidem non negamus quae passionis S. Quirini auctor Tegernseensis litteris tradidit l. c.: *Episcopus etiam Otto doctissimus idem agebat, qui cesari Friderico quadringentas argenti libras pro loco sibi subiciendo fertur pollicitus. Sed princeps honorem loci apud regnum, regni honorem in loco minuendum negabat et dignum abbatem fratribus eligentibus investivit per sceptrum* (Rudpertum de Neuburg. Cf. Chron. Tegerns. ap. Pez III, 521).

76) Si textus editionum hucusque receptus (Chr. VII, 23.) Conradum III. Heinricum Superbum multis illectum promissis prodidisse insinuat, haec interpolatoris Welfici mendacia, non Ottonis verba sunt. Similiter de alio loco VII, 34. sentiendum est, quo secundum lectionem plurimorum codicum Conradus a Nostro tumultuosissimus vocatur, dum tamen optimae notae codices (5. 7. 11) loco *tumultuosissimi imperatoris* valde diversam praebent lectionem *tumult. temporis.*

77) Hac de re infra plura afferemus.

78) Chron. VII, 23.

79) Gesta Frid. I, 40.

80) Cfr. Jaffé, Conr. III. p. 130. 137. 138. Chron. Reichersp. ap. Ludew. SS. II, 261: *Multi etiam propter multitudinem hostium fugam inierant. Inter quos etiam frater regis Romanorum Otto Frisingensis episcopus fugiens non solum calciamentis*

portu quodam Syriae applicuit. Unde Hierosolymam profectus urbem sacram 81 *dominica palmarum (4. April.) intrasse videtur*[81]. *Deinde pascha ibidem celebrato ad urbem Acconensem se contulit, ubi eum circa diem 24. Iunii commoratum esse tradunt rerum scriptores*[82]. *Sed inde ab hoc tempore vita eius per duos annos sequentes maximis obvolvitur tenebris. — Utrum enim iam anno* 1148 *in Bawariam redierit*[83], *an Conradum III. in itinere Constantinopolitano die* 8. *Septembris* 1148 *ex Acconensi portu suscepto comitatus, ibi ad mensem Februarium* 1149 *cum rege remanserit, nullo modo enucleari potest*[84].

Deinde ineunte anno 1150 *in lucem publicam reversus iterum magnam nobis iniicit dubitationem utrum in Gallia, an in Germania moratus sit. Inter Wibaldinas enim exstat epistola (No.* 252 *ed. Jaffé) post d.* 20. *April.* 1150 *conscripta*[85] *quae haud parvam admirationem movet. Hoc enim tempore Eugenium III. papam et Ludovicum VII. regem Franciae suae partis fautores Rogerius Siciliae rex nactus erat, quorum consilio, ut Wibaldi utar verbis,* abbas Clarevallensis misit domno regi *(Conrado III.)* litteras per episcopum Frisingensem, in quibus collaudabat dominum illum Siciliae eo quod in multis utilis et necessarius fuisset catholicae ecclesiae, futurus utilior, si non prohiberetur virtute et potentia nostri principis, de quorum pace et concordia se libenter acturum promittebat, si sciret, domino nostro non fore ingratum. Visus est hoc ipsum innuere dominus T(heodewinus) S. Rufinae episcopus *etc. Quae ita Conrado regi displicuere, ut curia Romana ipsa in alia epistola Wibaldo transmissa postea confiteri coacta sit*[86]: Illud — quod a domno Conrado — rege per quasdam religiosas personas perquisitum fuisse significastis, de domni papae voluntate vel conscientia nullatenus processisse. *Otto vero in libris tam infesto erga Rogerium Siciliae regem se praebuit animo, ut tyrannum eum constanter nominare soleret*[87], *neque S. Bernhardum ea veneratione prosecutus est, qua plurimi homines erga ipsum imbuti erant*[88]. *Res igitur miranda, quod Otto his conatibus Germaniae gloriae inimicis intercessorem se gessit, quae aliter explicari nequit, nisi quod ipsum hoc tempore ab Conrado dissensisse statuamus.*

Circa finem anni 1150 *in patriam redux*[89] *in gratiam eius rediisse videtur, quippe qui eundem sequenti anno Rhenum per navigia descendentem comitatus sit.*

Tandem cum nepos Fridericus I. rerum fastigio potitus esset, Otto etiam maiores adeptus est dignitates. Petenti imperatori chronicon transmisit atque vitam et res gestas eius conscribere iussus est. In publicis etiam negotiis Ottonis consilio saepius usus est Fridericus[90], *praesertim cum anno* 1157 *in conventu Vesontino controversia inter imperium et sacerdotium exarsisset*[91]; *quin etiam in litteris hinc inde ad Hadrianum IV. papam missis ipsius chronicon imperator in partes vocavit*[92].

sed et pedibus attritus, fame quoque ac gelu confectus ad civitatem quandam venit ibique miseratione civium refotus est et mutuo ibi aliquibus acceptis, per mare Hierosolymam tetendit. Cf. Gesta Frid. I, 55. et Vetus de S. Ernesto documentum (coaevum) ap. Sulger Ann. Zwifalt. p. 118. 81) Jaffé l. c. p. 289. 82) idem p. 140. 83) Nescio quo errore inductus Jaffé, cui multum me debere libenter profiteor, l. c. p. 290, chartam Ottonis, in Mon. Boic. IX, 498. editam, quae anni 1143. aperta prae se fert signa chronologica, anno 1148. tribuerit. 84) Demum mense Maio 1149. Conradus Germaniam ingressus est. 85) Vide Jaffé l. c. p. 180 n. 42. 86) ep. Wib. 273. 87) Chron. II, 19: *Sicilia enim primo Cyclopum, post tyrannorum usque in praesentem diem fuisse nutrix traditur.* VII, 23: *Rogerius Apuliam — — ingreditur — —. Capta quippe urbe* (Barensi) *non solum vivos diversis tormentorum generibus afflixit, sed etiam in mortuos saeviens, Reginaldum ducem effossum per plateas trahi iussit. Haec et alia crudelitatis opera ad antiquorum Siculorum formam tyrannorum* (cf. II, 5), *quae indesinenter de ipso audiuntur, quia pene cunctis nota sunt omittimus.* VII, 24: *At Rogerius Innocentium papam — — flagitiose in Christum Domini manum mittens, ex insidiis cepit* etc. 88) De hac re infra. 89) Die 16. Sept. 1150. erat Ratisbonae, vide Dalheim Conc. Salisb. p. 73, die vero 13. Dec. Salisburgi, Lang Reg. I, 196. 90) Ragew. I, 22. 91) De hac re fusius disputabimus in editione Gestorum. 92) Cf. Arch. X. p. 162.

Quem locum hoc tempore Otto obtinuerit, Ragewinus optime indicat his verbis[1]*:* Ob ea et aliarum multarum privilegia gratiarum, fiducia quoque tam secularis prudentiae quam eloquio fretus facundissimae linguae, cum saepius in causis ecclesiae coram regibus et principibus constantissime ageret, et exinde sibi gloria laudem, laus invidiam, ut assolet, non modicam peperisset, laqueos adversantium imperterritus declinavit et obloquentium ora sine laesione probe probus evasit. *At quamvis paene* 44 *vel* 45 *annos natus esset, tamen* iamdudum, *ut Ragewinus l. c. dicit,* languore ac debilitate corporis invalidus *erat. Itaque factum est ut Fridericus I, quem in Italiam iturum Augustae die* 14. *Iunii* 1158 *invisit*[2]*, ab hac expeditione libenter ipsum excusaret*[3]*. Denique ut Cisterciense capitulum visitaret, — nam monachi vestem etiam episcopus non abiecerat — Morimundense adiit monasterium, ibique die* 22. *Septembris eiusdem anni obiit atque in ecclesia ipsa iuxta maius altare sepultus est. Quod sepulchrum modestissimum Martene adhuc vidit*[4]*.*

II. Opera Ottonis

Primum quod edidit opus fuit A. *Chronicon. Scribendi initium fecit paulo ante medium annum* 1143, *quippe quo tempore se prologum secundi libri exarasse profiteatur*[5]*. Per tres sequentes, etiam in itinere Italico*[6] *quod exeunte anno* 1145 *suscepit, scribere perrexit*[7]*, atque ante diem* 11. *Septembris* 1146[8]*, vel saltem ante diem* 9. *Aprilis* 1147 *quo Conradus archiepiscopus Salzburgensis obiit*[9]*, chronico finem imposuit. Quae prima editio, petente Isingrimo*[10] *monacho, ni fallor Weihenstephanensi*[11] *conscripta atque ipsi dicata est.*

1) II. c. 11. 2) Haec evincunt charta imperatoris Ottoni hoc die Augustae data, Mon. Boica 29. 1. p. 347, et Ragewinus I, 22. 3) peticione quam Otto ipsi direxit *ne post mortem suam ecclesiam aliquo modo gravaret et libertate electionis eam — privaret* concessa, Ragew. l. c. 4) Voy. littér. I, 141. Epitaphium a Ragewino compositum et Ottonis tumulo Morimundi inscriptum dabimus in Gestis Friderici (Rag. II, 11.). En aliud a Tegernseensi quodam conscriptum, quod Pertzius ex cod. Tegerns. 1411. (prius E. 33 sign.) nunc Monacens. Latin. 19,411. membr. 4° min. circa a. 1200. exarato transscripsit:

Otto Frisingensis episcopus,
chronographus.
Quidquid in orbe beat preclaros et meliores,
Presulis Ottonis mire cumulavit honores.
Si avi vel proavi probitas, sacer ordo, potestas,
Deberent mortis furias cohibere molestas:
Non moriturus erat preclare preditus illis.
Heu talem communibus accessisse favillis!
Quam facunda viri vox, qualis philosophia,
Hortatu regum docet edita chronographia.
Luxit eum patria propria comitata ruina.
Propicietur ei Deus et pia virgo Maria.
Amen.

5) *Denique dum praeteritorum temporum calamitatem reminiscimur, instantis quodammodo pressurae obliviscimur. Modo nempe ubique terrarum et praecipue in provincia nostra quam nuper Welfo — hostiliter invasit — clamor auditur — discrimen animae timetur. Inter ipsum quippe et Heinricum — — cum de ducatu sit controversia* etc.; cf. Chron. VII, 26 et Jaffé Conr. p. 59. 60. n. 8. 6) Chron. VII, 32. 33. 7) Pacem inter Ludovicum VII. regem Franciae et Theobaldum comitem Blesensem a. 1144. paulo post d. 9. Martii ictam, *nuper* factam esse dicit VII, 21. 8) Chron. VII, 34: *Ecce enim inter nostrum et Ungarorum regem, non solum isto militem instaurante sed et illo multos ex nostro pecunia corrumpente, valida expectatur commotio.* Hoc bellum pugna apud fluvium Litabe die 11. Septembris 1147. commissa finem cepit. Cf. Ottonis Gesta Frid. I, 32. Jaffé Conrad p. 85 n. 51. 9) De quo ita loquitur Chr. VII, 13: *qui hactenus in eclesia Dei florere fructuoso labore noscitur.* De die obituali Conradi vide Jaffé Conrad p. 260. 10) Prol. Chron. ad Isingr.: *necessarium ratus sum ad petitionem tuam, frater karissime Isingrime, historiam texere.* 11) Paucissimae huius nominis personae occurrunt. Maximam igitur veri speciem prae se ferre videtur Isengrimus ille qui in charta Weihenstephanensi apparet. Haec praesente Rapotone abbate eodem, qui Friderico I. Ottonis chronicon obtulit, data est atque Isengrimi ita mentionem facit, Monum. Boica IX, 432: *postea earundem fecit abdicationem uxor eius* (Conradi comitis de Phaleige) *— — presente legato fratrum monasterii S. Stephani nomine Isingrimo.* Quae coniectura eo valde confirmatur quod Otto ipsum in prologis Chronici et libri tertii *fratrem* appellat. — Plane autem diversam sententiam Pertzius profert SS. XVII, 312, qui Isingrimum hunc eundem esse censet atque abbatem Ottenburani monasterii prope Memmingen in Alemannia siti, cui annales debemus inde ab a. 1121. usque ad a. 1168. deductos. Sed in annalibus illis nihil invenitur, quo haec opinio confirmari posset. Si enim episcopus Frisingensis et abbas Ottenburanus intimae amicitiae vinculo coniuncti fuissent, hic saltem Ottonis mortem in conscribendo opere suo adnotare non neglexisset. At ne uno quidem verbo episcopi Frisingensis hoc tempore celeberrimi facta est mentio in annalibus Ottenburanis. E contra cum Isingrimus iam anno 1145. *abbas* monasterii Ottenburani electus sit, haud veri simile est, ut Otto,

Secunda vero editio in lucem prodiit paulo post diem 17. *Septembris* 1156[12], *quum nepoti Friderico I. imperatori postulanti chronicon per abbatem Weihenstephanensem Rapotonem et notarium suum Ragewinum transmitteret*[13]. *Huic libro nonnulla inseruit, quae in expeditione crucesignatorum secunda ipse ex-* 14 *pertus fuerat*[14], *neque tamen ea delevit quae tempus, quo priorem conscripserat editionem, respiciebant*[15].

B. *Gesta Friderici imperatoris. Eadem epistola qua imperatori chronicon dicavit, pollicitus est se Friderici res gestas litteris mandaturum esse, si ipsi notariorum caesareorum commentarii transmitterentur. Annuit imperator precibus Ottonis, qui his authenticis ut ita dicam innisus annotationibus*[16] *Gestorum Friderici libros duos inter annos* 1156 *et* 1158 *absolvit; de quibus suo loco fusius disputabimus.*

C. *Tertium denique opus Otto edidisse dicitur, Austriacam scilicet historiam*, quam, *ut Urstisius scribit*[17], olim Wolphgangum Lazium habuisse ferunt. *Quod primo inter nugas istas referendum esse putabam, quas ille vir saepius protulit, praesertim quum ea quae Khautz*[18] *de libris a Lazio relictis adnotavit suspicionem confirmare viderentur. Neque verba Caroli de Visch*[19]: Scripsit etiam Otto, teste Bernaba de Montalbo historiam domus Austriacae, *Ottonem talem librum scripsisse mihi persuadere poterant, quum quis ille Bernabas fuerit, ad hunc usque diem eruere mihi non liceret. Attamen Otto se huiuscemodi opus composuisse non obscure ipse innuere videtur. Verba enim quae profert Gesta I. c.* 10: Mortuo Friderico Agnetem ab ipso viduatam frater suus Heinricus — — in sua suscepit eamque Leopaldo orientali marchioni, quod alias a nobis plenius dictum est, in uxorem dedit, *ad nullum locum vel in chronico vel in gestis exstantem referri possunt. Hoc uno loco excepto, nusquam de matrimonio parentum suorum anno* 1106 *contracto loquitur. Quae quum ita sint, facile adducor ut credam, Ottonem his verbis historiam Austriacam indicare voluisse*[20].

D. *Teste Aenea Sylvio*[21] *Otto* in dialectica quoque ac philosophia opuscula nonnulla edidit. *Quae verba recentiores scriptores*[22] *ita interpretantur, ac si Aeneas digressiones philosophicas quae saepius in Gestis occurrunt, innuere voluerit. Sed iniuria, ut mihi quidem videtur. Nam idem auctor Ottonis chronicon et Gesta accurate laudat ac non uno loco in auxilium vocat. Quum vero Otto eo a Ragewino magnis extollatur laudibus*[23], *quod* philosophicorum et

quum anno 1146. primae Chronici editioni finem imponeret, eum *fratrem* appellaverit. Quod nomen magis in monachum Weihenstephanensem quadrare videtur, cuius coenobium Ottonis sedi episcopali vicinum ab ipso semper prae caeteris diligebatur, ita ut Chronici secundam editionem per eiusdem abbatem Rapotonem imperatori Friderico I. transmitteret. Nomen vero *fratris* in abbatem monasterii Augustanae dioecesis multo minus convenire in promptu est. — Praeter hos duos novi Isingrimos, unum episcopum Ratisponensem (SS. IX, 46. 566), alterum abbatem Admuntensem (ib. 577), qui tamen hoc tempore non floruerunt. 12) quo scilicet die Bawaria Welfis restituta est, quam rem aperte in prooemio Chron. ad Fridericum I. innuit. 13) Cf. Prooem. Chron. ad Fridericum. 14) Vide I. cap. 26. V, 18. VII, 3. Arch. l. c. 15) quae supra p. 91 not. 5. 7. 8. 9. notavi. 16) Friderici epistola exstat in capite Gestorum, vide infra. 17) in praefat. pag. 4. 18) Versuch einer Oesterreichischen Gelehrten-Geschichte. Frankfurt 1755. p. 178—183. 19) Bibl. Cisterc. p. 255. In libro inscripto: Rhein. Antiquarius I. Abth. II. Bd. p. 58 laudatur *des P. Barnabas Schützendorf Chronik der Stadt Montabaur* (in ducatu Nassoico sitae). 20) Num verba prooemii Gestorum: *Fateor, dum ante aliquot annos priorem historiam terminassem, spiritusque peregrini Dei ad sumenda contra gentes quae Orientem inhabitabant arma, totam pene Hesperiam afflasset, pro pacis iocunditate, quae orbi momentanee tunc arriserat, stylum vertere cogitaram iamque scribere coeperam; sed quo instinctu nescio, tanquam animo futura praesagiente finemque inspiciente, coeptum proieci opus* eundem librum respiciant, dubium relinquo. 21) Hist. Frid. III. ap. Schilter SS. R. G. p. 10. 22) exempli gratia Huber p. 75. 23) Gesta Frid. II. c. 11.

Aristotelicorum librorum subtilitatem in topicis, analiticis atque elencis fere primus nostris finibus apportaverit *atque integra interpretatione Aristotelici organi primus, ut infra videbimus, inter omnes saeculi XII. eruditos viros usus sit, ipsum talia opera a Chronico et Gestis diversa quae in bibliothecis fortasse latent, scripsisse, mihi persuasum est. Quae sententia eo confirmari videtur, quod Aeneam Sylvium harum rerum accuratiorem notionem habuisse ex iis videmus, quae solus de Ragewino litteris mandat*[24].

III. Ottonis ingenium et mores.

Omnia humani ingenii opera temporum quibus in lucem edita sunt vestigia prae se ferunt, neque minus Ottonis utrumque opus tam Chronicon quam Gesta Friderici aperte et scriptoris et temporis diversam indolem ingeniumque produnt.

Quorum prius si diligentius investigaris, ubique lugubrem rerum humanarum contemplationem deprehendes. Iam in prooemio ad Isingrimum hanc opinionem profert, Pompeium Trogum, Iustinum, Cornelium, Varronem, Eusebium, Hieronymum, Orosium, Iordanem caeterosque auctores non tam historias quam erumpnosas mortalium calamitatum tragoedias conscripsisse *seque hoc sibi munus proposuisse addit, ut generis humani conflictationes et miserias ad tempus suum deducat. Hanc sententiam in prologis singulorum librorum et in chronico ipso ubique denuo recipit atque in hoc fere modo uberius explicat: Se ex amaritudine animi scripsisse*[25]*, non curiositatis gratia, sed ad ostendendas caducarum rerum calamitates*[26]*; humanum genus more febricantis spem quietis in alteratione situs ponere ideoque crebris revolutionibus torqueri; potestatem temporalem a Babylone devolutam esse ad Medos, inde ad Persas, post ad Graecos, ad ultimum ad Romanos et sub Romanorum nomine ad Francos, sed Francos ipsos regnum desolatum ire iam praesagire. Inde a creato mundo duas fuisse civitates, unam temporalem, alteram aeternam, unam diaboli, alteram Christi, Babyloniam hanc, Hierusalem illam esse catholicos prodidisse scriptores*[27]*. Usque ad adventum Christi hanc in altera latitasse, tunc usque ad Constantini tempora coelestem Hierusalem paululum profecisse et usque ad Theodosium intestinis malis, scilicet heresibus graviter pressam esse. Ab hoc vero tempore se non de duabus civitatibus, sed de una tantum scilicet de ecclesia historiam texuisse*[28]*. Scientiam etiam humanam eandem prosecutam esse viam; in Babylonia inventam ad Aegyptios migrasse, ex Aegypto ad Gallos et Hispanos translatam esse, ipsamque sicut omnis humana potentia ab Oriente incepisse et in Occidente terminari ut per hoc rerum humanarum fragilitas ac defectus ostenderetur*[29]*. Iam appropinquare animarum requiem*[30]*, se et coaetaneos suos in fine temporum constitutos esse*[31]*; mundum deficientem iam ultimi senii extremum spiritum trahere*[32].

*Cum tristissima hac rerum humanarum consideratione mire convenit, quod Otto in prooemio ad Isingrimum disertis verbis profitetur, se in Chronico po*tissimum Augustinum[33] et Orosium secutum esse eorumque de fontibus ea quae ad rem propositumve pertineant haurire cogitasse. *Neque iniuria, nam uterque labentis imperii Romani naeniam cantabat.*

Si autem quaeris, quomodo factum sit, ut Otto in florentissimo illo saeculo duodecimo constitutus, frater et avunculus duorum celeberrimorum Stoffen-

24) Cf. supra p. 84 not. 21. 25) Prooem. chron. ad Frid. I. 26) Chron. II, 32. 27) Prol. ad Isingrim. Haec ante annum 1146. scripta sunt; quae hanc ob rem non ad ea referenda esse censeo, quae Ottonis amicus Gerhohus Reicherspergensis de confusione Babylonis et Hierusalem paulo post annum 1148. scripsit, apud Baluz. Miscell. V, 1 sq.; cf. Jaffé Conrad p. 93 n. 26. 28) Prol. libb. V. et VII. 29) Proll. ad Ising. et libr. V. 30) Prooem. ad Frid. et VI, 30. 31) Prol. ad Ising. et II, 13. 32) Prol. lib. V. 33) Cfr. prol. lib. VIII: *exemplo beati patris Augustini quem imitari proposuimus.*

sium[34] *imperatorum iam finem mundi instare crederet atque in totius historiae disquisitione hanc unam consolationem invenire sibi videretur, quod mundus contemnendus esset*[35], *non errabis, si hanc moestissimam considerationem ex turbulentissima Germaniae conditione tunc obtinente quando Chronicon scripsit, profectam esse statuis.*

Hoc ipse confitetur in epistola decem annos post ad Fridericum missa[36]: unde nobilitas vestra cognoscat, nos hanc historiam nubilosi temporis quod ante vos[37] — fuit turbulentia inductos, ex amaritudine animi scripsisse ac ob hoc non tam rerum gestarum seriem, quam earundem miseriam in modum tragoediae texuisse[38]. *Quae fuerint haec nubilosa tempora ipse in fine septimi libri accuratius explicat, ubi postquam de turbis circumiacentium terrarum locutus est, Germaniae conditionem miserrimam circa annum* 1146 *vividis depingit coloribus*[39]: Apud nos vero tam tetra iam videtur confusio ut non solum reliquo anni circulo praeda et incendio cuncta permisceant, sed et in ipso quadragesimali et penitentiali tempore contra divinas et humanas leges desaevire non pertimescant. Tanta postremo praeteritorum memoria, praesentium incursu, futurorum metu urgemur, ut responsum mortis in nobis accipientes, etiam taedeat nos vivere[40], praesertim cum tam ex peccatorum nostrorum multitudine quam tumultuosissimi temporis feculenta improbitate haut diu stare mundum putaremus, nisi sanctorum meritis — — — — sustentaretur[41]. *Huc accedebat quod et Heinricus Leo hoc ipso anno Bawariam sibi vindicabat*[42], *quae res sine ullo dubio perturbationem omnium rerum afferre et Ottonem ipsum in summum discrimen ducere posse videbatur. Iam enim anno* 1143 *bellum inter Welficae et Stoffensis gentis fautores exortum ei maxima intulerat damna*[43], *ipsiusque frater Heinricus Austriae marchio et nuper dux Bawariae factus neque ecclesiae neque urbi Ottonis pepercerat*[44].

Omnes vero has bellorum tempestates circa finem anni 1146 *imminentes subito sanctus Bernhardus praedicando secundam crucesignatorum expeditionem sedavit atque incredibilem, si Ottoni fidem adhibemus, pacem restauravit*[45]. *Brevi tamen tempore; nam ex Palaestina redux Heinricus Leo denuo magnas res molitus et Bawaria minime abdicata, ultimis Conradi diebus eam armis sibi vindicare conatus est*[46].

Notissimum est Fridericum I, inde a regni initiis ut hoc discordiae semen evelleret adnisum[47], *quinto demum postquam summis rebus potitus est, anno* (17. *Sept.* 1156) *controversiam hanc diremisse atque Heinrico Leoni Bawariam denuo reddidisse, Austria ducatus nomine insignita Heinrico fratri Ottonis concessa. Imperator namque paci salutique patriae consulere atque Germaniam ad summum potentiae culmen erigere sibi videbatur*[48], *si Welficam gentem*

34) Ita Fridericus II. domum suam nuncupat. Cf. Boehm. Reg. Fr. II. praef. p. VII. 35) VII. prol. 36) Prooem. Chron. 37) ita omnes codices, *nos* editt. 38) Similia in eiusdem epistolae initio deprehenduntur: *liber qui ante aliquos annos de mutatione rerum a nobis ob nubilosa tempora conscriptus est.* 39) lib. VII. c. 34. 40) Eodem loco etiam tradit, Eugenium III. populi Romani improbitate coactum esse ut *animam suam vitae suae taedere confiteretur.* 41) Eodem modo in temporis sui improbitatem invehit VII. c. 21 fin., quibuscum conferendum est lib. I. c. 29 Gestorum, quod de eodem tempore agit. 42) Cfr. Jaffé Conr. p. 106 n. 1. 43) Prol. lib. II. Chron. 44) VII. c. 26. 45) Confer inscriptionem cap. 42. lib. I. Gestorum: *Quod huius rei occasione subito pax incredibilis facta est;* ib. c. 29: *repente per dextram Excelsi tanta facta est mutatio ut sopitis omnibus his bellorum tempestatibus, in brevi totam terram quiescere — — — cerneres,* et locum pooemii supra p. 92 n. 20. a nobis allatum. 46) Cf. Jaffé Conr. p. 166. 167. 193—204. Quae omnia apud Nostrum alto silentio premuntur. 47) Ott. Gesta Fr. II, 29: *Praeponebat hoc princeps omnibus eventuum suorum successibus, si tam magnos — principes* (Heinricos) *sine sanguinis effusione in concordiam revocare posset.* 48) Eodem tempore Fridericus in tanto fortunae fastigio positus videbatur, ut ipsi Otto gratularetur in prooemio Gestorum, quod

beneficiis sibi devinciret. — Utinam haec spes nunquam eum fefellisset, utinam numquam Germania turpissimam Clavennensem contentionem vidisset!

Sed qualemcunque hac de re posteri sententiam ferant, hoc saltem omni dubitatione caret, Ottoni hoc Welfis concessum beneficium omnino placuisse. Nam conventum Ratisponensem, quo lis illa die 17. *Septembris* 1156 *inter ambos Heinricos ad finem perducta est talibus praedicat laudibus*[49]*:* Porro tanta ab ea [49] die usque inpresentiarum toti transalpino pacis iocunditas arrisit imperio, ut non solum imperator et augustus, sed et pater patriae iure dicatur Fridericus.

Ex quibus verbis clarissime evincitur quid sibi velit Noster, quum in prooemio Chronici hoc tempore ad Fridericum missi ipsum his alloquitur verbis: Vos autem princeps clarissime qui re et nomine Pacificus iure appellamini, quia noctem nebulosam ac pluviosam ad delectabilia matutinae serenitatis spectacula cuique quod suum est conservando reduxistis pacemque amabilem mundo reddidistis[50], *et qua de causa in conscribendis Friderici rebus gestis se* hac vice non tragoediam sed iocundam scribere historiam *gloriatur*[51].

Videmus ergo Ottonem quamvis Stoffensibus imperatoribus arctissimis familiae vinculis obstrictum, tamen medium ut ita dicam, inter illam et Welficam gentem obtinuisse locum[52]*, ut iure Aeneas Sylvius*[53] *dicere posset in ipso* neque cognationem veritati neque veritatem cognationi offecisse[54].

Eodem fere modo Otto se gessit in utraque controversia quae tunc temporis philosophiam et theologiam, rem publicam et ecclesiam vexabat. — Quarum prior quidem inter sancti Bernhardi Clarevallensis mysticam et Abaelardi et Gilleberti Porretani rationalem christianae religionis doctrinam vertebatur. Supra vidimus, Ottonem intimo ex animo Cisterciensium ordini se adscripsisse. Nullum dubium quin et mentis, qua ordo, eo tempore duce sancto Bernhardo florentissimus et in omnibus regni et sacerdotii negotiis potentissimus, agebatur, particeps factus sit. Quod quidem mystica indoles totius Chronici[55]*, praesertim autem*

obscoenum sibi nondum vultum fortuna verterit eique Chronicon tamquam *victori, inclito et triumphatori* dedicaret. Haec optime iis explicantur quibus Friderici adversarius acerbissimus Iohannes Saresberiensis ep. 145 circa annum 1166. data in ipsum invehitur (edit. Giles I, 222): *Nonne Teutonicus tyrannus nominis sui fama nuper orbem perculerat, et fere subegerat regna vicina, et etiam imperium Graecorum terrore concusserat, ut magis deditionem quam confoederationem legationibus missis videretur offerre? Sed ecce Domino auctore timetur minus et qui ante tam vicinos quam remotissimos solo nutu terrebat princeps, Teutonicos suos ab iniuriis cohibere non potest; qui solo verbo pacem gentibus ad arbitrium indicebat et bella, nunc a suis et inter suos petitis et acceptis treugis gratulatur. Nam sicut ipsemet conqueritur, ex quo Latonam venit* (24. Iunii 1161.), *ut regem Francorum et Gallicanam ecclesiam separaret a fide et in suam haeresim perverteret, ut adorarent idolum suum* (Victorem IV.), *successus eius relapsi sunt, et quae eum extulerat, in depressionem ipsius coepit fortuna fluctuare.* Simile aliquid deprehendis in epistola Burchardi notarii a. 1161. data apud Sudendorf Registr. II, 137. et infra not. 50.

49) Ottonis Gesta II, 32.

50) Quam sententiam etiam in Gestorum prooemio repetit: *Unde hoc tempore scribentes quodammodo iudico beatos, dum post turbulentiam praeteritorum non solum pacis inaudita reluxit serenitas, sed et quod ob victoriosissimi principis virtutes tanta Romani imperii pollet auctoritas, ut et sub eius principatu gens vivens humiliter silendo conquiescat et barbarus quippe vel Graecus extra terminos ipsius positus, auctoritatis eius pondere pressus, contremiscat.*

51) Gesta I, 44. et prooem. Gestorum: *Cum igitur rebus in melius mutatis, post tempus flendi, tempus ridendi — advenerit* etc.

52) In transactione de ducatu Bawariae habita de se ipso dicit Gest. II, 27: *nos qui mediatorum ibi vice fungebamur.*

53) apud Schilter p. 10.

54) Neque tamen hoc silentio praeterire velim, quod in Chron. VII, 23. 24. de Heinrico Superbo valde acerbius iudicium fert quam in Gestis I, 19. decem annos post scriptis.

55) Cf. prooem. Chron. ad Fr. I.: *Unde nobilitas vestra cognoscat, nos — — unamquamque librorum distinctionem, usque ad septimum et octavum, per quos animarum quies resurrectionisque duplex stola significatur, in miseria terminasse.* VI, 36. in fine libri: — *sexto operi finem imponamus, ut ad septenarium, requiemque animarum quae miseriam praesentis vitae subsequitur, Deo auctore properemus.* VII, 35. in fine operis: *nosque ad ea quae secuntur, quis scilicet finis civitati Dei maneat, quae perditio reprobam mundi civitatem expectet, dicenda, precibus suis aptos efficiant* (monachi).

libri VIII, in quo de interitu huius mundi et resurrectione mortuorum agit, affatim testantur. Neque tamen ab investiganda philosophorum doctrina omnino se seclusit sed in duplici mora quam Parisiis inter annos 1128 *et* 1133 *fecit, non minimam philosophiae operam navavit. Quod quidem ex frequentibus excursibus philosophicis Gestorum libro insertis, in quibus difficiliores philoso-*
56 *phicas quaestiones enucleare conatus est*[56], *atque ex multis aliis locis patet, in quibus ad philosophiam, inprimis vero ad logicam provocat*[57]. *Prae caeteris vero hic in partes vocanda est epistola anno* 1156 *Reginaldo cancellario, post Coloniensi archiepiscopo et praecipuo schismatis post mortem Adriani IV. exorti incentori missa, qua ipsi* non ut rudi, sed ut philosopho[58] *chronicon, quod imperatori transmiserat commendat atque diserte explicat: se* iuxta Boetium in omnibus philosophiae disciplinis ediscendis atque tractandis summum vitae positum solamen *existimare. Quae eodem loco de fuga et electione, quibus omnis doctrina consistat et de logica addit, omnino Aristotelicam huius aevi philosophiam sapiunt. Scimus praeterea ex Ragewino*[59], *Ottonem* philosophicorum et Aristotelicorum librorum subtilitatem in topicis, analeticis atque elencis fere primum *Germaniae finibus apportasse. Quae quidem res nunc fere omnibus Chronici codicibus egregie confirmatur. Nam capite* 8. *libri II, ubi omnes editiones Cuspinianeam et codicem Scotorum Vindobonensem secutae de Aristotele pauca verba faciebant, nunc luculenta expositio eiusdem philosophiae legitur, additis duobus fragmentis ex fine elenchorum desumptis. Quae maximi certe pretii sunt. Nam caeteris viris doctis saeculi XII. priores tantum Organi Aristotelici libri ex intepretatione integra innotuerunt, quod Abaelardus diserte profitetur*[60]. *Posteriorum vero notionem quandam habuerunt ex commentariis Boetii*[61]. *Quibuscum si duo illa fragmenta Chr. II,* 8 *allata confers, in multis diversa esse a Boetii verbis*[62] *invenies, facileque mecum statues, ea ex Latina quadam Arabicae interpretationis versione desumpta esse*[63], *eadem forsitan, quae iam ante annum* 1228 *in Occidente divulgata erat, sed nunc omnino deperdita est*[64].

Quum Otto hoc modo opposita principia, mysticum scilicet Cisterciensium et rationale philosophorum, conciliaret, fieri non potuit, quin de controversia illa inter sanctum Bernhardum ex una et Abaelardum et Gillebertum ex altera parte agitatam, utrique parti aequum tulerit iudicium. Et hoc quidem inprimis

56) Cf. Gesta I, 5. 53. 60. 57) Prooem. ad Gesta: *Sicut enim iuxta quorundam in logica notorum positionem, cum non formarum sed subsistentium proprium sit praedicari seu declarari: genera tamen et species praedicamento transsumpto ad causam praedicari dicuntur* et sq.; Gesta I, 60: *Iuxta enim logicorum regulam: Methodus a genere ad destruendum, a specie valet ad construendum* etc. Cf. Chron. II, 19. V, 1. 58) Addit: *ipsius* (philosophiae) *studio vos hactenus insudasse in eaque apprime eruditum esse cognosco.* 59) Gesta II, 11. 60) Ouvr. inéd. d'Abélard. Paris 1836. p. 228: *Aristotelis enim duos tantum, praedicamentorum scilicet et peri ermenias libros usus adhuc Latinorum cognovit.* Cf. Cousin in praef. ib. p. LI: *Le douzième siècle ne connaissait pas même tout l'Organon, mais seulement ses trois premières parties: l'introduction de Porphyre, les Cathégories et l'Interprétation. Les trois dernières, à savoir les topiques, les analytiques et les arguments sophistiques n'étaient connues que par les commentaires de Boëce.* 61) Ex quibus ea quoque fluxerunt, quae Iohannes Saresberiensis inde affert. Vide Jourdain p. 255. Falso igitur Cousin l. c. perhibet, huic totum Organon ex integra interpretatione notum fuisse. 62) Elenchorum sophisticorum Aristotelis libri II. c. 9. ed. Basil. p. 756. 63) Haec mihi quidem suadent, Ottonem Graecam linguam ignorasse, quamvis Graecarum litterarum notitiam quandam exinde ei tribuas, quod in codicibus fere coaevis citationes Graecae (III, 13. IV, 1. IV, 25.) non Latinis, sed Graecis huius temporis characteribus exaratae sunt. Confer adumbrationem, vulgo facsimile nuncupatam, quam de ultimo loco (IV, 25.) ex codice Scheftlariensi (2) dedimus. 64) Contin. chron. Roberti de Monte (in oper. Guiberti de Novigento. Paris. 1651. p. 753) a. 1228: *Iacobus clericus de Venetia transtulit quosdam libros Aristotelis et commentatus est, scilicet Topica, Analyticos priores et posteriores et Elenchos, quamvis antiqua translatio super eosdem haberetur.* Incassum hanc Cousin indagavit, qui l. c. p. LII. addit: *nous ne connaissons pas plus de version latine de ces trois ouvrages antérieure au XIII. siècle que de la Physique et de la Métaphysique du même.*

mirandum, quod si unum locum supra ex Wibaldina epistola[65] *allatum excipis, nullum omnino litterarum commercium inter haec duo Cisterciensis ordinis lumina exstitisse videtur. Et magnus quidem est numerus epistolarum a sancto Bernhardo scriptarum vel ad ipsum missarum; videmus sanctum abbatem etiam iuniorum ingenia, exempli gratia Thomae Beket et Iohannis Sarisberiensis, blanditiis atque beneficiis sibi devincientem*[66], *ita ut ipsum post mortem in discipulis vixisse atque viguisse recte dicas. At in omnibus* 400 *quae supersunt sancti Bernhardi epistolis Otto, quoad sciam ne uno quidem verbo tangitur, quamvis ambo ex quatuor Cisterciensis monasterii filiis*[67] *duas, abbatias scilicet Morimundensem et Clarevallensem, rexerint.*

Cum igitur propter philosophiae et scientiae discrimen nullum amicitiae vinculum hos duos Cisterciensis ordinis socios obstrinxisse videatur, non mirandum quod Otto et tepidum ut ita dicam iudicium[68] *de laudatissimo illius saeculi viro protulit atque sententiae adversariorum*[69] *eiusdem magis favisse videtur. Abaelardi quidem doctrinam omnino reiecit eiusque arrogantiam vehementer reprehendit*[70], *sed Gilleberto ex intimo animo consensisse ab eiusque doctrina non omnino abhorruisse videtur, ita ut ipsam defendere vel saltem explanare conatus sit*[71]. *Iam dum vixit, suspicionem movit, ipsum Gilleberti errores approbare, uti ex epistola operi Gerhohi adversus Gilbertinos edito praemissa coniicere licet*[72]. *Attamen cum Morimundum venisset et sibi mortem instare videret, scholasticam scientiam vicit catholicae fidei religio et iam moribundus codicem Gestorum, ut Ragewinus dicit*[73], sibi offerri praecepit, eumque literatis et religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia magistri Gileberti — dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur,

65) Nr. 225. 66) Epp. S. Bernardi ed. Mabill. 361. 411. 67) Reliquae duae erant Firmitas et Pontiniacum. Quatuor hae abbatiae matres omnium ceterorum monasteriorum Cisterciensium factae saeculo XIII. circiter 1800 filias habebant, quae ex eorum nomine in lineas sive generationes Clarevallensem, Morimundensem etc. dividebantur. 68) Gesta auct. Ottone I, 47: *Erat autem praedictus abbas, tam ex christianae religionis fervore zelotipus, quam ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus, ut et magistros qui humanis rationibus, seculari sapientia confisi, nimium inhaerebant, abhorreret, et si quidquam ei christianae fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem praeberet;* ib. 57. cardinales Romani ita alloquuntur Eugenium III: *Scire debes quod a nobis — ad regnum totius ecclesiae promotus — iam deinceps te non tuum sed nostrum potius esse oportere, nec privatas et modernas amicitias antiquis et communibus praeponere — — debere. Sed quid fecit abbas tuus* (S. Bernhardus) *et cum eo Gallicana ecclesia? qua fronte, quo ausu cervicem contra Romanae sedis primatum et apicem erexit?* ib. 60. de secunda crucesignatorum expeditione agens: *Quamvis si dicamus sanctum illum abbatem spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, merito rerum personarumve dispendium deportasse, non sit a rationibus vel antiquis exemplis dissonum, quamquam et spiritus prophetarum non semper subsit prophetis. Qualiter vero praedictus bonus vir ei libro quem Eugenio papae de Consideratione scribens super hac re ad excusationem sui apologeticum interseruerit, curiosus rerum indagator invenire poterit.* 69) Cf. Chron. Gervasii apud Twysden a. 1145. p. 1361: *Claruit enim his diebus S. Bernardus Clarevallensis, qui tunc temporis domini papae dominus et magister videbatur.* Iohannis Hagulstad. chron. a. 1147. ib. p. 275: *Scripsit vero adversum eum* (Willielmum Eboracensem archiep.) *Bernardus abbas Clarae vallis, cui apostolicus quasi peccatum arriolandi reputavit repugnare et quasi scelus idolatriae nolle acquiescere.* Ipse S. Bernhardus Eugenio papae ita scribit ep. 239: *aiunt non vos esse papam, sed me.* 70) Gesta I, 47. 71) Gesta I, 50: *adscito sibi tantae auctoritatis et aestimationis viro, abbate Bernardo, episcopum Gilebertum eadem qua praedictum Petrum* (Abailardum) *via dampnare attemptabant. Sed nec eadem causa nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum virorum disciplinae se subiciens* etc. Cf. ib. c. 52. 53. 57. 72) Apud Pez VI, I. 565 Ottoni Gerhohus: *Nuper venit in manus nostras quidam libellus vestrae prudentiae destinatus, tamquam a vobis examinandus et approbandus. Qui cum de doctrina magistri Gilberti sit contextus, qualem in glossis eius deprehendimus et reprehendimus in scriptis, in fine suo tamquam scorpionis cauda venenum diffundit, longe perversius quam unquam in praeteritis haeresibus de Christo habitis legerimus.* Attamen Gerhohus semper ei amicissime obstrictus remansit. Vide ep. eiusdem ad Ottonem apud Pez I. II 231. 73) Gesta II, 11.

seque catholicae fidei assertorem iuxta sanctae Romanae, imo et universalis ecclesiae regulam professus est. *At codex correctus non est.*

Pari aequitate in sacerdotii et imperii controversia diiudicanda usus est. Tempore quo scripsit ecclesia de imperio victoriae triumphum absolutum actura duplici sensu Ottonem tangebat. Ordinis libertati ecclesiasticae ferventissime studentis socius, non potuit quin omnibus hierarchiae conatibus, qui ecclesiam ex principum dominatione emancipare nitebantur faveret atque Romanae ecclesiae adhaereret[74] *et ecclesiae victoriam ex innata quadam rebus necessitate explicaret*[75]. — *Attamen Heinrici IV. ex filia nepos, Conradi III. frater uterinus et Friderici I. avunculus argumenta silere non potuit, quae imperii fautores his obiicerent. Profiteri coactus est, crescente ecclesia, regni auctoritatem imminutam esse, hanc autem non prius imperium humiliare potuisse, quam ipsum ob sacerdotii amorem evisceratum ac viribus exhaustum fuisset; tum demum ecclesiam non spirituali, sed materiali gladio usam regnum destruxisse*[76]. *Hoc modo factum est, ut neutri parti deditus*[77], singularem de controversia inter regnum et sacerdotium haberet dolorem[78], *atque in conscribendo chronico iustissimum ubique proferret iudicium*[79]. *Quam animi sententiam paulo ante mortem eo confirmavit quod die* 14. *Iunii* 1158 *benigna interpretatione litterarum, quas Adrianus IV. ad excusandam Rolandi et Bernhardi cardinalium insolentiam per Heinricum et Iacinthum Friderico I. transmiserat, pacem inter sacerdotium et regnum restauravit*[80]. *Cum utroque cardinali Ottoni arctiorem intercessisse amicitiam, ex charta videmus, quam Noster eodem tempore ecclesiae sanctae Mariae Frisingensi concessit*[81]. *Quod eo memorabilius est, quod etiam cardinali Octaviano, qui anno post Ottonis mortem praeterlapso a parte imperiali electus, acerbissimo Friderici I. inimico Rolando in sede apostolica oppositus fuit, ita obstrictus fuisse videtur, ut ipsum in legatione qua in Germania anno* 1150 *vel* 1151 *fungebatur, comitaretur*[82].

74) IV. prol.: *Assentior tamen S. Romanae ecclesiae quam supra firmam petram aedificatam non dubito, credendaque quae credit, licite possidenda quae possidet credo. Quod enim nullo errore decipi possit, ex hoc probari potest:* Et portae inferi *etc. Quod autem fides eius in aeternum maneat, ex hoc intelligi datur, quod Petro dictum est:* Ego pro te rogavi *etc. Quod vero omnis controversia ipsius auctoritate et exemplo solvatur, in hoc rursum latenter innuitur quod Petro dicitur:* Duc in altum *etc.* VI, 23: *Inveni in quibusdam chronicis — praefatum Iohannem* (papam) *reprehensibiliter vixisse* — —. *Cui rei durum videtur fidem accomodare, quia Romana ecclesia hoc speciale privilegium sacerdotibus suis asscribere solet, quod meritis Petri supra firmam petram fundati nulla eos inferorum porta vel tempestatum turbo ad exicialem ruinam involvat.* 75) VI, 34: *Itaque cum, ut saepe dixi, diadema regni sacerdotali gladio feriendum foret, in se ipsum dividitur.* 76) Cfr. prologos libb. IV. et VII. 77) IV, 3. de donatione Constantini Magni agens assertionibus ecclesiae opponit obiectiones fautorum imperii atque quaestionem in suspenso relictam ita concludit: *Quae omnia diffinire, praesentis negocii non est.* V, 23. narrat Pippinum a Stephano papa coronatum atque caute addit: *Ex hoc Romani pontifices regna mutandi auctoritatem trahunt.* Eodem fere modo libro VIII. oppositas sententias de ultima persecutione per antichristum ecclesiae inferenda producit c. 3: *Si qui vero unum eum* (antichristum) *potentem utpote Romanorum imperatorem ad hoc adscire contendunt et hunc bestiam* (apocalypseos) *dictum non calumnior,* econtra cap. 2. vere hereticam opinionem exponit: *alii vero eadem verba, eodem quo de regno diximus sensu, de sacerdotio et Romana sede interpretantur.* Et hoc etiam non praetereundum est, quod Berengarium Turonensem illustribus sui temporis doctoribus adnumerat. Prol. lib. V. 78) Sunt verba Ragewini I, 22. 79) Plura hac de re inveniuntur apud Huber p. 145. Conferas etiam quae dixi Arch. X, 136 sq. 80) Ragew. I, 22. 81) Cfr. Cunradi sacr. Gesta epp. Fris. et Meichelb. I, I. 340: *Otto — Alberto praeposito.* — — — *Consultis itaque venerabilibus dominis Henrico et Iacincto Romanae ecclesiae cardinalibus et legatis, qui hoc tempore in regno Teutonico legatione fungebantur et eorum adhibita auctoritate antiquas — ecclesiae vestrae consuetudines — volumus a fraternitate vestra diligenter observari.* — — *data per manum Rahuuini* (ita Conradus, Meichelb. vero *Raçhwini,* est noster Ragewinus) *notarii indict.* 6. *Anno autem d. Ottonis Fr. eccl. episcopi* 19, *regnante imperatore Friderico anno regni eius* 7, *imperii autem* 4. (post igitur diem 18. Iunii 1158. data). 82) Harum rerum notitia ex duobus libellis Gerhohi Reicherspergensis, qui eidem legationi interfuit, ad nos pervenit. In expositione enim psalmi 133. occasione anathematis a Walthero Augustano episcopo invasoribus eccle-

Quamvis igitur aequa lance ius inter regnum et sacerdotium pensitare voluisset, amore gentis suae ductus in prioris commodum paululum inclinavit. Quae forsitan ex ratione illustrari poterunt quae inter ipsum et iuris consultos Bononienses intercessisse videtur. Iuris peritorum schola, quae tunc Bononiae floruit, magna saltem ex parte magis imperatorum quam pontificum causam fovebat. Scimus etenim ex Gerhohi libro de corrupto statu ecclesiae, quem paulo post annum 1148 *conscripsit, iam tum temporis donationem vulgo Constantino tributam, qua omnis fere paparum potentia saecularis innitebatur, a causidicis et iuris peritis in dubium vocatam esse*[83]. *Qua in re omnino Abaelardi discipulus Arnaldus Brixianus eiusque asseclae tum Romae dominantes cum ipsis consentiebant*[84]. *Otto quidem, ut supra vidimus, litem hanc disceptare noluit atque satis habuit argumenta ab utraque parte prolata recensere*[85]. — *Clarius documentum Ottonem iuris Romani studio non alienum fuisse, in prooemio Chronici deprehendimus anno* 1156 *Friderico I. transmissi, quo inter cetera his verbis imperatorem alloquitur:* Praeterea cum nulla inveniatur persona quae mundi legibus non subiaceat, subiacendo coerceatur, soli reges utpote supra leges divino examini reservati, seculi legibus non cohibentur. *Quae mihi aperte Ulpianum*[86] *sentire videntur. Hic enim locus eodem hoc tempore saepius ab imperii fautoribus iis, ni fallor, opponebatur, quibus Gratianus in decreto suo anno* 1150 *in lucem edito pontifices Romanos canonibus omnino solvere nisus est*[87]. *Nam non solum Arnaldistae anno* 1152 *eandem sententiam de imperatoris omnipotentia diserte profitebantur et Fridericum I. vehementer monebant, ut leges Romanas edisceret et legum peritos Romam mitteret qui imperii iura contra paparum usurpationes tuerentur*[88], *sed etiam in celeberrima curia Roncaliensi mense Novembri* 1158 *habita, archiepiscopus Mediolanensis, praesentibus quatuor legum doctoribus Bulgaro, Martino, Iacobo et Hugone eadem professus est coram imperatore:* Tua voluntas ius est, sicut dicitur: quod principi placuit legis habet vigorem[89]. *Eadem denique sententia saeculo sequenti a Friderico II. in auxilium vocata est, cum excommunicationem et abrogationem imperii ab Innocentio IV. prolatas, irritas esse ostenderet*[90]. —

siasticorum bonorum illati haec refert (Pez V, 2041): *Accessit — — — — – — sedis apostolicae auctoritas, quia tunc legatus ap. sedis Octavianus, cooperantibus tribus episcopis vl. Walthero Augustano, Ottone Frisingensi, Emehardo .... candelis extinctis excommunicavit successuros episcopos, qui ... alienarent bona.* Multo disertius vero eandem rem tetigit in expositione psalmi 65 (Pez V, 1284). — Annus huius legationis non omnino constat. Iodoc. Stülz, Probst Gerhoch v. Reich. (in Denkschr. d. Wien. Acad. d. Wissensch. I. Band p. 141), ex Chron. Reich. eandem in a. 1150. refert. At Jaffé Conrad III. p. 204 n. 50. chartam affert ex Ludew. Rell. XI, 359 sq., ex qua patet Octavianum adhuc die 13. Novembris 1151. curiae Conradi III. in Altenburg habitae interfuisse. 83) ap. Baluz. Miscell. V, 78. 81. 84) Eorum nomine Wezelo quidam a. 1152. scripsit Friderico I. (ep. Wibald. 404. ed. Jaffé M. C. p. 542): *Mendacium vero illud et fabula heretica, in qua refertur Constantinum Silvestro imperialia symoniace concessisse, in Urbe ita detecta est, ut etiam mercenarii et mulierculae quoslibet etiam doctissimos super hoc concludant et dictus apostolicus cum suis cardinalibus in civitate pre pudore apparere non audeant.* 85) Chron. IV, 3. 86) Dig. I, 3. 31. et I, 4. pr. et 1. Cf. Boehm. Reg. Imp. 1198—1254. praef. p. VIII. not. 87) Grat. decr. dist. 25. quaest. 1. cap. 16. 88) Epistola Wezelonis supra laudata l. c.: *Imperatorem non silvestrem* (verborum lusus ad Silvestrum papam pertinens, cui Constantinus regalia tradidisse dicebatur) *set legum peritum debere esse testatur Iulianus imperator in primo omnium legum dicto dicens: Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam sed etiam legibus decet esse armatam etc. Idem etiam unde princeps Romanus imperare et leges condere habeat, paulo post ostendit, sed et quod principi placuit legis habeat vigorem et quare subinfert, cum populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem concessit. — — — — Comitem Rodulfum de Ramesberch et comitem Oudalricum de Lencenburh et alios idoneos sc. Eberhardum de Bodemen, qui assumtis peritis legum, qui de iure imperii sciant et audeant tractare, Romam quantocius poteritis, mittere non dubitetis* etc. 89) Rag. Gesta II, 4. qui expresse adnotat: *Porro una omnium sententia haec erat a Mediolanensi archiepiscopo prolata.* 90) Ep. Fr. II. d. 31. Iul. Veronae 1245 data apud Mathaeum Par. a. 1246. p. 615: *Apparet nihilominus animosa nimis et ampullosa non minus, ex ipsius inflictae poenae severitatis sen-*

Sententiam supra prolatam Ottonem vel ex Romanarum legum studio vel saltem ex commercio cum Bononiensibus professoribus inito hausisse, sunt quae mihi vehementer persuadeant. Iamdudum enim Tengnagelius[1] *duas epistolas cuiusdam Frisingensis clerici*[2] *F. ad Ottonem episcopum Frisingensem et Albertum praepositum, qui postmodum ipsi in episcopatu successit, missas iuris fecit publici. In quibus ille, ut purgaret se a calumnia sibi illata, quod* Romae Bononiaeque sinistris famam *Ottonis* relationibus *resperserit, haec affert:* Italiam autem potius quam Franciam studii causa petere, pro eo quod vobis commodum aistis futurum, diligenter a vobis rogatus imo iussus sum, ubi paratus ad omne servitium vestrum ardenter, prout iniunxistis, praestolabar adventum. *Quibus paulo post sequentia subiungit:* Bononiae non detraxi, ubi nulla mala, imo multa bona multis de vobis locutus sum, quod ipsi sciunt et testari poterunt, *quae aperte produnt, Ottonem Bononiensibus professoribus notum fuisse.*

Nunc summa rerum absoluta, pauca restant quae de Nostri genere scribendi in universum dicenda sunt. In diiudicandis rebus humanis plerumque sine ira et studio procedit, invectiva tamen oratione in Wittelsbachicam gentem excepta, cuius causam inferius proferemus. Neque cognatio ullam vim in ipsum scribentem habuit, cum de fratribus[3] *et de patre*[4] *eo modo agat, ut ex eius verbis minime deprehendere possis, eos necessitudine ipsi coniunctos fuisse. Suam propriam personam plerumque silentio praeterit, ita ut ea quae in secunda crucesignatorum expeditione gesserit, ex aliis auctoribus haurienda sint. Nobilem et principem historiam scripsisse interdum ex superbia concludis, qua de urbium Italicarum civibus loquitur*[5]*; imago vero quam de ipsarum turbulenta libertate ibidem deumbrat, etiam hodie in plerasque liberas quae dicuntur res publicas quadrat*[6]*. Interdum etiam provinciae in qua natus erat amor ita veritati offecit, ut de Saxonibus non ea qua par esset integritate loqueretur*[7]*. Ex more saeculi prodigiis et miraculis fidem non denegat, at non ultra modum indulget*[8]*. Sermone utitur satis culto, interdum vero scholasticis terminis repleto; raro vero locutiones barbarae apud ipsum occurrunt*[9]*.*

Quodsi nunc ad Chronicon ipsum nos convertimus, in eo conscribendo praeter classicos scriptores[10] *sequentes auctores in auxilium vocavit*[11]*: Iosephum, cuius Antiquitatibus et Bello Iudaico ex interpretatione Rufini Aquileiensis usus est, additis iis quae Pseudo-Hegesippus in historia Iudaici belli tradidit; Eusebii chronicon ex interpretatione Hieronymi et historiam ecclesiasticam a Rufino translatam et continuatam*[12]*; Orosium et Augustinum quibus, ut supra iam vidimus, maximam auctoritatem tribuit; Iordanis historiam Gothicam et libellum*

tentia, per quam imperator Romanus, imperialis rector et dominus manifestus, laesae maiestatis crimine dicitur condempnatus, per quam ridiculose subiicitur legi, qui legibus omnibus imperialiter est solutus. 1) Vetera Monum. pag. 385—387. 2) Hoc inde coniicio quod in epistola altera ad Albertum praepositum et capitulum missa dicit: *Vos itaque patres et domini, consueta, de qua multum praesumo, clementia subvenite sine causa oppresso, restitutionem ablatorum ac destructorum ....* 3) Chron. II. prol. VII. capp. 23. 25. 26. 4) Chron. VII, 21. Gesta II, 10. 5) Gesta II, 13: — *inferiores conditionis iuvenes, vel quoslibet contemptibilium etiam mechanicarum artium opifices, quos caeterae gentes ab honestioribus et liberioribus studiis tanquam pestem propellunt, ad militiae cingulum vel dignitatum gradus assumere non dedignantur.* 6) ib.: *In hoc tamen antiquae nobilitatis immemores, barbaricae fecis retinent vestigia, quod cum legibus se vivere glorientur, legibus non obsecuntur.* 7) Gesta I, 4: *Saxonum gens inquietissima more suo principi rebellans — — ex praedictae gentis instabilitate*, quibuscum ea conferenda sunt quae Otto in epistola Wibaldo abbati Corbeiensi circa a. 1152. transmissa de Saxonibus refert (ep. Wib. 387, ed. Jaffé M. C. p. 520): *de omnibus quae vobis nocere possunt, precipue de his quae a Saxonibus antiquis regni hostibus fraternitati vestrae illata sunt plurimum dolemus.* Vide etiam Chron. VI, 5 et 34. 8) Cfr. quos Huber p. 125 hac de re collegit locos. 9) Cfr. Huber p. 193. Wiedemann p. 138. 10) Cfr. Arch. X, 152. 11) de quibus fusius egi Arch. X, 155 sq 12) quas falso B. Hieronymo adscribit Arch. X, 158.

de successione temporum, Paulum Diaconum, Catalogum imperatorum Romanorum, Reginonem una cum continuatore, quibus ex codice Frisingensi usus est; Wiponis vitam Conradi II. et versus pro obitu Cunradi; Hermanni Augiensis chronicon et gesta Chonradi II. et Heinrici III; praeter quos etiam, ni fallor, eiusdem rhythmum quendam de triumpho Heinrici III. super Ungaros in usum suum convertit[13]*; Gesta Trevirorum*[14] *et Ekkehardi chronicon universale ex recensione* 13 *classis B*[15]*, quod tanti fecit, ut inde a cap.* 23 *libri IV. vestigiis eius presso pede inhaereret*[16]*. Sanctorum vitas sequentes consuluit: SS. Mauricii, Gereonis, Viti et Afrae, Basilii, Severini, Columbani, Corbiniani, Bonifacii et Tiemonis, quibus SS. Ambrosii et Gregorii epistolas quibusdam in locis subiunxit. — Praeter hos scriptores forsitan etiam libris Isidori, Bedae, Gestis Romanorum pontificum*[17] *et Francorum, chronicis Wirziburgensi, Bertholdi, Brunonis, Annalibus Quedlinburgensibus et Hildesheimensibus et chronico Sigeberti usus est.*

Inde ab anno 1106*, quo Ekkehardi chronicon ipsum reliquit, Otto diserte testatur*[18] *se ea tantum relaturum, quae a probabilibus viris sibi tradita vel a se visa et audita sint. Attamen iam priori chronici parti non raro ea inseruit quae ipse in itineribus vel alio modo percunctatus erat*[19]*. Huc inprimis ea referamus oportet quae a Romanis audierat*[20]*. Quamvis denique primis Germaniae scriptoribus historicis adscribendus sit, qui fabulas populares in partes vocaverunt*[21]*, equidem non crediderim, ipsum etiam poetae vernaculi munus subiisse atque V. Cl. Massmann assentiri nequeo, qui Eraclii poema nostro Ottoni tribuere sibi visus est.*

His fontibus in componendo Chronico Otto eo modo usus est, ut eorum relationem, omissis minoris momenti rebus et nominibus, in epitomen redigeret, atque synchronorum regum et principum additis nominibus lectori conspectum rerum coaevarum daret. Si vero de tempore quo aliquid accidisset, controversia oriebatur, hanc aliis libris adhibitis dirimere nisus est[22]*. Non raro etiam disquisitionis criticae vestigia occurrunt, quae manifeste produnt, Ottonem veritati* 22 *studuisse*[23]*, ita ut etiam fidei christianae inimicis Sarracenis veri legem servaret atque eos a crimine idololatriae purgaret*[24]*. Quem vero finem in conscribenda historia sibi proposuerit, pulcherrime his verbis exprimit*[25]*:* Nemo autem a nobis sententias aut moralitates exspectet. Historiam enim non disputantis more sed disserentis ordine prosequi intendimus *et itidem alio loco*[26]*:* Res enim gestas scribere, non gestarum rerum rationem reddere proposuimus.

Si vero nunc ad eos scriptores nos convertimus, qui Ottonis chronicon in auxilium vocaverint, haud magnus est numerus. Prae ceteris hic nominandus est Anonymus Weingartensis, qui c. a. 1167 *ex interpolato Ottonis codice ea quae ad regnum Lotharii et Conradi III. spectabant in suum opus recepit. Haec inde denuo a chronographis Weingartensi et Urspergensi maiorem in partem exscripta sunt*[27]*. Quorum uterque tamen et suo Marte procedens haud*

13) Cfr. Arch. X, 166. 14) Cfr. Chron. I, 8. III, 15. 45. IV, 7. VI, 8. 15) ad annum 1106. tantum pertingentis, cuius exemplari Gothano (n. 5) usus esse videtur. 16) Nonnumquam etiam in libro primo et secundo ipsum in partes vocavit. Cfr. Arch. X, 167 sq. 17) Quae nomine historiae Romanae indito laudare videtur Chron. IV, 3. 18) Chron. VII, 11. 19) Cfr. Chron. III, 15. IV, 21. 27. 32. V, 9. VI, 11. VII, 7. 20) VI, 25. 32. 33. 34. 36. VII, 1. 14. 16. 21) Chron. I, 25. III, 4. 13. V, 3. 11. VI, 15. 20. 22) Cfr. II, 5. 8. 23) I, 26. II, 25. IV, 1. V, 3. 24) quo scilicet ab auctore passionis B. Tiemonis accusabantur. Eadem occasione etiam Alcorani locum affert, ni fallor, ex interpretatione quam Angligena Rodbertus Ketenensis a. 1143. iubente Petro abbate Cluniacensi edidit. Vide Arch. X, 143. 25) Prol. lib. II. 26) VI, 23. 27) Vide quae infra de interpol. Welfica dicemus et Arch. XI. p. 37. Quibuscum conferas Abelii dissertationem de Chronico Ursp. Arch. XI, p. 95.

pauca ex Ottone ipso mutuatus est[28]. *Praeter hos chronico nostro usi sunt auctor chronici Reicherspergensis, Hermannus Altahensis*[29], *monachi Admuntenses saeculi XII. in compilando magno chronico universali*[30] *et saeculi XIII. med. in condendis Annalibus*[31], *monachi Zwetlenses qui ex codice Ottonis inferius descripto multa in chronicam ab incarnatione Domini usque in annum* 1159 *pertingentem transsumpsere*[32], *Godefridus Viterbiensis qui genuinum textum exscripsit*[33], *sicut etiam Albericus*[34] *et auctor Annalium Sancti Trudperti*[35].

IV. Chronici codices manuscripti et editiones.

Iam supra monuimus, Ottonem duplicem chronici editionem vulgasse, unam anno 1146 *Isingrimo dicatam, alteram anno* 1156 *Friderico I. transmissam. Quarum prior omnino deperdita est*[36]; *omnes enim codices quorum notitia ad nos pervenit, secundae adnumerandi sunt editioni. At inter se multum sunt diversi. Quas varietates si diligenter perquiris, codices in tres classes dividendos esse mecum facile statues*[37].

A. *Codices veteres lacunosi, non interpolati.*

Codices sequentes (1. 2. 2*. 3. 4. 6.) *quamvis perantiqui et paulo post Ottonis mortem conscripti sint, ex uno eodemque fonte neque eo limpidissimo originem ducunt, quippe qui omnes easdem lacunas*[38] *et inter se convenientes nominum corruptas formas*[39] *prae se ferant.*

1) *Cod. Bibl. Reg. Hannover. Scrin. I*, 9. *mbr.* 4° *s. XII.*[40], *olim monasterii SS. Oudalrici et Afrae Augustensis, ut chronicon abbatum eiusdem monasterii*
41 *et episcoporum Augustensium una cum paparum catalogo amplissimo*[41] *libro septimo subiunctum edocet. Librum hunc inter annos* 1165 *et* 1167 *conscriptum esse eo videmus, quod ultimus qui notatur abbas Oudalricus anno* 1165 *Heziloni successit, anno vero* 1167 *episcopus Augustensis Counradus obiit, cuius mors ab altera iam manu adnotatur. Constat* 130 *foliis, quorum fol.* 126 *excisum. Ultimae paginae inscriptum est manu s. XV:* Iste liber est sancti Iohannis ewangeliste in Michelvelt[42]. *Paparum catalogus in Anastasio IV, imperatorum in Friderico I. desinit. Liber octavus deest. Hunc contulit anno* 1819 *G. H. Pertzius.*

2) *Codex Bibl. Reg. Monacensis cod. Bav.* 3. *Lat.* $\frac{1003}{17,124}$; *fol., membr. saec. XII. ex., constans foll.* 143, *olim in monasterio Scheftlariensi quod Otto anno* 1140 *renovaverat, a Fritilone canonico iussu Heinrici praepositi, qui inde ab anno* 1164 *usque ad annum* 1200 *conventui praefuit*[43], *exaratus. Haec Fritilo ipse testatur in nota paginae ultimae eadem manu inscripta:* Liber iste pertinet ad monasterium sancti et preciosi martyris Dyonisii quod dicitur Sceftelaren, quem scripsit eiusdem loci canonicus nomine Fritilo obtentu ac iussione patris ac magistri Heinrici prepositi. *Hunc codicem optimae notae ipse contuli.*

2*) *Codex Monacensis olim Weihenstephanensis, Bav.* 1. *Lat.* 1001. *Weihenstephanensis* 61, *fol., membr. s. XII. ex. Hunc codicem ex eodem fonte*

28) De Anonymo vide quae ego Arch. XI. p. 37, de Urspergensi quae Abelius ib. pag. 96 attulit. 29) Cfr. Arch. III, 477. VII, 474. X. p. 451. 30) Arch. X, p. 632. 31) ib. p. 641. SS. IX, p. 570. 32) Arch. X, 610. 33) Cfr. Mur. VII. p. 60. 34) Cfr. Arch. X. p. 203 sq. 35) v. supra Tom. XVII. pag. 285—294. 36) Suspicor tamen, huius editionis vestigia quaedam superesse in 7 et 11, qui caput primum libri I. valde diversum a ceteris codicibus exhibent. 37) Accuratiorem hac de re disquisitionem institui in Annalibus nostris, Arch. XI, p. 17. 38) quas enumeravi Archiv XI. p. 21. 39) ib. p. 22. 40) Cfr. Arch. I. p. 406. 41) quem Eccardus in Corpore historico t. I. iuris fecit publici. 42) monasterium a meridie Bayreuthi situm; cfr. Huschberg G. d. d. Hauses Scheyern-Wittelsbach p. 269. 43) Cfr. Chron. Scheftlar. breve apud Oefele I, 640: *a.* 1164. *Henricus — — eligitur et in* 36. *anno obiit* 5. *Non. Iulii. Hic ecclesiae Scheftlariensi multa bona fecit in praediis augmentandis, libris scribendis et bonis omnibus ampliandis.*

atque 2 derivatum esse multa sunt quae suadeant. Catalogus enim paparum et imperatorum desinit in utroque in Adriano IV. et Friderico I.[44] *Praeterea exterior amborum forma eadem est. Nam post finem octavi libri in utroque leguntur versus sequentes:*

Hac ex scriptura, lector, si sit tibi cura,
Presulis Ottonis perpendito vim racionis.
Hic in lege studens Domini, vir ad omnia prudens,
Ingenio clarus cor habebat ad ocia rarus;
Se moderans eque discebat nocte dieque,
Hic non paucorum penetrans secreta librorum
Plene profecit, se vivo pane refecit.
Magnus progenie, maior virtute sophie.
Hic tantus talis vir sanguinis imperialis,
Presul prefatus a cesare saepe rogatus
Hoc opus aptavit, cronicas quod iure vocavit,
Nomina nam regum notat et moderamina legum[45].

qui excipiuntur a chronici Honorii Augustodunensis editione tertia[46]*, cui denique epilogus cuiusdam librarii subnectitur*[47]*, qui iamdudum ab Urstisio*[48] *in lucem* 47 *editus est*[49]*. Denique mendae, lacunae*[50]*, notae marginales*[51]*, scribendi ratio praecipue nominum propriorum ita in utroque consonant, ut maximam necessitudinem inter ambos intercedere facile credas. Attamen alia non desunt argumenta, quae nec 2 ex 2*, nec 2* ex 2 fluere potuisse ostendant. Nam in 2 exstant lacunae quae in 2* non reperiuntur*[52]*, econtra nonnulla quae in 2* desiderantur*[53]*, in 2 occurrunt. Statuamus igitur oportet, utrumque ex codice ni fallor Frisingensi nunc deperdito fluxisse. Sed hunc etiam non ad codices integros (classis B) pertinuisse inde videmus, quod 2 et 2* in lacunis classis A peculiaribus consentiunt. Quod etiam eorum opinionem refutat, qui in 2* autographon auctoris Rapotoni abbati Weihenstephanensi donatum deprehendisse sibi visi sunt*[54]*. Nihilominus idem codex maximi momenti fuit, quippe ex quo omnes libri manuscripti, qui interpolationem Wittelsbachicam exhibent*[55]*, fluxerint. Ipse contuli.*

3) *Codex S. Crucis mon.* 197. *membr. fol. min. s. XIII. ineuntis*[56]*, pulchre scriptus et diligenter a manu coaeva correctus et suppletus, in usus nostros maiorem partem a Wattenbachio conversus est.*

4) *Codex Admuntensis*[57] 164 (16), *membr. fol. saec. XII. exeuntis, quatern.* 15 *constans, pulcherrime scriptus et litteris initialibus miniatis atque illuminatis exornatus, textum minime purum sed a librario usquequaque aut decur-*

44) quibus in 2* manus saec. XIII. addidit: *Hainricus, Fridericus* et altera saec. XIV: *Chunradus, Chunradus, Karolus.* 45) His Fritilo ex suo ingenio addidit 2. sex versus sequentes, qui in 2* et omnibus codd. inde derivatis desiderantur:

Scriptoris nomen Fritilo sit muneris omen,
Ipse Dei natus cum quo sit et ipse beatus;
Sit pater Heinricus vir religionis amicus
Celorum cives factus de paupere dives,
Sintque sui secum quos Christus iudicet equum
Ad regnum celi qui tendunt corde fideli.

46) quae desinit secundo Conradi III. anno; cf. SS. X, 127. 47) *Rogo autem, lector, si tamen prae domina invidia audeas, ne huius opusculi laborem vilipendas* etc. Qui epilogus ita ineptus est ut Otto auctor esse nequeat; desideratur etiam in ceteris codicibus. 48) p. 194. 49) Hunc epilogum sequitur in 2* continuatio chronici manu saec. XIV. exarata, quae annos 1138—1272 amplexa a furibundo quodam paparum assecla addita est, qui de Friderico II. ita loquitur: *Sed quia excommunicatus ut diximus fuerat, a summis pontificibus vl. Honorio et Innocencio IV, tanquam canis et infidelis abiectus est nec fidelium participavit sepulturae.* 50) Chron. IV. c. 26: *Attila in fugam — occultari.* 51) VI, 18. haec in 2 et 2* adscribuntur manu fere coaeva: *De Arnolfo dampnatae memoriae duce.* 52) Prol. libri tertii: *ab eis iuste — facere volunt;* III, 45: *tertio dehinc anno;* III, 47: *id est ecclesiam — populum Dei.* 53) V. c. 13. totum caput deest 2*; sicut et VII. prol.: *imo denominatione sapientiae sapiens participatione.* 54) Aretin, Huber, Wiedemann. 55) Vide infra classis C β. 56) Cf. Arch. X, 597. 57) Cf. Arch. X, 635.

tatum aut depravatum exhibet[58], *ita ut haud magnum fructum inde percipere liceret. Hunc codicem saepissime ab Admuntensibus lectum et relectum fuisse* 59 *probant notae posteriores margini adscriptae*[59] *et additamenta ex Eusebio, Augustino, Nicephoro, Reginone et Ekkehardo petita. Etiam Annales Iuvavienses nunc deperditos in subsidium vocavit monachus Admuntensis saec. XII. exeunt. atque res anno* 956 *gestas loco inde desumpto illustravit. Hunc contuli ipse.*

6) *Cod. Runensis*[60] *membr. saec. XII. exeuntis. Hunc evolvit Wattenbachius sicut et duos sequentes.*

7) *Codex Zwetlensis* 284 *membr. quart. saec. XIII.*[61], *in cuius ultima pagina haec leguntur:*

Post scriptum librum scriptor pulcre bibe vinum.

8) *Cod. Vindob.*[62] *Bibl. Caesar.* 3335. *olim Univ.* 839. *Schw. I,* 611. *chart. fol. saec. XV, cuius fol.* 154. *haec inscripta inveniuntur:* Finis in dominica Invocavit que fuit 11. mensis Marcii a. D. 1481. D. G.; *folio vero* 3: Magister Thomas Resch wacc. formatus theolog. hunc librum michi Ioh. Fuchsmagen dono dedit anno 1508 die 2. Iulii.

9) *Codex Londin. Musei Britann.* 15,824. *chart. saec. XV. a Pertzio anno* 1853 *evolutus; cui in fine inscriptum est:* Litteris exarata est prorsus — cronica per manus Iohannis Zauntner ex Patavia anno d. inc. 1484 Viennae feliciter expleto. *Ex quo fluxit:*

10) *Codex Claustroneoburgensis chart. fol. saec. XVI, quem anno* 1512 *Georgius Leb canonicus Claustr. in codice* 691 *exaravit*[63]. *Uterque enim imperatorum et paparum catalogum in septimi libri fine omittunt; at absoluto libro octavo de Romanis imperatoribus quaedam addunt*[64], *quibus versus sequentes subiungunt:*

Annis milleno centeno terque triceno
Hiis sexaginta commisces et bene disces,
Austria quod tota flet principibus viduata,
Post haec Cornuto discet servire tributo.

Hunc Wattenbach evolvit.

Eidem classi adnumerandi esse videntur:

11) *Codex Lond. Mus. Brit. Arundel.* 380. *chart. saec. XV. a Pertzio inspectus*[65], *et*

12) *Codex Romanus Barberinus* 1968. *chart. fol. saec. XV, quem Bethmannus anno* 1853 *evolvit.*

58) Scripserat Otto III, 47: *Sicut ergo decem plagis percussa Aegyptus populum Dei liberum abire concessit, sic civitas mundi in decem persecutionibus decem plagis percussa populum Dei, id est ecclesiam, quiescere permisit. Sicut autem Pharao insequendo populum Dei ad mare rubrum, quae undecima persecutio fuit, cum exercitu suo funditus est deletus; sic civitas mundi* etc., quae monachus Admuntensis ita corrupit: *Sicut ergo decem plagis percussa Egyptus populum Dei dimisit, et ut Pharao insequendo ad mare rubrum quae undecima fuit, cum exercitu suo funditus est deletus, sic civitas mundi* etc. Similia occurrunt ubique ex. g. V, 24. loco: *His aliisque, quae longum est exequi, virtutibus virtutumque miraculis iste vir Dei praefatam ecclesiam primus irradiavit antistes* haec apud Admuntensem inveniuntur: *Sed longum est virtutes eius ac miracula huic operi inserere.* VII, 14. Ottonis verba: *In plano ergo Italiae castra metantes unusquisque militum ante papilionem suum lumen accendit. Quod ad humanae ostentationem gloriae factum quantum spectaculum indigenis in tam amplo ambitu praebuerit, dicere non oportet* hoc modo in epitomen redegit atque falsavit: *In plano ergo Italiae castra metantes unusquisque militum ad ostentationem humane glorie indigenis lumen accendit.* 59) Cfr. quae hac de re diximus Arch. XI, p. 31. *Novam chronicam* cuius in his notis mentio fit, suspicor eandem esse atque cod. Adm. 15. (4.) memb. fol. max. saec. XII. ex., in quem teste Wattenbachio (Arch. X. p. 632.) multa ex Ottone transsumpta sunt. 60) Cfr. Arch. X, 625. 61) Cfr. Arch. VIII, 728 et Frast Archiv der Wiener Acad. 1849. p. 414. 62) Cfr. Arch. X, 575. 63) Vide Arch. X, 593. Massmann Eraclius p. 555. 64) *De Romanis denique seorsum imperatoribus — et in processu huius libri experieris.* 65) Cfr. Arch. VIII, 759.

B. *Codices genuini, integri, non interpolati.*

1) *Codex Univers. Gracensis fol.* 42,63. *membr. saec. XII. in monasterio sancti Lamperti*[66] *una eademque manu foll.* 1—153 *pulcherrime exaratus et ab altera omnino coaeva manu cum archetypo collatus atque ex illo emendatus. Hunc iam a Wattenbachio evolutum mihique flagitanti benevole transmissum ipse contuli atque signavi* 7.[67]

2) *Codex Argentinensis*[68] *bibl. publ.* 88. *fol. min. membr., constans foll.* 116, *saec. XII. exeunt. vel XIII. incipiente conscriptus, ex praecedente fluxisse videtur*[69]. *Hunc in monasterio Altahensi inferiori*[70] *exaratum fuisse, fidem faciunt et indulgentiarum litterae, quas Bonifacius IX. huic monasterio concessit in ultimo folio conscriptae et notitiae quaedam historicae capp.* 24. 26. 27 *et* 30 *libri VI. diversis manibus saec. XII. et XIII. additae. Quarum priorem inter excerpta Altahensia*[71] *reperis, quas Hartmannus Schedel ex codice Altahensi chronici Ottonis transscripsit, ceterae vero in Ekkehardi auctario Altahensi supra SS. XVII.* 362. 363 *leguntur. Bawaricam nostri codicis originem etiam nomina episcoporum Frisingensium inde ab Ellenhardo usque ad Ottonem II. catalogo imperatorum subiuncta produnt. Ex Altahensi coenobio codex post in sancti Mauri monasterium Alsaticum transmigravit, ex quo denique bibliotheca Argentinensis eum adeptus est. Hic nobis perutilis fuit ad varietates quas Chronici textus perpessus est diiudicandas. Iam enim in hoc antiquissimo libro manuscripto multae interpolationes primum in textum receptae sed paulo post manu fere coaeva deletae et ex genuino codice correctae sunt*[72]. *Sed et idem Altahensis monachus, ni fallor, codicem* 7 *vel similem alium secutus, etiam invectivam Wittelsbachicam VI,* 20 *omnino delevit*[73], *qua de re infra accuratius disseremus. — Libros sextum et septimum una cum epistolis dedicatoriis ad Fridericum I. et Reginaldum missis contulit anno* 1825. *V. Cl. C. M. Engelhard. — Hunc codicem signavimus* 11.

3) *Codex Ienensis Bos.* 9. *membr. fol. a duobus scriptoribus saec. XII. exeuntis et XIII. ineuntis vel medii exaratus, quem in Alsatiensi monasterio Marbacensi, cuius ornatissima bibliotheca adhuc a Materno Berler laudabatur et ex qua etiam Ottonis et Ragewini Gestorum codex in bibliothecam Parisiensem transiit*[74], *conscriptum esse in Annalibus nostris probavimus*[75]. *Sed iam saeculo XV. inde alienatus videtur, quod ex notitia evincitur manu saeculi XV. margini inferiori folii* 25 *inscripta:* Iste liber est domini Henrici archipresbiteri in Zabernia. *Post, teste inscriptione primae paginae, in bibliothecam magistri Wendalini Sprengeri cessit, tunc a Ienensi professore Ioh. Andr. Bose comparatus post ipsius mortem anno* 1674 *in bibliothecam Ienensem migravit. Codex foliis constat* 151. *Prior manus saec. XII. exeunt. chronicon usque ad cap.* 33 *lib. VII. perduxit*[76], *inde excipitur a manu paulo post* 1238 *scribentis monachi qui finem chronici Ottonis et Annales Marbacenses*[77] *adiecit, et fol.* 150 *et* 151 *dissertationem:* Quo tempore discessit Romanum imperium a Romanis principibus *ex Ottonis chronico*

66) Cfr. Arch. X. p. 624.
67) Invectiva in gentem Wittelsbachicam VI, 20. huic omnino deest; lacuna vero vel rasura, ut in 11, ibidem non reperitur.
68) Cfr. Arch. I, 392. VIII, 464.
69) Cfr. Arch. XI. p. 27. In utroque imperatorum et paparum catalogus ita explicit: *Post Adrianum scisma fit, aliis Rolandum qui Alexander, aliis Octavianum qui Victor eligentibus a.* 1159.
70) Eandem sententiam Boehmerus Reg. Imp. 1198—1254. praef. p. VII. n. *** protulit, de litteris illis celeberrimis Friderici, Hillini et Hadriani IV. agens, quas spurias esse Jaffé in Wattenbachii Itin. Austriaco a. 1853. p. 60 probavit.
71) Oefele I, 337. SS. IV. p. 35.
72) Inter quas V. C. Engelhardus duo loca notat VI, 36. VII. prooem.; cf. Arch. XI. p. 33.
73) Spatio vacuo linearum sex manus recentior inscripsit: *Hic quaedam non sine suspicione sunt deleta.*
74) saeculi XII. Cfr. Archiv VIII, 286.
75) Arch. XI. p. 119 sq.
76) fol. 103 usque ad verba *Armeniam in extremo.*
77) Mon. SS. XVII. p. 145—180.

desumptam adiunxit. Chronici singulos libros praecedunt imaginum adumbrationes[78] *ad res in sequenti libro descriptas spectantes, quae si ad hoc tempus refers haud exigui sunt pretii*[79] *et non parum opinionem meam confirmant, codicem in monasterio Marbacensi absolutum esse, quippe in quo iam saec. XII. medio picturae ars floruerit*[80]. *Picturam autem libri VIII. omisit scriptor, qua de re hanc rationem reddit fol.* 105': Debuit enim hic pictura stare sicut superius in aliis libris, de gloria celesti et penis inferni. Sed hoc laicorum est, non litteratorum. Non fuit necesse hunc laborem subire, cum quasi in speculo de utraque civitate satis evidenter legenti hec sit exaratum atque satisfactum, sicut sequentia demonstrant. — — *Sequentibus saeculis XIII, XIV, XV. diversae manus multas in margine et supra lineas adiecerunt notas, quae tamen cum ad antiquissima plerumque spectent tempora, ad rem nostram nihil faciunt, quibusdam locis exceptis, quibus manus saec. XIII. exeunt. vel XIV. in. nescio ex quo exemplari, interpolationes superscripsit*[81]. — *Paparum et imperatorum catalogus producitur usque ad Innocentium III. et Ottonem IV. Hunc codicem a me collatum signavi* 5.

4) *Codex Romanus, Casanatensis A. III,* 29. *membr. saec. XIII. ineuntis,* 4° *maioris, una eademque manu exaratus, inde ab anno* 1779 *in bibliotheca Minervae asservatus, cuius textus omnino convenit cum* 5.[82] 7. 11. *Imperatorum et paparum catalogus explicit in Ottone V. (ita) et Honorio III., quibus altera manus*[83] *minio usa nomina Gregorii IX. et Friderici II. subiunxit; liber VIII. omnino deest. Huius codicis quem signavimus* 12, *locos singulos notavit Bethmann anno* 1852.

C. *Codices interpolati.*

Interpolationum genera duo in Ottonis chronico deprehenduntur. Primum ex notis margini veteris cuiusdam exemplaris appositis atque post in apographorum textum transsumptis originem duxit; has ***fortuitas*** *vocamus*[84]. *Alterum eas interpolationes amplectitur, quibus falsarii amore principum sub quorum ditione degebant ducti, genuinam Ottonis narrationem adulterare atque in eorum commodum corrumpere nisi sunt. Huius generis duae distinguuntur classes* ***Welfica*** *et* ***Wittelsbachica***.

α) *Hoc inprimis notandum est, quod interpolationes fortuitae et Welficae ex uno eodemque codice manasse videntur eodemque perantiquo. Nam Welficas ante annum* 1167 *Weingartensi chronici nostri exemplari inscriptas esse oportet, quum Anonymus Weingartensis qui hoc anno opus suum absolvit eas maxima*

78) Descriptionem codicis, ut ita dicam, exteriorem dedit Goethe Arch. II, 301. Cf. eiusdem opera (edit. anni 1830. in 12°) XXXII. p. 164. 79) Goethe Archiv II, 304: *Von ihrem Kunstverdienst darf man wohl folgendes behaupten. Obgleich die Perspective und die daraus entspringenden Verhältnisse und Proportionen völlig vernachlässigt sind, so wird man dagegen bemerken, dass der Künstler nicht ohne Kenntniss des menschlichen Körpers gewesen ist; ferner dass er mit einer sichern und saubern Hand seinen Figuren genugsame Bedeutung und Bewegung zu geben gewusst; ein gewisser naiver Ausdruck gelingt ihm vollkommen.* Adeas adumbrationem a me datam. 80) Cf. chartam Gutae monialis in Schwartzenthan, quod ad ditionem monasterii Marbacensis pertinebat, anno 1154. conscriptam atque ex libro membranaceo Marbacensi a Würdtwein editam (N. s. d. VII, 176): *Scriptum est autem hoc ipsum opusculum ab eadem praedicta Guta, miniatum vero seu illuminatum a quodam humili Marbacensi canonico et indigno presbytero, nomine Sintramno et ad finem usque perductum anno* 1154. 81) Vide infra de codicibus interpolatis. 82) Cum Ienensi etiam haec necessitudo intercedit, quod ante unumquemque librum adumbrationibus spatium vacuum relictum atque inscriptionibus, sicut in 5, circumdatum est. Attamen adumbrationes desiderantur. 83) Eadem primae paginae vacuae inscripsit duo poemata: *Respiciat Emanuel qui solus cuncta percipit* et *Flete, perhorrete — pateat foveatur.* 84) De interpolatis codd. fusius in Ann. nostris Arch. XI. p. 31 sq. disputavimus.

ex parte[85] *chronico suo inseruerit*[86]. *Ex fortuitis vero, sex*[87] *codici Marbacensi* (5) *eadem manus saec. XIII. superscripsit, quae etiam unam Welficam*[88] *adiecit. Huc accedit quod etiam cod. Argentinensis* (11) *saec. XII. vel XIII. exaratus duas interpolationes*[89] *manu scriptas prius exhibuerat, quas post secunda manus saec. XIII, ut iam monuimus, delevit.*

Interpolationes fortuitae et Welficae exstabant in uno integro codice, scilicet

1) *monasterii Scotorum Vindobonensis Cuspiniano suppeditato*[90], *nunc deperdito, qui omni diligentia adhibita a Wattenbachio e tenebris erui non potuit. Hunc sicut* 10 *saeculo demum XVI. conscriptum esse ex eo videmus, quod paparum et imperatorum catalogus usque ad Leonem X. et Karolum V. perducitur. Cuius tamen archetypum iam saeculo XII. currente exaratum esse videtur, quod ex continuatione quadam coniicio, quae non multum post annum* 1185 *et in monasterio quodam ditionis Badensis*[91] *conscripta esse apparet*[92].

Nunc autem interpolationes Welficae reperiuntur in sequentibus codicibus mancis:

2) *Codex Turecensis (Bib. Carol. sig.* C. 33) *fol. mai. membr. saec. XIII. med., foll.* 161 *constans. In primae paginae margine inferiore leguntur manu saec. XIV. exarata:* Iste liber est fratrum ordinis Predicatorum de Turego *et manu saec. XVI. superscripta:* Zürych zum grossen Münster, *quibus alia inscriptio postea addita est:* Sum bibliothecae maioris Tigurinae.

Hic codex iam anno 1277 *monasterii Praedicatorum Turecensis erat, teste inscriptione fol.* 159: Istum ordinem et modum consecrandi regem Romanorum in imperatorem scripsit frater Liutoldus de Reginsberg ordinis fratrum Predicatorum de Turego, Laterani de libro cuiusdam cardinalis anno Domini 1276, et huic libro in memoriale perpetuum annotavit anno Domini 1277 crastino venerabilis Virginis gloriose. *Quo in itinere Italico Liutoldus de diversis libris varia excerpsit et Turegum redux in hoc codice adnotavit*[93]. *Leguntur enim fol.* 161: Formam iuramenti quod prestabit rex Romanorum domino pape scripsit frater Lutoldus de integro rescripto privilegii, quod dedit Romane ecclesie Constantinus, postquam a beato Silvestro extitit baptizatus, ubi preter ea que hic excerpta sunt, ecclesie Romane indulsit maximas libertates, que ibi plenius sunt expresse. Istud rescriptum invenit idem frater L.[a] in Viterbo in domo fratrum Predicatorum. *Hic Liutoldus occurrit iam anno* 1255 *in charta prioris fratrum Praedicatorum Turecensium*[94].

a) *littera* L. *post erasa est.*

85) Duobus scilicet exceptis; nam sequentes interpolationes VII, 23: *sed tamen ea minime consecutus infecto pacis negotio sine gratia eius recessit. Cumque multis modis homo praepotens et animosus* (Otto scripserat *prius animosus et elatus*) reperiuntur quidem in codd. interpolatis Ottonis, sed non in Anonymo Weingartensi. Statuamus igitur oportet interpolatorem ab hoc diversum esse. 86) ap. Hess Mon. Guelf. p. 31—36, unde a chronographo Weing. ap. Hess p. 55 sq. et chron. Ursperg. receptae maximam usque nunc obtinuerunt auctoritatem; cf. Arch. XI, p. 37. 87) Arch. XI. p. 32. A. a. A. b. A. c. A. d. A. e. A. f. 88) Chr. VII, 23: *multis illectus promissis.* 89) A. e et prol. lib. VI. cf. supra p. 105. n. 72. 90) Quibus argumentis innixa sit Hoheneicheri sententia (Arch. I, 169), Cuspinianum praeter hunc etiam codices monasteriorum S. Trudperti in Silva nigra et Marbacensis in auxilium vocasse, nescio. Cuspinianus enim in praefatione tantum codicem monasterii Scotorum nominat. Cf. tamen not. 92. 91) Cf. huius continuationis initium: *Anno ab inc. D.* 1152. *Conradus dux de Zeringen obiit* et finem: *Postea vero idem rex Henricus castrum quoddam in Brisgaugia Bresacum dictum in refugium pauperum velut misericordiae asylum coepit aedificare, cunctosque confugientes illuc a totius iniusticiae violentia regali potentia studuit defensare.* Quae anno 1185. facta esse aliunde et etiam ex annalibus Sancti Trudperti SS. T. XVII. scimus. 92) quod Hoheneicheri opinionem non parum confirmare videtur. 93) Eiusdem Liutoldi manu etiam in Ottonis textu multa correcta sunt. 94) ap. Hergott. Geneal. Habsb. I, 321.

Continet hic codex chronicon Ottonis Frisingensis, omissis tamen eiusdem epistolis ad Fridericum I. et Reinaldum cancellarium directis. At libri septimi textus inde a capite septimo in epitomen redacta et capitum ordo omnino turbatus est. Praeterea capp. 34 *et* 35 *ibidem desiderantur, quorum loco ibidem continuatio Ottonis de Sancto Blasio invenitur*[1]. *Qui codex post annum* 1254, *quo Alexander IV. electus, et ante annum* 1256, *quo Wilhelmus rex mortuus est, exaratus esse videtur. Amborum enim nomina ultima sunt, quae ea manus quae totum codicem conscripsit in fine catalogi libro VII. additi*[2] *adnotavit, quibus posteriores scriptores nomina imperatorum et paparum usque ad Albertum I. et Benedictum XI. subiunxere. Hunc catalogum in fine libri VII. edemus.*

Sequuntur a) *foll.* 129—134 Registrum de curia Romana quod vocatur provinciale Tancredi, *quod omnes archiepiscopatus totius orbis terrarum una cum episcopatibus suffraganeis enumerat*[3], *et* b) *foll.* 135—141 Catalogus sive cronica omnium pontificum et imperatorum Romanorum — pertingens usque ad Gregorium IX. et Fridericum qui iam regnat, *cuius exemplar igitur inter annos* 1227 *et* 1241 *exaratum erat. Huic in nostro codice manus posteriores pontifices usque ad Nicolaum IV. et imperatores usque ad Adolfi de Nazzowe electionem* (1292) *addidere. Tunc denique* c) *liber Ottonis Fris. octavus et prima quidem manu exaratus foll.* 142—159′, *cui* d) *Liutoldi manu adduntur foll.* 159′—161 *Ordo*[4] *consecrationis regis Romanorum in imperatorem, iuramentum ab eodem papae praestitum et excerpta ex privilegiis et donationibus a Constantino Romanae ecclesiae concessis. Hunc codicem a Pertzio transmissum contuli Monasterii anno* 1854 *et signavi* 13.

3) *Quem codicem Turicensem presso pede secutus est scriptor codicis Musei Britannici Egerton* 1944. *fol. membr. saec. XIII. exeunt., constans* 124 *foliis, quorum priora novem*[5] *et ultima quindecim*[6] *numeris carent, media vero, quibus* Cronica Frisingensis *continetur, numeris* 1—102 *signantur, quem Pertzius anno* 1864 *Londini in usus nostros convertit. Hunc etiam codicem in Helvetia exaratum esse, elucet ex iis, quae scriptor libr. III. c.* 45 *de sanctis ex legione Thebaica Turegi et Soloduri martyrium passis inseruit. At cum in eodem codice* Provinciale Tancredi *inveniatur, quod Liutoldus frater Praedicatorum Turicensium ex itinere Italico Turegum redux anno* 1277 *in cod.* 13 *adnotaverat, et paparum catalogus his verbis desinat:* Honorius IV... eligitur in Perusio a. D. 1284 (1285), *facile adducor ut credam, codicem demum post hunc annum et ante annum* 1287, *quo idem pontifex obierit, in Helvetia conscriptum esse. Sed anno* 1298 *iam in monasterium Tegernseense translatus erat, teste inscriptione in fine registri Tancredi exstante, quam pontificum Romanorum catalogo una cum eiusdem registri initio ex Pertzii apographo subnectimus.*

Cuius codicis scriptor non eo consilio ducebatur, ut textum Ottonis iam mancum, qualem in 13 *prae oculis habuit, integrum transscriberet, sed multis decurtatis vel omissis, aliis locis quaedam addidit, ex quibus eruditio et cognitio historiae antiquae, qualis saec. XIII. in scholis viguerit, satis clare elucet*[7];

1) Cfr. Urstisius p. 196 et Ussermannus Germ. sacr. prodr. II, 452. Recentior vero codex Turecensis, qui l. c. ab Urstisio memoratur, ad hunc usque diem latet. Cfr. praeterea Arch. I, 169; III, 224 et v. Aufsess Anzeiger 1832. p. 74. 2) foll. 125 et 126. Eundem catalogum eadem manus repetiit foll. 127 et 128. 3) Cfr. folium 134′: *Explicit provinciale, quod excerpsit magister T. de libris Romane ecclesie, ubi hec plenarie continentur.* Cuius initium ex 13* petitum secundum apographum Pertzii in fine libri septimi edemus. 4) Quocum in unum convenit *Ordo Romanus ad benedicendum imperatorem*, qui in praestantissimo codice Corbeiensi a praeposito Adelberto c. a. 1150. conscripto invenitur. Tabularii regii Westfaliae codices manuscripti I, 133. 5) Excerpta ex Orosii et Eusebii operibus exhibent. 6) quibus Ottonis Sanblasiani continuatio inscripta est. 7) Cfr. quae lib. III. c. 3. 11. 20 et 45. ex Pertzii

praecipue vero paparum et imperatorum catalogum in fine libri VII. positum adnotationibus ex Martino Polono desumptis auxit. Octavum vero Ottonis Frisingensis librum, quem 13 *exhibet, plane omisit, sed Ottonis Sanblasiani continuationem exinde depromptam in fine codicis adiecit. Hunc* 13* *signavimus.*

4) *Codex Vindobon. Univ.* 838. *Schw. I,* 611, *nunc* 3334 *chart. fol., qui ut nota inscripta docet anno* 1482. *Iohannis Fuchsmagen doctoris impensa exaratus est. Cuius locos singulos contulit Wattenbachius, signavi* 9[8]. 8

5) *Vindob. Hist. prof.* 232. *(alligat. Nr.* 231. *sig.* 9017*) chart. fol. s. XVI*[9], *qui nonnisi libri VII. partem inde a capite* 11 *continet. Hunc pariter a Wattenbachio evolutum signavimus* 10.

Quae vero idem V. D. de his duobus codicibus notavit[10], *clare demonstrant, utrumque ex codice Turecensi* (13) *fluxisse.*

Eidem classi adnumerandi sunt:

6) *codex Hoheneicheri quem ipse ita describit*[11]: codex saec. XIII. ex. membr. fol. maior. pulcherrime exaratus, septem priores tantum libros continens[12], saepissime interpolatus et usque ad electum Rudolfum I. continuationibus auctus. *Quem post mortem Hoheneicheri in bibliothecam V. R. praepositi Monacensis cathedralis Dr. de Deutinger migrasse, perperam litteris mandavit Wiedemann*[13]. *Deutingerus enim, Hoheneicheri libris post eiusdem obitum pretio comparatis hunc librum non adeptus est, quem ille vir de historia Frisingensi optime meritus iam diu ante vendiderat, et qui hodie, ni omnia fallunt, inter libros V. Cl. Regnet in urbe Landau supra Isaram asservatur. De quo fusius in praefatione chronici ab Ottone Sanblasiano conscripti agemus.*

7) *Codex Vindobon. Hist. prof.* 672. *nunc* 540, *olim Hist. Lat.* 155. *membr. quarto saec. XIII. „usque ad libri VII. cap.* 33 *plurimis in locis diminutus, partim vero interpolatus ab anonymo."* Gentil.[14] *Ottonis chronicon excipitur a continuatione Ottonis de S. Blasio.*

β) *Interpolationes Wittelsbachicae.*

Qui post Welforum ruinam ducatum Bawariae obtinebant principes ex gente Schiro-Wittelsbachica oriundi non minorem vim quam Welfi ad adulterandum chronici nostri genuinum textum habuerunt.

Inimicitias acerbissimas Ottoni nostro cum advocato ecclesiae Frisingensis comite palatino Ottone[15] *intercessisse constat ex lib. VI. c.* 20, *quo in ipsum saevissime invehitur gentemque omnem Wittelsbachicam anathemati, ut ita dicam, aeterno subiicit. Quae praeter hunc locum de ea re existunt documenta, litterae pontificiae ad Ottonem episcopum Frisingensem, Eberhardum archiepiscopum Salzburgensem (Pez Thes. VI. p.* 392 *et* 393. *CXLIV* 5 *et* 7*) et ad regem Germaniae (Meichelbeck I,* 1, 370*) directae, ab utroque editore falso tribuebantur Alexandro III et Friderico I. Quo factum est, ut iure de iis dubitari posset*[16]. *At Wattenbachius noster, codice Tegernseensi* E. 33, *nunc*

apographis damus. 8) Cf. Arch. X, 575. 9) ib. p. 467. 10) Arch. X, 575. de 9: *Im 7ten Buche sind bedeutende Abweichungen. Auf VII,* 33. *folgt als cap.* 28. *Hactenus Otto Fris. episcopus. Abinde Otto de S. Blasio u.s.w. bis (cap.* 79.*) divertit. Hactenus Otto de S. Blasio;* de 10 vero ibid. p. 467: *VII,* 11. *ist bezeichnet als Cap. I. Quae omnia — perveniretur fehlen. MCVI. Hucusque protracta sunt ea quae ex Orosii ac Eusebii et aliorum qui post scripserunt libris posita reperiuntur, et sequitur Chronica d. Ottonis Frisingensis. —* 15 *u.* 16 *bilden Cap.* 5*;* 17. 18. *Cap.* 6*;* 21 *fehlt;* 22, 23, *der letzte Satz von* 24, 25 *und* 27 *ohne den letzten Satz bilden Cap.* 9*;* 29 *und* 30 *fehlen,* 32 *und* 33 *sind Cap.* 12, *Cap.* 13 *das erste des Appendix p.* 197 [i. e. Ottonis de S. Blasio]; 14 = *App.* 2, *wo der zweite Absatz fehlt;* 21 = *App.* 9. 10. *In Cap.* 22. = *App.* 11. *bricht die defecte und sehr fehlerhafte Abschrift ab.* 11) Arch. I, 170. 12) Octavus etiam in codd. Vindon. 9 et 10. non invenitur. 13) l. c. p. 160. 14) Cf. Chmel I, 550. SS. V, 265. Arch. X. p. 477 et praefationem nostram ad Ottonis Sanblasiani chronicon. 15) patre illius Ottonis quem Fridericus I. a. 1180. Bawariae praefecit. 16) Cfr. Archiv XI. p. 65 sq.

Monac. Tegernseensi 1411. *Cod. Lat.* 19, 411, *unde epistolae illae a Pezio et Meichelbeckio iuris factae sunt publici, inspecto, tenebras quibus res illae obvolutae erant omnino diremit*[17] *atque ostendit, Conradum abbatem Tegernseensem, cum ab Eugenio III. privilegium datum Signiae d.* 11. *Kal. Decembris* (1150. *Jaffé* 6536) *impetrasset, in curia Romana etiam apographa harum litterarum adeptum esse, quas pontifex eadem die ad Ottonem*[18] *et Eberhardum direxerat. Ex qua acutissima disquisitione evincitur, Ottonem Frisingensem anno* 1150 *a comite palatino gravibus contumeliis affectum*[19], *hac de re apud Eugenium III. conquestum esse. Quod tamen parum ei profuisse videtur; nam et postea tam vehemens contra Wittelsbachicam gentem ira animum eius movit, ut secundae chronici editioni anno* 1156 *in lucem emissae convicia illa (lib. VI. c.* 20) *insereret.*

Et quidem nostris temporibus non defuerunt viri docti Bawari qui ipsum locum spurium esse contenderent[20]. *Attamen nihil sincerius ipso. Nam fere omnes codices saeculo XII. conscripti, et inter hos praecipue illi duo, quos duobus dioecesis Frisingensis monasteriis debemus, Scheftlariensi scilicet et Weihenstephanensi* (2 *et* 2*), *eundem locum exhibent; neque dubito quin in omnibus codicibus ante annum* 1180 *exaratis inveniatur. Cum vero hoc tempore Bawariae ducatus Heinrico Leoni abiudicatus et Ottoni VI. comiti palatino concessus esset, multos eiusdem provinciae monachos illa gentis Wittelsbachicae detrectatio offendit. Huius irae vestigia deprehendimus in Altahensi codice* (11), *in quo idem locus antiquitus deletus fuit. Ex simili codice etiam* 5, 7 *et* 12 *descriptos esse oportet, cum lineae illae deletae ipsis desint, attamen nulla ibidem inveniatur rasura vel lacuna, sicut in* 11.

At aliter etiam ab aliis asseclis huius familiae actum est. Nam exeunte XII. vel ineunte XIII. saeculo detrectatio illa in laudes gentis Wittelsbachicae commutata est. Haec est interpolatio Wittelsbachica, quam Pithoeus ex codice a Flacio sibi transmisso[22] *primum in lucem edidit.*

Cuius auctor inter annos 1183 *et* 1231 *se scripsisse aperte his verbis prodit:* filioque suo parvulo Ludewico qui modo superstes est[23]. *Hunc esse Cunradum canonicum et sacristam Frisingensem multa sunt quae suadere videantur. Hic enim anno* 1187 Gesta episcoporum Frisingensium *edidit*[24]. *Quae cum fere omnibus codicibus qui interpolationem exhibent aut integra aut in epitomen redacta annexa sint, tempusque et conditio, quibus interpolatio orta esse potest, optime in Cunradum illum quadrent, ipsum Ottonis textum adulterasse suspicor. Haec sententia aliis argumentis confirmatur.*

Primo omnium codicum, qui interpolationem Wittelsbachicam exhibent, textus cum Weihenstephanensi (2*) *in omnibus lacunis, mendis, peculiaritatibus*

17) Vide Wattenbachii Iter Austriacum an. 1853. in Archiv für Kunde Oesterreichischer Geschichtsquellen t. XIV. p. 58 et 59. 18) Nam teste Wattenbachio etiam haec epistola data est 11. Kal. Decemb., non 16, ut Pezius perhibet. 19) Cfr. ep. 7. supra laudata: *Ex parte venerabilis fratris nostri O. Frisingensis episcopi adversus Ottonem filium Ottonis palatini comitis gravem querelam accepimus, qui eum, dum missarum sollemnia celebraret, gravibus contumeliis afficeret et reverentia Dei postposita inhoneste tractaret*, quibuscum omnino convenit epistola ad Conradum regem ap. Meichelbeck l. c.: *Preterea de O. filio O. comitis palatini, qui venerabilem fratrem nostrum, Frisingensem episcopum, dum missarum sollemnia celebraret, contumeliis afficere et graviter iniuriare Dei timore postposito non abhorruit, pro tuae dignitatis honorificentia debitam iusticiam facias.* 20) v. Lang in Aufsess Anzeig. 1832. p. 75. eundem vocat *einen pfäffischen Zusatz*. Cf. Wiedemann. p. 79. 22) vide infra 2* A. 1. 23) Cur autem crediderim ante annum 1208. interpolationem hanc exortam esse, in Annalibus nostris (Arch. XI. p. 55.) latius exposui. 24) Quae *omnes tradiciones regum, collaciones et conquisitiones episcoporum aliorumque principum, nobilium seu aliarum humilium personarum* continent. Traditionibus cuique episcopo factis duo versus praemittuntur. Hoc libro ex apographo Arnpeckhii (vide infra 2* A. 1) uti mihi licuit. Vetustior exemplar in tabulario regio Monacensi exstat; cf. Arch. XI. p. 58.

nec non in forma libri ut ita dicam exteriore[25] *accuratissime conveniunt, ita ut ipsos ex illo vel saltem ex Frisingensi quodam codice deductos esse necesse sit.*

Secundo in plerisque huius classis libris manuscriptis ea quae monachus Claustroneoburgensis[26] *de vita Ottonis litteris tradiderat, in epitomen redacta inveniuntur, hoc praefixo titulo:* de prosapia Ottonis. *Qui libellus, qui in omnibus codd. consonat, eundemque errorem et gravissimum quidem exhibet*[27], *ab Manriquez*[28] *sub nomine Cunradi diserte laudatur*[29].

Cum vero interpolator verba monachi Claustroneoburgensis de Ottone agentis: liberalibus studiis appositis, ut in scriptis suis iam claret et diu in posterum clarebit *ita converteret:* liberalibus studiis sufficienter eruditus ut in precedenti opusculo et aliis scriptis suis patet, *clarum est, ipsum primo loco Ottonis chronicon descripsisse, tum demum prosapiam et Gesta episcoporum Frisingensium*[30] *addidisse.*

Autographon igitur Cunradi, si recte suspicor, haec continebat: chronicon Ottonis ex recensione Weihenstephanensi[31] *sed cum interpolatione Wittelsbachica, libellum de Ottonis prosapia, Gesta Friderici I. auctoribus Ottone et Ragewino et Gesta episcorum Frisingensium, quae Cunradus ipse compilavit. Hunc codicem huc usque latentem signavimus* 2* A. *Ex illo fluxere*[32]

1) *codex Guelferb.* 205. *fol. chart. s. XV. ex. sive XVI. in. supra in caesura foliorum signatus* Vitus Årnpekch[33], *aperte idem est quem Flacius Pithoeo transmisit*[34], *et ex quo hic interpolationem Wittelsbachicam primum in lucem edidit. Praeter Ottonis chronicon*[35], *formulam, versus et libellum de prosapia ipsius, continet etiam epistolam Iohannis presbyteri regis ad Emanuelem imperatorem missam*[36] *et Ottonis et Ragewini librum de gestis Friderici I. Secunda manus adiecit historiam Friderici*[37] *et gesta episcoporum Frisingensium auctore Cunrado cum continuationibus Latinis et Germanicis usque ad annum* 1473 *productis. Hunc signavimus* 2* A. 1.

2) *Codex nunc Monacensis olim Inderstorf.* 439. *Lat.* 7839. *chart. fol. s. XV. exeuntis. Hunc etiam Arnpeckhii fuisse, ea testantur quae ipse diversis locis inscripsit, fol.* 67': Hunc librum scripsit Hainricus Mair bedellus iuratus specta-

25) Hoc quidem modo ut octavus liber formula et versibus supra p. 103. allatis excipitur, quos denique Honorii Augustodun. chronicon (edit. III) sequitur. Quorum additamentorum ordo quandoque perturbatur. 26) SS. IX, 610. vide supra. 27) v. Arch. XI. p. 58. 28) qui codice quodam huius classis usus est. 29) Ann. Cist. Lugd. 1642. I, 171. 172. 30) In hoc quidem opere Ragewinum (II. 11.) exscripsit, quod opinionis, quam de Frisingensi origine interpolationis Wittelsbachicae protulimus, haud spernendum argumentum esse videtur. 31) una cum forma, versibus et Honorio Augustodunensi. 32) Sequentes codices ipse contuli, excepto Inderstorfensi. 33) Eiusdem gesta epp. Frising. maiore parte ex Cunrado mutuata edidit V. R. de Deutinger Beitr. z. G. d. D. Freysing-München III. 34) Quae Pithoeus in fine editionis hac de re litteris mandavit, accuratissime in codicem nostrum conveniunt: *Absoluto iam pene Radewino, venerunt in manus nostras exemplaria duo missa huc* (Basileam) *a. M. Flacio — quorum alterum ante annos* 200. *ut videbatur descriptum, Ottonis et Radewini de Friderici gestis historiam continebat* etc., qui codex nunc praestantissimus Guelferb. signatus est 206. *Alterum vix centum annorum omnia omnino Ottonis et Ragewini (sic enim in eo appellatur) nisi quod scriptor incuria quadam et negligentia plerisque epistolis — purum spacium reliquerat — —. Ad finem libri VIII. haec quoque epistola adscripta fuit: Rogo autem te lector* etc. *Sequebantur autem versus* 12 *in laudem Ottonis — Brevem tamen narrationem de eius prosapia exscribi curavimus, quamquam ex Austriacis historicis certius repeti potest, sed vel ex ipso Radewino, a quo etiam Ottonis vitam mutuatus est Conradus — qui Frisingensium episcoporum historiam circa annum* 1187. *— — descripsit.* Ad caput 20. libri VI. denique Pithoeus haec adnotat: *in eiusdem exemplaris margine infimo adglutinata fuit postea chartula sed recentiori manu descripta, quae ea omnino quae in excusis exemplaribus leguntur, tamquam Ottonis verba referebat.* Quae omnia ad unguem in 2* A. 1. quadrant. 35) Catalogus desinit in Adriano IV. et Friderico I. — Cap. 20. lib. VI. Arnpeckh interpolationi Wittelsbachicae in schedula adglutinata adiecit lectionem genuinam. 36) Quae etiam in. 2* reperitur. Cf. Archiv XI, 48. 37) quae partem efficit Chronici Urspergensis. Cf. Abelium in Ann. nostr. Arch. XI. p. 82.

bili et egregio utriusque iuris doctori Hainrico Baruther, post cuius obitum iure hereditario ad manus Hainrici Baruther canonici S. Andreae *(Frisingensis)* nepotis sui pervenit. Qui dictum librum vendidit confratri suo Petro Kalbsor arcium liberalium magistro, canonico prefate ecclesie collegiate; *fol.* 69: Vitus Årnpekch pro tempore plebanus ecclesie collegiate S. Andreae montis Frisingensis hunc librum a venerabili viro magistro Kalbsor, canonico dicte ecclesie, parata pecunia comparavit. Anno 1491; *fol.* 70: Hunc librum Vitus Årnpekch primissarius altaris S. Iohannis baptiste siti in ecclesia parrochiali S. Martini in Landshut Frisingensis dioecesis per donacionem inter vivos pro sui memoria donavit monasterio B. Virginis canonicorum regularium in Undenstorf. Anno Domini 1491. *Ipsum librum ex autographo quodam correxit atque inde, sicut in* 2* A. 1, *interpolationi Wittelsbachicae vera Ottonis verba adscripsit. Hunc codicem, me flagitante, evolvit vir Cl. Föringer.*

3) *Codex Stuttgartensis Hist. No.* 101. *chartaceus fol. saec. XV. ex. sive XVI. in. producit paparum catalogum usque Hadrianum IV, imperatorum vero usque ad Fridericum II. Liber octavus excipitur ab Honorii Augustod. chronico, tunc sequuntur versus*[38], *libellus de prosapia et versus in honorem episcoporum Frisingensium a S. Corbiniano usque ad Fridericum de Monte-albano* († 1282) *ex Cunradi Gestis eiusque continuatoribus deprompti. Hic (sign.* 2* A. 2) *ex eodem fonte sine ullo dubio derivatus est atque*

4) *Codex olim bibliothecae cathedral. Frisingensis nunc Monacensis sign. cod. Bav.* 2. *Frising.* 177. *Latin.* 6377. *L. H.* 13. *membr. fol. s. XV. ex., quem signavi* 2* A. 2*. *Omnia quae supra de codice Stuttgartensi recensuimus, hic eodem modo exhibentur.*

5) *Codex olim Senkenbergianus nunc Giessensis* 176. *chart. fol. s. XV, a me signatus* 2* A. 3. *Ottonis chronicon et Gesta una cum Ragewino continet*[39], *sed prosapiam et Cunradi opus plane omittit. Bawaricam huius codicis originem nota marginalis lib. VI. c.* 20. *adscripta ostendit:* Comitum de Schewren gesta et quomodo ex sobole eadem moderni nostri principes processerint, statim folio verso reperies. *In dioecesi Frisingensi eundem denique exaratum esse ex catalogo cum additamentis* 2* *omnino congruenti*[40] *atque ex fine brevis chronici ad annum* 1316 *usque producti et in fine adnexi videmus, quod ita explicit:* Anno et cetera *(supple* 1300 *an* 1400?) 70 per Erasmum Sayn de Frisinga. *Altera denique manus adiecit librum* de progenie soldanorum et primo de filiis Salahadini et de calipho, *quem patriarcha Hierosolymitanus Innocentio III. transmisit.*

6) *Quae Schelhornius*[41] *de Ottonis Frisingensis codice Ulmae in bibliotheca Raimundi Kraft asservato adnotavit, ad unguem cum Giessensi conveniunt, ita ut unum ex altero fluxisse necesse sit. Hunc codicem in suum usum convertit C. G. Ioannis cum anno* 1728 *Urstisii collectionem recognitam et auctam denuo in lucem edere sibi proposuisset*[42]. *Quem apparatum etiam nunc bibliotheca Regia Monacensis possidet (sign. Lat.* 709).

7) *Codex olim Tegernseensis*[43], *nunc Monacensis, cod. Lat.* 18, 198, *Bav.* 207. *fol. chartaceus, conscriptus anno* 1479, *ut notae in fine secundi et sexti librorum additae edocent. Paparum et imperatorum catalogus ita ut textus ipse*

38) *Hac ex scriptura* etc.

39) Ragewini librum sequuntur capitulare spurium Karoli M. de expeditione Romana, Monum. Leg. II. B. p. 2. et notitiae genealogicae de marchionibus Brandenburgensibus et comitibus Zolrensibus.

40) In utroque ita imperatorum catalogus desinit: *Hainricus, Fridericus, Chunradus, Chunradus, Karolus.* Praeterea hoc etiam notandum est, quod Ottonis et Ragewini liber de gestis Fr. I. hic in omnibus lacunis et mendis cum codice Arnpeckhii 2* A. 1. consonat.

41) Amoenitates liter. III. p. 36.

42) Cf. Arch. II, 191.

43) Interio tegumento inscriptum est: *Iste liber attinet Tegernsee monasterio.*

ubique cum 2* *consonat, hoc uno excepto, quod hic codex, quem signavimus* [43] 2* A, *interpolationem Wittelsbachicam exhibet.*

8) *Codex Guelferb.* 76. *olim Ioannis Hegneri Hofstetensis, chartaceus fol. conscriptus anno* 1449; *hunc signavimus* 2* B. 1; *paparum catalogum producit usque ad Innocentium III, imperatorum usque ad Heinricum VI. Cum vero in priore nomini Eugenii III. haec subscripta inveniantur:* Hic dedit pallium Eberhardo archiepiscopo, *coniiciendum est autographon huius codicis in dioecesi Salzburgensi et quidem inter annos* 1190—1199. *exaratum esse. Capiti* 20. *libri sexti textus Ottonis genuinus desideratur, cuius loco interpolationis initium ita datur:* Porro terra ipsius in fiscum redacta partim a rege inter ecclesias divisa, partim heredibus eius cum castro Skyrensi relicta; verumtamen[44] modo cenobium monachorum institutum fore conspicitur. Rex igitur cito[45] inde digrediens *etc. Quae probant ipsum ex eodem fonte derivatum esse atque codicem Iohannis Oeggl*[46] *signatum* M. W.[47], *ex quo ille varias lectiones suo exemplari*[48] *adscripsit, quas K. H. de Lang postea in Annalibus nostris vulgavit*[49]. *Nam locum laudatum omnino cum* 2* B. 1. *convenientem*[50] *dat atque paparum catalogum usque ad Innocentium III. producit.*

9) *Codicem Pollingensem aliunde nobis non notum eandem prae se tulisse interpolationem adnotavit idem Oeggl teste Langio*[51].

10) *Codex Dunensis quo Visch*[52] *usus est, sine ullo dubio huic classi est tribuendus. Hoc constat tam ex loco prosapiae, quem Visch, ut ipse fatetur, ex quodam fragmento appendici ad Ragewinum addito desumpsit*[53], *quam ex ipsius errore, quod Pithoeum editionem suam ex codice Dunensi concinnasse opinatur*[54]. *At cum Pithoeus, ut supra ostendimus, in iis quae editioni Cuspinianeae addidit, Arnpeckhii codicem* 2* A. 1. *secutus sit, Vischii verba hoc ostendunt, quod interpolatio Wittelsbachica etiam in codice Dunensi exhibebatur.*

11) *Similem codicem etiam Manriquez in auxilium vocavit*[55], *qui praeter Ragewinum prosapiam et ni fallor etiam Cunradi sacristae Gesta epp. Frisingensium continebat*[56].

D. *Hoc loco eos codices recensere lubet, quos in bibliothecis exstare vel exstitisse scimus, sed quorum accurata notitia ad nos non pervenit.*

α) *Codices integri.*

1) *Codex alter inferioris Altahensis monasterii, ex quo Hartmannus Schedel excerpta Altahensia in lucem edidit*[57].

2) *Codices Augustani duo in bibliotheca Colleg. Societatis Iesu ad S. Salvatorem exstantes, olim Peutingeri*[58].

3) *Codex Chiemseensis, ex quo Iohannis Oeggl suo exemplari varias lectiones adiecit*[59].

4) *Codex Florentinus bibliothecae Mediceae*[60].

44) Ita hic cod.; *unum tantum* ceteri codices interpolati. 45) Ita codex. 46) quem bibliothecarium universitatis Ingolstadensis fuisse suspicatur Lang Arch. VI, 319. 47) Hoc siglum Lang l. c. p. 318. falso, uti mihi quidem videtur, interpretatur *Manuscriptum Weihenstephanense.* Nam codex Weihenst. (2*) genuinum textum exhibet. 48) Quod post in bibliothecam Rheinwaldii Monacensis transiit, unde Langius ipsum adeptus est. 49) Arch. VI, 320 sq. 50) Etiam utraque varia lectio *verumtamen* et *cito* ibidem occurrit. 51) l. c. p. 320. 52) Biblioth. Cisterciens. Colon. 1656. p. 257. 53) l. c. *praedictus autem Otto cum more solito — ibidem honorifice est sepultus.* Prosapia vero in iis tantum codicibus occurrit, qui etiam interpolationem Wittelsb. habent. 54) l. c. *Codex operum Ottonis qui apud nos Dunis exstat, ex quo haec omnia desumpta sunt, impressus est Basileae per Pernam a.* 1569. 55) Annal. Cist. I, 171. 172. Nro. 5. 6. 9. 56) Quod inde coniicio, quod prosapiam, uti iam monuimus, Cunrado disertis verbis tribuit l. p. 172. Nro. 5 et 6. 57) Cf. Oefele I, 337. SS. IV, 35. supra p. 105. 58) Cf. Murr Journal zur Kunstgesch. XIII. p. 311—318. 59) Lang in Ann. nostris Arch. VI, 319 sq. 60) Arch. II, 296.

5) *Codex olim G. Mayr praepositi Isn. decani S. Andreae Frisingensis, nunc Monacensis Bav.* 210. *Lat.* 1209. *chart. fol. s. XV.*

6) *Codex Mediolanensis bibliothecae Ambrosianae membran. s. XIII. septem priores tantum libros exhibet et catalogum usque ad Honorium III. et Fridericum II. producit*[61].

7) *Codex Pataviensis, de quo Aventinus*[62] *ita:* anno 1259 proxima secunda feria post Urbani libri in sacrario Bathaviensi ob vetustatem a canonicis revoluti, purgati, adnotati in hunc modum — — Ottonis episcopi libri *etc.*

8) *Codex olim Neresheimenses, nunc Ratisponensis etiam hodie exstans in bibliotheca Ill. Princ. de Turre et Taxi, chart. saec. XV. Qui cum monente viro Cel. Mone*[63] *praeter Ottonis et Ragewini opera etiam capitulare Karoli M. Wormatiense spurium et notitias quasdam genealogicas contineat, adducor ut credam, ipsum ex eodem fonte atque codices Giessensem* (2* A. 3) *et Kraftianum fluxisse.*

9) *Codex olim Schirensis, nunc Monacensis Bavar.* 209. *Lat.* 1209. *chart. fol. conscriptus anno* 1510.

10) *Codex olim Schönthalensis, nunc Monacensis Bav.* 206. *Lat.* 1206. *chart. fol. conscriptus anno* 1464.

11) *Codex olim Wessobrunnensis, nunc Monacensis Bav.* 208. *Lat.* 1208. *chart. fol. conscriptus anno* 1485[64].

12) *Codex in bibliotheca Zapfii Augustae olim exstans, chart. fol. maior. saec. XV. continens octo libros, classi* A *vel* B *adnumerandus esse videtur*[65].

β) *Excerpta ex Ottonis chronico inveniuntur in sequentibus codicibus:*

1) *Altahensi, nunc Vindobon. histor. eccles.* 29. *nunc* 413. *fol. membr. saec. XII. vel XIII, qui libri septimi partem inde a cap.* 12 *exhibet*[66].

2) *Vindobonensi* 9045. *histor. prof.* 177. *chart. fol. saec. XVI, cuius folio* 23. *excerpta ex Ottone inscripta inveniuntur*[67].

3) *olim Zwifaltensi nunc Stuttgart. bibliothecae Regiae* 411. *membr. fol. saec. XII, qui exhibet* excerpta de cronica Ottonis Frisingensis episcopi *usque ad cap.* 33. *libri VII*[68].

E. *Editiones chronici quatuor in lucem prodiere; quarum princeps anno* 1515 *curis Cuspiniani iuris facta publici*[69], *ex codice monasterii Scotorum Vindobonensis*[70] *petita ac chronicon et gesta una cum Ragewini continuatione amplexa est. Haec omnibus sequentibus unicum fundamentum praebuit. Pithoeus enim qui anno* 1569 *Ottonis opera recudenda curavit, diserte profitetur* absoluto iam pene Radewino *duos illos supranominatos codices Ottonis in manus suas venisse. Quorum priorem esse Gestorum codicem Siticensem praestantissimum in praefatione Gestorum probaturi sumus, recentiorem vero esse Arnpeckhianum* 2* A. 1 *iam supra vidimus*[71]. *Si additamenta excipis quae ex hoc suae editioni subiungit, Pithoeus nihil fecit nisi quod tam presso pede Cuspinianeo textui insistit, ut etiam typographicos huius errores religiose recipiat*[72].

Simile quid Urstisio[73] *evenit. Nam in praefatione ad San Blasianam con-*

61) cf. Arch. V, 472. 62) Excerpta diplomatica Passaviensia apud Oefele I, 716. 63) Anzeiger a. 1838. p. 346 et 433. Nescio an diversus sit ab eo, quem Jaffé a. 1858. Ratisponae inspexit, et qui referente eodem chartaceus et ineunte s. XVI. in folio conscriptus est atque non nisi Ottonis Gesta Friderici exhibet. 64) De codicibus numeris 5. 9. 10. 11. insignitis notitiam debeo benevolentiae V. Cel. Föringer. 65) Cf. Merkwürdigkeiten der Zapfschen Bibliothek in Augsburg. 1787. I. p. 1—5. Hirsching II, 105. 66) cf. Arch. VII, 476. X, 451. 67) cf. Chmel I, 314. 68) cf. Arch. III, 224. VII, 503. 69) Argentorati ex aedibus Matth. Schurerii, mense Martio. 70) cf. supra p. 107. 71) supra p. 111. 72) In editione Cusp. fol. 35. loco *cap. XXIII* impressum est *cap. XXXIII,* quod sphalma typographicum in Pithoeanam migravit p. 59. 73) Prodierunt Ottonis

tinuationem clare profitetur, se tum demum duos iam laudatos Turicenses codices adeptum esse, cum suum syntagma iam officinae commissurus esset, ideoque nihil immutare sibi visum esse. Et eius igitur editio Cuspinianeam tantum repetit, additis quibusdam variis lectionibus, quas Pithoeus ex 2* A. 1 *in fine libri notaverat*[74]. 74

Quarta denique in tomo VIII. Bibliothecae Cisterciensis reperitur hoc praefixo titulo: Ottonis chronicon et historia .... prodeunt nunc primum opera et studio D. Bertrandi Tissier. *Haec mihi primo aspectu spem iniecerunt, fore ut ibidem ex bibliotheca quadam Cisterciensi libri Ottonis auctiores et correctiores in lucem emitterentur, vel etiam ut eae emendationes ibi occurrerent, quas Morimundi Otto moriendo reverentia sedis apostolicae permotus confratres suos in causa Gilberti Porretani facere iusserat*[75]. *Quae quidem spes omnino me fefellit. Titulus enim Tissieri editioni praefixus apertus est error*[76]*; nam ne uno quidem loco a Cuspinianea recedit.*

Omnes ergo editiones unum tantum textum eundemque interpolationibus Welficis et aliis auctum exhibent, qualem scilicet codex Scotorum Cuspiniano suppeditaverat. Hoc igitur munus mihi subeundum erat, ut genuinam chronici formam ubique restituerem eaque omnia reiicerem quae testibus vetustissimis codicibus ex Ottonis calamo non fluxerant.

Scribendi rationem, qualis saeculo XII. exeunte in usu erat, vetustissimos codices secutus restitui. Neque tamen crediderim hoc modo me omnino eandem orthographiae formam huic libro reddidisse, qua Ragewino in subnotando ipso ex ore Ottonis usus est[77]. *Hoc enim autographon ad hunc usque diem latet. Codices vero saec. XII. exeunte vel XIII. ineunte exarati non solum inter se scribendi ratione discrepant, sed saepissime etiam in eisdem vocabulis eandem formam minime ubique servant. Prae ceteris vero nomina propria et vocabula ex Hebraica vel Graeca linguis derivata tam mendose scribuntur, ut non raro dubitarem, quamnam formam in textum reciperem*[78].

ROGERUS WILMANS.

opera cura Urstisii in Germaniae historicorum ill. tom. uno, Francof. ap. hered. Andreae Wecheli 1585. Qui denuo anno 1670. sine ulla immutatione recusus est. 74) Urstisii collectionem integram, collato quod ad Ottonem et Ragewinum attinet, codice Kraftiano, a. 1728. iterum edendam sibi proposuerat Ge. Ch. Ioannis, cuius exemplar manuscriptum hodie in bibl. Reg. Monacensi asservatur Latin. 709; cf. Arch. II, 191. 75) Confer locum ex Ragewino II, 11. supra p. 97. allatum. 76) Quod Tissier ipse confiteri videtur p. 96: *sequitur in alia editione catalogus pontificum.* 77) In prooemio Chronici ad Fridericum I. Otto de Ragewino dicit infra p. 117: *qui hanc historiam ex ore nostro subnotavit*, Ragewinus vero de se ipso ita loquitur (II. 11): *Ego autem qui huius operis* (Gestorum) *principium eius* (Ottonis) *ex ore adnotavi.* Saepius Ragewinus in chartis Ottonis appellatur *notarius;* cf. Mon. B. VI, 168. II, 447. Meichelb. I, I. 340. 78) Vetustiorum codicum praecipuas varietates orthographicas hic subnotare lubet. Scribunt 1 (cod. Hannov.): *aput, haut, nichil, michi, iocundus, turbolenter, oportunus, ocultus, opidum, secuntur, devocius, impericia, inicia, forcium, Boecius, peticio, tocius, palacium, mencio, ficticius* etc.; occurrunt vero etiam formae *efficatia, delitiis, malitiose, nuntiasse, malitia, mutatior.* Litera *y* supplantatur *i* in *Babilon* (rarissime *Babylon*), *sillogismi, lacrimae, Astiages, stilus, misticus, Cambises, Illiricus;* raro loco *ae* vel *oe* scribitur *e*, exempli gratia *tragedia, femina.* In verbis compositis littera ultima praepositionis non assimilatur initiali litterae verbi: *inpossibile, inmaturus, inminuere, inprobrare, subplantatum, subpressus, subcubuerint, adgredior, obpressus, adtendere,* inveniuntur tamen etiam: *asscribere, asscribentes.* 2. (c. Scheftlariensis): *capud, velud, inquid, nichil, vite, tante, etate, hec, Egyptus, milicie, cepit, predictus, que* loco *quae*, sed occurrit etiam *ę* in *ęcclesia, ętate, ęternę, antiquę* etc.; etiam in adverbio *vicinę* et in *superficię;* fere ubique in fine verborum *ti* loco *ci* utitur scriptor: *tertius, palatium, iuditio, totius, fatiunt.* 3 (codex S. Crucis) scribit: *subprimo, subporto, adtempto, adprimo, obtimates* et *optimates, habundat* et *abundat, Rugerius* et *Rogerius, Baioaria* et *Bauuaria, oportunus, strennuus, haut, aput, pulcre, Rhenus, Rehnus et Renus, lacrima, hystoria* et *historia, tyrannus* et *tirannus, misteria, silva, Pireneus, Egyptus, Nycholaus* et *Nicholaus, ęcclesia, ci* et *ti* promiscue usurpantur. 4 (codex Admuntensis): *Phylippus, Cylicia, Hannybal, Hamylcar, Scypio, Lynus, Pycus, Dyana, Orosyus, Asya, Nykolaus, Nynus, hystoria* etc.; econtra

INCIPIUNT CHRONICA DOMNI OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI[a].

Domino[b] *suo Friderico, victori, inclito, triumphatori, Romanorum imperatori ac semper augusto, Otto Dei gratia Frisingensis ecclesiae*[c] *id quod est, in eo prosperari qui dat salutem regibus.*

Petivit vestra imperialis maiestas a nostra parvitate, quatenus liber qui ante aliquos[d] *annos de mutatione rerum a nobis ob nubilosa tempora conscriptus est, vestrae transmitteretur serenitati. Parui ergo libens et lubens*[e] *vestro imperio tanto devotius, quanto regiae excellentiae convenientius esse considero*[f], *ob rei publicae non solum armis tutandae, sed et legibus et iudiciis informandae incrementum antiqua regum seu imperatorum gesta vos velle cognoscere. Sic magnus ille Persarum rex Assuerus*[g] *seu Artaxerses*[h], *quamvis ad agnitionem verae lucis per cultum unius Dei non pervenisset, ex nobilitate tamen animi regiae magnificentiae id expedire cogitans, annalia quae sub ipso vel antecessoribus suis scripta erant, revolvi iussit et ita*[i] *gloriam hanc, ne videlicet innocens tanquam reus puniretur, nocensque ut innoxius poenam effugeret, adeptus est. Praeterea cum nulla inveniatur persona mundialis quae mundi legibus non subiaceat, subiacendo coerceatur, soli reges, utpote constituti supra leges*[k], *divino examini reservati, seculi legibus non cohibentur. Unde est illud tam regis quam prophetae testimonium:*
Psal 50, 6. Tibi soli peccavi. *Decet ergo regem non solum animi magnanimitate nobilitatum, sed et ad cognoscendum*[l] *creatorem suum divina gratia illuminatum, regem regum, dominum dominantium Deum prae mente habere, et ne in manus eius incidat, quantum potest modis omnibus praecavere. Cum enim iuxta apostolum, omni mortali horrendum sit incidere in manus Dei viventis: regibus tamen, qui nullum praeter ipsum supra se habent quem metuant, eo erit horribilius, quo*
Sap 6,2–6. *ipsi caeteris possunt peccare liberius: secundum illud viri sapientis, ubi ait:* Audite reges, et intelligite, discite iudices finium terrae, praebete aures[m], vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes[n] scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, neque custodistis legem iusticiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis, horrende et cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his qui praesunt fiet. *Vos autem, princeps clarissime, qui re et nomine Pacificus iure appellamini*[o], *quia noctem nebulosam ac*[p] *pluviosam ad delectabilia matutinae serenitatis spectacula*[q], *cuique quod suum est conservando, reduxistis, pacemque amabilem mundo reddidistis, Deo — qui et principium — perseverantiam largiente*[r]: *huius tam amarae sententiae, divina*[s] *favente clementia, iudicium non incidetis*[t]. *Honesta ergo erit et utilis excellentiae vestrae historiarum cognitio, qua et virorum fortium gesta, Deique regna mutantis et cui voluerit dantis, rerum mutationem patientis*[u], *virtutem ac potentiam considerando, sub eius metu semper degatis, ac prospere procedendo per multa temporum curricula regnetis. Unde nobilitas vestra cognoscat, nos hanc historiam, nubilosi temporis quod ante vos*[v] *fuit turbulentia inductos, ex amaritudine animi scripsisse, ac ob hoc non tam rerum gestarum seriem, quam earundem miseriam in modum tragoediae texuisse: et sic unamquamque librorum distinctionem, usque ad septimum et octavum, per quos animarum quies resurrectionisque duplex stola significatur, in miseria terminasse. Itaque si vestrae placuerit maiestati, gestorum vestrorum nobilissimam in posterorum*[w] *memoriam stylo commendare seriem*[x], *per notarios vestrae celsitudinis digestis capitulis mihique transmissis, Deo dante vitaque comite, ea laeta laeto animo prosequi non pigritabor: nihil aliud pro munere expectans, nisi quod ecclesiae, cui deservio, in opportunitatibus*[y] *suis vestra sub-*

a) *ita* 2; Ottonis Frisingensis ecclesie episcopi ad Fridericum primum Caesarem Augustum epistola foeliciter incipit. 7. b) *epistolae ad Fridericum I. et Reginaldum cancellarium directae desunt* 13. c) episcopus *add.* 5 *et editt.; deest* 1. 2. 3. 4. 7. d) aliquot 7. *editt.* e) et lubens *add.* 1. 5. 7. f) officium regum et principum *addit in margine* 2. *posterior manus.* g) Asuerus 7. h) Artexersẽ 3. i) *deest editt.* k) exempcio regum *man. post in marg.* 2. l) agnoscendum 4. m) vestras *add. edd.* n) cogitationem 5 *et editt.* o) nominamini 2. p) et *editt.* q) spectandam *editt.* r) large pers. 1. 2. s) divine 3. t) incidistis *editt.* u) pacientis 4; paventis *editt.* v) nos *editt.* w) *ita* 7; posterum *rell.* x) *deest editt.* y) oportun. 1. 5. 7

occurrunt: *Sicionii, lacrimae;* ę saepius invenitur: *ęcclesia, ęlatus, ęternę, lęta,* rarissime *e* loco *ae*, ex. gr.: *celestis, celum, eternus, edificare, prebebat,* et *ci* loco *ti* ponitur: *supputacio, flagiciosus, palacium.* 5 (codex Ienensis) saepissime *e* loco *ae* utitur: *letus, hec, precipue, Egiptus, Eneas, Chaldei, Cesar, vie, Hebrei,* interdum etiam ę loco *e* ponitur: *facię* etc.; *ci* saepius quam *ti* invenitur; Graeca vocabula fere ubique rectius scribuntur quam in ceteris codicibus. 7 (codex Gracensis) saepissime *y* loco *i*: *Xantyppus, Ytalia, Tytus, phylosophia, hystoria,* ac plerumque *e* pro *ae* utitur. Omnes autem codices in sequentibus peculiaribus formis saepissime consonant: *Affrica, Salemo, Aristotiles, Xerses, Artaxerses, pentecosten, Polimii, Polimia,* quorum loco rarissime occurrunt *Polunia* et *Polunii.*

venire velit imperialis clementia. De expeditione[a], *quam contra Mediolanensium superbiam ordinastis ob honorem imperii vestraeque personae exaltationem, libenter audivi, praeceptumque vestrum super hac re humilitati meae destinatum reverenter suscepi*[79]. *Misimus autem praesen-* 79
tium latores[b] *venerabilem abbatem Rapotonem*[c] *Sancti Stephani, et capellanum nostrum Ragewinum*[d], *qui hanc historiam ex ore nostro subnotavit, ut de hoc verbo sub gratia vestra pro nobis*[e] *sufficienter respondeant.*

Praecordiali[f] *amico summique inter orbis principes principis nobili cancellario Regenaldo*[g] *Otto*[h] *Dei gratia Frisingensis ecclesiae episcopus salutem et obsequium.*

Cum iuxta Boetium in omnibus philosophiae[i] *disciplinis ediscendis atque tractandis summum vitae positum solamen*[k] *existimem*[l], *vestrae nobilitatis personam eo familiarius ac iocundius amplector, quo ipsius studio vos hactenus insudasse in eaque apprime eruditum esse cognosco. Eapropter non ut rudi, sed ut philosopho, de libro quem domino imperatori transmisi vestrae industriae confidentius scribo, petens, ne in quibusdam ibidem positis sinistrum sed bonum vos*[m] *interpretem experiar. Scitis enim, quod omnis doctrina in duobus consistit, in fuga et electione*[80]. *Ut ergo ab ea, quae accedentibus ad philosophiam prima est, grammatica*[n] *ordiar, ipsa est quae secundum suam disciplinam docet eligere ea quae conveniunt proposito, et fugere quae impediunt propositum. Verbi gratia certa lege dictionem dictioni secundum consimilia accidentia construere iubens, ea quae non sunt talia, utpote barbarismus et soloecismus*[o], *purgando fugere docet. Sed et logica, cuius ad sillogismorum*[p] *doctrinam principaliter spectat intentio, iudicium purgans et instruens, coniugationes propositionum inutiles ad sillogizandum*[q] *purgando fugit, utiles autem instruendo eligit. Quare cum sedecim propositionum coniugationes inveniantur, in prima tantum iuxta Aristotilem*[r] *figura*[s] *quatuor utiles, 12 inutiles, in secunda itidem 4 utiles, 12 inutiles, in tercia 6 utiles*[t], *decem inutiles reperiuntur. Geometer quoque partem falsigraphi ad inpossibile ducens fugiendam, suamque demonstrationem necessariis probans rationibus, eligendam ostendit. Sic et*[u] *cronographorum facultas habet, quae purgando*[v] *fugiat, quae instruendo eligat: fugit enim mendacia, eligit veritatem. Itaque non indignetur vestra discretio, nec sinistre*[w], *ut dixi, imperialibus auribus interpretetur, si in historia nostra contra antecessores vel parentes suos ad observandam veritatem aliqua dicta fuerint: cum melius sit incidere in manus*[x] *hominum, quam tetrae fucatum superducendo*[y] *colorem faciei, scriptoris amittere officium.*

Praeterea[z] *quo ordine currat haec historia, breviter exponam, ut hoc cognito, qualitas operis facilius pateat legenti*[*]. *Quatuor principalia regna, quae inter caetera eminerent, ab exordio mundi fuisse, in finemque eius secundum legem totius successive*[a] *permansura fore*[b], *ex visione quoque Danielis percipi potest. Horum ergo principes, secundum cursum temporis enumeratos, primos*[c] *Assirios, post, suppressis Chaldaeis, quos inter caeteros historiographi*[d] *ponere dedignantur, Medos et Persas, ad ultimum*[e] *Graecos et Romanos posui, eorumque nomina usque ad praesentem imperatorem subnotavi, de caeteris regnis incidenter tantum et ob*[f] *ostendendam rerum mutationem disputans. De diversis quoque religiosorum ordinibus et catalogo regum in Laurento, Latio, Alba ante Urbem conditam regnantibus et post Urbem conditam; item de catalogo imperatorum seu pontificum Romanorum usque ad eum, qui in praesentiarum est, disserui. Sicque in octavo de resurrectione mortuorum fineque utriusque civitatis loquens, opus terminavi. Qualiter etiam regnum a regno supplantatum usque ad imperium Romanorum fuerit, ostendi; hoc, quod de ipso dicitur, quia a lapide*[g] *exciso de monte plenarie subvertendum sit, usque in finem temporum iuxta Methodium expectandum aestimans. Valete*[h].

a) de mediolano *add. man. post in margine* 2. b) latoresque 2*. c) *ita* 3. 4. 5; Rabot. 11; Rabolonem 1. 2. 2*. 7. d) *deest* 5; *ita* 1. 2. 3. 4. 7. 11; Regew. 2*. e) pro nobis *add.* 1. 2. 7. f) Elogium ad cancellarium *inscribitur* 4; Item epistola eiusdem 5; Ottonis episcopi Frisingensis ad Regenaldum Friderici primi caesaris augusti cancellarium epistola 7. g) *ita* 1. 2. 4. 7; Regenhaldo 3; Reginaldo 5; Reginh. 11. h) O. 2. 7. i) phylosophiae 1. 2. 4. k) salamen 7. l) existimetur *editt.* m) *deest* 1. n) gramatica 1. o) barbarismos et soloecismos *editt.* p) sollogism. 3. q) sollogiz. 3. r) *ita* 1. 2. 4. 5 *constanter*; Aristotelem *edd.* s) figurae *editt.* t) 12 inut. — 6 utiles *desunt* 5 *et editt.* u) et *deest editt.* v) purganda *editt.* w) ne sinistrę 4. x) in man. sit incidere 2. 7. y) superinduc. *editt.* z) praet. quoque *editt.* *) *deest* 3. 4. 7. a) *ita* 5 *et editt.*; successui 1. 2. 3. 4. b) esse *editt.* c) primo 1; primo scilicet 2. d) hystoriographos 2. e) ultimum et 3 *et editt.* f) ad *editt.* g) quod de lapide 5 *et editt.* h) *deest* 2.

79) quod exstat in Gestis Ottonis II. c. 30. 80) Haec Aristotelicam sapiunt philosophiam. Cfr. quae diximus hac de re in praefatione p. 96.

OTTONIS FRISINGENSIS ECCLESIAE EPISCOPI DE DUABUS CIVITATIBUS AD ISINGRIMUM[81] PROLOGUS INCIPIT[a].

81 *Saepe multumque volvendo mecum de rerum temporalium motu ancipitique statu, vario ac inordinato proventu, sicut eis inhaerendum a sapiente minime considero, sic ab eis transeundum ac migrandum intuitu rationis invenio. Sapientis enim*[b] *est officium, non more volubilis rotae rotari, sed in virtutum constantia ad quadrati corporis modum firmari. Proinde quia temporum mutabilitas stare non potest, ab ea migrare, ut dixi, sapientem ad stantem et permanentem aeternitatis civitatem debere, quis sani capitis negabit? Haec est civitas Dei, Hierusalem coelestis*[c], *ad quam suspirant in peregrinatione positi filii Dei, confusione temporalium tanquam Babylonica*[d] *captivitate gravati. Cum enim duae sint civitates, una temporalis, alia aeterna: una*[e] *mundialis, alia coelestis: una diaboli, alia Christi: Babyloniam hanc, Hierusalem illam esse catholici*[f] *prodidere scriptores. Sed quia plerique gentilium ad commendanda posteris gesta priorum de una earum plura scripserunt, multa documenta virtutum, ut ipsi rati sunt, prosecutiones vero miseriarum nostrorum iudicio nobis*[g] *reliquerunt. Extant super hoc Pompei Trogi, Iustini, Cornelii, Varronis, Eusebii, Ieronymi*[h], *Orosii, Iordanis aliorumque quam plurium tam nostrorum quam illorum, quos longum est enumerare, monimenta praeclara; in quibus non tam historias, quam erumpnosas mortalium calamitatum tragedias prudens lector invenire poterit. Congrua sane ac provida dispensatione creatoris id factum credimus, ut quoniam homines vani terrenis caducisque rebus inhaerere desiderant, ipsa saltim vicissitudine sui deterreantur: ut a creatura ad creatorem cognoscendum per transitoriae vitae miseriam mittantur. Nos autem, tanquam in fine temporum constituti, non tam in codicibus eorum erumpnas mortalium legimus, quam ex ipsis nostri temporis experimentis eas in nobis invenimus. Ut enim de aliis taceam, regnum Romanorum, quod in Daniele propter totius orbis bello domiti singularem principatum, quem Graeci monarchiam vocant, ferro comparatur, ex tot alternationibus, maxime diebus nostris, ex nobilissimo factum est pene novissimum, ut de Urbe, senatu populoque Romano*[i] *hoc esse dictum iuxta poetam*[k]:

— — Vix magni stet[l] nominis umbra.

Ab Urbe quippe ad Graecos, a Graecis ad Francos, a Francis ad Longobardos[m], *a Longobardis rursum ad Teutonicos*[n] *Francos derivatum, non solum antiquitate senuit, sed etiam ipsa*[o] *mobilitate sui, veluti levis glarea hac illacque aquis circumiecta, sordes multiplices ac defectus varios contraxit. Ostenditur igitur in ipso capite mundi mundi miseria, ipsiusque occasus*[p] *toti corpori minatur*[q] *interitum.*

Sed quid mirum, si convertibilis est humana potentia, cum labilis sit etiam mortalium sapientia? In Aegypto enim tantam fuisse sapientiam legimus[r], *ut secundum Platonem Graecorum philosophos pueros vocarent et immaturos. Moyses quoque legislator, cum quo Deus tanquam vicinus cum vicino loquebatur, eumque*[s] *divina sapientia replevit, erudiri omni sapientia Aegypti non erubuit. Nonne magnus ille*[t] *patriarcha, pater gentium a Domino constitutus, Abraham*[u], *Chaldeorum disciplinis institutus, scientia praeditus, ad vocationem Dei mores deseruit, prudentiam non dimisit? Et tamen illa magna Babylon, non solum sapientia praeclara, sed et*[v] *gloriosa in regnis, inclita in superbia Chaldeorum*[w], *iuxta Ysaiae*[x] *vaticinium, sine spe reparationis, syrenarum facta est delubrum, domus draconum et strutionum, latibulum serpentium. Aegyptus quoque magna ex parte inhabitabilis narratur et invia. Hinc translatam esse scientiam ad Graecos, deinde ad Romanos, postremo ad Gallos et Hispanos*[y], *diligens*[z] *inquisitor rerum inveniet. Et notandum, quod omnis humana potentia seu scientia ab Oriente cepit*[*], *et in*[a] *Occidente terminatur, ut per hoc rerum volubilitas ac defectus ostendatur, quod in sequentibus, Deo annuente, plenius ostendemus.*

Quia ergo per haec et huiusmodi mundi probatur versibilitas[b], *necessarium ratus sum, ad petitionem tuam, frater karissime Isingrime*[c], *historiam texere, per quam largiente Deo, erump-*

a) *ita* 7; *desunt* 1; Incipit prologus in sequentem librum 2. 3. 4; Ottonis episcopi historia de duabus civitatibus. Incipit prologus libri primi 5; In librum de duabus civitatibus ad Isingrimum fratrem prologus 8. b) *deest* 3 *manu secunda suppletum.* c) cel. Ier. 1. 2. 3. d) babil. 1 *semper.* e) alia 1. f) kath. 7. g) *deest* 4. h) Ieronimi 1. i) de Urbe — Romano *desunt* 5. k) *ita* 1. 2. 3. 4; iuxta poetae dictum 5 *et editt.*; ut iuxta poetam 13; de Urbe — dictum *desunt* 7 *post addita in margine.* l) stat 1. m) Lonbardos — Lonbardis 5; Lomb. 11. n) Teutunici 5; *deest* 4. o) *deest* 4. p) casus 1. 4. q) comminatur 3. r) sap. fuisse legimus 1. s) quemque *editt.* t) N. i. m. 1. 3. u) Habr. 7. v) *deest* 3. w) *deest edd.* x) esaye 7. y) Hyspanos 1. z) diligenter 2. 3; diligentior 4. *) incœpit *editt.* a) *deest* 3. b) *ita* 1. 3. 4. 5. 6. 7. 11 *et* 2. 2*. A. 1. *qui tamen* probatur *omittunt; in* 9. 13 *et editt. vero haec ita legebantur:* quia ergo propter has et huiusmodi varietates mundus probatur contemnendus. *Similem sententiam deprehendis libri VII. prol.* c) *ita* 2. 3. 4. 8. 11; Singrime 1 *et ed.*; Ysingrime 7. 13.

81) monachum ut videtur Weihenstephanensem. Cfr. praefat. p. 91.

nas civium Babyloniae, gloriam etiam regni Christi, post hanc vitam sperandam, in hac exspectandam ac praegustandam Ierusalem civibus ostenderem. Proposui vero[a] *prioris conflictationes*[b] *et miserias, quantum Deus dederit, usque ad tempus nostrum deducere; de spe quoque sequentis, quantum ex scripturis colligere potuero, non tacere, sed et civium eius in hac peregrinantium memoriam facere. Sequor autem in hoc opere, praeclara, potissimum Augustinum*[c] *et Orosium, ecclesiarum*[d] *lumina eorumque de fontibus ea quae ad rem propositumve pertinent, haurire cogitavi. Quorum alter de gloriosae civitatis Dei exortu sive progressu debitisque finibus, quomodo inter mundi cives semper profecerit, quique eius cives vel principes quibus principum seu civium seculi temporibus extiterint, acutissime disertissimeque disputavit. Alter vero contra eos, qui temporibus christianis priora praeferentes inaniter garriebant, de rerum humanarum variis ac miserrimis eventibus, bellis bellorumque*[e] *discriminibus, regnorum mutationibus, utilissimam ab orbe condito usque ad tempus suum texuit historiam*[f]. *Quorum vestigia sequendo, sic de utraque dicere proposuimus, ut tenorem historiae non omittamus*[g], *quatenus et religiosus auditor, quid in mundanis rebus ob innumeras mutationum miserias abhorrendum sit, animadvertat, ac studiosus seu curiosus indagator non confusam rerum praeteritarum seriem inveniat. Nec iuste me*[i] *reprehendendum arbitror, si post tantos tantaeque sapientiae*[k] *ac eloquentiae viros imperitus scribere praesumpserim, dum et ea, quae ipsi*[l] *copiose profuseque dixerunt, compendio stringere, et ea, quae*[l] *post ipsorum tempora ecclesiae Dei profutura seu contraria a civibus mundi huius acta sunt, quamvis inculto stylo, executus*[m] *fuerim. Nec illo me satyrici versu poetae, quo ait:*

Scribimus indocti doctique poemata passim, Hor. Ep. II, 1, 117.

feriendum crediderim, dum non temeritatis vel levitatis, sed charitatis, quae semper imperitiam excusare novit, gratia tam arduum opus, quamvis indoctus, aggredi ausus sum. Neque digne me quisquam in his, quae iuxta temporis huius consuetudinem incredibilia forte videbuntur, arguere mendacii poterit: cum nil usque ad recentem memoriam, praeter illa, quae in probatorum virorum scriptis reperi, pauca de multis posuerim. Non enim propter hoc eos, si quidam ex ipsis apostolicam in scribendo simplicitatem servavere, contempnendos iudicaverim; dum sicut nonnunquam erroris fomes arguta sit subtilitas, sic semper veritatis amica sancta sit rusticitas. De huius igitur erumpnosa mutabilitate, de illius felici stabilitate locuturus, Deum, qui huius turbulentam[n] *confusionem patienter tolerat, illius iucundam*[o] *tranquillitatem visione sui auget et glorificat, invocemus, quatinus eius auxilio ea quae sibi placent dicere possimus.*

Primus liber protenditur usque ad Arbatum regnique Babylonici translationem factam ad Medos, initiumque Romani nominis.

Secundus ad civile bellum Romanorum, Iulio Pompeioque auctoribus actum, necemque Cesaris, ac initium nativitatis Domini.

Tertius ad Constantinum temporaque christiani imperii, regni quoque[p] *translationem factam ad Graecos.*

Quartus ad Odoacrum[q] *regnique invasionem a Rugis.*

Quintus ad Karolum regnique mutationem ad Francos, et ad divisionem regni et imperii sub nepotibus eius.

Sextus ad Heinricum quartum scismaque inter regnum et sacerdotium, anathema promulgatum in imperatorem, papam Gregorium VII. Urbe pulsum ac Salerni mortuum.

Septimus usque ad seditionem Romani populi annumque 9. Conradi regis.

Octavus de Antichristo resurrectioneque mortuorum et de fine utriusque civitatis.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

1. *Prooemium et divisio orbis.*
2. *Qualiter Adam de paradyso*[r] *eiectus utrosque cives genuerit et quo tempore iuxta Iosephum a paternis legibus declinare homines et gygantes generari coeperint.*
3. *De diluvio iuxta Iosephum et item*[s] *de longaevitate antiquorum patrum gentilium auctores annorum numerus iuxta diversas translationes capitaque familiarum ab Adam usque ad Noe*[t].
4. *Quomodo post diluvium genus humanum a filiis Noe*[u] *multiplicari, quibus in terris*

a) ergo 1. b) *ita* 5. 7 *et editt.*; conflictationis 1. 2. 3. 4. c) Agustinum 1. d) ecclesiae 7. *editt.* e) bellorum 1. f) hystoriam texuit 1. g) amittamus 4. i) me iuste 1. k) tantę 3. 4. 7; tantae s. 1. l) ipsi — ea quae *desunt* 2. m) persecutus *sive* prosecutus 4. n) turbolentam 1. 2. o) iocund. 1. 2. p) Romani *add. edd.* q) Odacrum 3. r) *ita* 2. 4; paradiso 5. s) iter 2. t) Noę 2. 4. u) *ita* 2. 4; Noę 5.

primo[a] *dispergi coeperit. De turre quoque Babel et confusione linguarum, auctoritas etiam de hoc Sybillae; supputatio quoque diversa a Noe usque*[b] *ad confusionem linguarum.*

5. *Subputatio diversa a confusione linguarum usque ad Ninum et Abraham et annalium inchoatio*[c].

6. *De hoc quod Ninus primo arma extulerit et quod homines illo in tempore iuxta plurium auctoritates agrestes fuerint et quod Ninus Ninive*[d] *condiderit et Zoroasten*[e] *occiderit.*

7. *De nativitate Abraham et exitu eius de terra Chaldeorum morteque Nini.*

8. *De imperio Semiramidis et instauratione Babylonicae*[f] *civitatis. Traditio quoque Treverorum de exordio civitatis suae et de morte Semiramidis ac exordio regni filii sui Niniae.*

9. *De habitatione*[g] *Abraham cum Loth consobrino suo in terra Chanaan et subversione Sodomorum.*

10. *Quod*[h] *Abraham signum circumcisionis acceperit et quorum principum tempore geminos cives genuerit, rursumque quod Ysaac in typum futurorum duos genuerit*[h].

11. *Quorum principum tempore Abraham mortuus fuerit et ad filium nepotemque suum repromissio facta sit. De legibus Graeciae datis sub Phoroneo, de Pheio et Io Inachi*[i] *filia.*

12. *De praelio inter Telcisces*[k], *Cartasos, Phoroneum, Pharphasios et exordio habitationis Rhodos*[l] *insulae.*

13. *De diluvio Ogygii*[m] *et apparitione Minervae et quorum principum tempore Ysaac mortuus sit*[n].

14. *Quorum principum tempore fames in Aegipto sub Ioseph fuerit auctoritatesque gentilium de hoc Ioseph testimonium perhibentium.*

15. *De ydolo*[o] *Serapis unde exordium sumpserit.*

16. *De Argo, unde Argivi, quibus diebus Iacob mortuus sit. De seminibus primo allatis in Graeciam. De morte Ioseph et nativitate Moysi et quorum principum tempore hoc factum sit. De Prometheo et Athlante Athlantisque nepote Mercurio.*

17. *De diluvio Deucalionis*[p] *et aestu Ethyopiae*[q]. *De Bacho qui et Liber pater et ortu*[r] *Athenarum.*

18. *Quorum principum tempore Moyses filios Israel de Aegipto eduxerit, testimoniumque de hoc*[s] *Pompei, Iustini, Cornelii scriptorum gentium.*

19. *De Danao, Perseo et diversis abhominationibus gentium unde de Babylon*[t] *fugiendum et ad cives nostros transeundum sit.*

20. *Quot annis Moyses ductor populi Dei*[u] *fuerit et quot annorum mortuus Iesu in formam secundi ducatum populi reliquit et quod non sine causa novis et inauditis tunc mundus sceleribus*[v] *inferbuit.*

21. *De bello Cretensium et Atheniensium et Minotauro*[w], *undeque fabula Centaurorum orta sit.*

22. *De Vesore rege Aegipti et Scithis*[x] *dominatuque Scitharum*[y] *in Asia. De*[z] *exordio Amazonum et principatu earum, qualiter Effesum et in ea templum Dianae*[*] *condiderint et cur Amazones dictae sint.*

23. *Quorum principum tempore Iesus mortuus sit et de iudicibus qui post eum fuerunt. De Cathmo*[a] *et theologis. De regno Micenarum ac regno Laurenti in Italia et Carmenti nympha*[b].

24. *De raptu Helenae et subversione Troiae et inicio gentis Romanorum et Francorum et fundatione Patavi. De Sampsone*[c] *et Hercule et aureis saeculis in Italia.*

25. *De ferreis saeculis inchoatis sub Aenea et Turno. De erroribus Ulixis*[d] *et fabulosis gestis Diomedis*[e] *et iter Ulixis*[d]. *Allegationes de his verisimiles, secundum sanctorum scripta et exempla.*

26. *De morte Aeneae et regno Silvii. De defectu regni Siciniorum sub Heli iudice. Qualiter*[f] *Romani et Graeci morum et linguae affinitatem habere coeperint, aliasque gentes barbaros vocare consueverint.*

27. *De Samuele et Saule Codroque rege Atheniensium. Nomina etiam iudicum a Moyse usque Samuhel*[g]. *De temporibus regum et prophetarum. De David et Salemone*[h] *filioque eius*

a) *deest* 5. b) usque — linguarum *desunt* 5. c) nalium inchoatio *desunt* 5. d) *ita* 2. 4; Niniven 5. e) *ita* 2. 4; Zoroastrem 5. f) Babilonice 4. g) habitacione 4. h) Quod — genuerit *in* 4 *c.* 9. *adnumerantur.* i) in achin 5. k) Telscisces 4. l) Rodhos 4. m) Oggii 2. 4. 5. n) fuerit 4. o) eydolo 5. p) Deucalyonis 4. q) Ethiopię 5. r) orthu 2. s) deque h. t. 4. t) Babylone 4. u) dux Israelis 4. v) sc. m. t. 4. w) Minothauro 2. x) Schitis 4; Scitis 5; *ita deinceps.* y) Scytarum 4. z) *hic incipit c.* 23. *in* 5. *) Dyane 4. a) cadhmo 5. b) nimpha 4. 5. c) Samsone 4. d) Ulyxis 4. e) Dyomedis 4. f) et qual. 5. g) Samuel 4. 5. h) *ita* 2. 4; Salomone 5.

Roboam. Qualiter sub eo ex peccato[a] *patris sui Salemonis regnum scissum fuerit in brevi desolandum. De virtute Heliae*[b] *et Helysei.*

28. *De regibus Albanorum usque ad Romulum et Aventino monte. De*[c] *translatione regni Babylonici ad Medos.*

29. *Exclamatio contra Babylonem.*

30. *Nomina regum Assiriorum a Belo usque ad Sardanapallum.*

FINIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI[d].

1. *De regibus Medorum qui quorum regum Iudae et Israel tempore fuerint. De Chaldaeis et Cyro*[e]. *Nomina regum Medorum.*

2. *De Proca et Amulio et ortu Remi et Romuli.*

3. *De fundatione urbis Romae et parricidio avi fratrisque a Romulo facto ac raptu Sabinarum.*

4. *De Osee et Ysaia*[f] *prophetiaque Sibillae*[g].

5. *De Thale uno de septem sapientibus et captivitate decem tribuum. De Falari Siculo tyranno.*

6. *Qualiter et a quibus urbs Romana inchoata fuerit. De Numa. De morte Ysaiae et Samia Sibilla*[h]. *De Tullo Hostilio et Anco Marco Romanorum regibus.*

7. *De captivitate Iudae sub T. Prisco Romanorum rege et prophetia Hieremiae*[i] *et sex*[l] *residuis sapientibus.*

8. *De philosophis praecipue Pitagora*[m], *Socrate, Platone, Aristotile.*

9. *De Tarquinio Superbo et oppressione Lucretiae*[n].

10. *De tempore consulum et remotione regum et zelo Bruti consulis primi*[o] *liberationeque Romanae urbis per Mutium et Deliam*[p].

11. *Quomodo Babylon a Cyro capta sit et quis eius situs fuerit. De morte quoque Cresi*[q].

12. *De prophetia Ezechiel, Daniel, Abacuch*[r].

13. *De quatuor principalibus regnis quae Daniel*[s] *in expositione somnii Nabuchodonosor ponit.*

14. *Qualiter Thamiris*[t] *regina Cyrum occiderit. Exclamatio de hoc, brevisque epilogus de laude Cyri*[u].

15. *De Cambyse*[v] *filio Cyri et nova Babylonia ab ipso condita.*

16. *De magis et Dario et plenaria liberatione Romanorum. De prophetia Aggei, Zachariae, Malachiae, Esdrae. De infortunio Darii in bello Atheniensium morteque eius.*

17. *Rursum de infortunio filii Darii Xersis primo a Leonida, post ab Atheniensibus victi, ad ultimum ab Artabano praefecto suo occisi.*

18. *De prodigiis in urbe Roma visis, pestilentia intestinisque malis inde secutis et de Q. Cincinnati*[w] *Rustici victoria.*

19. *De bellis diversarum civitatum et praecipue de oppressione Atheniensium a regibus Persarum morteque Socratis ac obitu regis Darii Persarum et exilio Dyonisii*[x] *Siculi.*

20. *Qualiter duo filii Darii pro regno contenderint et Artaxerses sub quo historia*[y] *Hester facta creditur regnum, mortuo fratre, obtinuerit. De terrae motu et incendio Ethnae. De Athlanti civitate et pestilencia Atheniensium*[z].

21. *Quae mala Galli Romanis fecerint et quomodo ab eis accepta pecunia recesserint.*

22. *Excidium Lacedemoniorum et reformatio Atheniensium sub Conone per Artaxersen regem. De victoria Romanorum et specu quem M. Curtius miles inaudito modo clausit, et victoria de Gallis.*

23. *Quod Karthaginenses et Romani nunciis fedus firmaverint et saxea grando veris terram lapidibus*[z] *percusserit. De Artaxerse qui et Ochus quomodo Iudeos incluserit.*

24. *Inicium regni Graecorum quomodo Philippus ingenio et virtute civitates Graeciae sibi subiecerit et Alexandrum filium instruxerit ipseque ad ultimum quem finem habuerit.*

25. *Principatus Alexandri Magni. Finis regni Persarum, numerusque regum et mirabilia quae fecit et vidit Alexander. Finis ipsius** *et exclamatio de his contra rotatum rerum.*

a) peccatis 5. b) Helyae 4. c) *hic incipit c.* 30. *in* 5. d) *ita* 2. 4. e) Ciro 2. f) Oseę et Ysaya 4. g) Sybillę 4. h) Sybilla 5. i) Ieremię 4. 5. l) septem 2. m) Pytagora 4. n) Lucrecye 4. o) p. c. 5. p) Romanorum p. M. et Delyam 4. q) Cresii 4. r) Abacuc 5. s) Danihel 2. t) Thameris 4. 5. u) Ciri 2. 4. v) Cambise 2. 5. w) Concin. 2. 4. 5. x) Dionisii 5. y) hystoria 2. 4. z) *deest* 2. *) filius eius 5.

26. De sociis Alexandri quo modo orbem diviserint et Olympiam[a] *matrem Alexandri cum filio suo Hercule occiderint ipsique mutuis vulneribus corruerint, et de Machabeis.*

27. Quod Roma post Alexandrum tamquam amisso pedagogo crescere coeperit.

28. Reciprocatio id est qualiter Roma sub Alexandro a vicinis gentibus dehonorata foedus non servaverit, sed Papirio consule bellum instauraverit.

29. Quod Roma post mortem Alexandri tamquam in propria auctoritate stans ingenio et arte usa hostes devicerit, sed statim pestilencia afflicta fuerit.

30. De variis eventibus Romanorum et de diversis calamitatibus eorum. De Tarentinis.

31. De bello inter Pyrrum[b] *et Romanos gesto*[c], *testimoniumque ipsorum Romanorum de nobilitate Pyrri, et quod Tarentini post mortem eius Cartaginensium auxilium querebant.*

32. De Karthaginensibus et qualiter foedus cum Romanis initum propter Tarentinos ruperunt.

33. Exordium belli Punici. De occisione Cornelii consulis et victoria Romanorum.

34. De Regulo consule et serpente quem occidit. De victoria eius et ad ultimum quomodo occisis multis victus et captus fuerit[d]. *Qualiter Romam missus*[e] *captivos reddi dissuasit et ita rediens necatus sit. Testimonium Tullii de virtute eius et patientia, et de fine primi belli Punici ac victoria Romanorum Ianoque clauso.*

35. De inundatione Tyberis et incendio Urbis. [f]*De Gallis Transalpinis et bello Punico secundo inchoato.*

36. De[g] *morte Hamilcaris et quomodo filius eius Hannibal diversis proeliis Romanos vicerit in tantum ut etiam sedes mutare cogitarent. Quomodo etiam ab Urbe tempestatibus pulsus est. De morte Scipionum*[h] *et captione Capuae*[i].

37.[k] *Qualiter Scipio*[l] *proconsul factus Penos*[m] *devicerit, Hannibal Marcellum et Crispinum*[n] *consules occiderit et ad ultimum amisso fratre Hastrubale*[o] *ad Brutos*[p] *cesserit.*

38. Rursum de victoria Scipionis. Item[q] *de victoria Hannibalis redituque eius in patriam. De ultima pugna Romanorum et Poenorum*[r]. *Quomodo Scipio rediens in comitatu Terentium habens cum triumpho susceptus est bellumque Punicum secundum terminatum.*

39. De prodigiis quae haec mala praecessere. De excidio Tarenti. De victoria Macedonum et Lacedaemoniorum.

40. De barbaris victis a Romanis et subacto Philippo rege. Qualiter Antiochus ad quem Hannibal confugerat victus pacem petierit[s]. *De morte Hannibalis et Scipionis, laudesque Tullii et Senecae in Scipionem.*

41. De situ Cartaginis tercioque Punico bello eversioneque ipsius. Quomodo Scipio regnum Numidiae partitus sit.

42. Supputatio diversa quo tempore Machabei fuerint.

43.[t] *Subversio Corinthi. Excidium Numantiae et excursus brevis.*

44. De Iugurtino bello et variis eventibus Romanorum cum Cymbris, Gallis, Germanis. De intestinis malis sub Sylla et Catilina, Macedonicoque bello. De Asia minore Romanis tradita.

45. Difficile bellum habitum cum Mitridate et tandem victo illo terminatum. Quomodo[u] *praedictus rex tam ob hoc malum quam ob filium deponere eum molientem terminum vitae fecerit*[v].

46. Quod Romani Pompeium in Orientem miserint, qui toto devicto Oriente templum quoque Domini polluit, captoque et victo Aristobolo fratri eius sacerdotium tradidit.

47. Qualiter et sub quibus principibus saeculi Israel a transmigratione Babylonis[w] *usque ad id tempus sese habuerit, et de Herode alienigena*[w].

48. De victoria Iulii Caesaris et quomodo a civibus non susceptus in ipsos arma converterit et erarium fregerit.

49. De occisione Crassi et incendio Urbis. De intestina pugna Romanorum, victoria quoque Caesaris et morte Pompei.

50. Quomodo Caesar in Aegiptios arma converterit Cleopatraeque regnum dederit et dehinc[x] *Romam veniens rursum fautores Pompei persecutus fuerit. De morte Catonis Quod*

a) Olimpiam 2. 5. b) Pirrum 2. c) gestum 2. 5. d) fuit 5. e) iussus 4. f) *inc. cap.* 36. *in* 4. g) *sequentia usque* Capuae *adnumerantur c.* 35. *in* 2. h) Cipionum 2; Cypionum 4; Scipionum 5. i) Cappuae 4. k) *pro hoc et sequentibus tribus numeris* 2 *perperam* XXVI. etc. *ponit.* l) Scypio 4. m) *ita* 2. 4. n) Cr. et Marc. 4. o) Astr. 2. 4. p) Brucios 5. q) itemque 5. r) Penorum 2. s) pecierit 4. t) *excidit numerus in* 2. u) quē 2; q̃ 4; q̃ 5. v) habuerit 4. w) usque — alienigena *desunt* 2 *et adduntur* 4 *eadem manu sed atramento paulo nigriori.* x) dehin 2.

Caesar monarchiam[a] *obtinuerit, Tulliumque ac per eius interventum M. Marcellum in gratiam susceperit ipseque ad ultimum conscio senatu occisus sit.*

51. *Exclamatio*[b] *contra rerum mutabilitates et terminus secundi libri.*

CAPITULA LIBRI TERTII[c].

1. *Qualiter Octavianus primo dolorem de avunculi morte dissimulans postmodum interfectores eius tractaverit. De iudiciis eius Romae factis. De plurimis victoriis eius contra Antonium et Cleopatram et quem finem Antonius et Cleopatra sortiti sint.*

2. *Excursus quomodo Graeci ab Alexandro usque ad id tempus Orienti imperaverint et unde patriarchales sedes esse ceperint. Numerus regum Graecorum copiaque Romae ex*[d] *Alexandriae subactione*[e] *accrescens.*

3. *Qualiter finito regno Graecorum devictaque Alexandria cum tota Asia Caesar Augustus dictus sit. De victoria eius in Hyspania*[f] *Ianoque clauso. Quomodo per Claudium Drusum diversas provincias*[g] *subegerit. De amissis legionibus in Germania*[h].

4. *Qualiter Augusto in Hyspania morante totus Oriens subiectionem ultro obtulerit, Parthusque pacem postulans signa quae Crasso ablata erant remiserit totoque orbe descripto Ianus clausus sit. De humilitate Augusti.*

5. *Quod Iudaeis sicut caeteris gentibus sub Cyrino census inductus sit et de Iuda Galilaeo.*

6. *De incarnatione Domini et quomodo ea quae sub Augusto facta sunt regno Christi conveniant. Inchoatio annalium ab incarnatione Domini.*

7. *Quam crudele piaculum Herodes in coaevos Christi exercuerit et quem vitae finem*[i] *ob hoc iuxta Iosephum sortitus fuerit. De Archelao*[k].

8. *De fame in urbe Roma et aperto Iano pro Dacorum et Atheniensium seditione.*

9. *De morte Augusti et regno Tyberii et triumpho de Germanis per Germanicum filium Drusi. De adulterio callide a quodam perpetrato et a Caesare quomodo iudicatum*[l] *sit.*

10. *De baptismo et praedicatione Iohannis et post ipsius Domini. De morte Iohannis. Testimonium de hoc Iosephi et item testimonium eius de Domino.*

11. *De passione Domini, quod Tyberius auditis miraculis Domini de eo Romae decreverit et quo modo senatum reclamantem sibi tractaverit et quae mala Iudaeis fecerit. De passione*[m] *Stephani et malis Iudaeorum.*

12. *De morte Tyberii et subrogatione Gai*[n] *Caligulae*[o], *quomodo Gaius Iudaeos persecutus fuerit, legationemque eorum a Philone*[p] *factam spernens templum profanaverit. De fine*[q] *Pilati. De victoria Caesaris et de plurimis abhominationibus eius morteque ipsius.*

13. *De Tyberio Claudio, quod fames sub ipso in Iudaea fuerit, quod Iacobus occisus, Petrus in vinculis positus eodem tempore sit. De morte Herodis et Theoda.*

14. *De divisione apostolorum in omnes gentes. De Petro et Simone mago. De Marco euangelista et discipulis Petri ab eo in orbem missis. De victoria Claudii ac seditione Iudaici populi. De expulsione eorundem de Urbe et seditione Romani populi, occisione senatorum et militum. De morte Claudii.*

15. *De flagitiosa vita Neronis et persecutione in nostros. De Aegiptio*[r] *falso propheta. De morte Iacobi scriptisque apostolorum.*

16. *De passione Petri et Pauli et imminutione Romani imperii et morte Neronis.*

17. *De civilibus malis in Urbe et captivitate Iosephi imperioque Vespasiani.*

18. *De excidio Hierosolimorum et captivitate Iudaici populi. Auctoritates de hoc Iosephi; quod Titus*[s] *et Vespasianus ob haec*[t] *imperatores dicti Romae cum triumpho suscepti sint. De Iano clauso et incremento Romani imperii. De terrae motu et pestilentia. De morte utrorumque et amphitheatro*[u].

19. *De persecutione Domitiani in suos*[v] *et in nostros. De Clemente successore Petri. Quod Domitianus Iohannem apostolum in exilium miserit et David prolem requiri fecerit. De morte ipsius et de substitutione*[w] *Nervae sub quo ab exilio revocatus est Iohannes.*

20. *De Traiano victoriisque eius ac persecutione in nostros. De domo aurea Neronis et*

a) monarchyam 4. b) *incipit* c. 50. *in* 2. 4, *et* 51. *in* 5. c) tercii 2. 4. d) et 5. e) subiectione 4. f) Alexandria 4; Hispania 5 *semper*. g) provintias 2. h) a Varo *add.* 5. i) exitum 5. k) Archalao 2. l) vindicatum 5. m) *deest* 2. n) Gay 4. o) Galigulae 2. p) Phylone 4. q) morte 4. r) Egyptio 5. s) Tytus 4. 5. t) hoc 5. u) amphiteatro 2. 5. v) et in suos 2. w) subtitutione 2.

seditione Iudaeorum. De[a] sacerdotibus Christi qui eo tempore erant. De obitu Iohannis apostoli et heresibus[b] quae tunc pullulabant.

21. *De mansuetudine et operibus Adriani Helii, sacerdotibusque qui tunc clari habebantur.*

22. *De haeresibus et civibus Christi illis resistentibus et exemplar epistolae Adriani pro christianis.*

23. *De principatu Antonini cognomento Pii haeresibusque sub eo ortis. De sacerdotibus et doctoribus Christi contra hereses. Epistola etiam imperatoris pro nostris.*

24. *De imperio Antonini Veri cum Aurelio Commodo bellisque eorum de civibus nostris gravique persecutione et quomodo per christianos Germanos devicerit.*

25. *De principatu Commodi[c] obscenitateque eius et heresibus. De incendio fulmine et igne Romae facto.*

26. *De morte Commodi et substitutione Helvii qui et Pertinax. Rursumque de morte illius.*

27. *De principatu Severi et persecutione eius in nostros, belloque contra gentes. De patribus et sacerdotibus qui illo tempore pro domo Dei stabant, de controversia quae inter Romanum pontificem et orientales episcopos de die pascae[d] fuit. De Iuda et Origene. De victoria Severi.*

28. *De morte Severi substitutioneque Caracallae et item de morte illius.*

29. *De imperio Marci Aurelii morteque eius, in utroque de Romanis pontificibus.*

30. *De principatu Aurelii Alexandri et victoria eius. De martiribus qui sub eo passi sunt et Romanis pontificibus morteque Aurelii.*

31. *De imperio Maximi persecutioneque eius in nostros, morte etiam ipsius.*

32. *De principatu Gordiani Romanisque sacerdotibus et scriptoribus ecclesiasticis, fine quoque Gordiani.*

33. *De imperio Philippi christiani et de humilitate ipsius.*

34. *De morte Philippi et successione Decii et persecutione eius in nostros.*

35. *De occisione Decii et imperio Galli et Volusiani[e] ac morte Origenis. De quaestione inter Cornelium et Ciprianum. De Romanis pontificibus aliisque sacerdotibus.*

36. *De passione Laurentii et pestilentia in urbe Roma.*

37. *De morte Galli et Volusiani et sacerdotio Sixti.*

38. *De[f] principatu Valeriani et Galieni, persecutioneque in nostros et passione Sixti[g].*

39. *De[h] captivitate Valeriani et inundatione diversarum gentium contra Romanum imperium et intestinis malis. De morte Galieni et sacerdotibus Christi Maneque heretico a quo Manichaei.*

40.[i] *De principatu Claudii triumphoque eius ac morte.*

41. *De imperio Aureliani plurimisque triumphis eius ac de urbe Roma quam ampliavit. De illa quam ex nomine suo in Gallia condidit. De persecutione in nostros morteque ipsius.*

42. *De imperio Taciti morteque ipsius.*

43. *De imperio Probi, victoria eius ac morte.*

44. *De principatu Cari[k] bellisque quae in Oriente gessit et de morte ipsius.*

45. *De principatu[l] Diocletiani et victoriis eius, qualiter Maximianum socium imperii legit et christianos super omnes qui ante eum fuerant persecutus sit quique temporibus eius passi fuerint, vel de triumpho Constantini quomodo Diocletianus et Maximianus imperium reliquerint.*

46. *Qualiter Galerius et Constantinus regnum diviserint Constantiusque moriens Constantinum in Gallia imperatorem reliquerit.*

47. *Terminus[m] tercii libri et recapitulatio decem persecutionum.*

CAPITULA LIBRI QUARTI.

1. *De occisione Maximiani et morte Galerii, tyrannide Maximini[n], Licinii et praecipue Maxentii[o] Maximiani filii, quomodo Constantinus iuxta visionem[p] sibi monstratam Maxentio merso Urbem ingressus crucem in triumphali loco poni fecerit, ipseque a Silvestro baptizatus fuerit.*

2. *Quomodo ipse et Licinius[q] pro ecclesia scripserint, Maximinusque idem falso fecerit, sed postmodum in certamine victis rursum pro christianis scribens Maximinus obierit. De fine etiam Licinii sororii Constantini, Crispi etiam et Licinii nepotum eius morte.*

a) *hic incipit cap.* 21. *in* 2. b) heresis *corr. ead. man.* heresibus 2. c) Comodi 2. d) pasche 5. e) Vosuniani 2. f) De princip. — Sixti *desunt* 5. g) Xyxti 2. h) De — Manichei *in* 5 *subiunguntur c.* 37. i) *c.* 38 *m* 5. k) Sari 2. l) imperio 4. m) *hoc cap.* 45. *inscribitur in* 5. n) Maximiane 2. o) Marentii 2. p) *deest* 5. q) Lucinius 5.

3. *De monarchia Constantini et pace ecclesiis reddita, imperioque iuxta Romanos ecclesiae tradito et sede regni Byzantium*[a] *translato et de hac re allegationes diversorum.*

4. *Brevis epilogus ab Adam usque ad id temporis: de exaltatione civitatis Dei.*

5. *De exaltatione urbis Constantinopolitanae. De Arriana*[b] *haeresi et Nicaeno concilio. De Paulo et Antonio primis heremitis et inventione sanctae crucis. De conversione Iudaeorum et Hebraeorum*[c] *et morte Constantini.*

6. *De principatu filiorum Constantini qualiter Constantius*[d] *in Arrianam heresim inciderit. De morte Arrii et sacerdotio Athanasii.*

7. *De morte Constantini ac laboribus Athanasii.*

8. *De expulsione Liberii Romani pontificis. De Victorino et Donato. De aliis praeclaris sacerdotibus et persecutionis immanitate.*

9. *De morte Constantis et ultione super hoc fratris sui Constantii. De Iuliani apostasia et morte Constantii.*

10. *De persecutione astuta Iuliani et civibus Christi qui ei viriliter restiterunt et ad ultimum quomodo et ubi percussus fuerit Iulianus.*

11. *De principatu Ioviniani christianissimi et orthodoxia illius et ad ultimum quomodo et*[e] *ubi obierit.*

12. *De imperio Valentiniani eiusque*[f] *industria sub Iuliano, de fratre suo Valente.*

13. *De filio eius Gratiano, Ambrosio synodoque*[g] *Illirica*[h].

14. *De morte Athanasii*[i] *patribusque Aegipti et episcopatu Moysi. De errore Valentis victoriaque Valentiniani et morte eius.*

15. *De principatu Valentis cum filiis Valentiniani persecutioneque eius et victoria Gratiani.*

16. *De Gothis*[k] *et Hunis, qualiter Gothi a Valente Arriani effecti ipsum postmodum cremaverunt.*

17. *De imperio Gratiani et Valentiniani post mortem patrui et Theodosii a Gratiano in regnum assumpti. De secunda synodo habita sub Damaso*[l]. *De morte Athalarici, occisione Valentis et eiectione Valentiniani.*

18. *De imperio Theodosii paceque ecclesiae ac sacerdotibus Christi. De triumphis eius et humilitate ac de morte.*

19. *De principatu Honorii et Archadii. De Dirimachio monacho, Iohanne etiam Crisostomo et Theophilo et Epiphanio, transitu etiam Martini et Ambrosii.*

20. *De rebellione Gothorum et perfidia Rufini et Gildonis, eventuque Mazazel*[m] *et morte Archadii.*

21. *De imperio Honorii et rursum de seditione*[n] *Gothorum et irruptione Romanae urbis sessioneque ipsorum in Gallia.*

22. *De gestis Honorii in Affrica et inventione Stephani prothomartiris. De morte Ieronimi et Romanis pontificibus et pace augusti cum Gothis morteque ipsius.*

23. *De imperio Theodosii iunioris virtutibusque eius et de synodo*[o] *tertia, de bellis quae per duces suos gessit.*

24. *De Valentiniano augusto, Wisegothis*[p] *et Ostrogothis. De factione Ethii et Bonifacii, irruptione et*[r] *Wandalorum in Affricam morteque Augustini.*

25. *De terrae motu Constantinopolitano et Romano, de inicio tyrannidis Attilae*[s] *morteque Theodosii.*

26. *De principatu Martiani et Valentiniani synodoque quarta et tyrannide Attilae pugnaque inter ipsum et Romanos et Gothos.*

27. *De eversione Aquileiae*[t] *et processu ipsius usque ad Ticinum donec monitu Leonis papae rediret.*

28. *De morte Aetii*[u] *et Valentiniani augusti irruptioneque Wandalorum in Romanam urbem. De Paulino episcopo morteque Attilae et Martiani*[v] *imperatoris.*

29. *De principatu Leonis in Oriente confusioneque Romani imperii in Occidente morteque Leonis.*

30. *De imperio Zenonis in Oriente. De Augustulo Romano et irruptione in urbem Romam sub Odoacro viroque Dei Severino.*

a) Bizantium 2; Byzancium 4. b) arciana 5. c) hibreorum 5. d) Constancius 2. e) vel 4. 5. f) et eius 4. g) sinodoque 5. h) Yllirici 4. i) Atanasii 5. k) Gotis 2. 4. l) Damasco 4 m) Mazahel 2. n) sidit. 4. o) sinoda 5. p) Velegothis 2; Vesegothis 4. 5. r) *deest* 4. 5. s) Attylę 4 *constanter*. t) Aquilegia 2. 4; Aquileię 5. u) Etii 2. 5. v) Martini 2; Martyni 4.

31. *Exclamatio, brevisque Romani imperii recapitulatio.*

32. *Qualiter, unde vel quomodo Franci in Gallias venerint ibique eiectis Romanis regnare ceperint.*

33. *Conclusio quarti libri.*

CAPITULA LIBRI QUINTI.

1. *Quomodo Theodericus Gothorum rex a Zenone in Italiam missus Odoacrum occidit ipseque tyrannice vivens Boetium*[a] *in carcere posuit regnumque cum vicinis regibus firmavit.*

2. *De morte Zenonis et substitutione Anastasii. De scismate Romanae ecclesiae et exilio episcoporum Affricae morteque Anastasii et Clodovei*[b].

3. *De imperio Iustini et revocatione episcoporum de exilio. De persecutione Theoderici in qua Iohannes papa, Symachus et Boetius extincti sunt. De morte eiusdem tyranni et visione inde monstrata Iustinique obitu.*

4. *De principatu Iustiniani multisque pietatis eius insignibus triumphisque plurimis. De claris viris qui sub eo fuerunt. De gente Longobardorum, exaltatione imperii morteque ipsius.*

5. *De imperio Iustini eiusque bonis operibus. De cultu regis Indorum. De plurimis victoriis per Narsen factis et introitu Longobardorum in Italiam morteque augusti.*

6. *De imperio Tyberii*[c] *Constantini elemosinisque eius. De pecunia quam invenit, Persisque quos per Mauritium devicit*[d]. *De Gregorio tunc archidiacono ac morte imperatoris.*

7. *De principatu Mauricii persecutioneque*[e] *in beatum Gregorium tunc papam. De viro Dei Columbano discipulisque suis, de visione et eventibus Mauritii fineque eius.*

8. *De imperio Focae transituque beati Gregorii, de duobus qui post eum erant Bonifatiis*[f] *et Cosdrao*[g] *rege Persarum interituque Focae.*

9. *De principatu Heraclii magnificoque triumpho eius et reportatione sanctae crucis. De Anastasio monacho et Mahmet regnoque Dagoberti et victoria eius. De timendo fine Heraclii.*

10. *De imperio Heraclii eiusque nece et de ultione illorum qui hoc fecerant. De nova heresi Pirri*[h] *et Cyri*[i].

11. *De imperio Constantis et Martino papa. De victoriis eius et itinere ad Urbem. De filiis Dagoberti morteque Constantis.*

12. *De principatu Constantini et synodo congregata dampnataque heresi Cyri et Pyrri*[k]. *De Ansgiso maiore domus Franciae*[l], *Lamperto episcopo, morteque Constantini.*

13. *De imperio Iustiniani, Kiliano*[m], *Pippino maiore domus, de Tyberio et Leontio et 7. synodo*[n].

14. *Item de reditu Iustiniani quem mutilatis naribus Tyberius*[o] *et Leontius expulerant ultioneque eius, qualiter Constantinum papam vocans honeste tractavit, Philippicumque persequens ab eo occisus sit.*

15. *De principatu Philippici haeresique eius et morte.*

16. *De imperio Anastasii augmentoque ac victoriis regni Francorum sub Karolo seniore maiore domus ac defectu imperii Romanorum Anastasioque clerico facto.*

17. *Quod et Theodosius successor illius clericus factus Leoni imperium dimiserit et de undatione Tyberis.*

18. *De imperio Leonis Syri eiusque impietatibus. De Bonifacio*[p], *Pirmenio*[q], *Beda et obsidione regiae urbis morteque Leonis.*

19. *De imperio Constantini Leonis filii eiusque pessimis operibus morteque Karoli maioris domus ac successione filiorum eius.*

20. *De bellis filiorum Karoli fundationeque Fuldensis monasterii, qualiter unus monachus factus, alter Pippino*[r] *fratri*[s] *rebellans in pacem sit vocatus.*

21. *Quod Pippinus*[t] *pro nomine regio consultum ad Romanum pontificem misit, regnante Hilderico Merovingo*[u].

22. *Quod reversis nuntiis auctoritate papae Pippinus ad regnum eligitur et quod Stephanus successor Zachariae pro persecutione ad regem venit.*

a) Boecium 4; Poetium 5. b) Clodowei 2. 4. c) Tiberii 5. d) devictis 4. e) eius *add.* 5. f) *ita* 2. 4; Bonifaciis 5. g) Cosdroa 5. h) Pyrri 4. 5. i) Ciri 5. k) Pirri 5. l) Frantiae 2. m) Kyliano 2. 4. n) synoda 2. o) Tiberius 5. p) Bonifatio 2. 4. q) Pyrinenio 5. r) Pipino 2. 4. s) fratre 2. t) Pypinus 4 *saepius*; Pippinus 5 *semper*. u) Mervingo 2. 4.

23. Quod Pippinus cum caeteris Francorum primoribus a sacramento absolvitur et in regem ungitur, et de civibus Christi qui hoc tempore erant.

24. De beato Corbiniano[a].

25. Quod Pippinus rogatu Stephani in Italiam ingressus sit[b]. *De morte Bonifacii rursumque ingressu Pippini in Italiam. De legatione Constantini ad Pippinum. De variis bellis Pippini morteque eius.*

26. De regno Karoli variisque bellis contra Aquitanicos et Saxones[c] *ingressuque eius in Italiam morteque Constantini augusti.*

27. De imperio Leonis morteque eius. Item de victoriis Karoli contra Saxones[d].

28. De principatu Constantini et patriciatu Karoli.

29. De Tassilone[e] *duce qualiter monachus factus sit et de excecatione Constantini imperioque matris eius*[f] *Hyrenae*[g].

30. Quod Leo papa male a Romanis tractatus Karolum ad Urbem vocaverit ipseque de obiectis sponte se purgaverit.

31. Qualiter Karolus a summo pontifice totoque populo Augustus vocatus imperium a Graecis ad Francos transtulit sub Hyrene. De iudiciis eius quae fecit et legatione Hyrenae. Item de legatione Nicephari[h] *imperatoris muneribusque regis Persarum.*

32. De morte Nicephari substitutioneque Michahelis ac renovatione federis inter duos imperatores itemque depositione Michahelis[i] *morteque Karoli. Brevis epilogus de gestis eius.*

33. De principatu Ludewici[k] *et Leone papa itemque de Stephano qui imperatorem coronavit. De filiis imperatoris factioneque Bernhardi ac exitu.*

34. De promotione Lotharii a Paschali[l] *nuntiisque Bulgarorum*[m] *ac morte Ludewici.*

35. De intestina pugna trium fratrum divisioneque regni Francorum.

36. Excursus et exclamatio contra volubilitatem rerum.

CAPITULA LIBRI SEXTI.

1. De imperio Lotharii et Michahelis regnoque Karoli ac monachatu imperatoris divisioneque regni inter tres filios.

2. De imperio Ludewici et Basilii et coniugio Lotharii ac controversia pro regno Karoli. De victoria Ludewici et pugna Karoli cum Brittonibus. De Noemeticio[n] *rege Brittonum et Herispeio.*

3. De causa Lotharii, quomodo pro repudio legitime a Nicolao[o] *papa excommunicatus fuerit episcopique fautores eius dampnati et ingressu Ludewici in occidentalia regna egressioneque Normannorum.*

4. Quem finem Lotharius fratri succurrere volens in Italia habuerit et quomodo post mortem eius patrui ipsius regnum diviserint. De fraude Adelgisi circumventioneque imperatoris ac victoriis quas egit in Campania et Lucania. De locustis.

5. Qualiter Karolus occidentalis rex Nortmannos obsidione clausos deceptus abire permiserit[p], *quaecumque mala postmodum ab eis pertulerit.*

6. De morte Ludewici imperatoris imperioque patrui sui Karoli. Item Ludewici orientalis regis et quomodo Karolus regnum fratris invadere gestiens a filiis eius victus sit ipsique regnum paternum diviserint, item de ingressu Karoli in Italiam morteque ipsius. De Lodewico Balbo filiisque eius et pugna illorum cum Bosone.

7. De morte Karlomanni[q] *filioque eius Arnulfo qualiter frater eius Lodewicus regnum sibi subiecerit, Arnolfo ducatum Carintanae*[r] *tribuerit.*

8. De imperio Karoli tertii, irruptione Nortmannorum[s] *morteque Ludewici, reditu Karoli imperatoris in Gallias; qualiter omnibus de semine regio mortuis ipse monarchiam obtinuerit.*

9. De depositione Karoli, subrogatione Arnulfi morteque Karoli et confusione Romani simul et Gallici imperii.

10. Quos Itali, quem[t] *Franci occidentales regem fecerint. De Ungaris et irruptione Normannorum.*

11. Ubi Arnolfus regnaverit, opera quae gessit victoriaque eius contra Normannos. Controversia[u] *in occidentali regno Francorum.*

a) Gorb. 2. b) Italiam venerit 4. c) Aquitacos et Sarones 2. d) Sarones 2. e) Tessilone 2; Tessylone 4. f) suę 5. g) eius Hyr. *desunt* 2. h) *ita* 2. 4. 5. 7. i) Michahehis 4. k) Lodew. 2; Lodwici 4; Lodowici 5. l) Pascali 4. m) Pulg. 2. 4. n) Noemitico 4; *lege* Nomenoio. o) Nikolao 4. p) abire dimiserit 4. q) Karromanni 5. r) *ita* 2. 4; Carentane 5. s) Nartm. 2. 4. t) quos 4. u) controversiam 2.

a) Gwidonis 4. b) Lantperto 4; Lamb. 5. c) Zwend. 4. d) Frantia 2. 4. e) Adilbertum 4. f) Kunr. 2; Chûnradi 4; Conradi 5 *semper.* g) Teutunicorum 5. h) Arnulfi 4. i) Bauar. 2. k) Angaros 2. l) restitutionem 2. 4. m) Adelberto 2. n) Schyrensis 4. 5. o) *ab hoc inde capite desunt libro sexto numeri in* 2. p) Pereng. 2. q) coronotoque 2. r) obiit 4. s) calabam 2; Calabria 5. t) passione 4; martirio 5. u) episcopi *add.* 4. v) Babenbergensium 4. w) Chonr. 2; Chunradi 4. x) *ita omn. codd. exc.* 4, *qui* bunos *scripsit.* y) Kŏnr. 2; Chûnradi 4. z) Ernisti 2. 4 *semper.* *) Chûnradi 4. a) creditu 2. 4. b) Rŏdolfi 2; Rudolfi 4; Rodolfi 5 c) Gallinarum 2. 4. d) Ottonis 4. e) Oddonis 4.

32. *De imperio Heinrici virtutibusque eius. De eventu imperatoris in Boemia triumphoque in Pannonia, de nuptiis eius et morte Leopaldi*[a] *marchionis. De scismate Romanae ecclesiae, depositione Gratiani ac subrogatione Clementis, et quid Hildibrandus*[b] *inde senserit.*

33. *Ubi Heinricus Romae a Clemente coronatur*[c] *ac per Apuliam*[d] *transiens*[e] *in patriam redit, et qui postmodum ab ipso Romanae sedi praepositi sint, et qualiter Bruno qui et Leo ad episcopatum venerit. De deditione Gotfridi et Baldewini*[f] *ducum et synodo*[g] *celebrata, expeditione Ungarica. De irruptione Nortmannorum in Apuliam, transitu Leonis, subrogatione Teutonicorum*[h] *pontificum morteque imperatoris.*

34. *De imperio Heinrici matrisque eius Agnetis, de liberatione Romanae ecclesiae ac rebellione Saxonum. De morte Alexandri subrogationeque Gregorii septimi et scismate inter*[i] *regnum et sacerdotium orto. De virtutibus eiusdem sacerdotis institutisque salubribus. De pugna Saxonum et regis.*

35. *De visa cometa et expugnatione Angliae. De nuptiis regis sententiaque in eum a summo pontifice data. De positis super eum regibus et in brevi occisis.*

36. *Excursus qualiter intelligi possit quod in Daniele legitur lapidem excisum de monte sine manibus statuam in pedibus qui ex parte ferrei, ex parte fictiles erant percussisse, mala temporis illius obituque Gregorii et terminus libri.*

CAPITULA LIBRI SEPTIMI.

1. *De electione Victoris consecrationeque eius et morte.*

2. *De expeditione Hierosolimitana sub Urbano, exitu progressuque ipsorum. De captione Antiochiae.*

3.[k] *Legatio Sarracenorum ad Gotefridum*[l] *ducem descriptioque antiquae et novae Babylonis.*

4. *Item legatio Gotefridi ad regem Babylonicum. Fraus Sarraceni. Afflictio populi Dei victoriaque subsequens et post fames expugnatioque urbis Hierusalem.*

5. *Dolus item Babylonici regis, victoria nostrorum, reditus primatum ducatusque Gotefridi super eos qui remanserant.*

6. *Quomodo Urbanus sedem eiecto Guiberto receperit ipseque moriens Paschali*[m] *eam reliquerit.*

7. *De morte Gotefridi et regno fratris sui Baldwini. De morte Guiberti scismatici*[n] *Conradique imperatoris filii. De secunda transmarina expeditione exituque eius ac martirio Tiemonis episcopi.*

8. *De occisione Sigehardi*[o] *intestinisque malis inter regem Heinricum et filium eius.*

9. *Qualiter post multa mala ambo in ripa Regini*[p] *fluminis armati convenerint paterque ad ultimum cedere*[q] *compulsus est*[r].

10. *De curia quae ad decisionem litis indicta est. De victoria Baldewini regis ac perfidia Alexii.*

11. *Qualiter curia celebrata pater regalia remiserit filiusque in regnum sublimatus sit.*

12.[s] *Qualiter pater adhuc in Belgas*[t] *transiens a quibusdam receptus querelas fecerit et post pugnam commissam Leodii mortuus sit.*

13. *De obsidione Coloniae, restitutione episcoporum ac expeditione contra Ungaros.*

14. *De magna expeditione Italica, captione summi pontificis ac caede Romanorum.*

15. *De captione comitis Reginaldi*[u], *nuptiis imperatoris, scismate regni, anathemate contra imperatorem dato, de Burdino et terrae motu, egressione*[v] *Ungarorum ultioneque nostrorum.*

16. *De pace reformata sub Calixto*[w] *et victoria imperatoris de Vangionibus*[x], *de tributo indicto morteque imperatoris.*

17. *De imperio regis Lotharii rebellioneque ducum Friderici et Conradi*[y], *qualiter Conradus a Mediolanensibus*[z] *susceptus in regem sit unctus.*

18. *De scismate Romanae ecclesiae, qualiter Innocentius Gallias ingressus, conciliis cele-*

a) Leobaldi 2. b) Hiltprandus 4; Hiltibr. 5. c) ordinatus coronatur 4. d) Apuleam 5. e) *bis* 2. f) Baldwini 2. g) synado 5. h) Theutonicorum 5. i) *bis* 2; in̄ int̄ 5. k) *falso* II *inscribitur in* 2, *et sic deinceps sequentia capitula.* l) Gotfr. 4 *continue*; Godefr. 5 *const.* m) Pascali 4. n) cismatici 2. o) Sighardi 4. p) Regem 2; Regeni 4. q) caedę reus pulsus est 2. r) sit 5. s) *falso* X. *inscribitur in* 2. t) Pelgas 2. 4. u) Regenaldi 4. v) egressu 4. w) Kalixto 4. x) Wangionibus 4. 5. y) Cŏnradi 2; Chûnradi 4. z) Mediolanensibus 5.

bratis regem ad defensionem Romanae ecclesiae invitaverit. De expeditione eius in Italiam ac sublimatione imperatoria.

19. *Qualiter duo fratres in gratiam regis venerint. De duce Polanorum, rege Datiae et Ungarorum. De secunda expeditione imperatoris gestisque fortibus.*

20. *De fuga Rogerii*[a] *et substitutione Reinaldi. De lite Romani pontificis et imperatoris morteque Lotharii.*

21. *De claris viris qui illo tempore obierunt et plurimis malis quae diversis in regnis tunc pululaverunt*[b].

22. *De sublimatione Conradi*[c] *regis contradictioneque Saxonum*[d] *et Heinrici ducis. De fuga Rogerii, de morte Petri Leonis.*

23. *Qualiter Saxones in pacem vocati sunt*[e] *et Heinricus dux proscriptus et eiectus. De tyrannide Rogerii ducatuque Leopaldi synodoque Romae celebrata.*

24. *Excursus de fortuna regis Conradi. De rebellione Saxonum.*

25. *De pugna Welfonis*[f] *cum*[g] *duce et item illius cum rege, seditione Ratisponensium, expeditione ducis contra Welfonem morteque*[h] *ipsius.*

26. *De factione Boemorum expeditioneque regis*[i] *illo. De ducatu dato Heinrico fratri Leopaldi malisque plurimis ob hoc a Welfone et praedicto Heinrico provinciae Baioariae*[k] *irrogatis.*

27. *De expugnatione Tiburti*[l] *seditioneque Romani populi et instauratione senatorum ac morte*[m] *Innocentii papae. Item de victoria Veronensium. De Paduanis.*

28. *Quem finem Iohannes Constantinopolitanus*[n] *post expeditionem Syriae habuerit et qualiter vel qua re filius eius Manuel foedus cum rege nostro inierit.*

29. *De diversis bellis urbium Italiae variisque eventibus.*

30. *Qualiter Edissa capta sit, ecclesiae profanatae.*

31. *De persecutione Lucii papae legationeque ipsius ad regem, qualiter Romanus*[o] *populus senatoribus patricium adiecerint et ob hoc quidam ex eis ab Eugenio*[p] *Lucii successore anathematis gladio percussi sint.*

32. *De nuntio*[q] *Armeniorum causaque itineris ipsius ac miraculis quae in Romana curia viderit*[r].

33. *De episcopo Gabulensi*[s] *ac rumoribus quos de transmarinis regionibus retulit.*

34. *De pace Romani pontificis cum Romano populo et item perturbatione. De Boritio et variis per orbem commotionibus terminusque historiae.*

35. *Descriptio diversorum ordinum religiosorum terminusque libri septimi.*

36. *Catalogus regum et pontificum.*

CAPITULA LIBRI OCTAVI[t].

1. *De quadrifaria ecclesiae persecutione, ex qua tribu Antichristus nasciturus sit.*
2. *De discessione quae eius adventum praecedit.*
3. *De ipso eius adventu ac persecutione quae sub ipso fiet.*
4. *De vita et doctrina eius.*
5. *De Enoch et Helia.*
6. *De tempore tyrannidis eius.*
7.[u] *Quae percusso eo adventum Domini signa praecedant.*
8. *De exterminatione saeculi per ignem.*
9. *Qualiter intelligendum sit:* Coelum et terra transibunt.
10. *De bifaria resurrectione mortuorum.*
11. *Qualiter auctoritate et ratione probari possit resurrectio mortuorum.*
12. *Qua aetate, sexu vel forma resurgant mortui.*
13. *Utrum qui vivi reperiuntur*[v] *in illo statu obviam Christo rapiantur vel moriantur ut denuo resurgant.*
14. *De novissima tuba.*

a) Rugerii 2. 4. b) pullulaverunt 4; pupularunt 5. c) Chůnradi 4. d) Saxanorum 5. e) redierint 4. f) Guelfonis 2. 4. g) dum 5. h) mortemque 5. i) regis contra Boemos multaque controversia inter principes 4. k) Bavarię 2. 4. l) Tyburti 5. m) ac morte *desunt* 2. n) Constantinopolitanis 2. o) Romananus 2. p) fugenio 2; *ita et* 4 *prius habuerat, quod tamen secunda manus post correxit.* q) nuntiis 4. r) vidit 5. s) Galbulensi 4. t) *hae inscriptiones sequuntur in* 5 *prologum libri octavi.* u) VI *inscr.* 2, *et sic porro sequentia.* v) repper. 2. 4.

LIBER I.

1. Gestarum rerum ab Adam protoplasto usque ad tempus nostrum seriem executurus, primo ipsum quem habitat genus humanum orbem, sicut a maioribus accepimus[m], breviter distinguamus*. Tres mundi partes esse scriptores[n] asserunt, Asiam[o], Affricam, Europam. Oros. I, 2. Quarum primam duabus posterioribus magnitudine coaequant, quamvis quidam duas tantum partes constituerint, Asiam videlicet et Europam, ita ut Affricam propter sui parvitatem adiunxerint Europae. Qui enim[p] Affricam tertiam mundi partem dixerunt, non rationes dimensionum, sed refluxiones marium secuti sunt. Quarum provincias, situs, regiones qui velit cognoscere, legat Orosium[q].

2. Ad Orientem igitur, quantum ex scriptis Geneseos conici potest, in terra Eden creata paradisus[r] creditur. Ubi dum primus homo positus, verbo Dei factus inobediens, in hanc peregrinationem iusto Dei iuditio deiectus est, cepit maledictionis terram excolere primum in Asia. Generavit autem filios utriusque civitatis, de quibus agere proposuimus, primos

* *Post* distinguamus *addunt* 7 *et* 11 *(at non* 13, *qui in hoc loco cum reliquis codicibus convenit):* Totam mundi machinam, id est cęlum et terram et illa que hęc media ligant elementa, eo quod nichil extra, infra, supra citraque se habens suis tantum claudatur terminis, circumscriptam loco esse sed non locatam philosophi tradunt. Ipsum vero celum spericum corpus seu globosum ratione perpenderunt, terram proportionaliter ambiendo ac velut a centro ęqualiter distando tamquam punctum continens. At ipsius superioris mundi partes in quinque zonas diviserunt, ex quarum habitudine inferioris mundi portionem quinque plagarum inequalitatis naturam contraxisse voluerunt. Hinc fit, ut duę extremę perpetuo algore obrigescere, media nimio caloris fervore torrida ab eis dicatur, ac ob hoc tres iste omnis animę viventis extorres putentur. Unde est illud Virgilii: *Quinque tenent cęlum zonę quarum una perusta.* Restat ut due tantum que Georg. I,233. inter perustam et gelidas velud medię ex uno latere calore, ex alio algore habitudinaliter participant, temperatam quandam hinc inde trahant qualitatem ac exinde ab eis ad habitandum idoneę iudicentur. At de altera earum, quia antihecos nostros quidam manere somniant[s], curiose investigare supervacaneum est. Huius igitur nostrę habitabilis plagam, ut de superflua itidem antipodum nostrorum habitatione taceam, in tres partes scriptorum sollertia partitur, Asiam, Affricam, Europam, quarum primam duabus etc.

a) *in* 4 *ad c.* 14. *pertinent.* b) indicii 2. c) *cap.* 23. *in* 5. d) *hunc locum* 5 *ita exh.* si spiritaliter eterne. e) irrogentur 4; 5 *vero ita:* XXIII. si spiritaliter eterne pene irrogantur. f) XXIIII. 5. *et sic deinceps.* g) ignis ibi 5. h) post resurr. sancti 5. i) *bis* 2. k) remansit 5. l) *incipit c.* 34. *in* 5. m) accipimus 2. n) scr. esse 4. o) Asyam 4 *constanter.* p) *deest editt.* q) Orosyum 4. r) paradysus 4. s) *post correctum* sompniant.

cives: quorum prior invidia et bonis operibus alterius incitatus, fratrem interfecit, primus- Isid. que in hac valle lachrymarum civitatem construxit. Occiso Abel, alius Adae filius, Seth scilicet, nascitur, qui resurrectio interpretatur [a]: a quo postmodum populus Dei propagatur. Hier. Ab hoc sextus magnus civitatis Dei civis Enoch fuit, qui in tantum Deo placuit, ut ab ipso Ekkeh. translatus ad ultima aecclesiae tempora [b], in loco cunctis mortalibus incognito vivus reser- Hier. vetur. Hominum vero genus crescere cepit et multiplicari, donec filii Dei ad filias hominum accedentes generavere gigantes [c]. Quod quidam minus gnaviter [d] intelligentes [e] — presertim Ekkeh. cum pro filiis Dei alia translatio habeat angelos — malignos spiritus assumptis corporibus, quos incubos vocant, mulieribus mixtos putant. Alii filios Dei ex Seth, filias [f] hominum ex Cain natas [g] autumant, ac illos ex harum coniunctione, sicut de Salemone habes, ad oblivionem Dei provocatos, indeque iram eius in omnes pariter exarsisse affirmant. Et de his quidem qui ex Seth generati, usque ad septimam generationem iuste vixerunt, Iosephus I. 4. in primo Antiquitatum libro sic ait: *Disciplinam rerum celestium et ornatum earum primitus invenerunt. Et ne dilaberentur ab hominibus quae ab eis inventa fuerant, aut antequam venirent ad cognitionem deperirent, cum praedixisset Adam, exterminationem rerum omnium unam ignis virtute, alteram vero* [h] *aquarum* [i] *multitudine fore venturam, duas quidem columpnas facientes, aliam ex lateribus, aliam vero* [k] *ex lapidibus, ambabus quae invenerant conscripserunt, ut si constructa ex lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens praeberet hominibus scripta cognoscere, quae tamen lapidea hactenus permanet in Syria* [l]. *Et ista quidem* 7 *generationibus permanserunt.* De aliis vero sic: *Deinde animum iudicantes esse dominum, et ad virtutem semper respicientes, tempore procedente de paternis solempnitatibus ad mala pro-* ib. I, 5. *gressi sunt.* Et infra: *Nam mali angeli mulieribus coeuntes, iniuriosos filios genuerunt: qui omne bonum despicientes propter confidentiam fortitudinis* [m], *similia his, qui dicti sunt a Graecis* [n] *gigantes, perpetrasse traduntur.*

ibid. I, 5. 3. Itaque cum Deus crescente malicia, genus humanum [o] delere cogitasset, Noe vero [p] iusto viro, decimo [q] ab Adam, cum uxore ac filiis totidemque uxoribus eorum, quae [r] sunt octo animae, in arca [s] salvatis [t], ceteros aquis diluvii perdidit. Huius diluvii et arcae — quamvis quidam ex nostris ab Adam usque ad Ninum [u] tempora a scriptoribus gentium praeter- cf. Oros. I, 1. missa vel ignorata fuisse putent, ut item [v] Iosephus ait [w] — memoriam faciunt omnes, qui historias barbaricas conscripserunt: quorum unus Berosus taliter est effatus [x]: *Dicitur autem et navis eius, quae in Armeniam venit, circa montem Chordeium* [y], *adhuc aliqua pars esse, et quosdam bitumen* [z] *inde tollere, quo maxime homines ad expiationem utuntur.* Meminit autem et horum [*] Ieronimus Aegyptius, qui antiquitatem Fenicae [a] noscitur descripsisse [b]. Sed et Manasseas [c. 82] Damascenus in 86. Historiarum libro, ita de his dicit: *Est et super Miliadam* [d] *excelsus mons in Armenia, qui Paris appellatur, in quo multos confugientes sermo est diluvii tempore liberatos, et quendam simul in arca devectum* [e] *in montis Ocilae* [f. 83] *summitatem* [g], *lignorumque reliquias multo tempore conservatas esse.* Item de patribus, qui tam longo ante I, 8. diluvium vixerunt tempore, Iosephus in primo Antiquitatum libro [h] sic ait: *Nullus ad vitam modernam et annorum brevitatem, quibus nunc vivimus, vitam comparans antiquorum, putet falsa quae de illis sunt dicta. Illi namque* [i] *cum essent religiosi et ab ipso Deo facti, cum eis pabula* [k] *opportuniora ad maius tempus existerent praeparata, tantorum annorum circulis rite vivebant. Deinde propter virtutes et gloriosas utilitates, quas iugiter perscrutabantur, id est astrologiam* [l], *geometriam, Deus eis amplius spacium vivendi concessit, quae nec* [m] *ediscere potuissent, nisi* 600 *viverent annis; per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Testes autem mei*

a) s. q. r. i. n. *edd.* b) temp. eccl. 1. 4. c) gygantes 1. 4. 7, *ut semper.* d) graviter 3. 4. 5. e) intell. gnav. 1. f) filios *edd.* g) natos *edd.* h) *deest editt.* i) aquarum vi ac *editt.* k) *deest* 1. l) Sirida 2; Syrida 3. 7; Sirida *corr.* Syria, 4. m) et fortitudinem 2; fortitudinem 3. 4. n) a Graecis *desunt* 2. 3. 4. 7. o) hominum 1. 3. 4. 7. p) *deest editt.* q) decimo *supplet man. rec.* 2. r) qui 1. 3. s) archa 1. t) salvatae 1; salvato 2. 4; salvatos 3. 7. u) nini 1. 3; ninum *corr. man. rec.* nini 2. v) idem 4. w) memorans Iosephus ait 1. x) affatus 2. y) Chordicum 5 *et editt.* z) bytumen 4. *) a. horum et 3. 7. a) *ita codd.*, 7 *autem* Phenice; Phoeniciae *editt.* b) scripsisse 1. c) Manaseas *editt.* d) Myliadam 4; Miniadam *editt.* e) devectum in arca 4. f) Socilae 1; Socile 2. 3; Socilem 4. 7. g) sumitate 2. 7. h) *deest* 1. 3. i) enim *edd.* k) papula 7. l) et *add. edd.* m) nec ante *edd.*

82) Est Nicolaus Damascenus. Qui error non Ottonis, sed Rufini, cuius interpretationem Iosephi noster sicut omnes medii aevi scriptores secutus est, adeo currente medio aevo vigebat, ut Hugo a S. Victore in fine chronici Manaseam inter historicos recenseret.

83) Hic mons Ocila itidem ex mala Rufini interpretatione originem duxit. Conferas Iosephi lib. I. c. 4. ex quo haec omnia desumpta sunt: καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι.

sunt dicti[a] *omnes qui antiquitatem apud Graecos et barbaros conscribere maluerunt. Nam et Manethon*[b], *qui descriptionem fecit Aegyptiorum, et Berosus, qui defloravit Chaldaica, et Mochus et Estius, ad haec et Ieronymus Aegyptius, qui Fenicam disposuerunt*[c], *concordant cum meis dictis. Ysiodus quoque et Egatheus*[d] *et Ellanecus et Achlansis, et inter hos Efforus et Nikolaus in historiis suis memoriam faciunt antiquorum annis mille viventium.* Haec Iosephus. Quod autem superius dictum est, quosdam ex nostris a scriptoribus gentium tempora illa ignorata vel stilo suppressa putasse, sic intelligi potest, quod barbaros non dignati[e] fuerint inter scriptores computare, vel quod tunc primo scripta aliqua auctoritate digna arbitrarentur[f], cum per annorum digestionem in ordinem redacta fuerint. Fuerunt[g] autem ab Adam usque ad diluvium iuxta septuaginta interpretes[h] anni 2262, iuxta Ieronymum 1566[i], capita familiarum Hieron. decem, Adam, Seth, Enos[k], Cainan, Malalehel, Iareth[l], Enoch, Matusalam, Lamech, Noe.

4. Transacto diluvio, Noe cum vineam plantaret, vinum bibens inebriatur, et ex ebrie- Ios. I, 13. tate nudatus est[m]; quod unus filiorum videns, derisit, alter operuit. Fuerunt itaque[n] hi duo fratres primi post diluvium cives civitatum, de quibus agimus. Ab his et tertio, Sem scili- Hieronym. cet, Kam[o] et Iafeth, diffusis ubique filiis nepotibusque illorum, universum genus hominum propagatur. Unde Iosephus: *Galathae olim dicti sunt Gamaricae*[p], *quos Gomer instituit.* I, 11. *Magog Magogas qui et Scythae a se institutos*[q] *nominavit.* Medi a filio Iafeth[r] Madeo, Ionii Elladicique[s] a filio Iafeth Iano[t]. Thyras[u] Tyrenses, quibus Graeci Tracum[v] nomen commutaverunt[w]. Cethim autem Cethimam[x] insulam habuit, quae dicitur Cyprus, et ab ea omnes insulae et maritima loca Cethim[y] hebraice nuncupantur: unde et quaedam civitas Cypri Cythis a Graecis vocatur[z]. Omnibus vero erat lingua una et labium unum. Superbia igitur[*] instigante, turrim seu civitatem in campo Sennahar[a], auctore Nemroth[b], qui de stirpe Kam descenderat[c], quae coelos attingeret, cogitaverunt construere. Quod Moyses noster in Genesi hoc modo prosequitur: *Filii Kam, Chus et Chanan. Chus genuit Nemroth; ipse cepit* Gen. 10, 6. 10 *potens esse in terra, et erat robustus*[d] *venator coram Domino. Fuit*[e] *principium regni*[f] *eius Babylon et Arach et Archat et Chalanne*[g] *in terra Sennaar.* Sed Dominus inspector cordium iustusque[h] iudex, hanc in tenera mundi emergentem aetate contumatiam non ferens, animadvertere voluit, linguasque eorum confudit, propter quod et turris ab hac confusione Babel nomen[k] accepit. Hinc 72 linguae per totum orbem dispersae sunt. Haec est illa Ekkeh. Babylon, figurans eam, cuius sunt cives omnes, qui ordinationi Dei superbe resistere conantur, ac per hoc confusione digni ab aeterno iudice reputantur. Huius turris et confusionis, ut item in libro Antiquitatum ait Iosephus[l], meminit Sybilla[m], dicens: *Cum omnes homines* I, 9. *unius vocis existerent, quidam turrim excelsam aedificaverunt, tanquam ascensuri per eam in celum. Dii vero immittentes*[n] *ventos, everterunt turrim, et vocem propriam unicuique partiti sunt, et propterea vocari contigit*[o] *Babylon civitatem.* De campo vero Sennahar[p] in regione Babylonis meminit Estius, ita dicens: *Qui vero de sacerdotibus sunt erepti, Iovis sacra sumentes, in Sennahar Babylonis venerunt.* Fiunt autem secundum septuaginta a diluvio usque Ekkeh. ad Nemroth principatumque Heber, unde Hebraei, anni 531, secundum supputationem vero Ieronimi 100 et unus, quae talis est: Sem genuit Arfaxat biennio post diluvium, Arfaxat vero[q] 35. genuit Sale, Sale 30. genuit[r] Heber, Heber 34. genuit Phalech[s], cuius diebus per confusionem linguarum divisa est terra. Septuaginta inter Sale et Arfaxat medium Chainan[t] ponunt, eique 135[u] annos tribuunt. Praedictis etiam et post nominandis longe plures quam Ieronimus, antequam generarent, annos supputant. Quare et in annorum ratione discrepant. Quos Lucas euangelista in genealogia sua secutus: *Qui fuit*, inquit[v], *Sale, qui* Luc. 3, 36. *fuit Chainan*[w], *qui fuit Arfaxat.*

5. A confusione vero linguarum usque ad nativitatem Abrahae[x] iuxta priores fiunt 541, Ekkeh. iuxta supputationem vero posteriorum anni 141, quae talis est: Phalech 30. anno genuit Iordan. Reu, sub quo primum templa constructa hominesque pro diis adorati fuisse traduntur. Reu Isidor.

a) *deest* 3; mei dicti sunt *editt.* b) Manechon 13. c) composuerunt 4. d) sialtheus 1; ualtheus 2; fialtheus 3. 4; Elia.heus 5; Eialtheus 7. e) dedignati 1. f) arbitrentur 3. 4. g) *ita* 1; fiunt 2. 3. 4. h) *deest* 2. i) MDCLXVI 2. 4. 7. k) Enoch 2. l) Iaret 1. m) nudatur *editt.* n) *deest* 2. o) Kham 4. p) Gamarice 1. q) institutas 1 4. 5. 7. r) Iapheth 1; Iaphet 7. s) Elladicique 1. 4; elladiique 3. t) Medi - Iano *desunt* 5. u) Phyras 1. 2. 4. v) Traum 1. 2. 4. w) mutaverunt *editt.* x) Cethiniam 1. 4. y) Chetim 3. z) nominatur *editt.* *) vero 1. 2. a) Iennachar 3. 4; Sennaar 7. b) Nembroth 4. c) descendebat 1. 7. d) ropustus 1. e) fuit autem *editt.* f) *deest* 3. g) chalamie 3. h) iustus 3. k) nomen B. 1. l) ut it. Ios. in lib. ant. dicit 4. m) *ita* 1. 2. 4; Sibilla 5. n) emitt. 4. o) contig. vocari 4. p) Sennar 3. 4. 5; Sennaar 7. q) *deest* 2. 3. 4. r) *deest* 1. 4. s) Palech 1. t) Cainan 1. 4. u) CXXX 4. v) inquid 1. w) Caman 3; Caynan 4. x) abrahę 2. 4; habrahe 3.

32. genuit Saruch, Saruch[a] 30. genuit Nachor, Nachor 34. genuit Thare, sub quo regna Assiriorum et Sicyoniorum[b], Assiriis[c] Belo, Sicioniis Aegaleo[d] imperantibus, orta sunt. Ekkeh. Thare 70. anno genuit Abraham. Fiunt ergo iuxta alios 1072 anni a diluvio usque ad Abraham. August. de c. Dei 15, 2. Quos Augustinus, cum amplius quam mille annos a diluvio usque ad Ninum fuisse dicat, sequi videtur. Iuxta supputationem vero aliorum minus quam 300, in quibus annorum supputatio in duabus aetatibus[e] satis conturbatur. Haec omnia iuxta nostros. Porro annales gentium[f] ab imperio Nini[g] incipiunt. Quos sequentes simulque nostros cum illis auctores conferentes, humanae miseriae historiam a Nino incipiamus, quam per annos ab ipso usque ad Urbem conditam, ab Urbe vero condita usque ad Christum digestam, a Christo usque ad nos, Deo adiuvante, per annos item perducamus.

Ekkeh. 6. Igitur[h] anno post diluvium, secundum septuaginta 1032.[i] vel 3, Belo mortuo, qui per 75 annos regnum Assiriorum in pace tenuerat[k], Ninus filius eius primus, ut traditur[l], propagandae dominationis libidine genus hominum cruentare non metuens, bellorum inquietudinem orbi induxit, totumque pene Orientem imperio suo subegit: quod tanto liberius facere potuit, quod[m] homines adhuc rudes et agrestes, nec armis tutati, nec bellis exercitati, nec rerum bellicarum scientia praediti fuerant. Quippe qui nullis adhuc legibus aut disciplinis in unum coierant, et, ut ait Eusebius, ferino magis ac[n] beluino more oberrantes, non urbes ad societatem, non mores ad honestatem, non leges ad vitae iustitiam tenuere. Artium vero disciplinarumque apud eos et philosophiae ne[o] ipsum quidem nomen[p] habebatur. De invent. lib I, 2 sed agrestes et vagi per deserta, nullis sedibus, vagabantur. Sed ut Tullius in prologo Rhetoricae[q] primae: *Fuit quoddam tempus, cum magis homines passim bestiarum more*[r] *vagabantur et sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quicquam sed pleraque viribus corporis administrabant*[s]. *Nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur, nemo nuptias viderat legitimas, non certos quisquam aspexerat liberos*[t], *non ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque*[u] *inscitiam ceca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur perniciosissimis*[v] *satellitibus*[w]. Aug. de c. Dei 12, 2 Sic Tullius. Erat etiam[x] tunc regnum Sicioniorum[y] in Europa, quod quadragesimo quinto anno Beli ceperat, sed parvum: a quo doctissimus Marcus Varro scribens velut ab antiquo tempore Romanorum historiam ordiri cepit, eo quod ad Athenienses et inde ad Romanos ad Her. II, 25. traductum eorum quasi fons et origo extiterit. Unde est item illud Ciceronianum[z]: *Imperium Graeciae fuit penes Athenienses, Atheniensium*[*] *potiti sunt Sparciatae, Sparciatas superaverunt Thebani, Thebanos Macedones vicerunt, qui ad imperium Graeciae brevi tempore adiunxerunt Asiam bello subactam.* Sic ille. Ab his a Romanis imperium ereptum, nemo qui Ekkeh historias novit, ambigere[a] potest. Fuit etiam regnum Aegyptiorum, quod tunc cum aliis Asiae regnis Assyriis subiacebat. Totam enim Asiam, excepta India, quam post mortem eius Semiramis haud contenta terminis, quos a viro solo bellatore susceperat mulier, regno adiecit, Nino[b] subditam legimus. De his ergo, quae[c] regni eius tanquam appendices fuere[d], necesse dicere non est. Aedificavit vero[e] Ninus civitatem maximam, quam ex nomine suo Ninam[f] seu[g] Ninive[h] vocavit; quae adhuc in Mesopotamia[i] posita, mutato nomine lingua eorum Mussa[k. 84] vocatur. Quod Moyses noster in libro Geneseos latenter innuit. Cum enim, ut Gen 10, 11. supra posui, de Nemroth dixisset, quod principium regni eius fuerit Babilon in terra Sennahar, Ant. I 14 adiunxit: *De terra illa egressus est Assur, et aedificavit Ninive.* Sed et Iosephus: *Assur*, ait, *Ninum constituit civitatem*; quod tamen quidam ad Noe nepotem[l] Assur interpretantur[m]. Unde apparet Babylonem fuisse ante Ninum, Semiramidemque uxorem Nini instauratricem Ekkeh eius potius dicendam quam conditricem. Ninus Zoroastrem[n] magicae artis repertorem interfecit. De quo Aristotiles scribit[o], quod vicies centum versuum milia condiderit, cuius artem longe post Democritus[p] ampliavit.

a) Saruh 2. b) Sycion. 1. 2; Sicion. 4; Sycioniorum 5. 7. c) Asiriis 4. d) agyaleo 4. e) etatibus 4. 5. f) gentilium 1 *et edd.* g) Nyni 4. h) itaque *editt.* i) XXXII. 1. 4. 7. k) ten. in pace 4. l) ut tr. prim. 1. m) quo 1. 7. n) aut 1. 2. 4. o) nec 2. 4. p) nom. quid. 1. q) Rothoricae 1. r) cum in agris h. best. more passim *editt.* s) admistrabant 1. t) inspexerat filios 1. u) et *editt.* v) perniciosis 2. 3. 4. 7. w) satell. pern. 1. x) et 2. 3. 4. y) Sycion. 4. z) Cycerionianum 4. *) Athenienses 1. a) abnegare 1. b) Nyno 4 *constanter.* c) qui 1. 7. d) fuerunt 4. e) ergo *editt.* f) Niceam 1; Nitiam 3; Nynam 4. g) vel 4. h) Ninnive 3 *semper.* i) Messop. 2. k) *ita* 2. 2*. 4. 7. 11. 13; Niyssa *eadem manu corr.* 1 *vel* edyssa; *ceteri codd. et editt.* Niuissa. l) nepot. N. 1. m) hunc tamen quidam nep. N. interpr. 4. n) Zoroasten 4. o) scripsit 4. *editt.* p) Demetrius 4.

84) Hoc nomine Ottonem civitatem etiam nunc existentem *Mossul* in dextra Tigris ripa e regione veteris Ninivae sitam significare voluisse coniecit V. Cl. Massmann Ber. der Berl. Geogr. Ges.

7. Anno ab imperio Nini 42. vel 43., regnante apud Sicionios Europe rege secundo, in (Ekkeh.) Chaldaea natum esse asserunt Abram[a], qui multarum gentium futurus patriarcha a Domino vocatur, aucto nomine ab ipso dictus Abraham[b]; praecipiturque ei, ut non solum affectu sed[c] et loci mutatione cives Babyloniae fugiat, ac terram, quae huius de qua agimus civitatis typus esse dignoscitur[d], magnus eius civis futurus, introeat. Refert Philo[e], eum a Chaldaeis, eo quod ignem ritu ipsorum adorare nollet, in ignem[f] proiectum, sed mox ad invocationem Domini liberatum, iuxta illud: *Eduxit eum Dominus de Ur Chaldaeorum.* Ur enim lingua eorum ignis vocatur[g]. Sed et Iosephus: *Meminit*, inquit, *patris nostri Abraham Be-* (I, 15.) *rosus, non quidem nominans eum, sed ita dicens: „Post diluvium decima generatione apud Chaldeos fuit quidam vir iustus et magnus*[h], *in celestibus rebus expertus.*" Nicolaus[i] vero Damascenus in[k] quarto Historiarum sic ait: *Abraham is regnavit in Damasco, veniens advena cum exercitu de terra, quae super Babilonem dicitur Chaldeorum.* Porro Ninus cruentam victoriam (Oros. I, 4.) tanquam lupus saeviens inter oves inermes[l] exercens, quinquagesimo regni anno in oppugnatione urbis cuiusdam sagitta percussus interiit, in ipsoque[m] veridice impletum est: (Matth 26,52) *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.*

8. Occiso Nino, Semiramis uxor eius, mulier viro immanior, Orientis imperium rexit, (Ekkeh) Aethiopiamque[n] et Indiam ferro domitas subiecit. De cuius non solum crudelitate sed etiam execrabilis libidinis voluptate quia multi multa dixerunt, supersedemus. Haec post mortem mariti 42 annis regnavit, ac medio imperii sui tempore urbem potentissimam, nobilissimam opulentissimamque ac totius Orientis caput ex turre Babel cocto latere ac bitumine[o] instauravit Babyloniam. Tradunt Treverenses, quod privignum suum Trebetam[p] post mortem (Gest.Trev.2.) Nini regno expulerit. Qui classe facta, ex Asia in Europam profectus, id est per mare in Rhenum[q] ac inde per Mosellam, in valle pulcherrima Galliae consederit[r], ibique florentissimam opibusque confertissimam[s] ac totius tunc caput Galliae urbem fundaverit[r], quam Treverim ex nomine suo appellaverit. Quae quanta qualisque fuerit, ex ipsa ruina sui liquido probari poterit. Monstratur ibi palatium[t] miri[u] operis, quod ad instar Babylonici muri ex cocto latere factum, tantae adhuc firmitatis manet, ut non solum hostem non metuat[v], sed etiam nulla operum arte frangi queat. Porta quoque ibi ostenditur, quae ex incredibili lapidum magnitudine ferro iunctorum compacta, in superficie[w] sui corpora beati Symeonis ac venerabilis praesulis Popionis[x] in ecclesia ab eodem pontifice facta fovere cernitur. Extant etiam ibi antiquae[y] nobilitatis, ut ipsi aiunt, monimentorum[z] insignia, e quibus nostris ibi temporibus repertum et in lapide sculptum infra posuimus epitaphium[*]:

Nini Semiramis, quae tanto coniuge felix
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit a patrio[a] *privignum Trebeta regno,*
Insignem profugus nostram qui condidit urbem,
Treveris et caetera.

Semiramis[b] dum filium suum Ninum seu Niniam[c] de illicito ac incestuoso solicitare audet (Oros. I, 4.) concubitu[d], ab eo, ut traditur, interficitur, eique successit in regnum[e] filius.

9. Anno ab imperio Nini 113., annoveroaetatis suae 75., regnante apud Assirios Nino 4., (Hieronym) apud Sicionios[f] 5. Telexion[g], cum Sara uxore sua, Loth quoque consobrino de terra Chaldaeorum egressus Abraham, habitare coepit in terra Chanaan; Loth vero tanquam Hierusa- (Ios. I, 15.) lem civis[h] in Sodoma civitate peccatorum habitans, multis modis pro malis eorum operibus, tanquam granum inter paleas, tribulabatur. Volens ergo Dominus tam iustum a tempta- (Oros. I, 2.) tione eripere, quam fetida iniquorum scelera novo et exquisito ultionis genere[i] punire, igne ac sulphure quinque civitates, quod Graeci πεντάπολιν[k] vocant, delevit, iustumque ab angelo

a) abraham 2. b) aucto nomine ab ipso dictus Ab. 1. 3; aucto nom. ab ipso d. Habr. 2. 7. 13; aucto nomine abraham ab eo dictus 4. c) sed *secundis curis add.* 2. 4. d) noscitur 1. 4. e) Phylo 4. f) et in i. 1. 3. g) dicitur 1; interpretatur 4. h) m. et iust. 1. i) Nikolaus 4; Nycol. 7. k) *deest* 3. l) inhermes 2. 7. m) et in ipso 1. n) Aethiopiam 1; ethiopiamque 2. 7; ethyopiamque 4. 5. o) bytumine 4. p) Crebetam 1. q) Renum 1. 2. 4. 5. r) consedit . . . . fundavit *editt.* s) fertilissimam 2. t) palacium 1. 4. u) m. p. 5. v) timeat *edd.* w) superficię 2. 5. x) Popyonis 4. y) aliquae 1. z) ut ipsi — monimentorum *desunt* 1. *) epytaphium 4. a) e patrio 1. b) Semyramis 4. c) Nyniam 4. d) concupitu 1. e) Ninia *add.* 4. f) Sycionios 5. 7 *semper.* g) Thelxione *edd.* h) *ita* 5. 7. 8. 9. 13. 13* *et editt.; quorum loco haec exhibet* 1: Abraham cum Sara uxore, Loth vero tanquam Hierusalem civis; 2 *vero et* 6: cum sara uxore loth vero tanquam Hiersulam civis; 4 *denique:* Abraham intra chanaan cum sara uxore, loth vero tanquam ierusalem civis, *verbis* abr. int. chan. *superscriptis.* i) gen. ultion. 1. k) pentapolin 1. 5; pentapolim 2. 4. 7.

praemonitum misericorditer in montem educens, liberavit anno ab imperio Nini 140. Iam tunc inter tenera mundi rudimenta monstrabantur cives Babyloniae mundique amatores, inter quos nunc premitur ac conculcatur ecclesia, in extremo iudicis examine cum auctore suo igne puniendos aeterno, iustosque ab eis separatos in coelestis regni habitaculum assumendos fore.

Ios A I, 20 21. 10. Abraham vero gentium futurus patriarcha, primus circumcisionis signum et spem repromissionis accepit, generavitque duos filios, Ismahel[a] et Isaac: quorum unus secun- Galat 4, 23. dum carnem, alter per repromissionem, iuxta apostolum, est natus, imperante Assiriis Assirio[b] 5., apud Sicyonios adhuc manente Thelxione[c], qui propter laeta et mitia[d] regni sui Hieron. tempora mortuus a suis cultu Dei honorari cepit[e]. Fuerunt autem duo praefati fratres post datam circumcisionem utriusque civitatis, unde agere cepimus, primi cives, posteriorque a priore persecutionem[f] in typum futurorum passus est. Et nota, quod inter harum trium aetatum primordia ab uno patre editos hos cives invenies, ut per hoc una fide praeditos, uno fonte genitos, utrosque uno simul sinu populos longe retroactis seculis contentura fore Gen 25, 24. monstraretur[g] ecclesia. Genuit autem et Isaac[h] geminos ex uno, ut scriptura refert, concubitu, saepe dictarum cives civitatum, Esau et Iacob fratres. Hic est Iacob, qui Dominum facie ad faciem vidit, et vocatus[i] est Israel[k], a quo secundum carnem carnalis, secundum spiritum spiritualis propagatus est Israel. Hii sunt tres patriarchae saepe nominatae cives et principes civitatis, quorum et meriti et fidei praerogativa Dominus se appellari voluit Exod 3, 6. Deum[l], dicens: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob.*

Hieron. 11. Mortuus est ergo Abraham annorum 175, regnantibus apud Assirios Xerxe, qui et Baleus[m], apud Sicionios[n] Turicho seu Turimacho septimis regibus; octavis quoque Armamithre apud Assirios, apud Sicionios[n] Leucippo[o], apud Argivos, quorum cum Abrahae nepotibus ortum est regnum, Inacho primo regnantibus, ad Isaac[p] sicut et ad patrem suum facta repromissio est. Imperantibus autem Assiriis Belocho 9., Argivis Phoroneo[q] Inachi filio, apud Sicionios[n] adhuc permanente Leucippo[o], facta est eadem repromissio Iacob. Hisdem diebus sub Phoroneo[q] legibus et iudiciis informata primum fuisse Graecia[r] dicitur. Phegius[s] quoque frater eius mortuus, ab eis adoratus est ut deus. Io[t] etiam Inachi[u] filia, post Isis dicta et ab Aegyptiis pro dea maxima postmodum culta, hisdem fuisse invenitur temporibus. Haec, ut alii dicunt, ex Aethiopia orta, eiusdem gentis regina, iuste lateque impe- Augusti 18, 3 ravit, ac literas Aegyptias invenit, unde et cultum divinum ab eis meruit.

Oros I, 7 12. Circa idem tempus pervicax fuisse praelium inter Telscisces et Carathasos adversus Phoroneum[v] Argivorum regem et Pharphasios ancipiti gestum victoria fertur, tandemque a Phoroneo[w] victos ac profugos factos, in Rhodo[x] insula, quae Offusa[y] tunc dicebatur, quam omnes[z] humanae habitationis extorrem putabant, consedisse Telscisces. Ex hinc eadem insula, in qua Colosus civitas posita est, satis opportuna carinis, inhabitari coepit.

Aug. de c. Dei 18, 8. 13. Anno[*] ab imperio Nini 260. sevum in Achaia Ogygii Eleusinae[a] conditoris ac regis[b] diluvium fuit temporibus, quod et ab[c] ipsius nomine Ogygii[d] diluvium est appellatum. Minerva tunc ad lacum Tritonis in virginali aetate apparuisse dicitur, unde Tritonia vocatur. Regnantibus Assiriorum 10. rege Baleo, Sicioniorum[e] 9. Mesapo, Argivorum 3. Api, mortuus est Isaac[f] 180 annorum, Iacob et Esau 120 annos habentibus.

Hieronym 14. Anno ab imperio Nini 212. regnantibus, quos iam[g] nominavi, Baleo, Api, sub Oros I, 8. Aegyptiorumque[h] rege Diopolita[i], cui nomen Amasis[k] erat, fuisse in Aegypto maximam primo ubertatem, post intolerabilem famem, cui Ioseph unus de 12 Iacob filiis, a fratribus venditus, sed ex Dei dispensatione toti Aegypto praepositus, divina provisione subvenerit. Iustin 36, 2. Pompeius quoque ac Iustinus[l] eius breviator sic refert: *Minimus aetate inter fratres Ioseph fuit, cuius excellens ingenium fratres veriti, interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt.*

a) Ysmahel 4. b) Nino 1; assiario 2, *cui verbo superscriptum* vel assirio, *unde hausisse videtur* 4, *qui hunc locum ita exhibet:* imperante Assiriis vel Assario *quae in* 5 *ita leguntur:* imp. assiriis assirio vero vel ario; *in* 7 *autem similiter* assyario *superscriptum est.* c) Telexyon 1. 5. 7; Telechion 2; Telechyon 4. d) *loco* et mitia 1 *habet* initia. e) honoratur *editt.* f) persecutione 1. 2. 4. g) monstretur *editt.* h) Ysaac 5. 7. i) videns vocatus est 2. 4. k) Israhel 5. l) Deum voluit 1. 4; Deum *deest* 2. m) Paleos 1; Baleos 2. 4. 5. 7. n) Sicinios 1. 4. o) Leucyppo 4. p) Ysaac 1. 4. q) foreneo 1. 2. 7; foroneo 4. r) Graecia fuisse 1. 2. s) Pheius 4. t) Idea 1; Iô 2. u) Inachy 2. v) foroneum 1; Phoroneum 2. 4. 7. w) Phoroneo 1. 2; For. 4. x) Rhodos 1. 2; Rodos 4. y) Ophiusa *edd.* z) omnia 1; omnis 2. 4. *) *lit.* A *excidit in* 2. a) Ogii Eleusionae 1; Ogii Eleusione 2; Oggii Eleusione 4; Ogii eleusine 5. 7. b) Thebanorum *addit* 4 *man. coaeva.* c) *loco* et ab 1 ad. d) Oggii 1. 2. 4. 7. e) Sicioniorum 1. f) Ysaac 1. 2. 4. g) nunc 4. h) Aegyptiorum *editt.* i) Dypolita 1; Diop. 2; Dyopolita 4. 5. 7. k) Amases 2. 4. l) P. ac I. quoque 1.

A quibus deportatus in Aegyptum, cum magicas ibi artes sollerti ingenio percepisset, in brevi ipsi regi percarus fuit. Namque[a] *et prodigiorum sagacissimus erat, et somniorum primus intelligentiam condidit, nichilque divini iuris humanique ei incognitum videbatur, adeo ut etiam agrorum sterilitatem futuram ante multos annos prospiciens fruges congregasset; tantaque eius experimenta fuerunt, ut non ab homine, sed a Deo responsa viderentur.* Sic Iustinus. Qualiter vero populus Dei in Aegyptum descenderit ibique peregrinatus fuerit, Moyses noster, quem et ipsi scientem sapientemque, ut postea monstrabitur[b], testantur, scriptum reliquit[c].

15. Ea tempestate magnum idolum Aegyptiorum[d] Serapis, quod christianis tempo- Aug. 18, 5. ribus sub Theodosio imperatore ecclesiastica destructum narrat historia, Argivorum regi[e] Api illo[f] navibus transvecto ac ibidem mortuo ab Aegyptiis est factum. Cur autem post mortem eius non Apis sed Serapis[g] dictum sit, Varro huiusmodi causam reddit, quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes sarcofagum vocant, soros dicitur graece, et ibi venerari eum coeperunt sepultum, priusquam templum eius[h] esset constructum, velut soros et Apis, Sorapis primo, deinde una littera, ut fieri assolet, commutata, Serapis dictum[i] est. Ferunt tamen quidam, Ioseph nostro, eo quod Aegyptios a fame liberaverit, hoc factum fuisse simulachrum.

16. Mortuo Api, filius eius Argus, ex quo Argivi[k] appellati sunt, patri successit in ib. 6. regnum. Huius diebus regnante apud Sicionios[l] Erato, apud Assirios manente adhuc Baleo, mortuus est Iacob annorum 147. Tunc etiam delatis aliunde seminibus, primo coepit habere segetes Graecia. Et nota, quod Graecia, quae caeteras praecellit gentes[m] sapientia, aliunde segetes in se[n], et a se, ut ex priori patet historia, accepit leges. Prius informatur iudiciis et legibus, quam redundet panibus. Imperante Assiriis 12. Aminto, Sicioniis 11. Clemineo, ib 7 apud Argivos manente adhuc Argo, Ioseph 110 annos habens, in Aegypto moritur. Post cuius mortem populus Dei in Aegypto coepit crescere ac multiplicari, mortuisque eis qui noverant Ioseph, ab Aegyptiis graviter affligi. Itaque Moyses eiusdem populi futurus liberator, natus est, regnante apud Assirios 14. Sapro[o], apud Sicyonios Ortopoli. Hisdem temporibus Prometheum, qui ob nimiam sapientiam de luto homines fecisse fingitur, Athlantem et[p] fratrem eius, qui ob scientiam astronomiae coelum portare dicitur, fuisse ferunt. Huius Athlantis ex Maia filia nepos Mercurius, qui et Hermes Aegyptius seu Trismegistus[q], magnus philosophus fuit, qui mirae profunditatis philosophicos[r] libros edidit[s].

17. Anno ab imperio Nini 490, regnante apud Athenas a Cecrope 30.[t] Amphitrione[u], Hieronym vel iuxta alios sub ipso Cecrope, memorabile illud sub Deucalione diluvium fuit. Qui idcirco, quod venientes ad se circa montem Parnasum[v] ratibus eductos fovit et aluit, genus hominum reparasse in fabulis legitur. Ea quoque tempestate diris morbis pestilentiaque mortifera aestuasse Plato refert Aethiopiam[w]. Hisdem diebus gentem simplicem ac[x] nulli Oros 1, 9. unquam obnoxiam suisque terminis contentam Liber pater sanguine madefecit, libidinibus polluit Indiam. Sed quia Athenarum fecimus mentionem, qualiter et a quo condita, vel cur hoc nomen sortita fuerit, dicamus. Cum ergo a Cecrope conderetur vel instauraretur, apparuisse ibi uno loco olivae arborem, alio erupisse aquam, Varro refert. Motus his rex[y] prodigiis, ad Delficum Apollinem sciscitandi gratia cum misisset, ille respondisse dicitur: olivam Minervam, aquam Neptunum significare, in potestateque civium esse, ex cuius potissimum nomine civitatem vellent vocare. Rex convocatis utriusque sexus populis, statutisque ex una parte maribus, ex alia foeminis, cum una persona masculos excederent Aug. 18, 9. foeminae, Minervae dicandam hoc omine[z] civitatem iudicaverunt. Ita civitas vocata est[*] foeminino genere pluraliter Athenae, quod singulari numero Minervam in Graeco sonat. Ob ea, dum exaestuanti mari non multo post ipsorum terrae vastarentur, Neptuno quasi deo maris hoc asscribentes, per hoc, ne ulterius suffragia mulierum quaererent, eum placare statuerunt. Sicque nobilissima illa liberalium artium philosophorumque[a] maximorum nutrix futura in prima conditione sui ludificatione daemonum inchoatur.

a) Nam 1. b) monstrabimus 2. 4. 5. 7. c) reliquid 1. d) ydolum A. magnum 1; magnum ydolum Eg. 4; ydolum m. egypt. 5. 7. e) rege tercio *superscr.* 4. f) illò 2. 7. g) Sirapis 1; Syrapis 2. 4. h) eius templum 1. i) dictûs 1. 7. k) Argvii 4. l) Sycionios 2. 4. 7. m) gentes pr. 1. n) et in se 1. o) Saphro 1. 4. 5. 7; Saphyro 2. p) Atl. etiam *editt.* q) Trimegistus 2. 4. 7. r) phyl. 7. s) *addit 4 in margine inferiore:* tunc apollo delphicus surrexit. t) IIIº 2. 4. u) Amphithon 1; Amphiton 2; Amphytion 4; Amphytrion 5; Amphitrion 7 v) Parnasium 2; Pamasum *editt.* w) Ethiopiam 2. 4. x) *deest* 4. y) rex bis 1. z) nomine *editiones; ita et man. rec. corr. in* 7. *) voc. est civitas 1; vocata civ. est 2. 5. a) philosophorum 1.

Aug. 18, 11. 18. Anno ab imperio Nini 495, regnantibus apud Assirios Ascalthide[a], apud Sicyonios Maratho, apud[b] Argivos Triopha, Moyses vir Dei, decem antea plagis percussa Aegypto[c], Oros. I, 10. de servitute eius liberatum eduxit Israel, quod Iustinus seu Pompeius atque Cornelius Iustin. 36, 2. uterque sed vario modo testantur[d]. Ait ergo Pompeius sive Iustinus ita: *Filius Ioseph Moyses fuit, quem praeter scientiae paternae hereditatem etiam*[e] *formae pulchritudo*[f] *commendabat. Sed Aegyptii cum scabiem atque vitiliginem paterentur, responso moniti, eum cum aegris, ne pestis ad plures serperet, terminis Aegypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Aegyptiorum furto abstulit; quae armis repetentes Aegyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt.* At vero Cornelius de eadem[g] re sic ait: *Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe, quae corpora foedaret, regem Bochorim, adito Hammonis*[h] *oraculo remedium petentem, purgare regnum, et id genus hominum ut invisum diis alias*[i] *in terras avehere iussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, caeteris per lachrimas torpentibus Moysen unum exulum monuisse, ne quam deorum hominumque opem expectarent*[k], *sed sibimet duci coelesti crederent, primo cuius auxilio praesentes miserias propulissent.* Itaque ambo isti quamvis ab eo multa strennue acta maliciose celaverint, magno tamen illi duci Moysi nostro testimonium praebuere inviti. Haec idcirco de historiis gentium ponere volui[l], ut ostenderem, cives Babyloniae ad dampnationis suae cumulum veritatis assertores scisse quidem, sed erroris mendacia[m] non deseruisse. Eo tempore sole per devia oberrante fervor intolerabilis terras exussit. Unde ridiculosam Phethontis fabulam vario errore delusa gentilitas texuit[n].

Oros. I, 11. 19. Anno ab imperio Nini 535. quinquaginta parricidia inter Aegisti[o] Danaique fratrum liberos vna nocte commissa feruntur. Danaus autem tanti sceleris auctor, ad Argos cedens, et a Stenelao[p] rege ipsorum humane susceptus, postmodum eum infideliter regno expulit, et ipse pro eo regnavit. A quo Danaum genus tractum puto, ab eoque perfidiae scelus ad Aen. II, 65. illos derivatum esse. Unde et illud Virgilianum:

Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
Disce omnes.

Aen. II, 49. Et rursum: *Timeo Danaos, et dona ferentes.* Hisdem diebus Perseus a Graecia in Asiam navibus transvectus, barbaras gentes domuit[q], easque de[r] nomine suo Persas vocavit. Pudet hic inextricabiles[s] flagitiorum recessus pandere. Tunc enim[t] Busyris[u] hospites suos Oros. I, 12. diis suis immolantis viguit immanitas. Prognes et Philomelae[v] parricidium appositumque[w] marito ab uxore filium quis non gemens audire poterit? Omitto Tantali Pelopisque facta turpissima, Ganymedemque Trois[x] regis filium a Tantalo Frigiorum rege flagitiotissime sub nomine dei sui Iovis raptum, maximumque bellum inde excitatum. Quid de flagitiis Liminadum[y], de Edippo interfectore patris, matris marito, filiorum fratre, vitrico suo[z], de Medeae quoque veneficiis ac crudeli amore dixerimus? Nonne tanta tamque inaudita huius temporis scelera fuere, ut etiam astra fugisse ab ipsis civibus mundi dicantur? Quid igitur[*] hic aliud, quam fugiendum esse de medio Babylonis eiusque sceleratissimorum civium consortio, atque ad cives nostros transeundum asseruerim?[a]

August. d. c. Dei I, 11. 20. Moyses ex Aegypto[b] populo Dei educto, legem in monte Syna dedit, per quadragintaque[c] annos rector eorum in deserto existens, annorum 120 moritur, Iesuque[d] filio Nave ducatum populi reliquit[e]. Hic primus officio nomineque[f] formam gerens[g] salvatoris, in terram promissionis, quae huius, unde agimus, typus civitatis est, populum Dei inducere meruit. Non fortuitis casibus, sed Dei providentiae, dividentis inter lucem et tenebras, ascribendum[h] reor, quod circa tempus egressionis filiorum Israel ex Aegypto, vel iuxta alios mansionis in terra promissionis, novis et inauditis, ut modo retulimus, mundus inferbuit sceleribus. Ut enim rege coeli Christo nato rex terrae turbatus legitur Herodes sic non immerito Domino in Aegyptum descendente populumque suum inde

a) Aschaltide 4. b) aput 1. c) plag. percussa antea egypto 4. d) utique sed vario testantur modo 1; uterque sed vario testantur modo 2. 5. 7; vario sic uterque testantur modo 4. e) et 1. f) pulcritudo 1. 4. 7. g) At vero de eadem re Cornelius 4. h) Hamonis 2. 5. i) aliis 4. k) exp. op. *editt.* l) p. v. g. *editt.* m) nundatia 1. n) *ita* 5. 7. 8 *et editt.*; ridiculosa phaetontis fabula — — extitit 1; Non ridiculosam Phetontis fabulam — — extitit 2; Unde ridiculosam phetontis fabulam — — extitit 4. 6. o) Aegypti *editt.* p) Tenelao 1. 4; Tenea 2. 7. q) edomuit 4. r) *deest* 4. s) execrabiles *editt.* t) temporis *addit* 4. u) Burisidis 1. 2. 7; Busirydis 4. v) Pregnae et Philomeae 1; Progne et Philomee 2; Pragnę et Phylomeae 4 *superscr. man. coaeva* therei; Progne et Philomene 7. w) appositum 4. x) Ganimedemque Troi 1. 7; Ganimidemque Troi 2; Troy 4. y) Lemniadum *editt.* z) sui 2. 4. *) *deest* 1. a) asseruerimus 1. b) Egipto 7 *saepius.* c) XL 1. 2. 4. d) Iesu 1. e) reliquid populi 1; relinquit 4. f) et nomine 4. g) nomine gerens formam 1. h) asscrib. 1. 2. 7.

educente, diabolus turbatus ad ausus nefarios factaque sceleratissima permissam sibi civitatem incitavit. Unde et adhuc Domino de Aegypto mundi huius servos suos ad regnum suum vocante, mundum frequenter concuti ac turbari videmus. Eadem ratio est, si circa introitum populi Dei in[a] terram promissionis et eiectionem gentium ibi morantium talia fuere.

21. Anno ab imperio Nini 640.[b] fuisse bellum immane inter Cretenses et Athenienses Oros. I, 13. victoriamque magis Cretensibus cessisse ferunt, victosque ex Atheniensibus Minotauro, aut fero homini, aut humanae bestiae, expositos. Quam historiam non solum ex hoc bello sed etiam ex artificiosis factis Daedali in fabulis notissimam a puerisque in scolis tritam[c] prosequi non oportet. Ea tempestate Laphitae cum Thessalis decertantes Thessalosque discurrere in equis a longe videntes, equis mixtos putabant, et ex hinc Centaurorum fabula traducta est.

22. Anno ab imperio Nini 820.[d] Vesores rex Aegypti Scythis[e] bellum indixit. Cui Oros. I, 14. Scythae ridiculose responderunt, frustra ditissimum regem contra pauperes bellum sumpsisse. Adiciunt etiam, se non oportere ad ipsos venire, cum ei ultro occurrere parati sint. Dicta factis secuntur. Pugna conserta est, fugienteque[f] Vesore, ac destituto exercitu, praeda magna capta: Scythae[g] Aegyptum quoque populati essent, si Nili[h] paludibus coerciti non fuissent[i]. Inde revertentes Asiam pervagantur, eamque pene totam[k] vectigalem fecerunt. Itaque dum per 15 annos ibi morantur[l], mulieribus denunciantibus, prolem se a finitimis, ni[m] redeant, recepturas, reverti coguntur.

23. Medio tempore duo regii iuvenes Plinius et Scolopetius[n] Scythia pulsi, cum ingenti Oros. I, 15. multitudine in Ponti et Cappadociae[o] oris iuxta Thermodontem amnem consedere. Ubi dum vicina quaeque popularentur, insidiis finitimorum trucidantur. Horum uxores exilio simul ac viduitate permotae foemineaeque fragilitatis oblitae, maribus qui superfuerant occisis, arma sumpsere, petitisque a vicinis conubiis, masculos necabant, foeminas servabant[p]. Ex his Amazonum genus traductum est. Quae in tantum, mirabile dictu[q], invaluere mulieres, ut pene toti Asiae ac Europae imperarent. Hae dicuntur illo tempore[r] Ephesum[s] condidisse, ac Dianae[t] tanquam deae belli templum multis dehinc seculis famosum fabricasse. Porro ex eo quod dexteras[u], ne ictum[v] sagittarum impedirent, adurebant mamillas, Amazones quasi sine mamillis sunt dictae.

24. Mortuus est autem[w] Iesus in terra promissionis, regnantibus apud Assirios 18. Aug. 18, 11. Amintha, apud Athenienses 4. Erichtonio[x], apud Sicionios 16. Corace, apud Argivos 10. Danao. Ex hinc coeperunt esse iudices in populo Dei usque ad Saulem, quorum primo iudicante Hieronym. Othoniel, Cathmus[y] Graecas litteras invenit. Per idem tempus fuere theologi, qui de diis Aug. 18, 14. falsis canerent, Orpheus, Musaeus[y'], Linus[z]. Regnum etiam finitum est Argivorum et translatum est ad Micenas, unde fuit Agamemnon[*]. Exortum quoque est in Italia regnum ib. 18, 15. Laurentum, ubi pater Fauni, Picus[a] Saturni filius, qui et Sterces, eo quod primus stercore agros foecundari fecit[b], dicebatur, post patrem[c] regnavit. Delbora[d] foemina prudente ac prophetissa iudicante Israel, Assyriis vero imperante 24. Lamphere, Apollo[e] citharam[f] condidit artemque medicinae invenit. Non multo post iudicante Iair Israel[g], Carmentis nympha[h] litteras Latinas reperit[i].

25. Anno ab imperio Nini 870. raptam fuisse Helenam, coniurationemque factam Oros. I, 17. adversus Troiam ferunt[k]. Hinc decennalis obsidio famosumque sequitur Troiae excidium. Quod qui scire desiderat, legat Homerum eiusque imitatorem Pindarum seu Virgilium[l]. Hinc Romanorum gentem duxisse originem ab Aenea profugo[m] et, ut ipse adulatur, viro forti, ut vero ab aliis traditur[n], patriae proditore ac necromantico[o], utpote qui etiam uxorem suam diis suis immolaverit, scribit Virgilius. Ferunt etiam Francorum gentem ab eis traxisse principium. Dum enim Troianorum principes incertis vagabantur sedibus, plurimi Cf. Ekkeh.

a) *deest* 4. b) et ante urbem conditam DLI *superscr.* 4 *man. coaeva.* c) pueris tritam in scolis 1. d) et ante urbem conditam CCCCLXXX *addit eadem manus coaeva* 4. e) Scithis 1. 2. 7. f) fugiente 2. g) Scythie 7. h) Nyli 4. i) essent 1. k) totam pene 1. l) morarentur *editt.* m) *corr.* nisi 4. n) Scolopecius 1. 5. 7; Scolepecius 2. 4. o) Capadociae 1. 2. p) reservabant 1. 7. q) dictu mir. 1. r) in illo tempore 2 4; illo in t. . s) effesum 1; ephesum 2. 5; efesum 4. t) Dyanae 4. u) dextras 7. v) ictu 1. w) *deest* 1. 4. x) Ericthonio 1; Erichtonio 2. 4. 7. y) cathmus 7. y') museus 2. 4. z) Lynus 4. *) Agamennon 1. 2. a) Pycus 4. b) fecit fecundari 4. c) post mortem 1. 2. 7; post mortem patris 4. d) Debora 1. 2. 7; Delbora 4. e) Apoollo 1. f) cytharam 1. 2. 4. g) in Israel *editt.* h) nimpha 1. 2; quae et nicostrata *superscr. in* 4. i) invenit 1. 4. k) fertur 1. l) *ita omnes codd.*; eiusque im. Verg. *editt.* m) hinc romanorum duxisse gentem ab Enea profugo originem 4. n) traditur ab aliis 2. 4. o) necrom. 2; nyciom. 4; nicrom. 7.

eorum in Scythia[a] consederunt[b], regemque sibi creaverunt; ac primo dicti Sicambri[c], postmodum elapso tempore sub Valentiniano imperatore, cum ipsi proposito sibi libertatis praemio vicinas imperio gentes subiecissent, a praefato principe Attica lingua Franci sunt vocati a feritate, vel Franci a nobilitate. Lingua enim eorum Franco nobilis dicitur. Tradunt tamen quidam, a quodam Francone Troianorum principe, qui iuxta Rhenum consedit, Francos esse appellatos, monstrantque in argumentum urbem adhuc, quam ipsum construxisse patrioque nomine Troiam fluviumque eius[d] Xantum vocasse asserunt[e], quae postmodum a Sarracenis destructa ac rursum a christianis reaedificata Xantis usque hodie vocatur. Quomodo vero in Gallias, quas modo inhabitant, venerint, suo loco ac tempore, Deo adiuvante, dicemus. Haec de origine gentis Francorum dicta hunc teneant locum. Diffusis Aeneid. I, 242 sqq. longe lateque per orbem Troianis, Antenor quoque[f] fundator extitit Patavii[g]. Unde Virgilius:

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illiricos[h] penetrare sinus, atque ultima[i] tutus
Regna Liburnorum et fontem superare Timavi[k].

Aen. I, 247. Et infra:

Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit.

Phars. I, 431. Et Lucanus: *Patavique truces.* Quarum[l] quidam Galliae urbem Pictavim, nonnulli Baioariae[m] Pataviam, alii vero Venetiae Paduam, quae et Patavium[n], putant, quod et verisimilius est et sensui Virgilii accommodatius[o]. Factum est autem hoc celeberrimum excidium, cum iam regnum Laurentum cessisset ad Latium, regnaretque filius Fauni Latinus, August. 18, 16. 19. iudicante Hebraeos Iabdon[p] vel iuxta alios viro fortissimo Samson, quem etiam ob incredibilem fortitudinem Herculem putabant, utrum autem ipsum vere putaverint Herculem, dicere non est meum. Fuisse autem contemporaneos, ex hoc quod circa subversionem Troiae extiterunt, innuitur. Haec Romani regni principia aureis seculis, id est sine luxu inerti[q] bellorumque turbulentia sub Saturno inchoata, Laurenti fuere. Verum ab hinc ferrea successit aetas.

26. Aeneas enim in Italiam navibus ex Frygia[r] transvectus, Latini regis filiam accepit, gravique inter ipsum et Turnum ob hoc bellorum orto discrimine, humano cruore aurea secula in ferrum commutari docuit[s]. Quod Virgilius, utrum veraciter vel adulationis fuco fallaciter, pulcherrimo versuum ordine prosequitur. Haec de Troianorum profugis dicta sufficiant. Victores vero eius tanta secuntur discrimina, ut non inmerito, qui in tam[t] miserrimo fortunae rotatu, noxio magis succubuerint fato, dubitetur. Ut enim de his qui in con- Dares Phr. gressu diutino occubuerant, quos tamen Dares Frygius[u] ex Argivis 883[v] milia, ex Troianis 666 milia fuisse memorat, taceamus, quanta fuere Ulixis[w] pericula, longorum circuituum taedia? Unde est illud poetae:

Hor. A. P. 141.
Dic mihi Musa virum, captae post tempora Troiae
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Totum quippe pene orbem non tam peragrando quam oberrando pertransiens, universis Cic. de Off. I, 31. terrae marisque miseriis participavit. Unde idem[x] praecipuus orator in libro de Officiis: *Quam multa passus est Ulixes in illo errore diuturno, cum et mulieribus, si[y] Cyrce et Calipso mulieres sunt[z], inserviret, et in omni sermone omnibus se affabilem esse vellet, domi vero etiam[*] contumelias servorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, perveniret. Aiax[a], quo animo traditur, miles appetere mortem, quam ille perpeti maluisset[b].* Hic in Hispania Ulixibonam[c], quae a nostris nuper Sarracenis ablata est, et in Gallia Troiam, de qua supra mentio facta est, primus condidisse dicitur. Quare et hoc quod de Francone traditur, fictitium videtur. De fabulosis autem et pene fidem excedentibus aerumnis[d] eorum quid dicam? Denique non solum fabulae concrepant, verum etiam plenae sunt August. 18, 16 sq. historiae, socios Diomedis[e] in aves mutatos, quae ipso[f] in deum translato, circa templum eius in insula Diomedia[g], haud procul a monte Gargano situm volitent aquasque ministrent. Quod iuxta Augustinum in tantum Varro probare videtur, ut easdem aves referat

a) Schytia 2; Schitia 7. b) cons. in Scithia 1. c) Sycambri 4. d) eius *deest* 1. 5. e) ferunt 4. f) qui 2. 4. g) patavi 2. 4. 5. h) Ylliricos 4; Miricos 5. i) intima *editt.* k) Tymavi 4. l) Quorum 2. m) Bawariae 1; Bauvarię 7. n) patauum 2. 4. o) accomodamus 1. p) Labdon 2. q) inherti 2. r) ex Frigia navibus 4. s) ceperunt 4, *supersc.* vel docuit. t) tamen in 1. u) Frigius 1. v) *ita* 5; DCCCLXXIII 1; DCCCCLXXXIII 2. w) Ulyxis 4. x) item 7. y) sy 2. 4. z) appellandae sunt *editt.* *) *loco* domi vero etiam 1 *et* 5 quidem et; 2. 4. quod et; quod etiam 7. a) Ayax 4; At Aiax *editt.* b) *ita* 1. 2. 4. 5, *qui tamen legit* illa; *editt. hunc locum exhibent:* At Aiax — maluisset. c) Ulyxibonam 4. d) erumpnis 2. 4. 5. e) Dyomedis *et* Dyomedia 4. f) ipse 1. 2. 4.

ex Graecia venientes, tanquam cives cognoscere[a], alienos[b] diris morsibus[c] a se repellere. Quod ut probabilius idem Varro faciat, de famosissima Circe[d], quae socios Ulixis mutavit Aug. 18, 17. in bestias, et de Archadibus, qui transnatando stagnum in lupos convertebantur, qui si humana non vescerentur carne, quod post octo annos transmisso amne, rursum reverterentur ad humanam formam, commemorat. Exprimit etiam ex nomine quendam Demenutum[e] de sacrificio Archadum gustasse, et in lupum mutatum decimo tandem anno in propriam figuram reversum fuisse. Unde et dicit deum eorum Licaeum[f] dictum, Graeci enim lupum licum[g] dicunt: Romanorum quoque lupercos ab eis originem[h] duxisse narrat. Quae omnia utrum deorum suorum amore fingant, an ita ludificatione daemonum ac ib. 18, 18. quibusdam abditis naturae[i] seminibus fieri possint, dicere non est praesentis operis. Augustinus tamen suis temporibus[k] Praestantium quendam nomine de patre suo retulisse dicit, quod venenum in caseo sumpserit, unde in lecto quasi dormiens multis diebus iacuerit, evigilans autem caballum se factum ac annonam se portasse retulerit. Narrat etiam idem pater[l], cum in Italia esset, se de quibusdam mulieribus audisse, quae in caseo dare solerent viatoribus diabolica machinamenta, unde in iumenta verti viderentur: qui dum peractis temporibus[m] ad se redirent, mentem se rationabilem habuisse testarentur. De Machario quoque heremita scriptum invenis[n], quod puella ad eum, quam amici in equam a maleficis mutatam dixerunt, ducta fuit[o]: quam ille intuens, puellam dixit se videre, non equam. Itaque amicis visa fuit equa, sed homini Dei puella apparuit. Unde ad Deum fusis precibus, tam puellam quam amicos eius a praestigiis daemonum liberavit. Ex his ergo ac similibus apparet, daemones quidem hominum naturam mutare non posse, sed occupatis illis corporis partibus, per quas ratio operari solet, mentem hominis obfuscare, cernentiumque oculos, ut haec[p] putent, occultis[q] machinamentis ac abditis naturae seminibus fascinare. Unde ad Galathas Paulus[r] dicit[s]: *O insensati Galatae, quis vos fasci-* Galat. 3, 1. *navit?* Daemones quippe multa tam ex subtilitate naturae, quam ex antiquitate temporis et experientia rerum permissu Dei scire ac posse, unde non solum mundi cives decipiant[t], sed et civibus Christi, si ab ipso non prohiberentur, noceant. Ex hoc liquido probari potest, quod Balaam, qui utique gentilis et ariolus fuit, tantam ex praestigiis daemonum efficaciam[u] habuit, quod etiam populo Dei, si ab ipso prohibitus non fuisset, maledicere potuisset. Non enim, ut quidam putant, propter hoc quod de ipso dicitur: *Loquor domino*, Dominum id est Deum verum colebat: sed cum daemoni, quem ipse dominum vocabat, se loqui putaret, Dominus, ut hoc quod ille[v] malitiose proposuerat impediret, sapienter se interposuit, ut non iuxta voluntatem suam populo suo nociva, sed iuxta nutum Domini profutura diceret. Cui sensui et hoc fidem facit, quia[w] crebris eum sacrificiis et hostiis a proposito inclinare temptabat: quod de incommutabili divinae maiestatis essentia credere vel praesumere absurdum esset.

27. Regnante apud Assirios[x] Autene, Sycioniis imperante Pelasgo, Samsone iudicante Hieronym. Israel, Latino mortuo, tribus annis in Latio regnavit Aeneas. Quo mortuo, quia[y] non comparuit, ab eis factus est deus. Imperantibus Assiriis 29. Oneo, Atheniensibus Mesanto 4, Latino rege Aenea Sylvio, Aenea[z] non de Creusa, sed de Latini regis filia genito, iudice autem Hebraeorum Hely, regnum Sycioniorum, quod per 550 vel amplius annos[*] duraverat[a], defecit. Unde est[b] illud Castoris chronographi[c]: *Exponemus et Sycioniorum reges ab Agialeo usque ad Zeuxippum, qui omnes regnaverunt annis* 945, *et sacerdotes carnis* 6, *qui praefuerunt annis* 32*: post quos sacerdos constitutus est Caridemus, qui impensas non sustinens, fugit.* Ex hinc Atheniensium res publica auctoritatem habere coepit in Europa. Aeneas iste, eo quod mater eius Ascanium timens in sylvis latitando eum dum adhuc puer esset abscondit, a sylva[d] vocatus est Sylvius[d]. Ex hinc Graeci et Latini, quasi in uno semine coalescentes, quandam et morum et linguae affinitatem habere coeperunt, aliasque gentes tanquam rationis acumine et oris venustate minus utentes, barbaros vocare consueverunt. Quod enim tam ingenio quam eloquio caeteris Graeci praeferantur gentibus, poeta ostendit, qui ait:

a) agnoscere 4. b) alienas 1. c) a se morsibus 5 *et edd.* d) Cyrcae 1; Cyrce 4. e) Deminutum 4. f) Liceum 2. 5; Lyceum 4. g) licum lupum 1. h) originem ab eis 1. i) nat. abd. 4. k) temp. suis 1. l) pater idem 1. m) operibus *editt.* n) est 1. o) fuerit 4. p) hoc 1. 7; in hoc 2; haec 4. q) ocultis 1. 2. r) Unde illud Pauli ad G. 4, *omisso* dicit. s) scribit 1. t) decipiat 1. u) efficatia 1. v) ipse *editt.* w) quod 7 *et editt.* x) Assyrios 7 *const.* y) qui 2. z) énee 2; eneę 4. *) annos *deest* 1. a) an. vel ampl. durasse dicitur *editt.* b) *deest* 4. c) Exhonographi 1; crhon. 2. d) silva *et* silvius 2. 4.

Hor. Ep. II, 3, 323

> *Graiis*[a] *ingenium, Graiis*[b] *dedit ore rotundo*
> *Musa loqui.*

Et alibi[c]:

Ov. Fast. III, 102.

> *Graecia*[d] *facundum, sed male forte genus.*

Unde et tres linguae principales habentur: propter cultum Dei et antiquitatem Hebraica[e], propter prudentiam et eloquii leporem Graeca, propter potentiam et item prudentiam Latina.

Hieronym. Aug. 18, 19. 28. Post mortem Hely[f] Hebraeorum iudex factus est Samuel, a quo dum regem peterent, acceperunt Saulem, regnante apud Assirios Dercilo[g]. Circa idem tempus Codrus[h] rex Atheniensium, Pelopensibus hostibus, eo quod responsum accepissent, se non prius ab Atheniensibus superandos, nisi regem eorum occidissent, mutato habitu se obiecit, ad Ecl. 5, 11. propriamque necem iurgiis provocavit. Unde Virgilius: *Et iurgia Codri.* Et alibi: ib. 7, 26. *Rumpantur ut ilia Codri.* Quem Athenienses ob hoc cultu divino honorare decreverunt[i], et ex hinc magistratus, qui rem publicam administrarent, post reges coeperunt habere. Hieronym. Et hii traduntur in populo Dei post patriarchas[k] fuisse iudices: Moyses, Iesus, Othoniel, Aioth[l], Debora, Gedeon, Abimelech, Thola, Iair[m], Iephte[n], Abessan[n*], Ahialon[o], Iabdon, Sanson[o*], Hely, Samuel.

Aug. 18, 20. 29. Ex hinc reges et prophetarum tempora supputantur. Quorum primus reprobato Saul fuit David, magnus civitatis Dei princeps, utpote cui post patriarchas primo facta est cf. Ekkeh. promissio, quod de eius semine Christus, huius, de qua agimus, auctor civitatis, foret nasciturus. Cuius filius Salemon, imperante Assiriis Eupale, templum tam cultu Dei quam Aug. l. c. operis structura nobilissimum, eo tempore quo in Italia Alba est con[d]ita, construxit. Qui etiam, ne tam ob potentiam quam ob praeclaram qua omnes mortales praecellebat sapientiam illud semen, quod promissum David, dispositum per angelos, omnes gentes possessurum erat, putaretur, a Domino labi est permissus. Amator enim cum esset mulierum ardentissimus, quas usque ad mille ac pene omnes alienigenas[p] habuisse perhibetur, ab eis usque ad ydolatriae[q] voraginem est tractus. Ex quo accidit, ut dum ipsi propter merita David patris sui Dominus parceret, de manu filii eius Roboam, imperante Assyriis Triciade[r], scinderet regnum, duasque ei tantum tribus, Iudam videlicet et Beniamin, relinqueret. Hinc etiam illud nobilissimum regnum in se ipsum divisum, iuxta veritatis vocem desolari debuit in tantum, ut nullum ex regibus Israel, ex Iuda vero paucissimos, cives invenias Ierusalem. Et ut auctoritatis verbis utar, a David usque ad transmigrationem Babylonis[s] praeter Ezechiam et Iosiam omnes peccaverunt, nec tamen omnes alii reprobi fuerunt. Proinde utriusque regni peccatis exigentibus, primo Israel, postremo in captivitatem ductus est et Iuda. Habuit tamen utrumque regnum, qui peccantis populi ac praevaricatorum regum[t] excessus[u] reprehenderent, regni Christi cives. Inter quos in regno Aug. 18, 22. Israel Helias et Helisaeus[v] floruere, qui eximiis vitae meritis coelum claudere ac rursum aperire, mortuos suscitare, regibus imperare, ac innumera[w] prodigiorum ac[x] signorum[y] miracula facere a Domino meruere. Horum prior igneo curru in aera vivus[z] transvectus, adhuc manere creditur superstes, alter vero mortuus mortuum suscitasse invenitur. Et ne quis parvam tunc temporis fuisse civitatem Dei arbitretur, audiat de Israel tantum ad Heliam a Domino dictum[*]: *Reliqui mihi septem milia virorum*, qui in scriptura frequenter 3. Reg. 19, 18. numerus pro infinito poni solet. In Iuda vero Osee, Ysaias aliique quam plures, quos suo loco ponemus, non solum praedicaverunt, sed etiam civitati Dei plurimum profutura monimenta librorum reliquerunt. Sed iam ad cives mundi revertamur.

Hieronym. 30. Alba a Sylvio Aenea[a] condita, reges Latinorum ibidem regni sedem locaverunt. Aug. 18, 21. Successit Sylvio[b] Latinus, et illi Alba, cui rursum[c] Aegyptus, ac deinde Capis, post quem Tyberinus, a quo Tyberis[d], quae prius Albula dicebatur, nomen accepit. Post Tyberinum filius eius regnavit Agrippa, deinde Aremulus[e], sicque consequenter Aventinus. Qui omnes

a) Grais 2. 4. 5; Gragis 4. b) grais 2; Grays 4. c) et alibi *desunt* 2. d) Grecia 5. 7. e) hebraicam 4. f) Heli 1. g) Dercylo 4. h) Chodrus 4. i) coeperunt 1. k) pachriarchas 1. l) Aoth 1. 2. 4; Ahoth 5. 7. m) Iayr 5. 7. n) Iepthe 1. 2. 7; Iepte 4. 5. n*) Abiessan 1. 2. 5. 7; Abyessan 4. o) Achialon 1. 4: *deest* 2. o*) Iabolon, Samson 1. 2. 4. p) alieginenas 1. q) idololatriae *editt.* r) Tertiade *editt.* s) transmigracionem Babilonis 1. t) regnum 1. 7 *et edd.* u) excelsus 2. 7. v) helias et helyseus 2; helyas et helyseus 4; helyas et helyseus 7. w) ac innumerorum 1; et innumero 4. x) et 1. y) signorum ac prod. 4. z) *deest* 4. *) audiit de israel tantum a domino dictum 2; audiat de israel tantum a domino ad heliam dictum 4.
a) Silvio Aenena 1. b) Sylvio 1; ęneę 2. 5. 7; eneę 4. c) rursus 4. d) Tib. 7, *et sic deinceps.* e) Aremolus 1.

a primo Sylvio Sylvii[a] sicut postmodum a Caesare Caesares sunt dicti[b]. Aventinus autem mortuus et in monte ex nomine suo Aventino vocato sepultus, ab eis colebatur ut deus. Dicunt alii, ab adventu avium hunc montem Aventinum vocari[c]. Roma[d] enim constructa a duobus fratribus, scilicet Romulo et Remo, historia Romana testante, de impositione Ekkeh. vocabuli civitatis inter eosdem fratres lis oriebatur, et quia neuter eorum alteri cedere voluit, cf. Oros. II, 4. ut lis illa per sortem vel per augurium terminaretur, utrique complacuit. Romulus ergo, quia senior, prior est egressus, et in Aventino monte septem vultures conspexit; Remus autem post eum egrediens, duodecim in eodem monte vidit Et quia ex hinc apud posteros inolevit usus quaerendi augurium in eodem monte, Aventinus dictus est ab adventu avium. Vel Aventinus dicitur quasi eventinus, ab eventu futurorum, qui similiter inibi in volatu avium quaerebatur[d]. Inter hunc et Romulum duo tantum fuisse reges dicuntur, Procax et Amulius. Cum igitur regnum Romanorum, ut ita dixerim, parturiret, regnum illud nobilissimum ac potentissimum Babyloniorum longo diuturnitatis senio marcescere coepit

31. Anno itaque ab imperio Nini 1236, a regno vero patris sui Beli[e] 1305, a conditione Oros. I, 19. vel instauratione Babylonis sub Semiramide 1144. novissimus ac corruptissimus apud Assirios 36. regnavit Sardanapallus, qui inter scortorum greges colum habitu muliebri tractans, ab Arbato Medo praefecto suo invenitur. Dumque ab eodem[f] regnum adversus eum concitatur, ipse ardenti pirae se[g] iniecit, et sic fortissimum illud et florentissimum ad Medos derivatur imperium[h].

32. Exaggerare hoc loco mutabilium rerum miserias non est necesse. Ecce enim potentissimum illud regnum, quamvis nondum penitus destructum, mutatione tamen sui omnimodis sibi minatur interitum. Quid ergo dicemus, qui rebus transitoriis inhaerere cogitamus, dum eas mutari, mutatas labi, postremo omnino deleri videmus[i]? Quod quidem in Babylonia, Deo adiuvante, ostendemus impletum, et in universo mundo procul dubio ex multis scripturae locis evidentissimisque indiciis expectamus implendum. Mansit autem ex hoc regnum Babyloniorum, propter antiquam urbis dignitatem, solo nomine ibi, re apud Chaldaeos, auctoritate penes Medos. Habuerunt enim reges ex hinc Chaldaeorum viribus fortes, sed non tam claros[k], ut in catalogo ponantur priorum[l]. Unde probatur Nabuchodonosor[m] aliosque[n] a Sardanapallo usque ad Cyrum reges, de catalogo regum non fuisse illustrium. Ex quo[o] considerari potest, quantae auctoritatis et potentiae sub prioribus regnum illud constiterit, cum tanti etiam istorum tempore nominis et dignitatis fuerit. Porro Medorum reges, ad quos Babylonici regni auctoritatem derivatam diximus, ex hinc supputari incipiunt. Post tantam ergo huius maximi regni minorumque regnorum factam mutationem[p] diminutionem aliasque[q] alternantium temporum calamitates primo voluminis terminum demus, ut ad eas quae Medorum, Persarum, Graecorum et maxime Romanorum regnis factae sunt vicissitudines veniamus.

33. Et hii[r] sunt reges Assiriorum: Hieronym.

Belus.
Ninus[s].
Semiramis.
Zameis[t], qui et Ninias[u], filius Nini et Semiramidis.
Arius[v].
Aralius.
Xerses, qui et Baleus[w].
Armamitres.
Belochus.
Baleius.
Altadas[x].
Mamirtus[y].
Mathaleus.
Sperus.
Mammilus.
Sparetus.
Acchatades[z].
Amyntes[*].
Bellochus[a].
Bellepares[b].
Lamprides.
Sophares.
Lampares.
Paminas.
Sofar[c].
Mitreus.
Tautas[d].
Teuteus vel Oneus.
Derciles.
Eupales.
Laostenes.
Pyriciades[e].
Offraticus.
Ofratenes[f].
Vacrazenes.
Thonos Concoleros, qui et Sardanapallus.

EXPLICIT LIBER PRIMUS[g].

a) Silvio Silvii 1. 2. 4. 7. b) vocati 1. c) vocant 1; vocatum 2. 2*. 5. 7; dictum 4. *Hoc loco addunt* 9. 13. Roma — quaerebatur, *quae in 5 manus saec. XIII. exeuntis adscripsit in margine inferiore.* d) Roma — quaerebatur *desunt* 1. 2. 2*. 4. e) Bely 7. f) Dumque Medorum *editt.* g) se pirae 1; se *deest* 2. h) regnum 1. i) vid. omnino deleri 1. k) praeclaros 1. l) eorum priorum 4. m) a Nabuchodonosor 4. n) *deest* 1. o) ex hoc 4. p) mut. et *editt.* q) alias 4. r) hi 4. s) Nynus 4. t) Zammeis 1. 2. 4. u) Nynias 4. v) Arrius 7. w) Beleus 1. 2. 4. x) Althadas 4. y) mamyrius 4. z) *ita* 1. 2. 7; Accat. 4. *) Amyntas 4. a) *deest* 1. 2. 4. 5. 7. b) Bellapares 1. 2. 4. c) Sophar 1. 2. 4. d) Tautas 1. 2. 4. e) Piriciades 7. f) Ofratines 1; ofratenes 2. 4. 7. g) *ita* 4.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI SECUNDI[a].

Superiore[b] libro promisisse me recolo de rerum mutatione ac miseriis scripturum. Quam quidem historiam usque ad defectum[c] primae sequentisque initium, quam Romam dico, Babyloniae, Deo opitulante, utcunque complevi. Has enim germanas esse civitates, non solum ex historiographorum[d] dictis, qui huius illi regnum quasi patri filium, mediis ac brevibus Medorum seu Persarum ac Macedonum regnis, tanquam parvuli filii tutoribus, non iure hereditatis, sed successione temporis intervenientibus, successisse tradiderunt; sed et ex principis apostolorum
1. Pet. 5, 13. *epistola, qui a[e] Roma scribens, eam Babyloniam vocat:* Salutat vos, *inquiens[f]*, ecclesia, quae
Cf. Oros. II, 4. VII, 2. Aug 18, 22. est in Babylone, *conici potest. Denique dum praeteritorum temporum calamitatum reminisci-*
1143. *mur, instantis quodammodo pressurae quoquo modo obliviscimur. Modo nempe ubique terrarum et praecipue in provincia nostra, quam nuper vir nobilis Welfo[g] hostiliter invasit[86], agros vastavit, bona ecclesiarum Dei diripuit, clamor auditur, et quod maius est, periculum vitae, discrimen animarum timetur. Inter ipsum quippe et Heinricum Noricum ducem, ambos lectos ac ferventis animositatis iuvenes, cum de ducatu sit controversia, quid aliud quam profligatio pauperum, devastatio ecclesiarum, iuxta illud:*

Hor Ep I, 2, 14. Quicquid delirant reges plectuntur Achivi[h],

ab utrisque expectari potest? Iudicio ergo Dei ac orationibus ecclesiae id relinquentes, nos coeptum opus Deo adiuvante prosequamur. Nemo autem a nobis[i] sententias aut moralitates expectet. Historiam enim, in qua civium Babyloniae vicissitudines ac labores civiumque Christi inter eos progressus et profectus[k] texantur, non disputantis more, sed disserentis ordine prosequi intendimus. Nam a maioribus nostris impugnantibus hanc quae in nobis est fidem, satis responsum arbitror.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Hieronym. 1. Concesso ad Medos Assyriorum regno, Arbatus, qui huius translationis auctor fuerat, imperium arripuit, ac per 28 annos tenuit, regnante in Iudaea Ozia[l], in Israel Sella vel Manae. Arbato successit Sosarmus, regnante in Iudaea[m] Achaz, in Israel Facee. Huius regni anno 15. prima olympiades[n], quae quinto ex hinc anno, quatuor in medio expletis, apud Helidem[o] Graeciae urbem agone et ludis exerceri solebat, coepta est nominari. Sosarmus reliquit[p] Madidum, regnante in Iudaea Achaz[q], in Israel Osee vel Facee II. Post quem fuit Cardices, regnante in Iudea Ezechia, in captivitatemque[r] ducto Israel. Post hunc surrexit Dioces[s], regnante in Iudea Manasse. Post hunc Frahortes 22 annis imperavit, regnumque multis ac crebris bellis cruentavit, regnante in Iudaea
Oros. I, 14 piissimo rege Iosia. Post Diocles[t], qui cum esset armis experientissimus, regnum plurimum dilatavit. Cui successit Astyages[u], qui inhumanus ac crudelis Arpalo[v] cuidam unicum filium[w] occidit patrique epulandum apposuit, scelestasque epulas ostensis cum[x] capite manibus patri improperavit. Huius nepos Cyrus Persa, mox ut adolevit, avo bellum indixit[y]. Astyages ergo sceleris sui immemor, Arpalum exercitui praeposuit. Qui ipsum dum Cyro traderet exercitum, Astyages rursum in Medos cessit, exercitumque[z] congregavit. Quibus denuo congressis, dum Persae fugerent, uxoribus seu matribus impudice[*] insultantibus, revertuntur, victoriaque, capto Astyage, potiuntur. Cyrus itaque captum avum Hircanis praefecit, regnumque Medorum finivit, quod per 258 annos mansisse invenitur. Haec iuxta Orosium. Hic est Cyrus, a quo postmodum destructa est Babylonia,
Ekkeh. cuius avunculus fuit Darius rex Medorum, qui in Daniele Balthasar percussisse legitur: unde iuxta alios regnum Medorum non bello obtinuit, sed iure haereditatis post mortem
Dan. 13, 61 avi sui Astyagis eiusque filii Darii suscepit, sicut in Daniele habes: *Rex Astyages appositus est ad patres suos, et regnavit Cyrus Perses pro eo.* Sed occurrit, quod Darius iste qui Balthasar percussit, rursum in Daniele non Astyagis, sed Assueri filius vocatur. Potuit vero
X, 13 esse quod binomius fuerit[a]. Unde Iosephus in libro Antiquitatum decimo: *Darius*, ait, *Astyagis filius, qui Babyloniorum principatum destruxit cum Cyro cognato suo, qui tamen alio nomine*

a) *ita* 5; Prologus libri secundi 2. 4. 7. b) Sub priore 1. c) deff. 7. d) historiograforum 1; hystoriograf. 7. e) *deest* 7. f) inquit 1. g) Welfo nobilis vir 7. 13. h) *deest* 4. i) a nobis *deest* 4. k) profectusque 1. l) Ozya 4. m) Iuda 7 *semper*. n) *ita codd.* o) Helydem 4. p) reliquid 1. 5 *semper*. q) vel Ezechia *add. editt.* r) in captivitatem 4. s) Dyoces 4. t) Dyocles 2. 4. u) Astiages 1 *semper*. v) Arbbalo 4. w) ac parvulum *add. editt.* x) in 1. y) movit *editt.* z) exercitum 1. *) inpudice 1. 4. a) fuit 4.

86) Cf. VII, 26.

vocabatur a Graecis. Medio tempore Chaldaei, unde Nabuchodonosor suique successores erant, irruperunt Babylonem ac multis malis civitatem Dei afflixerunt. Qui tamen Medis auctoritatem habentibus, de numero, ut supra dictum est[a], regum non fuere priorum. Fuerunt autem reges Medorum hii: Arbatus, Sosarmus, Madidus, Cardices, Dioces[b], Frahortes, Dyocles, Astyages, Darius, Cyrus. Ex hinc Persarum reges supputantur.

2. Tempus esse arbitror, ut ad Romanorum regni principia stilum vertamus. Cum enim Babyloniae sub praefecto suo dehonoratae adhuc regnum sub principatu Medorum stetisset incolome usque ad Cyrum, et ab eo prorsus, uti in sequentibus patebit, est eversum, iure [Oros II, 3.] ipso deficiente, Romani imperii, quod illi tanquam patri filium successisse dixi, ortum narraverim. Eo igitur tempore ad Medos cessit, cum Procas[c] in Italia regnavit: eo illud a Cyro penitus subversum fuit, quo a Tarquiniorum iniusta dominatione[d] illud liberatum in propria auctoritate stare coepit. Procae successit Amulius, cuius frater Numitor, cum filiam Rheam[e] Vestalem ab eo virginem factam, stupri ream ex partu cognovisset, geminos quos pepererat [cf. Ekkeh.] exponi et in aquam proici iussit. Hii sunt gemini fratres Remus et Romulus, Urbis orbis futurae caput, fundatores et auctores. Quos ipsius Urbis scriptores tanquam totius orbis[f] Marte obtenturae principatum Martis quoque filios autumant, in argumentumque quod a lupa, utpote Martis bestia, lactati ac nutriti contra naturam fuerint, narrant. Qui revera an iuxta eos a lupa, an a meretrice qualibet iuxta alios, propter vitae turpitudinem, unde [Hieronym Aug. 18, 21.] domos earum lupanaria dicimus, sic vocata, nutriti fuerint, nichil mea interest. Hoc tamen affirmo, quod non Martis sed cuiuslibet hominis, et secundum quosdam veridicos scriptores sacerdotis, filii fuere.

3. Anno ergo ab imperio Nini 1300, post eversionem Troiae 414, olympiade[g] 6, evolutis ab Adam quatuor milibus 484 annis, regnante in Iuda Achaz, vel iuxta Augustinum [Oros II, 5. Aug. 18, 22.] filio suo piissimo rege Ezechia[h], in Israel Osee seu Facee secundo, geminis auctoribus Remo et Romulo avo adhuc superstite Numitore, maxima illa et famosissima in monte Palatino condita est Roma. Cuius mox regnum tam parricidio, avo fratreque interfectis, Romulus [cf. Ekkeh. Oros II, 5.] infecit, quam raptu[i] Sabinarum, maritis parentibusque occisis, improbis nuptiis sibi suisque illicite ac crudeliter confoederatarum polluit.

4. Circa idem tempus clarissimos, quos supra nominavi, Osee[k] et Ysaiam[l] prophetasse [Hieronym] prophetiamque scriptam reliquisse constat. Quorum alter non solum dictis sed et factis, meretrice in uxorem accepta, vocationem gentium, unde ait[m]: *Vocabo non plebem* [Osea I, cf. Aug. 18, 28.] *meam plebem meam*, praenunciasse cernitur; alter vero de adventu Christi, passione, resurrectione regnoque eius, quod est ecclesia, in hac vita dilatando, post hanc impiorum aeternaliter dampnata civitate glorificando, atque cum auctore suo Christo in aeternum mansuro, tam evidenti, tam luculento ac urbano sermone disseruit, ut non prophetiam, sed euangelii historiam texere videatur. Eo quoque tempore nonnulli Sibillam Eritheam[n] vaticinatam ferunt quam ex scripturae suae testimoniis ad civitatem Dei pertinuisse, sicut et Iob et plures alios ex gentibus, Augustinus velle videtur. Cuius rei gratia prophetiam eius mani- [Aug 18, 23] festissimam de incarnatione Domini[o], passione ac secundo adventu Christi[p] idem pater in libro de civitate Dei ponit, quam infra annotavi[q]:

Iudicii signum, tellus sudore madescit.
E coelo rex adveniet, per secla futurus,
Scilicet in carne praesens ut iudicet orbem.
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis etc.

In quorum versuum capitibus Iesus Christus Theos Sother[r], quod Iesus Christus filius Dei salvator, in Graeco inveniri dicit. Refert etiam Lactantium aliud eius de Christo ponere [Lact IV, 18.] vaticinium, quod tale est: *In manus infidelium[s] postea veniet. Dabunt autem alapas Deo manibus incestis[t], et impurato[u] ore expuent venenatos sputos[v]. Dabit vero ad verbera simplicem[w] sanctumque dorsum, et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat quo verbum vel unde venit[w], ut inferis loquatur, et corona spinea coronetur. Ad sitim acetum, et[x] ad cibum fel dederunt, inhospitalitatis hanc ministrabant Domino mensam. Ipsa enim insipiens tuum deum non*

a) dictum 1. b) Dyoces 2. 4. c) Procax 4. d) *ita* 2. 4. 5. 7; damnatione 1 *et edd.* e) Rheam fil. 4; filiam Ream 5. f) *deest* 1. g) olimpiade 1. 2. 5. h) Ezechya 4. i) *deest* 1. k) *deest* 2. l) Esayam 5. m) unde et ait *editt.* n) *ita* 2; Sibillam Erichtheam 1; Sybill. heritheam 4; sibillam ericteam 5. 7. o) *deest* 5. p) Christi adventu 5. q) adnotavit *editt.* r) *ita codices.* s) iniquas et inf. *editt.* t) *ita omnes codd. et Augustinus ipse*; scelestis *editt.* u) inpurato 2. 4. v) *ita omnes codd. et Augustinus ipse*; ven. sputus 5; salivas venenosas *edd.* w) *ita codd.* x) *deest* 1

intellexisti, ludentem mortalium[a] *sensibus, sed spinis coronasti et horridum fel miscuisti. Templi vero velum scindetur, et medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis, et morte morietur, somno suscepto. Et tunc ab inferis regressus, ad lucem veniet primus, resurrectionis principio revocatis ostenso.* Non desunt tamen qui dicunt eandem Sibillam[b] Troiani[c] belli tempore vaticinatam fuisse[d].

5. Regnante Romulo post theologos, quos supra nominavi, poetas fuisse, Thalem Milesium unum de septem sapientibus, quos sophos vocabant, ferunt. Hisdem quoque diebus decem tribus a Chaldaeis in Samaria debellatae ac in captivitatem ductae sunt, positusque[e] in Samaria est Chaldaeorum populus, qui iuxta librum Regum Deum timebat, et idola non deserebat[f]. Quare vero Deum timerent[g], causa fuit, quod dum primo in Samariam venissent, Dominus in eos leones immiserat. Quod ergo volebant, de lege recipiebant, et quod nolebant, more alienigenarum reprobabant. Hinc in euangelio habes, quod eis Oros I, 29. Iudaei non coutebantur. Circa haec tempora Falaris Siculus tyrannus[h], dum multis ac variis tormentis innocentes afficeret, Perillus quidam faber aerarius volens placere principi aptumque sibi crudelitatis suae munus offerre, taurum[i] aeneum fecit, cui ex latere ianuam composuit, ut dum cruciandi per eam intromissi ignibus appositis torquerentur, non gemitum hominis, sed mugitum pecudis[k] emittere viderentur. Quod simulacrum tyrannus gratanter suscepit, ipsumque auctorem[l] in eo positum propria adinventione punivit.

6. Romulus contractis undecunque pastorum, praedonum ac latronum copiis, quibus etiam asylum[m] construxit, crudeli ortu regnum totius orbis futurum caput[n] initiavit. Unde Sat. VIII, 272. Iuvenalis:

Et tamen[o], *ut longe repetas longeque revolvas*
Nomen[p], *ab infami gentem deducis asylo.*
Maiorum primus quisquis[q] *fuit ille tuorum,*
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Hic et mille iuvenes de[r] plebe electos milites, et centum seniores senatores appellavit; Hieronym. et ex hinc militaris ordo senatoriaque dignitas exordium sumpsere. Romulo successit Ekkeh. Numa, qui cultum, imo sacrilegium plurium deorum in Urbem induxit, et capitolium a fun- Aug. 18, 24. damentis aedificavit. Huius diebus, regnante apud Hebraeos impiissimo rege Manasse, a Ekkeh quo Ysaias occisus fertur, Samia Sibylla fuisse dicitur. Successit Numae Tullus[s] Hostilius, qui primus ex Romanis regibus purpura et fascibus usus fuit[t], et Urbem adiecto Cecilio[u] monte ampliavit. Post quem Ancus Marcius[v] Aventinum montem et Ianiculum Urbi addidit et supra mare decimo[w] ab Urbe miliario Hostiam[x] condidit.

Hieronym. 7. Regnante deinde Tarquinio Prisco[y], qui Circum aedificavit et numerum senatorum Aug. 18, 25 auxit, cum Sedechia rege suo a Chaldaeis in captivitatem ductus est et[z] Iuda. His diebus plurimi fuere cives regni Christi et praecipue prophetae, qui populum Dei de malis operibus eorum redarguerent malaque ventura praedicerent, quorum alii cum peccatore populo in captivitatem sunt ducti, alii etiam ab hostibus propriae voluntati ac arbitrio sunt[*] relicti. Aug. 18, 33 Prophetavit autem hisdem diebus[a], scriptumque utile valde ecclesiae Dei opus reliquit[b] vir Aug. 18, 26 Dei Hieremias[c], in quo et[d] praevaricatoris populi peccata captivitatemque relaxandam post 70 annos posuit, ac multa de statu ecclesiae et adventu Christi praedixit. Fuisse[e] tunc Pictacum Eleneum[f] unum de septem sapientibus ferunt, nam alios quinque, id est Solon[g] Aug. 18, 25. Atheniensem, Chilonem[h] Lacedaemonium, Periandrum Corinthium[i], Cleobolum[k] Lydium, Biam Pireneum[l], eo quo captivus tenebatur populus fuisse tempore, refert Eusebius. Quorum nullus tamen[m] librorum monimenta, excepto Thale de physica[n], et Solon legibus Atheniensibus datis reliquit[o].

a) *ita* 5 *et editt.*; mortalibus 1. 2. 4. b) *ita* 1. 5; Sybillam 2. 4. c) Troyani 4. d) haec alia fuit *add.* 4 *in margine* e) positus est in Sam. Chald. pop. 1; positusque *etc.* 2. 7; positusque in Samaria a Chald populus 4; positusque est in *etc.* 5. f) deserebant 4. g) timeret 1. h) tirannus 1. 5. i) thaurum 2. k) peccoris 4. l) *deest* 1. m) asilum 1. 2. 5. 7. n) cap. fut. 4. o) inde 2. p) nomen — tuorum *desunt* 7. q) quisquis primus 2. 5. r) ex 4. s) Tullius 1. 2. 4. 5. t) fuerit 1. u) *ita omnes codd.*; Cęlio *editt.* v) *ita* 1. 7; Marcus 2. 4. 5. w) sexto decimo 1; V̊IX. 2; XVI. 4. 5. x) Ostiam 1. 2. 4. y) *loco* Tarquinio Prisco 1 *exhibet signum* ϰ, *quo saepius pro* primus *sive* unus *utitur scriptor codicis*; 2 *vero* tullio; *in* 4 *denique simplex* t *legitur, cui manus paulo recentior superscripsit* tarquinio, *quod tamen post erasum est.* z) et *deest* 4. *) *deest* 1. 2. 5. a, temporibus 1. b) *deest* 1. c) Yeremias 4. d) *deest* 4. e) *hoc loco* sentincias VII sapientum facetissimas *adscripsit in margine* 4 *manus s. XIII.* f) *ita* 1. 2. 5. 7; Pycl. Elencum 4. g) *ita* 1. 2. 5. 7; Tholon *corr.* Solon 4. h) Chilon 2. 4. 5. 7. i) Chorinthium 5. k) Cleudolum 1. 2; Cleodolum *corr.* Cleobolum 4; *ita et* 7. l) Byam Byreneum 1; Byam Pyren. 2. 4; Biam Pireneum 7. m) tamen nullus 1. n) phisica 1. 2. 7; fisica 5. o) reliquid 1; *deest* 4.

8. Post[a] theologos et hos quos sapientes dixi, philosophi[b] surrexere, qui verecundo Aug. 18, 25 magis philosophorum, id est amatorum[c] sapientiae, quam sapientium appellari maluerunt nomine. Quorum primus Pytagoras ex malleorum ictibus diverse concrepantibus musicae septem discrimina vocum[d] invenit, multisque aliis utilis admodum[e] et[f] clarus extitit. Post quem Socrates omnium philosophorum clarissimos viros[f*] tanto perspicatiores quanto iu- Aug. 18, 37. niores, utpote qui ipsos docentes se intellectu transcenderent[g], educavit Platonem et Aristotilem[h]. Quorum alter[i] de potentia, sapientia, bonitate creatoris[k] ac genitura mundi[l] creatione ve hominis tam luculenter, tam[m] sapienter, tam vicine veritati disputat, ut ob hoc a quibusdam ex nostris Hieremiam[n] in Aegypto audisse, et ab eo de fide nostra imbutus fuisse[o] cf. Aug. 8, 11. credatur. Alter[p] logicam[q] in sex libros id est praedicamenta, peri ermenias[r], priora analetica, topica[s], posteriora aneletica, elencos distinxit. Quorum primus de simplicibus terminis, secundus de propositionibus[t], tertius de complexione propositionum utili ad syllogizandum[u] iudicium purgans et instruens, quartus de methodis id est via syllogizandi, quintus de demonstrationis necessitate, sextus de cautela sophisticarum[v] fallaciarum docet. Ut ita perfectum philosophum[w] non solum ad cognoscendae veritatis, sed ad vitandae[x] falsitatis scientiam perfecte informet. Denique se[y] artis seu facultatis huius principem ac inventorem dici debere, ipsemet[z] in fine gloriatur elencorum hoc modo: *Oportet autem nos[*] non latere quod accidit circa hoc negotium. Nam eorum quae inveniuntur omnium quae[a] quidem ab aliis sumpta sunt prius elaborata particulariter augentur ab eis qui[b] accipiunt postea. Quae autem ex principio inveniuntur, parvum in primis augmentum sumere solent, utilius autem plurimum illo quod postea ex his fit augmentum. Maximum enim fortasse principium omnium, ut dicitur, quare et difficillimum. Quantum enim optimum potestate, tanto parvissimum magnitudine difficillimum est videri. hoc autem invento, facile est addere et augere reliquum.* Item quod sillogismorum necessariam complexionem in materia et forma, propter quae logicum negotium inchoatur, primus tradiderit, ibidem testatur dicens: *De sillogismis autem omnino nichil[c] habuimus prius aliud dicere, quam attritione quaerentes multum tempus laboramus[d]. Si autem videtur considerantibus nobis velut[e] ex his quae a principio essent, habere ars sufficienter supra alia negotia quam ex traditione adaucta sunt, reliquum erit omnium vestrum vel eorum qui audierint opus, omissis quidem artis indultionem[f], inventis autem multa habere grates.* Inde est quod quamvis ante ipsum fuerit sillogizatum, non tamen ex necessitate sed quasi casualiter, id est, ut non semper sic[g], sed ut quandoque sic, quandoque non sic. Unde est ille Platonis sillogismus quem Boetius in commento super peri ermenias[h] ponit: *Sensus*, inquit[i], *non contingunt substantiae notionem. Quod non contingit, nec ipsius veritatis contingit notionem.* Sensus igitur veritatis notionem non contingit. Quem sic stare non posse, necessariis rationibus in prioribus analeticis probatur. Haec de Aristotile[k]. Sed Platonem, qui praefati Aristotelis non solum apud[l] Socratem condiscipulus, sed et post mortem Socratis praeceptor fuit, longe post Hieremiam[m] fuisse[n] ex hoc quod circa tempus captivitatis σόφοι[o], id est sapientes, qui philosophos praecessere, fuerunt[p], innuitur. Unde non inconvenienter arbitrati sunt, qui eum cum caeteris philosophis[q] naturali ingenio per[r] visibilia mundi invisibilia[s] comprehendisse dixerunt. Omnia enim quae de divina natura humana ratione investigari possunt, invenerunt, exceptis his, in quibus summa salus consistit, quae per gratiam Iesu Christi a mansuetis corde[t] cognoscuntur. Unde Augustinus: *In principio* Ioan. 1, 1 *erat verbum*, et omnia quae in profundissimo sermone euangelista prosequitur, usque ad illum locum, ubi de mysterio[u] incarnationis agere incipit, in Platone se[v] invenisse dicit.

a) Pots 1. b) phylosophi 4 *semper.* c) amator 1. d) *deest* 2. e) *deest* 1. f) ac 1. 2. 4. 5. f*) clarissima lumina *editt.* g) transcenderunt 2. 4. h) Aristotylem 4. i) prior 5. k) creator. bon. 1. l) mundi genitura 1. m) quam 1. 2. 4. n) hyeremiam 2; ieremiam 3; yeremiam 4. o) esse videatur et cred. 4; imbutus credatur 2. p) *loco* alter logicam — Haec de Aristotile, *quae ex codicibus* 1. 2. 2*. 3. 4. 5. 6. 7 *damus*, 9. 13. *et editt. haec habent:* alter vero dialecticae artis vel primus edidisse, vel in melius correxisse, acutissimeque ac disertissime inde disputasse invenitur *Eadem verba in margine* 5 *exarata sunt, additisque verbis:* qui etiam *librarius hanc lectionem, ni fallor editionis prioris Isengrimo dicatae, conciliat cum lectione caeterorum codicum. Nam post* etiam *signum /: appositum haec ad* logicam in sex libros etc. *refert.* q) loycam 2. 4. r) *ita* 5; per iermen 1. 2. 7; per iermeniarum 4. s) topyca 4. t) praepositionibus 1 *constanter.* u) sill. 1. 5. 7. v) sophyst. 4. w) philosophię 5. x) vitandae etiam 4. y) si 1. z) ipse 5. *) vos 5. a) *deest* 4. b) quae 1. 4. c) nichil omnino 4. d) laboremus 5. e) velud 2. 5. f) indultinem 7. g) idem non ut semper sic 1; id est non ut semper sic 4. 5. h) *ita* 2, *ubi* per *additum est manu recentiore, et* 7; super iermeniās 1; super per yermenias 4; super periemenias 5. i) inquid 1. 5. 7. k) Aristotyle 4. l) quem praefati sumus Aristotelis non solum aput 1. m) yeremiam 4. n) extitisse 1. 2. 4. o) sophi 1. 2. 4. 5. p) *deest* 1. 2. 4. q) phylosophis 2. 4. r) tanquam per 1. 2. 4. 5. s) invisibia 1. t) *deest* 4. u) misterio 1. 4. 5. v) se in Platone 5.

Aug 18, 25. 9. Eo quo in Babylonia captivus populus Dei tenebatur tempore, Romanorum quoque[a] res publica Tarquinii Superbi iniquae dominationis premebatur potentia. Cuius post alia facta crudelia sceleratissimum illud[b] in castissima muliere Lucretia a filio turpiter perpetratum, a patre nequiter dissimulatum opus deiectionis eius causa fuit iustissima. Cuius castitatis argumentum non parvum fuit, quia, dum tyranni violentiam evadere non posset, propriam sibi manum iniecit. Unde pulcre quidam[c]:

Cum foderet ferro castum Lucretia pectus,
Sanguinis et torrens egrederetur, ait:
Procedant testes, me non favisse tyranno,
Sanguis apud manes, spiritus ante deos[d].

Oros. II, 5. 10. Pulso regno Tarquinio, Romani regium nomen abiurantes, consules qui rei publicae potius consulerent, quam imperarent, sibi creavere. Anno igitur[e] post Urbem conditam 244. Brutus ab eis consul[f] constituitur primus, qui priorum regum malitiam imitatus, filios Iord. uxorisque fratres interfecit Vitellios. Tradunt tamen alii zelo aequitatis eum hoc fecisse, ut videlicet non rem familiarem sed publicam diligere videretur. Unde et populum Romanum[g] Oros. l. c. pro filiis adoptasse dicitur. Tarquinius vero Etruscorum[h] regis Porsennae[h*] auxilio Urbem per triennium obsedit, cepissetque aut rursus eam suae ditioni subegisset, nisi praedictus rex Mutii manum adurentis patientia vel Cloeliae[i] virginis Tyberim transnatantis audacia permotus, obsidionem[k] solvisset. Mutius enim cum aliis Romanis iuraverat se regem interfecturum; sed dum in castra venisset a militibusque captus votum suum implere non Iord. l. c. posset, manum sub praesentia regis in igne combussit: *En scias*, inquiens, *quem virum effugeris. Idem trecenti iuravimus.* Cloelia[l] vero cum esset una de obsidibus, clam de castris lapsa, Tyberim transnatavit. Rex ergo, ut dixi, tam viri patientia quam virginis audacia motus[m], ab Urbe recessit. Haec prima aetas quasi infantia populi Romani fuit.

Oros. II, 6. 11. Inter haec Cyrus, quem supra memoravi, dum Tarquinius aut vi aut bello premeret Urbem, Orientis imperio late pervagato, Babyloniam utpote caput eius bello petit. Sed dum unus militum aequo[n] ferventior animo, Gangem[o] fluvium, quem unum quatuor fluminum paradisi[p] mutato nomine dicunt, transnatare adtemptasset[q], impetus eius non ferens, submersus est. Rex in amnem amore iuvenis ulcisci statuens, in 460 venas derivatum, vetularum etiam pedibus transmeabilem fecit. Eo quoque ingenio Eufraten mediam Babyloniam interfluentem, ab alveo proprio derivavit. Sicque mirabile dictu urbem maximam ac florentissimam cepit 1400. post conditionem eius anno. De cuius tam situ quam eversione verba Orosii infra ponere volui; ait enim: *Cepit urbem, quam vel humano opere extrui*[r] *vel humana virtute destrui posse, utrumque pene*[s] *incredibile apud mortales erat.* Et infra: *Quicquid est opere et manu factum, labi et consumi vetustate, Babylon capta confirmat*[t]. De situ quoque eius sic ait: *Haec campi planicie undique conspicua: natura loci latissima*[u] *castrorum facie, moenibus paribus per quadrum disposita. Murorum eius vix credibilis relatu, firmitas et magnitudo, id est latitudine cubitorum 50, altitudine quatuor tantum. Caeterum ambitus eius 480 stadiis circumvenitur; murus cocto latere atque interfuso bitumine*[v] *compactus; fossa extrinsecus late patens, vice amnis interfluit. A fronte murorum centum portae aereae. Ipsa autem latitudo*[w], *in consummatione pinnarum*[x] *utroque latere habitaculis defensorum aeque dispositis, media intercapedine vicenas quadrigas capit. Domus intrinsecus quater*[y] *geminae habitationis, minaci proceritate mirabiles.* Cyrus tanta urbe[z] capta, Croesum quoque regem Lydiae[*] famosum et magnum, qui ad huius auxilium cum venisset, territus aufugerat, prosequitur, victumque vita et regno privavit.

Hieronym. 12. Non multo ante tempore[a] prophetaverunt Ezechiel et[b] Daniel in terra Babylon. Quorum prior de spiritali[c] templo, quae est ecclesia, de visione quoque quatuor animalium profundissimam et obscurissimam scripsit prophetiam. Alter vero eximiae sapientiae, unde et desideriorum appellatus est vir, luculentissimam de regnorum mutatione prophetico spi-

a) *deest editt.* b) illud scelerat. 4. c) dicit *addit* 2; Unde quidam versificator 13*. d) deum 13*. e) *deest* 2; ergo 4. 5. 7. f) *deest* 1. g) populum rei publice 2. h) Ettruscorum 2. h*) Porsenne 4. 5. i) Delyae 1. 2. 7; Delię 4; delie 5 *superscripsit manus coaeva* vel olydie. k) obsidione 1. l) Delya 1. 2. 7; Delia 4; Delia 5 *supersc. manu coaeva* Clydia. m) permotus 1. n) equo 2. 4. o) Gangen 2. p) paradysi 1. 2. q) attemptasset 4. r) extrui potuisse *editt.* s) pene *deest* 4. t) quicquid — confirmant *eadem manu post in margine inferiore* 7 *addita, ubi verba* quicquid est *et* confirmant *nunc erasa sunt.* u) altissima *editt.* v) bytumine 4. w) *deest* 4. x) pumarum 2. y) qualiter 4. z) urbe tante 1; urbe tante *corr.* 2 tanta; tanta 7 *eadem manu post addit.* *) Lyd. regem 1. a) ante hoc tempus *editt.* b) *deest* 1. 2. 4. 5. 7. c) spirituali 1.

ritu scripsit Apocalypsim[a]. Ambo de temporibus Antichristi resurrectioneque mortuorum, extremo quoque iudicio ac permansuro in aeternum Christi regno multa nobis tam utilia quam spiritalia[b] mystico[c] ac prophetico sensu protulere. Abacuk[d] etiam eo tempore in Iudaea, quo isti in Babylone prophetaverunt, scripsisse ex historia Danielis cognoscitur. (cf Aug 18, 31. 34.) Hic ob hoc, quod populum Dei iniuste oppressum peregrinari ac misere vivere, oppressores vero eius regnare et prosperari vidit, in tantam etiam contra Dominum prorupit audaciam, ut ipsum aut res humanas negligere, aut non aequa lance pensare pene dixerit, vel potius eius super his patientiam admiratus, non de gubernatione seu aequitate dubitaverit; propter quod et luctator vocatus est. Canticum quoque pulchrum valde edidit, in quo consideratione incarnationis, passionis, secundi adventus Domini reprobationeque Iudaici populi ac vocatione gentium horrore[e] se concussum innuit, dicens: *Domine, audivi*[f].

13. Sed quia Danielem de mutatione regnorum propheticam historiam edidisse diximus, aliquid inde subterannotare dignum duximus[g]. Dum ergo somnium regis Babyloniorum exponeret: *Tu es*, inquit, *o rex, caput aureum, quod vidisti. Post te surget aliud regnum* (Dan. 2, 38) *minus te, post hoc rursum aliud, post illud quartum, quod quia fortissimum erit, ferro omnia comminuenti comparatur.* Vide quomodo propheta quatuor regnis nominatis, primum quidem propter nobilitatem sui auro, quartum propter potentiam ac Marte pressum orbem, duobus mediis intervenientibus, ferrum nominaverit. Primum et quartum quae supra memoravi[h], regna sunt potentissima Babyloniorum ac Romanorum: quorum uno cadente in Oriente, mediis Persarum et Graecorum intervenientibus, alterum, ut saepe iam dixi, surrexit in Occidente, quamvis nonnulli Persarum regnum simul sicut Medorum et Chaldaeorum Babylonico annumerantes[i], secundo loco[k] Affricanum inter quatuor mundi principalia regna posuerint regnum, ut sicut[l] secundum[m] quatuor mundi cardines mundi quoque quatuor regna constituant; Orienti scilicet Babylonicum, Austro Africanum, Septentrioni Macedonicum, Occidenti Romanum tribuentes. Quod autem idem propheta prosequitur et dicit, regnum istud quod ferro comparavit, in pedibus, quae pars, extremitas corporis humani, finem significare solet, ex parte ferreum, ex parte fictile fuisse, donec a lapide exciso de monte sine manibus percussum funditus subrueretur, suo loco, adiuvante Deo, dicemus. Nos enim circa finem eius positi, id quod de ipso praedictum est experimur, futurumque in proximo quod restat timendo[n] expectamus.

14. Cyrus post tot triumphos in superbiam elatus, Scythiam[o], cui tunc Thameris regina (Oros. II, 7.) praesidebat, cum exercitu ducentorum milium petit. Cumque Araxim fluvium transisset, castra posuit, ubi callide evocatis Scythis[p], tertiam partem exercitus reginae cum filio eius interfecit. Ob quam rem Cyrum in insidias astute vocatum mulier cum toto[q] delevit exercitu adeo, ut nec tantae cladis remansisse feratur nuncius. Capite quoque eius in utrem humano sanguine plenum misso, sexus sui immemor, dixisse fertur: *Sacia te sanguine, quem sitisti.* Res miranda ac miseranda, nec fatali eventui, sed Dei occultis iudiciis tribuenda. Quis haec audiens non stupeat? vel cuius vel saxeum[r] pectus factum tam mirabile quam[s] miserabile ad amorem Dei contemptumque mundi non emolliat? Ecce enim vir totius Orientis ac ipsius triumphator Babyloniae[t], quem propter eximiam virtutem Ysaias[u] longe ante Christum vocaverat, cui iuxta eundem prophetam Dominus gentes subiecerat, dorsa regum verterat[v], portas aereas ac[w] vectes ferreos confregerat: hic, inquam, non solum terris sed et aquis formidabilis, ab infirma fragilisque conditionis muliere decipitur, ac cum tam infiniti exercitus multitudine funditur et deletur. Quid ad haec dicemus, qui mundo inhaerere volumus, ne dicam cernere, palpare etiam quam misera sit mortalium conditio possumus, et ipsis tamen caducis ac transitoriis tanquam robustis ac permanentibus adhaeremus? Nec duriciae id sed bonitati ac misericordiae[x] Omnipotentis[y] ascribendum dixerim, qui, ut ad amorem sui permanentemque in coelo civitatis[z] mansionem nos vocaret, hanc inesse miseriam[*] rebus mortalium voluit. Hic est Cyrus, qui, dum a Iudaeis (Hieronym.) allatum sibi[a] Ysaiae[b] vidisset, hoc quod posuimus, testimonium, captivitatem ex parte, ut

a) Apokalipsin 1; apocalpsin 5. 7. b) spiritualia 1. c) mistico 1. 7. d) Abacuch 1; Abacuc 5. e) horroreque 1. f) auditum tuum et timui *add. editt.* g) dignum videtur 5; operae precium duximus *editt.* h) nominavi 1. i) *ita* 1. 2. 4. 5. 6. 7; *loco* Persarum — annumerantes 9 *et editt.* pro Persarum regno. k) secundo loco *desunt* 9. l) et sic *edd.* m) sunt 5. n) *deest editt.* o) Scithia 1. 2. 7. p) Scithis 1. 2. 7. q) tuto 1. r) *ita* 1. 4; *secundum vel in* 2 *postea erasum esse apparet*, *deest* 2*. s) mirabile quam *desunt editt.* t) Bab. triumph. 4. u) Ysayas 4. v) subverterat 1. w) et 1. 5. x) ac miser. *desunt* 4. y) conditoris 7; *editt. autem* omn. Dei. z) civitatis in celo 4. *) *deest* 2. 2' 4. a) sibi *deest editt.* b) Esaie 5 *constanter*.

Ieronimus ait[a], relaxavit, finitis a prima captivitate Iudae sub Iechonia, iuxta supputationem[b] praefati Ieronimi in prophetiam Ezechielis, 40 annis, qui a desolatione templi tricesimus erat.

[Oros II, 8] 15. Cyro[b*] filius eius Cambises[c] successit, qui religionem, imo[d] sacrilegia Aegyptiorum [Ekkeh. cf. Hist. misc.] cerimoniasque expiavit. Hunc quidam secundum Nabuchodonosor dicunt, et ea quae in libro Iudith leguntur, sub eo facta fuisse, praecipue cum Romanorum historia habeat, Tarquinii Superbi temporibus a Iudith castissima Olofernem interfectum, aiuntque[e] primum Cambisis[f] regni Tarquinii 18. fuisse annum. Unde hae[g] duae castissimae Iudith et Lucretia contemporaneae inveniuntur. Sed occurrit quaestio, quam solvere non possunt, qui hoc tradunt, quomodo videlicet haec Cambisi, qui 8 tantum annis regnavit, convenire queant, cum 12. regni anno Nabuchodonosor haec expeditio mota[h] in libro Iudith[i] dicatur? Quis etiam sit ille rex Medorum Arfaxat, quem bello superatum a praefato rege idem liber affirmat. Quibus minime fidem[k] accommodaremus, nisi propter Iosephum, qui in libro Antiquitatum [XI, 2.] undecimo malivolum eum vocat, ubi etiam refert eum epistolam contra Ierusalem misisse[l], in qua eam inimicam regibus et seditiosam[m] contestans, ne amplius aedificetur prohibet. [18, 20.] Sed e contra[n] Augustinus in libro de civitate Dei, ea quae in libro Iudith[o] scripta[p] sunt, dicit sub Cyro evenisse[q], ubi, quamvis numerus annorum non repugnet, de victoriaque Medorum[r], mutato nomine tantum regis eorum, eluceat, verisimilius tamen est ea sub filio suo Cambise, qui inimicus illius populi a Iosepho dicitur, provenisse, quam sub ipso, qui captivitatem relaxando non solum non[s] immanitatem sed plurimam etiam[t] populo Dei exhibuit humanitatem. Praedictus autem scrupulus sic solvi potest, quod tres sequentes, iuxta Iosephum, Magorum anni, quos aliae historiae 7 tantum[u] mensibus imperasse dicunt, ad Cam- [cf. Hieron.] bisem referantur, et ita circa initium 12. anni praefata expeditio sub Iudith facta fuerit. Cambises[v] novam Babyloniam in Aegypto dicitur instaurasse, quae olim ab Argivorum rege Api condita, Memphis[w] dicebatur.

[Oros II, 8] 16. Cambise[x] mortuo, dum Magi regnum eius invaderent, Darius unus ex illis, qui Magorum audaciam compescuit, consensu cunctorum rex creatur. Hos Magos in 11. Antiquitatum libro, 7 dominos nuncupatos et tribus annis regnasse Iosephus dicit[y], Eusebius tribus, mensibus 7. Darius autem eo quod Deo vero votum privatus fecerat, quatinus[z] ad regnum ipso opitulante promotus, populum suum ad natale suum[*] solum[a] remitteret, capti- [Aug. 18, 26.] vitatem Iudaeorum ad plenum relaxavit templumque instaurari permisit. Tunc quoque Ro- [Hieron.] mani Tarquiniorum dominatione iniusta ad plenum sunt liberati. Prophetaverunt novissimi [Aug. 18, 35.] prophetarum[b] Aggaeus, Zacharias, Malachias. Quorum unus cum de ecclesia dixisset: [Agg. II, 10.] *Erit gloria domus huius posterior maior quam prior*, Iudaei hoc de templo illo[b*] materiali dictum putantes, falsa spe sunt frustrati. Esdras quoque scriba, quem unum de nominatis prophetis quidam esse volunt, utilis valde in renovatione librorum legis psalmorumque [cf. Aug. 18, 26. 45.] titulis[c], eisdem fuisse temporibus invenitur. Denique a tempore illo, id est a[d] Zorobabel [cf. Aug. 17, 24.] et Iesu sacerdote magno usque ad Iohannem, nec[e] prophetas cecinisse, nec regnum floruisse, et[f] excepto Iesu filio Syrach[g], qui Salemonis sectans opus, librum quem Sapientiae vocant scripsit, et Machabaeis, quorum alii patientia, alii fortitudine pro lege Dei fortiter steterunt, paucos invenies, qui dictis vel factis inter probatos cives Ierusalem[h] meruerint [Aug. 18, 36.] computari. Habuerunt[i] tamen et postmodum reges, quos suo loco ponemus, sed non tam [Oros II, 8.] claros, ut de catalogo meruerint esse priorum. Darius primo Babylonios[k] iugum dominationis Persarum excutere volentes, repressit, dehinc regi Scytharum[l] Antyro[m], eo quod filiam eius sibi in matrimonio copulare nollet, bellum indixit, septingentaque milia armatorum unius amore mulierculae in periculo posuit, ubi amissis 80 milibus, contra Athenienses, eo quod Scythis[n] Ionas[o] in auxilium misissent, procinctum[p] movit. Athenienses ergo cum 10 milibus in campis Marathoniis[q] tanto exercitui, qui fusis in Scythia[r] tantum 80 milibus[s], de 700 milibus supererat, occurrunt, interfectisque ex eis, mirabile dictu, 200

a) ut ait Ieron. 4. b) subput. 1; supp. 2. 4. b*) Ciro 1 c) Cambises filius eius 4. d) immo 1. 2. 5. e) dicuntque *editt.* f) Cambises 2. g) heae 1. 4; heę 5. h) facta 1. i) Iudith *deest* 4. k) fidem minime 1. l) eum ep. cont. Ier. misisse refert 4. m) sediciosam 1. n) et contra 1. o) Iudiht 5. p) conscripta 1. 2. 5. q) sub C. dicit evenisse 4. r) Meodor. 7. s) non *deest editt.* t) etiam plurimam 4. u) *deest* 1. 2. 4. 5. v) Cambyses 4. w) Menphis 1. 7; menfis 5. x) Cambyse 4. y) dicit Iosephus 5. z) quatenus 1. *) suum *deest* 1. 2. a) solum *deest* 4. b) *deest* 2. b*) illo *deest editt.* c) tytulis 4. d) a *deest* 4. e) nunc 7. f) *deest editt.* g) Sirach 1. 5. h) Hierus. 2; Hyer. 4. i) horum 4. k) Babyloniorum 4. l) Scytarum 2. 4. m) Anthiro 1; anthyro 2. 5. 7. n) Scithis 2. 5; Scytis 4. o) Yonas 4. p) procinctu 1. q) marothoniis 2. 4. 7. r) scithia 2; scythya 4. s) LXXX milibus tantum 4.

milibus, caeteros in fugam vertunt. Post hoc[a] cum bellum rursus instauraret Darius, in via mortuus est, successitque ei filius eius Xerses.

17. Anno ab Urbe condita 275, cum ob stuprum viva defossa fuit Vestalis virgo Popilia, Oros. II, 8. patri in regnum succedens Xerses Atheniensibus bellum parat. Taedet hic inextricabilem malorum texere cratem, tamen ad ostendendas mortalium miserias, summatim ea attingere[b] volo. Tunc enim Xersi cum innumerabili ac incredibili exercitu, utpote qui ad mille ib. 9. milia armatorum et ad mille ducentas naves rostratas et ad trium milium onerariarum navium fuisse perhibetur, a Leonida Spartanorum rege, cum paucissimis, id est quatuor milibus, in artis locis Thermopylarum[c] occurritur triduoque pugnatur. Itaque Leonida quarta die cum hostem undique circumfundi cerneret[d], dimissis sociis, cum suis tantum qui sexcenti fuere, memorabili illo animans eos[e] eloquio: *Prandete, cum inferis coenaturi*, tantum audens aggredi[f] exercitum, tota nocte una sequentisque parte[g] diei hostes cecidit, ib. 10. adeo ut non eorum ictibus, utpote qui in nullo se defendentes, mutuis etiam se caedebant vulneribus, sed propriis lassati laboribus, ipsi qui victores extiterant, non percussi, sed percutientes[h] morerentur. Eo modo Leonida cum suis occubuit. Xerses bis victus navale[i] praelium parat: sed Atheniensium ac Graecorum non minus astu quam virtute territus, relicto Mardonio exercitu, in scapham apud Abydum[k] conscendens, uno tantum comitatus cliente[l] in Persas rediit. Mardonius commisso in Boetia cum Graecis praelio, deletis copiis, ib. 11. regiisque opibus refertis castris captis, cum paucis velut[m] nudus de naufragio fugere compellitur. Et mirum dictu, Persarum exercitus, qui eadem die sub Monimicale duce[n] in Asia dimicabat, tantum sociorum discrimen ipsa die meridianis horis, tanto locorum intervallo audire potuit, auditoque desperatione correptus et in fugam versus est. Sicque sub hoc Oros. II, 4 duobusque praecedentibus regibus de illius tantum regni visceribus decies novies centena milia tribus bellis rapta invenies: Graecia quoque hanc victoriam cum morte suorum ac discrimine maximo est adepta. Xerses tot bellis infeliciter gestis, suisque contemptui habitus, ab Artabano[o] praefecto suo occiditur. Artabano item regno perfuncto, successit Xerses, et rursum post illum Xerses, et deinde Sogdianus, et sic consequenter Darius cognomento Oros. I. c. cf. II. 25. Hieronym. Nothus[p].

18. Anno post Urbem conditam 260.[q], suspensis parvo intervallo bellis, pestilentia Oros. II, 12. maxima non tam minores quam consulares ac militares viri consumpti sunt in Urbe. Quam pestilentiam prodigium, ita ut coelum ardere videretur[r], praecessisse fertur. Consumpti tunc fuere duo consulares[s] viri, Butius[t] et Servilius, quae lues[u] superiore quarto anno Urbem[v] simili modo depopulata est. Hoc malum sequenti anno sequitur aliud. Servi namque contra dominos suos civesque exules duce Herbonio viro Sabino effrenati, invadunt incenduntque capitolium. Quos dum vir fortissimus cohercere vult Valerius consul, morte sua miserabiliter de servis suis triumphavit. Anno sequenti cum Equis et Volscis male pugnatum est. Nam Minutius[w] consul cum eis pugnans vincitur, obsidioneque cum exercitu frigore ac fame laborante cingitur. Quintus[x] ergo Cincinnatus ab aratro assumptus ad fasces, presso hoste obsidionem solvit, iugumque boum equis imponens, actis ante se victis, rustico ut erat habitu, victor Urbem ingressus est[y]. Iam tunc inter illius, quae totius orbis obtentura foret principatum, Urbis monstrabatur[z] principia, quod infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.

19. Anno ab Urbe condita 335. tam in Sicilia quam in Graecia[*] gravia fuere bellorum Oros. II, 14. discrimina, in Sicilia quidem inter Catinenses[a] et Syracusanos[b], in Graecia vero inter Lacedaemonios et Thebanos, Spartanos, Athenienses, Xerse, Dario Notho et Artaxerxe[c], de quo postmodum dicetur, Persarum[d] regibus, propter Atheniensium odium incitantibus contra eos alias quas nominavi urbes. In tantum[e] vero hoc coepit serpere malum, ut nobilissima illa ac[f] famosissima civitas Atheniensium, quae non minus ex suorum sapientia quam virtute floruerat, funditus pene ita[g], ut etiam sedes mutare cogitarent, destructa fuerit, quod Romanae eloquentiae maximus auctor Tullius in libro de Officiis hoc modo testatur: *Athe-* Off. III, 11.

a) haec 2. 5. b) tangere 4. c) Thermophilarum 1; Termophilarum 2. 7; Termophylarum 4; Termofilarum 5. d) cern. circumf. 1. e) illos 2. 4; *deest* 1. f) augusti 1. g) partem 1. 2. h) percucientes 1. i) navale rursus *editt.* k) Abylum 1. l) clyente 4. m) velud 2. 4. n) *ita* 1. 2. 4. 5. 7. o) Artano 1. p) Nothis 2; Notus 5. q) CCLXX *editt.* r) videretur ardere 2. s) duo principes consulares 1. t) Ebutius *editt.* u) lues et 4. v) urbem *deest* 4. w) *ita* 5; Mutius 1. 2. 4; *ita et 7 sed post corr.* Minut. x) Quintius *editt.* y) est ingr. 4. z) monstrabantur *corr.* 4. monstrabatur. *) boetia 4. a) Catynenses 4; Cathinenses 5. b) Siracusanos 1. 2. 5. c) Artaxxerse 1. 2; Artarxerxe 4; Artarxerse 5. 7. d) *deest editt.* e) *ita* 5. 7 *et editt.; caeteri codd.* interim, *quod prius etiam 7 exhibuerat.* f) atque 4. g) ita pene 1.

nienses cum Persarum impetum nullo modo[a] *possent sustinere, statuerentque, ut urbe relicta, coniugibus et liberis Troezene depositis, naves conscenderent, libertatemque Graeciae classe defenderent, Cirsilum*[b] *quendam, suadentem, ut in urbe manerent Xersemque reciperent, lapidibus obruerunt*[c]. Quorum virtutem rursum in extremo discrimine positorum, idem commendans: *Themistocles*[d], inquit, *post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione se habere consilium rei publicae salutare, sed id sciri non opus esse; postulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus est Aristides*[e]. *Huic ille: classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Getheum*[f], *clam incendi posse, quo facto frangi Lacedaemoniorum vires necesse esse. Quod Aristides cum audivisset*[g], *in concionem magna expectatione venit, dixitque perutile*[h] *esse consilium, quod Themistocles*[i] *afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt, totamque eam rem quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt.* Malis ergo suis sapientissimi omnium edocti Athenienses, tandem didicere, sicut res parvae concordia crescunt, sic maximas discordia[k] dilabi. Ex
Oros. II, 19. quo apparet, sapientissimos quoque interdum plus rerum experientiis quam doctorum proficere institutis. Quam historiam[l] ab aliis profuse dictam, nos brevitatis causa succinximus. Socrates praecipuus philosophorum, his malis motus, veneno se necasse perhibetur[87], qui tamen nulla monimenta librorum dimisisse invenitur. Unde eius tale dictum adhuc vulgo traditur: *Malo in cordibus hominum quam in pellibus mortuorum animalium scribere.* In-
Oros II, 15. signia haec tempora tam expugnatione Athenarum quam morte Darii regis Persarum quam exilio Dionysii[m] Siculi tyranni[n] fuere. Sicilia[o] enim primo Cyclopum[p], post tyrannorum usque in praesentem diem fuisse nutrix traditur[88], quorum[q] priores carnibus hominum, posteriores cruciatibus semper pascebantur[q]. De hoc Dionysio[r] refert Tullius, quod ob nimiam crudelitatem in suos nulli fidus, a nullo quoque boni quippiam fidens, cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adureret capillum.

Oros. II, 18. 20. Darius moriens duos reliquit filios, Artaxersem[s] et Cyrum. Qui dum pro regno contenderent, multis utrimque profligatis, Artaxerses graviter vulneratus equi velocitate liberatur, Cyrus vero ab exercitu fratris interfectus finem certamini fecit. Itaque Artaxerses[t] victoriam adeptus regnum parricidio firmavit. Hic est Artaxerxes[u], qui et Assuerus, sub quo Hester et Mardochaei[v] narratur historia[w], quando omnis populus Israel mortis[x]
Hieron periculo liberatus, expletis a prima captivitate sua iuxta Ieronimi supputationem in[y] Ezechielis[z] prophetiam 290 annis, pristinae donatus est libertati. Ea tempestate terrae motu
Oros II, 18 fin concussa Sicilia, Aetnaque[*] exaestuante[a], agri villaeque vastatae sunt[b]. Tunc etiam Athlantis civitas ab arida soluta in insulam redacta est. Atheniensium reliquiae pestilentia miserabiliter consumptae[c] sunt. Vide tempora omni plena miseria.

Oros II, 18. 21. Anno ab Urbe condita 364. Senones Galli, duce Brennone, contra Romam procinctum movent[d], contemptisque legatis quos pro adipiscenda pace miserant, Glusini oppidi[e], quae nunc[f] Tuscia dicitur, obsidione relicta, ad Romanorum perniciem properant. Quibus dum Romanorum consul Fabius occurrisset, cum quanta clade suorum aufugerit, testis est Allia fluvius. Nec hic miseriae finis fuit. Urbem enim ingressi Galli, tam ipsam incendio flagrari[g], quam senes eius in domibus sedentes et in modum simulacrorum[h] rigentes, ruina domus sepelire non timuerunt. Iuvenes etiam, qui mille tantum remanserant, in Capitolium fugientes persecuntur[i], nec ante ab eius inpugnatione[k] cessare voluerunt, donec accepta mille talentorum auri pactione, recederent. Quibus malis attriti, sedes mutare cogitavere[l] Romani.

Oros III, 1. 22. His diebus Artaxerses rex Persarum discedere ab armis et quiescere totam Graeciam iubet, adiciens, violatorem pacis[m] armis petendum. Quod eo facilius facere potuit, quo omnes tot bellorum variis eventibus defatigati et taedio affecti, quietis remedio respirare

a) non 1 *loco* nullo modo. b) Cyrsilum 5. 7 *et editt.* c) obruerent 1. 2; et obruerent 4. d) Themiystoclos 1. 7; Themistoclos 2; Themijustoclos 4. e) Arystides 5. f) galath getheum 7, *ubi nunc* galath *deletum est.* g) audisset 1. 2; audiret 4. h) utile 4. i) Themystocles 2. 4. 5. k) *deest* 1. 2. 4. 7. l) hystoriam 4. m) Dionisii 1. 2. 5; Dionysii 4. n) tiranni 1. 2. 5. o) Sycilia 4. p) Ciclopum 1. q) quorum priores — pascebantur *desunt* 1. 2. 2*. 4. 6; *adsunt* 5. 7. 8. 9. r) Dyonisio 1. 2. 4; dionisio 5. s) artaxxersen 1. 2; Artarxersen 4. 5. t) artarxerses 2. 5. 7. *et sic deinceps.* u) artaxxerses 2; artarxersis 4. v) mardochei et Hester 4. w) hystoria 2. 4. 5. x) de mortis p. 2. 4. 5. y) Ieronimi subputatione 1. z) ezechyelis 4. *) Aethnaque 1; ethnaque 2. 4. a) aestuante 1. b) consumptae sunt 4. c) consumpti 1; vastatae 4. d) d. Br. exercitum movent. c. R *editt.* e) opidi 1. 5. f) tunc 1. g) flagrare 5. 7. h) simulachrorum 1. i) prosequuntur 5. k) imp. 5. l) cogitaverunt 5 *et editt.* m) pacis viol. 1.

87) Haec probant, nostro Platonis scripta non innotuisse. 88) Cf. VII, 23. Loquitur de Rogerio Siciliae rege.

cupiebant. Lacedaemonii enim utpote homines[a] et[b] Graeci inquietissimi ac cupidissimi, et de hoc quod Athenienses ante bello presserant in superbiam elati, totum bello perturbare temptabant[c] Orientem. Quorum Artaxerses rex insolentiam refrenare volens, Cononi Atheniensi, qui apud eum exulabat, committens exercitum, ipsum contra Lacedaemonios cum Persarum copiis misit. Porro Lacedaemonii ab Hercinione[d] Aegypti rege petito et accepto auxilio, sociorumque undecunque contractis copiis, bellum parant, Agesilaumque pede claudum sed manu fortem, ducem sibi creant. Igitur Conon et Agesilaus probatae fortitudinis viri, congressi acerrime cum utriusque exercitus sanguine diutissimeque pugnarunt, invictique ab alterutrum ambo fatigati discesserunt. Conon rursum Persarum[e] instructus copiis, Lacedaemoniorum agros villasque populabatur. Et ne multis morer, variis ac plurimis ancipiti victoria utrobique gestis bellis bellorumque discriminibus ad hoc tandem florentissima illa gloriaeque avidissima deducta est Lacedaemoniorum civitas, ut tota deleta iuventute, vix in ea 100 invenirentur senes. Conon Athenas reversus[f] cum maximo gaudio suorum[g] ipse pro desolatione urbis[h] tristis suscipitur. Itaque Lacedaemoniorum praedis a Lacedaemoniis urbem[i] exinanitam replevit, et quae antea[k] a Persis fuerat concremata, a Persis rursum, ipso rogante, est reformata. Non multo post elapso tempore, Romani, qui a Vulscis, Faliscis[l], Equis, Sutrionibus per 70 annos multis malis attriti[m] fuerant, tandem Oros. III, 3. civitatibus eorum captis, sub Camillo duce finem imposuere certamini. Praenestinos, qui usque ad portas Urbis saepe venerant, Tito Quinto[n] duce, iuxta flumen Alliam[o] pugna vicerunt. Circa idem tempus pestilentia rursus Roma consumitur, quam sequenti anno ingens prodigium sequitur. Impudens[p] quippe specus terraque dehiscens in medio foro ap- ib. III, 4 paruit, vivique hominis diis consultis praecipitium expectavit. Satisfecit monstroso specui M. Curtius miles, qui dum armatus illo se praecipitasset, morte sua horrendam voraginem clausit. Romae tunc scenici ludi ad placandos deos, suadentibus pontificibus, sunt instituti. ib. 5 Ea tempestate Galli rursum Romam delere cupientes cum ingenti exercitu ad quartum ab ib. 6. Urbe lapidem consederunt. Quibus Titus Quintius[q] cum Romanorum exercitu occurrens, victos fugatosque barbaros in patriam redire conpulit. Qui rursum instauratis copiis revertentes, a Romanis denuo vincuntur.

23. Anno ab Urbe condita 402. legati Kartaginensium[r], quae urbs, totius Affricae caput, ib. III, 7. longe lateque imperavit, Romam veniunt, foedusque inter se civitates hae[s] duae firmaverunt[t]. Tunc etiam nox debito longius protracta[u] fuit, et saxea grando veris terram Romae percussit lapidibus. Hisdem diebus Artaxerses, qui et Ochus, Sidone[v], Aegypto, Syria[w] regno subiectis, plurimos ex[x] Iudaeis in Hircania[y] iuxta mare Caspium habitare coegit[z], qui iam in multum populum crevisse dicuntur, ac inde diebus Antichristi erupturi[*] creduntur.

24. Tempus esse puto, ut ad Graecorum tempora veniamus. Ea ergo tempestate Phi- ib. III, 12. lippus[a] Amintae filius, Alexandri Magni pater, Macedonum regnum per 25 annos tenuit. Hic apud Epaminondam[b] Thebanorum regem strennuissimum ac summae philosophiae virum nutritus, in tantam fortitudinis ac sapientiae virtutem profecit, ut Graecorum civitates, quae dominandi libidine singulae[c] imperare cogitaverant, omnes suo adunaret ac subiceret imperio. Inferioribus[d] enim contra superiores suadens certamina, omnibus ad invicem callide incitatis[e], omnium[f] ad ultimum efficitur[f] princeps et dominus[g]. Ita florentissimum ac libertate propria usum Graeciae corpus libertate privavit, Bizanciumque[h] urbem resistentem sibi obsidione cinxit. Haec urbs a Pausania Spartanorum rege condita, a Constantino postmodum gloria opibusque aucta et a nomine suo Constantinopolis dicta, totius modo Orientis caput noscitur[i]. Exhaustis in obsidione copiis, pyraticam[k] aggreditur, centumque 70 navium spolia rapuit et militibus suis dedit. Obsidione dimissa, ad Scythas[l] cum Alexandro filio suo praedandi causa properavit. Quibus astu magis quam virtute superatis, plurimos ex eis captivavit, auro argentoque non repertis, praedam tantum pecorum innumerabilem

a) utpote omnis 4. b) homines et *desunt* 1; et *deest* 7. c) temptarant 5. 7. d) Hercynione 7; Hermione *editt.* e) *deest* 1. 2. 4. f) reversus Ath. 4. g) gaud. suor. max. 1. h) urbis *deest* 4. i) urbem *deest* 4. k) antea 2. 4. 5. l) Facilisque 7. m) adtriti 2. n) V̂ 1. 4; Vto 2. 5. 7. o) Alen 1. 5. 7; Aleti 2. 4. p) Inpudens 1. 2; impendens *editt.* q) Quintus 1. 5. r) Karthag. 5 *constanter*; Carth. 7. s) heae 1. 4. t) confirmaverunt 1. 4. u) pro̧ractius 1; protractior 4. v) Sydone 1. 4. w) Siria 1. 2. x) *deest codd., exceptis* 5. 7. 13. y) Hyrcania 4. 7; hyrchania 5. z) mare hab. coegit caspium 4. *) erepturi 4. a) Phylippus 4 *constanter.* b) Epimamundam 1; Epimamdam 2; Epymamundam 4; Epimanundam 5. c) singulare 1. 2; singulariter 4. d) *hic manus s. XV. ex. adscripsit* 7: Idem fecit Fridericus III. cesar e) *ita* 5. 7. 13 *et edd.*; ad inv. concitatis *rell. codd.* f) omnium fieret 4. g) dom. et princeps 1. h) Bizanciumque 1. 2; Bizantiumque 5. 7. i) tocius caput orientis modo noscitur 1. k) piraticam 1. l) Scithas 1. 2.

diripuit. Post haec Atheniensibus bellum indicit. Qui pulsatis per legatos universis Graeciae civitatibus, Lacedaemonios etiam ac Thebanos orant, ut communibus viribus communem omnium hostem[a] propellerent. Sed frustra contra impetum fluminis conantur. Oros. III, 14. Nam ab ipso non solum victi, sed et servituti cum aliis Graeciae civitatibus mancipati sub coronaque venditi, captis aliis, profligatis aliis, fuere. Hic etiam Alexandrum filium[b], benivolentiam Macedonum largitione sectantem, in epistola redarguit[c] dicens: *Quod te malum rationis[d] in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares[e] fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te[f] regem suum, sed ministrum et praebitorem putent?* Is quamvis rebus gestis et gloria superari a filio[g] videretur, facilitate tamen et humanitate filio Cic. de off. I, 26. superior fuisse perhibetur a Tullio, unde et ait: *Itaque semper alter magnus, alter saepe turpissimus.* Ut recte praecipere videantur, qui monent, ut quanto superiores simus, tanto nos geramus submissius[h]. Fertur de ipso, quod falsorum deorum maximus persecutor fuerit, Oros. III, 14. arasque eorum ac templa[i] destruxerit. Dumque a suis[k] saepe requireretur, quis sapienti ac viro forti finis potissimum esset eligendus, dixisse fertur, is qui pacatis sedatisque omnibus erga se bellorum seditionumque motibus, cum praecipuae auctoritatis et nominis esset, subito vitam ferro finiret. Quod ipsi contigisse, nec id falsos deos, quos persecutus fuerat, impedire potuisse, aiunt. Dum enim Alexandro uxoris suae Olimpiadis fratri filiam suam copularet nuptiasque magnifice celebraret, inter duos Alexandros, generum scilicet et filium, a Pausano nobili Macedonum iuvene dolo necatur[l].

Oros. III, 16. Ekkeh. 25. Anno ab Urbe condita 426. mortuo Philippo, in regnum successit Alexander[m]. De quo traditur, quod non Philippi, sed cuiusdam magi Aegyptiorum regis Nectanabi filius fuerit. Alexander suscepto regno, virtutem animi intra se non ferens, terminisque a patre quamvis viro bellatore[n] ac fortissimo relictis non contentus, imperium dilatare cogitat. Oros. III, 16. Itaque compositis ac ordinatis rebus in Graecia, assumptis secum paucis, id est 32 milibus peditum, 7 milibus equitum et quingentis, navibus 180, tam parva manu utrum audacius[o] fuerit, quod totum Orientem est aggressus, an mirabilius, quod vincere potuit, incertum habeo. Darium igitur regem Persarum, Arsami[p] filium, qui quartus decimus a Cyro[q] totius Orientis monarchiam tenebat, hac potissimum causa aggredi voluit, quod a patre suo Philippo tributum requisierat. Cui cum Darius, missa prius legatione superba, in qua se regem regum ac consanguineum deorum, Alexandrum vero famulum suum vocat, cum exercitu sexcentorum milium occurrisset, Alexandri non minus arte quam virtute superatur. Darius rursum instaurato exercitu bellum parat. In qua pugna non solum vincitur, sed et mater eius et soror eademque uxor cum parvulis filiis capiuntur. Ob quam rem fractus animo Darius Alexandro pro redimendis captivis mediam partem regni tradere voluit, sed nequaquam valuit obtinere. Alexander Persarum potitus victoria, Parmenionem ad invadendam classem eorum cum copiis mittit. Ipse vero cum exercitu in Siriam[r] tendit, ibique reges ultro sibi occurrentes ac suae ditioni[s] se subicientes, quosdam in gratiam recepit, quosdam mutavit, alios[t] vero perdidit. Tyrum[u] etiam nobilissimam et locupletem, fiducia Carthaginensium sibi resistentem cepit urbem. Inde Ciliciam[v], Rhodum[w] ac Aegyptum peragrans, omnes in ditionem accepit. Tunc etiam Alexandriam in Aegypto condidit. Inde Hierusa- Aug. 18, 45. Ios. A. XI, 8. lem[x] veniens, a Iudaeis cum magno suscipitur honore, templumque ingressus hostias Deo vero obtulit, ac summum sacerdotem summa veneratione, iuxta Iosephum, coluit[y], mirantibusque cunctis summi dei, qui sibi orbem subiugaret, eum sacerdotem esse[z], cuius reve- Oros. l. c. latione ipsum cognosceret, asseruit. Darius rursum spe pacis amissa, pugnam inire molitur. Anceps tunc diu victoria stetit, Dario saepe iam[*] victo, ni vincat, mori parato, Alexandro vero ex priori[a] victoria amplius ad pugnam animato, tandem cedere dum[b] coguntur Persae, Darius mori optans, a suis bello eximitur. Sic[c] Persarum imperii hoc ultimo bello vires cecidisse[d] feruntur, ut post hoc nobile illud ac potentissimum regnum[e] pacienter Oros. III, 17. iugum servitutis portaret. His tribus bellis quindecies centena milia Persarum[f] cecidisse

a) hostem omnium 1. b) filium Alexandrum 5. 7; suum *add. editt.* c) redarg. in epis. 4. d) rationis *deest* 4. e) crederes 4. f) te non 4. g) a filio superari 2. 4. 5. h) summissius 1. 5. i) ac templa eorum 1. k) filiis 4. l) necatur dolo 1. 4. m) Hic est magnus Alexander a quo coepit et in quo desiit Graecorum monarchia *addunt editt. quae etiam margini 5 adscripta et in textu 9 et 13 inveniuntur.* n) bellico *editt.* o) audatius 2. 4. 5. p) Arsani *editt.* q) Ciro 1. 2. r) Syria 5. 7. s) subditioni 2. t) quosdam 1; alios vero 2; quosdam vero 4. u) Cirum 1. v) Cyliciam 4. 7. w) Rodum 1. 2. 7; Rohdum 4; Rodam 5. x) Ierusalem 1; Hierusulem 4. y) coluit iuxta I. 1. 4. z) esse sacerdotem esse 4. *) iam saepe 1. a) saepe ex priori 4. b) *deest* 1. c) Sicque 7 *et editt.* d) cessisse 4. e) illud regnum ac potent. 2. f) *deest* 4.

feruntur. Et hii sunt reges Persarum: Cyrus[a], Cambyses[b], Magi[c], Darius, Xerses[d], Artabanus, Artaxerses[e] qui et Longianus[f], Xerses Sogdianus[g], Darius Nothus[h], Artaxerses qui (cf. supra II, 17.) et Mennon vel Assuerus, Darii et Parisatidis filius, Artaxerses, qui et Ochus, Arses filius eius, Darius Arsami filius: qui omnes 220 vel amplius annis Orienti imperaverunt. Ex hinc imperium supputatur Graecorum seu Macedonum.

Alexander 34[i] diebus praedam percensuit, Persipolimque urbem caput Persici regni (Oros. III, 17) victor invadit. Darium[k], bello egressum praesidioque fugae confidentem, ob gratiam Alexandri fraudulenter[l] sui vinctum multisque confossum vulneribus et extremum spiritum trahentem, in via relinquunt. Quem Alexander inventum, in sepulchrum patrum suorum inferri[m] misericordia motus iussit. Fertur etiam hoc memorabile de ipso. Dum enim scire (Ekkeh.) vellet, qui domini sui traditores extiterint, sub sacramento pollicitus est, quod quicunque se interfectorem Darii profiteretur, ipse eum excelsum faceret ac[n] notabilem. Qua spe illecti[o] apparuerunt[p] ac prodiderunt se viri scelerati, quos ille statim in patibulo excelso[q] affigi praecepit: sicque iuxta quod pollicitus erat, excelsos eos fecerat[q*] in cruce ac omni aevo de perfidia sua notabiles. Inter haec[r] Alexander, Alexandri Magni avunculus, Epirotarum[s] (Oros. III, 11 et 18.) rex, dum Alexandrum aemulari cupit, a Brutis Lucanisque interficitur. Igitur Alexander Magnus post mortem Darii Hircanos[t] et Mandros imperio adiecit, Amazonumque reginam Alestram[u] procaciter venientem ad se cum muneribus, ob suscipiendam prolem excepit. Longum est enumerare gentes ac[v] regna: totum enim Orientem a Scythia[w] usque ad finem terrae suae subiugavit potestati. Probat hoc India citerior[x], quae quamvis in Oceano[y] (Oros III, 19) ultimoque Oriente posita, orbem claudat, hominibusque impervia[z], solis bestiis ac serpentibus videatur habitabilis, Alexandro tamen facta est subdita et penetrabilis. Ibi saxum mirae altitudinis et asperitatis, ubi multi populi confluxerant, Herculi inexpugnabile, ut ipsum etiam virtute supergredi videretur, cepit et expugnavit. Ibi Porum, regem Indorum opulentissimum ac mirae magnitudinis et fortitudinis virum, singulari congressu vicit, et in signum victoriae regno restituit, ipsumque ad videndum terrae ultima loca ducem habuit. De cuius domo aurea, vinea quoque[*] argentea et aurea, racemisque[a] ex gemmis pre- (Ekkeh.) ciosis, qui scire vult, legat epistolam Alexandri ad Aristotilem philosophum[b] praeceptorem suum, in qua pericula eius quae passus est, de simulacrisque[c] solis et lunae, quae ei mortem praedixerant, et multa quae tam mirabilia sunt, ut etiam incredibilia videantur, diligens inquisitor rerum[d] inveniet.

Alexander totius Orientis potitus victoria, dum Romam quoque cum universo Occidente (Oros III, 20) sibi subiugare parat, ab India revertitur in Babylonem[e], ubi exterarum gentium ex toto pene orbe ac ultimo Occidente, id est ab Hispanis[f], Gallis, Germania, Affrica ac ferme omni Italia[g] legati sibi occurrerunt[h], ut inde venisse cerneres[i] legationem, quo vix tam parvo tempore crederes etiam[k] rumorem pervenisse. Et mirum dictu, tantus timor totum invaserat orbem, ut cum per 12 tantum imperasset annos[l], in summo Oriente constituto ultimi Occidentis populi timore conterriti legatos mitterent pacemque peterent[m]. Alexander ergo in Babylone positus[n], die, tempore ac loco sibi a simulacris[o] solis et lunae in India praefixis[p], ministri insidiis veneno interiit.

O mortalium conditio, o mentes miseras et caecas. Nonne iste est Alexander, qui Per- (Ekkeh.) sarum nobile ac superbum imperium destruxit et ad Macedones[q] transtulit? Nunquid non ipse[r] est, quem[s] totus orbis tremens, etiam non visum expectare non ausus, ultro se servituti dedit? et tamen talis tantusque unius potus poculo, unius ministri insidiis extinguitur, unius morte totus mundus concutitur. Regni Macedonum monarchia, quae ab ipso coepit, ipso mortuo cum ipso finitur. Nos vero hoc ipsum non adtendimus, qui mundum diligimus, qui ipsi tanquam aeternae rei ac permanenti inhaerere volumus. Cadimus cum cadente, labimur cum labente, volvimur cum rotante, postremo perimus cum pereunte. Civitas

a) Cirus 2. b) Cambises 1. 2. 5. 7. c) Magi *deest* 1. d) Xerses 7 *hoc uno loco.* e) Artaxxerses 1; Artarxerses 4. f) *ita omn. codd.*; Longimanus *editt.* g) Xerses sogdianus 1; xerses. sogdianus 2. 4. h) Notus 5. i) XXIIII 2. k) Darius 1. l) fraudolenter 1. 2. 4. m) *deest* 4, *supplet manus posterior post* iussit *verbum* sepelire. n) et 4. o) Q. s. ill. *desunt editt.* p) ergo *add. editt.* q) *deest* 1. q*) fecit 5. r) *deest* 2. s) Epyratarum 4; Epyrotarum 5. 7. t) Hyrcanos 2. 4. 7. u) Aiestram 7. v) et 1. w) Scithia 1. 2. x) sciterior 5. y) occeano 1. 5. z) inpervia 1. 4. *) vineaque 1. a) racemis 1; racemusque 2. b) phylosophum 4. c) simulachrisque 4. d) rerum *deest* 2. 4. e) Babilonem 2. 4. f) Hispaniis 1; Hyspanis 4. g) Ytalia 4. h) occurrunt 4 *et edd.* i) cerneres venisse 2. k) quo vix etiam tam etc. 4. l) *loco* ut cum pro XII tantum imperasset annos *leguntur in* 1: ut per XII imperasset annos; *in* 2: ut per XII annos; *in* 4: ut cum per XII imperasset annos. m) requirerent *editt.* n) constitutus 4. o) simulachris 1. p) praefixa 1. 2; praefixo 4. q) Macedonas 2. 4. 7. r) ipse non 2. 4. 7. s) quem *deest* 4.

autem Christi fundata supra firmam petram, malis ac tempestatibus mundi non concutitur, immobilisque[a] ac inconcussa[b] manens, aeternaliter regnare, aeternaliter coronari meretur.

Oros III, 23. 26. Igitur Alexandro mortuo, qui per 12 annos orbem sibi ferro subiugaverat, principes eius coadunatum ab ipso imperii corpus, singuli singulas sortiti provincias, veluti praedam nobilem a magno sibi leone[c] praeparatam, membratim per 14 annos avidi discerpsere catuli, Orientisque imperium diu post hoc in sua ditione tenuerunt. Machab. Hinc Ptholemaeus Aegyptum, Antipater Graeciam, Seleucus[d], a quo Seleucia, Antiochiam pariter[e] et Syriam et Babyloniam[f], Cassander Lyciam[g] et Pamphiliam[h], Antigonus[i] maiorem Phrygiam[k], aliique singulas occupavere provincias: ac iuxta librum Machabaeorum diademata sibi imposuere[l]. Dumque provincias et regna[m] dividerent, tantum ad invicem contraxerunt odium, ut ad ultimum omnes mutuis caderent vulneribus. Ut enim liberius debachari[n] possent, matrem Alexandri Olympiam[o] una cum filio suo Hercule, 14 annos habente, Cassander et Antigonus[p] interemerunt. Fuerunt aliquanto post tempore fortissimi, quos supra memoravi[q], cives Christi Machabaei, quorum alii pro testamento Dei, primi antiquae legis martyres[r], ab Antiocho rege martyrio[s] consummantur[t], unde et soli ex antiquis[u] patribus ab ecclesia inter martyres coluntur; alii vero Iudas et fratres eius, viriliter pugnando ac armis patriam defendando[v], post innumerabilem inimicorum stragem ipsi quoque bello[w] ciciderunt.

cf. prooem. lib. II. 27. Sed iam ad Romanorum imperium stilum vertamus, nempe, ut saepe iam dixi, regnum Romanorum regno Babyloniorum tanquam patri successit filius. Dum ergo[x] in primeva, velut[y] in[z] infantia, maneret conditione, duo quae modo nominavimus regna, Persarum scilicet et Graecorum[*], quasi tutores et paedagogi[a] huius fuerunt. His itaque cadentibus et velut[b] morientibus, regnum Romanorum, quod iam ad robustam pervenerat aetatem[c], utpote magisterii iugo excusso[d] libere per se coepit regnare dominiumque suum iure haereditatis recognoscere.

Oros III, 15. 28. Anno ergo ab Urbe condita 426, eo scilicet quo Philippo successit Alexander, quasi adhuc vivente paedagogo, Roma admodum est dehonestata[e]. Nam cum Samnites bello pressissent, pluresque ex eis, id est 20 milia cecidissent, Samnites dampno suorum correpti, evocatos in angustias[f] locorum Romanos in tantum oppresserunt, ut in potestate haberent, an occiderent, an potius captos in servitutem redigerent. Usque ad id enim tempus occidi poterant, capi non poterant Romani. Turpiter ergo capti ac vestibus[g] armisque nudati, obsides quoque dare coacti, ignominiose domum sunt reversi. Et, ut ait Orosius, hodie Romani aut non essent omnino[h], aut Samnio dominante servirent, si fidem foederis, quam sibi servari a subiectis volunt, ipsi subiecti Samnitibus[i] servassent[k]. Sequenti anno Romani foedus rumpunt, rursumque cum Samnitibus, Papyrio[l] consule duce, bellum instaurant. Quem tantae virtutis fuisse ac strenuitatis ferunt, ut eum etiam Alexandro Magno, si venisset, opponere[m] cogitassent.

Oros III, 21. 29. Anno ab Urbe condita 450, cum, Alexandro mortuo regnoque suo a sociis[n] suis[o] in se ipso diviso ac per hoc desolando, regnum Romanorum iam tanquam paedagogo defuncto in propria auctoritate ac libertate[p] stare coepisset, Quinto Decio Mure, Fabio Maximo quater consulibus, quatuor fortissimae gentes, Etrusci, Umbri, Samnites, Galli adversus ipsum conspiraverunt, Romani, utpote qui[q], ut supra dixi, ad robustam aetatem pervenerant[r], consilio arteque usi, hostem dividere conantur. Itaque Etruscos et Umbros dum incendio agrorum suorum reverti faciunt, ipsi cum Samnitibus ac Gallis pugnam ineunt, gravissimeque[s] utrobivis pugnantes, Decius cum 7 milibus legionis suae occubuit, Fabius vero, occisis 50 milibus adversariae partis, victor extitit. Revertentibus autem de victoria Romanis, pestilentia magna Urbem invasit, sicque[t] in luctum versum est gaudium.

a) immobilis 1. b) non concussa 2; atque inconcussa *editt.* c) leone sibi 4. d) Soleucus 1. e) *ita* 5 *et editt.*; Antiochi pater *caeteri codices.* f) Babiloniam 1. 2. g) Liciam 1; Litiam 2. h) Pamphyliam 4. i) Antygonus 4. k) Phrigiam 1. 2. 4. l) inposuere 1. 4. m) Cumque regna et provincias 1. n) debachare 1. o) Olimpiam 1. 2. p) Antygonus et Cass. 4. q) nominavi 5 *et edd.* r) martires 2. 7. s) martirio 1. 2. 7. t) ab Antiocho rege passi 4. u) ab antiquis *corr.* ex antiq. 4. v) defendendo 2. 4; defensando 5. 7. w) ipsi quoque in bello 1; ipsi quoque 2; ipsi quoque bello 4. 5. x) enim 1. y) velud 2. z) *deest* 1; *superscr.* 4. *) Persarum sc. et Medorum 1; Grecorum scilicet et Persarum 4. a) pedagogi 2. 4 *semper.* b) *deest* 1. c) aetatem perven. 1. d) regno excusso 1. e) dehonorata 5. 7 *et edd.* f) angustiam 4. g) et vestibus ac arm. 4. h) omnino non essent 5 *et editt.* i) Samnytibus 4 *semper.* k) servavissent 2. 4. l) Papirio 1. 2. 5 *semper.* m) obponere 2. n) sotiis 1. o) a sociis suis *desunt* 4. p) ac libertate *desunt* 1. q) qui *in* 4 *positum post* dixi. r) venerant 2. 4. 7. s) gravissime 1. t) sic 1. 4; et sic 2.

30. Anno sequenti denuo[a] a Samnitibus vincuntur Romani, sed Papyrius consul contra Oros. III, 22
eos missus, victor extitit. Proximo de hinc anno Fabius Gurgis cum eis pugnans vincitur in Urbemque fugatur. Quem cum senatus ob hanc ignominiam submovere a consulatu[b] decerneret[c], pater eius Fabius Maximus ultro se obtulit, ac conserto cum hostibus praelio, capto duce eorum Pontio, multisque caesis milibus, triumphans bellum Samniticum, quod per 59 annos cum multo utriusque urbis sanguine protractum fuerat, utcunque finivit. Rursum tamen redivivum bellum excitare cogitantes[d], cum Lucanis, Brutiis[e], Etruscis, Gallis Samnites contra Romanos conveniunt[f], ubi cum utriusque partis strage fortissime[g] pugnatum est, Gallis more suo viriliter pugnando crudeliter Romanos caedentibus.

Involvi multorum discrimina bellorum[h], rerumque mutationes tam miseras texui quam multiplices. Verum quia transcursis Babyloniorum, Medorum, Persarum, Graecorum gestis, ad Romanorum tandem historiam venimus[i], ea quae ab ipsis vel fortiter vel aliter gesta sunt, quia a multis large diserteque sunt edita, nos brevitatis causa compendio stringamus. Hoc tantum lectorem notare volo, Romam pene[k] nunquam[l] fuisse sine bellis exterius, vel sine clandestinis malis seu pestilentiis interius[m]. Unde Orosius atrocitatem pestilentiae, quae quadam vice apud[n] Romam conflagravit, significans quanta esset: *Census,* inquit, *in-* Oros. IV, 5.
dictus est, qui non quantum hominum deperisset[o], *sed quantum superfuisset inquireret.* Idem paulo post: *Ecce continuatim quae et quanta numeravimus accidisse annis singulis*[p]. *Plurimi anni sunt, inter quos certe raro aut pene nullo nichil non triste gestum. Et hoc cum idem scriptores, proposito sibi magis laudandi*[q] *negocio, caverent, numerositatem miseriarum, ne eosdem, quibus haec et de quibus scribebantur, offenderent, auditoresque suos exemplis praeteritorum terrere potius quam instruere viderentur. Porro autem nos in ultimo temporum positi, mala Romanorum scire non possumus, nisi per eos qui laudavere Romanos.* Ex quo datur[r] intelligi, quanta illa fuerint, quae studio propter honorem repressa sunt, cum tanta inveniuntur, quae tenuiter inter laudes emanare potuerunt. Nondum Samnitico bello ad plenum expleto, maximum illud et famosissimum Pyrrhi[s] sequitur bellum, qui ex genere magni[t] Achillis originem[u] ducens, Epirotarum[v] regnum tenebat. Occasio autem[w] huius belli Tarentini fuere.

31. Anno ab Urbe condita 464. Tarentini classem Romanorum praetereuntem ex specta- Oros. IV, 1.
culo theatri hostiliter invadentes, quibusdam per fugam lapsis, alios cepere, alios interfecere. Quod dum Romani prius legatione missa quererentur ac non proficerent, fines eorum cum Aemilio duce igne ferroque vastantes, hostiliter invadunt. Tarentini, utpote ex Lacedaemoniis geniti, Pyrrhum[x] Epirotarum regem[y] legatione pulsant, eiusque auxilium impetrant[z]. Qui dum ad bellum[*] contra Romanos proficiscitur, consulto mendacissimo ac vanissimo Delphico[a] Apolline, dubium ab eo, more suo, accepit responsum: ait enim:

Aio te, Aeacida[b], *Romanos vincere posse.*

Igitur Pyrrhus Romanique Levino consule, dum non pro temporalis rei commodo, sed pro gloria libertateque tuenda pugnam apud Eracliam[c] Campaniae urbem fluviumque Lyrim[d] conserunt, acerrime diutissimeque per quinquaginta, ut aiunt, dies mori utrobique magis quam cedere optantes, dimicavere. Romani tandem maxime elephantum, quos tunc primum viderant, terrore consternati, in fugam versi dicuntur. Caesa feruntur ex eis peditum[e] 14 milia octingenti septuaginta, capti mille 10. Ex equitibus vero caesi 256, capti 702[f], amissa signa 22. Quantum etiam detrimentum suorum vincendo[g] acceperit Pyrrhus, ipsemet postmodum manifestavit. Dum enim Tarentum revertitur, ibique Iovi titulum[h] figit, dixisse fertur:

Qui ante haec invicti fuere viri pater optime Olympi[i],
Hos ego in[k] *pugna vici, victusque sum ab eis.*

Dumque increparetur a suis, cur se victum diceret, qui vicisset, respondit: *Nae*[l] *ego si iterum hoc modo vicero, sine ullo milite revertar Epirum*[m]. Romanis fugientibus aliud discrimen

a) *deest* 1. b) a consulatu subm. 4; a consultu 7. c) decernerent 5. d) cogitante 1. e) Brutis 1. 2. 5; Bruttis 4. f) veniunt 4. g) *deest* 4. h) m. b. d. 5. i) devenimus 4. k) pene *deest* 1. l) nun. pene 5. m) externis .... internis *editt.* n) aput 1. o) cepisset 4. p) singulis annis 1. q) laudando 1. 2. 4. 7. r) intelligi datur 5 *et edd.* s) Pirri 1. 7 *constanter;* Pyrri 2. 4 *constanter.* t) magno 1. 4; magna 2. u) Achyllis generationem 4. v) Epyrotarum 4. 5 *semper.* w) autem *deest* 1. x) pyrrum 5. 7. y) regem *deest* 1. z) inpetrant 1. *) ad bellum *desunt* 4. a) delphyco 4; delfico 5. 7. b) Aeacide 1; eacide 2; eacyde 4; eacida 5. 7. c) Eracliam 1. 2. 5. 7; Eraclyam 4. d) Lirim 1. 2. 7. e) peditum *deest* 4. f) DCCCII. 5. 7 *et edd.* g) incendio 1. 2. 4. h) tytulum 4. i) Olimpi 1. 2. 5. k) hos ergo ego in 7. l) Ne 2. 4. 5. 7. m) Epyrum 2. 4.

oritur. Nam pabulatores eorum a[a] grandine percussi, alii mortui, alii semivivi inveniuntur. Secundo in Apuliae finibus bellum adgressis[b] diuque pugnantibus Pyrrhus vincitur, ex Romanis 5 milia, de exercitu Pyrrhi 20 milia ceciderunt: ipse quoque Pyrrhus graviter [Oros IV, 2.] in brachio sauciatus fuit. Tercio inter eos bello apud Lucaniam gesto cum multo utriusque exercitus detrimento, Pyrrhus tandem vincitur, sicque quinto demum anno ab Italia[c] fugere compellitur. Tanta autem virtute ac nobilitate bellum hoc gessisse fertur, ut plurimum etiam ab ipsis commendetur Romanis. Potest hoc perpendi in praeclara eiusdem sententia de reddendis captivis; ait enim:

[Cic. de off. I, 12.]
Nec mi aurum posco, nec mi precium[d] dederitis,
Nec cauponantes[e] bellum, sed belligerantes
Ferro, non auro vitam certamus[f] utrique.
Vosne velit, an me regnare[f] quidve ferat sors[g],
Virtute experiamur, et hoc simul[h] accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorum[f] me libertati parcere certum[i] est.
Dono ducite, doque volentibus et magnis diis[k].

Haec ab antiquo scriptore[l, 89] edita, Tullius etiam ad argumentum virtutis suae[m] in libro de [ib. III, 22] Officiis ponit. Rursum idem de eodem: *Cum enim rex Pyrrhus populo Romano[n] bellum[o] ultro intulisset, cumque de imperio[p] certamen esset cum rege generoso[q] ac potente, perfuga venit ab eo in castra Fabricii, eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se, ceu clam in castra Romanorum venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque eius factum laudatum a senatu est[r].* Pyrrhus [Oros IV, 2.] multis postmodum gloriose gestis bellis, in Graecia tandem apud[s] Argos Achaiae[t] urbem[u], saxo ictus occubuit. Quo mortuo Tarentini Karthaginensium[v] auxilium flagitant et accipiunt[w].

[Oros IV, 6.] 32. Sed quia Karthaginis[x] mentionem fecimus, de ipsa dicere aliqua non incongruum ducimus. Haec urbs ab Elissa[y] condita ante Romam per septuaginta duosque annos, a Tyro duxisse invenitur originem. Totius vero Affricae caput[z], reges potentissimos habuit, qui usque adeo imperium dilataverant[*], ut etiam inter quatuor principalia regna a quibusdam poneretur. Qualiter autem urbs haec gloriosa in regnis opulentissimaque labi coeperit, [Iust. 18, 6.] paucis aperiam. Ait Pompeius seu Iustinus hoc modo: *Karthaginenses vernaculum atque intestinum malum semper inter se habuere discordiam. Qua infeliciter[a] exagitante, nulla unquam tempora[b] vel foris prospera, vel domi quieta duxerunt. Sed cum inter caetera mala etiam pestilentia laborarent, homicidiis pro remedio[c] usi sunt. Quippe homines ut victimas immolabant, aetatemque[d] impuberem[e], quae etiam hostium misericordiam provocaret, aris immolabant.* Itaque aversis diis[f], ut ipsi dicunt, ut nos vero dicere possumus, Deo vero huiusmodi sacrilegiis offenso, tam in Sicilia quam in Sardinia infeliciter pugnavere, multisque[g] eventibus miseris Cyri, Darii, Philippi, Alexandri temporibus usque ad tempus, unde nunc [Oros l. c. cf. Ekkeh. H misc.] agimus, sunt attriti. Igitur dum Tarentinos adiuvare parant, a Roma fidei firmatique foederis monentur, quod ruptum insuper periurio[h] cumulare non timent. Haec occasio malorum bellique maximi fuit. Ex hinc Affricanum, quo nunquam maius Romani perpetiere[i] bellum, tam famosum quam magnitudine ac diuturnitate sui insigne, tam multis ac variis malorum eventibus est perpetratum, ut solum ad mortalium aerumpnarum[k] mutabilitates sufficere valeat comprobandas. Quod quia alii satis luculenter per ordinem executi sunt, nos brevitatis causa, praesertim cum non curiositatis gratia, sed ad ostendendas caducarum rerum calamitates scribamus, historiam stringere volumus. Non enim, ut exemplo illorum qui fortiter se egisse[l] arbitrati sunt, alios ad bella accendamus, sed ut in bellis variisque

a) a *deest* 4. b) instaurant *edd.* c) Ytalia 4. d) hi *superscript. in* 1. e) canponantes 1. 4. f) cernamus ... regnare hera ... Horundem *editt.* g) fors 4. 5. h) semel *alia manu superscr. in* 1. i) dictum 4. k) dis 1. 5. l) scripl. edita quodam 1; scriptore quodam edita 2. 5. 7; quod. scr. edit. 4. m) in arg. suae virtutis 1. n) Romanorum 1; Romano 2. 4. 5. 7. o) bellum *deest* 1. p) imp. *corr. altera man.* inp. 1. q) glorioso 4. r) laudatum est a sen. 2; senatu laudatum est 4. s) apud *deest* 2. t) Achayae 4. 7. u) urbem Achaiae 1. v) Kartag. 1. 4 *semper;* Karth. 5 *constanter.* w) fl. et acc. aux. 7. x) 7 *et* 13 *interdum* Carthago *et* Carthaginenses, *saepius vero sicut caeteri codices s. XII scribunt* Karth. y) Elyssa 4. 7. z) capud 2. *) dilataverunt 1. 4. a) feliciter 1. b) *deest* 4. c) remediis 5. 7 *et edd.* d) etatem 2. e) inpuberem 1. 4. 5. f) dis 1. 2; *ita prius et* 7, *sed post corr.* diis. g) murtisque 4. h) peiurio 1. 4. i) perpessi sunt *editt.* k) aerumpnarum 1; erumpn. 4. 5. l) gessisse 1. 2. 5.

89) Ennio.

alternantium rerum casibus mutabilium miserias ostendamus, bellorum ac rerum[a] nutantium[b] seriem teximus.

33. Igitur anno ab[c] Urbe condita 483. Romani per Apium Claudium, ipso et Quinto Fabio consulibus, Affricanum bellum adorsi, Hieronem[d] Syracusanorum[e] regem Poenis[f] familiaritate coniunctum, primo debellare parant. Quem dum sine gravi negocio[g] superassent, pacem petentem cum pecuniae pactione susceperunt. Post Agrigentinum Siciliae urbem, ubi Poenorum copiae et praesidia una cum Hannibale[h] imperatore eorum erant, obsidione clauserunt. Ad summam vero paupertatem redacto imperatore, civitas tandem capitur, paucisque cum rege per fugam[i] clam elapsis[k], reliqui sub corona venduntur. Deinde Poenis, Gneo Cornelio Asina, Gaio Duilio[l] consulibus, navale praelium parantibus, a praefatis consulibus cum classe Romanorum[m] obviatur: vocatoque ab[n] Hannibale Cornelio Asina ad colloquium pacis, et fraude necato[o], Duilius navale cum eis praelium commisit, ac pluribus occisis seu captis milibus, victor extitit. Qui rursum bellum instaurantes a Scipione[p], Lucio Cornelio ipso et Gaio Aquilo Floro consulibus, sub Hannone rege suo multis deletis, in fugam vertuntur. (Oros. IV, 7.)

34. Itaque post haec Regulus bellum Punicum sortitus, iuxta flumen Bagrada castra metatus est; ubi et serpens mirae magnitudinis, utpote cuius corium 220 pedum fuit, multos de exercitu devorans, non minus arte quam virtute Reguli necatur, coriumque eius pro miraculo Romam defertur. Regulus cum tribus imperatoribus, id est cum duobus Asdrubalibus[q] ex Affrica, et tertio[r] Hamilcare accito ex Sicilia, manum conseruit, caesisque ex eis 10 et 7 milibus, captis 5 milibus cum 10 et 7 elephantibus[s], reliquos in fugam vertit, oppidaque 82 in deditionem accepit. Qua de re Karthaginenses[t] tot infortuniis fracti ac re familiari exinaniti, pacem petunt; sed cum duras conditiones pacis audissent, malentes in libertatie mori quam servituti addicti male ac misere vivere, accito[u] sibi sociorum auxilio, id est Hispanorum[v] ac Gallorum, Xantippoque[w] Lacedaemoniorum rege precio[x] conducto, rursus bellum innovant. Atrocissime tunc utrobique pugnantes, Romani vincuntur, sicque decimo demum anno[y] victoria nobili Karthaginenses potiuntur. Cesa sunt ibi Romanorum 30 milia, captus cum 500 viris Regulus ac in catenis positus[z]. Xantippus victoria adepta, rerum mutationes timens, in Graeciam revertitur; Romani clade suorum comperta, sub E. P. Paulo[*] Lucioque Metello consulibus, denuo Poenis bellum indicunt. (Oros. IV, 8.) Itaque ne multis morer, tam navali quam terrestri praelio innumeris utrobique profligatis submersisque, Karthaginenses[a] rursum pacem petere coguntur. (Oros. IV, 10.) Ad quod dum Regulum captivum inter alios mitterent nec impetrarent[b], resectis palpebris vigilando eum necaverunt. Quam historiam[c] ad exemplum contempnendae mortis pro virtute et aequitate Tullius in libro de Officiis (III, 27.) ponit hoc modo: *Marcus Regulus cum consul iterum in Affrica ex insidiis captus est*[d], *duce Lacedaemonio Xantippo, imperatore autem patre Hannibalis Amilcare*[e], *iuratus missus est ad senatum, ut nisi essent redditi*[f] *Poenis captivi nobiles quidam*[g], *rediret ipse Karthaginem. Is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam iudicavit, quae erat talis: Manere in patria, esse*[h] *cum uxore, cum liberis*[i], *tenere consularis dignitatis gradum, quis haec neget*[k] *esse utilia? Quae censes, magnitudo animi et fortitudo negat*[l]. *Harum enim proprium virtutum*[m] *nil extimescere, omnia humana despicere.* Et infra: *In senatum venit, mandata exposuit, sententiam ne diceret, recusavit: quamdiu iureiurando*[n] *hostium teneretur, non se esse senatorem. Reddi captivos negavit esse utile: illos enim adolescentes esse et bonos duces, se iam esse confectum senectute. Cuius cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt. Ipse Karthaginem redit, neque eum karitas patriae retinuit, nec suorum. Neque vero tunc ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci; sed iusiurandum conservandum putabat. Itaque tum*[o] *cum ibi vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex,*

a) rerum *deest* 1. b) nutancium 1. 4. 5. c) ab anno 1. d) Herconem 4. e) Sirac. 1. 2. f) Penis 2. 4. 7 *semper*; Pęnis 5. g) negotio 1. 2. h) Hannybale 4 *semper*. i) per fugam *desunt* 4. k) elapsis clam 1; clam *superscr.* 4. l) Diulio 5 *constanter*. m) Romanorumque 1. n) a 1. 2; *deest* 4. o) sed fraude punica n. *editt.* p) 1 *primo scripserat* cipione, *litteram* S *alia manus post addidit*; Scypione 4. q) Astrubalibus 4. 5. 7. r) tercio 1. 2. 7. s) elefantibus 5. t) cartaginenses 4, *et sic deinceps*. u) accitoque 2; accyto 4. v) Hyspanorum 4. w) Xantyppoque 4. 7 *semper*. x) *deest* 4. y) demum anno 1. z) nam in prioribus longe plures ac innumerabiles ex Carthaginensibus corruere *addit* 5 *manus fere coaeva in margine, quae etiam in* 9. 13 *et in editionibus reperiuntur* *, sub E. P. Paulo 1. 2. 4. 7; sub paulo 5. a) Karthinenses 2. b) inpetrarent 1. c) hystoriam 5. 7. d) esset 5 *et ed.* e) Amylcare 4. f) redditi essent 2. 4. g) quidem 4. h) domi suae *add. editt.* i) quam calamitatem accepisset in bello communem fortunae bellicae iudicare *addunt editt.* k) negat 2. 4. l) Num locupletiores quaeris autores? *addunt edd. Qui tres loci exstant quidem in Cicerone, sed in nullo quod sciam Ottonis Frisingensis codice reperiuntur.* m) virt. propr. 5. 7. 13*. n) iurando 2. 4. o) tamen 1.

captivus[a], *periurius, consularis remansisset*[b]. Item alibi: *Nec vero ego M. Regulum aerumpnosum, nec infelicem, nec unquam miserum putavi. Non enim magnitudo*[c] *animi eius*[d] *cruciabatur a Poenis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse, qui tot virtutum praesidio tantoque comitatu, cum corpus eius carperetur, carpi*[e] *ipse*[f] *non potuit*[g].

Vides quot[h] modis in[i] his verbis ad exemplum pacientiae contemptumve mortis ac doloris amore virtutum[k] incitamur. Quid est enim aliud dicere fortitudinis esse, nil extimescere, omnia despicere Regulum, nec karitatem[l] patriae, nec suorum, vel proprii corporis supplicia[m] a promisso revocare, quam contemptus praesentium, abrenuntiatio[n] parentum, possessionum ac postremo sui ipsius abnegatio? Quam trinam abrenuntiationem[o] in scriptura sacra frequenter invenimus. Proinde si mors etiam iuxta gentes, qui Deum ignorabant, contempnenda cognoscitur, nos qui iam ad agnitionem veritatis vocati sumus, quomodo de ignorantia excusabimur? At dicet aliquis, mortem iuxta philosophos pro virtute contempnendam, mundum vero cum concupiscentiis eius iuxta euangelium pro amore coelestis patriae aspernandum non fore? Quid hoc stultius? quid ineptius? quid dementius[p]? Quasi non omnis mundialis voluptas morte claudatur, finiatur, extinguatur. Unde (Eccles 10,1) est illud sapientis: *Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti*[q]. Restat igitur, ut nos qui (Iesa 23, 4) in ecclesia esse cernimur, exemplo gentium, secundum quod propheta ait: *Erubesce, Sydon, ait mare:* de malis operibus erubescamus, ac de amore praesentium ad aeternorum desiderium conversi rapiamur. Sed haec hactenus[r].

(Oros IV, 11) Regulo Atilio[s] Lutatioque consulibus, Romani post haec tot malis attrivere Karthaginenses, ut tum demum pacem[t] proposita sibi a Romanis conditione acciperent. Conditio autem talis fuit, ut per 20 annos trium milium talentorum singulis annis pondus pro expensis darent, Siciliaque ac Sardinia[u], quas tunc occuparant, decederent. Facta est haec pactio 23. ex quo bellum Punicum coepit anno. Ubi quot regum, consulum senatorumve ordines perierint, quantae utriusque populi strages fuerint, enumerare nemo posset. Iani (cf Oros IV, 10) tunc porta, secundo[v] a Numa, clausa est.

(Oros IV, 11) 35. Anno ab Urbe condita 507. victoriae huius laeticiam ingens praevenit moeror. Urbs enim tam inundatione Tyberis quam incendio consumitur, domorumque ac hominum misera (Oros IV, 12) strage vastatur. Hisdem diebus cum Alpinis[w] Gallis Romani pugnantes, primo victi, secundo vicerunt. Tunc etiam Karthaginenses[x] pacem violant. Hinc iam supputatur bellum[y] Punicum secundum.

36. Igitur nobilem Karthaginensium urbem urgebat[z], quod quae antea imperare[*] terris, insulis tributa exigere consueverat, iam Romanorum imperio subiacere, iam ipsis tributa dare cogeretur. Ea propter Hamilcar dux Karthaginensium, dum Romanis bellum machi- (Oros. IV, 13.) natur, ab Hispanis[a] vita privatur. Hannibal vero, qui Amilcari[b] patri ad aras contra Roma- (cf H m.) nos iuraverat, ultionem omni nisu intentat. Occasione vero[c] nacta, Hispaniae urbem ac (Oros. IV, 14) Romanis amicam Saguntum obsidione cingit, spretisque ac iniuriosissime affectis Romanorum legatis, ipsam civitatem octavo mense cepit et expugnavit. Inde ad ipsorum excidium per Gallias profectus, viam per Pyreneas Alpes primus igne ac ferro aperuit, Gallosque Alpinos resistentes[d] vicit. Transcensis Alpibus, P. Cornelio Scipione et P. Sempronio[e] Longo consulibus, apud Ticinum[f] bellum committitur. Itaque Scipione vulnerato ac per Scipionem filium, qui postmodum Affricanus dictus est, morte exempto, omnis pene Romanorum deletur exercitus. Rursumque bellum[g] parant, ac vincuntur. Tertio item dum bellum instaurant, Romani in fugam vertuntur. Sauciatus ibi Hannibal, post in Etruriam[h] primo vere transiens, ex nimietate frigoris oculum in Apennino perdidit. Quid multa? Tam virtute quam arte Hannibalis his aliisque bellis, et praecipue cum apud Cannas pugnasset, et caesis captisque pene omnibus ac maxime consularibus viris, unde tres modii annulorum[i] a manibus nobi- (Oros. IV, 16.) lium interfectorum tracti, in signum victoriae Karthaginem missi dicuntur, his, inquam, tantum attriti malis Romani fuere, ut in ultima desperatione capti Urbem quoque deserere ac

a) captivus senex 1. b) permansisset 1. c) *deest* 1. d) magnitudo eius animi 2; magnitudo animi 4. e) carpi certe 5. 7. 13. f) praesidio munitus tantoque conatu comitatuque virtutis sopitus cum corpus eius caperetur, capi certe ipse *editt., quae nullus codex ita exhibet.* g) Sic Tullius *add.* 5. 7. h) *ita* 2. 4; quod 5 *et editt.* i) quod in omnibus *editt.* k) amore virt. *desunt editt.* l) caritatem 5. 7. m) supplicio 1. n) abrenunciatio 1. o) abnegationem 4. p) detrimencius 1. q) ungenti 4. r) actenus 2. s) atylio 4. t) pace 1. u) Sycilia ac Sardynia 4. v) secundo porta 1. 4. w) *ita* 1. 2. 4; cisalpinis 5. 7; transalpinis *editt.* x) Kartaninenses 1; Kartaginenses 2; Cartaginenses 4. 5. 7. y) bellum *deest* 1. 2; bellum supputatur 5 *et edd.* z) urguebat 1. 4. 7. *) imperaret 1. a) Hyspanis 4. b) *ita* 1. 2. 4; Ham. 7. c) ergo 5. 7 *et edd.* d) sibi *add.* 1. e) Simpronio 1; Sympronio 2. 4. 7. f) Tycinum 4. g) congredi 5. 7 *et edd.* h) eutruriam 4. i) anulorum 2. 4.

provinciam mutare cogitassent. Nec dubium iuxta Orosium, quin vel omnes servituti subiecti, vel ad internecionem[a] caesi fuissent, si Hannibal post tot victorias ad Urbem capiendam processisset. Hannibal vero improvide[b] circa Tarenti fines in Apulia moratus, multos ex calore terrae[c] ac foetore perdidit. Igitur Sempronio Gracco, Quinto Fabio Maximo consu- Iord. Oros. l. c. libus, Claudius ex praetore proconsul factus, Hannibalis exercitum plus natura locorum quam viribus Romanorum sauciatum primus vicit, ac caeteris spem vincendi Hannibalem dedit. Inter haec Scipiones Hastrubalem Poenorum imperatorem exercitum in Italiam parantem, gravi bello presserunt. Gneo Fulvio[d] et Sulpitio consulibus, Hannibal de Campania Oros. IV, 16. castra movens, Urbem aggredi temptat. Ubi dum trepidi tam viri quam mulieres ad moenia confugerent Urbemque defensare pararent, Hannibal bis grandine[e] tempestatibusque ab impugnatione[f] Urbis arcetur. Dixisse tunc ex religione ferunt Hannibalem, potiundae[g] sibi Romae quandoque voluntatem, quandoque non esse facultatem. Quod quidem[h] Romani diis[i] suis, Urbem defensantibus, ascribebant, nos vero occultis ac profundis iudiciis Dei, sine cuius nutu nec folium in terram cadit, attribuere possumus, qui hanc urbem inter tot pericula et discrimina servare ac paulatim proficere in totiusque orbis dominium crescere voluit. Cuius[k] rationem, quantum humana fragilitas metiri potest, in sequentibus, dum ad Augusti Caesaris principatum ventum fuerit, Deo largiente, reddemus. Hoc decimo anno ex quo in Italiam venit Hannibal, factum est. Interea duo Scipiones a fratre Hastrubalis in Hispania necantur. Ea tempestate a Quinto Fulvio consule Capua urbe Campaniae[l] capta, principes eius veneno se interfecerunt.

37. Itaque occisis Scipionibus, dum cuncti metu consternarentur, essetque inopia Oros. IV, 17. maxima aerarii, Scipio admodum adolescens, M. Claudio et Valerio Liviano[m] consulibus, patrem patruumque[n] ulturus se obtulit[o]. Proconsulare ergo sortitus officium, 24 habens Oros. IV, 18. annos, Pyrenaeum cum exercitu transcendit, captaque ibidem nova Karthagine, stipendia large ex praeda urbis ampliavit. Magonem Hannibalis fratrem cum aliis captivis Romam misit, Hastrubalem Poenorum regem vicit, octogintaque civitates aut destruxit, aut in deditionem accepit. Considerari hoc loco potest, cum quanta non solum fortitudine, sed et[p] prudentia Romani orbem terrae suum fecerint. Dum enim Hannibali[q] Affrorum viribus in Italia moranti, decertare non valerent, regnum eius tanquam exhaustum milite et infirmum hostiliter invadunt ac devastant, ut per hoc hostem ad propria saltem[r] redire[s] compellant. Ex quo liquido apparet, iuxta viri prudentis sententiam, ingenium in bello plurimum valere. Inter haec[t] Hannibal in Italia Marcellum consulem cum exercitu delevit, Crispinum in insi- Oros. IV, 18. dias callide evocatum pari modo necavit. Claudio Nerone et M. Livio Salinatore[u] consulibus, Hastrubal Hannibalis frater, a Poenis in auxilium fratri missus, Romanorum praevenitur insidiis. Transcenso quippe Pyrenaeo, Romanum militem obvium habuit, cum quibus manum conserens cum toto pene exercitu interemptus est. Captivi Romanorum[v], qui ad quatuor milia ibi erant, relaxantur. Ceciderunt in eo praelio de Romanis 8 milia, ex Affris vero 58 milia, capta quinque milia quadringenti et quatuor. Caput Hastrubalis[w] fratri Hannibali ante castra proiectum est. Quo viso strageque suorum comperta, Hannibal tertio decimo quo in Italiam venerat anno cessit ad Brutios[x], et sic sequens annus[y] inter ipsum et Romanos, utrisque fatigatis, sine bellorum inquietudine ductus est.

38. Interea Scipio tota Hispania[z] pervagata, a Pyrenaeo usque ad Oceanum[*] Romanorum provinciam fecit. Hannibal vero, mirabile dictu, non solum bellis sed et morborum malis toto pene exhausto exercitu, Sempronium consulem cum Romanorum exercitu pugnantem secum vicit, atque[a] ad Urbem fugere compulit. Igitur iam pene tota Affrica[b] ferro igneque a Scipione consumpta, Hannibal revocatur a suis, sicque interfectis omnibus Oros. IV, 19 qui eum sequi nollent Italicis militibus, flens reliquit[c] Italiam. Qui dum ad Affricanum propinquaret litus, speculatorem malum ascendere praecepit, a quo sibi responsum[d] ferunt, sepulchrum[e] se dirutum videre. Hannibal Karthaginem[f] veniens, Scipionis colloquium petit. Ubi dum se duo clarissimi bellatores mutuo colloquentes mirantur, pacis infecto

a) intencion..m 1, *corr. alt. manu* internecionem. b) inpromde 2. c) *ita* 1. 2. 7; ex calore et fetore 4. d) Flavio .. 2. 4. 5; Fulvio 7 *et editt.* e) a grandine 1. f) inpugnatione 2. 4. g) potiende 4. h) *ita* 7 *et edd.*; quidam 1. 2. 4. i) dis 1. k) cuius rei 5 *et edd.* l) Camp. *deest* 1. m) Livione 1. 2. 4. n) patruum 1. o) optulit 1. p) etiam 2. 4. q) hannibalem 2. 4. r) saltim 1. 7. s) ad propria *add.* 4. t) Interea 1. u) Salinatore 2. 4. v) Romanorum captivi 4. w) Astrubalis 4. x) Bruttos 4. y) *omitt.* 1. 2. 4; *add.* 5. 7 *et edd.* z) Hyspania 4. *) occeanum 1. a) adque 1. b) Africa 4. c) reliquid 1. d) responsum sibi 1. e) sepulcrum 5. f) Cartaginem 2. 4. 5. 7.

negotio ab invicem discesserunt, rursusque bellum consertum est, quod cum magno utriusque principis ingenio virtuteque confectum, Romanis tandem plenam victoriam dedit. Caesa sunt ibi Karthaginensium 20 milia, elephanti 80 interfecti vel capti. Hannibal Karthaginensibus suadens residuam spem in pace ponendam, cum quatuor militibus clam elapsus Adrumetum[a] confugit. Ergo Karthaginensibus pax per Scipionem consensu senatus conceditur, Gaio Cornelio[b] Lentulo, Publio[c] Elio[d] Poeto consulibus. Naves Karthaginensium[e] plus quam 500 in altum ductae in conspectu urbis cremantur. Scipio vero ex devicta Affrica Affricanus dictus, cum triumpho ingrediens Urbem suscipitur. Quem Terentius comicus ob signum concessae libertatis, pilleatus triumphantem comitatur. Hic Punicum bellum secundum 18 annis finitur, anno ab Urbe condita 546.

Oros. IV, 15. 39. Praecesserunt hoc bellum dira prodigia, id est sol minor visus[f] parmae in coelo. Solem pugnasse cum luna, lunas duas simul ortas, duo scuta sanguine sudasse, cruentas ib. 18. spicas in corbes cecidisse, refert Orosius. Tarentum quoque, unde tam Pyrri quam Karthaginensium coepit bellum, nobilis ac opulenta Campaniae urbs hisdem diebus destructa est. Ex hinc Romani civitatum quas nominavi praeda, auro, gemmis, argento rebusque preciosis ditari coeperunt. Nam in prioribus bellis peccora tantum aliasque exiguas res rapuerant. Oros. IV, 20. Post Affricanum bellum Macedonicum sequitur, quo[g] cum multo Romanorum detrimento tandem victis hostibus terminato, Q. Flaminius[h] consul pacem Philippo dedit, Lacedaemonios[i] pugnando vicit[k], ab eisque nobilissimos obsides Demetrium Philippi filium et Armidem Navidis[l] filium acceptos, ante currum duxit. Romanorum captivi, qui sub Hannibale venditi fuerant, abrasis capitibus ob signum abolitae servitutis, revertuntur.

40. Ea tempestate Lucius Fulvius Insubres, Boos et Cenomannos, qui usque Cremonam processerant eamque simul cum Placentia vastabant, gravissimo bello superavit. Flamminius proconsul Philippum regem cum Thracis[m], Macedonibus, Yllyricis contra se venientem, multis ex Macedonibus caesis militibus[n], subegit. Hannibal ad Antiochum[o] regem Syriae veniens, cum eum apud[p] Ephesum invenisset, contra Romanos incitavit. Sed frustra; iam enim in tantum status rei publicae profecerat, ut nec tanti regis adversum Romanos valeret vel proficeret nisus[q]. Classi quippe Antiochi praepositus Hannibal a Scipione navali praelio[r] superatur, et sic pax ab Antiocho postulatur et impetratur[s]. Porro Hannibal non multo post ad Prusiam regem Bithyniae[t] fugiens dum a Romanis reposcitur, veneno sumpto vitam finivit. Sicque Romani Macedonibus seu Graecis, qui toti pene Asiae ab Alexandro et deinceps principabantur, imperium paulatim eripere temptarunt, donec funditus sub Octaviano Caesare in suam illud deditionem[u] transfuderunt[v]. Quae cum ad id tempus ventum fuerit, plenius Deo largiente, dicentur. Hisdem diebus Scipio Affricanus, vir inter suos omni laude dignus, ab ingratis civibus Urbe pulsus, apud Linternum[w] oppidum morbo consumptus, diem obiit, et sepulchro suo inscribi fecit: *Ingrata patria nec ossa mea* De Off. III, 1. *habes*[x]. De quo Tullius in quarti[y] Officiorum libri prologo sic ait: *Scipionem, Marce fili, eum qui primus Affricanus appellatus sit, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, nunquam se minus ociosum esse, quam cum ociosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna, quae declarat, illum et in ocio de negociis cogitare, et in solitudine secum loqui*[z] *solitum, ut neque cessaret unquam, et interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duae res quae languorem afferunt aliis*[*], *illum acuebant*[a], *ocium et solitudo.* Cuius item virtutem et admirabilem pacientiam L. Seneca, non tam philosophus ep. 86. quam[b] christianus dicendus, in epistolis ad Lucilium commendans, ait[c]: *In Scipionis Affricani villa iacens haec tibi scribo, adoratis manibus eius et ara, quam sepulchrum esse tanti viri*[d] *suspicor. Animum quippe eius in coelum, ex quo erat, redisse persuadeo mihi, non quia magnos exercitus duxit — hos enim et Cambyses*[e] *furiosus ac furore feliciter usus habuit — sed ob egregiam moderationem pietatemque, quam magis in illo admirabilem, cum patriam reliquit*[f], *quam cum defendit aestimo. Aut Scipio Romae deesse debebat, aut Roma in libertate. Nichil*, inquit, *volo derogare legibus, nichil institutis, aequum inter omnes cives ius sit, utere sine me*

a) *ita* 5. 7; Rumetum 1. 2. 7. b) Gayo Cornelyo 4. c) P. 1; Publyo 4. d) Elyo 4. e) cartaginensibus 4. f) *deest* 1. 2. 4. 5. g) quod 1. 2. h) Flamminius 1. 2. 4. i) lacedenios 5. k) vicit pugnando 1. l) *ita* 1; armiden navidis 2. 5. 7; armyden navydis 4; Armenem Nabidis *editt.* m) Tracis 4. n) milibus *editt.* o) Antyochum 4. p) aput 1. q) nysus 4. r) praelio nav. 1. s) inpetratur 1. t) Bithiniae 1; Bithinie 2; Bythinię 4; bitinie 5. u) dedicionem 1. v) acceperunt 4. w) Liternum 1. 2. 5; Lyternum 4. x) habebis *editt.* y) *ita* 1. 2. 4. 5, *quod apertus error Ottonis; in 7 manus s. XV* quarti *corr.* tercii. z) loqui secum 1. *) caeteris *editt.* a) accuebant 1. b) quam pene 7. c) inquit 7. d) tanti viri esse 1. e) Cambises 2. f) reliquid 1.

beneficio meo patria, causa tibi libertatis fui, tibi[a] *ero*[b], *et argumentum ex eo, si plus quam tibi expedit, crevi. Quidni ego admirer hanc magnitudinem animi, qua in exilium voluntarium secessit, et civitatem exoneravit? Eo perducta res erat, ut aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret iniuriam. Neutrum fas erat: itaque locum dedit legibus, et se Linternum recepit, tam suum exilium rei publicae imputaturus, quam Hannibalis.*

41. Igitur Romani victis tam Graecis quam Syriis[c], Hispanis etiam ac Affricanis[d], Karthaginem tamquam Romanae urbis aemulam, ultima sorte delere decreverunt. Cuius Oros. IV, 22 situs, ut ait Orosius, talis esse[e] dicitur. Triginta[f] milibus passuum muro amplexa[g], tota pene mari cingebatur, atque faucibus, quae tribus milibus passuum aperiebantur. Is locus murum 30 pedes latum[h] habuit saxo quadrato, in altitudine[i] cubitorum 40. Arx, cui Byrsae nomen[k] erat, paulo amplius quam duo milia passuum tenebat. Ex una parte murus communis est urbis et Byrsae, imminens mari, quod mare stagnum vocabant[l], quippe[m] obiectu protentae linguae strangulatur[n]. Hinc bellum Affricanum coepit tertium, L. Censurino et M. Mallio consulibus, quinquagesimo vel amplius post secundum bellum anno. Scipio ergo minor, qui tunc tribunus militum erat, una cum consulibus Romanum exercitum in ib c 23 Affricam ducens, iuxta Uticam[o] castra metatus est, evocatisque Karthaginensibus ad se, arma simul et naves dare praecepit. Quod dum sine mora facerent, ac ut ab urbe per 10 milia passuum a mari recederent, iussi essent, reversi, poenitentia ducti[p], civitatem defensare parant, et duos Hastrubales duces creantes, arma frustra reparare temptabant, aerisque inopiam auri argentique metallo supplebant. Romani Karthaginem acriter impugnare[q] coeperunt. Qui ad ultimam sortem deducti, primum Hastrubalem[r] suspicionis[s] occasione necaverunt, et ad ultimum Romanis omnes in deditionem venerunt. Itaque ib c 22 Karthago funditus a Romanis, lapidibus muralibus[t] in pulverem diminutis[u], diruitur, ipsaque cremata miserum humanarum rerum spectaculum relinquens, decem et septem ib IV, 23 diebus continuis[v] arsisse perhibetur, omnisque multitudo captivorum, exceptis paucis principibus, venduntur. Regina, Hastrubalis uxor, malorum intuitu, foemineo furore cum duobus filiis igni se dedit. Sic ultimae reginae ac[w] primae, Dydonis scilicet, sors et exitus similis fuit. Factum est autem huius potentissimae urbis excidium anno a conditione eius plus quam 700, anno vero ab Urbe condita 603.[x], Gneo Cornelio Lentulo, Lucio Mumio consulibus. Et ita bellum Punicum tertium quarto ex quo coeperat anno terminatur. Cuius occasionem penitus se ignorare Orosius testatur. Inter[y] haec Scipio, Masinissa mortuo, inter filios suos regnum Numidiae partitur[y].

42. Circa idem[z] tempus fuisse Symonem ultimum ex Machabaeis Hebraeorum ducem, cf. Hier in Dan tam ex supputatione regni Graecorum quam ex consulatu praefati Lucii conici datur[*]. Cum enim 172. anno regni Graecorum clypeus[a] aureus Romam a Symone missus invenitur, rescriptumque fuisse a Lucio[b] consule Ptolomaeo[c] regi Aegyptiorum, idem liber testatur, ante destructam Karthaginem, quae 177. Graecorum regni anno[d] facta est, quarto anno amiciciae foedus inter Symonem magnum sacerdotem ac Romanos initum, prudens lector inveniet. Et ut apertiora[e] quae diximus fiant, anno 427. ab Urbe condita[f], Alexander, qui[g] primus in Machabaeorum historia regnasse dicitur in Graecia, Philippo in regnum successit. Anno vero[h] ab urbe condita 603. Karthaginem deletam invenies. Supputantur ergo a primo regno Graecorum, id est ex quo Alexander regnare coepit, usque ad destructam Karthaginem anni 177[i]; legatum vero, a Lucio Ptolomaeo[k] regi Aegyptiorum[l] pro Iudaeis missum, 174. anno reperies[m], ante destructam Karthaginem anno 3. Verum si a sexto regni Alexandri anno, id est ex quo occiso Dario Medos et Persas subegit, Graecorum regnum, quod tunc auctoritatem habere coepit, supputari incipit, triennio[n] post destructam Karthaginem tertiumque[o] Punicum bellum[p] finitum hanc legationem vel potius

a) *ita* 1. 5. 7, causa libertatis forit 2; causa libertatis fui 4. b) tuus semper ero *editt.* c) Suis 1. 7; syris 2. 4. d) affrancis 7. e) *deest* 1. f) XX 1. 2. 4. g) muri amplexu *editt.* h) in latum 1. i) altitudinem 1. 2. k) nomen B. 1. l) vocatur 1; vocant 2. 4. 5 m) quoniam que 7. n) quoniam o. p. l. tranquillatur *editt.* o) Utycam 4. p) penit. ducti reversi 4. q) inpugnare 1. 2. 4. r) Hastrubalem 2. s) *ita* 5. 7 *et edd.*; scipionis 1. 2. 4. t) mirabilibus 1; murabilibus 4. u) deminutis 4. v) *deest* 1. 2. 4. w) reginae ac *desunt* 1. 2. 4. x) DCII. 1. 2. 4. 5. y) Inter haec — partitur *desunt* 4. z) *superscripsit in* 4 *secunda manus* denique *atque in margine eodem atramento addidit* Otto. *Quo verbo nescio an codicis scriptor indicare voluerit,* denique *ab Ottone episcopo ipso additum esse.* *) potest 4. a) clipeus 1. 2. b) a Lucio *des.* 1. 2. 4. c) Ptholomeo 4; Pholom. 7 *semper.* d) regni Graecorum anno 4. e) aperciora 1. f) CCCC°XX°VI° ab urbe condita anno 4. 5. g) qui primus *des.* 4. h) vero *deest* 4. i) CLXXVI. 4. k) Ptholomaeo 1; Ptholomeo 2. 4; Ptolomeo 5. l) regi Aegyptiorum *desunt* 4. m) repperies 1. n) biennio *editt.* o) tercium 4. p) bellum punicum 4.

praeceptum ad potentissimos Orientis reges Ptolomaeum[a] et Antiochum datum invenies. Nec mirum, si tantae urbis, utpote quae non solum Affricam sed et Sardiniam, Siciliam ac pene Hispanias sibi subiecerat, potiti victoria, iam etiam Orientis Romani[b] didicerant imperare regibus. Si autem non ab Alexandro sed a successore suo in Syria Seleuco regni Graecorum supputatio inchoatur, 20. anno[c] post deletam Karthaginem pro Simone et populo Iudaeorum haec legatio Romanis facta cognoscitur, Iudasque et Ionathas ante destructam Karthaginem fuisse creduntur[d]. Sicque non incongrue[e] optimi legis Dei zelatores Machabaei et inclyti[f] Romanae urbis ac paternarum legum defensores Scipiones aequales[g] inveniuntur. Quod enim a Seleuco regni Graecorum supputatio iuxta Machabaeos incipiat, Ieronymus[h] in Daniele velle videtur[i], ubi ait: *Post mortem Addi*[k] *sacerdotis, qui sub Alexandro templo praefuit, suscepit pontificatum Onias, quo tempore Seleucus subiugata Babylone, diadema totius Asiae capiti suo imposuit*[l], *anno 12. mortis Alexandri. Ex qua aetate scriptura Machabaeorum*[m] *regnum Graecorum enumerat.* Appone[n] ergo priori supputationi 6 Alexandri annos, quibus post mortem Darii toti Asiae imperavit, et hos 12 Seleuci, et reperies 18, quibus si triennium, quo prior supputatio excidium Karthaginis excessit, addatur, 20 unius annorum, ut dictum est, numerum supplebis[o]. Utrum vero sic vel sic fuerit, post victoriam Pyrri et triumphum Affricani belli secundi Romanos primo claros apparuisse, primo imperium in exteras regiones dilatasse innuitur.

(ed. Vallarsi V, 686)

Oros. V, 3 43. Eversa Karthagine, hisdem quos numeravi consulibus, Corinthus veluti omnium opificum officina[p], inter omnes Macedoniae Achaiaeque[q] urbes opulentissima, ferro igneque a Romanis deletur, et sic duarum nobilissimarum urbium[r] triste ac miserabile orbi uno anno illuxit incendium. Hinc mixtis ex incendio diversorum[s] metallorum generibus, Corinthium aes[t] seu Corinthia vasa nomen et exordium susceperunt. Tantam victoriam ib. V, 4. subsequens clades obnubilavit. In Hispania[u] siquidem non multo post cum Numantinis[v] Mancino consule male pugnatum est, foedusque turpius pro redimendo milite, sicut prius a Pompeio initum[w]. Senatu ergo decernente foedus rumpitur, Mancinusque auctor foederis ib. V, 5. Numantinis vinctus mittitur. Scipio vero Africanus consensu omnium consul creatus, ad ib. V, 7 expugnandam Numanciam exercitum ducit. Itaque tam virtute quam prudentia ducis Numantini dum se superari viderent[x], mori potius quam servire parati, barbara prius potione deebriati[y], in castra Romanorum ruunt, fugassentque procul dubio hostes, si Scipio non affuisset. Ultima demum[z] desperatione fracti, se ipsos cum universa suppellectile, ne quem ibi in homine seu qualibet possessione triumphum Roma videret, igni dare quam Romanis servire[*] maluerunt. Sufficiunt ad comprobandam mortalium mutabilitatem[a] mala quae posuimus, multisque de civibus mundi dictis ad cives Christi ac christiana tempora festinandum arbitramur. Meminisse enim lectorem volumus, nos ad ostendendas mutabilium rerum miserias, conflictationes seculi ponere ex promisso debere, quatinus earum consideratione ad regni Christi quietem permanentemque sine fine felicitatem transeundum rationis intuitu ducamur.

ib. V, 15. 44. Romani quamvis iam pene[b] totius orbis potirentur dominio, tamen nondum ad plenum subiugatis gentibus, bella habuere[c] exterius, intestinis vero[d] malis habundabant interius. Hinc Iugurtinum[e] bellum sub Metello Marioque[f] terminatum. Hinc Cimbricum[g] ac Teutonicum[h], Gallorum, Germanorum bellum acerrimum tam miserabiliter ac immaniter est actum, ut in uno a praedictis gentibus bello 80 milia Romanorum et 40 milia calonum et lixarum, G. Manlio[i] consule et Quinto Cepio proconsule, cum duobus filiis consulis fusa invenias. Cum quanto vero detrimento eorum quinto consulatu Marii devicti fuerint, dicere necesse non est, cum victorum tanta dampna praecesserint. Sequitur[k] hoc malum maxima[l] ex intestino bello Romanorum clades, Sylla Gaio Marioque autoribus[m],

a) Ptholomaeum 1; Ptholomeum 2; Phtolomeum 4. b) Romani Orientis 4. c) XXI° anno 2. 4; anno XXI° 5. d) inveniuntur 4. e) ingrue 4. f) incliti 1. 2. 5. g) contemporanei *editt.* h) Ieronimus 2. 4. i) in Danielem velle videtur 1. 2; velle videtur in Daniele 4. k) Iaddi 7 *et editt.* l) inposuit 1. 4. m) Machabaeorum *deest* 4. n) anni 4. o) subplebis 1. p) *deest* 1. 2. 4. q) achaique 2; achayque 4. r) urbium *deest in* 1. 2; *in margine addit in* 4 *manus recentior.* s) diversarum 2. t) easca 1; ės 2. 4; es csu 5. u) Hyspania 2. 4. v) humantinis 4. w) est *add. editt.* x) vident 4. 7. y) deebriati pocione 1; pot. inebr. *editt.* z) *deest* 1. 2. 4. *) servire Romanis 2. a) mutabilatem 1; ad mort. compr. mut. 4; a. comprobandum m. *editt.* b) pene *deest* 4. c) habuerunt 1. d) vero *deest* 4. e) Iugurtinum *editt.* *Idem legebatur in* 1, *quod tamen secunda manus corr.*: Iugurtinum; *hoc etiam* 2. 5. 6. 7. 8. 9 *exhibent,* 4 *vero* Iurgurtinum. f) consulibus *addit* 4. g) Gimbricum 1; Cymbricum 7. h) teǒtonicum 1. i) Gaio et Manlio 1; gaio manlio 2. 5. 7; Manlio Gayo 4. k) super 4. l) sequuntur .... maximae 1. m) ita 5. 7 *et editt.*; consulibus 1. 2. 4.

quo per 10 annos protracto, 150 Romanorum milia caesa fuisse inveniuntur. Ex hinc Romanorum rem publicam non solum imminutam sed pene amissam, testis est Tullius sic[a] in libro de Officiis dicens: *Veruntamen quamdiu[b] imperium Romani populi beneficiis tenebatur,* [II, 8] *non iniuriis bella aut pro sociis[c] aut de[d] imperio gerebantur, exitus erant bellorum aut mites aut necessarii. Regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus. Nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re[e] laudem[f] capere studebant, si provincias, si socios aequitate et fide defendissent. Illud itaque patrocinium orbis terrae verius quam imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem et disciplinam iam antea minuebamus post Syllae[g] vero victoriam penitus amisimus. Desitum est enim videri quicquam[h] in socios iniquum[i], cum extitisset[k] in cives tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria. Est enim ausus dicere hasta posita, cum bona in foro venderet, et bonorum virorum et locupletum[l] et certe civium praedam suam[m] se vendere.* Et infra: *Ad exemplum amissi imperii portari[n] in triumpho Massiliam vidimus, et ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt.* Et post pauca: *Neque vero unquam bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt.* Ex quo apparet, Romanos quidem crevisse in divitiis et potentia[o], sed decrevisse, ex quo avaritiam[p] sequi coeperunt, in viritate et iusticia. Unde est rursum illud[q] Tullii: *Utinam,* inquit Gaius Pontius Samnis, *ad illa tempora me fortuna servasset[r],* [II, 21] *et tum essem natus, quando Romani dona accipere coepissent, non essem passus diutius eos imperare. Nae illi[s] multa secula expectanda fuerunt: modo enim hoc malum in hanc rem publicam invasit.* Sylla iste tabulas proscriptionis instituit, occisisque[t] pluribus consularibus [Oros. V, 14.] viris, M. etiam Marium[u] effossis oculis membrisque[v] truncatis vita privavit. De quo Tullius in Paradoxis: *M.[w] Marium vidimus, qui mihi in secundis rebus unus ex fortunatis hominibus,* [Par 2.] *in adversis unus ex summis viris videbatur[x], quo beatius mortalium nichil esse potest[y].* Gaius vero Marius ob hanc causam viso capite socii, desperatione captus, servo iugulum praebuit. Deinceps Catilinarium civile sequitur bellum, quod Salustius prudenter ac luculenter satis, sicut etiam Iugurtinum[z], executus est. Macedonicum quoque hisdem diebus gravissimum [Oros VI, 6] fuisse[*] invenitur. Tunc etiam Attalus rex Asiae moriens regnum cum testamento Ro- [Oros. IV, 11] manis reliquit[a].

45. Inter haec quae diximus mala Mitridatici[b] belli clades, omnibus prioribus excepto [Oros. VI, 1.] Affricano maior, per 40 vel iuxta alios per 30 annos extenditur, anno ab Urbe condita 660, quo etiam civile bellum coeperat, inardescere coepit, Cicerone et Antonio consulibus terminata, et, ut ait Lucanus:

Barbarico tandem vix consummata veneno est.

Mitridates[c] enim Ponti Armeniaeque rex, dum Bithiniae[d] regem Nicomedem, amicum [Oros VI, 2—5.] Romani populi, regno privare conatur, a senatu ne faciat monetur, minis etiam, si non cessaret, appositis. Proinde motus Mithridates[e] non solum regno expulit Nicomedem, verum etiam Cappadociam[f], alio rege, Barzane[g] scilicet, inde eiecto, igne ferroque vastavit. Praeterea Ephesum veniens, omnes cives Romanos dato edicto necari praecepit. Inde Archelaum ducem suum in Graeciam mittens, tam Athenas quam totam Graeciam in deditionem accepit. Contra quem Sylla[h] cum exercitu missus, Archelao 100 milia interfecit, urbemque Atheniensium[i] diu obsessam ad ultimum recepit. Mithridates[k] strage suorum comperta, exercitum 83[l] milium militum electorum Archelao in auxilium[m] mittit, ex quibus 50 milia caesa fuisse feruntur. Tertio rursus[n] Archelaus cum Sylla[h] congressus, vincitur[o], ibique universae copiae eius funduntur[p]. His aliisque innumerabilibus quae longum est enumerare malis, ad hoc[q] tandem potentissimus ille, qui pene totum Orientem sibi

a) Tullius testator 4. b) quandiu 1. c) personis 1. 4, *corr. in* 4 pro sociis *manus recentior; ita* 5 *et* 7. d) de vel 4. e) ex ac una 5. f) maximam laudem *editt.* g) Sillae 1. 2. h) quisquam 1. i) in socios quicquam iniquum 4. k) etiam *add. editt.* l) locupletium 2. 4. 7. m) se suam 1. 2. n) reportari *editt.* o) potencia 1. 2. p) avariciam 1. 2. 7. q) illud rursum 2. r) reservasset 1; reseruauisset 2 4. s) illi quidem *editt.* t) occisis 1. u) M. Marium 4; C. etiam M. *editt.* v) menbrisque 1. 4. w) *hic et supra in* 7 *manus fere coaeva suprascripsit* Metellum. x) videbatur viris 1; viris *deest* 2; ex summis viris unus videbatur 4. y) esse mortali n. p. *editt.* z) Iurgurtinum 4. *) fuisse gravissimum 1. a) reliquid 1. b) Mytridatici 4. c) Mitridaces 2; Mytridaces 4; Metridaces *corr. in* 1 *manus secunda* Metridates; Mitridates 5. 7. d) Bithiniae 1. 2. 7; Bythinię 4. e) Metridaces 1; Mitridaces 2; Mytridaces 4. f) Capadociam 2. g) Ariobarzane *editt.* h) Silla 1. 2. i) Atheniensiumque urbem 4. k) Mitridates 2. 7; Mytridaces 4. l) *ita* 2. 4; 1 *vero* LXXII. m) aux. 2. 4. 5. 7; exil. *editt.* n) rursus *deest* 2. o) congressi vincuntur 1; congressa vincuntur 2; congressus vincuntur 4; congressu vincuntur 5. p) funditus funduntur 4. q) ad hanc 1. 4.

subiugaverat, pervenit rex[a], ut qui antea non solum gentibus sed[b] et regibus imperando, venenum tantum timeret, non gladium, ac naturam suam multis firmasset antidotis; ad hoc, inquam, tam bellorum infortuniis, quam filii sui regno eum deponere molientis molestia deductus est, ut veneno se necare vellet, sed medicinis[c] antea firmata natura non posset. Occisis itaque uxoribus ac filiabus[d] suis, dum[e] nullo veneni genere ipse, ut dixi, perire posset, militi iugulum praebuit, sicque 72 aetatis habens annos, vita decessit[f], nobisque[g] miserae mortalium conditionis exempla reliquit. Fertur de ipso, quod, dum a filio suo regno pelleretur, ipse ex altissimo prospiciens muro exorabat filium, sed non est auditus. *Quoniam*, inquit, *Farnaces mori iubet, dii si estis patrii:* eos veros esse deos[h] dubitavit[i].

Oros. VI, 6 46. Igitur Mitridatico[k] terminato bello, malisque tam socialibus quam civilibus sopitis, factioneque Catilinae ad plenum abolita, Romani se intra se cohibere non valentes nec terminis suis quos iam habere coeperant contenti, totum orbem in provinciam redigere cupiunt. Cuius rei gratia Pompeius clarissimus eorum dux exercitum gubernandum in Asiam suscepit, totumque pene Orientem Romanorum imperio in brevi subiecit[l], regibus aliis mutatis, aliis subactis. Inter alia Orientis[m] regna Hierusalem[n] veniens, capta civitate, cf. Ios ant. XIV, 8 b. Iud I, 5. templum quo soli populo Dei immolare licuit, oblatis hostiis polluit, regemque eorum Aristobolum vinctum Romam misit, et Hircano fratri suo summum sacerdotium[o] tradidit. Quoniam autem Iudaeorum mentionem fecimus, in quibus tunc tantum, iuxta prophetam, exceptis paucis, qualis fuit Iob, notus fuisse Deus creditur[p], qualiter post prophetas et cf Aug. 18, 26. relaxatam captivitatem usque ad id temporis civitas Dei fuerit, paucis aperiam.

ib. 18, 52 47. Post mortem Alexandri, cum principes eius diversas sortirentur provincias, Ptho- Ios XII, c 1 lomaeo[q] Lagi[r] filio sorte devenit Aegyptus. Is[s] multos ex Iudaeis captivavit. Cui successit Ptholomaeus Philadelphus, qui non solum religionis intuitu captivos relaxavit, verum et templo regalibus muneribus donato[t], libros legis ab Eleazaro sacerdote poposcit. Quos dum accepisset ac in bybliotheca[u] nobili deposuisset, interpretes eorum, qui eos de Hebraeo in Graecum transferrent sermonem[v], requisivit. Huic[w] de singulis tribubus dati sunt presbyteri usque ad 70, qui in utraque lingua periti, spiritu sancto dictante, singuli singulis cellis, uniformem, civitati[x] Dei utilem valde ediderunt interpretationem. Iero- Hieronym. nymus tamen in uno domo Alexandriae refert eos conferendo simul interpretatos fuisse. Post hoc a Ptholomaeo, qui et Epiphanius, Alexandriae rege, capti, deinde ab Antiocho cf. Aug 18, 45 multis malis sunt attriti ac ad ydolatriam coacti. Cui fortissimus vir Iudas cum fratribus suis fortissime restitit. Successit Iudae Ionathas, cui Symon, ac post ipsum[y] filii eius. Quia ergo in Machabaeis omnes canonicae[z] terminantur historiae[*], qualiter post haec gentis Hebraeorum regnum usque ad Christum steterit, ex historiis tantum eorum cognosci datur. Non enim, ut ipsi perfide argumentantur, unctio in captivitate Babylonica defecit, sed secundum eorum historiographos[a] populus ille post illud tempus non solum summos Ios b. Iud I sacerdotes sed etiam reges habuit. Quorum primus post Symonem eiusque filios Aristobolus fuit. Cui Alexander et ipse rex et sacerdos successit. Cui[b] ob nimiam quam in suos exercuit crudelitatem, dum qualiter eis conciliari[c] posset requisivit, responsum est, si moreretur. Post hunc uxor eius regnavit Alexandria, cuius filii fuerunt Hyrcanus et Aristobolus. Ex quibus dum regnaret Aristobolus, Pompeius Romanorum princeps ab Hyrcano[d] vocatur, captoque ab ipso, ut supra dixi, Aristobolo et in vinculis posito, Hyrcanus fratri subrogatur. Sicque velint nolint ex propriis Iudaei[e] convincuntur testimoniis, Herode primo alienigena[f] regnante[g], natoque Christo, illam impletam fuisse prophetiam, qua Gen 49, 10 dicitur: *Non auferetur sceptrum[h] de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est[i], et ipse erit expectatio gentium[k].* Qui vero his diebus cives Christi fuerint, non facile perpendi potest. Iam enim prophetae siluerant, eratque, iuxta quod scriptum est, medium silentium ac profundissima nox, venturumque in proximo a regalibus sedibus omnipotentis

a) miseriam rex devenit 4. b) *deest* 4. c) medicina 1. d) filiis 4. e) cum 4. f) discessit 1. g) nobis 4. h) deos esse 1. 4. i) *ita* 5. 7 *et edd.;* 1. 2. 2*. 2*A1. 2. *vero hoc locum ita exhibent:* quoniam inquit F. m i. d. si estis patrii dicens eos veros esse deos dubitavit. *Quibus in* 1 *verbum* precor *additum est.* k) metrid. 1; mytrid. 4. l) suscepit 1. 2. 2*; subiecit 4. 5. 7 *et edd.* m) Orientis *deest* 2. n) Ierusalem 1. o) sacerdocium 1. p) traditur *editt.* q) Phtolomeo 2. 4; Ptolom. 7. r) Lay 4. s) Idem 4. t) templum — donavit 4. u) bibliotecа 7. v) sermonem transf. 1. w) hinc 2. 4. x) civitatem 2. y) post ipsum *erasa in* 4. z) can. o. in 7. *) hystoriae 2. 4. 7. a) hyst. 2. 4. 7. b) Qui 7. c) reconciliari 1. 4. d) Hircano 2. 7. e) *deest* 1. f) aligenigena 2; *post haec* regnante *addunt* 5 *et edd.* g) *deest* 1. 2. 4 h) ceptrum 7. i) mittendus est et caetera 1. 2. 7. k) et ipse — gentium *ex* 4 *recepi.*

sermonem hoc ipsum silentium ac caecitas noctis praesagebat[a]. Sicut enim appropinquante claritatis luce nox amplius densatur, cunctisque sorore depressis, silentio omnia tenentur, sic apparituro in carne Dei verbo cunctumque suo mundum ortu irradiaturo, non solum malorum turbines civitatem mundi obnubilando tegebant, verum ipsam civitatem Dei tenebrae operiebant, silentium tenebat, ut venientem in carne lucem tanto ardentius homines conspicerent[b], quanto eam tenebris ante depressi, malis fessi, avidius praestolati fuissent. Extitisse tamen et tunc[c] cives Christi, quamvis propter silentium scriptorum quidem taceantur, ex hoc praecipue intelligi datur, quod 7[d] milia virorum, quae[e] sub Helia fuerunt, usque ad finem mundi non[f] defutura civitati[g] Dei credimus. At Hyrcanus Herodem Antipatris filium alienigenam, ad regni negotia administranda assumpsit. [Ios. b. I. lib. I] Qui iniqui et perfidi tyronis officium exequens, Hyrcano vita et regno exempto, regnum invasit ac permissione Romanorum tandem obtinuit. Hic etiam ut[h] regno liberius poti-retur, non solum regiam sed et sacerdotalem unctionem abolevit, vestemque sacram solis sacerdotibus gestare licitam ad usus suos profane ac sacrilege redegit[i], ut merito unctione[k] tam regali[l] quam sacerdotali cessante, sanctus sanctorum invisibili oleo in verum regem et sacerdotem unguendus in brevi venturus cognosceretur. De cuius adhuc nequitia et multifaria qua erga Romanorum imperium usus est versutia qui scire vult, legat Iosephum.

48. Anno ab Urbe condita 693. reverso ab Oriente Pompeio ac propter multas victorias [Oros. VI, 7] cum ingenti triumpho suscepto, Gaius Iulius Caesar, ipso et L. Bibulo consulibus, ad Occidentem, Gallias Cisalpinam et Transalpinam ac Illiricum domiturus[m], a senatu mittitur. Is itaque fortissimas orbis gentes cum multo Romanorum sanguine in provinciam redegit, transitoque Rheno Germanos omnium ferocissimos ac bellicosissimos acri et periculoso non solum bello sed et muneribus multaque prudentia devicit. Quorum virtutes ac fortitudinem qui scire desiderat, ipsius historiam a Suetonio scriptam legat. Meminit etiam [Ios. de bell Iud II, 16] horum fortitudinis, et tantum inperterritae, ut mortem quoque[n] vix timeat, Iosephus seu[o] [Eges. II, 9] Egesippus in oratione Agrippae, ex horum comparatione Iudaeos ad subiectionem Romani imperii hortantis. Porro cum in domandis eiusmodi gentibus ultra statutum terminum, id [Oros. VI, 15.] est quinquennium, moram faceret, Iulio Romam revertenti[p] a senatu consilio Pompei et auctoritate consulis Marcelli debitus ei triumphus ac denuo consulatus negatur. Quae res belli maximi et non solum civilis sed et[q] intestini mali causa fuit. Caesar enim[r] haec audiens, Ravennam se contulit, ac inde Ariminum proficiscens et lacrimabiliter sociis[s] iniurias suas exponens, ad Urbem cum exercitu properavit, diffugientibusque primo[t] in Brundusium[u], post in Tyrratium[v] Graeciae urbem trepidis cum Pompeio civibus, [cf Suet Caes c 34.] victor Urbem ingressus est, fractisque foribus ex aerario 7 milia 135 auri pondo, argenti vero prope 9000 protulit. Inde reversus ad legiones quas in Arimino reliquerat, Alpes transiit, ibique tam Gallis quam Germanis, quos paulo ante subiecerat, magnifice donatis, contumelias sibi a civibus irrogatas[w] deplorat, auxiliumque poscit et impetrat[x]. Soli ex Gallis Massilienses, qui et Focenses[y], eo quod de Grais[z] in Gallias venerint, auxilium Caesari ferre negabant. Unde et gravi et laborioso conflictu devicti sunt. Eo quoque tempore Petreius[*] et Affranius acerba siti ad deditionem Caesaris coguntur.

49. Anno ab Urbe condita 697. Crassus in consulatu collega[a] Pompei in Asiam destinatus, avaritiae facibus aestuans, Hierosolymam[b] pro templi divitiis, quas Pompeius intactas reliquerat, adiit, easque diripuit. Inde per Mesopotamiam iter agens, dum rursum male castigata aviditate auro Parthico nimium inhiat, ab eis ignominiose cum multo exercitus detrimento occiditur. Anno abhinc 3. inusitato incendio, utpote 14 vicis cum vico Iugario[c] consumptis, Urbs conflagravit. Sequitur haec mala maximis dissensionibus ac [ib. VI, 14.] molitionibus paratum civile bellum. Nam Caesare cum Gallorum et Germanorum viribus veniente, Pompeius patriam defensare volens, gentes et reges, quos in Oriente subegerat, in auxilium per filium asciscit. Principes Romanorum senatusque cum Lentulo consule [ib. VI, 15.] Pompeium Magnum, in Graecia morantem, circa tempus, quo consules mutari solebant,

a) *ita codd.* b) concupiscerent 4. c) tunc *ex* 5 *et edd. recepi; deest* 1. 2. 4. d) IIII *corr.* septem 2 *eadem manu.* e) qui 1. f) non *erasum in* 1. g) civitate 1. h) ut *deest* 4. i) redegit prof. ac sacrilege 4. k) unctionem 2. l) tam regali unctione 1. m) domaturus 1. 2. 4. n) *ita* 5. 7. 13; *deest ceteris codd.* o) Iosephus ac 1. p) Iulius ... revertenti 7. q) et *deest* 2. 4. r) enim *deest* 1. s) sotiis 1. t) in primo 1. u) Brundisium 2; Brundysium 4. v) *ita* 5. 7; Tyrratum 1. 2. 4. w) irrogatas a civibus 4. x) inpetrat 1. y) Phocenses 7. z) Gais 7. *) Patricius 4. a) collega 4. b) Ierusalem 1. c) *ita* 7; vigario 1. 2. 4; eo iugario 5.

Oros. VI, 15 adeunt, semotoque[a] a consulatu Lentulo, omnium favore Magnum ducem exercitus creant. Caesar vero hibernis[b] tempestatibus non territus[c], invito milite, periculose mari se committens, proficiscitur in Epirum, ibique haut longe a Magno castra metatus est. Ubi dum a paupere[d] amicla, ad hoc ut Antonio occurreret, infidis[e] procellis, inpatiens morae[f], se credit: ventis obortis naufragium pene passus, ad suos redire[g] compellitur. Igitur ex omni parte mundi vires contractae, multoque Romanorum sanguine gentes devictae, ipsorum modo vocatione congredi coguntur. Iam enim in tantum rei publicae profecerat status, ut ulterius non posset. Et[h] cum extrinsecus corrumpi non valeret, iuxta poetam, in se ipsam ruere debuit. Itaque 88 cohortibus ex utraque parte triplici ordine compositis, in campis Fassalicis[i] uterque convenit exercitus. Videres lacrimabilem ac miserabilem[k] pugnam, cives totius orbis dominos in se divisos, cum totius orbis viribus ad invicem dimicare, et, ut ita dixerim, unius matris filios propriis manibus se volentes eviscerare. Dum ergo dubia diu[l] sorte se utrique caederent exercitus, Pompeius tandem atrocitate Iuliani militis cum suis fugere[m] cogitur, et sic Caesari victoria cessit. Caesa sunt in[n] eo praelio 15000 Pompeianorum, 33 centuriones. Pompeius fuga elapsus, navim onerariam conscendit[o], ac per Cyprum[p] in Aegyptum navigans, mox ut litus attigit, iussu Ptolomaei[q] ob gratiam Caesaris interimitur. Pompei uxor cum filiis fugit, caeterum occisis multis classis direpta est. Caesi[r] sunt Pompeius Bithinius[s] ibi, apud Pelusium vero Lentulus vir consularis[r].

ib. VI, 16. 50. Caesar compositis omnibus Alexandriam venit, ibique oblato sibi cum armilla Pompei capite flevit, dumque insidias praesensisset, in Aegyptios convertit arma. Quibus victis, Cleopatrae regnum Alexandrinum tradidit. Nam Ptolomaeus[t] cum navali praelio victus fuisset et in scapham[u] conscendisset, multis irruentibus mersus et ad litus actus, indicio loricae aureae cognitus fuerat. Post haec Caesar Romam veniens a civibusque dictator et consul vocatus, in Affricam bellum transtulit, et apud Thapsum cum Iuba[v] et Scipione manum conserens, plurimam Romanorum et barbarorum stragem fecit. Iuba militi iugulum praebuit. Scipio semet interfecit. Cato rigidus veneno hausto Uticae se occidit. Caesar adhuc Pompei nepotes filiamque eius Pompeiam necari iussit. Dehinc Urbem cum quatuor triumphis ingreditur, ac post in Hispaniam contra Pompeianos milites proficiscens, ibi cum ipsis atrox bellum gessit. Quibus cum multo[w] sudore devictis, ad Urbem regressus quarto ex quo id civile bellum[x] coeperat anno, totam Urbem potenter tenuit, ac vacantibus omnibus quae in Urbe erant dignitatibus, Caesar fuit omnia solus[y] in Urbe. Receptus est tunc ab eo[z] in gratiam M. Tullius Cicero[*], per eiusque interventum Cic. or. pro Marc. M. Marcellus, pro quo disertam et luculentam orationem edidit, quae sic incipit: *Diuturni silentii, patres conscripti, quo eram his temporibus usus.* In qua super omnes virtutes Caesaris, quibus diversas nationes domuit, fuisse dicit, quod domito animo M. Marcellum, antea inimicum, c. 3 in gratiam suscepit[a]. Ait enim: *Animum vincere, iracundiam[b] cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, haec qui faciat, non ego eum cum summis viris com-* Oros. VI, 15 *paro, sed similimum deo iudico.* In summo ergo statu Caesar positus[c] dum contra maiorum exempla rem publicam instaurare cogitat, conscio senatu, Bruto et Cassio auctoribus in curia necatur[d]. Quam[e] quidem hystoriam, a nobis compendio strictam, pulchro[f] ac luculento versuum ordine Lucanus prosequitur.

51. Exclamare hic contra mutabilium rerum miserias cogimur. Ecce enim, Romanae rei publicae status, cum quanto non solum hostium sed et civium[g] detrimento profecerit, cf. Or. VI, 14 videmus. Alterna quippe mutatione ad instar maris, quod nunc succiduis attollitur incrementis, nunc naturali dampno nunc[h] defectu subducitur, Romanorum res publica[i] nunc gentes et regna bello premendo, subiciendo ad coelos attolli videbatur, nunc rursum ab eis pressa, vel pestilentiis ac[k] morbis desolata, ad abyssum usque mergi putabatur, quodque his maius est, omnibus bene ordinatis ac compositis, intestino ac civili malo in se ipsam ruens,

a) semotaque 1. 2. 2*. 7. b) hyb. 4. c) non territus *desunt* 4. d) cum paupere 2. 4. e) *ita* 5 *et editt.*, insidiis 1. 2. 4. f) mori 1. 2. 4; more 5; morae *editt.* g) redire *deest* 4. h) *deest* 1. 2. 4. i) Fassalicis 1. 2. 5. 7, Tessalicis 4. k) ac miserabilem *desunt* 4. l) *deest* 4. m) fugere cum suis 4. n) in *deest* 1. o) navim oner. fug. elap. cons. 4. p) Ciprum 1. q) *ita* 1. 2. 4. 7. r) Caesi — consularis *desunt* 4. s) Bethinius 2. t) Ptholomeus 4; Ptolem. 7. u) schapam 4 v) Luba 2. w) multo cum 7. x) bellum civile 4. y) omnia solus fuit 4. z) ab eo tunc 4. *) tullius ci. 2. a) suscepit 1. 2; recepit 4. b) iracundia 1. c) positus Caesar 1. d) 23 cultris *superscr. 5 manu s. XIV.* e) quo 1. f) pulcro 1. g) civilium 1. 2. 7. h) ac 5. 7 *et editt.* i) resp. Roman. 4. k) et 4.

miserabiliter eviscerabatur. Haec omnia nutantium[a] rerum mala, ut ita dixerim, cotidianae[b] mortalium mortes ad veram ac permanentem aeternitatis vitam nos mittere deberent. Verum, ut supra diximus, huiusmodi aliisque civitate mundi[c] attrita malis, quasi post densae noctis tenebras, lucis verae ortus appropinquabat. Itaque decursis tam Medorum, Persarum, quam Graecorum[d] ac Romanorum alternantium malorum casibus, quia iam ad eius ortum, qui vere pacificus, omnia quae in coelo et quae in terra sunt pacificavit Christus Iesus, propinquamus, huic secundo operi finem demus, quatenus[e] ad eam quae sub Augusto ex nativitatis Christi adventu toti mundo reddita est pacem dicendam festinemus.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI TERTII[f].

Sponsionis meae non immemor, dilecte frater[g], *de duabus civitatibus usque ad Octaviani Caesaris tempora, qualicunque deductam historiam eloquio, praesertim cum ad christiana tempora iam venerimus, donante Deo tanto libentius, quanto de civitate Dei ob nascituram fidem uberius dicere potero, complere non dubitaverim. Prioribus enim de civibus Christi pauca, multa vero de mundi civibus*[h] *dicendi materiam habui*[i], *quia a primo homine ad Christum totus pene orbis, exceptis de Israelitico populo paucis, errore deceptus, vanis superstitionibus*[k] *deditus, daemonum ludicris captus, mundi illecebris irretitus, sub principe mundi diabolo militasse invenitur. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum in terras, qui ut homines per invia ac devia more pecudum oberrantes ad viam reduceret, viam se, hominem assumendo, hominibus*[l] *praebuit, et ut a falsitatis errore exorbitantes*[m] *ad rationis lumen revocaret, veritatem se ostendit, ut vero deficientes reficeret, vitam se veram exhibuit:* Ego sum, *inquiens*, via, veritas et vita. *Ac si diceret:* Erratis, ad me venite, qui sum via[n], Ioan 14,6. quam viam ut intrepide[o] ambuletis, audite quod sum veritas. Si vero viaticum non habetis, sentite quod sum vita. *Multi enim viam quaerunt, sed dum non inveniunt veram*[p], *errant potius quam recto tramite incedant. Multi rursum viam, quae vera videtur, incedunt, sed vitam non consequuntur. De quibus dictum arbitror:* Sunt viae quae videntur hominibus rectae, novis- Prov 14,12 simae[q] vero earum ducunt ad interitum. *Salvator autem in mundum veniens:* Ego sum, Ioan 14,6 *ait*, via, veritas et vita, *id est:* Per me tantum salubriter itur, ad me veraciter pervenitur, in me vitaliter permanetur[r]. *Sed in prima fronte non inconvenienter quaeri potest, cur in fine temporum, quem plenitudinem Paulus vocat, salvator omnium nasci voluit? cur universitatem* Gal 4,4 *gentium tamdiu, tot retroactis seculis, in errore perfidiae perire permiserit? Cuius rei rationem, profundissimis ac iustissimis iudiciorum Dei thesauris repositam, quis corruptibilium mortalium carne circumdatus investigare audeat, cum apostolus dicat:* O altitudo divitiarum sapientiae Rom. 11,33 et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius? *etc. Quid ergo faciemus? Si comprehendere non possumus, nunquid tacebimus? Et quis obloquentibus respondebit inpugnantesque arcebit? Postremo destruere eam quae in nobis est fidem volentes, ratione ac virtute verborum confutabit. Comprehendere itaque occulta consilia Dei non possumus, et tamen plerumque de his rationem reddere*[s] *cogimur. Quid? rationem reddemus de his, quae comprehendere non possumus? Rationes reddere possumus, sed humanas, cum tamen rationes comprehendere non possumus*[t] *divinas. Sicque fit, ut, cum de theologicis*[u] *loquimur cognatis*[v] *de his sermonibus carentes, verbis nostris, qui homines sumus, utamur; tantoque de Deo loquendo humanis verbis utimur*[w] *confidentius, quo ipsum figmentum nostrum cognoscere non dubitamus. Quis enim melius cognoscit, quam qui creavit? Inde est, quod cum Deus dicatur ineffabilis, fari nos tamen*[x] *multa in sua*[y] *laude velit*[z]. *Cum ergo dicatur ineffabilis, secundum quendam modum videtur esse effabilis. Quae, ut ait Augustinus, pugna verborum silendo melius ac credendo, quam disputando solvitur*[*]. *Et alius:* Quod ineffabile est, ratione taciturnitatis adoretur. *Igitur si Deus, iuxta apostolum, in multa patientia sustinuit vasa irae* Rom 9,22. *apta in interitum; si divitias bonitatis suae volens ostendere ecclesiae suae diutissime in propriae*

a) mutancium 1; netancium 2. b) cottid. 2. 4. c) civitate dei 4. d) Persarum, Medorum quam Graecorum 4. e) quatinus 2. 4. f) *ita* 4. 7; prol. lib. tert. 2. 5. g) frater N. 13 *et editt.* h) civibus mundi 4. i) habui materiam 4. k) superslicionibus 1. 4. l) *ex* 5. 7. 13 *recepi; deest* 1. 2. 4. m) a falsitatis errore oberrantes et exorbitantes 4. n) venite ad me, ego sum via 4. o) intrepidi 2. 4. 7. p) *deest* 4. q) *ita* 2; novissima 1. 4. 5 *et editt.* r) manetur 1. s) de his rat. red. plerumque 1. t) possimus 1. 2. u) divinis causis *editt.* v) connatis 1. w) verbis humanis utimur 1. x) *deest* 1. 2. 4. 5. y) eius 1; laude sua 5. z) sinit 4. *) vel silentio cavenda potius, quam voce pacanda est *addunt* 9. 13 *et editt.; desunt* 1. 2. 4—8.

libertatis arbitrio, civitatem mundi permisit temporaliter florere[a], culpandus non est, tam quod eam propriae[b] voluntati deseruit, quam quod electis suis, istius comparatione castigatis, divitias bonitatis suae ostendit. Non enim si homines permittit facere, quod ipsi tamen[c] facere volunt, ab[d] eis est iuste arguendus, sicut e contra ab eis quibus gratuitam gratiam offerens, a talibus quae contra salutem suam facere volunt[d] arcendo ac prohibendo, ne quae proponunt perficiant, plurimum est laudandus ac diligendus. Nec iniuste facere dici potest, si gratiam ex iustitia non largitur, sicut misericorditer tantum facere credendus est, cum eam gratuite quibus vult impertit. Itaque si tot secula retroacta non ad peccata impellendo, sed quod suum erat non[e] largiendo, ad hoc ut supervenientibus seculis exemplo priorum, quid fugiendum esset, unde gratias salvatori suo referrent, ostenderet; si, inquam, eos ad hoc voluntati suae deseruit, ut et ipsi, quid sine eo possent, cognoscerent, et redempti, quid ex gratia Salvatoris haberent, addiscerent; sicut ab illis iuste non potuit culpari, sic[f] his maximam materiam dedit, unde iure debeat amari. Est praeterea ratio, quare hoc potissimum tempore, sexta videlicet aetate, ac unito ad Romanorum imperium mundo universoque sub Augusto Caesare descripto[g], Christus nasci voluit. Cum enim pro primi parentis, qui paradisi delicias postponens ex proprii arbitrii[h] voluntate hanc terram maledictionis inhabitare maluit, culpa abolenda incarnari voluit, sexta id aetate potissimum fieri conveniens fuit, quia et ipsum sexta die creavit. Nec in primaeva hominum aetate[i] id facere debuit[k]. Homines enim ex transgressoribus nati parentibus, viciataque per inobedientiam natura, proniores et accliviores ad malum facti, nec dum ratione utentes, ferino magis ac beluino more, obliterato in eis naturali bono, oberrantes, non socialiter vivere, non legibus informari, non virtutibus adornari, non rationis vi ad cognoscendam veritatem illuminari didicerant. Extant hinc fabulae turpissimae, facta turpiora, hystoriae immanissimae, opera immaniora, de quibus omnibus in superioribus sat me dixisse arbitror. Cum igitur[l] hoc modo homines rationis immunes[m], veritatis non capaces, iustitiae ac legum inexpertes essent, legem legum[n] ac altissima a Christo vitae praecepta danda quomodo caperent, quomodo intelligerent, quomodo animadverterent? Itaque data est[o] primo lex, quae infirmis auditoribus conveniret[p], et quae teneram mundi aetatem non solido cibo sed lacte aleret. Deinde paulatim crescente ac proficiente, tam ęx societate hominum simul commanentium, quam ex collatione eorundem ad leges condendas sapientia, philosophorumque mediante doctrina, cum, ut dixi, iam totus mundus[q] tam virtute Romanorum inclinatus, quam sapientia philosophorum informatus fuisset, essentque hominum ingenia ad altiora vitae praecepta habilia capessenda, Salvatorem omnium in carne apparere novasque mundo leges[r] condere decuit.

Hic iam, quod supra distuli, solvendum puto, quare unius urbis[s] imperio totum orbem subici, unius urbis legibus totum orbem informari Dominus orbis voluerit. Primo, ut dixi, ut ad maiora intelligenda promptiores[t] ac capaciores essent mentes hominum. Secundo, ut his modis unitis unitas commendaretur fidei, quatenus[u] unius urbis terrore ad unum hominem colendum homines universi constricti, unam quoque fidem tenendam coelestemque in ea non hominem tantum sed auctorem omnium colendum ac adorandum Deum addiscerent. Hinc toti mundo in eius adventu census indicitur, ut ille videlicet venisse doceretur, qui omnes ad se venientes in aeterna patria cives ascriberet[v]. Hinc in eius ortu per totum orbis circulum mundus attritus malis ipsisque suis seditionibus fatigatus, sponte quiescere ac Romanorum principi servire potius quam rebellare voluit, ut ipsum in carne venisse daretur intelligi[w], qui sub terrenorum mole onerum depressis ac fatigatis, clementer diceret: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Pax idcirco[x] mundo tunc nova reddita fuit, ut novi regis ministri liberius orbem terrae peragrare salutiferaque vitae praecepta seminare possent. Non ergo fortuitis casibus nec falsorum deorum cultui, sed Deo vero formanti lucem et creanti tenebras[y] ascribendum[z] reor, quod ad tantum fastigium principatusque monarchiam ex humili ac pauperi statu Romanorum res publica crevit. Quare autem illi populo vel illi urbi hanc potius quam aliis gratiam contulerit, discutere non possumus, nisi forte ex principis apostolorum meritis, quem ibi sessurum praevidit, super quem etiam ecclesiam suam se

Matth 11,28.

a) florere temporaliter 1. b) tamen quod proprię 4. c) tamen *deest* 2. d) ab eis est iuste — facere volunt *desunt* 2. e) non *deest* 2. f) si 2. g) *deest* 1. h) *deest* 2. i) aetate hominum 1. k) voluit 4. l) ergo 7 *et edill.* m) inmanes 1. n) legum legem 2. o) est *deest* 1. p) intellectibus convenirent 4. q) mundus totus 1. r) leges mundo 1. s) orbis 1. t) promciores 1. u) quatinus 2. v) asscriberet 1. 2. w) doceretur 4. x) iccirco 2. y) nec falsorum deorum cultui, sed vero formantis lucem et creantis tenebras 2. 7; nec f. d. c. sed deo vero formantis tenebras et creantis lucem 4. 5. z) assc. 1. 2.

fundaturum promisit, factum dicam, ut videlicet locus, qui propter principis apostolorum kathedram super universam principaturus foret ecclesiam, in gentium[a] quoque, unde fideles congregandi erant, ante proficeret[b] monarchiam. Pulchre[c] igitur[d] eadem urbs antea fuit caput mundi, quae postmodum futura fuit caput ecclesiae. Si quis vero contentiosus est, audiat in potestate figuli esse, aliud vas in honorem, aliud facere in contumeliam[e]. Audiat in potestate iudicis[f] esse, quem velit humiliare, et[g] quem velit exaltare. Denique, si Dominus, utpote iudex discretorque rerum, calicem in manu habens, primo Babylonem inebriando a Medis[h] humiliavit, Medisque a Persis, Persis rursum a Graecis, Graecis postremum a Romanis humiliatis, Romam quoque humiliandam ad tempus exaltare voluit. Si haec aequa lance pensans[i] omnia mortalium varietates necti, nunquid argui a factura sua factor poterit? Sub potenti itaque manu Domini regna mutantis ac pro voluntate sua cui voluerit miserentis humiliemur, ipsiusque misericordiae, si quid sumus, qui per nos nichil sumus, ipsius gratiae quicquid dicimus, qui per nos nichil scimus[k], ascribentes, coeptum opus prosequamur.

EXPLICIT PROLOGUS[l].

INCIPIT LIBER TERTIUS[m].

Anno ad Urbe condita 710, interfecto Gaio Iulio Caesare, Octavianus, qui testamento Oros VI, 18. nomen et haereditatem avunculi acceperat, primo dolorem de morte eius dissimulans, cum Antonio, qui Brutum et Cassium ob vindictam Caesaris apud Mutinum[n] obsidione cinxerat[o], a senatu hoste pronunciato certamen iniit eumque fugavit. Quo postmodum in gratiam recepto, simul cum ipso civile bellum parat, multisque commissis praeliis, Pompeium tandem Gnei Pompeii filium interfecit, Brutum quoque et Cassium ad hoc ut mortem sibi ipsis inferrent, coegit. Inde post multos triumphos Romam veniens, 20 milia militum exauctoravit, 30 milia servorum dominis restituit, 6 milia, quorum domini non extabant, in patibulo affixit. Antonius vero repudiata sorore Caesaris Octavia, in Aegyptum se transtulit, ibique copulata sibi in uxorem Aegypti regina Cleopatra, Caesari rebellare attemptavit. Caesar domitis subiectisque sibi omnibus, contra Antonium quoque navale ib 19 bellum[p] parans, a Brundusio[q] in Epyrum proficiscitur. Congressi itaque acerrime, diuque, id est[r] a quinta hora diei usque ad septimam, cum utriusque exercitus detrimento ancipiti pugnarunt[s] victoria. Sequens[t] pars diei cum sequenti nocte in victoriam Caesaris cessit. Prior ex bello cum suis fugit Cleopatra, quam fugientem insequitur Antonius. Caesa fuisse ibi de exercitu Antonii 12 milia feruntur[u], vulnerata 6 milia. Caesar tunc imperator dictus, quartum cum M. Licinio[v] consul fuit. Antonius navali praelio victus, terrestre parans[w], congressu habito denuo vincitur. Dumque rursum Kalendis Sextilibus ad struendam classem descendit, omnibus ad Caesarem confugientibus, in urbem Alexandriam suis destitutus, se recepit[x]. Ubi dum imminere sibi cerneret Caesarem[y], gladio se interfecit. Cleopatra autem appositis ad mamillas serpentibus, mortua fuisse perhibetur.

2. Caesar ergo opulentissima omnium potitus urbe Alexandria, regnum finivit Grae- ib 17 corum. In hac enim urbe[z] ab Alexandro in Aegypto condita reges Graecorum usque ad id tempus regnasse inveniuntur. Unde et quidam monarchiam Graecorum usque ad Caesarem[*] extendunt. Nam post mortem Alexandri Magni, dum commilitones eius Asiam ab eo subiectam partirentur, in quatuor mundi partibus quatuor emerserunt regna. Inter quae duo fuere principalia: ad austrum Aegypti, cuius metropolis fuit Alexandria; ad orientem seu aquilonem Syriae et Mesopotamiae, cuius caput erat Antiochia, quam Seleucus Magnus, de quo supra dictum est, a nomine patris sui Antiochi[a] dicitur instaurasse, sedemque regni loco Babylonis ibi locasse. Nam antea Rablatha[b], ut quidam volunt[c], vocabatur, eratque tunc iuxta prophetam caput Syriae Damascus. In his ergo civitatibus reges potentissimi Ptolomaei[d] et Antiochi habitabant, dominandique libidine in alterutrum saevientes, Orientis imperium vicissim rapiebant; auctoritas tamen maior ad ultimum Ptolomaeis[e] cessit. Quae omnia non solum[f] ex gentium historiis[g], sed et ex visione

a) *ita coniicio;* ingentium 1. 2. 4. 5. 7; gentium *editt.* b) perficeret *editt.* c) pulcre 4. 5. d) ergo 4. e) in con. fac. 7. f) *deest* 1. 2. 4. 5. g) *deest* 1. h) id est Medis 1. i) perpensans 2. 4. k) sumus 1. l) *ita* 7. m) *ex* 4. 7 *recepi.* n) Mutinam *editt.* o) cinxerant 1. 2. 2*. p) bellum *deest* 1. 2. q) Brundisio 2. 4. 7. r) idem 1. 2. s) pugnaverunt 1. t) sequentis quoque 4. u) feruntur *deest* 4. v) *ita* 5. 7 *et edd.;* Lucinio 1. 2. 4. w) parat 2. x) se suscepit 1. y) Caesarem cerneret 1. z) urbe *deest* 4. *) cersarem 1. a) Antyochi 5. b) Reblatha 5. 7 *et editt.* c) ut volunt 1. 2. 5. d) Ptholomei 2; *ita post corr.* 7. e) Ptholomeis 4. f) *deest* 1. 2. 4. g) *ita* 5; non solum gentium histor. *editt.*

[Hier. in Dan.] Danielis, ubi de regnis austri et aquilonis loquitur, et expositione Ieronimi in eundem prophetam melius cognoscuntur. Unde hae duae[a] civitates, cum processu temporis ecclesia a primitivis patribus secundum distributionem gentium ordinaretur, tanquam post Romanam urbem dignissimae, ad ipsius instar urbis, solae patriarchales sedes habere meruere. Constantinopolitana siquidem et Hierosolimitana[b] postmodum crescente ecclesia, altera ob imperii sedem, altera ob sanctum sepulchrum et antiquum illud ac toti orbi venerabile Domini templum patriarchales sedes permissione patrum sortitae sunt. Unde de Hierosolimitana ecclesia in Nicaena[c] synodo legimus: *Episcopus Heliae ab omnibus honoretur, salvo iure[d] sui metropolitani.* Quod quidam ad Caesaream Palestinae interpretantur, eo quod Hierusalem[e] a Tito et Vespasiano[f] destructa, metropolis Palestinae facta fuerit Caesarea, sicque consequenter iure ecclesiastico eiusdem provinciae metropolis remansit. Ubi enim sub principibus gentium flamines erant, ibi postmodum a nostris locati[g] sunt episcopi. Ubi illi archiflamines[h], nos archiepiscopos; ubi illi protoflamines[i], nos primates seu patriarchas habere coepimus, omnes quidem unius ordinis, sed pro differentia civitatum diversae dignitatis. Alii praefatum[k] capitulum salvo iure metropolitani legunt et sic interpretantur: Postquam dictum fuit: *episcopus Heliae*, id est Hierusalem, *ab omnibus honoretur*, ne videretur ab omnibus tanquam summus, id est Romanus, pontifex honorandus, adiunctum est: *salvo iure metropolis*, hoc est: sic dicimus eum honorandum[l], non sicut summum pontificem, sed sicut metropolitanum. Utrum vero sic vel sic fit, constat eum tamen nondum fuisse patriarcham. Sed haec hactenus[m].

Diximus secundum quosdam Graecorum monarchiam[n] usque ad Caesarem extendi; veri similius tamen videtur Graecos monarchiam[n] quidem post mortem Alexandri perdidisse, reges vero praeclaros Orienti imperantes habuisse. Unde et Daniel de regno [Dan 11, 4. Hier. in Dan. cf. Ekkeh.] Alexandri loquens ait: *Dividetur in quatuor ventos coeli, sed non in posteros eius, neque secundum potentiam illius, qua damnatus est.* Et rursum de Antiocho legitur, quod in [–] obsidione Alexandriae[o] legatum Romanorum acceperit, qui eum dum ambulantem in harena invenisset et ab[p] impugnatione[q] urbis revocasset, frustratus, baculum, quem forte gerebat[r], terram in circuitu eius girabat, dicens: *Haec dicit senatus populusque Romanus, ut antequam de isto circulo exeas, ab urbe recedas.* Quo audito perculsus rex, mox obsidionem solvit. Ex his et aliis intelligimus, Romanos, etiam antequam reges haberent, summorum tamen regum habuisse imperium. Quare ergo Graecis monarchiam attribuimus? Nisi quod et Roma nondum ad unam personam imperium contraxerat, et quod[s] civitas nostra in Iudaea manens usque ad Caesaris tempora, sub illorum imperio degebat. Nam et Nabuchodonosor regem regum propheta vocat, qui tamen illo in tempore regni auctoritatem Medis habentibus, rex regum non erat, nisi quod eum tam ex dignitate urbis, quam invaserat, quam ex supplicatione[t] populi Dei, quem captivum tenebat, hoc nomine dignum iudicabat. Fuerunt autem ab Alexandro[u] usque ad Cleopatram reges [Oros. VI, 19.] omnes Ptolomaei dicti 11. Tantam vero copiam pecuniarum[v] Caesar apud Alexandriam invenit, ut ex[w] hoc duplicia Romae venalium statuerentur precia.

[ib. 20] 3. Anno ab Urbe condita 735. Caesar, Alexandrinorum potitus victoria totaque subiugata Asia, civilibus etiam ad plenum sedatis malis, ipso et Lucio Apuleio[x] quinquies consulibus, 8. Idus Ianuarii ab Oriente victor rediens, Urbem[y] cum[z] triplici triumpho ingreditur, Ianique portas claudens[y], Augusti nomine ab omnibus consalutatur. Quod nomen cunctis usque ad id tempus inauditum seculis, apicem declarans imperii, solis Romanorum debetur regibus. Hic tertio ab Urbe condita, primo sub Numa, secundo post[*] Karthaginense primum bellum, Ianum clausum invenis. Augustus, qui per 12 annos cum his quos nominavi consulibus rem publicam rexerat, ex hac die et deinceps solus imperabat. Sicque plurium potestates in unius cessere principatum, quam Graeci monarchiam vocant. Ex hoc Romani post consules reges habere coeperunt, qui ob hoc, quod totius orbis [ib. 21.] tenuere monarchiam, imperatores et Augusti sunt dicti. Caesar post haec apertis Iani portis, Cantabris et Asturibus[a], fortissimis Hispaniae gentibus, bellum indixit, ac per

a) due he 5 *et editt.* b) Ieros. 1. c) Niceo 7. d) iuri 1. e) Ierusalem 1. 2. f) Vepasiano 1. g) constituti 4. h) flamines 2. i) prothof. 4. k) *deest* 4. l) iure honorandum 1. m) actenus 1. n) monarchias 1. o) Alex. *deest* 1. p) ab *deest* 2. 4. q) inpugn. 1. 4. r) tenebat 1. s) quod et 2. t) supputatione 4. u) a cleopatra 4. v) peccuniarum 1; pecun. copiam 5. 7. w) *deest* 2. x) pelogio 1. 2. 5; Poleyo 4. y) Urbem — claudens *desunt* 1. 2. 2*. 4; *adsunt* 5. 7. 8. 9. 13. 13*. z) cum *add.* 5. 7. *) sub 1. a) Astitribus 1; Astriribus 4.

quinquennium gravi et laborioso conflictu subactis, victor ad Urbem[a] rediens, secundo Ianum clausit. Dehinc per Claudium Drusum[b] Galliam et Rhetiam[c] in provinciam redegit, Noricos, Illiricos, Pannonios, Dalmacos, Maesios, Dacos, Thraces[d] per duces suos vel subegit vel maximorum fluviorum Rheni et Danubii obiectu seclusit. Hic Drusus Maguntiam in Gallia et Augustam in Retia, quae antea Vindelica dicebatur, ex nomine Augusti vocatam, fundasse vel instaurasse dicitur. Monstratur adhuc monumentum eius Maguntiae in modum pyrae[e]. Ea tempestate cum tribus legionibus Varus Romano more superbe et avare erga subditos se gerens, a Germanis deletus est[f]. Quam militis Romani cladem in tantum aegre tulisse fertur Augustus, ut saepissime caput parieti collideret, ac per vim doloris diceret: *Quintili Vare, reddes legiones.* Gravissimum et atrocissimum hoc Romanorum et Germanorum bellum et post Affricanum maximum tribus annis cum 15 legionibus gestum scribit Suetonius. [cf Suet. Aug c. 23.] Unde notari potest, quanti roboris praedicta gens Germanorum fuerit, quae in summa auctoritate Romani imperii tantam stragem Romani militis dederit. Tradunt[90] Augustenses hanc caedem ibi factam, ostenduntque in argumentum collem ex ossibus mortuorum compactum, quem in vulgari Perleich[g], eo quod legio ibi perierit, usque hodie vocant, vicumque[h] ex nomine Vari appellatum monstrant.

4. Inter haec Augusto apud Terraconem citerioris[i] Hispaniae urbem morante, legati [Ekkeh] Indorum et Scytharum[k] cum muneribus pacem postulantes[l] veniunt. Et sicut quondam Alexandro in Babylone[m] posito, summi Occidentis nationes, sic et nunc Caesari a summo Oriente gentes ad ultimum Occidentem supplices subiectionemque[n] promittentes ultro occurrunt; Parthi etiam transmissis signis, quae occiso Crasso Romanis abstulerant, obsidibusque datis pacem postulant. Et sic toto orbe Romanis subiecto et descripto, tertio ab [Oros VI, 22] Augusto Ianus clauditur ac per 12 annos clausus mansit*. Ipse vero Augustus, quamvis

* *Hoc loco 13' inserit excursum de eo quid sibi velint nomina Augustus, cesar, imperator, consul, rex, proconsul, dictator, tirannus, prefectus, preses, tribunus, senator, patres, tabellio, et tunc pergit:* Burgarii a burgis dicti quia crebra per limites habitacula constituta burgos vulgo vocant, unde et Burgundionum genti nomen inhaesit, quos quondam subacta Germania Romani per castra disposuerunt, atque ita nomen ex locis sumpserunt. Primus bella intulit Ninus Assiriorum rex, ut supra tactum fuit; ipse enim finibus suis nequaquam contentus, humane societatis fedus irrumpens, exercitum ducere, aliena vastare, liberos populos aut trucidare aut subicere cepit; hinc etiam studuit orbis in mutuo sanguine alterna cede crassare. Sunt autem quatuor genera bellorum, id est iustum, iniustum, civile et plus quam civile. Iustum bellum est quod in predicto geritur de rebus repetitis aut propulsandorum hostium causa. Iniustum bellum est quod de furore, non de legitima ratione initur. De quo in re publica Cicero dicit: *Illa iniusta bella sunt, que sunt sine causa suscepta*, [III, 23] nam extra ulciscendi aut propulsandorum hostium causam bellum geri, iustum nullum potest esse. Et hoc idem Tullius paucis interiectis subdit: *Nullum bellum iustum habetur nisi denunciatum, nisi dictum, nisi de repetitis rebus.* Civile est bellum inter cives orta sedicio et concitati tumultus, sicut inter Sillam et Marium, qui bellum civile invicem in una gente gesserunt, ut prius tactum est. Plus quam civile bellum est, ubi non solum cives certant, sed et cognati, quale actum est inter Cesarum et Pompeium, unde supra. Bella itaque dicuntur interna, externa, servilia, socialia, piratica. Nam piratica bella sunt sparsa latronum per maritima mioparonibus levibus et fugacibus, non solum navibus commeatus sed etiam insulas provintiasque vastantes, quod primum genus Pompeius, de quo supra mentio facta est, post multam vastationem quam terra marique diu egerat, mira celeritate compressit ac superavit. Sicut autem bellum vocatur quod contra hostes agitur, ita tumultus qui civili sedicione concitatur. Nam sedicio est dissensio civium, dicta quod seorsim alii ad alios eant. Alii estimant dissensionem animorum seditionem vocari, quam Greci diastisin vocant, quo autem differat utrumque Cicero docet. *Potest* [Phil 8, 1] *enim, inquit, esse bellum, ut tumultus non sit, tumultus autem sine bello esse non potest; quid est enim aliud tumultus, nisi perturbatio tanta ut timor*[o] *oriatur, unde etiam dictus tumultus, quasi timor multus. Gravius autem tumultus quam bellum; nam in bello vacationes valent, in tumulto non valent.* Differt autem bellum, pugna et prelium. Nam bellum universum dicitur, ut Punicum; huius partes sunt pugne, ut Cannensis[p], Tecinensis[q]; rursum in una pugna multa sunt prelia; aliud enim in cornibus, aliud in media, aliud in extrema acie geritur. Bellum igitur est totum, pugna unius diei, prelium pars pugnae est. Bellum ante duellum vocatum, eo quod due sint partes dimicantium, vel quod alterum faciat victorem,

a) ab urbe 2. b) Claudium et Drusum 1; Claudium Drusam 2. c) Reciam 1. 7; Retiam 2. 5. d) Traces 2. 4. e) pirae 1. 2. f) deletur *edit.* g) Perleych 4; Berleich 13. 13'. h) ubicunque 2. i) cyterioris 2. 4. k) Scitarum 1. 5. 7; Scitharum 2; Scytarum 4. l) postul. pacem 1. m) Babilone 1. 2. n) subiectionem 1. o) ut timor timor' *c., superscr.* maior *man. rec.* p) canensis *c.* q) terinensis *c.*

90) Haec cum iis conveniunt, quae in Excerpto ex Gallica historia leguntur. Cf. Arch. VII, 116. XI, 78. 96.

iam tocius[a] orbis esset dominus, nunquam tamen serio vel ioco dominum passus est se vocari. Ubi profecto superbiae nestrae obviatur, qui hoc summopere christiani et sacerdotes exposcimus, quod rationis intuitu etiam gentes declinarunt.

5. Eo tempore dum Iudaeis sicut caeteris gentibus census ab Augusto, Cyrino[b] praeside, indicitur, Iudas Galilaeus, qui in Actibus apostolorum memoratur, fuisse invenitur. cf. Ios. Ant. XVIII, 1. De quo in historia Iudaici belli secunda Iosephus sic ait: *Quo tempore vir Galilaeus, Iudas nomine, ad discessionem cogebat, pessimum fore eis persuadens, si acquiescerent solvere tributa Romanis, et post Deum mortalem suscipere dominatum.* De Cyrino vero sic ait: *Cyrinus*[c] *vir unus ex consensu curiae per singulos magistratus usque ad gradum consulatus ascendens, caeterum quoque honorabilis cum paucis in Syriam venit, a Caesare*[d] *ius dare gentibus missus.*

6. Itaque iam sedatis omnium seditionum[e] motibus, pace inaudita seculis reddita, totoque[f] mundo ad Romanorum censum descripto, anno[g] imperii Caesaris Augusti 42.[g], anno vero ab Urbe condita 752, olimpiade 193[h], revolutis ab Adam[i] quinque milibus quingentis annis[k], cf. Hier. ed. Vall. VI, 682. regnante in Iudaea[l] Herode, filio Antipatris alienigena, ebdomada iuxta Danielem 70[m], Iesus Christus filius Dei, secundum carnem filius David, ex Maria virgine in Bethlehem Iudae[n] nascitur. Qui ut lux mundi paxque vera monstraretur, eadem qua natus est nocte pastoribus cum magna luce angelus gaudium nati[o] praedicans apparet. Cui multitudo coelestis exercitus consonans *Gloriam in excelsis Deo*[p] decantat[q], pacemque in terra hominibus bonae voluntatis venisse denunciat[r]. Et nota, quod, sicut supra dixi, Babyloniorum[s] ac Romanorum regna similem ortum progressumque in pluribus habuerunt. Regnante enim[t] apud illos primo rege Nino, 42. regni eius anno, Abraham, ad quem primo de Christo facta[u] promissio, cf. Oros. VI, 20. 22. natus est. Regnante rursum primo apud Romanos Caesare Augusto, 42. item regni eius anno, promissus Abrahae cunctisque desideratus gentibus nascitur Christus. Notandum praeterea, quod Augusti regnum regni Christi, qui eius temporibus est natus, in pluribus fuit praenuntium. Ille enim 8. Idus Ianuarii ab Oriente rediens, regibusque sibi subiugatis ac civilibus sedatis motibus, cum triplici triumpho in Urbe[v] suscipitur Augustusque vocatur. Iste natus humiliterque in carne latens, similiter eadem die, id est 8. Idus Ianuarii, quam nos epiphaniam dicimus, stella duce, ab Oriente trinis adoratur muneribus, apparensque qui ante latuerat augustus ac rex regum declaratur. Quod quidem tunc praefigurabatur, sed iam completum esse, Christum scilicet non solum in coelis regnare,

alterum victum; postea mutata et detracta littera dictum bellum; alii per antifrasim putant dictum, eo quod sit horridum, unde illud: *bella horrida;* tum bellum contra sit pessimum; prelia dicuntur ab imprimendo hostis hostem, unde et prelia ligna quibus uve premuntur; pugna vocata, eo quod in inicio usus fuisset in bello pugnis contendere, vel quia primo bello pugnis incipiebant, unde et pugna etiam duorum est aliquando et sine ferro. Quatuor autem in bello geruntur: pugna, fuga, victoria et pax. Pacis vocabulum videtur a pacto sumptum. Posterior autem pax accipitur, fedus primum initur, fedus est pax que fit inter dimicantes, a fide vel fidialibus[w], id est sacerdotibus, dictum; per ipsos enim fiebant federa sicut per seculares bella. Alii federa dicta putant a porca feta et crudeliter occisa, cuius mors optabatur ei qui a pace resilisset. Aen. VIII, 641. Virgilius: *Et cesa iungebant federa porca.* Federis partes inducie, et dicte inducie quasi in dies ocia. Omne regnum huius seculi bellis queritur, victoriis propagatur; victoria dicta quod vi, id est virtute, adipiscatur, hoc est enim ius gentium, vim vi expellere, nam turpis est dolo quesita victoria. Certa autem victoria est, vel occisio hostis, vel expoliatio, vel utrumque, non est autem iocunda victoria, que per cf. Iug. 92. inmensa[x] detrimenta contigit, et hoc est quod laudat Salustius: duces victoriam incruento exercitu deportasse. Duobus generibus deletur exercitus aut internitione aut desperatione. fragm. inc. 18. Salustius inquit: *Hostes oppressi, aut dilapsi forent.* Sic utrumque Virgilius: Internitione: Aen. I, 69. 70. *submersasque obrue puppes.* Desperatione: *Aut age diversos, et dissice corpora ferro* vel *ponto.* Spolia hostium preda, manubie, eximie partes. Preda a predando vocata. Manubie eo quod manibus detrahuntur. Exuvie ab exuendo dicte, quod exuuntur, hec et partes a pari divisione pro personarum qualitate et labore iusta decisione. Expolia autem a palleis, quasi expallia, victis enim detrahuntur. Hec scilicet de nominibus dignitatum, de bellis et eorum partibus et propietate dicta ob declaracionem eorum que in hoc opere aguntur sufficiant, ut ad hystoriam revertamur.

a) totius 5. b) Cirino 1. c) Cirinus 1. d) a cesare vero 4. e) sedicionum 1. 2. f) totique 1. 2. 4. 5. g) anno — XLII *recepi ex* 5. 7. 13 *et edd.; desunt* 1. 2. 4. h) olimp. CXCIII *desunt* 4. i) Ada 1. k) anni 1. l) Iudea 2. 4. m) LXVI. 2. 4. n) *deest* 1. 2. 4. o) nati gaudium 1. p) deo *deest* 2. q) decantant 4. r) den. venisse 1. s) Babil. 1. t) igitur 1. u) facta est 2. 4. v) in Urbe *desunt* 1. w) fecialibus *not. rec.* x) inmesa c.

sed et in terris regibus omnibus imperare, luce clarius cernitur. Unde pulchre[a] ea, qua hoc praefiguratum esse diximus die, in laudem eius canit ecclesia: *Ecce advenit dominator dominus, et regnum in manu eius et potestas et imperium.* Et in offertorio: *Et adorabunt eum omnes reges*[b], *omnes gentes servient ei.* Per hoc enim quod dominator dominus vocatur, augusti ei nomen attribuitur, per hoc vero[c] quod imperium et regnum in manu eius dicitur, imperatoria ei dignitas[d] asscribitur, per hoc autem quod reges eum[e] adorare omnesque gentes servire[f] asseruntur, monarchiae apex, id est singularis super[g] totum mundum principatus, eius esse declaratur[h]. Illis diebus largius olei rivulus in Transtyberina Urbis regione fluxisse invenitur, ut nasciturus in carne, qui super omnes reges oleo laeticiae et exultationis Spiritu sancto unguendus foret, monstraretur. De pace vero et descriptione orbis rationem me in prologo reddidisse recolo[i], ubi et hoc adiciendum puto, quod Dei filius in carne veniens, Romanae civitatis civis ascribi voluit. Cum enim civitas illa[k] in perfidia posita procul dubio civitas fuerit mundi, quare ei civitatis Dei princeps et auctor natus ascribi voluit, nisi quod per hoc ostendebat, se ad hoc[l] venisse, ut de civitate mundi miro et ineffabili modo faceret civitatem suam? Et[m] ut apertius loquar[n], inter Iudaeos natus gentibus ascribitur, ut per hoc transferendam gratiam ex illo populo ad gentes manifeste daret intelligi. Igitur novo homine[o], qui veterem evacuavit, nato[p], annalibus quoque a Nino[q] ad Urbem conditam ac inde usque ad id tempus productis, terminum demus, ab eiusque ortu annales nostros ordiamur.

7. Anno ab incarnatione Domini 3. Herodes Iudaeorum rex, a magis Christum natum Eus h. e. I, 7.
audiens, inmanissimum[r] scelus perpetravit. Timens enim, cum esset alienigena, de semine David[s] natum esse puerum, qui iure haereditatis regnum requireret patris, callide loco ac tempore perscrutato, circa Bethlehem a bimatu[t] et infra pueros occidi praecepit, nutricio Christi ante per angelum praemonito pueroque in Aegyptum translato. Quod scelus Dominus advertens, dirissima et indecora eum morborum clade in extremis[u] flagellavit. Unde Iosephus in 17. Antiquitatum libro de ipso sic ait: *Herodem porro amarior* ex Eus. I c. 8.
in dies morbus urgebat[v], *supplicia dudum commissi*[w] *sceleris expetens. Lento namque igne extrinsecus in superficie urebatur, intrinsecus vero vastum condebatur incendium. Aviditas inexplebilis semper inerat cibi, nec tamen saciari unquam rabidis viciata*[x] *faucibus valebat ingluvies. Intestina intrinsecus ulceribus obsepta.* Et post pauca: *Sed et verenda ipsa putredine corrupta scatere vermibus, spiritus quoque incredibilis inflatio.* Et infra: *Dicebant ergo hii, quibus divinandi peritia est*[y], *has divinitus poenas ob inulta eius impie et crudeliter gesta deposci.* Refert etiam, quod ubi desperare salutem coepit, ex singulis vicis atque castellis nobiles ac primarios viros ad se vocatos in vincula posuerit. Accersitaque ad se[z] sorore sua Salome atque eius viro Alexandro: *Novi*, inquit, *Iudaeos de meo interitu gavisuros, sed potero habere*[*] *lugentem et exequias honorabiles ex plangentium multitudine, si volueritis vos meis*[a] *parere praeceptis. Statim ergo ut exhalavero*[b] *spiritum, omnes quos in custodia habeo*[c] *interficite, ut omnis Iudaea et omnis domus defleat obitum meum.* Et non multo post cum vitae exitum adesse sentiret, ad incidendum malum cultellum poposcit[d], quo accepto, in se ipsum ictum vibravit. Prosequitur etiam[e] idem scriptor, quod antequam moreretur, post duos quos ante necaverat, tertium quoque filium interfecit. Et ita maximis doloribus corporis, quam flagitiosissimis[f] parricidii piaculis, infelicissime vitam finivit. Quod illi procul dubio ob sacrilegium in Christum eiusque coaevos crudele commissum piaculum evenisse creditur. Mortuo Herode, Archelaus filius eius successit in regnum.

8. Anno ab incarnatione Domini 6. maxima fames in urbe Roma fuit, quae in tantum Oros. VII, 3.
invaluisse dicitur, ut lanistarum familias et peregrinos, servos quoque absque medicis et praeceptoribus Augustus ab Urbe expelli praeceperit. Ea tempestate Augusto iam sene, ib. VI, 22.
Iani portae, quae ex longo ocio rubiginem contraxerant, propter Atheniensium et Dacorum ib. VII, 3.
seditionem[g] aperiuntur, nec ante Vespasianum clausae fuerunt. Nulla tamen, quamvis in procinctu miles esset, post longa tempora bella sonuerunt. Quod profecto ob novi regis

a) pulcre 1. b) terrae *add. editt. et manus coaeva* 7. c) *deest* 1. d) dignitas ei 1. e) *deest* 1. 2. 4. f) ei servire 4. g) per 4. h) decernitur *editt.* i) rationem in prologo redditam scias 13*. k) illa *add.* 5 *et editt.* l) adhuc *editt.* m) *deest editt.* n) *deest* 1. 2. 4. o) hodie 13*. p) nato q. v. e. 4. q) *ita* 5 *et editt.*; anno 1. 2. 4. r) inm. 5. s) Davit 1. t) ab imatu 2. u) in extremis *deest* 1. v) urguebat 1. w) commissi dudum 5. 7. x) incitata 5 *et editt.* y) q. per. est div. 1. z) ad se *desunt* 1. 4. *) habere *deest* 2. a) meis vos 2 b) exalavero 2. 4. c) habetis 4. d) *ita omn. codd.*; petivit cultrum *editt.* e) et 1; et *corr.* etiam 4. f) flagiciosissimis 1. g) sedicionem 1. 2. 5.

novum ortum evenisse credendum est, ut tantae seditiones sine bellorum cladibus terminarentur. Hucusque Cornelius Tacitus.

Oros. VII, 4. 9. Anno ab incarnatione Domini 15. Augustus 58. imperii sui anno vivendi finem fecit, eique Tyberius privignus eius in regnum successit. Hic moderatissime rem publicam gubernans, nec cives intus iniuriavit, nec foris bellorum tempestates movit. Quarto vero imperii eius anno, id est ab incarnatione Domini 19, Germanicus Drusi filius, Galigulae pater, de Germanis triumphavit. In tantum autem tunc temporis humanus fertur[a] fuisse Tyberius, ut dum augenda tributa praesides suaderent, responderit, boni pastoris esse pecus tondere, non deglutire[b]. His diebus sceleratus quidam, Mundus nomine, callidissime Ios VIII, 7 Egesip II, 4. quandam matronam castam Paulinam decepit. Cum enim saepe de adulterio eam[c] adtemptaret, nec proficeret, sacerdotes templi precio conduxit, ut quempiam deorum cum illa commisceri velle denunciarent. Refert marito mulier, maritus laudat. Sicque in templum nocte veniens mulier, deum illum praestolabatur. Veniens ergo Mundus, voto potitur sub nomine dei. Post hoc improperat mulieri[d], quod fecerat, Illa rursum marito refert. Quod scelus dum Caesar a marito comperisset, debita animadversione templum quidem subvertit, sacerdotes in crucem egit, iuveni vero tanquam amoris magnitudine decepto inani ductus misericordia pepercit ac Urbe cedere persuasit. Haec idcirco ponere volui, ut ostenderem, Tyberium quidem mansuetum fuisse, sed[e] iudiciis[f] suis contra peccantes remissum, quod pene omnium mansuetorum iudicum est vicium[g].

10. Anno ab incarnatione Domini 30, anno vero Tyberii Caesaris 15, cum iam in Iudaea quatuor principes, quos Graeci tetrarchas vocant, Archelao mortuo praesiderent, Iohannes in deserto baptismum poenitentiae praedicare coepit; ad cuius baptismum Dominus quoque aquas sanctificaturus, baptizandus venit, et[h] ex hinc praedicare, miracula facere coepit. Elegit enim[i] principes civitatis suae 12, quos vocavit apostolos, inter quos pro bono unitatis[i] unum constituit principem Petrum. Post quos secundi ordinis viros 72 posuit discipulos. Brevi post haec interiecto tempore maximus ille civitatis Dei civis Iohannes, utpote Math. 11, 11. cui ipsa veritas testimonium dans: *Inter natos*, inquit, *mulierum non surrexit maior Ioanne baptista*, Herodem de incestuoso[k] arguit conubio; ob quam causam ab eo in carcerem ponitur, dieque natalis sui, quod in euangelio plenius habes, eductus, flagitiose inter epulas necatur. Id ipsum Iosephus refert, bellumque maximum inde[l] ortum inter Herodem et[m] Aretham regem Arabiae, ignominiam filiae vindicantis, in quo Herodis exercitum memorat Eus. h. e. I, 13. perisse[n]. Ait ergo Iosephus hoc modo: *Quibusdam autem[o] Iudaeorum videbatur ideo[p] perisse Herodis exercitum[q], quod in eo satis[r] iuste ultio divina commota sit, pro vindicta Ioannis qui vocabatur baptista. Quem punivit Herodes, virum valde bonum, qui praecipiebat Iudaeis virtuti operam dare, iusticiam inter se invicem[s] custodire, in Deum servare pietatem, per baptismum in unum coire. Hoc enim pacto baptismum acceptabilem fore, si non solum ad abluenda peccata[t], verum etiam ad castimoniam corporis sumatur atque ad animae iusticiam purificationemque servetur, omniumque pariter virtutum veluti signaculum et custodia quaedam fidelis habeatur. Quae cum ab eo per praecepta huiuscemodi docerentur, atque ad audiendum ea[u] perplurima multitudo concurreret[v], veritus Herodes, ne forte doctrinae eius persuasione populi a suo regno discederent, videbat enim quod praeceptis eius ac monitis obedire in omnibus plebs esset parata, melius credidit priusquam novi aliquid fieret, anticipari hominem nece, quam postmodum turbatis rebus seram poenitudinem gerere. Ea sola igitur suspicione Herodis[w] vinctus in castellum Macherunta abducitur Iohannes, ibique obtruncatur.* Haec de Ioanne. De Salvatore ib. I, 11 vero sic ait: *Fuit hisdem[x] temporibus Iesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est; erat enim mirabilium operum effector doctorque hominum eorum, qui libenter quae vera sunt audiunt, et multos quidem Iudaeorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit et credebatur esse christus. Hunc accusatione primorum nostrae gentis virorum cum Pilatus in crucem agendum[y] decrevisset, non deseruerunt hii, qui ab initio[z] eum dilexerant. Apparuit enim[*] tertia die iterum vivus, secundum quod divinitus inspirati prophetae vel haec vel alia de eo innumera miracula futura esse praedixerant. Sed et in hodiernum christianorum, qui ab ipso sunt nuncupati, et nomen perseverat et genus.* Hoc idcirco de religione nostra doctissimi viri sed Iudaei

a) hum. fuisse Tyberius fertur 4. b) gluttire 4. c) eam de adulterio 2. 4. d) ei 4. e) sed *deest* 2. f) in iudiciis 5 *et editt.* g) vicium est 2. h) *deest* 1. i) ergo ... civitatis *editt.* k) incesto 1. l) inde *deest* 1. m) *deest* 5. n) perisse *deest* 2; *additur in* 4 *secunda manu in margine*; extinctum memorat 5. 7 *et editt.* o) *deest* 2. 4. 5. 7. 13. p) idcirco 4. q) exercitus 2. r) *deest* 1. s) *deest* 4. t) peccata summatur 2. 4. 5. 7. u) eum 5 *et editt.* v) occurreret 2. w) *deest* 1. x) isdem 2. y) esse *interponunt* 2. 4. 5. z) intio 1. *) eis *add.* 7 *et editt.*

testimonium ponere volui, ut ostenderem, Iudaeos de adventu Christi non ignorare, sed ad dampnationis augmentum invidia excaecatos credere nolle.

11. Anno ab incarnatione sua[a] 34, regnante adhuc Tyberio, in Hierosolymis vero prae- [Oros VII, 4.] sidente Pontio Pilato, Dominus ad passionem venire dignatus fuit ac in loco Calvariae extra portam in parasceue a Iudaeis gentibus traditus sexta hora crucifigi. Tenebrae ab eadem hora usque ad horam qua expiravit nonam non solum in Iudaea sed et per totum mundum factae sunt, et sicut scriptum est:

Impiaque aeternam timuerunt seculà noctem. [Virg. G. I, 468]

Quas tenebras non ex eclipsi solis sed ex miraculo accidisse, 14. luna[b], quae tunc fuit, etiam ipsis infidelibus probavit. Terrae motus quoque tunc factus quasdam civitates Asiae diruit, quae propter hoc etiam a tributo libertati datae a Tyberio fuerunt. Dixisse tunc ferunt unum ex philosophis, quem Dyonisium Ariopagitam putant: *Deus naturae patitur**. Post resurrectionem ergo et ascensionem Domini Pilatus de conversatione mira- [Oros. VII, 4.] culisque eius, passione quoque ac resurrectione Tyberio caesari scripsit. Quo auditô Tyberius colendum eum inter deos esse decernens, ad senatum retulit. Senatus autem, eo quod prius ad eos causa delata non fuisset, edictum caesaris recipere recusavit, quin immo exterminandos ab Urbe huius nominis sectatores censuit. Ob quam causam[c] augustus[d] ex mansuetissimo principe factus est saevissima bestia, plurimosque senatorum ac nobilium perdi praecepit. Sicque factum est, ut dum regem christum recipere nollent, regem caesarem ultorem sustinerent. Nutu tamen Dei id factum creditur, ne fides Christi ab homine infideli testimonium et a terreno principe auctoritatem accepisse[e] videretur. Eodem anno magnus civitatis Dei princeps Stephanus ab his qui et Dominum occiderunt, lapidatur. Tyberius [Eus h. ecc. II, 1.] Iudaeos persecutores Christi in provincias gravioris coeli religavit[f], in Urbeque manentes

* *Salvatoris mors scriptori 13* ansam praebuit ad eruditionis specimen edendum, quod hic subnectere libet ex apographo Pertzii:* Petre quoque scisse sunt, montes corruerunt, multe rupes sunt rupte, velum etiam templi scissum est, interiora tabernaculi ea hora patuerunt. Superliminare quoque templi scinditur et altare pacificorum rumpitur. In templo vox auditur: *Has sedes relinquimus.* Sepulchra mortuorum aperiuntur, et multa corpora mortuorum intraverunt sanctam civitatem et apparuerunt multis. Anime etiam sanctorum in limite posite in adventu Salvatoris ad eas tunc descendentis clamaverunt: *Advenisti desiderabilis quem expectabamus in tenebris.* Ante passionem Christi cometa apparuit, que mox disparuit, iam completa morte ipsius. Arbor lune de qua supra, que usque tunc responsa dederat, aruit Iesu patiente. Sanguis in multis partibus orbis tunc pluit. Item in diversis partibus mundi signum rubre crucis in aere apparuit, et visum est in vestimentis et in frontibus hominum adherere. Item signum ignee crucis videbatur per annum super Ierusalem, que sic fuit disposita: tres superiores partes erant sicut crux, quarta vero pars inferior apparuit ut ensis acutus. Consule etiam Sibillam Tiburtinam de passione Domini, ratione cuius placet inserere huic operi numerum ortum et nomina Sibillarum.

Sibille generaliter dicuntur omnes femine vates lingua Greca. Nam sios Eolico sermone Deus, belen Greci mentem nuncupant, quasi dei mentem. Proinde igitur, quia divinam voluntatem hominibus interpretari solebant, Sibille nominate sunt. Sicut enim omnis vir prophetans vel vates vel propheta, ita omnis femina prophetans Sibilla vocatur, quod nomen ex officio non ex proprietate vocabuli est. Decem autem Sibille a doctissimis auctoribus fuisse traduntur, quarum prima de Persis fuit, secunda Libica, tertia Delphica, in templo Delfici Appollinis genita que ante Troiana tempora seu bella vaticinata est, cuius plurimos versus operi suo Homerus inseruit, quarta Chimena in Italia, quinta Eritrea nomine Eorofilia in Babilone orta, que Grecis Ilium petentibus vaticinata est, perituram esse Troiam et Homerum mendacia scripturum. Dicta autem Eritrea, quia in eadem insula eius sunt inventa carmina. Sexta Samia que Foemenote dicta est, a Samo insula unde cognominata. Septima Cumana nomine Amelthea, que novem libros Tarquinio Prisco misit, in quibus erant decreta Romana scripta, ipsa est et Cumea, de qua Virgilius: *Ultima Cumei venit iam carminis etas.* [Ecl. 4, 4.] Dicta autem Cumana a civitate Cumas que est in Campania, cuius sepulchrum in Sicilia adhuc manet. Octava Ellespontiaca, in agro Troiano nata, que scribitur fuisse temporibus Ciri. Nona Frigia, que vaticinata est Antire[g]. Decima Tiburtina nomine Albunea. Quarum omnium carmina efferuntur, in quibus de Deo et de Christo et gentibus multa scripsisse manifestissime comprobantur. Celebrior autem inter ceteras ac nobilior Eritrea perhibetur. Sed hec hactenus.

a) domini 1. 4, *ubi man. s. XIII. superscripsit* sua b) XIIII Sibilla 1; XIIII[a] luna 2. 4. c) ob quam causa 1; causa *corr.* causam 4. d) Tiberius Augustus 13*. e) accipisse 1. f) relegavit 1. 2. 5; religavit 4. g) Ancire?

[Oros. VII, 4.] submovit et perpetuae servituti addixit. Inicia dolorum haec. Qualibus enim malis secundum prophetiam Domini, eo quod non cognovissent[a] tempus visitationis suae, postmodum a Romanis attriti sint, cum ad id tempus ventum fuerit, dicemus.

[Ekkeh.] 12. Anno ab incarnatione Domini 39. Tyberius 23. imperii sui anno[b] veneno periit. Cui Gaius Galigula tertius ab Augusto in regnum successit, vir omnium ante se sceleratissimus, et qui vere Romanis blasphemantibus ac Iudaeis persequentibus ultor adhibitus videretur. Huius diebus cum[c] in Alexandria plurimis malis opprimerentur Iudaei, Philo Iudaeus primus inter primos philosophorum, ab eis ad depromendam[d] querimoniam ad caesarem mittitur. [Eus. h. ecc. II, 5.] Hic est Philo, qui inter multa praeclara opera librum in quo plurimum christianos com- [Hieronym.] mendat, composuit. Librum quoque Sapientiae, qui sic incipit: *Diligite iusticiam*, quia Graecam redolet eloquentiam, a quibusdam edidisse creditur. In cuius rei argumentum quaedam ibi posita de Christo non prophetarum, sed historiographorum more, non futura prophetancium[e], sed praeterita narrantium invenies, ut est illud: *Dixerunt impii: „Opprimamus virum iustum[f] iniuste"*. Et infra: *Promittit se scientiam Dei habere, filium Dei se nominat.* Et item: *Morte turpissima condempnemus eum.* Hunc Philonem in tantum fuisse sectatum Platonem[g] [Hieron. ed. Vall. I, 118. 426.] refert Hieronymus, ut in proverbio apud Graecos de ipso diceretur: *y Philon Platanon, y Platon Philanon*[h], id est: *aut Philo est Platonis, aut Plato Philonis.* Cum ergo ad caesarem legatione fungeretur Iudaeorum, non solum ab eo ob illius populi odium spernitur, sed et[i] [Oros. VII, 5.] ut templum profanetur ipseque ibi[k] ut deus colatur, ab Augusto praecipitur. Pilatus quoque tantis a caesare malis atteritur, ut suo se gladio interfecisse dicatur. Vide iustissima ac occultissima Dei iudicia de inimicis suis, per flagiciosissimum hominem se ulciscitur, ipseque immobilis manens, cum labore ac furore civium mundi de hostibus triumphat. Sunt etiam[l] nonnulli, qui eum apud Viennam urbem Galliae[m] in exilium trusum ac post in Rho- [Oros. VII, 5.] danum mersum dicant. Unde usque hodie naves ibi periclitari ab incolis affirmantur. Hisdem diebus caesar Germaniam Galliamque percurrens, in Britanniam[n] tendit, ubi dum Bellinum Britannorum[o] regis filium in deditionem accepisset, Romam revertitur. Sed non minor eius in suos crudelitas quam in hostes fuit. Sorores enim suas, quas primo stupro polluit, postmodum exilio dampnavit. His et aliis multis tam flagitiose[p] quam crudeliter commissis[q] sceleribus, a protectoribus suis quarto imperii sui anno interficitur. Inventi sunt post mortem eius duo libelli, quorum unus Pugio, alius Gladius dicebatur, in quibus lectissimorum Romanorum nomina morti destinatorum scripta fuisse dicuntur. Arca quoque variis venenis plena apud eum inventa est, quae in mare fusa plurimos etiam piscium interfecerunt. Haut dubium, quin propter germinantia christianorum tempora tam immanem[r] tyrannum[s] ab hac luce Dominus subtraxerit, qui si vixisset, quantam populi stragem[t] facturus fuerat, ex morte piscium intelligi datur.

[Oros. VII, 6.] 13. Anno ab incarnatione Domini 43, occiso Gaio, Tyberius Claudius quartus ab Augusto [Eus. h. ecc. II, 8.] imperium suscepit. Huius diebus famem fuisse in Iudaea, quam Agabus ante praedixerat, refert Lucas, addens fratribus ibidem manentibus elemosinas ex Antiochia per Paulum et [ibid. II, 12. cf. Oros. VII, 6.] Barnaban missas. Iosephus quoque Helenam[u] reginam Adiabenorum[v], necessitatibus pauperum hisdem diebus plurima largitam fuisse memorat. Adiungit etiam Lucas, quod in illo tempore, quod sine dubio sub Claudio fuisse Eusebius confirmat[w], Herodes Iacobum occiderit, Petrum in vinculis ab angelo liberatum posuerit. Hoc scelus regis perpetratum ultio divina animadvertit, quod Lucas hoc modo prosequitur: *Cum*, inquit, *Caesaream descendisset Herodes, et in die solenni*[x] *praeclara veste et regia indutus pro tribunali consedisset, ac de sublimi concionaretur ad populum, cumque populus acclamaret ei: „Dei voces et non hominis", statim percussit eum angelus Domini, eo quod non dederit gloriam Deo, et scatens vermibus* [Eus. ib. 11.] *expiravit*[y]. A Iosepho quoque idem sed prolixius dictum invenies. Hisdem diebus fuisse [Act. ap. 5, 36.] Theodam, de quo Lucas Gamalielem inducit loquentem, hoc modo: *Surrexit Theodas quidam, dicens se esse magnum quendam, qui destructus est, et omnes qui sequebantur eum dissoluti sunt.* Iosephus similiter affirmat.

a) cognovisset 2. 4. b) etatis 88, cum immani furore insontes et innoxios suos pariter et extraneos puniret, veneno sumpto cum ingenti gaudio omnium mortuus est in Campania *inserit* 13*. c) dum 2. 4. d) *ita* 5 *et editt.*; deprimendam 1. 2. 4. e) praedicantium 4. f) iustum *deest* 1. g) Platonem sectatum 1. 2. h) *ita* 1. 2. 5. 13*, 4 *vero* y Phylon Platanon y Platanon phylon. i) et *deest* 1. k) ibi *deest* 1. 4. l) *deest* 1. 2. 4. 5. m) Galliae urbem 5. n) Brittaniam 4. o) brittonum 4. p) flagiciose 1. 4. q) in omnibus 1; gestis 4. r) inman. 1. 2. 4. s) tirannum 1. t) stragem populi 1. 5. u) Elenam 1. v) Adiab. 1. 2. 4. w) affirmat 4. x) sollemni 1; sollempni 2. 4. y) exspiravit 1. 4. 7.

14. Cum igitur civitas Christi et imperium, quod pene in Iudaea tantum ante nativitatem eius fuit, dilatandum in omnes gentes foret, apostoli, utpote principes et architecti huius civitatis, in omnem terram verbum vitae praedicaturi exeunt, in finesque orbis terrae disperguntur. Hinc Petrus aliorum[a] princeps, totius orbis dominam sortitur Romam. Paulus, qui alios sapientia praecellebat, omnium prudentissimam totiusque philosophiae fontem adiit Graeciam, Iohannes Asiam, Andreas Achaiam, Mathaeus Aethiopiam[b], Thomas[c] et Bartholomaeus[d] utrasque Indias, Simon[e] et Thatheus[f] Aegyptum et Mesopotamiam ac ad ultimum Persidem et Scythiam[g], Philippus Hieropolim[h]. Iacobus in Iudaea remanens Hierosolymorum[i] rexit ecclesiam. Nam alter Iacobus ab Herode decollatus erat, qui tamen prius, ut dicitur, Hispanis praedicaverat, ubi et adhuc sepulchrum eius clarum habetur. Hii non armis, sed longe efficatius Dei verbo orbem aggressi, non alieno sed proprio san- Eus. h. eccl. II, 13. 14 guine, multo quam Romani clarius de universo mundo triumpharunt. Petrus itaque Romam veniens, Simonem[k] haeresiarcham omnium in magica arte peritissimum ac spurcissimum, Urbem subvertentem invenit. Iste dudum a Philippo in Samaria baptizatus, dum gratiam miraculorum ab apostolis oblata pecunia[l] peteret et non impetraret, conversus retro post Satanan apostatavit, seque ex multis daemonum praestigiis miracula faciendo deum asserere non erubuit. Petrus vero in urbe Roma salutifera vitae verba docere coepit, et quod ore docuit, signorum efficatia confirmavit[m]. Ex hinc Romae coeperunt esse christiani. His ib. 15. 16. diebus Marcus, qui primus Alexandrinam[n] rexit ecclesiam, ex ore Petri euangelium in Italia Latino scripsit eloquio. Nam Mathaeus suum antea in Iudaea Hebraico sermone scripserat[o]. Reliqui duo, Lucas scilicet et Iohannes, sua postmodum Graeca lingua ediderunt. Petrus ex hinc kathedram[p] Romae suscipiens civitatemque Dei vivis ex lapidibus verbo et exemplo construere studens, nobilissimas orbis urbes civibus Christi ac sacerdotibus illustravit. Nempe beatum Apollinarem Ravennam, Mettis[q] Clementem, ad florentissimam vero Galliae urbem[r] Treverim tres simul proceres Valerium, Eucharium ac Maternum destinavit. Qui Gest. Trev dum Alpes transissent[s], Maternus in via moritur; quo facto perculsi[t] socii Romam revertuntur. Beatus itaque apostolus pastoralem virgam, ut traditur, per eos ad suscitandum eum misit. Qui venientes ad locum sepulchri[u], 33 dies invenerunt eum in monumento habentem; attamen viri Dei fide et operibus bonis pleni, sub obedientia magistri admota virga, socium a morte suscitaverunt. Qui, ut fertur, post Eucharium et Valerium per tot annos Treverensem et Agrippinensem[v] rexit ecclesiam, quot dies antea in sepulchro[w] iacuerat. Ostenditur autem adhuc eadem virga in argumentum rei quam diximus, Treveri ac Agrippinae, ita quod superiorem eius partem Treverenses, inferiorem Colonienses habeant. Ea tempestate Claudius Britannos[x], eo quod transfugas non reddidissent, exercitu[y] Oros. VII, 6. petit, ac sine sanguine vel praelio ferocissimam gentem in deditionem accepit. Orcadas etiam in ultimo oceano positas insulas imperio adiecit, sextoque mense, ex quo proficisci coeperat, mirum dictu, in Urbem rediit[z]. Anno imperii eius 7. tanta seditio[*] in festivitate paschae[a] Hierosolimis orta est, ut de his qui constipatione populi in foribus templi opprimerentur, 30 Iudaeorum milia inventa sint. Anno imperii eius 9. Iudaeos Urbe trudi praecepit, quod non solum Iosephus sed et Suetonius refert: *Claudius*, inquit, *Iudaeos impulsore* cf. Suet. Claud. c. 25. *Christo assidue tumultuantes Roma expulit.* Sequenti anno tanta fames in Urbe fuit, ut imperator in medio foro ignominiose fragmentis panum proiectis in palacium fugiens[b], concitatae plebis furorem evaserit. Non multo post elapso tempore 35 senatores et 300 equites parvis de causis perdidit[c], ipse vero 14. imperii sui anno veneno periit[c].

15. Anno ab incarnatione Domini 57. Nero quintus ab Augusto imperium suscepit, vir Oros VII, 7. omnium flagitiosissimus, utpote qui et Gaium Galigulam avunculum suum nequitia transcenderet. Tantae quippe petulantiae fuit, ut assumpto varii vestitus dedecore, tam Graeciae quam Italiae urbes et theatra perlustraret ipsosque histriones[d] ineptiis suis vinceret, luxuriae vero tam effrenatae, ut retibus aureis piscando, in comitatu quoque nunquam minus quam mille carrucas habuisse dicatur. Hic etiam ex[e] nimia lascivia Urbem incendi

a) aliorum 4; apostolorum 1. 2. b) Aethyopiam 1; Ethyopiam 4. c) Tomas 1. d) Bartol. 5. e) Symon 1. 4. f) Tatheus 2. 4. g) Scithiam 1. 2. h) Hierapolim 5. 7. i) Ierosolymorum 1; hierosolimorum 2; hyerosolimorum 4. k) Symonem 1. 2. l) peccunia 1 *semper*. m) comprobavit 4. n) Alexandriam 1. o) scripsit *corr.* scripserat 2. p) cath. 4. q) metis 2. 5. 7. r) urbem Galliae 1. s) transsissent 1. 2. t) reperculsi 2 *ex corr.* u) sepulcri 1. v) Agrippensem 1. w) sepulcro 1. 4. x) brittones 4. y) cum exerc. 7. z) rediit *deest* 2. *) sedicio 1. 2. a) pascae 1. b) fugens 1. 2. c) interfecit . . . . interiit *editt.* d) hystriones 2. 4. e) *deest* 1. 2. 4.

praecepit. Quae dum sex dies septemque noctes iugiter arderet, ipse in altissima Mecennatiana[a] turre stans, pulchritudine[b] flammae delectatus, Iliadam tragico[c] habitu[d] decantabat. cf. Ekkeh. De libidinibus eius dicere abhorreo, quippe[e] qui nec a matre, nec sorore abstinens, contra naturam quoque peccare non abhorruit. Quid eo sceleratius, qui magistro suo Senecae a morte non pepercit? Hic[f] enim vita et scientia clarus, philosophiae studium coluit, frequentesque ad Paulum apostolum litteras mittens et ab eo rescripta suscipiens, christianae[g] Hier. de ill. vir. l. c. 12. religionis amicum se fore ostendit. Unde et a Ieronimo in libro illustrium virorum inter cives nostros ponitur. Praeterea pluribus occisis senatoribus, in matrem, in fratres, sorores Oros. VII, 7. ac uxores parricida et[g*] incestuosus extitit. Avariciae vero tam inexplebilis erat, ut post innumerabilem pecuniae thesaurum, quem negociatoribus vi rapuerat, centies[h] centena milia sextertiorum singulis annis a senatu sibi dari instituerit[i]. His flagiciosissimis factis impietatem in Deum adiecit. Primus enim persecutionem in christianos movit, quod non sine consilio Dei factum credimus, ut videlicet civitas sua talem hostem primo haberet, quem ob flagiciorum suorum scelera civitas etiam mundi abhorreret, cui nichil praeter Eus. h. ecc. II, 24. honestatem inhonestum videbatur. Anno imperii eius primo post Marcum euangelistam ib. II, 21. Anianus sacerdotium sumpsit Alexandriae. Per idem tempus graviter Iudaeos afflixit Aegyptius quidam falsus propheta, qui in brevi magica arte fidem prophetae fecerat, adeo ut collectis sibi 30 milibus virorum, montem Oliveti occupasset, paratus inde civitatem[k] l. c. 22. irruere et tyrannidi suae eam subiugare[l]. Felix autem congressione cum ipso facta, eum in fugam vertit, aliisque peremptis sive captis, coepta facile[m] restrinxit. Unde in Actibus Act. ap. 21, 38. apostolorum Felix ad Paulum dicit: *Nonne tu es Aegyptius ille, qui ante hos dies concitaveras populum?* Post Felicem Festus Iudaeis a Nerone praeponitur, apud[n] quem dum Pauli causa ventilatur, Iudaeis insistentibus, Paulus caesarem appellans[o], ut Actus apostolorum referunt, Romam vinctus mittitur, ac eo veniens, verbum vitae incessanter praedicavit. Hucusque Lucas librum Actuum apostolorum perduxit. Iudaei postquam frustratas insidias, quas Paulo intenderant, vident, in Iacobum fratrem Domini, qui dicebatur Iustus, Hierosolimorum[p] episcopum, immanitatem nequitiae suae vertunt, eumque fidem Christi abnegare expetunt. Statuunt itaque eum scribae et pharisaei supra pinnam templi, et voce magna clamantes ad eum dicunt: *Virorum iustissime, cui omnes obtemperare debemus, quoniam populus errat post Iesum, qui crucifixus est, enuncia nobis quod sit ostium Iesu.* At ille dum libera voce intrepidaque mente Christum confitetur sedere in coelo a dextris[q] summae virtutis[r], de pinna templi praecipitatur, illaesusque manens, fullonis vecte[s] percussus, martyrio[t] Eus. II, 23. consummatur. Is tantae sanctitatis ac iustitiae fuisse ab ipsis quoque[u] Iudaeis credebatur, ut ob eius necem Iosephus civitatem[v] a Romanis postmodum[v] destructam[x] esse velit. Hic civitatem Dei non solum factis informavit, sed et unam de septem epistolis, quae canonicae dicuntur, utilem valde et sale sapientiae conditam scripsit epistolam. Aliorum enim apostolorum scripta praeter Petri et Pauli, Iohannis et Iudae epistolas, Iohannis quoque et Eus. h. eccl. III, 11. Mathaei euangelia in canone non habentur. Iacobo successit Cleopae[z] filius, qui in euangelio memoratur Symeon, quem consobrinum Domini iuxta carnem fuisse Egesippus[*] memorat[a].

Oros. VII, 7. 16. Igitur dum Nero christianos persequendo civitatem Dei destruere molitur, beatissimos apostolorum principes Petrum et Paulum, Petrum in cruce pedibus sursum versis, Paulum gladio plecti praecipiens, utrosque beato coronavit martyrio[b]. Quod sequenti anno Urbs misera sensit, nam in tantum pestilentia eam invasit, ut 30 milia funerum supputarentur. Sub[c] eadem persecutione occiduntur Processus et Martinianus aliique plurimi. Petro Romae[d] successit Linus, Antiochiae Euodius. Hisdem diebus cum maxima civium ac sociorum clade duo oppida in Britannia[e] capiuntur. Eodem tempore Romani milites, pluribus in Oriente amissis provinciis, sub iugum Parthorum[f] ignominiose venerunt. Tres civitates in Asia, id est[g] Laodicia, Hierapolis, Colosa, terrae motu conciderunt. Et nota, quod apostolis in Urbe martyrio[h] coronatis, secularis illius dignitas urbis minui coepit.

a) Mecenatiana 5. 7. b) pulcrit. 1. 2. c) traico 2. 4. d) habito 1. 2. e) quippe *deest* 1. f) *manus recentiores superscripserunt in* 2 *et* 4: Seneca. g) *ita* 2. 4. g*) et *deest* 1. 4. h) cencies 1. i) constituerit 4. k) civitati 4; urbem *edd.* l) subiugura 1. m) facile *deest* 1. n) aput 1. o) appellasse 4. p) Ierosolim. 1. 2. 4. 5. q) ad extris 2. r) Dei *add. edd.* s) aut pertica *add. edd.* t) martirio 1. *u) quoque ab ipsis 1. v) postmodum civitatem a Romanis 1. x) a Romanis desir. postmodum civitatem 4. z) cleophe 5. 7. *) Egesyppus 1. a) refert 4. b) *recentior manus addit in margine* 4: anno dominicae incarnationis 72. c) In 4. d) Romae *deest* 2. e) brittania 4. 7. f) Partorum 5. g) id est *desunt* 2. 4. h) martirio 1.

Nero ut audivit in Hispania Galbam ab exercitu imperatorem factum, animo concidens, cum perturbare rem publicam molitur, a senatu hostis pronunciatur. Videns itaque maliciam[a] suam ad effectum se perducere non posse, fugiens[b] ad quartum ab Urbe lapidem, 14. imperii suo anno se interfecit, in ipsoque familia Caesarum[c] defecit. Non defuerunt tamen, qui dicerent hoc quod in apostolo legitur: *Et nunc quid detineat scitis, ut*[d] *reveletur in suo tempore*, et [2 Thes. 2, 6. 7] illud: *Qui tenet*[e], *teneat, donec de medio fiat*, de Nerone, sub quo Paulus scripsit, dictum fuisse. Arbitrantur[f], Neronem non mortuum, sed humanis rebus vivum[g] subtractum[h], usque ad ultimum tempus, in ea qua tunc fuit aetate apparituram, ipsumque fore Antichristum. Sed iam ad historiae seriem revertamur.

17. Galba sextus ab Augusto, morte Neronis comperta, Romam venit; ubi dum nobilem [Oros. VII, 8] quendam Pisonem sibi in filium adoptaret, ab Othone uterque septimo imperii sui mense necatur. Itaque dum Romae Otho[i] usurpat imperium, Vitellius in Germania idem arripere conatur, Vespasianus in Syria[k], qui contra Iudaeos a Nerone missus, multis eos malis attri- [Oros. VII, 9] verat Iosephumque fortissimum ac prudentissimum sacerdotem eorum in vinculis tenebat, ab exercitu, Neronis audita[l] morte, imperator creatur. Quod nimirum civile malum[m] et nobilissimi imperii distractionem ob piaculum in apostolorum principes[n] commissum Roma meruit. Iosephus iste Mathiae filius, tantae non solum inter Iudaeos, verum etiam apud Romanos postmodum auctoritatis fuit, ut statua ei in Urbe donata[o], libri quoque eius bibliothecae[p] traderentur. Extant eius opera in 20 libris Antiquitatum historia; de Iudaeorum cum Romanis bello libri 7. Liber quoque Machabaeorum secundus ab eodem esse compositus a quibusdam dicitur. Alia vero[q] eius etiam opera[r] praeclara Eusebius ponit. Otho [Eus. h. ecc. III, 9] contra Vitellium bellum parat. Ubi dum primo circa Alpes, secundo iuxta Placentiam[s], tercio [Oros. VII, 8.] iuxta locum, qui Castoris dicitur, victor extitisset, quarto cum suos apud Briacum vinci videret, tercio ex quo imperare coeperat mense[t] se ipsum interfecit. Vitellius Romam veniens, regnum usurpat, multisque ibi crudeliter ac nequiter actis, ut audivit de Vespasiano, primo quidem imperium deponere cogitat, sed post a sociis confortatus, Sabinum Vespasiani fratrem in Capitolium cum suis fugavit, ibique omnes flamma ac ruina in unum tumulum dedit. Vespasianus ergo, qui[u] post mortem Neronis hortatu principum et praecipue Iosephi, qui cum in vinculis poneretur, constantissime se ab eodem, sed imperatore, solvendum dixerat, imperium suscepit, relictoque ad[v] obsidionem Hierosolimorum filio suo Tito, per Alexandriam Romam tendit. Porro inter haec[w] Vitellius a suis[x] capitur, turpiter- [Oros VII, 9] [Oros. VII, 8.] que tam per viam sacram quam per forum ductus, unco trahitur, et in Tyberim mersus, communi quoque caruit sepultura. Adversus senatum etiam interea a militibus eius multa crudeliter acta fuerant. Cognita morte Vitellii, Vespasianus Alexandriae substitit[y].

18. Igitur dum Iudaei post 40 a passione Domini annos[z], quos in spacium poenitentiae acceperant, de commisso in Salvatorem scelere poenitere nollent, imo in Stephano et in duobus Iacobis occisis peccatum peccato apposuissent, ultio divina, quae a Domino eis praedicta fuerat, iam in populum impium exardescere debuit. Praemonitis autem divino responso civibus Christi, ut de urbe sacrilega populoque impiissimo, tanquam Loth de Sodomis, trans Iordanem in oppidum Pella nomine transirent, urbs infidelis a Tito obsi- [Oros. VII, 9.] dione in ipsa paschali[*] festivitate, cunctis undecunque populis ad festum confluentibus, cingitur, tandemque cum multo Romanorum sanguine[a] expugnatur. Verum a templo, quod sacerdotum ac principum multitudo tuebatur, Titus[b] arcetur. Quod dum magno labore suorum caperet, tanquam ecclesia Dei germinante[c] abolitum, cum ipsa urbe funditus delevit, ac iuxta prophetiam[d] Domini lapidem super lapidem ibi non reliquit[e], transactis a prima conditione sui 1100 annis. Sexcenta tunc milia Iudaeorum interfecta fuisse, referunt Cornelius et Suetonius. Verum qui miserrimum omnium Iudaeorum exitium ad plenum scire desiderat, ipsorum historiographum legat Iosephum, qui in ipsa paschali festivitate tanquam [cf. Ios. b. Iud. VII, 17] uno carcere[f] conclusos tricies centena milia hominum in urbe fuisse commemorat. Ex

a) malitiam 1. b) *deest* 4. c) Cesarum 5. 7. d) donec 5. e) nunc *add. edit.* f) arbitrabantur 2. 4; arbitrabanturque 5. 7. g) suuum 1. h) subtractum affirmant 2. i) Otto 4; Otho 5. k) Siria 1. l) audita m. Ner. 4. m) *ita* 2. 4. 5. 7; mal. civ. 1. n) apostolorum in principes 2. o) donata in Urbe 1. p) bibliothec 1; bybliotechae 4. q) *deest* 5. r) etiam opera eius 1; eius opera 4; etiam eius opera 5. s) Placencia 1. t) tercio anno ex q. imp. c. 2, *ubi* anno *secunda manu superscriptum;* tercio ex q. imp. cep. anno 4. u) qui *deest* 2. v) ab 2. w) inter haec *desunt* 4; post haec 1. x) a suis Vitellius 1. 2. 5. y) subsistit 1. 2. 4. z) annos a pas. d. 1. *) pascali 1. 2. a) *deest* 4. b) Tytus 7. c) et germinante 2. d) propheciam 1. e) reliquid 1. f) cacere 1.

quibus tam fame quam ferro et igne[a] undecies centena milia, exceptis illis qui urbibus ac castellis aliis perierant, in hac tantum periisse, idem scriptor narrat. Ait ergo inter caetera: *Arbitror enim, quod etiamsi adversus impios cives Romanorum paulisper arma cessassent, aut hiatu terrae, aut aquae diluvio, aut Sodomitanis ignibus et fulminibus coelitus tortis, supplicium civitas deprehendisset, quae multo infaustiorem illis qui haec perpessi sunt, et nequiorem virorum praesentem hanc pertulisset aetatem, pro quibus et omnis gens pariter mereretur ex-* [Oros VII, 9.] *tingui.* Reliqui Iudaeorum, qui usque ad 900 milia fuisse dicuntur, per totum orbem usque in praesentem diem dispersi sunt. Titus post tam magnificum triumphum imperator ab exercitu appellatur. Vespasianus dehinc cum Tito filio[b] Urbem ingreditur, ubi cum maximo tripudio inauditoque triumpho, uno curru cum filio sedens, actis ante se captis et bibliotheca[c] Iudaeorum, suscipitur. Iusto iudicio[d] Dei hoc factum[e] creditur, ut qui in patrem et filium peccaverunt Deum, ab hominibus patre et filio plecterentur. Itaque imperatores omnibus bellorum motibus sedatis, sexto[f] ab Urbe condita Iani portas[g] clauserunt.

His diebus Romanorum res publica plurimum est aucta. Achaia enim, Lycia[h], Rhodus, Byzantium[i], Samotracia, Cilicia, Comogena in provincias redactae, Romanis legibus ac iudiciis paruere. Nono imperii eorum anno civitates Cypri terrae motu corruerunt, Urbsque pestilentia consumitur. Eodem, vel iuxta alios 10. anno, Vespasianus profluvio ventris in villa propria iuxta Sabinos moritur, cuius Titus filius[k], segregatis a numero principum Othone[l] et Vitellio, octavus[m] ab Augusto succedit[n], vir omnium ante se principum moderatissimus, in tantum ut Deliciae[o] hominum vocaretur. Diem enim, in qua nil boni fecisset, perdidisse se dicere solebat. Huius diebus bella non fuere, Roma vero in pluribus sui partibus per se conflagravit incendio. Is amphiteatrum Romae aedificans, quinque milibus ferarum dedicavit. Anno imperii 2.[p] cum omnium planctu in eadem qua et pater villa moritur. Eodem anno Linum, 12 annis in sacerdotio[q] transactis, urbis Romae episcopatum [Eus. h. ecc. V, 6.] tradidisse Anacleto, refert Eusebius.

[Oros. VII, 10.] 19. Anno ab incarnatione Domini 83. Domitianus Tito fratri nonus[r] ab Augusto successit, qui non solum crudeliter in suos, quosdam interficiendo, quosdam in exilium[s] mittendo, saevire coepit, sed etiam plurimum ei rei publicae dampnum exercitum incaute Germanis et Dacis exponendo intulit. Hic etiam in tantam prorupit vesaniam, ut se deum et dominum appellari ac[t] coli fecerit. Secundus quoque post Neronem persecutionem in [Eus. III, 13. 14.] christianos movit. Anno imperii eius[u] quarto Anianus, qui 22 annis Alexandriae ecclesiam Dei rexerat, moritur, cui successit Habilius. Anacletus[v] quoque, qui iuxta Eusebium in urbe [G. pont.] Roma 12 annis sacerdotio functus erat, vita decedit[w], sedemque Clementi reliquit. Alii vero [Eus. h. ecc. III, 15.] hunc Cletum dicunt, et Anacletum post Clementem ponunt. Hic est Clemens, cuius tanquam [Phil. 4, 3.] coadiutoris sui Paulus meminit, ubi ait: *Cum Clemente et caeteris adiutoribus meis*[x]. Hic magnus civitatis Dei princeps, sapientia praeditus in tantum[y], ut a Iudaeis et gentibus diligeretur, tractabilis, non solum verbis et factis ecclesiam Dei informavit, verum etiam[z] monimenta librorum civitati Dei profutura reliquit. [ib. 16.] Extat[*] eius inter caetera opera[a], quam ex persona[b] Romanae ecclesiae dictavit, ad Corinthios epistola[c], quae in tantum ei, quam ad Hebraeos Paulos scripsit, consimilis esse cernitur, ut propter hoc illa, quam nominavi, non[d] [G. pont.] Pauli, sed sua a pluribus putetur[e]. Huic[f] Clementi Petrus sibi a Domino traditam ligandi ac solvendi potestatem tradidit, eumque sacerdotio[g] sibi subrogavit. Quare vero inter eum et [Oros VII, 10.] Petrum duo medii inveniantur, ab aliis sat dictu[h] manifestum esse putamus. Domitianus dum civitatem Dei persequi intentat, Iohannem apostolum, caeteris martyrio[i] coronatis solum ex apostolis superstitem, in Pathmos insulam relegari praecepit, ubi Apokalypsim[k] divina revelatione composuit. Ex David quoque stirpe genitos exquiri praecepit. Quos dum ascitos[l] pauperes cognovisset, requisitosque de regno Christi, dum illud coeleste, non ter-

a) ex quibus tam fame, ferro vel igne 4. b) filio suo 1. c) byblioteca 4. d) id iudicio 5 *et editt.* e) Dei iudicio hoc f. 1; iudicio dei fact. 2. f) sexta vice 4. g) Ianum 4. h) Licia 2. i) Bizancium 1; Bizantium 2. 5. 7. k) cuius filius suus Tytus 4; cui Titus filius suus 5. l) Ottone 4. m) septimus 1. n) suscepit 1. o) Delitiae 1. p) secundo *deest* 1. 2; anno imperii II *desunt* 4. q) sacerdocio 1. r) octavus 1. 2. s) int. quosdam in exilium quosdam 1. t) appellari ac *desunt* 1. u) eius *deest* 1. 2. v) tercius post Petrum apostolum *superscr. alia manu* 4. w) discedit 1; decessit 4, *ubi alia manu superscr.* martirio coronatus. x) meis *deest* 4. y) in tamquam 2. 4; in tantum fuit 1. z) etiam *deest* 1. 2. *) Ex 5. a) inter caetera eius opera 1. b) ex personae 1. c) epistolam 2. d) epistola non 5. 7 *et editt.* e) sua esse putetur 4. f) Hinc 1. g) sacerdocio 1 *semper*. h) dicto 2. 4. i) martirio 1; *deest* 4. k) apokalipsim 1; apokalipsin 2; apokalypsin 4; apocalipsim 5; apocalipsin 7. l) acscitos 1; adscitos 4.

renum audisset, liberos abire permisit, sed et persecutionem, quam adversus ecclesias agitari iusserat, datis rursum compescit edictis. Ipse vero 15. imperii sui anno in palatio necatus, dedecorose sepelitur. Cui in regnum successit Nerva anno ab incarnatione Domini 49[a]. Hic rêvocari exules praecepit, unde et Iohannes a Pathmos[b] ad Ephesum redire permissus est[c].

20. Anno[d] imperii sui primo Nerva moritur, regnavitque pro eo Traianus 11. ab Oros. VII, 11. 12 Augusto, quem ipse vivens in filium et haeredem regni adoptaverat. Hic apud urbem Galliae Agrippinam regni gubernacula suscepit, transitoque Rheno[e] Germaniam in pristinum statum reduxit, ac multas trans Danubium gentes subegit. In Oriente quoque regiones trans Eufraten ac Babylonem[f] subiugavit. Hinc est illud exemplum, Traiano bellante victi sunt Parthi. Is tercius a Nerone christianos persecutus, relatu ac monitu Plinii iudicis mitior est factus. Huius diebus domus aurea Neronis fulmine crematur. Iudaei etiam tunc multis seditionibus turbaverunt Orientem. Eo tempore apud Antiochiam[g] post Euodium Eus. h. ecc III, 22.34.35. tercius post Petrum regebat ecclesiam Ignatius; Romae Euaristus, qui Clementi 9 annis ecclesiam regenti successerat, Hierosolimis post Symeonem Iustus; Smyrneorum[h] kathedram[i] Policarpus, Hierapolim Papias, ambo Iohannis discipuli, gubernabant. Quorum ib. 39 Papias quinque libros, qui appellantur verborum dominicorum, scripsisse dicitur. Iohannes ib 31 post multa virtutum suarum insignia apud Ephesum[k] solus ex apostolis sine effusione sanguinis in pace migravit ad Dominum. Ea tempestate Menander post Simonem surrexit ib. 26. haereticus. Cherinti haeresis, qui terrenum futurum esse Christi regnum, et eorum quae[l] ib. 28. sub ventre sunt incitamenta, cibis, potibus, nuptiis praedicabat explenda, pululabat. Fuerunt ib. 27. etiam Hebiones, id est pauperes, pro paupertate intelligentiae vocati, Christum solum hominem putantes. Sed et Nicolaitarum[m] haeresis tunc[n] efferbuit, qui sine ulla reverentia ib. 29 et pudore promiscuos et illicitos concubitus[o] licere affirmabant. Isti Nicolaum, unum de 7 illis, qui cum Stephano diaconi sunt constituti, auctorem se huius rei habere iactant, eo quod uxorem suam, quam pulchram[p] valde habuit, in medium produxerit. Excusat vero hunc Clemens Alexandrinus, dicens inter caetera: *Michi compertum est, Nicolaum nullam prorsus agnovisse mulierem praeter eam, quam in matrimonium acceperat, eiusque liberi casta virginitate et sanctitate incorrupti corporis usque ad ultimam senectutem durarunt*[q]. Quae cum ita se habeant, constat illud, quod in medium apostolorum pro zelotipiae[r] suspicione produxerit uxorem, ex[s] contemptu vitii vel libidinis gestum, quod per hoc continentem se ostenderet eius rei, quam nimie putabatur expetere. Increpabatur enim ab apostolis, quod nimis tenere illam diligeret. Sic Clemens 12. Traiani anno post Cerdonem Primus, quartus ib IV, 1. ab apostolis, Alexandrinam, Romanam vero post Euaristum Alexander gubernavit ecclesiam. Post Ignatium Heros Antiocenae[s*] praesidebat ecclesiae.

21. Anno ab incarnatione Domini 118. Traianus 19. imperii sui anno profluvio ventris Hieron apud Seleuciam Ysauriae, ut dicitur, urbem moritur, eique consobrinae suae filius, 12. ab Augusto, in regnum successit Adrianus Helius. Hic a Quadrato apostolorum discipulo et Aristide Atheniensi, viro fide et sapientia pleno, commonitus, praecepit, ne sine obiectu Euseb. h. e. IV, 3. criminis christiani punirentur. Is etiam rem publicam iustissime gubernans, pater patriae appellatus est, et uxor eius augusta. Idem Sauromatas[t] bello pressit, Iudaeos tumultuantes ac in Palaestinam redire conantes cohercuit praecipiens, ne[u] ultra licentiam introeundi Hieron. Hierusalem haberent, christianos vero ibi habitare permisit. Anno imperii eius 3.[v] Alexander Romanae urbis pontifex[w] decedit, eique Sixtus[x] successit. Alexandriae quoque Primo mortuo Euseb l. c. subrogatur Iustus. Sane Hierosolimorum civitas, expulsis ab Helio Adriano Iudaeis, plurimum ab imperatore reparata, ex nomine eius Helia dicta, a gentibus inhabitabatur*. Post 15 ergo sacerdotes, quos civitas Dei ex circumcisionis pariete a Iacobo apostolo usque ad id tempus habuit, iam ex alio pariete credentium pontifices[y] habere coepit, quorum primus

* *Inserit* 13*: Hiis autem nominibus civitas sancta nominatur: Solima, Luza, Bethel, Ierosolima, Iebus, Helya, urbs sacra, Iberusalem dicitur atque Salem.

a) CXLVIIII. 1. 2; CVIIII. 4. b) Patmos 7. c) ad ephesum permissus est 2; ad ephesum rediit 4. d) ab incarnatione Domini CX. *add. editt.* e) Rueno 1. f) Babilonem 1. 2. g) Antyochiam 5. h) Smirnaeorum 1. 2. i) cathedram 4. k) effesum 4. l) qui 1. m) Nykolaitarum 2. 4. n) tunc *deest* 1. o) cupriitos *in* 1. *corr. man. saec. XIV* concubitus; concubitos 2. p) pulcram 1. q) usque in finem permanserunt 4, *verbis* in fin. perm. *additis manu saec. XIV.* r) zelotypie 5. s) *deest* 1. s*) Antiochenae 7. t) Sauromata 1. u) ut *editt.* v) IIII *editt.* w) martirio coronatus *superscriptum in* 4. x) Xixtus 2; Xyxtus 4. y) *deest* 2.

(Eus. h. ecc. IV, 5.) Marcus fuit, Xixto iam mortuo, ac Telesphoro Romanam ecclesiam gubernante, post[a] Iustum quoque Neumene Alexandrinam ecclesiam regente[a.*]

(Eus. h. ecc. IV, 7.) 22. Igitur dum civitas Dei, quae est ecclesia, longe lateque per orbem terrae diffunderetur, antiquus hostis subtilius eam persequi molitur, et qui prius eam exterius persecutionibus oppugnaverat[b], nunc intestino bello, hoc est haereticorum veneno, callide inficere[c] attemptat. Post Menandrum ergo duo flagiciosissimi, Saturninus Antiocenus et Basilides Alexandrinus, surrexerunt haeretici. Quorum Basilides sectatores suos ad morem Pytagoricum[d] quinquennio silere, fidemque Christi persecutionis tempore negandam asseruit. (ib. 8) Carpocraten quoque haereticum tunc fuisse Hirenaeus[e] scribit. Porro civitas Christi supra firmam petram fundata, nec foris tempestatibus, nec intus seditionibus[f] quassari valens, non solum sacerdotes, qui eam verbo et exemplo informarent, praeclaros habuit, sed et summa sapientia praeditis viris illustribus, qui eam non solum dictis sed[g] scriptis a pravorum inpugnationibus defenderent, non caruit. Inter quos Egesippus clarissimus habebatur, qui apostolicae praedicationis traditionem[h] simplici sermone quinque libris conscripsit, sed et historiam Iudaici belli a Machabaeis usque ad[i] excidium Hierosolimorum luculenter ac prudenter contexuit. Iustinus etiam, tam nostra quam philosophorum scientia plenus, (ib. 9) ad Antoninum apollogeticum pro nostra religione scribens, horum meminit. Scribit etiam de Adriano caesare, quod pro christianis huiusmodi litteras miserit: *Accepi litteras ad me scriptas a decessore tuo Serenio Graniano clarissimo viro, et non placet michi relationem silentio*[k] *praeterire, ne et innoxii perturbentur, et calumpniatoribus latrocinandi tribuatur occasio. Itaque si evidenter provinciales huic*[l] *petitioni suae adesse valent, adversum*[m] *christianos, ut pro tribunali eos in aliquo arguant, hoc eis exequi non prohibeo: precibus autem in hoc solis et acclamationibus*[n] *uti eis non permitto. Etenim multo aequius est, si quis volet accusare, te*[o] *cognoscere de obiectis. Si quis ergo accusat et probat adversum leges quicquam agere memoratos homines, pro merito peccatorum etiam*[p] *supplicia statues. Illud mehercule magnopere curabis, ut si quis calumpniae gratia quenquam horum postulaverit reum, in hunc pro sui nequitia suppliciis saevioribus*[q] *vindices.*

(Hieron. Eus. IV, 10.) 23. Anno ab incarnatione Domini 139. Adrianus 21. principatus sui anno diem obiit. Cui Antoninus[r] cognomento Pius, 13. ab Augusto, in regnum successit, qui adeo tranquille[s] (Oros. VII, 4.) rem publicam gubernavit, ut pater patriae ex hoc[t] appellatus sit[u]. Huius diebus Hermes (Beda) librum pastoris conscripsit[v]. Anno imperii eius primo Telesphorus[w] 11 annis sacerdotio

(cf. Gest. Pont.) * *Inserit 13*:* His Thelesforus natione Romanus sedit annis 10. Hic constituit angelicum cantum ante sacrificium, et in natali Domini cantari tres missas cum Gloria in excelsis. Septem etiam ebdomadarum ieiunium plene ieiunandum maxime clericis precepit dicens: *Sicut discreta debet esse vita clericorum a laicorum conversacione, ita et ieiunium debet esse discretum;* has autem septem ebdomadas clerici a carne et delitiis ieiunant. Tres missas autem in natali instituit, primam in gallorum[x] cantu proximante media nocte, quando Christus in Bethleem nasci dignatus est, secundam illucescente aurora, quando Christus in cunabulis est adoratus a pastoribus, tertiam missam ipsa hora diei tercia, quando illuxit nobis dies redempcionis nostre. Hic martirio coronatus est.

Adrianus iste fuit in omnibus gloriosus, multas leges condidit et columnam in suo nomine fieri in Urbe fecit, qui licet Traiani nepos esset, tamen gloriae Traiani invidens, statim tres provincias, videlicet Siriam Mesopotaniam et Armeniam, quas Traianus addiderat relinquit. Idem de Dacia facere conantem amici deterruerunt, quia Traianus ex toto orbe Romano infinitam hominum multitudinem ad agros et urbes colendas transtulerat. Pacem tamen omni tempore vite sui imperii habuit. Facundissimus Latino sermone, et Greco eruditissimus fuit; diligentissimus circa erarium et militum disciplinam. Sub Adriano passa est Rome beata virgo Seraphia Anthiocena genere, manens in domo nobilissime femine Sabine quam sua doctrina converterat. Unde sancta Sabina quia collegisset ossa Seraphie accusatur, ac demum ipsa martirio coronatur. Floruit etiam hiis temporibus Secundus philosophus qui philosophatus est omni tempore silentium servans, causam autem silentii in suo libro demonstrat. Eodem etiam tempore factum est ut locus passionis Christi esset intra muros, qui prius extra fuit. Hiis temporibus Aquila interpres secundus Mosaice legis genere Ponticus floret. Hoc autem tempore Greco more tunc primum in orientali ecclesia christianorum misteria celebrata sunt, que prius hebraice celebrata fuerunt.

a) post — regente *desunt* 1. 2. 2*. 2* A 1. 2. 3 *et* 4; *reperiuntur in* 5. 7. 13*. 13* *et editt. quae tamen* Eumene *legunt.* b) persec. exterius inpugnaverat 1. c) inficere *deest* 1. d) Pitagoricum 2. 5. e) hiereneus 7. f) sedicionibus 1. 2. g) sed *deest* 4; sed etiam 1; sed et 2. h) traditione 1. 2. i) *deest* 1. k) silentio relationem 1. l) huic *deest* 1. m) adversus 4. n) adclam. 1. 2. 7. o) *deest* 5. 7. p) in 1. q) severioribus 1. 2. r) Antonuus 1. s) tranquille *deest* 2. t) ex hoc pat. patriae 2 u) pro hoc vocaretur 4. v) scripsit 4. w) Thelesforus 5. 7. x) pallorum *c.*

functus, vita decedit[a], cui Yginus substituitur. Huius diebus Valentinus et Cerdon, quem [Eus. IV, 11.] postea Marcion secutus est, haeresiarchae fuere. Cerdonis dogma fuit, quod is qui in lege et prophetis praedicatus est Deus, non esset ipse pater domini nostri Iesu Christi, quia ille quidem notus esset, hic autem ignotus, ille iustus, hic autem bonus. Eo tempore Iustinus [ib. 12] philosophus, cuius supra mentionem feci[b], de Neapoli Palaestinae[c] nobili prosapia oriundus, inter caetera praeclara opera Apollogeticum imperatori de fide nostra scripsit, eumque benignum christianis fecit. Unde pro his, qui in Asia paciebantur iniuriam, tale scriptum promulgavit: *Imperator caesar Marcus Aurelius Antoninus augustus Armenicus, pontifex maximus, tribunitiae potestatis quindecies, consul tertio*[d], *universis simul plebibus Asiae salutem. Ego quidem non ambigo etiam ipsis diis curae esse, ne quis noxius lateat: multo enim magis ipsis convenit punire eos, qui sibi immolare nolunt, quam nobis*[e]. Et post pauca: *Vos autem caeteros quidem*[f] *deos negligitis, cultum vero*[g] *immortalis*[h] *Dei, quem christiani colunt, expellitis; sed paternam ego secutus sententiam, pari moderatione statuo, quod si quis persistit huiuscemodi hominibus absque ullo crimine movere negocia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absolvatur, etiamsi probetur id esse, quod ei obicitur, christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus poenae ipsius quam obiecit existat.* Ygino successit Pius[i]. Post Eume- [ib. 11] nidem[k] Alexandriae Marcus sedit. Pius Anaceto sedem reliquit[l]. Marcus Celadionem sibi substituit. Anaceti diebus refert se Egesippus[m], quem supra nominavi, Romam venisse, et usque ad Eleutherii tempora ibi fuisse.

24. Antoninus ad 12. ab Urbe lapidem 22. imperii sui anno diem ultimum clausit[n]. Post quem 14. ab Augusto M. Antoninus Verus cum Aurelio Commodo fratre regni guber- [Oros. VII, 15] nacula suscepit, anno ab incarnatione[o] Domini 162. Hii Vologesum Parthorum regem, Armeniam Cappadociam[p] Syriamque[q] vastantem, gravi bello presserunt. Horum diebus cum multi cives Christi ubique terrarum pro fide[r] fortiter dimicarent, Policarpus Smyrneorum[s] [Eus. III, 35] episcopus et apostolorum discipulus, gloriosissimo pro Domino martirio[t] coronatur. Fertur de ipso, quod ad exemplum magistri sui Iohannis, qui apud Ephesum, cum balneas lavandi gratia intrasset[u] et vidisset ibi Cherintum, exiliit: *Fugiamus*, inquiens, *ne balnea ipsa corruant, in quibus Cherintus lavat, veritatis inimicus;* sic et Policarpus Martioni[v] occurrens, [Eus. IV, 14.] interrogatusque ab ipso[w] si eum agnosceret[x], respondit: *Agnosco, agnosco primogenitum Satanae.* Cum Policarpo pluribus martirio coronatis, Metrodorus quidam, de Martionis hae- [Eus. IV, 15.] resi presbyter, ignibus est traditus.

His diebus Anaceto Romae successit Sother, Alexandriae vero Celadion[y] Agrippinus [Eus. IV, 19.] substitutus erat. Antiochiae post Ieronem Cornelio substituto eodemque defuncto, sextus ab apostolis Theophilus sedebat. Hic civitatem Dei non solum factis sed et scriptis informans, utilia librorum monimenta reliquit[z]. Per idem tempus praeclari civitatis Dei principes [Hieronym.] fuere Dyonisius Corinthiorum, Melito Sardensium, Apollinaris Ieropolitanorum[*] episcopi. Ex quibus Dyonisius[a] multis ecclesiae scripturis utilibus relictis, de Dyonisio quoque Ariopagita refert, quod Atheniensium episcopus a Paulo fuerit ordinatus. Reliqui vero duo inter [Eus. IV, 23.] alia scripturarum suarum insignia apollogeticum de fide nostra imperatori scripserunt librum. Antonini, qui quartus a Nerone persecutionem in christianos movit, 17. anno [Hieron.] Sothere[b] mortuo, Eleutherus successit.

Ea tempestate gravissima apud Gallias persecutio civitatem Christi[c] urgebat[d]. Ferve- [Euseb. V, pr. 1.] bat hoc malum potissimum apud nobilissimas Galliarum urbes Lugdunum et Viennam. Verum multis hac temptatione martirio[e] coronatis, Photinus[f] quoque Lugdunensium episcopus, senio ac moribus gravis, gloriosa pro Domino passione consummatur. Cui successit [Euseb. V, 2] Hirenaeus[g] Policarpi discipulus, quorum supra mentionem feci, utilis admodum civitati Dei non solum praedicatione sed et scripturarum executione. Extant de hiis temporibus epistolae a Galliarum martiribus christianis in Asiam missae, quas in historia Eusebii, quam [V, 1.] ecclesiasticam vocant, invenire poteris[h]. Gravissimae pestilentiae plurimis Romanorum [Hieron.] tunc fuere provinciis.

a) discedit 1. b) fecimus *editt.* c) Palestina 1. 2. d) tribuniciae *et* tercio 1. 4. e) vobis 2. 4. 7. f) quidem *deest* 1; qui quidem 2. g) et cultum 1. h) inmortalis 1. i) Ygino — Pius *desunt* 1. k) Eumenem *editt.* l) reliquid 1. m) Egesyppus 2. n) *ita* 4; dans 1; transiit 4. o) ab inc. *desunt editt.* p) Capadociam 1. 2. 7. q) Siriamque 1. r) pro fide Christi 1; fortiter *deest* 2. 4. s) Syirneorum 1. t) igni traditus *superscr. manus recentior* 4. u) transisset 2. v) Marcioni 1. w) ab ipso *desunt* 1. x) cognovisset 1. y) Celadioni 4 *ex corr. rec.* z) reliquid 1. *) Ierapol. 7. a) Dionisius 7. b) Sotherus 1; Sother 2. 4. c) Dei 1. d) urguebat 1. e) martyrio 2. f) Fotinus 4. g) Hyreneus 2. 4. 5. h) *addunt* 9 *et editt.:* Eo tempore apud

[Oros VII, 15.] Hisdem etiam diebus dum imperator contra Germanorum fortissimam gentem manum conserere parat, exercitu plurimum siti fatigato[a] ac tam ex hostium multitudine quam fortitudine pavore perculso, christianorum qui in procinctu erant precibus et Romanis ad subsidium subito largus imber[b] profunditur, et barbari, qui iam exicialiter imminebant, crebris fulminibus deterrentur. Sicque sanctorum precibus hostibus fugatis, Romani non suis sed Dei virtutibus victoria potiuntur. Feruntur imperatoris litterae ad plerosque missae, testantes victoriam sibi christianorum precibus collatam fuisse.

[Hieron.] 25. Anno ab incarnatione Domini 181. Antonius 19. imperii sui anno in Pannonia [Oros VII, 16] moritur, eique filius suus M. A. Commodus, 15. ab Augusto, successit. Hic luxuriae et obscoenitati[c] deditus, plurimos ex senatoribus interfecit. Commodus iste per omnia rei publicae incommodus fuit, nisi quod contra Germanos bellum feliciter gessit.

[Hieron.] Per idem tempus innumerae haereses pullulabant[d], inter quas Encratitarum[e], Tacianum[f] quendam auctorem habens[g], magis pestifera fuit. Hii[h] ab animalibus abstinendum [Eus IV, 28.] praedicabant, ingrati existentes Deo, qui haec humanis usibus procreavit. Sed et nuptias refutantes, accusabant illum, qui ab initio masculum et foeminam ad restaurationem humani [Eus III, 30] generis fecit. Sane Clemens, cuius supra[i] mentionem feci, scribens adversum eos, inter caetera dicit[k]: *An et apostolos improbant? Petrus etenim ac*[l] *Philippus et uxores habuerunt et filias virgines*[m] *nuptum dederunt. Sed et Paulum apostolum non taedet in quadam epistola sua mentionem*[n] *facere comparis suae, quam se ideo negat circumducere, ut ad praedicationem euangelii expeditior*[o] *fiat.*

Ea tempestate Capitolium Romae fulmine[p] percutitur, ac bibliotheca[q], magna maiorum [Oros. l. c.] cura composita, concrematur. Aliud quoque incendium Romae exortum aedem Vestae ac palatium plurimasque Urbis partes consumpsit. His diebus Eleutherius[r] diem obiit, Victorique sedem reliquit.

26. Commodus post multa vitae suae flagitia in domo Vestiliani 13. imperii sui anno strangulatus esse dicitur, regnavitque post eum Elius[s] senex, 16. ab Augusto, ex hoc quod ad regnum electus pertinaciter restitit, Pertinax dictus; quem quinto quam regnare coeperat mense, Iulianus iurisperitus in palatio occidit. Qui dum regnum invadere molitur, a Severo iuxta pontem Milvium septimo ex quo imperium usurpaverat mense, vita privatur.

27. Anno ab incarnatione Domini 195. Severus natione Afer, qui ex eo quod imperatorem ultus erat[t], Pertinax est dictus, 17. ab Augusto rerum summam obtinuit. Hic natura ferox, quintam persecutionem post Neronem in christianos movit, Iudaeos quoque et Samaritas, Parthos, Arabas, Adiebanos bello pressit, Fescenninumque ex Aegypto ac Syria [Eus VI, 2.] tyrannidem affectantem interfecit. Huius diebus cum persecutio ubique terrarum ferveret in Christi cives, apud Alexandriam post multos alios pater Origenis[u] Leonides martirii palmam[v] accepit, Origene adhuc puero martirium tamen plurimum affectante[w]. Hoc in tempore fuerunt non solum martires, qui cives Christi exemplo suo ad patientiam[x] animarent, sed et doctores et[y] scriptores disertissimi[z], qui eos docendo ac scribendo ad sapien- [Eus. VI, 2.] tiam informarent. Ex[*] quibus post Iulianum apud Alexandriam Demetrius substitutus, apud Antiochiam octavus ab apostolis Serapion episcopus ordinatus, apud Caesaream Palaestinae Theophilus, in Hierosolimis Narcissus ecclesias procurabant. Multi quoque in aliis locis egregii sacerdotes fuere, Victore adhuc Romanae ecclesiae kathedram gubernante.

[Eus. V, 24.] Quibus praesidentibus in ecclesia, in provinciis Asiae quaestio oritur de die paschae[a], confirmantibus quibusdam quacunque die septimanae 14. luna venisset, solvi debere ieiunium, cum talis consuetudo non uspiam in ecclesia observaretur. Ob quam causam conventus episcoporum et concilia tam per singulas provincias quam in urbe Roma, cui Victor praefuit, convocantur, communique decreto confirmatur, ne liceat aliquando nisi in die dominica paschae[b] celebrare misterium. Sed episcopi regionis[c] Asiae consuetudinem a veteribus

castrum Divionense Benignus Polycarpi discipulus, in Gallias missus, martyrio coronatur. *Eadem reperies in S. Hieronymi codicis Fuxensis additamento apud Pontacum p. 637a.* a) fatigato siti 1. b) ymber 1. c) obscoenitate 1. 2. d) pululabant 4. e) Engratitarum 5. f) Tananum 1. g) habens auctorem 2. h) hi 4. i) supra *deest* 1. k) inter caeteras dicens 1. 2. l) enim et 4. m) et filias eciam virgines 5. 7. n) vel salutationem *addunt* 5. 7 *et edd.* o) expedicior 1. p) fulmine *deest* 4. q) bybliotheca 1; biblioteca 2; byblioteca 4. 5. r) Eletherius 1. s) Eluius 4. t) ultus 1. u) Orienis 1. v) palmam martirii 1. w) affectante plurimum 1. x) pacientiam 1 *semper.* y) ac 2. 4. 7. z) viri *add. edd.* *) e 2. 4. 7. a) Pascae 1. 4. b) Pascae 1; pasche 5. 7. c) regionis *deest* 1.

sibi traditam confirmabant, in quibus Policrates, quia maiorem videbatur habere[a] auctoritatem, Eus. V, 24. Victori Romanae urbis episcopo scribens, inter caetera ait: *Nos igitur*[b] *intemeratum paschae*[c] *colimus diem, neque addentes, neque auferentes*[d] *aliquid. Etenim magna quaedam luminaria apud Asiam dormierunt, summi et electi viri, in quibus est Philippus euangelista, et duae filiae eius, nec non et Iohannes, qui supra pectus Domini recubuit*[e], *Policarpus quoque*[f], *aliique sancti, qui expectant adventum Domini de coelis, ut resurgant a mortuis; isti ergo omnes diem paschae in 14. die mensis observarunt secundum euangelium. Sed et ego omnium vestrum*[g] *minimus Policrates secundum traditionem parentum meorum, qui 7 per ordinem fuerunt episcopi, observo hunc diem, ut conveniret cum illo, quo fermentum Iudaeorum populus aufert. Unde fratres karissimi, sexaginta et quinque annos aetatis gerens in nomine Domini, multorum quoque episcoporum per orbem terrae notitiam habens, et sanctis scripturis intendens, non perturbabor ex his quae ad terrorem proferuntur, quia et maiores mei dixerunt: „Oportet magis obtemperare*[h] *Deo, quam hominibus", certi quod non inaniter canos attulimus*[i], *sed in disciplina Christi semper conversati sumus.* Sed ad hoc Victor constantius agens, totius Asiae ecclesias cum vicinis provinciis a communione abscidere[k] nititur. Sed non omnibus hoc placebat episcopis, quin potius e contrario scribentes ei iubebant, ut magis quae pacis sunt ageret et concordiae studeret. Extant etiam ipsorum litterae, quibus asperius[l] obiurgant Victorem velut[m] inutiliter ecclesiae commodis consulentem.

Eodem tempore Iudas de septimanis Danielis prudenter disseruit. Origenes quoque Eus. VI, 3. apud Clementem doctissimum Alexandriae presbyterum, qui et ipse utiles composuit libros, tunc erudiebatur. Itaque postquam Origenes ad iuvenilem pervenit aetatem, non solum Alexandriae docendi officium a Demetrio episcopo assumpsit, sed et ubique verbum Dei praedicare coepit. Dumque indifferenter tam mulieribus quam viris praedicat, lubricae Eus. VI, 8 aetatis incentiva metuens, zelum Dei, sed non secundum scientiam habens, manum sibi iniciens, semet castrat, illud euangelicum, quia sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum Dei, etiam ad litteram implendum credens. Hic est Origenes, qui a Severi diebus usque ad Galli secundi[n] tempora[o] durans, multa de divinis scripturis utilia composuit, sed nimium humanis viribus confidendo ac mundanis rationibus incaute innitendo labori et religioni suae omnimodae haesitationem induxit, bene dicta erroribus, ut quidam asserunt, permiscens. Unde de ipso habes quod ubi bene, nemo melius, ubi male, nemo deterius.

Severus Iuliano Fescenioque[p] interfectis, adversus Albinum, Iuliani socium in Gallis[q] Oros. VII, 17 bellum machinantem, exercitum parat; quod cum multo utriusque partis sanguine occiso, demum apud[r] Lugdunum Albino terminatur. Post hoc Britannis[s] bellum indicit; quos cum[t] magna difficultate cum subiugasset, partem insulae vallo cinxit.

28. Severus Antoninus apud Eburacum oppidum[u] 15. imperii sui anno diem ultimum Oros. l. c. clausit. Cui Aurelius A. Bassianus[v], qui et Caricalla[w], 18.[x] ab Augusto successit. Anno ab incarnatione Domini 213, Victore mortuo, Zepherinus successit. Caricalla[y] vero patre asperior libidineque intemperantissimus fuit, utpote qui et novercam suam in uxorem duxerit. Is dum contra Parthos bellum molitur, inter Edissam et Carras ab hostibus interficitur. Quo mortuo, Macer Opilius seu Macrinus praefectus praetorio 19. ab Augusto regnum invasit, primoque imperii sui anno militari tumultu vita privatur.

29. Anno ab incarnatione Domini 221. Marcus Aurelius sacerdos Eligabali[z] templi 20. Oros. l. c. ab Augusto imperium sortitur. Hic flagitiosam[*] vitam duxisse fertur. Huius diebus Zepherino mortuo, Kalixtus Romanam ecclesiam gubernandam suscepit. Aurelius 4. imperii sui anno a tumultu militari cum matre necatur.

30. Anno ab incarnatione Domini 225. Aurelius Alexander 21. ab Augusto voluntate Oros. VII, 8 omnium imperator creatur. Hic ex christiana muliere Mammea natus, iuste rem publicam gubernavit, Xersem[a] quoque regem Persarum maximo bello devicit. Ulpiani etiam consilio rei publicae moderatissimum se exhibuit. Passi tamen sunt[b] sub eo Gordianus et Epimachus, Palmatis[c] quoque consul cum uxore et filiis et alii promiscui sexus 42 decollati.

a) habere videbatur 1. 2. 7. b) ergo 2. 4. 5. 7. c) pasche 5. d) minuentes 1. e) in cena incubuit 4. f) quoque *deest* 1. g) nostrum 7. h) obtemperare magis 2. 4. i) adtulimus 1. 2. k) *ita* 1. 2. 4. 7; abscedere 5; abscindere *editt.* l) a suis 1. m) velud 2. n) *deest* 2. o) tempora secundi 1. p) Fescenninoque 1. 5. 7. q) Galliis 5 *et editt.* r) apud 1 *semper.* s) Brittannis 2. 4. 7. t) *deest* 1. u) opidum 1. v) a bassianus *codd.* w) *ita codd.* x) XVIIII. 1. y) Caracalla 4. z) Elygabali 1. *) flagiciosam 1. 4. a) Xersemque 4; Xerxem 7. b) sunt *deest* 1. c) Palmatis 1. 2. 7; *corr.* Palmatius 4; *ita et* 5.

Simplicius etiam senator, quem Kalixtus Papa baptizaverat, cum multis aliis passus est. Huius diebus Kalixto Romae successit Urbanus. Urbano modicum durante, Pontianus Romanam ecclesiam gubernandam suscepit. [Hieron.] Alexander 13. imperii sui anno tumultu militari apud Moguntiam[a] occiditur.

[Oros. VII, 9.] 31. Anno ab incarnatione Domini 238. Iulius Maximus seu Maximinus natione Trax, 22. ab Augusto, sine senatus voluntate ab exercitu, eo quod bellum in Germania prospere gesserat, rex creatur. Hic propter odium praedecessoris sui Alexandri ex christiana matre nati sextus a Nerone civitatem Dei persequitur. [Eus. VI, 20.] His diebus fervente tribulatione persecutionis, [Oros. l. c.] Origenes necessarium et egregium de martyrio[b] librum conscripsit. Maximus vero tertio imperii sui anno a Pupione[c] Aquileiae interficitur. Pupio autem et frater eius Albinus[d], dum regnum usurpare contendunt, in palatio vita privantur.

[Hieronym.] 32. Anno ab incarnatione Domini 241. Gordianus[e] post Maximum, 23. ab Augusto, imperator creatur. [Eus. VI, 21.] Pontiano quoque defuncto Antherus successit. Quo mortuo, Fabianus, ut traditur, per columbam coelitus lapsam et super caput eius manentem episcopatu dignus iudicatur, quod tamen alii super Zepherinum gestum tradunt. [Eus. VI, 22.] Tunc etiam apud Antiochiam episcopo Zebenno defuncto, Babylas[f] ecclesiae suscepit principatum. Apud[g] Alexandriam vero Demetrio successit Heraclas. [Eus. VI, 23.] Eo tempore extiterunt multi, qui civitatem Dei scripturarum suarum documentis illustrarent, e quibus Affricanus vir inter scriptores ecclesiasticos nobilis, multa librorum monimenta reliquit[h]. [Oros. VII, 9.] Gordianus admodum puer Parthis bellum indicit. Quos dum diversis praeliis saepe prospere gestis oppressisset, ipse suorum fraude 6. imperii sui anno super Eufraten interficitur

[Oros. VI, 20.] 33. Anno ab incarnatione Domini 247. M. Iulius Philippus 24. ab Augusto cum filio suo Philippo regnum sortitur. Hic primus imperator christianus fuit. Anno imperii eius 3. millesimus ab Urbe condita impletur[i] annus, cum omnium gaudio magnificis ludis ab imperatore celebratur. [Eus. VI, 25.] De hoc fertur, quod dum in vigilia paschae[k] ecclesiasticis vellet interesse sacramentis, ab episcopo loci non prius est admissus[l] quam inter poenitentes culpas quae de eo ferebantur ablueret. Quod ipsum cum magna humilitate suscepisse dicunt.

[Oros. VI, 21.] 34. Anno imperii eius 6. tumultu militari ac Decii fraude cum filio suo necatur, regnavitque pro eo Decius 25. ab Augusto anno ab incarnatione Domini 253. Hic ob odium Philippi inmanissimam in[m] civitatem Dei septimam a Nerone persecutionem movit, qua Fabiano Romano pontifice martyrio coronato Cornelius kathedram[n] suscepit. [Eus. VI, 29.] Hierosolimis quoque magnus civitatis Dei princeps Alexander martyrio[o] coronatur. [Eus. VI, 22.] Heraclae quoque apud Alexandriam paulo supra Dyonisius in episcopatu successerat.

[Oros. VII, 21.] 35. Decius imperii sui anno 3.[p] cum filio suo inter barbaros interficitur. Cui Gallus cum filio Volusiano 26. ab Augusto in regnum succedit. [Eus VII, 1.] Huius diebus septuagesimo aetatis suae anno Origenes moritur. [Eus. VII, 2.] Tunc etiam inter Cyprianum[q] Kartaginensem[r] episcopum[s] et Cornelium Romanum pontificem, ambos eximiae sanctitatis et sapientiae viros, scrupulosa oritur quaestio, Cypriano cum Affricanis episcopis asserente[t], haereticos, qui ad ecclesiae unionem redeunt, rebaptizandos fore; Cornelio[u] vero cum sacerdotibus per Italiam constitutis confirmante, sola eos manus inpositione purgandos sacramentumque baptismi nulla ratione iterandum. Scripsit autem Cyprianus eximiae sapientiae ac affluentissimae[v] eloquentiae de fide nostra libros. Romae Cornelio martyrio coronato, sedem suscepit Lucius. [Eus. VII, 3.] Quo 8 tantum mensibus sedente, successit Stephanus. Huius diebus nobilissimus inter episcopos Alexandrinorum ecclesiam regebat Dyonisius, qui inter caetera eximiae virtutis suae documenta, de abiecta Novati praesumptione paceque ecclesiae Dei reddita Stephano Romano pontifici scripsit, dicens inter caetera: *Scito autem, frater, omnes ecclesias in Oriente, quae prius conturbabantur, nunc redisse in concordiam, et omnes sibi unanimiter cohaerere, gaudentes et exultantes de pace, quae ultra spem ecclesiae reddita est.*

[Hieronym.] 36. Huius[w] diebus vel prioris Decii tempore, dum ubique terrarum cives Christi ad exquisita tormentorum genera exquiruntur, beatus Laurentius iuxta quosdam Romae in craticula martyrio coronatur. Sed sub Galieno[x] et[y] Valeriano proximis post hunc regibus

a) Moguntia 1; Magontiam 2; Mogontiam 4. 5. 7. b) martirio 1. c) Pupieno *editt.* d) Balbinus 2. 4. 5. e) Gordianus 5 *et editt.* f) Babilas 1. 5. g) aput 1. 2. h) monimenta reliquid librorum 1. i) impletus 2; impletus est 4. k) Pascae 1. l) est admissus *desunt* 1. m) *deest* 1. n) cathedram 4. o) martiryo 1. p) III° imperii sui anno 2. 4. 5. q) Ciprianum 1. r) Cartag. 4. s) episcopum *deest* 1. t) afferente 1. u) Cornelius 1. v) fluentissimae 1. w) his 1, 2, 4. x) Gallieno 1. y) ac 1. 2.

Sixtus, cuius diaconus Laurentius fuit, martyrio consummatus invenitur. Potest autem fieri, cf. Ekkeh quod omnes hii reges Decii sint[a] vocati, vel ordo pontificum vicio scriptorum transmutatus. Hac tempestate in universis Romanorum provinciis pestilentia extenditur. Oros VII,21.

37. Gallus et Volusianus dum contra Aemilianum civile bellum parant, secundo imperii sui anno interficiuntur. Aemilianus vero tertio, ex quo invaserat imperium[b], mense vita privatur. Stephano[c] etiam mortuo, Sixtus Romae sacerdotium[d] sumpsit[c]. Hieronym

38. Anno ab incarnatione Domini 259. post Augustum loco 27. Valerianus in Retia[e], Oros VII,22. Galienus[f] a senatu Romae caesares creantur. Hii[g] octavam a Nerone persecutionem in civitatem Dei moverunt. His diebus glorioso martyrio duo praeclara civitatis Dei lumina[h], Sixtus Romae, Kartagine Cyprianus[i] consummantur[k] Sixto[l] successit Dyonisius[m]. Valerianus Hieron Eus. VII, 23 autem a Persarum rege Sapore captus et luminibus orbatus, ignominiose in Persarum servitute consenuit. Beda. Hoc enim apud eum sortitus est officium, ut ipso equum ascendente, incurvatus regem non manu sed dorso levaret. Galienus tam misero socii permotus exemplo, christianis mitior est factus et datis decretis instituit, ut quo quisque putat more exoret quod divinum est.

39. His diebus Alpibus transcensis Germani[n], Retia Italiaque vastatis, Ravennam Oros. VII, 22 usque perveniunt. Alamani per Gallias euntes, Italiam populantur. Gothi Graeciam, Macedoniam, Pontum, Asiam[o] pervagantur. Quadi[p] et Sarmatae Pannonias armati ingrediuntur. Ulteriorum Germanorum inundatione Hispania deletur. Parthi[q] Mesopotamia Syriaque potiuntur. Super haec mala dum gravi pestilentia et plaga terribili totus orbis premeretur, Romanorum res publica non solum foris ab hostibus atteritur, sed et intus civili malo laceratur. Nempe Genuus dum imperium invadere molitur, apud Zmirnam occiditur. Postumius etiam, qui in Galliis cum multo tamen rei publicae commodo imperium usurpaverat, decimo anno a militari tumultu vita privatur. Emilianus pro simili causa Moguntiae[r] necatur[s]. Marius, qui in Galliis post Postumium regnum invaserat, interficitur. Cui cum rursum Victorinus succedere parat, vita eximitur. Dum haec aguntur in Galliis, in Oriente Odenatus agresti[t] collecta manu, Persas repressit, Mesopotamiamque[u] recepit, et usque ad Tectesifontem[v] cum rusticis Syriae[w] victor venit. Galienus deserta re publica ac Mediolani manens voluptatique deditus, interfectus est. Dyonisio[x] successit Felix Antiochiae, post Euseb. VII, 27 28. Dyonisium Thimeus[y], post Thimeum Cyrillus[z]; Cyrillo successit Dorotheus, huic Anatholius.

Ea tempestate Manes quidam genere Perses, moribus et vita barbarus, execrabilem Euseb. VII, 27. haeresim docuit. Nunc enim Christum sese credi volebat, nunc ipsum se esse paraclitum[*] praedicabat, et elatus in insaniam ad similitudinem Christi 12 discipulos eligens, ad praedicandum mittebat impia dogmata, a prioribus haereticis mutuata. Huius sectatores Manichaei usque hodie vocantur.

40. Anno ab incarnatione Domini 274. Claudius 28. ab Augusto voluntate senatus Oros VII,23. imperator creatur. Hic Gothos[a], qui per 15 annos Illiricum et Macedoniam pervagati fuerant, bello pressit ac incredibili strage delevit. Ob quam causam clippeus ei[b] aureus in curia et statua equestris aurea a senatu decernitur. Anno autem imperii sui 2. morbo correptus[c], apud Syrmium[d] diem obiit. Cui Quintilius frater suus ab exercitu substitutus, Hieron II. misc. 17. imperii sui die vitam finivit.

41. Anno ab incarnatione Domini 276. 29. ab Augusto regnavit Aurelianus. Hic dum Oros. VII, 23 esset vir bellicosus, procinctum ad Danubium movit, ibique Gothos multis ac gravibus praeliis pressit, Romanique[e] imperii terminos restauravit. Inde ad Orientem digressus, Genobiam[f], quae occiso marito suo Odenato Syriam usurpabat, in potestatem redegit. In Gallia quoque Tetricum[g], seditionem proprii exercitus compescere non valentem, sine gravi labore superavit, sicque tam Orientis quam Aquilonis victor, triumphans Urbem ingreditur, quam et[h] postmodum firmiori murorum ambitu decoravit. In Gallia quoque super fluvium Ligerim pulcherrimam urbem condidit, quam ex nomine suo Aurelianim[i] vocavit. Is nonus a Nerone civitatem Dei, erga quam tamen in principio benignior extiterat, afflixit; ante cuius Eus. VII, 26.

a) sunt 2. b) regnum 1. c) Stephano — sumpsit *desunt* 4. d) sacerdocium 1. e) Recia 5. f) Gallienus 1 *semper*. g) hi 4. h) luminaria 4. i) Cyprianus Cartagine 4. k) consumuntur *editt.* l) Syxto 2. m) Dionisius 2. n) Germani *supplevimus ex* 2. 4. 5. 7. o) Asiam, Pontum 1. p) Quacti 1. 2. 4. q) Parthy 1. r) magoncie 2; magontię 4. s) occiditur 2. t) agresti *deest* 2. u) Mesopothamiamque 5. v) *ita* 1. 2. 4; *quod* 7. *corr.* Ictesifontem; *ita et* 5. w) Syrie *deest* 2. x) Dyonisius 1. 2; *corr.* Dyonisio 4. y) *ita* 5; Tym. 1. 2. 4; Tim. 7. z) Cirillus 1. *) paraclytum 1. 4. a) Gothis 4. b) ei *deest* 1. c) corripitur 1. d) Zmirnium 1. e) Romani 1. f) *ita omnes codd.* g) Teticum 4. h) etiam *editt.* i) Aurelianum 4.

Oros. VII, 23. oculos fulmen Dei[a] maximo[b] omnium pavore corruit, et ipse non multo post tempore, anno imperii sui sexto, occiditur.

Oros. VII, 24. 42. Anno ab incarnatione Domini 281. Tacitus 30. ab Augusto imperator factus, sexto mense in Ponto necatur. Post quem dum Florianus partem regni invaderet, tertio mense ex quo id usurpaverat, apud Tharsum vita privatur.

43. Anno ab incarnatione Domini 281. Probus 31. ab Augusto regnum adeptus, barbaros qui Gallias occupaverant, per multa et fortia[c] bella devicit, deinde civilibus bellis Saturninum in Oriente, Proculum et Borosum apud Agrippinam pressit, ipse vero apud Syrmium[d] in turre ferrata a militibus interficitur anno imperii sui 7.

44. Anno ab incarnatione Domini 288. Carus Narbonensis 32. ab Augusto imperium sortitur. Qui assumptis sibi in regnum duobus filiis Carino et Numeriano, bellum[e] cum Parthis gessit, duasque ibi nobilissimas urbes Choten et Ctesipontem[f] oppugnavit. Ipse vero super Tygrim fulmine percussus, imperii sui anno 2. diem ultimum clausit. Numerianus quoque filius eius a socero suo Apro vita privatur.

Oros. VII, 25. 45. Anno ab incarnatione Domini 290. Diocletianus[g] 33. ab Augusto imperator ab exercitu creatur. Hic in principio dignitatis adeptae Aprum interfectorem Numeriani propria manu interfecit. Carinum vero flagitiose[h] viventem, quem pater caesarem in Dalmatiam dimiserat, gravi ac laborioso bello devicit. Post haec cum Amandus et Helianus rustica manu seditiosos tumultus in Galliis moverent, Maximianum[i] Herculeum caesarem constituit ac in Gallias misit, qui imperitorum hominum agrestem manum facile virtute ac ordine militari devicit. Carausius quidam, ignobilis genere, manu vero ac consilio non ignobilis, dum Maximiano suspectus habetur, Britanniam[k] invadens, purpuram assumpsit.

Ea tempestate in Aegypto Achilleus rebellat, Affricam Quingentiani inpugnant, Narseus Persarum rex Orientem devastat. His ergo malis motus Diocletianus[l], Maximianum Herculeum ex caesare promovit in augustum, Constantium vero et Maximianum Galerium caesares fecit. Hic est Constantius, qui ex Theodora privigna Herculei Maximiani 6 filios,
Hieronym. Constantinumque ex Helena concubina habuit. Hanc Helenam ex pago[m] Treverorum oriundam dicunt, unde eandem ecclesiam plurimum eam decorasse tradunt. Carausius vero 7. ex quo purpuram usurpaverat anno, ab Allecto socio suo fraudulenter necatur[n]. Ipse etiam
Oros. l. c. tertio dehinc anno[o] Asclepiodoto praefecto interficitur[n]. Imperatores ergo decimam a Nerone in ecclesiam Dei persecutionem movent, quae omnibus superioribus ex antiqui hostis versutia, modicum iam tempus habentis[p] ac propter hoc amplius incandescentis[q], tam gravissima quam novissima invenitur. Per decem enim annos protracta, proscriptionibus fidelium, caedibus martyrum, incendiis ecclesiarum indesinenter agebatur. Unde quot milia sanctorum his diebus civitas Dei non secundum illorum opinionem perdiderit[r], sed iuxta rei veritatem aeternaliter victuros in sinu suo collegerit[s], enumerare nemo posset. Civitas enim Christi huiusmodi tunsionibus ac pressuris expolitur et tanquam aurum in fornace probatur, ut quomodo vivis ex lapidibus constat, non nisi probatos ac politos recipiat.

Vita Maur. His diebus dum augustus contra suprafatos tyrannos Amandum et Helianum bellum parat, Mauricius cum legione christiana Romam ad Marcellinum[t] papam, qui Gaio successerat, venit, acceptaque ab eo benedictione, cum imperatore contra inimicos imperii tendit. Qui dum transcensis Alpibus apud Octodorum consedissent, comperto quod christiani essent, Mauricius tanquam primicerius et ductor[u] aliorum, ad ydolatriam vocatur. Sed fortissimus athleta Christi ac signifer, qui regi impio ac sacrilego ad debellandos hostes regni iuste paruerat, contraria regi coelorum praecipienti obedire recusat[v]. In quo monemur regibus quidem de iustitia subditos nos esse debere, si quae vero contra
Act. ap. 5, 29. Deum et salutem animae praecipiunt, ut cum Petro sciamus dicere: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Mauricius ergo cum sociis suis, qui 6666 fuisse dicuntur, apud Agaunum super Rhodanum[w] situm oppidum[x] martyrio coronantur. Elapsi sunt de collegio illo plures, quos insequentes Romani 9 in oppido Galliae Bunna quae et Verona occiderunt, Gereonem vero cum sociis suis 330 in suburbio Coloniae Agrippinae urbis inter-

a) Dei *deest* 5. 7 *et editt.* b) cum maximo 5 *et editt.* c) forcia 1. d) Sirmium 1. 2. 5. e) bellis 4. f) *ita* 1; ictesifontem 2. 4. 5. 7, *ut supra.* g) Dyoclicianus 1; Dyocletianus 2. 5; Dyoclecian. 7. h) flagitiosissime 2. i) maximinianum 2. k) Brittanniam 2. 4. 5. 7. l) Dyoclitianus 1; Dyoclecianus 5. m) ex quodam oppido 4. n) occiditur . . . necatur *editt.* o) tertio dehinc anno *desunt* 2. p) *ita* 5. 7 *et edd.*; habentes 1. 2. 4. q) *ita* 1. 5 *et editt.*; incandescentes 2. 4. r) opinionem perdiderit illorum 1. s) collegerat 1. 2. t) Marcellianum 4; Marcellum *editt.* u) doctor 7. v) recusabat 4. w) rodanum 5. x) opidum 1. 2.

fecerunt. Victorem etiam cum 360 in urbe Troia, quae nunc Xantis dicitur, interemerunt*. Nec offendi debet lector, si sanctos martyrium fugisse audit, cum Petro dictum fuerit:

* *In 5 adduntur manu saec. XIII:* Tyrsum vero qui fuit dux eorum cum infinita multitudine Rictiovarus apud Treverim trucidavit, et mundum ipsorum martirio illustravit. Alii vero et in aliis locis occisi sunt. *Multo amplius additamentum exhibet hoc loco* 13*: Inter quos etiam Felix et Regula et Exuperantius per deserta rupium ab eadem legione recedentes, venerunt ad vallem que dicitur Clarona, ibique aliquandiu morantes et docentes, descenderunt ad regium castrum Turegum, ubi Decius preses cum eos comprehendisset, afflictos vario genere tormentorum transmisit ad patriam claritatis eterne. Et in Soludro castro Ursum cum sociis interemerunt. Cur autem hec legio Thebea vocetur, nota hos versus:

Hic si vis breviter cognoscere, que tibi Thebe
Hos dent Thebeos, aurum cordis mibi prebe.

Distinctio Thebarum, quia tres dicuntur fuisse.

Grecia fert[a] Thebas, Thebanorum genitricem,
Que discordem Ethioclem parit et Polinicem.

Egipto Thebe seu Thebais est bene fortis,
Quondam dum centum fuit inclita predita portis.
Hanc preterfluit hic Nilus, septemplice visus
Gurgite diffundi, quem de se dat paradisus.
Ex hac Thebei sunt hii gens nigra colore.
Continuo solis validoque perusta calore.
Cathmus Agenorides Thebas fundavit utrasque,
Fato pulsus ad ignotas terras variasque.
Thebais historia seu[b] fabula sepe vocatur
Aut mulier que de Thebis venisse notatur.

Iudee castrum Thebe datur, hic generatur
Helyas, qui Thebites exinde vocatur.
Sed castrum Thebe multis Thesbe vocitari,
Helyam quoque Thesbiten hinc credo vocari.

Et ne scriptoris vicio virtus habeatur
Lectoris, tribus hiis Thebis distinctio datur.
Tres, ut in hystoriis lego, dicuntur fore Thebe
Virgoque sit Thebe, superis pincerna sit Hebe.

Thebeos Egyptus, Thebanos tibi prebet
Grecia, Iudeos Thebites mittere debet.

Distinctio seu divisio Gallie.

Gallia, mons Appenninus montesque Pireni
Te claudunt, simul Oceanus cum litore Reni.
Gallia si scriptum sequimur veterumque relata,
Diceris esse triplex, bracata, comata, togata.
Gallia Belgica, que multis bracata vocatur,
Viris[c] innumeris et famosis decoratur.
Hic est Agrippina, Methis, Treveris speciosa,
Hic fluit Aulona, Matrona, fluit quoque Mosa,
Hic Ardenna nemus magnum satis atque decorum
A Rheno protenditur ad fines Treverorum.
Et dic quod Trebeta, quem[d] dura noverca fugavit,
A Babilone sibi Treverim pro sede locavit.
Ista noverca Semiramis armipotens animosa
Bracas invenit, mulier nimis ambiciosa.
Ut puto Gallia Belgica plus habet Maximianum
Horrens, Amandum sibi preficit ac Helyanum[e].
Gallia Lugdunensis sepe comata vocatur,
Longis namque comis gens istius usa notatur.
Mons Iuris Rodanique fluenta lacusque Lemanni
Et Ligeris claudunt hunc et maris unda Britanni.
Hae sunt Lugdunum[f], Cabilonis et urbs Eduensis.
Authisiodorensis, Meldensis, Senonensis

a) fer *c.* b) hostoř se *c.* c) Viribus *c* d) qž *c* e) Heylanum *c.* f) lugdum *c.*

Ioh. 21, 18. *Alius te cinget et ducet quo non vis*[a]. Sancti enim dum carnem suam odio habere non possunt, vitam diligunt[b], sed ei coelestem vitam ac amorem praeponunt. Nec inconveniens puto credendum, si dixerimus Dominum ad hoc martyres suos fugere voluisse, ne uni loco vel uni patriae tantus relinqueretur thesaurus, quin potius per diversa loca et provincias divideretur[c].

Eodem tempore beatus Vitus aetate puer, utpote septennis, ut dicitur, sed maturis moribus, a patre suo Hila[d], qui ex ordine patriciorum fuisse memoratur, primo flagellatur, et post a Diocletiano[e] diversis tormentorum generibus martyrio coronatur. Afra quoque cum matre Hylaria ac puellis Digna, Eunomia[f] et Eutropia aliisque compluribus, a Gaio iudice ignibus tradita, apud Vindelicam Augustam martyrii palmam accepit. Haec primo peccatrix, postmodum a Narcisso episcopo conversa et baptizata, per ignem examinata, et perennis gloriae corona donata, fiduciam impetrandae[g] gratiae peccatoribus a Domino magnam dedit.

Oros. VI, 25. Sed iam ad cives mundi revertamur. Constantius Alamanis bellum indicit[h], a quibus primo victus, postea cum incredibili barbarorum strage, 70 milibus occisis, victor extitit. Porro Maximianus augustus Quingentianos[i] in Affrica bello pressit. Diocletianus autem Achilleum in Alexandria obsidione cinxit, captaque post 8 menses ac diruta urbe et Aegypto tota proscripta, ipsum interfecit. Maximianus autem dum Narseum[k] Persarum regem aggredi parat, inter Gallienicum et Carras congressu facto vincitur, victusque ad Diocletianum fugit. Ob quam causam indignatione motus augustus, Maximianum ante vehiculum per aliquot milia passuum purpuratum turpiter currere permisit. Qua de re inflammatus Maximianus, collectis undecunque copiis, in hostem ruit, victoque ac fugato Narseo, uxoribus etiam ac[l] sororibus ac liberis captis, cum magna praeda ad augustum in Mesopotamiam veniens, cum maximo[m] honore suscipitur. Igitur Diocletianus et Maximianus dum[n] multis malis ecclesiam Dei attrivissent, et crudeli animadversione statum civitatis Christi perturbassent, ultrix Dei dextera, quae castigari paucis cives suos permiserat, in tantam eos amentiam et permutationem tradidit, ut uterque eorum, Maximianus tamen[o] invitus, sed comparis amore fractus, imperium deponeret, privatumque habitum et plebeium Diocletianus[p] in Nicomedia[q], Maximianus Mediolani, 20. ab imperio Diocletiani anno, assumeret.

Ekkeh. His diebus Marcellino substituitur Marcellus, cui successit Eusebius, post quem Mel-
Hieronym. ciades Romanam ecclesiam gubernandam suscepit.

Or. VII, 25. 46. Relicto imperio ab augustis, Galerius et Constantius, qui ab ipsis cesares electi erant, imperium dividunt. Galerius et Maximianus Yllyricum, Asiam, Orientem obtinuit; Constantio Italia, Affrica, Gallia sorte devenit. Sed Constantius vir suavissimus, Gallia ac

Urbsque Nivernensis, Trecensis, Parisiensis,
Andagavensis, Carnotensis, Rothomagensis,
Aurelianis et urbs Nannetis et urbs Venetensis,
Cenomannensis, Sagiensis et urbs Hebroensis,
Irrigat hanc Araris, alio que nomine Sana
Dicitur, et Rodanus et Secana Parisiana.
Gallia Narbonensis sive[r] togata vocata
Aut ab aquis Aquitania protendi perhibetur
Inter Garumnam[s] fluvium montesque Pireni,
Oblique Ligeris circumdata gurgite leni.
Hec sunt Narbona, Clarusmons urbsque Tholosa,
Lemovicus, Bituris et Burdegalis populosa,
Santonis, Engolisma, Cadurx Petragoricumque.
Hic[t] Dordona fluens latus[u] hic perfundit utrumque.
Dicque quod a Francis dici solet Austria vere
Neustria que nova dicitur Austria, si rationi
Credis, vult inter Mosam Ligerim quoque poni,
Sed Burgundia Lugduno coniuncta videtur,
Immo sub tractu Lugduni clausa tenetur.

Nec offendi debet lector, si sanctos martires fugisse *etc.*

a) quo tu non vis 2. b) despiciunt *corr.* 1. c) dividerentur 2. d) Hyla 1. 4. 7. e) Dyocliciano 1; Dyocletiano 2. 4. f) Eunomia 1; Eumenia 2. 4. 5. 7. g) inpet. 1. h) indixit 4. i) quinquencianos 1. k) Nerseum 1. 2. 4. l) uxor. et soror. 1; uxoribus etiam soror. 2. 4. m) magno 1. n) dum Dioclet. et Max. 1. o) tamen vel *edit.* p) Diorlet. 2. q) Nycomedia 5. r) sin *c.* s) uerumnam *c.* t) ℌ *c.* u) 𝔥[c] *c.*

Hispania[a] contentus, caeteras reliquit[b] Galerio terras. Hic Constantius multa clementia[c] erga homines, erga Deum vero religione maxima utebatur, cultoresque Dei venerationi habuit et honori. Galerius ergo duos caesares fecit, Maximianum in Oriente, Severum in Italia, ipse vero Illiricum retinuit. Constantius autem in Britannia[d] moriens, Constantinum Helenae filium imperatorem in Gallia reliquit.

47. Igitur quia finitis persecutionibus, quasi post noctis tenebras lux, desiderabilis ecclesiae Dei sub Constantino principe pax illuxit, iam tot malorum turbinibus fessi tertio[e] operi finem demus, ut ad ea quibus Dominus civitatem suam depressam et humiliatam exaltare voluit, tempora veniamus. Decem enim persecutiones a Nerone usque ad id tempus invenies. Decem etiam plagis civitatem mundi sub principibus, qui eas quas diximus persecutiones moverunt, percussam maiores nostri tradiderunt, scriptumque reliquerunt[f], quae omnia diligens inquisitor rerum invenire poterit. Sicut ergo 10 plagis percussa cf. Oros. VII, 27. Aegyptus populum Dei liberum abire concessit, sic civitas mundi in 10 persecutionibus 10 plagis percussa populum Dei, id[g] est ecclesiam, quiescere permisit. Sicut autem Pharao insequendo populum Dei[g] ad mare rubrum, quae 11. persecutio fuit, cum[h] exercitu suo funditus est deletus, sic civitas mundi, quae modo multis modis divina ultione percussa est et percutitur, cum capite suo Antichristo undecimam[h], id est novissimam ac omnium periculosissimam persecutionem movebit, ibique percusso Antichristo funditus delebitur. Civitas autem Christi exaltata exaltabitur, ac in aeternum cum ipso regnatura feliciter consummabitur.

EXPLICIT LIBER TERTIUS[i].

PROLOGUS LIBRI QUARTI[k].

Nullum iam esse sapientum puto, qui Dei facta[l] *non consideret, considerata non stupeat, ac per visibilia ad invisibilia non mittatur. Dominus enim, qui civitatem suam ante constitutionem mundi praeordinatam ad tempus latere voluit, tempore quo decuit*[m] *exaltare disposuit. Unde ipsam tempore humiliationis suae tempus ei exaltationis per prophetam praedicando blande consolatur:* Dilata, *inquit*, tentoria tua, et pelles tabernaculorum tuorum consolida; Esa. 54, 2 longos fac funiculos tuos. *Et rursum:* Pro eo quod fuisti abiecta, ponam te in superbiam Esa 60, 15 seculorum. *Cum ergo Dominus multis temptationibus ac persecutionibus attritam vellet exaltare ecclesiam, personam potissimum per quam id habilius facere posset elegit. Proinde Romanorum imperatorem, ad quem tunc universus respiciebat orbis, ad id faciendum ordinavit, eique non solum fidem, qua ab errorum tenebris discedendo ad veram lucem cognoscendam veniret, sed et dilectionem, qua civitatem suam*[n] *multis honoribus exaltaret, multis facultatibus ac possessionibus locupletaret*[o]*, dedit. Et ut cognoscas, non fortuitis casibus sed Dei profundissimis*[p] *ac iustissimis iudiciis id factum, vide pridie latitantem ac quemlibet infimae conditionis*[q] *virum fugientem, in brevi tantae auctoritatis fieri, ut regibus imperet, de regibus iudicet. Vide tantae a seculo venerationis haberi, ut veniant curvi, vestigiaque pedum eius in solio sedentis adorent* cf. Esa 60, 14 *orbis domini.*

Sed gravis hic oritur[r] *quaestio, magnaque de regni ac sacerdotii iustitia*[s] *dissensio. Quidam enim religionis obtentu, alii vero secularis dignitatis, qua regni auctoritas imminuta cernitur, intuitu hanc gloriam honoremque temporalem sacerdotibus Christi, quibus coelestis regni gloria promittitur, non licere autumant, multaque huius rei argumenta monstrant. Duae, inquiunt, personae a Deo in ecclesia sunt constitutae, sacerdotalis et regalis. Quarum una Christi tractare debet sacramenta ac ecclesiastica spiritali gladio exercere iudicia, altera gladium materialem contra hostes ecclesiae, pauperes ecclesiasque Dei ab incursione malorum defensando, sceleratos puniendo, ad secularia iudicia exercendum portat*[t]*. Hii sunt duo gladii, qui in passione Domini leguntur, sed uno tantum Petrus usus invenitur. Sicut ergo ad spiritalem*[u] *gladium spiritales quoque possessiones pertinent, id est decimae, primitiae, oblationes fidelium et alia huiusmodi, sic materiali omnes terrenae dignitates, ducatus, comitatus ac eiusmodi*[v] *subiacent. Haec vero Deus ordinate et non confuse, id est non in una persona simul*

a) hyspania 4. b) reliquid 1 *constanter*. c) dementia 1. 2. 4; clementia 5. 7 *et editt. Ita etiam corr. in 4 manus recentior*. d) Brittania 2. 4. e) tertio iam *editt*. f) scr. reliq. *desunt* 4. g) id est — populum Dei *desunt* 2. h) cum exercitu — undecimam *desunt* 7. i) *ex* 1. 4. 7 *recepimus*. k) *ita* 2. 5. 7; 4 *vero:* Incipit libri quarti praefatio. l) facta Dei 1. m) voluit 4. n) dei 4. o) locupletari 4. p) profundissimas 2. q) cognationis 4. r) horitur 5, *omisso* hic. s) sacerdocii iusticia 1. t) *ita* 1. 2. 5. 7. 13; iudicia exercenda 4 *et editt*. u) spiritualem 4. v) huiusmodi 1. 2. 4

sed separatim in duabus, quas nominavi, in ecclesia sua esse voluit. Proinde sicut illi personae, quae gladium materialem portat, attingere ea quae spiritalia sunt non licet, sic et isti usurpare ea quae huius sunt, non convenit. Inducunt etiam[a] *ad hoc confirmandum multa scripturarum* Luc. 20, 25 *testimonia, ipsiusque Domini ac sanctorum exempla, ut est illud euangelicum:* Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo. *Idque Dominus sicut praedicavit verbis, ita factis declaravit, quando cui tributum, tributum recognoscens, pro se et pro Petro tributum dedit. Paulus etiam cui honorem, honorem attribuendum intelligens, omnemque potestatem a Deo esse considerans, in causa positus, non Petrum, qui Romanae tunc kathedrae praefuit, sed hominem flagitiosissimum et impiissimum ex Dei voluntate super orbem terrae regem constitutum, Neronem appellavit. Haec de honore regum. Quod vero omnis possessio ex eorum gratia sit, ex Augustino probant*[b], *qui* in euang. Ioh. tract. VI, 25. *ait:* Quo iure possides villas? divino, an humano? Divino: Domini est terra, et plenitudo eius. Humano, hoc a regibus Hinc dicimus: Haec terra mea, hic fundus meus. Item[c] si[d] dicis: Quid mihi et regi? Dic quid tibi, et possessioni? *Quibus hoc modo respondetur, quod mundiali dignitate*[e] *quae regalia dicuntur, Dominus ecclesiam suam honorare voluit, ex Dei*[f] *enim ordinatione*[g] *id*[h] *factum, ratio quam supra reddidimus, declarat. Denique credendum non est, Christum ecclesiam suam, sponsam suam, corpus suum, cui in arram spiritum suum dedisse creditur, spiritu erroris decipi permisisse, cui, ut dixi, spiritum veritatis contulerat. Praeterea probatae sanctitatis viri inveniuntur, qui haec habuisse, qui cum his regnum Dei acquisisse creduntur. His ergo aliisque modis, quos longum est exequi, probatur, et Constantinum ecclesiae iuste regalia contulisse et ecclesiam licite suscepisse. Dum enim ab eis quaerimus, quo iure reges id habeant, respondere solent, ex ordinatione Dei et electione populi. Si ergo Deus ordinando, quod regibus praedictus honor impenderetur, iniuste non fecit, quanto magis et id ordinando, ut ab illa persona ad ecclesiasticam traduceretur, iniustus dicendus non est*[i]*? Denique si ad hoc quod ipse ordinaverat, tam hic quam ibi voluntati suae electionem populi et insuper hanc*[k] *traditionem principis concordare voluit, nec ipsum iniuste disposuisse, nec principem male tradidisse, nec ecclesiam illicite suscepisse credendum est. Si dicis priori personae licuisse, quod istam ex sanctitate officii habere nec decet*[l] *nec expedit, ad hoc, fateor, aliud refugium nescio, nisi quod sanctos apostolicae fidei ac meriti viros, Silvestrum, Gregorium, Ulricum*[m]*, Bonifacium, Lanpertum*[n]*, Gothardum*[o] *aliosque complures*[p] *ea cognoscimus*[q] *habuisse. Ego enim, ut de meo sensu loquar, utrum Deo magis placeat haec ecclesiae suae, quae nunc cernitur, exaltatio quam prior humiliatio, prorsus ignorare me profiteor*[r]*. Videtur quidem status ille fuisse melior, iste felicior. Assentio*[s] *tamen sanctae Romanae ecclesiae*[t]*, quam supra firmam petram aedificatam non dubito, credendaque quae credit, licite possidenda quae possidet, credo. Quod enim nullo errore decipi possit, ex hoc probari potest:* Math. 16, 18 Et portae inferi non praevalebunt adversus eam. *Quod autem fides eius in aeternum maneat,* Luc. 22, 32 *ex hoc intelligi datur, quod Petro dictum est:* Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. *Quod vero omnis controversiae ipsius auctoritate et exemplo solvatur scrupulus, in hoc* Luc. 5, 4 *rursum latenter innuitur, quod Petro dicitur:* Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. *Haec de sacerdotii regnique iustitia dicta sufficiant. Caeterum si quis subtilius ac profundius inde ratiocinari vult, a nobis minime praeiudicium patietur.*

EXPLICIT PROLOGUS[u].

INCIPIT LIBER QUARTUS[v].

Or. VII, 28. 1. Igitur anno ab incarnatione Domini 311. Constantinus 34. ab Augusto, patri in regnum successit, religiosi patris haeres religiosior. Inter haec praetoriani milites Maxentium Herculei filium augustum creaverunt, contra quem Severus caesar a Galerio augusto missus Ravennam, fugatur ibique interficitur. Herculeus autem Maximianus, ut audivit Constantinum in Galliis imperatorem creatum[w], privatum habitum deponens, Constantinum dolo circumvenire cogitat. Verum dum ad hoc in Gallias venisset, a filia sua Constantini uxore proditus et in fugam versus, in Massilia occiditur. Porro Galerius Severo occiso, Licinium imperatorem fecit. Dum ergo persecutionem in christianos per decem annos crudeliter

a) *deest* 1. b) probat 2. c) iterum 7. d) dum 4. e) dignitatis 2. f) et dei 4. g) voluntate 1. h) id ordin. 5. i) non est dicendus 2. k) hic 7 *et editt.* l) nunc decet 2. m) Udalricum 1, *qui prius scripserat* Odalricum. n) Lantpertum 4; Lanbertum 5. o) Gothehardum 1. 5; Godeh. 7. p) quamplures 1. q) cognovimus 1. 2. 4. r) fateor 1. s) assentior 7 *et editt.* t) Romanae ecclesiae 1. u) *ita* 7. v) *ita* 2. 4. 5. 7. w) imperatorem creavit 2.

movisset, Galerius a Domino vindicta coelesti percussus poenas solvit. In tantum enim, dissolutis introrsum[a] vitalibus, horrorem venit, ut vermes eructuaret[b]. Cumque desperatus a medicis divinam id ultionem esse cognovisset[c], a persecutione cessavit. Ipse vero vim doloris non sustinens, diem obiit. Constantino[d] autem, ut supra dixi, a patre in Galliis imperatore constituto, Maximinus et Licinius[e] crudelitatis in nostros et libidinis nullum habentes modum, ad imperium aspirabant. Maxentius quoque Romae multis malis Eus. VIII. 16. cives premebat. Denique inter caetera eius facinora hoc de ipso dicitur, quod senatorum et maxime nobilium matronas publice abstrahi et ad libidinam suam, ipsis patribus metu oppressis tacentibus et gementibus, deduci praeciperet. Senatores etiam, vel qui in curia clariores esse videbantur, falsa criminum obiectione[f] proscribi faciebat. Addebat his malis magicae artis nefanda praestigia, ut videlicet mulieribus praegnantibus occisis viscera perscrutarentur[g], ac praecantationibus daemoniaca arte compositis futura praedicerentur. Itaque dum contra sceleratissimum tyrannum Constantinus imperator religiosus fautorque Euseb. IX, 9 iam christianae fidei bellum parat, multisque modis anxius ad coelum saepius oculos attollit, nocte sopore depressus ad orientis partem signum crucis igneo fulgore in coelo coruscare videt. Perquirens autem quid esset, angelos sibi dicentes audit: *Constantine, ἐν τούτῳ νικήσεις*[h], quod est: *In hoc vinces.* Mane expergefactus, milites christianos ad se vocat, cognitoque de hoc quod christianae fidei signaculum esset, laetus ac securus de visione, frontem signo crucis munit, christianumque se futurum, si prospera successerint, promittit. Erat autem multa serenissimo principi anxietas, quod tyrannum non sine magna effusione sanguinis civium superare posset. Dominus ergo tam devotioni principis satis facere, quam afflictioni ecclesiae subvenire volens, ipsum tyrannum miro modo sine periculo tam augusti quam Romani populi perdidit. Naves enim iuxta pontem Molvium in modum muscipulae colligaverat, ut per hoc ignarum huius rei militem venientem deciperet. Iam augustus appropinquabat, iam signa cominus volabant, et ecce tyrannus nutu Dei maniaco[i] raptus spiritu in machinamenta quae hostibus paraverat — iuxta quod scriptum Psal. 7, 16. est: *In foveam incidit, quam fecit* — nullo comitatus socio, solus iuxta desiderium principis absque utriusque exercitus discrimine periit. Igitur dum Constantinus desiderata victoria potitus, Urbem ingressus fuisset, cum magno tripudio a civibus suscipitur. Cumque ei[k] ad morem triumphus[l] pararetur, ipse non sibi, sed Christo hanc victoriam attribuendam praedicavit. Crucem etiam, cuius virtute hostis devictus erat, in triumphali loco poni fecit et adorari.

Melciade mortuo, Silvester successerat. Ab hoc iuxta Romanorum traditionem in Beda; cf Ekkeh ecclesia quae sancti Ioannis dicitur, baptizatur. Haec autem conversionis eius causa fuit. Proinde quae[m] in beati Silvestri vita de lepra et conversione eius leguntur, apocrifa[n] videntur. Refert tamen Tripartita historia, eum in Nicomedia circa finem vitae baptizatum esse. III, 12

2. Constantinus christianus factus pacem ecclesiis reddidit, cui etiam ad hoc Licinius Oros. VII, 28 Euseb IX, 9. assensum praebuit. Ambo itaque imperatores datis legibus, Christum, qui rem publicam a tyranno liberaverat, Deum colendum statuunt, initoque consilio Maximino de hoc, qui Orientis imperium tenebat, scribunt. Quo comperto, Maximinus, ne amplius christiani persecutionem pro fide patiantur, scripto praecipit. Reddit etiam causam, quia quanto magis inhiberi videantur, tanto magis crescant[o], idcirco nullum ad deorum cultum, nisi propria ad id voluntate[p] ducatur, cogendum affirmat. Haec Maximinus cum prae timore augustorum faceret, ex propria id auctoritate se facere fingebat[q], ipse vero omnium intemperantissimus, moderatissimis principibus[r] non solum aequari voluit, sed et praeferri, brevi quoque interiecto tempore foedere rupto, Licinio bellum inferre parat. Ergo multis tam urbibus quam provinciis profligatis, daemonum fretus auxilio usus instinctu, tandem ad bellum progreditur, pugnamque aggreditur. Ubi dum fundi cernit exercitum, detractis imperii insignibus, calonumque[s] se turbis immiscens, ignominiose, ut dignus erat, fugit e praelio. Inde reversus ad propria, primo quidem sacerdotes suos tanquam deceptores interfecit, post cum dirissimis morbis se a Deo percussum videret, gravissimamque mortem imminere

a) introssum 7. b) eructaret 5. 7. 13 *et edd.* c) *ita* 5. 7. 13 *et edd.*, ultionem cognovisset id esse 1; ultionem id esse cognovisset 2. 2*. 4; divina ultione id esse 7. d) Constantinus 1. 2. 2*. 7. e) Licinus 2. f) obiectu 5. 7. g) perscrutaretur 2. h) ΘΟΤΘω ΝΤΚΑ 1; ΘΟΫΘШ ΝΫΚa 2. 4. 5; *eodem fere modo* 7. 13. i) demoniaco 5 *et edd.* k) ei *deest* 2. 4. l) maximus triumphus 4. m) ea quae 2. 7. n) quibusdam apochripha 4. o) plus crescant 2. 5. p) voluntatem 1. 2. q) fingebat facere 1. r) *deest* 1. s) colonumque 1. 2. 4. 7.

cerneret, sera poenitentia ductus, Deum christianorum confessus, pro ipsis scripsit hoc modo[a]: Euseb. IX, 9. *Imperator caesar Galerius Maximus, Germanicus, Sarmaticus, pius, felix, invictus, augustus. Indesinenter curam*[b] *provincialium nostrorum gerentes*[c], *utilitatibus eorum consulentes, quae ad commune et publicum bonum spectant, nunquam desinimus providere. Unde cognitum esse omnibus hominibus non dubito, manifesteque compertum ex eo fomite, quod iussum fuerat a divis principibus Diocletiano*[d] *et Maximiano parentibus nostris, inhibere conventus christianorum, plurimas direptiones et praedas ab officialibus factas.* Et infra: *Igitur ut in posterum omnis metus vel ambiguitas auferatur, huius edicti nostri lege sanccimus, ut cunctis innotescat, licere his qui christianam sectam religionemque venerantur hac nostrae indulgentiae largitate, ut unusquisque quemadmodum vult, et prout animo libet, religioni huic solempnitatique*[e] *deserviat. Sed et orationum domus, id est dominica sua, ut instaurent pro voluntate permittimus. Sane quo in omnibus cumulatior*[f] *habeatur haec nostra largitio, etiam illud hac lege sanccimus, ut si qua*[g] *domus, agri, vel quaelibet praeda ex christianorum bonis ante hac parentum nostrorum praeceptis ad fisci ius fuerant*[h] *sociata, si qua etiam ab aliquo competita sunt, vel si qua distracta aut dono in aliquem collata, haec omnia in antiquum ius christianorum praecipimus revocari, dominisque propriis universa restitui.*

Hanc mutationem dexterae excelsi, quis non miretur? quod homo impiissimus, qui in tabulis aeneis velut in aeternum permansuris, nostros proscripserat, tam subito manu Ib. IX, 10 Or. VII, 28 Dei tactus, pro ipsis scriberet invitus. Post haec Maximinus gravissimis morborum malis consumptus, amissis primo luminibus, vivendi finem fecit. Licinius vero, qui antea Constantino erga civitatem Dei benignum praebuerat auxilium, instinctu daemonum in furorem versus, a palatio trusos christianos persequi intentat. Contra quem Constantinus procinctum movet, victumque in Pannonia primo ac post apud Cybalas, postremo crebris terra marique bellis assurgentem ad deditionem coegit. Sed Herculei Maximiani veritus factum privatum occidit. Constantinum vero et Crispum filios, Constantium et Licinium sororis suae ex praefato Licinio filios, caesares fecit. Ex quibus postmodum, quo zelo nescio, Crispum et Licinium interemit.

Eus. IX, 10 3. Itaque cum iam sociis regno perfunctis, Constantinus solus regnaret, regnique teneret monarchiam[i], pax desiderata diu tribulatae ad plenum redditur ecclesiae, et iuxta Psal. 36, 35 quod dicitur: *Vidi impium superexaltatum et elevatum, et transivi, et ecce non erat*, viris impiis et persecutoribus[k] a terra sublatis iustisque de angustia liberatis, velud[l] nube detersa, laetus[m] dies ubique terrarum civitati Dei coruscare coepit. Videres tunc undique[n] latitantes[o] populos ad populos concurrere, et tanquam unius capitis membra in unum corpus adunatos sociari. Cerneres etiam, luctu verso in gaudium, festivitates ac dedicationes ecclesiarum[p] in singulis urbibus, castellis, vicis cum maximo nostrorum tripudio celebrari. Christianus enim imperator haec ex devotione fidei cum summa alacritate fieri volebat. Tunc prima edicta[q] dabantur, ut ecclesiae aedificarentur; tunc primo catholicis[r] hominibus permittebatur, ut ecclesiae eorum praediis ditarentur, et, ut Romanorum habet historia, non solum his serenissimus imperator assensum praebebat, sed et aliis exempla dans, caput omnium in tantum Romanam exaltavit ecclesiam, ut beato Silvestro eiusdem urbis pontifici, insignibus regni traditis, ipse se Byzantium[s] transferret, ibique sedem regni constitueret. Ex hinc Romana ecclesia occidentalia regna, sui iuris tanquam a Constantino sibi tradita affirmat, in argumentumque tributum, exceptis duobus Francorum regnis, usque hodie exigere non dubitat. Verum imperii fautores, Constantinum non regnum Romanis pontificibus hoc modo tradidisse, sed ipsos tanquam summi Dei sacerdotes ob Domini reverentiam in patres assumpsisse, ab eisque se et successores suos benedicendos et patrocinio orationum fulciendos contendunt, atque ad hoc probandum, quod ipse Constantinus, regno inter[t] filios diviso, alii Occidentem, alii Orientem tradiderit, et sic per successiones Theodosio quoque, et aliis non solum haereticis sed et religiosis principibus cum Occidente Roma sorte devenerit, inducunt. Aiunt enim nunquam tam religiosum principem, quod prius ecclesiae tradiderat, filiis reliquisse, vel tam catholicum impera-

a) huius modo 1. 2. 4. b) causam *editt.* c) gerentes provincialium nostrorum 1. d) Dyoclitiano 1; Dyocletiano 2. 5. e) sollempnitati 1. f) cumulator 2. g) quae 1. h) fuerat 5. i) r. mon. solus teneret 4. k) peccatoribus 1. l) velut 5. m) letus 2. 4. 5. n) undecumque 5; ubique et undecunque *editt.* o) latentes *editt.* p) ad dedicationes ecclesiarum festinantes 4. q) edicto 1. 2*; edicto *corr. eadem manu* edicta 2. r) kath. 1. 2; *ita* 1 *semper.* s) Bizancium 1. 2 *semper;* Bizatium 5. t) intra 1.

torem, utpote Theodosium, quod suum non erat, si ecclesiae esset[a], usurpasse. Quae omnia diffinire praesentis negocii non est.

4. Intueri tamen libet, quam miro et ineffabili modo civitas Christi inter cives mundi progressa, paulatim crescendo ad tantum fastigium profecerit. Ut enim altius repetam, primo homine creato, a[b] deliciis[c] paradisi lapso, in hac valle lacrimarum vestigium cognoscendae veritatis misericors Deus reliquit. Ab hoc dum hominum genus traduceretur, quibusdam in cognitione veritatis manentibus, plurimis autem exorbitantibus, reservatis civibus suis, reliquos aquis diluvii perdidit. Dum ergo rursum ab his genus hominum propagatur, oblitterata paulatim in eis cognitione veritatis, error crescere cepit in tantum, ut circa tempora decimi a Noe Abrahae excepto ipso uxoreque sua paucos invenias cives Ierusalem[d]. Ab ipso quoque utriusque civitatis cives, a filio etiam suo[e] Ysaac duos, quos dixi, populos ortos invenies. A tercio vero Iacob, qui et Israel, natos repperies 12 principes populi Dei, qui ab ipso vocatus est Israel. Hic in Aegyptum descendens, cum inter cives mundi diu peregrinaretur ac in ipsa peregrinatione sua in multum crevisset populum, prodigiis ac signis ad terram patrum suorum, accepta in itinere tanquam viatico lege, inducitur, multisque bonis ibi temporalibus acceptis, quamvis processu temporum reges potentissimos haberet, nunquam tamen in[f] monarchiam regni obtinuit. Cum vero Dominus civitatem suam dilatare vellet et ab illo populo in omnes gentes diffundi, peccatis suis[g] exigentibus, regnum debilitari ac ipsum captivari permisit populum[h]; ipse vero in gentibus, quas ad fidem suam vocaturus erat, regnum Romanorum, quod caeteris dominaretur, constituit[i]. Quod dum ad optimum statum summumque imperii apicem[k] profecisset, Christum filium suum carnem suscipere voluit, qui cum iuxta euangelium in propria (Ioan. 1, 11.) venisset, et a suis non receptus, quin imo ab eis contumeliose tractatus, cruci etiam affixus fuisset, iusto iudicio[l] assumptis de illo populo electis, caeteri excaecantur, ac datis induciis, cum non resipiscerent, miserabiliter captivati, in omnes gentes disperguntur[m]. Dominus ergo[n] civitatem suam de illo populo ad gentes transferens, primo humiliari, contempni, multis malis atteri, iuxta quod scriptum est: *Flagellat omnem filium quem recipit*, voluit. (Hebr 12, 6.) Sed quia flagella dum modum excedunt, tanquam medicina ultra modum sumpta animum potius frangunt quam emendent, desolatam et humiliatam, ut supra dixi, tempore quo decuit, exaltavit ecclesiam. Ut etiam securior de regni coelestis promissione fieret, regnum ei temporale regnorum omnium maximum tradidit, sicque, ut dixi, paulatim civitas Dei crescens, ad summum apicem ac monarchiam profecit. Et notandum, quod ante incarnationem suam civitas Dei ad plenum honorata non fuit, postmodum vero cum assumptam carnem ad coelos attolleret, et quasi accepto regno iuxta parabolam, regnum suum, quod est ecclesiam, ad summum fastigium, quo altius nichil in terra, provexit, ut per hoc civibus mundi se non solum Deum coeli sed et dominum orbis ostenderet, civesque suos patriae dulcedinem ex peregrinationis prosperitate doceret appetendam.

Nec movere debet, quod supra mutatiorres et miserias rerum, nunc vero prosperitates earum, viam nobis[o] ad patriam esse diximus. Sicut enim tam varietas eius quam prosperitas stultum amplius ad amorem suum provocant[p], sic utraque sapientem ea qua diximus contemplatione a se abstractum ad amorem patriae inflammat[q]. Unde puto sapientem in libro qui ecclesiastes, id est concionator, vocatur, tam calamitatibus quam prosperitatibus mortalium inductis, de utrisque concionari, ut utriusque consideratione status ad contemptum mundi amoremque patriae se allici luce clarius ostenderet. Unde cum de utraque satis habundeque concionaretur parte, illo ad quem omnia tendunt fine[r] litem[s] decidit. *Finem*, inquit[t], *loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata* (Eccl 12, 13) *eius observa: hoc est omnis homo.* Et ut cognoscas, quod una eademque res, quae stultum ad voraginem viciorum trahit, sapientem ad coelestis vitae desiderium mittit, audi prophetiam: *Quia delectasti me*, ait, *Domine, in factura tua et in operibus manuum tuarum exultabo* (Psal 91, 5) Subiungitque: *Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget haec.* (ib 7) Ac si diceret: Factura tua, quae cur vel ad quid facta sit, a stulto non cognita, illum ad pernitiosum

a) sed eccl. esset 1; sed esset eccl. *editt.* b) ac 2. 4. 5. c) delitiis 1. d) Hyerusalem 4; Hierusalem 5. e) eius 4. f) *ita* 1. 4; in *secunda manu deletum in* 1. g) *deest* 5. h) *ita* 1. 2. 5; ac ips. pop. capt. perm. 4; ac ips. capt. pop. perm. *editt.* i) instituit 4. k) appicem 2. l) iud. Dei 1. m) *ita* 4; disp. gentes 1. 2. n) vero 2. o) nobis *deest* 2. p) ad amor. ampl. suum provoc. 1. q) inflammant 2. 4. r) finem 2. 4. s) litterę 4. t) inquid 1.

sui amorem inordinate trahit, me ad te cognoscendum, qui illam pulchram[a] et delectabilem ipse pulcherrimus et suavissimus fecisti, accendit. Civitas igitur Christi pene omnia sibi, excepta immortalitate[b], promissa in praesenti iam accepisse cernitur. Denique ut per ea quae iam impleta vides caetera quoque quae promittuntur sine dubio implenda cognoscas, vide crucem Christi, ignominiam eius, supplicium eius, totique orbi ante solo nomine horribile, iam in tantam profecisse gloriam, ut a regibus adoretur, omnibusque pene hominibus factum sit amabile ac venerabile. Cerne quod iam reges inde insignia sua decorari gloriantur, unde antea sceleratis et flagitiosis supplicia inpendebantur. Si ergo Deus sic honoravit supplicium suum[c], quomodo honorabit corpus suum, sanctos suos, imaginem suam? Argumentum igitur futurae beatitudinis sapientis animo prosperitates sunt praesentis tranquillitatis. Sed iam ad hystoriae seriem revertamur.

5. Constantinus, ut dixi, sedem regni Byzantium transtulit, eamque omnium pene[d] urbium divitiis locupletatam ex nomine suo Constantinopolim vocavit, quae ex hinc et ob hoc regia urbs vel Neoroma[e] vocata, patriarchalemque sedem sortita, secundum[f] locum post Romanam ecclesiam, quem[g] prius Alexandrina habuerat, obtinuit. Ex hoc regnum Romanorum ad Graecos translatum invenitur, mansitque propter antiquam Urbis dignitatem solo nomine ibi, re hic, sicut et Babyloniorum[h]. Vide regno Christi crescente[i], regnum[k] mundi paulatim inminui. Igitur dum civitas Christi multis modis proficeret, pacemque exterius ab hostibus[l] haberet, hostis humani generis diabolus intus eam lascescere[m]
Hieronym. attemptat. Dum itaque Petro persecutionis tempore martyrio coronato, Achillas Alexandrinam sedem gubernandam suscepisset, hoc in pace ecclesiae defuncto, eandem Alexander regebat ecclesiam. Huius diebus omnium spurcissimus Arrius presbyter, nefandissimam haeresim de inaequalitate Trinitatis condidit. Contra quem celeberrimum illud Nicaenum[n] congregatur concilium, dampnatoque ibi cum fautoribus suis Arrio, fides catholica[o] in praesentia principis roboratur.

Fuerunt his diebus clarissimi regni Christi principes Paulus et Antonius primi heremitae, quorum prior persecutionem Decii fugiens ac in desertis latitare cupiens, necessitatem vertit in voluntatem, ibique contentissime[p] vivens, plenus dierum moritur, animaque eius inter choros prophetarum et apostolorum deducta cernitur ab Antonio. Alter vero et ipse sanctissimae et artissimae vitae, multis ad artioris vitae zelum provocatis, in pace quievit.

Ruf X, 7 8 Circa idem tempus Helena Constantini mater crucem Domini Hierosolimis invenit, mediaque parte eius ibi relicta, alteram ad urbem[q] regiam transportavit. Unum quoque sacrorum clavorum fabricari fecit, ac inde filio suo augusto compegit frenum. Prophetiam
Zach 14, 20 ibi impletam[r] esse volunt, qua dicitur: *Et erit quod in freno est, sanctum Domino vocabitur.*

Ruf. X, 9 Eodem tempore ulterior India occasione duorum puerorum, quorum unus Edisius[s], alter Frumenticius vocabatur, verbi Dei semina accepit, ubi et postmodum Frumenticius
ib X, 10 Oros VII, 28. episcopus ordinatus, multis virtutibus claruit. Gens quoque Hyberorum, quae sub axe Pontico iacet, mulieris captivae occasione fidem recepit. Quae qui plenius scire desiderat, in ecclesiastica Ieronymi historia inveniet. Constantinus ferocissimam gentem Gothorum in Sarmatarum regione delevit. Dalmatium[t] vero fratruelem suum, Galli et Iuliani fratrem, caesarem fecit. Ipse autem cum in Persas ire proponit, in via publica iuxta Nicomediam, re publica bene ordinata ac filiis tradita, 30. imperii sui anno moritur.

Rufin X, 11. 6. Anno ab incarnatione Domini 341. Constantino successit cum duobus fratribus Constante ac Constantino Constantius filius suus, 35. ab Augusto. Hic a quodam presbytero Arrii discipulo deceptus in Arrianam haeresim incidit. Causa autem erroris haec fuit. Soror patris sui augusti moriens praedictum presbyterum fratri cum summa diligentia commendaverat. Dum ergo et ipse in suburbana villa Nicomediae moriens inter filios regnum partitur, Constantius[u], cui regnum Orientis sorte devenit, forte aberat; cui testamentum pater per Arrianum illum[v] misit, obtestans eum ne alii traderet. Presbyter cum testamento regnum tradens Constantio, in tantum familiaris efficitur principi, ut facile

a) pulcram 1. b) inmort. 1. c) suppl. suum honor. sic 1. d) pene omn. 1. e) neoroma 1. 2; neronia 4. f) *ita editt.*; sđ 1. 2. 4. 5. 7, *in quo manus recentissima corr.* secundum. g) quam 4. h) Babil. 2. 4. i) excrescente 2. k) regno *editt.* l) ab hostibus *desunt* 1. m) *ita* 1. 2. 4; lacerare 5; lacescere 7. n) toto orbe terrarum 318 patrum *superscripsit* 4 *man. saec. XIII.* o) katholica 5. p) continentissime 5 *et editt.* q) ad urbem *desunt* 1. r) inpletam 2. s) Edyssus 4. t) Dalmacium 1. u) Constancius 1. v) illum *deest* 1.

veneno pernitiosissimi[a] dogmatis imbutum eum ad suam sectam traheret. Eusebius, Nicomediae episcopus eodemque veneno infectus, Arrium, qui ob perfidiae suae virus ab Alexandro venerabili episcopo Alexandria pulsus erat, revocari conciliumque congregari suadet, et sic iussu principis tam Alexander quam Arrius ad audientiam Constantinopolim vocantur. Itaque tota nocte vir Dei Alexander in oratione iacens causam ecclesiae Domino[b] commendabat. Mane facto Eusebius Arrium ad ecclesiam vocat; qui dum in itinere humanae necessitatis causa ad secessum declinat, iusto Dei iudicio blasphemiae ac foetidae mentis poenas solvens, in foetido ac turpi loco evisceratus moritur. Fautores sui pudore ac confusione pleni diffugiunt. Imperatorem vero rem gestam celando per eunuchos contra catholicae fidei doctores amplius accendunt. Non multis post diebus Alexandro mortuo, Athanasius substituitur. Hic ferventis ingenii et in ecclesiasticis negociis vigilantissimus, non solum contra haereticorum versutias solertissimus fuit, sed et contra imperatorum potentiam fortissimus extitit agonista. Cuius virtutes, agones et labores qui scire vult, legat Tripertitam hystoriam vel ecclesiasticam[c] a Ieronymo scriptam.

7. Constantinus dum Constantem fratrem bello insectatur, non longe ab Aquileia Rufin. X, 11. H. trip. IV, 4. iuxta Alsam fluvium a ducibus eius occiditur. Constantius occiso Constantino, solus Orientem, Constante Occidentem habente, tenuit. Nam Dalmatius[d] caesar, patruelis eorum, a militibus ante occisus fuerat. Igitur haeretici verentes, ne forte, si Athanasius Hieronym adeundi principem locum haberet, catholica eum fide imbueret, circumvento prius augusto, Athanasium sceleratum et flagitiosum mentiuntur, ostenduntque in argumentum cuiusdam Arsenii brachium, quod ab ipso magicae artis gratia praecisum dicebant. Quod idcirco fecerunt, quia praefatus Arsenius ab Athanasio certis de causis de ecclesia pulsus[e], ubi esset ignorabatur. Itaque iussu imperatoris apud Tyrum congregatur concilium, positoque in causa Athanasio, producitur Arsenius. Qui dum utrasque manus haberet, calumpniatorum apparuit mendatium. In eodem etiam concilio meretrix, quae se ab eo corruptam profiteretur[f], inducitur. Sacerdos Christi presbyterum suum Timotheum monet, ut pro se loquatur. Ille vero dum quaereret ab ea, si ipse scelus hoc perpetraverit, *Tu tu*, inquit, *in illo loco hoc fecisti*. Tum omnes ridiculosus pudor habere coepit, nec propterea persecutio principis in Athanasium cessavit, quin immo post multa pericula ad fratris imperium in Occidentem eum fugere compulit. A quo humane susceptus, honorifice habitus, ac postmodum in kathedram suam potenter remissus est. Ibidem manens in ecclesia Treverorum sub Maximino eiusdem ecclesiae sacerdote[g], *Quicunque vult*, a quibusdam Hieronym. dicitur edidisse.

8. Eo tempore Liberius Romanus pontifex, habita prius cum imperatore disceptatione, H trip. V. Rufin X. 22 in qua eum Constantius tanquam civitatis suae episcopum primo commonendum, post obiurgandum putavit, in exilium truditur, Felixque diaconus suus ab haereticis ei subrogatur. Inter hunc Liberium et Silvestrum medius sedit Iulius[h]. Hisdem[i] diebus Victorinus Hieronym rethor et Donatus grammaticus Romae clari habentur. Floruerunt tunc civitatis Dei principes Paulinus Treverensis*, qui Maximino successerat, Dyonisius[k] Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Hilarius[l] Pictaviensis[m], episcopi. Qui omnes ob fidei catholicae testimonium in exilium missi feruntur. Ex quibus Hilarius[n] non solum verbo et exemplo ecclesiam Dei informavit, sed etiam multa scripturarum monimenta, Gallicanam subtilitatem et eloquentiam redolentia, reliquit[o]. Pulso de sede propria Athanasio, Georgius Rufin X, 19 Hieronym procaciter sibi episcopatum vendicabat. Antiochena[p] et Ierosolimitana[q] ecclesia his malis plurimum laborabant. Non solum antem ille, sed ubique terrarum diffusa civitas Christi his intestinis malis angebatur[r].

9. Constans autem adversus Saporem Persarum regem, qui Mesopotamiam invaserat, Oros VII, 29

* *Huic loco Admuntensis saec. XII. monachus quaedam ex Reginone (SS. I, 524b) excerpta adnotavit 4, quibus ex suo ingenio haec addidit:* Paulini Treverensis apud Frigiam in exilio mortui corpus Treverim reportatum usque hodie in quadam cripta, nullis aliunde sustentaculis nitens, divino nutu mirabiliter in aere dependet.

a) pernicios. 4; dogm. pernitios. 1. b) domino *deest* 2. c) tripertitam vel eccl. hyst. 2. 4. 5. d) Dalmacius 1. e) ecclesia certis de causis pulsus 1. 2. 5, certis de causis pulsus eccles. 4. f) prof. ab eo corr. 1. g) episcopo *edit.*; psalmum seu ymnum *addit secunda manus* 4; psalmus sic dicitur *superscr.* 7 *manus recentior.* h) qui etiam in exilium fuit missus *add. sec. man.* 4. i) Isdem 1. 2. 7; Hisdem 4. k) Dynisius 1. l) Hylarius 2. m) Pictavensis 7. n) Hylarius 1. 2. 4. 7. o) reliquid 1. p) Antiocena 2. 4. 7. q) hyer. 4. r) agebatur 1.

vario novem eventu gessit praelia. Novissime dum indiscrete pugnam adoriri cogitat, nocte victus aufugit, ac postmodum in oppido Helena, iuxta Hispaniam, dolo Magnentii occisus est. Magnentius apud Augustodunum[a] imperium invasit. In Illirico Veteranionem quendam senem imperatorem milites creant. Nepotianus Constantini sororis filius, imperium usurpans, a Magnentianis ducibus opprimitur. Igitur dum Constantius[b] fratrem ulcisci statuit, Veteranionem quidem primo purpuram deponere compellit, et post Magnentio bellum indicit. Pugna horribilis cum maximo Romanorum detrimento committitur. Magnentius tamen victus non multo post apud Lugdunum se ipsum interfecit. Decennius etiam frater eius, quem ipse in Galliis caesarem fecerat, laqueo se apud Senonas suspendit. Constantius vero Gallum patruelem suum caesarem factum, tyrannice agentem, peremit[c]. [H trip VI,1] Post haec Iulianum fratrem Galli caesarem legit ac in Gallias misit. Hic primo ab augustis clericus factus ac lector ordinatus, a perversis hominibus deceptus, militiae [Oros l c] cingulum sumpserat. Iulianus oppressas ab hoste Gallias, fusis Alamannis ac Germanis [H. trip. VI,1] Rheno flumine seiunctis, in priorem statum restituit. Dumque his elatus successibus in templum quoddam veniret, corona subito super caput eius cecidit. Quo viso, milites imperium sibi a diis omine[d] affirmant auguriatum[e]. Qua vesania priorique prosperitate [Oros. l. c.] deceptus Iulianus, augusti nomen usurpat, fidemque[f] Christi abdicat[g]. Inter haec Constantius adversus Parthos procinctum moverat, sed Iuliani fraude comperta, dum ad civile bellum revertitur, anno imperii sui 24. in via moritur.

[Hieronym] 10. Anno ab incarnatione Domini 364. Iulianus Constantio mortuo, 36. ab Augusto [Rufin X, 26.] imperium assumpsit[h]. Hic primo velut antecessoris sui facta arguens, episcopos ab exilio [Oros VII,30] revocari iubet, post vero ecclesiam Dei arte potius[i] quam vi persequi intendat[k]. Denique [Rufin. X, 32] tantum religionis consideratione removendos eos a ludis, a sacramento militiae arcendos, postremo ab omni terrena possessione, utpote quibus propria lex dicat: *Nisi quis renunciaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus,* [H. trip VI,4] cohibendos decernit[l]. Templa [ib VI,1] vero paganorum aperiri iussit, fastigia imperialia, utpote cocos, eunuchos, tonsores, publicum cursum[m] caballorum et mularum, tanquam philosophus amputavit, lectionique nocte vigilans et scribens, die scripta in senatu recitans, operam dedit. Unde et philosophos super omnes amplexatus fuit, solusque imperator post Iulium Caesarem philosophiae studium coluit. Scriptis vero[n] suis non solum antecessores suos imperatores, sed etiam christianos laceravit. Unde de ipso Socrates in Tripertita historia sic ait: *Ut cocos atque tonsores expelleret, opus philosophi non tamen imperatoris egit; ut autem detraheret atque laceraret, neque philosophi neque imperatoris*[o] *fuit*[p].

[Hieronym Prosp H trip VI,1] Ea tempestate praeclari civitatis Dei cives fuere Miletus Antiochenus, Maris Calcedonensis[q], Basilius Caesariensis, Gregorius Nazanzenus episcopi; quorum unus Maris[r] provectus aetate et moribus oculisque inbecillis, Iuliano in urbe regia Fortunae sacrificanti in faciem restitit, eumque impium et sine deo apostatamque, ut Zosomenus in Tripertita refert historia, vocare non metuit. Cui dum Iulianus tanquam philosophicae pacientiae[s] nichil aliud quam caecitatem improperasset[t], dicens: *Neque Galilaeus Deus* [Rufin. XI, 9] *tuus te curare*[u] *potest*, respondisse fertur: *Ego Deo meo pro caecitate gratias ago, quia* [cf H. trip VI, 14 37] *hoc ideo*[v] *est gestum, ne te videam pietate nudatum.* Basilius vero et Gregorius ex philo- [Rufin. XI, 9.] sophica et heremetica vita ad culmen sacerdotii assumpti, non solum huic tyranno et Valenti haeretico auctoritate pontificali restitere, sed et scripturarum suarum monimenta [H misc.] utilia admodum et profunda[w] ecclesiae Dei reliquere. Iulianus ex subtilitate ingenii philosophos, ut dixi, sectare[x] volens, in tantam super se levatur vesaniam, ut iuxta Pytagoram spiritum in se Alexandri requievisse diceret, ipseque ad instar eius totum orbem sibi subiugare pararet. Huius rei gratia dum adversus Persas procinctum moveret, a quodam [Hieronym] in insidias vocatur. Ubi dum ex sterilitate locorum miles deficeret, ipse telo in incertum [H trip VI, 47.] misso post annum et menses 8, ex quo imperare coeperat, ex quo vero caesar ordinatus fuerat anno 7, aetatis 31, ictus interiit. Fertur de ipso, quod cum iaculum contra se venire

a) Augustodinum 1. 2; Augustudunum 4. 5. b) Constancius 1. c) *addit* 7: Silvanum etiam in Galliis crudeliter agentem occidit. d) omne 1. e) *ita* 5; auguriari 1. 2. 4; auguriarum 7. f) fidem 1. g) abdicit 2. 4. h) *ita* 7; sumpsit 2; assumit 5. i) pocius 1. k) intentat 2. 4. 7. l) decrevit *editt.* m) cursum *corr.* usum 1. *erasis litteris* c *et* r; rursum 2. n) *deest* 1. o) imperatoris *deest* 1; neque imperatoris *desunt* 4; *hunc locum ita exhibet* 2: neque philosophi neque imperatoris opus fuit. p) neque principis fuit 5. q) Calcidonensis 1. 2. 5. 7. r) Marinus *editt.* s) patientiae 2. t) *ita* 2. 4. 5. u) curare te 1. v) id 7. w) profutura *editt.* x) sectari 4.

videret, ex divina id animadversione[a] fieri cognoscens, non ad poenitentiam motus, sed ad obstinationem devolutus, ore blasphemo diceret: *Vicisti, Galilaee.* Hoc enim nomine Christum vocare solitus erat. Sic ergo Dominus civitatem suam ab impiissimo tyranno, qui christianorum sanguinem diis suis voverat, ad plenum liberavit. Legitur in vita beati [Act. SS Iun II p 944] Basilii, ex precibus eiusdem sancti viri, eo quod Caesaream Cappadociae[b], cui praesidebat, in reditu funditus delere decreverat, hoc telum a beato Mercurio martyre caelitus missum, [cf. Ekkeh.] in argumentumque huius rei ferrum, quod iuxta eiusdem martyris tumbam iacebat, cruentum mane[c] dicitur fuisse inventum. Quia vero Porphirius et Kalixtus[d] et caeteri fautores [H. trip. VI, 47.] eius sapientiam pietatemque Iuliani praedicant, qualia post mortem eius simulacra magicae artis gratia instituta inventa fuerint, breviter aperiam[e]. Ait ergo Socrates in Tripertita hoc [H. trip. VI, 48.] modo: *Cumque mortuus fuisset, et impio pius successisset in imperium, ingredientes*[f] *in templum viderunt mulierem a capillis appensam, extensas habentem manus, cuius uterum aperuerat, ut Persarum victoriam in iecore eius inspiceret. Hoc scelus in Carris inventum est. Verum in Antiochia plurimas arcas in palatio aiunt fuisse repertas humanis capitibus plenas, et innumera in puteis dimersa corpora mortuorum.* In qua civitate comperta nece eius, non solum in ecclesiis nostros sed et in theatris paganos exultantes resultasse praefatus scriptor commemorat, et clamasse: *Maxime fatue, ubi sunt*[g] *vaticinia? Vicit Deus et christus eius.*

11. Anno[h] ab incarnatione Domini 366. Iuliano mortuo ac in summo discrimine posito [Hieron. H trip VII,1] milite, Iovinianus[i] natione Pannonius, vir christianissimus, votis omnium petitur. Qui dum se gentilibus, eo quod christianus esset, imperare non posse diceret, et ipsi se christianos affirmabant, Iovinianus[k] ergo[l] 36.[m] ab Augusto imperator creatur. Hic pro exercitus peri- [Oros. VII, 31.] culo cum Sapore rege Persarum foedus Romanis quidem inglorium sed tempori congruum iniens, tradito quodam oppido[n] cum superiori parte Mesopotamiae militem redemit. Cumque esset catholicus, episcopos a Constantio in exilium trusos ad proprias sedes revocavit, templa[o] deorum claudi fecit, ac sacerdotes eorum fugavit. Athanasium vero catholicae [H. trip. VII, 3. 4] fidei defensorem, ut eum de fide imbueret, scripto rogavit. Cui ille assumptis probatioribus episcopis, rescripsit in hunc modum: *Piissimo atque clementissimo victori augusto Ioviniano*[p] *Athanasius et reliqui episcopi convenientes ex persona omnium episcoporum Aegyptiorum, Thebaidis et Libyae*[q]*. Decet Deo amabilem principem discendi habere voluntatem desideriumque coelestium. Sic enim vere et cor habes in manu Dei, et imperium cum*[r] *pace multis annorum curriculis gubernabis. Volente igitur a nobis tua discere pietate catholicae ecclesiae fidem, gratias ob hoc Domino referentes, curavimus ut prolatam ab omnibus patribus in Nicaea tuae pietati insinuaremus fidem. Hanc enim repudiantes quidam nobis equidem frequenter insidiati sunt, eo quod Arrianae non consentiremus insaniae. Arrius enim quidam eiusque sectatores erumpere*[s] *et impietatem adversus eam introducere temptaverunt, dicentes, ex*[t] *non extantibus et creaturam atque facturam convertibilemque esse filium Dei, plurimosque per talia seduxerunt, ita ut etiam qui aliquid esse videbantur, blasphemia huiusmodi traherentur.* Et post pauca: *Necessario considerantes laesionem, quae huiusmodi causa contra populum generatur, offerre tuae pietati confessionem concilii*[u] *Nicaei curavimus. Est autem haec Nicaei concilii fides: „Credimus in unum Deum patrem omnipotentem", et caetera. Eos autem qui dicunt: „Erat quando non erat, et antequam nasceretur, non erat", et quia*[v] *non extantibus factus est, aut ex altera subsistentia vel substantia, dicentes esse aut creatum, aut convertibilem, aut mutabilem filium Dei, hos anathematizat sancta catholica et apostolica ecclesia.* Quas litteras imperator legens, gratanter suscepit, fidemque catholicam[w] datis roboravit edictis. Legem etiam, qua sacrarum virginum non solum raptores et violatores sed et inpudici inspectores capite plecterentur, promulgavit. Verum Athanasius ad imperatorem [H. trip. VII, 4 sq.] Antiochiae morantem venit, eumque familiari usus colloquio de fide catholica informavit. Ipse autem[x] christianissimus princeps ab Antiochia[y] Tharsum Ciliciae adiit[z], ibique praedecessoris sui Iuliani corpus honorifice sepeliens, consul vocatus est. Inde ad Illiricum

a) anim. id 1. b) Capadociae 1; Capadotie 2. c) *ita etiam* 4; in mane 1. 2. 5. 7. d) Kalistus 1. 7. e) pandam 4. f) ingredientem 7. g) sunt nunc tua *editt.* h) Ann. 1. i) Iobinianus 1 *semper* 4. k) Iobinianus 7. l) ergo *deest* 1. m) *ita* 1. 2. 4; XXXVII. 5. 7 *et edd.* n) Nisibi *superscripsit manus secunda* 4. o) templaque 7. p) Iuviniano 4; Iob. 7. q) Lybiae 1; Libie 2. 4. r) cum 2. 4. 5 *et Hist. trip.*; in 1 *et editt.* s) irrupere *editt.* t) *deest* 1. 7. u) concilii 2. v) quia ex *editt.* w) kath. 5 *semper.* x) autem *deest* 2. y) anthiochia 2. 5. z) venit 5. 7 *et editt.*

Oros. VII,31. digrediens ac per Galatiam iter agens, in domo quadam nuper calce illita, dum prunae ponerentur, ex calore prunarum et nidore parietum suffocatus[a], immatura morte 33. aetatis Hieron. suae[b] anno, imperii vero[c] 8. mense regno simul et vita perfunctus obiit.

H. trip. VII, 7. 12. Anno ab incarnatione Domini 367. Valentinianus item Pannonius ac mediocri[d] stirpe ortus, sed animi ac[e] corporis magnitudine valens et urbanus, 38. ab Augusto con- Oros. VII,32. H. tr. VI, 35. sensu militum in Nicaea[f] sumpsit imperium. Is dum sub Iuliano augusto millenarius ac circa palatium constitutus esset, ipso quadam die Fortunae templum ingrediente, ministrisque templi introeuntes gentili ritu purificare volentibus, dum imperatorem praecederet, guttam forte aspersionis in clamide habuit. Quod aegre ferens tanquam eiusmodi non purgatus sed pollutus expiationibus, ministrum templi vere fortis et strenui militis officium gerens, pugno percussit. Ob quam causam a Iuliano militia trusus custodiaeque mancipatus, post eius mortem[g] iuxta promissum Domini centuplum recipiens, pro militia[h] impe- H. trip. VII, 7. rium est adeptus. Hic Valentem fratrem suum imperii socium legit; Procopium etiam Oros. l. c. tyrannum cum complicibus suis occidit. His diebus terrae motus maximus pelagus quoque excussit, quod plurimas insulas et urbes involvit.

Oros VII,33. 13. Anno imperii sui 4. Gratianum filium suum imperatorem fecit. Tunc apud Atre- H. trip. VII, 8. bates[i] vera lana pluviis mixta descendisse dicitur. Valentinianus Auxentio Mediolanensium episcopo defuncto, concilium convocat episcoporum, habitoque exhortationis verbo, eos pontificem eligere suadet. Cumque clamore oborto alii hunc, alii illum peterent, Ambrosius tandem praeses et catecuminus[k] ab omnibus exposcitur. Videns ergo princeps omnium vota in eum concurrere, baptismi gratiam primum consecutum, sacerdotem eum ordinari praecepit. Sic Ambrosius, qui non solum factis, sed et dictis et scriptis plurimum ecclesiam Dei postmodum foecundavit, baptismi simul et sacerdotii dona suscepit. Verum imperator in Illirico synodum congregavit, ibique Nicaeno concilio confirmato, ipse cum H. tr. VII, 9. sociis regni augustis scripsit hoc modo[l]: *Imperatores maximi, pii, victores, augusti Valentinianus, Valens et Gratianus episcopis dioceseos*[m] *Asiae, Phrigiae*[n], *Carophrigiae*[o], *Pacatianae in Domino salutem. Tanto concilio in Illirico celebrato et subtiliter habita quaestione de salutari verbo, ostenderunt ter beati pontifices, Trinitatem consubstantialem Patris et Filii et Spiritus sancti, quam nequaquam declinantes, iusta ministeria religionis magni regis exercent. Hanc ergo praedicari decrevit nostra quoque potentia, ita tamen ut non dicant aliqui: „Sequimur religionem imperatoris, hanc patriam gubernantis, et non illi potius obedientes, qui* Matth. 22, 21. *nobis salutis mandata contradidit". Euangelium namque Christi nostri sic ait: „Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo".*

Hieron. 14. His diebus Damaso post Liberium in urbe Roma sedente, Athanasius post multos H. trip. agones 46. pontificatus sui anno beato fine quievit, Petrumque temptationum suarum socium sibi substituit. Quem Lucius Arrianus sedem invadens, Romam[p] fugavit.

Per idem tempus florebat Aegyptus multis sanctorum milibus ex Antonii discipulis in heremo philosophantibus. Ex quibus duo Macharii, Ysidorus[q], Pambos, Moyses et Beniamin, Sciron[r], Helias et Paulus, Hilarion[s], Pachumius, Iohannes et alii quam plures Rufin XI, 8. cf. Theod. IV, 23. signis et prodigiis apostolicis caeteris mortalibus eminebant. Quorum virtutes vitamque continentissimam ac humanam fragilitatem transcendentes labores qui scire cupit, legat Theod. IV, 22. Ieronymum et eam quae Tripertita vocatur Vitasque patrum[t]. Ex quibus Moyses dum ad episcopatum traheretur, Lucioque tanquam Alexandrinorum praesuli consecrandus offerretur, publice haereticum eum nominans, pollutas[u] et cruentas manus, quibus sanctos et orthodoxos pro fide catholica in exilium miserat, sibi inponi abnuit, et ab episcopis qui exulabant, sacerdotium suscepit.

Inter haec Valens imperator, qui primo catholicus fuerat, amore uxoris tanquam Evae suae illectus, fraudeque Eudoxii Constantinopolitani episcopi Arriani circumventus, ab eo baptizatus, in Arrianam haeresim incidit, atque ad infelicitatis suae cumulum miserrimo Oros. VII, 32. iure iurando ad servandum impietatis dogma se obligavit. At Valentinianus fortissimam gentem Saxonum, Francorum terminum invadentem, bello pressit. Burgundiones etiam, qui quondam a Druso Tyberio subacta interiori Germania, inde progressi Gallias occupa-

a) suffocatur 1. b) suae *deest* 1. 2. 7. c) secundo 1. d) modiocri 2. e) a 1. f) incaea 1. g) mortem eius 2. h) milicia 1. 2. i) Trebatas 1. 4; Atrebatas 5. 7. 13. k) *ita* 2. 4. 5; cathecuminus 1. l) huiusmodi 2. m) dyoc. 1. 2. 4. 5. n) Phirigiae 1. 2. o) Carophrię 4. p) *ita* 1. 2. 4. q) Ysodorus 1. 2. r) Scyron 4; Skyrion 5; Skiron 7. s) Hylarion 1. 4. 7. t) vitasque patrum *desunt edit.* u) polluta 1.

vere, gravi praelio devicit. Ipse vero dum contra Sarmatas, qui Pannonias occupaverant, bellum parat, anno imperii sui 11. apud[a] Brictionem oppidum moritur.

15. Anno ab incarnatione Domini 383. Valens 38.[b] ab Augusto Orientis imperium Oros. VII, 33. rexit, Gratiano et Valentiniano, Valentiniani filiis, regnum Occidentis gubernantibus. Hic Arrianorum, ut supra dixi, errore deceptus, legem dedit, ut monachi ad militiam cogerentur. Unde multi in Aegypto milites Christi dum terreno regi militare recusant, martyrio[c] coronantur. Inter haec nigromantica[d] arte, quis post eum regnaturus foret, perscrutatur, monstra- H. tr. VII, 35. tisque sibi quatuor litteris ΘΕΟΔ[e] omnes quos has litteras in capite nominum habere comperit, necari fecit. Ex quo factum est, ut Theodosium comitem, Theodosii, qui post imperio Oros. l. c. praefuit, patrem, quamvis ab eo contra Firmium missus, tam ipsum Firmium quam ab ipso Maurorum gentes in seditione concitatas delesset, occidi praeceperit[f]. Qui prius apud Kartaginem[g] baptismi consecutus gratiam[h], percussori sponte iugulum praebuit. Interea Gratianus Christi fretus auxilio apud Argentarium[i] Galliae oppidum cum parvo Romani[k] militis detrimento plus quam 30 milia Alemanorum[l] fudit.

16. Circa idem tempus controversia in regno Gothorum inter Fridegernum et Athala- H. tr. VIII, 13 ricum[m] orta, Fridegernum debilioris causae gratia Romanorum auxilium postulare compulit. Qui dum ad Valentem venisset, accepto ab eo milite, Athalaricum in fugam vertit. Volens autem beneficia recompensari principi, eius perniciosum[n] dogma amplexatus est. Et hinc Gothi Arriani effecti sunt. Gulfilas Gothorum episcopus litteras tunc[o] Gothicas invenit, in quas cum divinas scripturas vertisset ac in regno Athalarici praedicare coepisset, Athalaricus, eo quod paganus esset, multos ex eis suppliciis affecit, quos Arriani pro martyribus venerantur. Non multo post Gothis iam inter se pacatis, Hunorum gens horribilis, tanquam ex incubis et meretricibus, ut Iordanis refert, originem trahens, ducatu cervae[p] de Maeotidis Iord. de reb. Get. c. 24. paludibus egressa, fortissimam gentem Gothorum cum rege suo Hermanarico in tantum terruit, ut praefatus rex, qui multas ante nationes[q] domuerat, tam huius gentis horrore quam inflicto sibi a quodam milite suo fraudulenter[r] vulnere, 110 annorum mortuus sit. Ostrogothorum hunc regem fuisse scribit Iordanis. Duo enim regna Gothos habuisse[s], quorum aliud Wisegothorum[t], aliud Ostrogothorum, praefatus scriptor, qui et ipse Gothus erat, commemorat.

Post mortem Hermanarici fracti animo Gothi, rursus ad Valentem mittunt, locum habitationis petunt. Quibus Valens in Trachiis habitare concessit. Porro dum ex odio et invidia Iord. 25. 26 vicinorum incredibili fame laborarent, vocati a quodam duce dolo ad convivium, insidias primo praecaventes, ipsos qui eos invitaverant, sternunt, post tota terra igne et ferro[u] depopulata, ubique diffunduntur. Contra quos Valens ab Antiochia[v] procinctum movens, sera poenitentia ductus, katholicos ab exilio revocari iubet episcopos, ipse tamen a perfidia sua Oros. VII, 33. propter ius iurandum non recessit. Pugna in Trachia conseritur, ubi dum Romanus fugatur exercitus, imperator sagitta[w] sauciatus, in cuiusdam villulae casa fugiens, latitare voluit. Quem insequentes Gothi, anno imperii sui[x] 15, post mortem vero fratris sui 4, cum casa pariter incendunt. Iusto Dei iudicio[y] id factum creditur, ut qui eos veram fidem petentes igne perfidiae accenderat, ipse ab eis igne materiali accensus, communi quoque careret sepultura.

17. Anno ab incarnatione Domini 383. Gratianus 40. ab Augusto imperium, quod cum Oros. VII, 34 cf. Prosp. Valente ante habuerat, cum Valentiniano fratre obtinuit, qui rei publicae subvenire volens, Theodosium natione Hispanum[z], fortem ac religiosum militem, apud Syrmium[*] purpura indutum, imperatorem Orientis fecit. Huius diebus synodus secunda 150 episcoporum sub Damaso papa adversus Macedonium et Sabellium, quorum prior Spiritum sanctum per Beda de 6 aet. m. Filium factum dicebat, alter vero sine personarum discretione eundem Patrem quem et H. m. IX, 16. Filium dicebat, alter vero sine personarum discretione eundem Patrem quem et Filium esse asserebat, in urbe regia congregatur, dampnatisque et anathematizatis simul cum Arriana his[a] haeresibus, fides confirmatur catholica. Theodosius vero tam virtute Oros. VII, 34 quam prudentia Gothorum gentes devicit, foedereque cum Athalarico rege eorum inito,

a) aput 1. b) XXXVIIII. 5 *et edd.* c) martirio 2. d) nicromantica 5. e) *ita* 1. 2. 4. 5. 7. f) praeceperat 2. 4. g) Carth. 5. h) grat. bapt. cons. 1. 2; bapt. grat. cons. 4. i) *ita* 2. 4. 5. 7; Argententarium 1; 5 *superscripsit man. s. XIV.* Argentinam; 7 *vero* Argentarium *superscr. manu s XV.* Argentinum. k) Romani *deest* 2. l) Alem. milia 4. 5. m) Atal. 1. 2. 4. 7. n) pernitiosum 1. 2. o) *deest* 1. p) cirvae 1. q) nationes ante 1. r) fraudolenter 1. 2. 4. 7. s) habuisse Gothos 1. t) Wisogothorum 5. u) ac ferro 2; ferroque 4. v) Anthiochia 2. w) sagita 1. x) *deest* 1. y) iudicio dei 1. 4. 7. z) Hyspanum 1. 4. 7. *) *ita* 4; Sirimum 1. 2; Sirmium 5. 7. a) hęresi *editi*

ipsum ad se Constantinopolim vocavit. Quo cum venisset Athalaricus[a], diem ultimum clausit. Gothorum vero gentes virtutem et mansuetudinem principis videntes, Romanorum se subdidere imperio. Theodosius Archadium filium suum socium imperii legit. Inter haec [Oros VII, 35] Maximus arrepto per tyrannidem in Britannia imperio[b], Gratianum sexto post mortem Valentis imperii sui anno in Galliis interfecit, fratremque suum Valentinianum Italia expulit. Qui ad Theodosium fugiens, paterne ab eo excipitur.

18. Anno ab incarnatione Domini 388. Gratiano interfecto, Theodosius 41. ab Augusto Romanum imperium solus obtinuit. His diebus civitas Christi, sopitis tam forensibus quam civilibus malis, plenum gaudium pacemque perfectam habere coepit. Floruerunt autem tunc illustres viri, moribus vita ac scientia graves, Martinus Turonorum[c] episcopus, Am- [cf Prosp.] brosius Mediolanensis antistes, Severinus Coloniensis praesul[d], Ieronymus presbyter; Augustinus quoque catecuminus[e] ab Ambrosio tunc baptizatus invenitur*. Itaque christianissi- [Oros l. c.] mus princeps ulturus[f] occisum[g], restituturus vero exulantem, adversum[h] Maximum, in Deo magis quam in homine confidens, procinctum movet. Quem in Aquileiensium[i] finibus aggressus interemit. Quo viso Andragatius[k] comes, qui eius fautor erat, semet mergendo [H. trip IX, 23] necavit. Peracta victoria, Theodosius cum Honorio filio suo parvulo Romam venit, ibique ordinata bene re publica et Valentiniano Occidentis imperio relicto, Constantinopolim rediit. Porro Valentinianus dum ad Gallias revertitur, fraude Arbogasti ac Eugenii laqueo, ut a [Oros. l. c.] quibusdam dicitur, suspenditur, Eugeniusque ab Arbogasto imperator creatur. Quidam [Ruf XI, 31] tamen dicunt, eum propriis manibus ex dolore hoc genus sibi mortis intulisse.

Hic est Valentinianus, qui ab Ambrosio catecuminus[l] factus, antequam baptismi gratiam perciperet, morte huiusmodi praeventus est. Qua de re praedictus episcopus epistolam lugubrem dictavit, quae sic incipit: *Ventrem meum doleo v. m. d.*[m] In qua ab eodem dictum invenitur: *Quia quem in Christo regeneraturus*[n] *eram, amisi, ipse vero gratiam quam poposcit, non amisit.* Ex qua auctoritate quidam nostri temporis theologi divinant[o], post promulgatam [Ioh 3, 5.] euangelii sententiam, qua dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*[p] *n. p. i. t. i. r. Dei*, aliquos sine sacramento baptismi[q] vel effusione sanguinis ob testimonium passionis Christi vel attestatione dominica salvari posse, sic ratiocinantes, quod non alligavit Deus sacramentis potentiam suam, non bene considerantes quid, secundum quid loquantur auctores, quid opinando, quid asserendo, quid ex magnitudine doloris semet consolando. Quod tametsi verum sit, Dei potentiam regulis ecclesiasticis vel sacramentis non cohiberi, michi tamen qui christiana regula stringor, necessarium erit credere, praeter hoc neminem salvari posse. Quare quamvis Deo tanquam omnipotenti, Iudaeum vel gentilem vel non baptizatum sine effusione sanguinis, ut dictum est, vel attestatione propria possibile sit salvare, michi tamen hoc credere erit inpossibile, et ita divina potentia in talibus, non sibi, sed michi alligatur[r]. Et mirandum, si hoc pietate ducti dicunt, quare non eadem pietate hoc de parvulis sentiant[s]. Quod si obiciunt, quod isti tanquam adulti credere possunt, quod non illi, audiant quod illi solo originali delicto obligati tenentur, quod non isti. Restat ergo ut nos cum illis ac[t] illi nobiscum divinam admiremur in talibus, non discutiamus poten- [Rom. 11, 33. Psal. 35, 7] tiam, exclamantes cum apostolo: *O altitudo*, et cum propheta: *Iudicia tua abyssus multa.* Sed haec hactenus[u].

[H trip. l. c.] Morte Valentiniani comperta, Theodosius dum contra tyrannos exercitum parat, ad [cf Ruf. XI, 32.] Iohannem Aegypti monachum, Eutropium eunuchum misit, eventumque rei a viro requisivit. [Ruf. XI, 31.] Cui ille prophetico, ut erat, plenus spiritu, plenam de tyrannis[v] promisit victoriam. Igitur religiosissimus imperator, fide potius quam milite armatus, exercitum contra tyrannos [Oros. VII, 35.] movet, praemissisque Gothis, quorum 10 milia ab Arbogaste fusa dicuntur, et ipse cum aliis iter peragit. Dum[w] ergo in Alpibus convenissent, tyrannique meliorem pugnandi facultatem[x] in eminentiori loco haberent, augustus totam noctem lacrimis et orationibus pervigilem ducens, Deo se committebat[y]. Mane facto pugna conseritur, victisque tyrannis, Euge-

* *Manu s. XIII in margine* 5 *adduntur:* Martinus, Ambrosius, Severinus, Ieronimus, Augustinus tunc temporis floruerunt. Eodem quoque tempore Amandus Argentinensis et Auctor Metensis episcopi extitere, ambo magne sanctitatis viri.

a) Athaloricus 2. b) imp. in Br. 1. c) Thuronorum 1; Turonum 2. d) episcopus 2. e) *ita* 1. 4, caticuminus 2. 5. 7 f) imperator Augustum ulturus *edd* g) occisum ulturus 5. h) adversus 7. i) aquileiensium 1. k) Andogratius 4; Andagratius 5; Andagnatius 7. l) caticuminus 1. m) v. m. d. *addunt* 1. 2. 4. 5. 7. n) regnaturus *edd.* o) divantur 1; divinantur 2. 4. p) *deest* 1. q) babt. 1. r) allig. sed michi 1. s) sentiantur 1. t) et 1. u) aeternus 1. 5. 7. v) tyranis 1. w) cum 1. x) pugnam de facultate 1. y) commendabat 1.

nius captus interficitur, Arbogastes vero propria manu sibi iniecta, vivendi finem fecit. Quam victoriam meritis piissimi imperatoris ac orationibus ecclesiae a Domino inpetratam[a], imber[b] coelitus missus ventoque in ora hostium impulsus[c] probavit. Quod quidam etiam ex paganis poeta, ex virtute Dei factum considerans, in laudem principis huiusmodi[d] prosecutus est: Claud. de 3. cons Honor. 96 98.

O nimium dilecte Deo, cui militat aether,
Et coniurati veniunt ad classica venti[e].

Theodosius itaque omnibus bene compositis ac ordinatis, 11. post mortem Valentis imperii sui anno, apud Mediolanum beato fine quievit. Hucusque Ieronymus ecclesiasticam[f] perduxit hystoriam. Hic est Theodosius, qui dum ex humana fragilitate Thessalonicenses H. tr. IX, 30 effrenate et sine sentencia punisset, ab Ambrosio ecclesiae liminibus inhibitus est[g]. Quod ipse humiliter ferens, tam diu a communione se abstinuit, donec lacrimis ac bonis operibus poenitentia peracta, a praefato pontifice reconciliaretur. Ob tam praeclarum factum sacerdos iste in praedicta civitate maximae inter omnes Latinorum confessores usque hodie[h] habetur venerationis.

19. Anno ab incarnatione Domini 389.[i] Honorius Occidentis, Archadius Orientis, 42. ab Augusto loco post mortem patris imperium sortiuntur[k], Damaso adhuc Romae, Theophilo H. tr. IX, 22. cf. Ruf. XI, 21 Alexandriae, Hierosolimis Iohanne, Flaviano Antiochiae[l], Nectario[m] in urbe regia sedentibus. His diebus Dirimachius quidam monachus ab Oriente Romam veniens, cum gladiatorum ludum vel potius insaniam religionis intuitu sedare vellet, a circumstantibus lapidibus obrutus ac necatus est. Quo comperto, Honorius eum quidem inter martyres numerandum H. trip. X, 2. censuit[n], nefandum vero spectaculum huiusmodi de causa amputavit. Non multo post Nectario mortuo, Theophilus Alexandrinorum pontifex cum aliis episcopis ab imperatore ad ordinandum regiae urbis episcopum evocatur. Qui dum Ysidorum presbyterum suum ib. c. 3 praefatae[o] sedi praeponere cogitasset, Iohannes Antiochenus[p] ab omnibus petitur, ac contra voluntatem Theophili electus, ab ipso tandem ordinatur. Unde Theophilus ad depositionem eius semper laborabat. Iste Iohannes, qui et Crisostomus[q] tanquam aurei oris propter eloquentiam vocatus, primo a Miletio Antiochensium[r] praesule in eadem ecclesia diaconus ordinatus, post eius mortem ad heremum se transferens ibique per triennium Deo vacans, ab Euagrio presbiter ordinatus fuerat[s]. Fuit autem potens in opere et sermone, ad corrigendos mores utilis, nimia vero severitate et zelo Dei improvidus, nimiaque libertate oris in tantum ut a nescientibus arrogans putaretur[t] et profusus. Unde postquam ad episcopatum venit, clericis suis, quorum mores corrigere nitebatur, in tantum odiosus est factus, ut conspiratione inita, plurimis contra eum derogationibus usi, furiosum eum dicerent et procacem, ac tanquam sine testimonio degentem. Cui rei facere fidem videbatur, quod nullum secum comedere patiebatur, quod tamen ob nimiam abstinentiam, qua saepe caput[u] dolebat, fecisse traditur. Porro a populo propter sermones quos faciebat, plurimum amabatur. Qui quales fuerint, ex libris eius, qui usque hodie[v] in ecclesia manent, conici potest. Accessit ad invidiae suae cumulum, quod non solum clericis asper fuit, sed etiam ipsos primores aequitatis zelo redarguere non dubitavit. Unde factum est, ut Eutropium quendam eunuchum et consulem principique familiarem, cuius consilio lex data, ut ad ecclesiam confugientes inde traherentur, fuerat, cum et ipse non multo post iram principis fugiens ib. c. 4 sub altari iaceret, publice in ambone redargueret, ac contra eum increpatoriam ederet omeliam. Igitur occasione nacta, Theophilus Iohannem tanquam a suis destitutum omnimode[w] ib. c. 10 deponere moliebatur. Unde non solum proprias adversus eum oves armavit, sed etiam episcopos, vicinos quidem colloquiis, remotos autem scriptis contra eum incitavit. Ex quo contigit, ut Epiphanium Salamine Cipri episcopum, virum quidem sanctissimum, sed tan- ib. c. 11. quam in heremo educatum, simpliciorem conveniret, et occasione librorum Origenis eum ad depositionem Ioannis sibi asciceret. Itaque praefatus sacerdos dampnationem Origenis

a) impet. 4. b) ymber 1. c) inpulsus 1. d) hoc modo 7. e) versus claudiani poete *addit man. s. XIV.* 5 *in margine.* f) ecclasticam 1. g) *ita* 2. 4. 5; est prohibitus 1; arcetur *edd.* h) *deest* 2. i) *ita* 1. 2. 4. 5. 7. k) sorciuntur 1. l) anthiochię 5. m) Nectarie 1. 2; *corr.* Nectario 4. n) censuit numerandum 1. o) praefatum 2. p) presbiter patre Secundo, matre Anthusa clarissimis genitus *superscripsit* 4 *manus tertia.* q) Chrisostomus 5. r) Antiocensium 2. 4. s) Hic cum esset disertissimus ex divina maxime gratia, etiam acerrimis gentilium sophistis mirabilis habebatur. Unde Libanius circa mortem interrogatus a discipulis, quisnam eruditionem post eum susciperet, ait Iohannem, nam hunc christiani a nobis furati fuissent, *adscripsit margine* 4 *manus tertia.* t) put. arr. 1. u) caput et stomachum *edd.* v) hodie *deest* 1. w) omnimodis 2. 7

portans, ad urbem regiam venit, Iohannemque causa Theophili declinans in propriam H. trip. X, 12. descendit mansionem[a]. Cumque ad eum Iohannes mitteret, rogaretque ut ad se veniens secum inter alios episcopos maneret, Epiphanius respondit, se nec cum eo manere nec secum orare velle, nisi in libros Origenis dampnationem[b] subscriberet. Quod differente Iohanne, inimici eius Epiphanio suadent, ut in apostolorum ecclesiam altera die collectione facta veniat, Origenis libros dampnet, Iohannem tanquam Origenis defensorem[c] coram populo infamet. Quo comperto, Iohannes Epiphanio haec verba mandavit: *Contra regulas multa gessisti*[d], *o Epiphani; primum quidem, quia ordinationem fecisti in ecclesia sub meo iure constituta; deinde quia me non iubente in eis auctoritate propria sacra celebrasti; rursus quia invitatus excusasti, et nunc denuo in te ipse confidis. Quapropter observa, ne turbatio nascatur in populo, et huius rei periculum ipse suscipias.* Quo audito, Epiphanius recessit, Iohannique, ut quidam aiunt, remandavit: *Spero quod non moriaris episcopus.* Ad quod ille respondisse fertur: *Spero te ad tuam patriam non redire.* Utrumque impletum est. Nam et[e] Epiphanius in via mortuus fuit, et Iohannes post paululum depositus. Post haec[f] Iohannes ad correctionem Eudoxiae augustae, eo quod Epiphanium contra eum armasset[g], more suo sermonem ad populum cunctarum mulierum vituperatione plenum edidit. Quod illa graviter ferens, marito suo conquesta fuit. Igitur Theophilus quasi iam Iohannem non solum suis sed et principibus odibilem factum, deponere cogitans, episcopos in suburbio Calcedonensi[h] convocat, accusatores producit, eumque tanquam responsurum ad ea quae sibi obiciebantur, ad audientiam vocat. Verum Iohannes universalem synodum ad hoc fieri proclamabat. At ille dum iterum atque iterum cum caeteris episcopis eum evocaret[i], ipse vero[k] in sua sententia perduraret, velut inobedientem episcopatu eum deponendum decernunt, populus vero seditionem[l] movens, reclamabat. Porro principe episcoporum[m] sententiam confirmante, Iohannes depositus in exilium deportatur. Quod multi etiam ex his, qui eum odio habuerant, videntes, misericordia moti, Iohannem calumpniam pati dicebant, praesertim H. tr. IX, 14. X, 13. cum cunctis iam[n] claresceret, eum ex invidia Theophili dampnatum esse. Innocentius tunc, Siricio[o] et Anastasio sacerdotio perfunctis, in urbe Roma sedebat. Iohannes propter terrae motum, qui in eius depositione inusitatius[p] civitati accidit, postmodum a principe et populo ib. c. 15 revocatus, rursum augustam latenter mordebat. Dumque illa[q] rursum insidias pararet, famosissimam illam edidit omeliam, quae sic incipit: *Rursusque*[r] *Herodias vesanit, rursusque* ib. c. 18 *turbatur, denuo saltat, denuo caput Iohannis in mensario cupit accipere.* Qua de re magis exardescens[s] Eudoxia denuo eum deponi et in exilium trudi fecit. Quod Innocentius audiens improbavit, ac clero ne alium eligerent, scripto intimavit. Verum inter haec moriens Iohannes finem controversiae imposuit. Sed et Theophilus non multo post vita decedens[t], Cyrillo[u] sedem reliquit. Theophilus iste, quamvis in causa Iohannis reprehensibilis fuerit, tamen contra Arrianos et Antropomorphitanos[v], quorum haeresis nuper exorta Deum lineamentis corporis[w] circumscriptum dicebat[x], fortis athleta extitit. Haec haeresis in tantum simpliciores monachos et heremitas Aegypti[y] infecerat, ut Alexandriam venientes pro assertione verae fidei seditionem contra Theophilum excitarent, et nisi[z] maturato praefatus pontifex consilio dixisset: *Video vos sicut vultum Dei,* concitatae plebis furorem non evasisset. Sigeb. Circa idem tempus Honorio et Archadio regnantibus, beatissimus praesul Martinus et Ambrosius, civitati Dei utilissimi sacerdotes, migraverunt ad Dominum. Sed iam ad hystoriae[*] seriem revertamur.

Iord. de r. G. 28. 29 20. Igitur Gothi[a] post mortem Theodosii, dum a filiis solita munera non acciperent, consilio Rufini patricii, regem sibi creantes, a curia recedunt. Rufinus vero postmodum detectus[b], ante portas urbis Constantinopolitanae[c] decollatur, caputque eius cum manu Oros. VII, 30 dextera ad ludibrium in urbe circumfertur. Gildo etiam Affricae comes coepit[d] novis ausibus a Romanorum provincia Affricam decidere[e]. Contra quem Mazazel frater suus, cui ipse duos filios occiderat, cum exercitu mittitur. Mazazel ergo plus Dei quam militis virtute

a) mans. desc. 5; propria habitavit mansione *editt.* b) dapnation. 1. c) deffensorem 1. d) egisti *edd.* e) et *deest* 1. f) *deest* 2. g) et cuidam vidue vineam abstulisset eamque ad monita Iohannis non remitteret *superscr. man. tertia* 4. h) Calcidonensi 1. i) vocaret 1. 4. k) *deest* 1. l) sedicionem 2. m) *ita* 1. 2. 5; eorum 4 *et editt.* n) iam *deest* 1. o) Serico *corr.* Serio 1; Syrico 2; Syrico *corr.* Syricio 4; *ita* 5. 7. p) inusitatus 1. q) illa *deest* 1. r) Rursus 2. 4. s) exardescit 1. t) discedens 1. u) Cirillo 1. v) antropomorfytanos 5. w) corporeis 5 *et edd.* x) dicebant 2. 4. y) Egiptii 2. z) *deest* 1. *) historiae 2. a) Gothi *deest* 1. 2, *inseritur* 4 *manu tertia post* Theodosii. b) *ita* 4. 5. 7 *et editt.*; deiectus 1. 2. c) Constantinopolitatae 1. d) *deest* 2 e) decidere suasit 1; decidere temptat 4.

hostem devicit, fusisque cum parva, id est cum 5 milibus, manu 70 milibus, tyrannum fugavit, qui etiam non multis post diebus strangulatus interiit. Porro Mazazel rerum prosperitate, ut assolet, elatus, ecclesias Dei persequi coepit. Unde iusto Dei iudicio[a], qui antea ipsum confitendo exaltatus erat, nunc[b] ipsum contempnendo humiliari debuit. Non multo enim post mortuus est. Archadius etiam imperator, vir mitis et quietus, 14. imperii post mortem patris anno vitam finivit, Orientisque imperium filio suo Theodosio octenni reliquit, Anthemio praefecto, qui muro maximo regiam urbem circumdederat, omnia disponente. [H trip. X,35.] [H. trip. XI,1.]

21. Anno ab incarnatione Domini 412. defuncto Archadio, Honorius 43. ab Augusto Occidentis imperium[c] tenuit. Verum Gothi Rufino ac Stilicone[d] incitati, cum Alarico rege suo, qui lingua[e] eorum ex genere Balthorum, secundae post Amalos nobilitatis[f], Baltha, id est audax, vocabatur, per Dalmatiam et Venetiam digressi, in Aemiliae finibus castra metantur, missaque legatione ad imperatorem, qui Ravennae tunc forte morabatur, terram habitationis superbe deposcunt, addentes, quod, si gratis accipere non possent, ultro eam arriperent. Consilio ergo accepto, princeps terram eis versus Hispaniam[g], quae ei rebellis erat, tradidit*. Ad quam possidendam dum pergerent Gothi, Stilico[h] patricius et socer Honorii eos fraudulenter[i] insequitur, commissoque[k] praelio, amisso milite, ipse in fugam vertitur. Qua de causa commoti barbari ad Aemiliam, unde digressi fuerant, revertuntur, totaque igne ferroque vastata provincia, ad Urbem progrediuntur, quam etiam trepidam irrumpunt, datisque praeceptis ne sanctorum loca violarentur, concrematis aliquibus Urbis regionibus, praedam innumerabilem diripiunt. Innocentius papa tanquam[l] iustus Loth, ne poenas peccatricis Urbis videret, Ravennae morabatur. [cf Prosper.] [Oros VII,37. 38.] [Iord c 29. 30.] [cf. Histor Misc.]

His diebus cum pagani contra fidem murmurarent, dicerentque Romam a diis in summo honore conservatam, christianis temporibus dehonoratam, Augustinus librum de civitate Dei scripsit, Orosius historiam[m] suam texuit, Ieronymus ecclesiasticam historiam ab Eusebio scriptam transtulit duobusque libris appositis usque ad mortem Theodosii deduxit. Facta est autem haec tam famosissima quam insolentissima irruptio Urbis per Alaricum anno a conditione eius 1164, ab incarnatione vero Domini 415. Et sicut supra dixi, Romanorum regnum, quod Babyloniorum[n] regno in multis similem ortum ac progressum habuit, iuxta maiorum nostrorum supputationem eodem a conditione sua ab Alarico, quo et illud[o] ab ortu suo ab Arbato praefecto, anno dehonoratum fuit. In eadem irruptione soror Honorii Placidia inter aliam praedam capitur, quam postmodum Ataulfus in matrimonium sortitur. [Orosii praef Aug. V, 22] [cf Ekkeh] [Oros VII,43 Iord. 31.]

Inter haec Constantinus Gallias occupans, Constantem filium suum ex monacho caesarem fecit, sed non multo post tempore pater[p] apud Arelatum, filius apud Viennam[q], vita pariter et regno privantur. Gothi vero Romanae urbis potiti victoria per Apuliam et Campaniam in Siciliam[r] et Affricam ire proponunt. Dumque in confinio Brutionum[s] incaute mari se committunt[t], multos de sociis perdiderunt. Alaricus quoque ultimum diem clausit, quem in tantum dilexerunt barbari, ut amnem Barentum[u] iuxta Consentinam civitatem de alveo suo derivarent, ipsoque ibi cum multis copiis sepulto, occisis omnibus captivis, qui huius facti conscii erant, amnem ad proprium alveum reduxerunt. Quo mortuo, tam hoc quam priori infortunio perculsi Gothi Ataulfum[v] sibi regem creantes, reverti statuunt, sicque per Romam redeuntes, ea quae antea reliquerant, depopulantur. Sed Ataulfus[w] amore uxoris suae Placidiae a finibus Romanorum cedit, ac in Galliis iuxta provinciam Narbonensem, quam postmodum vir Dei Egidius inhabitans, metropoli ex nomine suo, ut villa Sancti Egidii dicatur, dedit, in loco, qui usque hodie palatium Gothorum vocatur, consedit, sed postmodum a Constantio[x] comite pulsus, in Hispania[y] resedit cum Gothis. Post quem [Oros VII,43] [Iord. c. 32.] [Iord c 30.] [ib. c. 31.] [Idat]

* *Manu s. XIII adduntur in margine* 5: Fertur itaque quia, cum Alaricus pergeret Romam, vir quidam venerabilis conversatione monachus eum monuisset ut mala talia facere non auderet neque necibus gauderet aut sanguine. At ille: *Non*, inquit, *ego volens Romam proficiscor, sed quidam cottidie mihi molestus est torquens et dicens: „Perge et Romanam destrue urbem“*.

a) indicio dei 1. 2. 4. b) iam 2. 4. c) imp. Occ. 1. d) Sulicone 1. 2. e) suo qui lingua *desunt* 1. 2. 4, *recepi ex* 5. 7. 13. f) dict. *add.* 1 *in margine.* g) Hyspaniam 1. 4. h) Sulico 1; Stilico 2. i) fraudolenter 1. k) comissoque 1. l) tamq. 2. m) hystor. 1. 7. n) Babil. 2. 4. o) illut 1. p) post pater 1; post ipse pater 2. q) Vientiam 1. r) Syciliam 1. s) Brictionum 1; Brictiorum 2. 4. 5. 7. t) se mari com. 1. 4. u) Harentum 1. v) Athaulfum 1. 2. w) Athaulfus 1. x) Constantino 1. y) Hyspania 1. 4.

Idatius p 15. tertius ab eo Vallia, qui Giserico[a] successit, vicinas gentes et praecipue Wandalos, qui et ipsi tunc noviter in Hispanias[b] venerant, bello pressit.

Oros. VII,42 22. Honorius Eraclidem[c] comitem Affricae, contra Romam venientem, per Marinum comitem vicit, et Kartaginem, ubi et postmodum occisus est, fugavit, pacem etiam adiuvante Constantio, qui Constantinum et Constantem in Galliis oppresserat[d], integram ecclesiae Dei reddidit in Affrica.

Marcell Rom. II,278. His diebus sub Innocentio papa[e] corpora sanctorum Stephani protomartyris et aliorum Luciano sacerdoti revelata sub Iohanne Ierosolymorum episcopo fuere. Non multis Prosper post diebus sub Bonifacio, qui Zosimo successori[f] Innocentii substitutus erat, Ieronimus cf. Oros VII, 43 presbyter, 91. aetatis suae anno in Bethlehem ad Dominum migravit[g]. Defuncto Bonifacio, Prosper Caelestinus sedit in Urbe. Vallia cum augusto foedus iniit, eique Placidiam sororem suam reddidit Hucusque Orosius chronica sua[h] perduxit. Honorius 31. imperii sui anno, quorum duos sub patre, 13 cum fratre, reliquos cum filio fratris regnaverat[i], Romae moritur.

23. Anno ab incarnatione Domini 427. Theodosius iunior 44. ab Augusto, patruo mortuo X, 17 27 solus regnavit. Huius virtutes in Tripertita hystoria[k] omnibus antecessoribus suis praeferuntur, inter quas et hoc commemoratur, quod ad instar Alexandri Magni, dum in procinctu esset ac ex fervore solis et squalore[l] pulveris fatigatus siti laboraret, poculum sibi Ekk Prosp. iocundissimum allatum, ne solus prae aliis reficeretur, rennuit. Floruerunt diebus eius Iohannes Cassianus heremita[m], qui collationes patrum descripsit, et Germanus Autisiodorensis episcopus. Synodus[n] etiam tertia[o] sub Caelestino papa vel eius successore Sixto[p], mediante Cyrillo Alexandrino et Archadio episcopo ab Italia destinato, temporibus Iuvenalis regiae urbis episcopi, ducentorum episcoporum contra Nestorium, qui duas in Christo personas asserebat, Ephesi[q] congregatur, ostensoque in duabus naturis Christi unam per-H trip XII,1 sonam esse, cum fautoribus suis Nestorius iusto damnatur anathemate. Theodosius contra Iohannem, qui Hesperiae regnum invaserat, Valentinianum amitae[r] suae Placidiae ex Constantio filium, adiunctis sibi Aspare et Ardabure sociis, cum matre in Italiam destinavit. At Iord de reg suc. 32 Iohannes iuxta quosdam Asparis et Ardaburis dolo, iuxta alios vero ducatu Angeli, Ravennae H trip. XI,18. necatur. Sicque res publica religiosi principis meritis a tyranno liberatur. Hucusque Theodoritus[s] episcopus et Socrates et Sozomenus viri disertissimi, historias suas perduxerunt, Praef h trip quae postmodum in unum volumen redactae et a Cassiodoro senatore per Epiphanium scolasticum a Graeco in Latinum versae, a tribus auctoribus Tripertitae historiae nomen accepere.

Ekkeh 24. Occiso tyranno, Theodosius Valentinianum, cuius ope civile malum sedatum fuerat, remuneratione dignum iudicans, imperii socium legit et augustum statuit appellari. His diebus Wisigothe[t] in Galliis habitabant. Ostrogothi et Gepidae, ex quibus Avares et Longobardi descenderunt, Danubium transeuntes, Gepidae quidem circa Sigedonem et Sirmium, Ostrogothi vero[u], qui prius in Pannonia morati fuerant, ex hinc in Tracia habitaverunt, ubi per 48 annos morantes, ad Occidentem iter flectunt. Wandali autem sociatis sibi Germanis, cum Modigisilo[v] duce Hispanias[w] occupaverant. Ea tempestate fuere duo insignes praetores, Aetius[x] et Bonifacius, quorum Bonifacius comitatum Affricae ab imperatore accepit. Sed dum fraude et[y] delatione Aetii Bonifacius apud Placidiam augusti matrem iniuste accusatur, missi sunt contra eum duces Mavortius[z] et Galbio. Quibus a Bonifacio occisis, Sigiswaldus[*] comes contra eum destinatur. At Bonifacius in Hispaniam[a] transiens, ascitis[b] Wandalis, totam eis Affricam tradit. Qui mox ferro igneque terram vastantes[c], ubique diffunduntur[d], ac inter caetera mala Hypponensem urbem, cui beatus Augustinus praesidebat, obsidione cingunt. Beatus autem praesul, ne excidium urbis suae videret, 3. mense obsidionis eius, 76. aetatis suae anno, migravit ad Dominum. Non multo post elapso tempore Placidiae apparuit falso sibi Bonifacium delatum fuisse, vocatumque eum[e] ad se magistrum militum fecit[f]. Wandalis autem tradita parte Affricae Romani pacem dederunt. His diebus Gisericus

a) Gyserica 4; Segerico *editt.* b) Hyspanias 1. c) Heraclidem 5. d) presserat 1. 4. e) VII° Honorii anno *superscripsit* 4 *manus secunda.* f) successore 1. 2. 4. g) mig. ad dom. 1. h) chronicas suas 1. 2. 5; chronica i. e. annalia 4. i) regeneraverat 2. k) hist. 2. l) sualore 1. m) monachus et eremita *editt.* n) Sinodus 2. o) tercio 1. p) Syxto 1. 2. q) effesi 4. r) *ita* 2. 4. 5. s) *ita* 5. 7 *et editt.*; Theodosius 1. 2. 4. t) Wesogothae 1; Wesogothe 2; Wisigothę 4; Wesegothę 5; Wesogote 7. u) vero *deest* 1. v) *ita* 5. 7; Med. 1. 2. 4; Megdigisilo 4. w) Hysp. 1. 4. x) Etius 2; Etyus 4 *semper*; Ethius 7. y) ac 2. 4. z) Mauorcius 1. *) sigisuvaldus 2. a) Hyspaniam 2. 4. b) asenis 1; accitis 4. c) *ita* 4. 5 *et editt.*; devastantes terram 1; terram devastantes 2. d) diffund. ubique 1. e) *deest* 1. 2. 4. f) vocavitque eum ad se et m. m. f. *editt.*

Wandalorum rex Arrianus, christianos affligens, episcopos in exilium misit. Kartaginem invadens multis divitiis ac[a] ecclesiasticis ornamentis spoliavit.

25. Anno imperii Theodosii 30. terrae motus horribilis Constantinopoli fuit. Ob eam causam ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, hoc est: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis*, dum a populo cum Proculo episcopo suo coelesti commonitione caneretur, terrae motus cessavit. Unde ab imperatore eiusque sorore Pulcheria, ut per totum orbem canticum hoc cantaretur, praeceptum est. Roma quoque tunc ex terrae motu in multis suis regionibus corruit. His diebus Attila Hunorum rex, occiso fratre Bleda[b], tyrannidem[c] exercendo, Traciam et Illiricum vastare coepit. Cui Theodosius datis sex[d] milibus libris, promissis quoque singulis annis 1000 libris, a finibus suis exire persuasit. Ipse vero non multis post diebus 41. imperii sui anno, post mortem vero patrui sui 26, apud Constantinopolim diem obiit. Ekkeh.

26. Anno ab incarnatione Domini 453. Marcianus consilio Pulcheriae, 46. ab Augusto Orientis imperium suscepit, Valentiniano 45. in Occidente regnante. Huius diebus sub Leone papa, Iuvenale Hierosolimitano, Anatholio Constantinopolitano episcopis, quarta synodus 630[e] sacerdotum contra Eutycen[f] regiae urbis abbatem, eiusque defensorem Alexandrinum quondam episcopum Dyoscorum[g], verbi Dei et carnis unam naturam dicentibus, apud Calcedoniam congregatur, dampnatisque simul cum Nestoriana his haeresibus, fides catholica divinam in Christo et humanam naturam, sed[h] unam personam praedicans, roboratur. Hae sunt quatuor synodi, quas se beatus Gregorius urbis Romae episcopus, velut[i] quatuor euangelia venerari testatur. Igitur regnantibus Marciano et Valentiniano, Attila[k] Hunorum rex subiugatis sibi fortissimis Ostrogothorum Gepidarumque[l] populis aliisque plurimis gentibus, Macedoniam, Moesiam, Achaiam[m], Traciam[n] pervagatur. Dum ergo Romanos quoque Wisigothas[o], quorum priores ob antiquam suae urbis dignitatem, alios vero ob singularis fortitudinis[p] virtutem aemulabatur, subiugare cogitat, timens ne duae hae gentes adversus eum sociarentur, dolo, ut erat versutissimus, seiungere eas ab invicem intendebat. Proinde missa legatione tam ad Valentinianum Romanorum augustum, quam ad Theodericum[q] regem Gothorum, utrisque specialiter verba pacis mandando, Romanis quidem, se non adversus eos, sed contra[r] Gothos bellum parare, Gothis vero eadem de Romanis denuncians, utrosque in alterutrum incitare voluit. Sed Aetius[s], qui tunc Romanorum patricius erat, fraudem Attilae persensit, scriptisque ex persona Valentiniani ad[t] Theodericum regem Gothorum litteris, ut contra immanissimum[u] tyrannum ac totius orbis invasorem ambo convenirent, eum quam intime monuit. Igitur Attila dum hoc modo procedere non posset, bellum Gothis aperte indicit. Qui pulsatis per legatos Romanis, Aetium patricium in auxilium accipiunt. Hic ascitis[v] sibi Francis, Sarmatis, Armatianis[w], Burgundionibus, Saxonibus, Riparioliis, Brionibus multisque Celticae ac Germaniae nationibus, Gothis succurrit. Attila vero cum Aldarico Gepidarum[x] et Walamire Ostrogothorum regibus innumerisque regum ac nationum turmis procinctum movet. In campis ergo Catalaunicis uterque consedit exercitus. Attila eventum rerum in extis pecorum[y] perquirit, seque vincendum, sed ex alia[z] parte omnium potentiorem casurum, in foedissimis invenit praesagiis. Qua de re turbatur, sed de hoc quod ex alia parte virum potentissimum, quem ipse Aetium putabat, occidendum intellexit, animatus suos alloquitur, eosque prioribus virtutis suae fortunis consolandos denuncians, pugnam[*] aggreditur. Romani eminentiorem locum habebant. Itaque a nona hora diei fortissimis gentibus acerrime usque ad noctem pugnantibus bellum protenditur. Theodericus autem Gothorum rex, iuxta quod Attilae praedictum erat, hac illacque[a] ad exhortationem[b] suorum discurrens, occubuit. Attila in fugam versus victum se prodidit, sed noctis beneficio potuit id occultari[c]. Mane facto Gothi regem suum requirunt, sed mortuo invento cum Thorismundo filio regis in hostem irruere volunt. Porro Aetius timens, ne deletis Hunis Gothi in superbiam elati Romam premerent, vocato ad se Thorismundo: *Fratres*, inquit, *tui, qui domi remanserunt, patris morte comperta, regnum*

Ekkeh. — cf Niceph. Beda et Sigeb. a 452 — Ekkeh. — Iordan. ed Murat. p. 39. — Iordan 40.

a) *deest* 1. b) Buda *editt.* c) tyrandinem 1. d) VII 1. 2. e) DCXXX 1. f) Euticen 5 *et edd.* g) Dioscorum 5. h) naturam sed *desunt* 2. i) velud 1. 2. k) Atila 5. l) Gepidariique 1. m) aachaiam 2. n) *deest* 2. o) Wesigothas 1; wesegothas 2. 7. 11. 13; wesogothas 4; Wesegotas 5. p) fortitutinis 2. q) Theodricum 1; Theodoricum 5. 7 *semper.* r) adversus 1. s) Etius 5. t) at 2. u) inman. 1. 4. v) asscitis 1. 2. w) *ita* 1. 2. 4 *loco* Armoricanis *Iordanis;* Armartianis 13; *deest* 5. 7. x) Gepitarum 1. y) peccorum 1. z) *ita* 1. 2; ex altera 4; in altera *editt.* *) *deest* 1. a) illaque 1; *corr.* illacque 4. b) exort. 1. 2. 4. c) Attila — occultari *desunt* 2. 2*. 2* A 1. 2* B 1.

invadent. Tu ergo revertere, ne forte ipsi te praeveniant. Sic Aetius iuvenem astute circumveniens, ea qua dixi causa bello declinare et ad propria redire edocuit. Fertur de Attila, quod de[a] subselliis piram[b] fecisset, cui se, si hostes irruissent, inicere cogitaverat. Ceciderunt[c] p. 41 in hoc famosissimo praelio, ut Iordanis refert, ex utraque parte 116 milia, exceptis 15 milibus qui in congressu Francorum et Gepidarum priori nocte corruerant. Thorismundus[d] a suis rex creatus, consilio Aetii in patriam reversus, Tholosam ingreditur.

27. Verum Attila[e] Gothis recedentibus[f] securus factus, contra Romanos iter deflectit, Aquileiamque Venetiarum metropolim, quae in Adriatico sinu posita est, obsidione cingit. Quam dum multo tempore obsidens capere non valeret, cumque iam[g] exercitus recedere pararet, Attila iuxta muros digrediens ac secum quid ageret mente pertractans, cyconias ex urbe foetus suos trahere videt. Quo viso, suos ad eversionem urbis amplius accendens: *Hoc,* inquit, *omen[h] nobis est. Hae, inquam, aves, futurae cladis praesagae, urbem ruituram deserunt.* Dixit, et instructis machinis omniumque tormentorum generibus adhibitis, urbem aggreditur, captamque funditus, ita ut vix vestigia maneant, delevit. Ferunt quidam, quod vacuam habitatore urbem invenerit. Elapsi enim per mare ipso ignorante, in insula, quae Venetia[i] ex hinc ex Venetorum inhabitatione dicitur, translatis secum cum patriarchali sede beati Hermachorae, primi illius urbis episcopi[k], reliquiis, habitare[l] coeperunt. Unde usque hodie inter Gradenses et Aquileienses[m] de patriarchali dignitate lis esse cognoscitur. Tanta autem in obsidione huius urbis eius et mora et multitudo fuit, ut mirae magnitudinis montem Utinum dictum, quem ipse vidi, in modum aggeris ab exercitu comportatum incolae usque hodie[n] affirment[o]. Alii tamen a Iulio Caesare eundem montem factum tradunt. Iord. 42. Attila his elatus successibus caeteras Venetiae urbes[p] pervagando et ad solum usque prosternendo, Mediolanum quoque Liguriae caput ac Tycinum, quae et Papia, crudeli animadversione depopulatur. Post haec dum Romam ire intentat, occurrente sibi Leone papa, tam auctoritate ac precibus pontificis[q] fractus, quam exemplo Alarici, qui post captam Urbem non diu vixit, territus, ad propria[r] revertitur.

Ekkeh. 28. Inter haec Valentinianus Aetii virtutem aemulans, eum cum Boetio senatore necari iubet. Ea propter non multo post ipse[s] ab amicis eius, 30. imperii sui anno, e quibus cum Theodosio socero 25, cum Martiano reliquos imperaverat, vita privatur. Quo mortuo, Maximus accepta uxore eius Eudoxia Theodosii[t] filia, imperium usurpat. At Eudoxia[u] Gisericum Wandalorum regem ob hanc molestiam vocat. Quem dum venturum Romani cognoscerent, Maximum quidem[v] tanquam huius mali incentorem tertio ex quo imperium invaserat mense membratim discerpunt, et ipsi antiquae nobilitatis et virtutis immemores ubique diffugiunt. Post haec Giserico Urbem tanquam habitatore vacuam irrumpere volente, Leo papa occurrit in porta, eumque ab occisione civium et incendio[w] Urbis abstinere precatur. Igitur barbarus Urbem quidem irrupit, spolia rapuit, ac per 14 percensuit dies, Eudoxiam cum filiabus duabus inter alios captivos abduxit, ab incendio vero tantum et caede civium iuxta sacerdotis monitum abstinuit. Facta est autem haec secunda ab Alarico Urbis irruptio a Wandalis 1204. a conditione sua anno. Wandali Urbe capta per Campaniam diffunduntur, eaque tota ferro ac igne vastata, nobilissimas eiusdem provinciae urbes Neapolim et Nolam expugnant. Huius urbis sanctissimus episcopus Paulinus pro redimendis captivis, quod in dialogo Gregorii plenius habes, barbaris se tradidit. Porro Gisericus opibus Italiae ditatus, Trasimundo filio suo Valentiniani principis filiam copulavit. Cuius filius Hildericus, matris sequens monita, catholicus fuit. Caeterum Attila ab Italia digrediens, Honoriam Valentiniani principis sororem sibi dari cum rogasset, nec impetrasset, in terram suam cum indignatione[x] reversus, puellam sibi speciosissimam copulavit. Ob cuius amorem dum[y] luxuriosa celebrat convivia, inebriatur, nocteque proxima iuxta puellam resupinus iacens, sanguine proprio effluente de naribus suffocatur, maneque facto a suis mortuus invenitur. Iusto Dei iudicio id factum arbitror, ut qui semper humanum sanguinem sitiverat, proprio quoque sanguine suffocatus interiret. Eadem nocte Martiano

a) de *deest* 1. b) pyram 4. c) ceccidederunt 1. d) Turismundus 1. 5; Thurismundus 2. e) *margini* 4 *adscripsit manus s. XIV:* Etzel. f) recendentibus 2. g) *deest* 2. h) *ita* 1. 2. 4; nobis omen 5. 7. 11. 13; omnium prognosticum *edill.* i) Venetia dicitur 1. k) episcopo 1. 2. l) habitare *deest* 1. 2. 4. m) Aquileinses 2. n) usque hodie incolae 1. o) affirmant 1. p) per Venet. urbes 1. q) pontificis *deest* 2. r) ultra danubium non rediturus *superscripsit* 4 *manus tertia.* s) Qua propter n. m. p. tempore *editt.* t) Theodosii — Eudoxia *desunt* 1. u) *deest* 1. 4. v) incentore 2. w) *deest* 1. x) dignatione 2. y) cum 1.

in somnis apparuit[a] arcus Attilae fractus. Hic est Attila, qui, ut quidam ait, in concussio- Iord. 35. nem gentium natus in mundo, terrarum omnium metus, superbus incessu, oculos circunferens. bellorum amator, ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propicius semel in fide receptis, forma brevis, lato pectore, capite grandiore, minutis oculis, rarus barba, canis aspersus, simo naso, teter colore fuit. In exercitu eius fuisse quingenta milia Iordanis scribit. Hic etiam dum ubique terrarum discurreret, 11 milia virginum apud Coloniam Agrippinam martyrio coronavit; beatum quoque Nicasium episcopum Remis pro Domino occidens, martyrem fecit. Non multo post tempore[b] Martianus 7. imperii sui anno fraude suorum Constantinopoli necatur. Ekkeh.

29. Anno ab incarnatione Domini 460. Leo Bissa ortus, ex tribuno militum ab Anatholio patriarcha coronatus, 47us[c] ab Augusto Orientis regnum accepit, filiumque suum Leonem regni socium[d] legit. Porro Occidentis imperium apud Ravennam Mauronianus[e] acceperat. Quo quarto regni sui anno iuxta Dextonam civitatem occiso, Severus rursum Ravennae absque iussu augusti imperium invadit, quod per quatuor annos usurpans, Romae diem obiit. Quo mortuo, augustus Anthemium ex patricio caesarem factum Romam misit. Hic Servandum praefectum, in Galliis imperium usurpare volentem, in exilium trusit, patricium Romanorum eadem molientem occidi praecepit. Verum Leo Zenonem generum suum Orienti, Basilistum quoque, Verenae uxoris suae fratrem, Affricae praefecit. Cum Ostrogothis etiam pacem faciens, Theodoricum[f], Theodomari[g] Walamiri regis fratris filium, 8 annos habentem, obsidem accepit[h], quem post tamen patri cum honore remisit. Inter haec Ridice[i] patricius Anthemium quarto anno regni sui occidit, ipse vero post tercium mensem diem ultimum clausit. Porro Leo, vivo adhuc Anthemio, Olibrium ad Urbem miserat, qui regium nomen simul cum Placidia, Valentiniani principis filia in uxore accepta, sumens, post 7 menses vitam simul finivit et regnum[k]. Post cuius mortem Ravennae Licerius imperium assumit[l]. Quo sequenti anno expulso ac in Salona civitate Dalmatiae[m] episcopo ordinato, Nepos patricius Nepotiani[n] filius, Occidentis[o] imperium rexit. Leo ergo Leonem, Zenonis ex filia sua filium, imperatorem fecit. Ipse vero 11. imperii sui anno diem ultimum clausit. Hic paucis mensibus imperans, patrem suum Zenonem imperatorem creavit, ipse vero diem obiit. Porro Basiliscus[p] magister Affricae uxorem suam Zenobiam augustam fecit. Igitur dum Zenon[q] ad urbem regiam perveniens, a senatu ac populo gratanter suscipitur, Basiliscus[r] depositis insignibus ad ecclesiam fugit.

30. Anno ab incarnatione Domini 476.[s] Zenon genere Ysaurus 46us[t] Orientis imperium sortitur; porro Occidentale, id est Romanum, Nepos tenuit. Hoc a regno[u] pulso, Orestes patricius filium suum[v], non iam augustum sed augustulum dicendum, imperatorem Occidentis creavit. Itaque cum Romanum imperium, quod caeteris mundi regnis obfuscatis solum regnare videbatur, cum et ipsi peccatis exigentibus iusto Dei iudicio ea, qua aliis mensum erat gentibus[w] mensura, remetiendum fuit, Odoacer natione Rugus[x], ex ultimis Pannoniae finibus cum Turcilignis, Sciris, Herulis ad invasionem eius procinctum movet. Cui dum Orestes patricius in terminis Liguriae occurreret, visa manu[y] eius, territus aufugit, ac in Tycinum se contulit. Quem Odoacer insequens, capta urbe occidit, ac inde per totam Italiam diffuso milite, regium nomen usurpat. Hic a terra sua egressus, dum per inferiores V. S. Severini. Noricas partes vel superiorem Pannoniam transiret, virum Dei Severinum Ravennatensium episcopum, qui verbum Dei praedicans iuxta radices Comogenis cellam construxerat, adiit, eumque de eventu rei consuluit. Qui prophetico ut erat plenus spiritu, omnia quae postmodum exitus declaravit, veraciter ei praedixit. Augustulus patrem occisum captamque Ekkeh. ab hostibus cernens patriam, mente consternatus, sponte purpuram 11. regni sui mense pariter cum regno deposuit. Odoacer ergo nullo sibi resistente, victor Urbem ingreditur ut hostis, subiectamque sibi ut rex disponit, postremo cum tota Italia servitio suo per 14 annos mancipata ut dominus gravi servitute premit.

31. Exclamare contra rerum mutabilium miserias tempore et loco exigente[z], cogimur. Ecce enim regnum illud maximum ac potentissimum, quod solo nomine gentes ante terrebat,

a) app M. in s. 1. b) post multo temp. 1. c) XLVII° 5. 7 *et edd.* d) socium regni 1. e) Mauromanus 1. f) *ita* 1. 2. 4; Theoder. 5. 7 g) Theodemari 4. h) obsidere cepit 2; obsidem accipit 4. i) Redice 1; Ridicę 4. k) vitam simul et regnum fin. 3. l) assumpsit 1. m) Dalmaciae 1. n) Nepociani 1. o) Orientis 1. p) Basilius 5. 7. q) Zenona 2; Zenonam 4. r) Basilistus 5. s) et ab urbe condita 1227. *superscripsit 4 man. tertia* t) XLVII° 7. u) per Orestem *sup.* 4 *eadem manus.* v) filius patricium suum 1. w) ingentibus 4. x) Rusus 1. y) mamu 1. z) *deest* 1.

orbem concutiebat, iam paulatim decrescendo [a], et ex prima irruptione, quae sub Alarico facta est, dehonoratum, postmodum in conculcationem barbaris patuit. Et ut apertiora quae diximus fiant, misera Urbs primo ab Alarico, secundo a Giserico capta tantum ac populata, nunc vero ab Odoacro non solum capta, sed iure principis in potestatem ac imperium per 14 annos lacrimabiliter subacta invenitur. Et vide quod, sicut superius [b] dixi, non solum ortus eius, sed et finis Babylonico similis apparet imperio [c]. Illa post non multos annos conditionis suae gentes coepit subicere. Haec similiter, cum [d] ad robustam venit aetatem, paulatim crescendo ac primo vicinas urbes subvertendo, post ad ulteriora se extendendo, ad totius orbis pedetemptim apicem venit. Sed sicut nemo repente fit summus, vel praecipitanter de summo infimus [e], ita praedicta Urbs cum in summo, ut dixi [f], quo altius in terra non potuit, fastigio fuit, humiliari deberet, coepit paulatim vires perdere et quasi iam in senili aetate posita defectum honoris, quem in robusta contraxerat aetate, pati. Accessit etiam ad miseriarum cumulum, quae semper caducarum rerum interitus est, sedis mutatio sub Constantino facta. Et sicut ibi regno ad Medos translato, solo nomine mansit [g] imperium, sic et isto ad Graecos seu ad [h] Francos derivato, Urbis tantum antiquae dignitatis ac nominis manet vestigium [i]. Illa primum ab Arbato praefecto suo dehonorata est, post a Cyro subacta est. Haec similiter ab Alarico primo [k] dehonestata, postmodum ab Odoacro iure principis possessa est. Sed quia de rerum mutationibus regnorumque imminutionibus [l] ad ostendendos mortalium casus mundique instabiles rotatus scribere proposui, sicut supra dixisse me memini, cum Roma parturiretur, Babylonia finem accepit, sic et modo dum [m] regnum Francorum, ut ita dixerim [n], seminaretur, Roma sub augustulo suo in ultima senectute, id est a conditione sua 1227. anno, barbaris tradita, occasum minatur.

cf. sup. I, 25. Ekkeh. 32. Hic [o] quod supra promisi dicendum puto, qualiter Franci, quorum mentionem fecimus, in Gallias venerint, et quomodo a Romanorum principatu seiuncti in propria auctoritate manere coeperint. Hi, ut dixi, a Troia digressi [p], cum in Scythia [q] sedes posuissent, dicti sunt Sicambri. Dum ergo toto orbe [r] in provinciam Romanorum redacto, et ipsi inter alios subacti fuissent, elapso tempore, causa quam supra reddidimus a Valentiniano dicti sunt Franci, ac per 10 annos propriae libertati relicti. Quibus expletis, dum Romani solitum tributum repeterent, Franci, ut assolet, libertate effrenes facti tributum dare renuerunt [s]. Habuerunt autem inter se antiqui et nominis et virtutis principes Priamum et Antenorem. Qua de re dum contra eos a Romanis pugnatur, occiso cum multis aliis Priamo rege eorum, reliqui elapsi in partibus Germaniae circa Turingiam consederunt cum principibus Priami et Antenoris filiis, Marcomede et Sunnone. Porro defuncto Sunnone, communicato consilio, Marcomedis filium Pharamundum [t] sibi regem creavere. Leges quoque Wisogastaldo [u] et Salagasto auctoribus ex hinc habere coepere. Ab hoc Salagasto legem, quae ex nomine eius [v] Salica [w] usque hodie vocatur, inventam dicunt. Hac nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc utuntur. Pharamundo mortuo, Clodius filius eius crinitus, a quo Francorum reges criniti sunt dicti, successit. His diebus, ut supra dixi, Francia quasi seminata [x], Roma paulatim coepit minui. Iam gentes [y] quae Romanorum provincias non regna habitabant, reges creare, iam ex illorum potestate subduci ac in proprii arbitrii auctoritate stare discunt. Hinc Gothi dum ipsam quoque Urbem depopulati essent, in Gallica provincia, ut dixi, ultra Ligerim consederunt. Burgundiones quoque iuxta Rodanum [z] habitaverunt, qui et ipsi non multo post reges habere coeperunt. Sic et Franci Rheno transmisso, Romanos qui ibi habitabant, primo fugant, post captis Galliae Tornaco et Cameraco urbibus ac [*] inde paulatim progredientes Remis, Suessonam, Aurelianum, Agrippinam, Treverim ac pene totam Galliam atque Germaniam ab Aquitania usque in [a] Baioariam sibi subiugant [b]. Clodio [c] mortuo, Meroveus filius eius, a quo Franci Merovingi [d] dicti sunt, successit. Post quem Hildericus regnum adeptus, dum luxuriose viveret, a suis pulsus est, Egidiusque Romanus in locum eius substitutus [e]. Porro Hildericus post octo annos revocatus, Agrippi-

a) *ita* 5. 7; descendendo 1. 2. 4. b) vide quoque supra 1; inde sicut superius *editt.* c) appar. imp. similis 1. d) eum 2. e) fit infimus de summo 1. f) cum ut dixi in summo 2. 4. 5. g) mansit *deest* 1. h) ad *deest* 4. i) festigium 2. k) primum 1. l) minutionibus 2. m) cum 1. n) ut ita d. *desunt editt.* o) Sic 1. p) egressi 1. q) Scithia 7. r) in toto Orbe 1. s) renuuerunt 1. 4. t) Pharamum 1 *erasis litteris* ndu; *ita et* 2 *nullis litteris erasis;* Pharamundum 4. u) wisigotaldo 4; Wisogastalla 7. v) eius *deest* 1. w) silea 1. 2; salea 4. x) feminata 1. y) Langentes 4. z) Rohdanum 4; Rhodanum 5. *) an 1. a) ad 1. b) subiungant 1. 7. c) Glodio 1. 2. d) meroiungi 2. 7. e) *ita* 4; substitutus est 2; successit 1.

nam invadens, eiectis inde Egidii fautoribus Romanis, positisque suis, ex Francorum incolatu Coloniam eam vocavit. Mortuo autem Egidio, filius eius Siagrius in civitate Suessona regnavit. Hildericus etiam vita decedens Clodoveo filio suo regnum dimisit. Hic est Clodoveus, qui a beato Remigio baptizatus, primus Francorum regum christianus fuit. Verum Siagrius Clodoveo decertare non valens, ad Alaricum, qui 9. ab Alarico magno Gothorum tunc regnum gubernabat, confugiens, a Clodoveo reposcitur, traditusque necatur. Romani etiam qui in Galliis habitabant, ita ut nec reliquiae ibi inveniantur, exterminati sunt. Videtur mihi inde Francos, qui in Galliis morantur, a Romanis linguam eorum, qua usque hodie utuntur, accommodasse. Nam alii qui circa Rhenum[a] ac in Germania remanserunt, Teutonica[b] lingua utuntur. Quae autem eis lingua ante naturalis fuerit, ignoratur. Itaque Clodoveus subiugatis Alamanis, Gothis quoque et Aquitanicis, iam christianus factus bellum indicit. Quo dum pergeret, beato Martino votum vovit. Cumque victis Gothis et occiso Alarico[c] revertitur, ditata beati Martini ecclesia a cubiculariis equum suum eis traditum, dum redimere 100 solidorum precio[d] vult, ille immobilis permansit. Quem dum superadditis aliis 100 solidis solvisset, dixisse fertur: *Martinus bonus in auxilio, carus in negocio.*

33. Transcursis igitur a Constantino usque ad imminutionem huius maximi regni, Gothicae quoque fortissimae gentis adtenuationem, praecipue cum ad Francorum, quibus postea monarchia cessit, principia devenerimus, cum iam Roma cadente Francia ad accipiendam coronam surrexerit[e], hac maxima caducarum rerum novitate ac volubilitate[f] a praesentis vitae illecebris abstracti, et ad supernae patriae stabilitatem appetendam ex praesentium calamitatum consideratione etiam nolentes[g] attracti, huic quarto operi terminum demus, ut ea quae secuntur expeditius exequamur.

EXPLICIT LIBER QUARTUS[h].

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRUM QUINTUM[i].

Inter prima elementorum rudimenta ac grammaticae artis praecepta audire solent pueri, quod quanto iuniores, tanto sint perspicaciores. Quod non inconvenienter dictum puto, dum et priorum[k]*, qui ante nos sapientiae studuerunt, scriptis et institutis informamur, ac processu temporum et experientiis rerum tanto maturius, quanto in provectiori orbis aevo positi edocemur, per nos quoque hiis quae ante*[l] *nos*[m] *sunt inventa*[n]*, comprehensis, eodem quo et illi spiritu nova invenire possumus. Hanc in senio mundi ex his quas dixi causis sapientiam fore multiplicandam propheta praevidit, qui ait:* Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia. (Dan. 12, 4.) *Hinc est*[o] *quod multae antecessores nostros, praeclarae sapientiae ac excellentium ingeniorum viros, latuerunt causae, quae nobis processu temporum ac eventu rerum patere coeperunt. Proinde Romanum imperium, quod pro sui excellentia a paganis aeternum, a nostris pene divum putabatur, iam ad quid devenerit, ab omnibus videtur. Et sicut supra dixi, omnis humana sapientia vel potentia*[p] *ab Oriente ordiens, in Occidente terminari coepit.* (cf. praef. operis) *Et de potentia quidem humana, qualiter*[q] *a Babyloniis*[r] *ad Medos et Persas, ac inde ad Macedones, et post ad Romanos, rursumque sub Romano nomine ad Graecos*[s] *derivatum sit, sat dictum arbitror. Qualiter vero inde*[t] *ad Francos, qui Occidentem inhabitant, translatum fuerit, in hoc opere dicendum restat. Sapientiam autem*[u] *primo in Oriente*[v]*, id est in Babylonia, inventam, ac inde in Aegyptum, eo quod Abraham tempore famis illuc descendit, translatum fuisse, Iosephus in primo Antiquitatum libro ostendit, ita dicens de Abraham*[w]*:* (I, 8.) Arithmeticam eis contulit, et quae de[x] astrologia quoque sunt, ipse[y] contradidit, nam ante Abraham[z] haec Aegyptii penitus ignorabant. *Dehinc derivatum ad Graecos philosophorum tempore, idem auctor innuit his verbis:* A Chaldaeis enim haec plantata noscuntur in Aegypto. Unde etiam pervenisse dicuntur ad Graecos. *Sic Iosephus. Deinde eam ad Romanos sub Scipionibus, Catone ac Tullio*[*] *et praecipue circa caesarum tempora, poetarum grege diversa carmina concinente, ac post ad ultimum in*[a] *Occidentem, id est ad Gallias et Hispanias, nuperrime*[b] *diebus illustrium doctorum, Berengarii*[a. 91]*,*

a) Ruenum 1. b) Theutonica 5. c) marico 1. 2. 4. d) precium 1. e) surrexit 1. 4. f) volubitate 1. g) volentes 1. h) *ita* 4. i) *ita* 3; *desunt* 1. 2; Prologus libri V. 5. 7. k) *ita editt.*; prioribus 1. 2. 3. 4. 5. 7. l) *deest* 2. m) vos 2. n) inventa sunt 5 *et editt.* o) *deest* 2. p) potentia vel sapientia 2. 4. 5. 7. q) *deest* 2. r) Babylonis 1. 2; Babilonis 7. s) Graecum 4. t) iam *editt.* u) *add.* 2. 7. v) *ita* 5. 7 *et editt.*; Sapientia ergo in Oriente primo 1; Sapientiam autem in Oriente primo 2; Sapientiam in Oriente primo 4. w) ad habraham 2. x) de *ex* 7. 13 *recepi.* y) et quae de astrologia sunt ipse quoque 5. z) adventum Abr. *editt.* *) Thullio 5. a) in *deest* 1. 2. 4. 5. 7. b) Berengarii *deest* 9. 13 *et editt.*

91) Berengarii Turonensis.

Managaldi[a. 92], *Anshelmi*[b. 93], *translatam*[c] *apparet. Quarum rerum praevidere et quasi somniare divinitus inspirati homines causas potuere. Nos vero non solum credere, sed et videre quae praemissa sunt possumus, dum mundum, quem pro mutatione sui contempnendum praedixerunt, nos iam deficientem et tanquam ultimi senii extremum spiritum trahentem cernimus. Porro de duabus civitatibus, qualiter una in alia latendo*[d] *usque ad adventum Christi ac inde ad Constantinum paulatim progressa profecerit, supra sat dictum puto. A Constantino vero exterioribus malis ad plenum sopitis, coepit intestinis malis, instigante diabolo, auctore Arrio, cooperantibus rerum dominis augustis, graviter angi usque ad Theodosium seniorem. Ac*[e] *deinceps, quia omnis non solum populus, sed et principes exceptis paucis catholici*[f] *fuerunt, videor mihi non de duabus civitatibus, sed pene de una tantum, quam ecclesiam dico, hystoriam texuisse. Non enim, quamvis electi et reprobi in una sint domo, has civitates, ut supra, dixerim duas*[g], *sed proprie unam, sed permixtam tanquam grana cum paleis. Unde in sequentibus libellis non solum Romanorum augustis, sed et aliis nobilium regnorum regibus christianis factis, cum in omnem terram et in fines orbis terrae exierit sonus verbi Dei, tanquam sopita civitate mundi et ad ultimum plene exterminanda de civitate Christi, sed quamdiu peregrinatur, utpote sagena missa in mare, bonos et malos continente*[h], *coeptam hystoriam prosequamur. Manet tamen adhuc perfida Iudaeorum infidelium et gentilium civitas*[i], *sed regnis nobilioribus a nostris possessis, illis iam non solum ad Deum sed et ad seculum ignobilibus*[k], *vix aliqua ab eis gesta stilo digna vel posteris commendanda inveniuntur.*

INCIPIT LIBER QUINTUS[l].

Ekkeh. 1. Occupato a barbaris Romanorum imperio, Zeno augustus Theodorico[m], 12. ab Hermanarico Ostrogothorum regi, Occidentis imperium permisit, senatum populumque H. misc. Romanum summopere sibi commendans. Igitur dum Theodoricus[n] Gothorum viribus[o] in Italiam tenderet, ac iuxta Somum[p] fluvium in Aquileiensium[q] finibus castra metatus fuisset, Odoacer ei cum magno exercitu occurrens, in fugam vertitur[r]. Inde cum circa Veronam consedisset, rursum inito certamine, Odoacer terga vertere compellitur. Fractus his malis Odoacer, ad Urbem iter flectit. Sed dum portis clausis introitus ei negaretur, cunctis in Ekkeh. circuitu igne ferroque vastatis, ad Ravennam digreditur. Quem Theodoricus subsequens, per triennium obsidione cinxit, tandemque interposita fide ad deditionem susceptum infideliter occidit. Verum Rugi Odoacri socii Tycinum, cui beatus Epiphanius praesidebat, cum adiacenti regione vastabant. Hic episcopus tantae sanctitatis fuit, ut, dum a Theodorico pro redimendis captivis ad Gundebaudum[s] Burgundiae regem mitteretur[t], 6000 captivorum pro sola religionis suae reverentia sibi a rege reddita dicantur. Theodoricus occiso Odoacro, ad Urbem divertens, cum magno civium gaudio suscipitur. Vide rem publicam[u] miserabiliter labefactatam[v], cerne populum illum, sapientia ac viribus quondam orbis dominum, ad tantum venisse defectum, ut a barbarica tyrannide[w] conculcatus, gravique dominationi mancipatus, non nisi a barbaro liberari queat, tyrannum subiecte ac grataanter suscipiat, ut alterius tyranni dominationem effugiat. Itaque Theodoricus Romanorum potitus imperio, haut memor ab augusto suscepti mandati, fasque nefasque barbarice commiscens ac cives diversis iniuriis contumeliose afficiens, imperium vertit in tyrannidem. Cernens hoc clarissimus vir[x], consularis ordinis Anicius Manlius Boetius, ac rationis intuitu animadvertens, dum tyrannidi eius obviare molitur, ab eo in exilium trusus, Papiae in carcere ponitur, ubi de contemptu mundi philosophicum utile valde[y] scripsit[z] opus[*]. Extant praeter haec alia scripturarum suarum monimenta praeclara, inter quae contra Sabellium et Arrium de fidei[a] sanctae trinitatis regulis ac contra Nestorianam[b] Euticianamque haeresim[c] ecclesiae Dei tam utile quam subtile reliquit[d] opus. Libros[e] etiam Aristotilis de Graeco in Latinum vertit

a) Manegoldi 13. b) et Anshelmi 3. 7 *et editt.*; et Ansihelmi 9. c) translati 1. 2; translata 4 d) latendum 2. 4. e) At 7. 13. f) kath. 2. g) *ita editt.* 5. 13; duas dixer. 7; duas *deest* 1. 2. 4. h) continantie 2. i) *ita* 5. 7. 13; perfidia Iudaeorum infidelium civ. 1; perfida Iud. inf. civ. 2. 4; perfidia inf. Iud. et gent. civ. *editt.* k) ignobiliboribus *editt.* l) *ita* 4. 5. 7. m) Theoderico 4. 5, *ut plerumque* n) *ita* 1. 2. 4; Theodericus 5. o) fultus *addunt editt.* p) Soncium *editt.* q) Aquilensium 2. r) cum vertit *editt.* s) *ita* 5; Gundebardum 1. 2. 4; *ita et* 7, *sed post eadem manus* Gundebard. *corr.* Gundebald. t) *ita* 1; Gundebarum dum burgundiae reg. mitt. 2; Gundebarum burgundię dum mitteretur 4. u) Romanum *addit* 2. v) labefactam 2. w) barbarico tyrannidem 1. x) vir clar. 2. 4. 5. y) valde *deest* 1. z) scribit 1. 2. 4. *) opus fecit 4. a) fide 1. 2. 4. 7. b) Nestoriana 1. c) heresimque 2. d) reliquid 1. e) Libros — composuit *desunt* 13.

92) Managaldi de Lintenbach, de quo plura Bernoldus a. 1094 refert. Vide adnotationem Pertzii ib. SS. V. p. 458. 93) Anshelmi Cantuariensis archiepiscopi.

eloquium, et ad eorum lucubrationem plurima commenta vel transtulit vel edidit. Ad introductionem quoque Topicorum Aristotilis librum de topicis differentiis composuit[a]. Theodoricus qualitercunque acquisitum regnum, tanquam[b] alienigena firmare volens, Clodovei Francorum regis filiam in matrimonium accepit, Amalfredam germanam suam Wandalorum regi copulavit. Duas quoque filias, unam Sigismundo[c] Burgundionum regi, aliam Alarico[d] Wisigothorum regi dedit. Hic est Alaricus[e], qui[f] postmodum a Clodoveo, quod nos in priori per anticipationem diximus libro, victis Gothis[g] interfectus est. Ekkeh. IV, 32

2. Anno ab incarnatione Domini 491, regnante sexto post Pharamundum[h] Clodoveo rege Francorum, Zeno 17. imperii sui anno moritur. Cui dum frater suus Longinus succedere parat, ab Ariagne repellitur, et Anastasius ipsius consilio, consensu omnium 49. ab Augusto imperium adeptus, Ariagnem in coniugium[i] sortitur. Ergo regnante in Oriente[k] Anastasio Euticiano, Theoderico vero Arriano Romam premente, magna discordia in ecclesia Dei oritur, Simmacho[l] et Laurentio pro sede pontificali in Urbe contendentibus. Cui controversiae cum multorum clericorum ac laicorum sanguine per tres annos continue protractae synodo convocata Theodericus finem inposuit. Nam Simmachum[m] saniori electum consilio in kathedra firmavit, Laurentiumque depositum in Lucerina[n] civitate episcopum fecit, quem postea[o] tumultuantem[p] exilio in Dalmatiam relegavit Symachus[q]. In hoc scismate Pascasius[r] diaconus zelum Dei non secundum scientiam habens, Laurentio adhaerens, post mortem suam, ut beatus Gregorius in dialogo scribit, quamvis tantae sanctitatis fuerit, quod mortuo eo per dalmaticam ipsius feretro impositam caecus illuminatus sit, poenas solvit. Dial Gregor IV. c 40 His diebus Trasimundus Giserici filius, Wandalorum rex[s], ob catholicam fidem 220 episcopos ad Sardiniam insulam in exilium misit[t]. Ekkeh. Ea tempestate Fulgentius episcopus, vita et scientia clarus, insignis habebatur. Per idem quoque tempus Arrianus quidam Olimpius nomine, dum in Affrica indigna ac blasphema verba de Deo diceret[u], igneo gladio coelitus percutitur in balneo. Quidam etiam dum ab[v] eiusdem haeresis episcopo baptizari[w] vult, haeretico dicente: *Baptizo te in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*, subito aqua non comparuit. Quo viso, qui baptizandus erat, ad ecclesiam confugit, ac iuxta catholicae fidei normam baptismum accepit. Porro Anastasius Clodoveo regi Francorum per epistolas dignitatem consulatus obtulit, et ipse ab Euticiana[x] haeresi propter admonitionem[y] Ormisdae papae non recedens, sed pertinaciter in ea manens, 27.[z] imperii sui anno[*] fulmine, ut a quibusdam dicitur, ictus interiit. Clodoveus quoque 30. anno vita et regno perfunctus, Lotharium filium cum tribus aliis[a] reliquit, qui regnum inter se diviserunt.

3. Anno ab incarnatione Domini 519, regnante in Francia cum fratribus Lothario, Iustinus senex natione Ysauricus[b] vel Illyricus, 50. ab Augusto, senatus voluntate imperium accepit[c]. Huius diebus Hildericus Trasimundi ex Eudoxia filius, regnum adeptus, cum esset catholicus, universos episcopos a patre suo exilio relegatos revocavit. Iustinus etiam augustus zelo fidei haereticos persequebatur. Ad quem Theodoricus Arrianus Iohannem papam misit, denuncians, ni[d] ab Arrianorum persecutione cessaret, se christianos afflicturum. Quod dum princeps miseratus ob sacerdotis preces annueret, ac ipsum cum honore susceptum honorifice dimitteret, reversum ad se Theodoricus in vinculis posuit, fameque afflictum[e] sacrilege extinxit[f]. Simmachum[g] vero patricium ac Boetium senatorem nobilissimum, cuius supra mentionem feci, crudeliter ante necaverat. Ob ea non multis post diebus, 30. imperii sui anno, subitanea morte rapitur, ac iuxta Gregorii dialogum a Iohanne et Simmacho[h] in Aetnam[i] praecipitatus, a quodam homine Dei cernitur. Hinc puto fabulam illam traductam[k], qua vulgo dicitur, Theodoricus vivus equo sedens[l] ad inferos descendisse.

a) *ita* 1. 4; de top. et differ. 7; de topicis ferentiis composuit 2; sententiis *omisso* composuit *editt.* b) tamquam 2. c) Sigimundo 1. 2. d) Marico 1. 2. 4. e) Maricus 1; Alaricus 2. 4. f) qui *erasum in* 1. g) Gotis 2. h) Phararamundum 2. i) coniugio 1. 2. 5. k) in Oriente *desunt* 1. 2. 4; *recepi ex* 5. 7. 13. l) Simacho 1. 4; Symacho 2 5; Symmachus 7. m) Symachum 1. 2; Simachum 4. 5. n) *ita* 1. 4. 5. 13 *loco* Nucerina, *quod apud Ekkehardum legitur;* Lucerna 2. o) postea tamen 7; tamen postea *editt.* p) episcopatu depositum *supersc. man. tertia* 4. q) *deest editt.* r) Pascasius 2. 4. s) qui fratri Honorio apud Affricam successerat *addit* 4 *manus tertia.* t) quibus Symachus papa cottidiana subsidia in pecuniis et vestibus ministrabat *manu tertia addita* 4. u) de deo diceret verba 1; de deo verba diceret 2. 4. v) ab *deest* 1. 2. w) baptizare 1. x) Euticia *erasis quibusdam litteris* 1; euticiano 2. y) ammonitionem 1; ammonicionem 2. z) XX°VIII° 2. 4 7. *) anno imperii sui 1. 2. a) fratribus *add. edd.* b) Ysaurus 4. c) suscepit 1. d) aut 2. e) extinctum 2. 4. f) vitam finire fecit 4. g) Symachum 1. 4; Simach. 2. 7. h) Symacho 1. 2; Simacho 4. i) Aethnam 1; Ethnam 2. 4. 5. 7, *cui manus fere coaeva adscr.* fluvium. k) traductum 1. l) sedens equo 2.

Ekkeh. Quod autem rursum narrant, eum Hermanarico Attilaeque contemporaneum fuisse [94], omnino[a] stare non potest, dum Attilam longe post Hermanaricum constat exercuisse tyrannidem, istumque post mortem Attilae octennem a patre obsidem Leoni augusto traditum[c]. Defuncto Theodorico, Attalaricus, filiae suae Amalsiundae filius decem annorum regni gubernacula[d] suscepit. Hunc cum adhuc viveret pater, principibus Gothorum commendaverat, exhortans eos, ut senatum ac populum Romanum diligerent principemque Orientis propitium habere studerent. Iustinus vero Iustiniano sororis suae filio imperatore post se destinato, 8. imperii sui anno finem vitae fecit.

Ekkeh. 4. Anno ab incarnatione Domini 527. Iustinianus 51. ab Augusto imperium accepit, regnantibus adhuc in Francia Clodovei filiis. Hic tam strennuissimus quam christianissimus, imperium quasi mortuum resuscitavit, rem publicam labefactatam plurimum reparavit, ac inter caeteras gestorum fortium virtutes, per Bisiliarium[e] patricium de Persis, qui Romanos fines[f] Paul Diac. I, 25 invaserant, magnifice triumphavit. Leges ante ipsum editas, profuse et inordinate compactas, compendiavit, et ad ordinem revocatas in unum volumen compilavit, quae hactenus ex eius nomine Iustinianae vocantur. Multis quoque per latitudinem imperii decoris basilicis ecclesiam Dei[g] adornans, inter alias omnium materia et opere praestantissimam in urbe regia, Ekkeh. in honore divinae sapientiae, quam Graeci Sophiam vocant, construxit. Herulorum regem Gratem nomine, ad se Constantinopolim venientem, in epiphania Domini baptizari fecit. Tunc etiam rex Hunorum* Garda, et mulier quaedam vidua ex Hunis cum 100 milibus gentis suae fidem et baptismi gratiam accepisse feruntur. Porro Atthalaricus[h] adolescentiam suam ac matris viduitatem iuxta patris monitum augusto commendans, in tuitionem a piissimo principe suscipitur. Ipso vero non multo post a suis occiso, mater eius Theodatum in regnum ascivit[i]. Qui ne dicam ingrati, sed infidi militis officium gerens, eam in balnea[k] Paul Diac. I, 25 strangulavit. Igitur Iustinianus Bisiliarium patricium primo in Affricam destinavit, Wandalisque deletis, provinciam a barbaris liberatam Romano imperio restituit. Post cum eundem contra Theodatum tanquam traditorem regnique invasorem mitteret, fractus animo tyran-Ekkeh. nus Agapitum papam[l] ad eum pro petenda pace direxit. Qui dum[m] Euticetis errore deceptum ad catholicam fidem revocasset principem ac Anthemium regiae urbis episcopum, eandem heresim defendentem, excommunicasset, ipse ibidem vita functus, migravit ad Dominum. Hic pontifex tantae sanctitatis fuit, quod in porta urbis regiae in ipso ad imperatorem ingressu caecum illuminavit. Inter haec Belisarius[n] Theodatum perfidiae suae poenam solvere compellens, interfecit. Wittigem post mortem Theodati regnum invadentem[o] captivum[p] Constantinopolim misit, regnumque Gothorum, quod per duo milia vel Iord c 60 amplius annorum Iordanis stetisse[q] commemorat, finivit et sic tam ex Affrica Wandalis quam ex Italia Gothis exstirpatis, utrasque in pristinum statum reduxit provincias. Hucusque Iordanis episcopus, natione, ut ipsemet testatur, Gothus, Gothorum historiam nec non et chronica sua[r] perduxit.

Bisiliarius[s] adhuc cum Theudeberto[t] Francorum rege, Lotharii fratre, qui cum 200 milibus Italiam invaserat, pugnam commisit, rogantibusque[t*] Francis pacem concessit, ac Italiae finibus eos sine Romani militis dampno cedere persuasit. Inter haec Parthi cum exercitu Syriam Neocaesaream que vastantes, Antiochiam tendunt. Quibus dum Germanus patricius cum Iustino filio consule decertare non sufficeret, relicta urbe, ad partes Ciliciae se contulit. Persae tanquam vacuam urbem irrumpunt, praedam diripiunt, urbes vicinas populantur, et totius Celesiriae[u] bona unius anni spatio demoliuntur. Quos Bisiliarius Gothicae ac Wandalicae[v] victor, collecto milite cohercuit et Romanorum finibus egredi

* *Man. s. XIII adduntur in margine* 5: Nota quos modo Turcos appellamus Huni, dicebantur antiquitus a Caspiis portis primitus egressi. Occidentales vero Huni sunt quos Ungaros et Avares appellamus.

a) omino 1. c) Nisi forte alius Theodericus fuerit sub Attila et item alius sub Erminrico quos omnes vulgus Teutonicum pro uno computarit in cantilena *addit manus s. XII exeuntis in margine* 4. d) gubernacula regni 1. 4. e) *ita* 1. 2. 4. 7; bilisiarium 5 *semper*. f) fines *deest* 1. g) dei ecclesiam 1. h) Athal. 4. i) asscivit 1. k) balnea 1. 2. 4. l) papa 1. m) qui imperatorem cum *edd*. n) Busiliarius 1. 2; Basiliarius 4. 7; Bilisiarius 5. o) Wingis p. m. Th. suadentem 1; Wingis p. m. patris Th suadentem 4; Witigis post m. Th. suadentem 2; Witigis regnum p. m. Th. invadentem c. C. m. 5; *ita et* 7, *qui tamen prius scripserat* suadentem. p) capvivum 1. q) stetisse Iordanis 1. 4. r) chronicas suas 1. 2; chronicam suam 4. s) Bysiliarius 4. t) Theodoperto 1. 2; Theodeberto 4; Theodoberto 5. t*) regnantibusque *codd. et edd.* u) Celerisiae 1. v) Geticae Wandalicae 1. 2. 4. 5; Geticae *post corr.* 7 goticae.

94) Cf. Chron. Quedlinb.

compulit, sed recrudescentibus ac tumultuantibus cum rege suo Totila Gothis, morae locum ibi non habens, in Italiam iter reflexit.

His diebus Longobardorum gentes, qui a Scanzia insula, unde et Gothi, egressi fuerant, cum Alboin rege suo in Pannonia[a] habitabant. Hii non multo post Italiam, quam hactenus incolunt, ut post dicetur, occupaverunt. Bisiliarius in Italia manens, praecepto Ekkeh. Theodorae augustae Silverium papam, eo quod Anthimium[b] haereticum ab Agapito antecessore suo excommunicatum absolvere nollet, falsorum testium accusatione criminatum invitus in exilium misit. Vigilio successori eius[c], sub quo quinta synodus generalis Constantinopoli congregata fuerat, similiter fecit.

Sub hoc pontifice Arator subdiaconus actus apostolorum versibus defloravit. Per idem tempus floruere[d] Cassiodorus senator ac Dyonysius abbas, quorum prior librum psalmorum luculenter exposuit, alter cyclos paschales[e] subtiliter composuit. Priscianus Caesariensis Chr. Wirzib. grammaticae artis libros ad Iulianum consulem patricium profusos sed necessarios[f] officioso opere edidit. His etiam diebus signis et prodigiis vitaque continentissima primo Dial Greg cf P Diac I, 26. heremita, post abbas clarus habebatur[g] beatus Benedictus, qui multos verbo et exemplo aedificans et ad artioris vitae viam accendens, monachorum regulam, ut Gregorius ait, sermone luculentam, discretione praecipuam, quae hactenus in ecclesia florere cognoscitur, descripsit. Qui vero tunc alii principes aut cives civitatis Christi vita et scientia insignes fuerint, si quis scire vult, legat Dialogum Gregorii. Corpus sancti Antonii repertum Alexandriae reconditur. Iustinianus princeps egregius, re publica iuxta tempus suum satis exaltata, 39. imperii sui anno diem obiit. Hucusque Victor Turonum[h] episcopus chronicas suas perduxit.

5. Anno ab incarnatione Domini 567, regnante in Francia Hilperico Clotharii[i] filio Ekkeh. cum tribus fratribus, Iustinus iunior[k] Iustiniani[l] nepos, natione Trax, 52. ab Augusto, imperium ab Euticio[m] patriarcha coronatus suscepit. Hic cum esset catholicus, ecclesias Dei, quas antecessor suus aedificaverat, preciosis thesauris et largis possessionibus ditavit. Huius diebus pax inter Romanos et Persas[n] rumpitur. Imperator vero ad Aretham[o] Indorum regem Iulianum misit[p], qui, ut postmodum retulit, eum pene nudum, circa lumbos tantum cincturam et linea vestimenta auro contexta, et circa ventrem indumenta scissa, margaritis preciosis conserta[q], in brachiis quinos circulos et armillas aureas, in capite pannum[r] gemmis ornatum, in collo torquem aureum habentem, super quatuor elefantes, rotis quatuor curru excelso innitente, stantem, scutum parvissimum deauratum, cum duabus[s] lanceolis aureis tenentem, invenit, quem cum contra regem Persarum armasset, revertitur. Misso enim Narse, auxilio Longobardorum Totilam regem Gothorum interfecit, eandemque[t] gentem de Italia radicitus exstirpavit. Bucellinum a rege Francorum ad devastandam Italiam missum occidit. Sindoaldum Brendorum[u] regem, qui de comitibus Odoacri in Italia adhuc superfuit, suspendio peremit. Itaque cum Narses patricius deletis barbaris Italiam in pristinum statum reduxisset, Romani, ut assolet, prosperitati eius invidentes, ad imperatorem eiusque uxorem Sophiam[v] legatione missa in pluribus eum accusabant. Qua de re motus princeps Longinum ad occupandum locum eius misit in Italiam. Sophia quoque augusta muliebriter concrepitans, Narsem utpote eunuchum inter foeminas in genitio suo se posituram denunciat. Quae omnia aegre ferens Narses Neapolim se contulit, missaque legatione, Longobardos[w] de Pannonia in Italiam vocavit. Quorum adventum[x] prodigia maxima, ita ut igneae acies in coelo[y] cum sanguine, qui postmodum fundendus erat, beato Gregorio teste, visae sint, praecesserunt. Ex hinc Roma non solum Transalpinas regiones sed ipsam etiam[z] Italiam, quae ex tunc a barbarorum inhabitatione[*] usque in hodiernum diem Longobardia vocatur[a], perdidit. Porro Iustinus Tyberium comitem in filium adoptavit ac caesarem legit. Cum vero pedibus aeger in lecto iaceret ac se moriturum cognosceret, vocato ad se Euticio pontifice ac senatu, Tyberium ex caesare fecit augustum. Ipse autem 11. imperii sui anno diem obiit.

a) Pannoniam 2. b) Antimium 2. 4. c) successore suo 1; successore eius 2. 4. d) floruerunt 1. e) pascales 1. f) necessario 1. g) prim. hab. her. p. abbas clarus 2. h) Turonorum 1. 4. 5. 7; Turonum 2. i) Lotharii *eraso* C 1. k) iunio 1. l) Iustinianus 1. 4; *etiam m 2 legebatur, sed post correctum* Iustiani. m) sub Euticio 1. n) *ita* 5. 7. 13 *et editt.*, Trosas 1. 2. 4. o) Retham 4. p) misit Iulianum 1. q) consertam 2. r) peranum 1. s) duobus 1. t) *ita* 5. 7. *editt.*, eandem et 1. 2, et eandem 4. u) Brendonum 5. v) Sophia 1. w) Longopardos 1. x) *deest* 1. y) ignee in celo acies 5. 7. z) etiam ipsam 1. *) inhabitationem 1. a) que vocant 2.

Ekkeh. 6. Anno ab incarnatione Domini 576. Tyberius Constantinus, natione Trax, ab Euticio patriarcha coronatus. 53. ab Augusto imperavit. Hic dum uxorem suam Anastasiam augustam vocaret, Sophia praedecessoris sui coniux, eo quod ipsi iungi cogitabat, graviter indignata, Iustiniano[a] ad imperium aspirare[b] persuasit. Sed dum ad effectum res procedere[c] non posset, Iustinianum quidem accepta ab eo pecunia[d] princeps in gratiam recepit, Sophiam vero, omnibus ei regni deliciis ablatis, privatam vivere fecit. Pecunias etiam quas Iustinus[e] male congregando repositas habebat, large pauperibus erogavit. Fertur de eo, quod dum in palatio suo deambularet, videretque in pavimento crucem sculptam, iubens eam auferri reverenter: *Crucem*, ait, *Domini in fronte gestare, non pedibus calcare debemus.* Qua ablata, dum alia[f] apparuisset, ac illa rursum sublata, dum tercia inventa fuisset, infinitam pecuniam[g] auri reperisse traditur. Narse quoque[h] patricio mortuo, plurimum auri et argenti in puteo invenisse memoratur, quae omnia more suo Luc 19, 26. pauperibus erogavit. Completum in eo cernitur, quod Dominus ait: *Omni habenti dabitur*, cum large res suas pro Christo distribuens, largas ab eo accepit impensas. Idem vastata Italia a Longobardis sub Benedicto papa, dum Roma plurimum fame laboraret, missis ab Aegypto navibus, multa frumenti modiorum milia civibus donavit. Persas fines imperii irruentes[i] per Mauricium ducem gloriose devicit, eique postmodum filiam suam in matrimonio coniunxit et caesarianam dignitatem contulit. Hilperico Francorum regi magnifica dona misit. His diebus beatus[k] Gregorius Romanae ecclesiae archidiaconus[l] a Pelagio papa Constantinopolim missus, Moralia Iob Leandro scripsit, et Euticium eiusdem urbis episcopum sub praesentia principis in fide resurrectionis errasse convicit. Verum Tyberius imperator christianissimus, substituto sibi in imperio consilio Sophiae genero suo Mau- Chr. Wirz. ricio, 7. regni[m] sui anno in pace quievit.

7. Anno Domini 583. Mauricius Capadocus[n] primus ex genere Graecorum, 54. ab Ioh. v. Gr. Augusto imperium est adeptus. Huius diebus beatus Gregorius civitatis Dei verus civis[o], Romae consensu imperatoris a clero ac populo electus, pontifex ordinatur. Quem tamen princeps, cum esset inexplebilis avariciae, quaestus gratia plurimum persequebatur. Vit. Columb. cf. Paul. D. VI, 7. Ea tempestate vir Dei Columbanus, natione Scotus[p], Luxoviensis abbas, a Brunehilde[q] Burgundionum regina, eo quod eam de pessimis operibus suis ac maleficiis zelo Dei[r] argueret, tanquam iustus Helias a Iezabel gravem persecutionem passus, monasterium mutare ac in Italiam ad locum qui Bobium dicitur transire, ibique ad diem obitus sui manere compellitur. Huius discipuli clarissimi regni Christi cives fuere, Leodegarius, qui postmodum Autisiodorensem regens ecclesiam, martyrio[s] coronatur; Romaricus, qui in monte, qui ex nomine suo mons Romerici dicitur, nobile sanctimonialium fundavit coenobium; Gallus, qui in Suevia in territorio Constantiensi[t] residens, egregiam ex nomine suo, quae multis honoribus ac divitiis modo[u] locupletata cernitur, tenet ecclesiam, et alii quam plures. Fertur enim quod trecentorum praedictus vir Dei pater extiterit monachorum, qui omnes patris secuti monita, excepto Eberwino, inter cives Christi[v] ascripti[w] creduntur. Hic enim solus ex illis caducis honoribus a Brunehilde[x] illectus, retro abiit, et miliciae[y] cingulum sumpsit, maiorque domus effectus multis malis praefatos Dei servos afflixit, ac beatum Leodegarium martyrem fecit. Verum Brunehildis scelerum suorum poenas luens, postmodum a Clothario[z] rege caudis indomitorum equorum alligata finem vitae[*] miserabilem fecit, nobisque exemplum abhorrendae immanitatis[a] eius reliquit. At Mauri- Ioh. v. Greg. cf. Ekkeh. cius cum a persecutione beatissimi papae Gregorii non cessaret, 19. imperii sui anno videt in somnis virum monachico habitu gladium habentem[b] in manu, ad se terribiliter venire, ac eum moriturum pronunciare palam[c]. Quo viso perculsus culpamque suam recognoscens, tam summo pontifici Gregorio quam aliis episcopis, abbatibus, solitariis humiliter scripsit, ut Deo pro eo exorato, quod in praesenti et non in[d] futuro poenas peccatorum suorum solveret, precibus impetrarent[e]. Ipse quoque multis lacrimis idem Deo commendabat.

a) Iustiniano *corr.* Iustinianum 1. b) asspirare 1. c) procedere res 1. d) peccunia 1. e) *ita* 1. 2. 4. 5; Iustinianus *editt.* f) tercia 2. g) peccuniam 1. 2. h) *deest* 2. i) f. irr. imp. 2. k) *deest* 1. l) arcidiaconus 1. m) regno 2. n) cappadocus 5. o) civis *deest* 2. p) Scothus 1; Schotus 4. q) *ita* 4; Brunnehilde 1. 7; Brunnihilde 2. r) *deest* 1. 2. 4. s) martirio 2. 4. t) Constanciensi 1. u) modo h. ac d. 1. v) Christi cives 1. 2. w) asscripti 1. 7; ascribi 2. 4. x) Brunnehilde 1. 2. 7 *semper.* y) abiens miliciae 1. 2. z) a Lothario 1; ac lotario 2, *ubi post littera* c *deleta est;* Clotario 5. *) mis. vitae 1. 2. 7. a) abhorrendi inmanitatem 1. 2. 7; inmanitatem eius fugiendi 4. b) in m. hab. 5. 7 *et edd.* c) palam pron. 5. 7 *et edd.* d) et in 1. e) inp. 1. 2.

Cum ergo Deus ad petitionem[a] ecclesiae imperatorem exaudire vellet, vidit in somnis, se coram crucifixo apud aeneam palatii[b] portam stare, vocemque terribilem audire: *Date Mauricium*, et iterum: *Ubi vis reddam tibi mala quae fecisti? hic, an in futuro?* Cumque ille responderet: *Non in futuro*, iussit eum cum uxore, liberis ac cognatione Focae tradi. Ekkeh. Mane facto, Philippico genero suo ad se vocato, narratoque somno, si Focam cognoscat, requirit. Tum ille paulisper secum deliberans[c]: *Iuvenis est*, inquit[d], *et temerarius.* Nuncii quoque quos ad viros Dei miserat, reversi, similia visioni reportabant responsa. Porro exercitus a Mauricio missus, cum ob eius avariciam fame laborarent, in seditionem versi Focam imperatorem creant. Quod audiens Mauricius ac ex visione sibi monstrata futura praesagiens, fugit. Quem Focas insecutus, iuxta Calcedonam cum uxore ac filiis culpam suam humiliter recognoscentem[e], secundum quod ei in visu monstratum erat, anno imperii sui 21. decollavit. Fertur quod decollato eo, lac, quod indulgentiae a Domino inventae signum esse ominantur, cum sanguine effluxerit.

8. Anno ab incarnatione Domini 603. Focas 55. ab Augusto[f] imperium sortitur habens Ekkeh. uxorem Leontiam nomine. Hic primo patricii cuiusdam strator, post miles, ad ultimum imperator fuit. Anno imperii eius 2. beatissimus papa Gregorius, qui verbo et exemplo civitatem Dei plurimum illustraverat, scripturarum suarum dulcissima relinquens monimenta migravit ad Dominum. A quo 3[us] Bonifacius impetravit a Foca, ut ipsius auctoritate Romana ecclesia caput omnium diceretur ecclesiarum. Nam Constantinopolitana se primam, puto propter regni sedem illuc translatam, scribebat. Post hunc alius Bonifacius 4[us] a beato Gregorio, precibus ab eodem augusto obtinuit, ut templum a Domitiano imperatore constructum, quod Pantheon vocabatur, ecclesiae Dei datum in honore omnium sanctorum dedicaretur*. His diebus Cosdroas Persarum rex, Orientem pervagatus, multas Romanis provincias abstulit, ac vivificae crucis vexillum ab Ierosolimis[g] asportans, in solio suo, ubi se ut Deum adorari fecerat, posuit. Focas autem cum multa scelera et homicidia perpetrasset[h], ab Heraclio, Heraclii patricii praetoris Affricae filio, vocatu Prisci patricii generi sui, 8. imperii sui anno interficitur.

9. Anno ab incarnatione Domini 612. Heraclius occiso Foca, a Sergio patriarcha coronatus, 56. ab Augusto imperium[i] sortitur, regnante in Francia Lothario Hilperici filio. Anno imperii eius 2. ex Eudoxia filium Heraclium seu Constantinum habuit. Mortua vero Eudoxia, Martinam sororis suae filiam inceste sibi copulavit, ac Heraclonam ex ea suscepit. Hucusque Isidorus[k] episcopus[l] historiam suam perduxit.

Anno[m] imperii sui 8, dum pacem a Cosdroa Persarum rege peteret, nec impetraret, cf Sigeb. a. 627. 4. post haec, id est 12. regni sui anno, procinctum in Persidem movet, occisoque singulari congressu super pontem Danubii Cosdroae filio, vastata Perside, Cosdroam quoque ablato[n] de prophana manu eius ligno sanctae crucis, interfecit, ac 7. demum ex quo exierat anno, ad regiam urbem victor rediens, non multo post Ierosolimam[o] lignum salutiferum reportavit. Ex hinc exaltatio sanctae crucis in ecclesia Dei[p] celebrari coepit. Ekkeh.

His diebus Anastasius Persa, primo magus, post fide assumpta monachus factus, nobile pro Christo martyrium cum aliis 70 a Persis, Marzabona iudice, peregit; cuius tunica mox daemoniacus indutus curatur. Huius corpus Heraclius cum captivis de Perside reportavit, ac in monasterio beati Pauli, quod ad Aquas Salvias[q] dicitur, ubi nunc religiosorum monachorum[r] coenobium ex nomine suo vocatum esse cognoscitur, honorifice condidit. Circa idem tempus Mahumet[s], quem Sarraceni hactenus[t] colunt, ex stirpe Ismahelis, patre gentili et matre Iudaea fuisse dicitur.

His diebus Lothario mortuo, Dagobertus[u] admodum puer, educatus a beato Arnulfo[v] maiore domus, qui postmodum Metensium episcopus fuit, in Francia[w], excepto quod fratri suo Heliberto[x] circa Ligerim quasdam urbes ac pagos[y] dimiserat, solus regnavit.

* *Adduntur in margine 4 manu saec. XII. coaeva:* Apud Yspanias Beldierico mortuo, Sidebutus succedit in regnum, vir sapiens, cuius tempore firmatum est regnum Gothorum in Yspania in maris litora usque Pirrenos montes.

a) petiticionem 1. 4. b) palacii 1. 4. c) secum delib. p. 1. d) inquid 1. e) *ita* 7; recognosceret 2; cognoscentem 5 *et edd.* f) Augusto *deest* 1. g) hierosolimis 5. h) perpetraret 2. 4. 5. i) inperium 2. k) Ysidorus 2. 4. l) episcopus *deest* 1. m) anno igitur 1. n) ablata 1. 2. 4. 5. 7. o) Hierosol. 2. 5; Hyeros. 4. p) dei *deest* 1. 4. q) aquas Salsas *editt.* r) monacorum 5. s) Mazmet 2. 4; Mahemat 5; Mahmet 7; Mahemet 13. t) actenus 5. u) Dagopertus 1. v) Arnolfo 1. 2. w) in F. fuit 1. x) Heliperto 1; heriberto 5. 7 *et editt.* y) pagas 1. 2.

A Clodoveo enim usque ad id temporis, regno Francorum inter filios filiorumque filios multifarie diviso, confuse regnatum est. Erat autem Francorum iam terminus ab Hispania usque in Pannoniam, duos nobilissimos ducatus Aquitaniam et Baioariam, Aquitaniam quidem ad occidentem, Baioariam[a] vero ad orientem habens. Dagobertus ergo tocius regni principatum tenens Baioariis legem dedit. Hic dum adhuc vivente patre Lothario cum Saxonibus pugnam inisset ac graviter vulneratus fuisset, misso ad patrem nuncio acceptoque auxilio, rursum certamen[b] aggreditur, victisque ac fugatis Saxonibus*, omnem provinciam suae ditioni subiciens, cunctos eiusdem gentis masculos, qui gladii sui, quem tunc forte gerebat, mensuram excederent, necasse traditur. Beatus Cunibertus Coloniensem tunc regebat ecclesiam. [Ekkeh.] Igitur Heraclius a Sergio patriarcha deceptus, Euticianus haereticus efficitur. Mathematicus etiam et astrologus factus, praevidens in stellis circuncisos imperium suum vastaturos, arbitrans hos Iudaeos, missis ad Dagobertum Francorum regem nunciis, omnes regni sui Iudaeos[c] baptizari postulat et impetrat, ipseque in regno suo similiter facit. Non multo post tempore Agareni gens circumcisa[d] imperium vastant. Quos dum Heraclius misso exercitu cohibere vellet, 50000[e] perdidit. Qua de causa dum apertis[f] portis Caspiis, gentem saevissimam, quam Alexander Magnus ob immanitatem[g] sui super mare Caspium incluserat, educeret, bellumque instauraret[h], nocte ab angelo quinquaginta duo milia de exercitu eius percussa feruntur. Unde fractus animo princeps et ex dolore in tumorem versus, ac ydropicus factus, 27. imperii sui anno vivendi finem fecit. Vide iustissima iudicia Dei. Princeps iste, qui primo per virtutem crucis de potentissimo rege Persarum[i] triumphavit, postmodum a Sarracenis, amisso milite, dolore[k] velud[l] rationis expers, eiusque per quod ante vicerat signi inmemor factus, crudelissimam gentem, quam etiam gentilis homo incluserat, impraemeditate educens, a Domino iuste flagellatur, ut et ipsi poenitentiae locus et posteris correptionis exemplum relinqueretur. Haec omnia ad contemptum mundi amoremque Dei, qui et sperantes in se remunerat ac contempnentes condempnat, nos provocare deberent.

[Ekkeh.] 10. Anno ab incarnatione Domini 639, regnante in Francia Dagoberto, Constantinus Heraclius, Heraclii filius, 57. ab Augusto regnum est adeptus, 4. imperii sui mense fraude novercae suae Martinae Pirrique patriarchae veneno necatur; ipsaque cum filio suo Heraclona regnum usurpans per duos annos tenuit. Mutilatis ergo naribus filii matrisque lingua abscisa, Constans Constantini Heraclii filii filius, a senatu imperator creatur. Pirrus quoque patriarcha, sceleris auctor, in exilium truditur, et in locum eius Paulus subrogatur. Hic est Pirrus[m], qui cum Cyro Alexandrino episcopo haeresim, quae duas in Christo voluntates negabat, condidit.

[Ekkeh.] 11. Anno ab incarnatione Domini 642, pulso cum matre Heraclona, Constans Constantini filius, 58. ab Augusto regnavit. Hic cum[n] in[o] eandem quam avus suus Heraclius haeresim fuisset lapsus, Martinum papam, eo quod Paulum patriarcham, Pirrum et Cyrum habita synodo excommunicasset, apud Cersonam in exilium misit, ubi multis miraculorum signis refulgens, migravit ad Dominum. Porro Constans, congregata sub Vitelliano papa synodo, haeresim abdicavit, ac beato Petro mirae magnitudinis euangelia auro cooperta, [Paul. Diac. V, 6.] gemmis ornata misit. Ipse vero non multis post diebus Italiam a Longobardorum potestate eripere volens, per aequor navigando Tarentum applicuit. Post Beneventum veniens, [ib. V, 7.] omnes pene civitates, quas Longobardi inhabitabant, cepit, ac Luceriam usque ad solum [ib. V, 8.] prostravit. Deinde accepta obside sorore Rumaldi, Grimaldi regis filia, Neapolim iter [ib. V, 11] flectit, inde ad Urbem iter tendens, Vitellianum papam in 6. miliario obvium cum clero et populo habuit ac ita honorifice Romam ingressus, beato Petro pallium auro textum obtulit. [Ekkeh.] Cogitabat autem imperium ad Urbem transferre[p], eo quod Constantinopolitanos, qui ei de sacrilegio in Martinum papam commisso consilium dederant, tanquam haereticorum fautores exosos haberet. Huius diebus beata Gerdrudis virgo, Pippini[q] filia, beato fine quievit. [G. Franc.] Dagoberto quoque mortuo, Clodoveus filius eius successit. Nam alii filio, Sigiberto scilicet, dum adhuc viveret, Austrasiam reliquerat, eumque Cuniberto Coloniensium praesuli et

* *Supersc. man. saec. XIII. in 4:* et Berhtoldo duce eorum occiso.

a) Baioaria 1. b) pugnam 1. c) Iud. regni sui 1. d) c. g. 1. e) centum L. M. *editt.* f) pertis 2. g) inman. 2. h) cum CL milibus armatorum *superscripsit* 4 *m. s. XIII.* i) Persarum rege 1. 2. k) ex dolore 5 *et edd.* l) velut 1. m) Pyrrus 1. n) dum 1. o) in *deest* 2. p) retransferre 2. 4. q) Pippini regis 1.

Pippino commendaverat*. Constans ab Urbe digressus, Siciliam[a] ingreditur, ubi per *Cf Ekkeh.* 6 annos moratus, fraude suorum 28. imperii sui anno in balneo perimitur. Quo mortuo, Mitium quendam Armenium imperatorem milites creant. Hoc comperto, Constantinus Constantis filius Siciliam intravit, Mitiumque cum interfectoribus patris occidit, ac compositis rebus in Hesperia, ad urbem regiam rediit.

12. Anno ab incarnatione Domini 670. Constantinus Constantis filius cum duobus *Ekkeh* fratribus Heraclio et Tyberio 59. ab Augusto imperium sortitur, regnantibus in Francia Dagoberti filiis. Huius diebus missis ab Agathone papa legatis[b], sexta synodus 150 vel iuxta alios 289 episcoporum, praesidente Georgio eiusdem urbis patriarcha et Machario Antiocheno, qui iuxta Sergium, Cyrum, Pirrum et alios[c] antecessores suos unam voluntatem et unam operationem asserebant esse in Christo, sub praesentia principis congregatur. Revocatoque per apostolicae sedis legatos ad catholicam fidem Georgio, Macharius cum sequacibus suis anathematizatur, ac Theophanus[d] abbas de Sicilia in locum eius subrogatur. In eadem synodo dampnata haeresi, tantae aranearum telae in conspectu omnium ceciderunt, ut in hoc facto omnes errorum sordes expulsas[e] cuncti animadverterent. His diebus beato Arnulfo, qui maior domus fuerat[f], seculo abrenuncianti, postmodum in ecclesia Metensi pontifice facto, Ansgisus filius suus principatum maioris domus tenuit. Beatus Lampertus[g] Traiectensem, quae post Leodium translata est, gubernavit ecclesiam. Constantinus 17. imperii sui anno diem ultimum clausit.

13.[h] Anno ab incarnatione Domini 687. Iustinianus Constantini filius 60.[i] ab Augusto *Ekkeh* imperavit. Hic cum Sarracenis pacem fecit, ac Affricam ab eis liberatam Romano imperio subiecit. Hic etiam Sergium papam, qui haereticae synodo suae in urbe regia celebratae subscribere noluit, misso Zacharia protospatario, captivum ad se duci praecepit, sed milicia Ravennatensium erepto de manu eius pontifice, Zachariam Urbe expulit. Eo tempore *Chr Wirz.* sanctus Kilianus cum sociis suis[k] martyrio coronatur. Sanctus Remaclus Traiectensium *Ekkeh.* episcopus beato fine quievit[l]**. Pippinus[m] filius Ansgisi[n] maior domus effectus, regnum Francorum administravit, cuius anni in catalogo[o] regum deinceps annotantur; reges enim ex hinc omnibus regni negociis et honore nudati, solo nomine regnabant, maiores vero domus curam regni habebant. Iustinianus a Leontio patricio, quem ipse per triennium in vinculis tenuerat, 10. imperii sui anno, praeciso primum naso, in exilium truditur, et Leo, qui et Leontius, per tres annos imperium occupavit. Quibus expletis, Tyberius, qui et Absmarus, absciso[p] naso Leontii, eum in monasterium trusit, regnumque usurpatum 7 annis tenuit. His diebus sub beato Sergio papa 7. synodus Aquileiae congregatur.

14. Anno ab incarnatione Domini 697.[q] Iustinianus, qui a Leone pulsus fuerat, adiu- *Ekkeh.* torio Trebellii[r] Bulgarorum[s] regis, regia urbe capta, imperium recepit ac postmodum per sex annos tenuit. Hic Tyberium et Leontium captos ac in catenis positos per plateas trahi, et post universo populo acclamante: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et con- Psal. 90, 13. culcabis leonem et draconem*, pedibus colla eorum calcans, ad ultimum decollavit. Eos vero, qui factionis erga eum perpetratae rei fuerant, diversis poenis cruciari fecit, ac pene quocienscunque[t] de mutilatis naribus guttam reumatis detersit, aliquem illorum necari praecepit. Gallicinum patriarcham erutis oculis Romam in exilium misit, ac Cyrum abbatem Ponti, qui ei exuli necessaria ministraverat, in locum eius substituit, Tyberiumque filium

* *Addit manus saec. XII. in margine 4:* Apud Yspanias defuncto Sesibuto Gothorum rege clementissimo, Sentila successit in regnum, sed mox a Sisenando deicitur. Sintilano defuncto succedit in regno filius eius Tolga subtenera etate, quem quidam ex primatibus Chintasindus cum plurimis Gothorum degradavit et tonsuratum clericum fecit, et ipse regno potitus nobiliores Gothorum suspectos interfecit et omnino perdomuit ceteros. Post hunc Richinsindus filius eius regnavit.

** *Man. saec. XIII. adduntur in margine 5:* Anno nono Iustiniani defectio solis est effecta hora diei tercia ita ut quedam stelle clare parerent. — S. Remaclus Traiectensium episcopus beato fine quievit. — Hisdem temporibus orientalis Francia convertitur per Kilianum.

a) Syciliam 1. b) Constantinopolim *add. editt.* c) alios *deest* 1. d) Theophilus 1. 4; Theophanus 2. 5. e) expulsos 1. 2. f) fuerat *deest* 1. g) Praeiectus 1; Lambertus 2; Lanbertus 5. h) *totum caput deest* 2*. 2* A 1. 2. 3. 2* B 1. i) LXIus 1. 2; *ita primo et 4, sed post numerus* I *erasus est.* k) suis *deest* 1. l) Sanctus — quievit *in 5 in margine addita.* m) Pipinus 4. n) Ansgisi filius 1. o) cathalogo 1; katal. 2. 4. p) abciso 1. q) DCLXXXVII 1. 2. 4. r) Trebellis 1. 4. 7; *ita et 2 habuerat, sed post erasae sunt litterae* tr *et* 1; Terbellis 5. s) Buljarum 1; Bulgarium 2; Bulgarum 4. 5. t) quociescunque 2.

Ekkeh. suum regni consortem fecit. Constantino etiam papa[a] accersito ac honorifice suscepto, culpas suas humiliter confitetur, ac postmodum omnibus sanctae Romanae ecclesiae privilegiis renovatis, eum cum honore remisit. Porro collecto milite, Philippicum quem in Ponto relegaverat, comprehendere voluit. Qui ab exercitu imperator creatus, sexto ab urbe regia miliario pugna commissa, Iustinianum occidit, filiumque eius fideles Philippici necaverunt.

15. Anno[b] ab incarnatione Domini 713. Philippicus remotis a catalogo regum Leontio et Tyberio, qui vivente Iustiniano regnum invaserant, 63. ab Augusto regnavit, in Francia solo nomine regnante Dagoberto iuniore, Pippino vero maiore domus omnem regni honorem habente. Hic[c] amore cuiusdam monachi inclusi et haeretici, qui eum imperaturum[d] praedixerat, synodum pseudoepiscoporum convocat, ac sanctam et universalem 6. synodum reprobat. Cyro quoque deposito ac in monasterium truso, Iohannem, erroris sui socium, patriarcham in urbe regia ordinat. Misit quoque Constantino papae de fide sua litteras, quas ille respuit. Praeterea populus Romanus statuit, ne eius cartae vel figurae reciperentur, vel nomen, utpote haeretici, inter missarum solempnia recitaretur. Hic dum sabbato sancto pentecostes egressus a balneo circa meridiem in lecto cubaret, a Rufino[e] ac Theodoro patricio, per auream portam ingressis[f], comprehensus, post annum et 6 menses, ex quo regnaverat, excaecatur[g].

16. Anno ab incarnatione Domini 714. Artemius[h], qui mutato nomine dictus est Anastasius, in die sancto pentecostes, 64. ab Augusto imperator creatur. Hic iuxta quosdam tribus annis regnavit; alii vero scribunt, eum uno anno et mensibus tribus, Philippicum vero duobus annis ac 9 mensibus regnasse. Quam controversiam scriptores viderint. Anastasius ergo regnum adeptus, missis Romam litteris catholicae fidei defensorem ac sexti concilii assertorem se pronunciavit. Huius diebus Dagobertus[i] moritur rex Francorum; Pippino quoque maiore domus mortuo, Karolus filius eius regnum Francorum per 27 annos, regibus adhuc sed sine honore ac utilitate manentibus, administravit. Hic Paul D. VI, 42. Magni Karoli avus, Regenfridum[k] regnum invadere volentem multis ac gravibus bellis pressit, ac ad ultimum relicta sibi tantum ad habitandum Andegavensium civitate, regno cohercuit. Is etiam victis Baioariis, Alemaniam[l] quoque, quam Sueviam dicunt, cum Ekkeh. Lantfrido[m] duce eorum subiugavit. Gaschoniam cum Eudone Aquitaniorum duce devicit. Etiam[n] in[o] Saxonia ac Fresia fortia bella gessit. Sarracenorum, qui cum uxoribus ac filiis[p] P. D. VI, 46 Aquitaniae fines ingressi fuerant, 385 milia fudit, ex Francis tantum mille quingentis, Eudone[q] Aquitaniae duce in epistola quam beato Gregorio papae secundo scripsit[r] teste, amissis. Hic rursum 20. regni[p] sui anno Gaschoniam ingressus, Eudonem occidit, ac sequenti anno contra filios eius bellum instauravit. Sarracenos[s] denuo Gallias intrare ib. VI, 54. volentes[t], iuxta Narbonam delevit. Qui dum iterum provinciam capta[u] Arelato[v] vastant, ib. c. 53. a Liuprando Longobardorum rege, qui filium eius Pippinum tonsa caesarie adoptaverat in filium, petito[w] et accepto auxilio, de finibus eius fugere coguntur. Igitur dum regnum Francorum multis modis sub bellicosissimo principe Karolo[x] augmentaretur, regnum Romanorum, quod ad urbem regiam translatum fuerat, non solum ab hostibus amissis provinciis imminuebatur, sed et intestinis malis intra se collidebatur. Etenim circa principia principatus Karoli[y], coniuratione facta, milites adversus Anastasium Theodosium creant Ekkeh. imperatorem[z] invitum. Quo comperto, Anastasius in Nicaeam se contulit; quem Theodosius conserto praelio vicit, ac clericum factum postmodum et[*] in presbyterum ordinari fecit.

17. Anno ab incarnatione Domini 717. Theodosius 65. ab Augusto imperium sortitus, uno tantum anno imperavit. Leo enim Orientalium praetor, civile bellum parans, filium eius Theodosium in Nicomedia comprehendit. Ob ea fractus animo Theodosius, consilio Germani patriarchae ac senatus sponte purpura deposita, clericus efficitur. His diebus Tyberis inundans multa aedificia Romae subruit, duransque 7 dies, civibus letanias agentibus, octavo demum die cessavit.

a) Pape 1. b) Anno — excaecatur *desunt* 1. 2. 4. 2*. 2* A 1. 2. 3; 2* B 1; *exstant* 5. 7. 13. c) Philipicus *superscript. manu saec. XV.* 7. d) *ita* 5. 7. e) ruphino 5. 7. f) *ita* 5. 7; egressus *editt.* g) cecatur 7. h) *ita* 2. 4. 5. 7; Arthemius 1. i) iunior *superscr.* 4 *man. saec. XIII.* k) Reginfridum 5 *et edd.* l) Alimanniam 1. m) Lantifrido 7. n) etiam *deest* 5. 7 *et edd.* o) in *deest* 2. p) liberis .... imperii *editt.* q) Eudonie 2. r) scribit 1. s) Sarrachenos 1. t) volente 1. u) captam 4. v) relato 2. 4. w) polito 1. x) rege 1 *omisso verbo* Karolo. y) Karuli 1. 4. z) imp. creant 1. *) etiam 5; *deest edd.*

18. Anno ab incarnatione Domini 718. Leo natione Syrus 66. ab Augusto imperavit, manente adhuc in Francia Karolo seniore. Hic imagines Domini ac sanctorum incendi et multos impietati suae resistentes decollari iussit. Inter[a] caeteros passa fuit virgo Christi Theodosia, cuius usque hodie maxima manet in urbe regia veneratio[b]. In ecclesia enim sanctimonialium integro corpore humata servatur, omnibusque[c] advenientibus tanquam coelestis medica inter manus virginum deportata adhibetur, ac tanquam pro bono omine quoscunque conculando gravem se praebuerit, habetur. Quod et[d] nuper dum Hierosolimitana expeditio sub Conrado[e] Romanorum, Ludewico[f] Francorum regibus[g] ageretur, nos cum multis aliis experti fuimus[h]. Leo Germanum etiam patriarcham sede sua pellens, Anastasium in locum eius substituit. Qua de causa Gregorius papa commonito saepe per litteras imperatore ac incorrigibili invento, Italiam ab eius imperio recedere persuasit. Per idem tempus ab eodem pontifice Bonifacius in Germaniam missus, beatus quoque Pirminius, qui multorum monasteriorum auctor[i] extitit, clari habebantur. Reliquiae sancti Augustini a Sardinia[k] in Tycinum[l] a Liuprando deportantur. Beda etiam venerabilis Anglorum presbyter[m], multa scripturarum suarum monimenta relinquens, in pace quievit. His diebus Sarraceni urbem regiam per triennium obsidione cinxerunt, tandemque clamantibus ad Dominum civibus, fame, frigore ac pestilentia correpti discesserunt. In urbe quoque 300 milia pestilentia perisse referuntur[n]. Verum Leo imperator impius 24. imperii sui anno moritur.

Ekkeh. Vit. S. Theod. Ekkeh. P. D. VI, 48. Ekkeh. P. D. VI, 47.

19. Anno ab incarnatione Domini 742. Constantinus Leonis filius 67. ab Augusto patri in regnum successit. Hic per omnia patrem malicia[o] supergressus maleficiis, ac cruentis sacrificiis et invocationibus daemonum, luxuriae quoque ac immunditiae[p] inserviens, ecclesiamque Dei more antiquorum tyrannorum persequens, tam crudelis ac impius fuit, ut iusto iudicio Dei[q] tam ob eius quam ob patris scelera[r] regnum illud nobilissimum inminutum videatur. Anno imperii eius primo Karolus Pippini filius moriens, tres filios Karlomannum, Pippinum et Griphonem reliquit. Horum Gripho, qui minor natu erat, consilio uxoris suae Suanihildae, Odilonis[s] Baioariorum ducis consanguineae, occupata Lauduno, fratribus bellum indicit. Qui collecto milite, Laudunum obsidione cingunt, fratremque in deditionem acceptum in castello iuxta Alvernam custodiae manciparunt.

Ekkeh.

20. Anno ab incarnatione Domini 743. Pippinus et Karlomannus[t] primo in Aquitania contra Hunaldum eiusdem provinciae ducem procinctum movent, captoque castello, quod Lucas dicitur, in loco qui vetus Pictavis vocatur, regnum dividunt, Karlomanno Austriam, Alemaniam[u], Turingiam[v], Pippino vero Burgundiam, Neustriam[w], Provinciam sortito. Deinde multis praeliis commissis, anno ab incarnatione Domini 746, cum iam Fuldense monasterium fundari coeperat, Karlomannus aperit fratri[x], se seculo abrenunciare[y] velle. Quod sequenti anno ad effectum perducens et ad Zachariam Romanum pontificem veniens, ab eo clericus factus, primo in monasterio sancti Silvestri, quod in monte Sorapte situm est, monachicum habitum assumpsit. Sed cum multis ex Francia ad se venientibus optata quiete perfrui non posset, ad monasterium sancti Benedicti in monte Cassino positum, se contulit, ibique reliquo vitae suae[z] tempore feliciter conversatus fuit. Verum Gripho fratri rebellans, Baioariam, eiecto inde Tassilone duce, occupat. At Pippinus Tassilonem in ducatum restituit, fratrique 12 comitatus concessit; quibus ille non contentus, ad Waifarium Aquitaniae ducem fugit.

Ekkeh.

21. Anno ab incarnatione Domini 751, cum, ut saepe iam dixi, regibus Francorum solo nomine regnantibus, maiores domus omnem regni curam administrarent, Pippinus qui hanc dignitatem per successionem[*] acceperat, Burchardum Herbipolensem episcopum et Folradum capellanum suum ad Zachariam sciscitandi gratia misit. Pontifex ergo, melius esse, ut ille qui curam omnium haberet, rex diceretur, quam qui solum nomen regis gereret, remandavit. Eo tempore Hildericus ex antiquorum Francorum regum, qui a Meroveo Clodii filio Merovingi[a] dicebantur, sanguine descenderat, inane, ut supra dixi, regium nomen tenebat.

Ekkeh.

a) Inter — Leo *desunt* 13. b) memoria et veneratio *editt.* c) omnibus 5. d) et *deest* 1. e) Kůnrado 1; Chůnrado 4. 7. f) *ita* 1; Lodewico 2. 5. 7; Lůdewico 4. g) rege Francorum 1. h) sumus 1. i) *ita* 1. 2. 5; pater 4 *et editt.* k) a Sardinia *desunt* 1. l) Ticin. 7. m) presbyter Angl. 1. n) feruntur *editt.* o) malitia 1. p) inmundiciae 1. q) Dei iudicio 7. r) maliciam *editt.* s) Ŏdilonis 2. 4; Odilonis 5. 7. t) Carlomannus 4. u) Alimanniam 1. 2. v) Toringiam 1. w) Neustiam 2. 4. x) suo *add. editt.* y) abrenuntiare 1. z) suae vitae 1. *) successorem *editt.* a) *ita* 4. 5. 7; Meroiungi 1; Merouingii 2.

Ekkeh. 22.[a] Igitur anno ab incarnatione Domini 752.[b], reversis a Roma nunciis, auctoritate Zachariae papae Pippinus a beato Bonifacio Moguntino[c] archiepiscopo, aliisque regni principibus in Suessona civitate ad regnum eligitur. Anno sequenti Zacharia defuncto, Stephanus papa successit. Is cum multa ab Aistulfo[d] Longobardorum rege pateretur, Pippino[e] ab expeditione Saxonum revertenti, ubi et nuncium de morte fratris sui Griphonis habuit, in villa quae Carisius dicitur occurrit, eumque ut sanctae Romanae ecclesiae succurreret, rogavit.

Ekkeh. 23. Anno ab incarnatione Domini 754. Pippinus a Stephano papa primo a fidelitatis sacramento, quam Hilderico promiserat, cum aliis regni Francorum primoribus absolvitur, ac detonso Hilderico et[f] in monasterium truso, postmodum in regem ungitur. Hic Merovingorum regno finito, Karolingorum, per quod etiam Constantinopolitanum minuendum erat, coepit. Ex hoc Romani pontifices regna mutandi auctoritatem trahunt. Pippinus igitur re prius, ex hinc nomine simul ac re, regnum Francorum gubernavit. Huius diebus floruerunt clarissimi regni Christi[g] principes, Bonifacius praedictus Moguntinus archiepiscopus, Růbertus[h, 95] Iuvaviensium[i] praesul, Corbinianus[96] Frisingensis ecclesiae antistes, et alii quam plures.

Aribo Vita Corb. cf. Meichelb. h Fr. I, 343. 24. Sed quia beati[k] Corbiniani mentionem fecimus, cuius locum indigni tenemus, tanti viri gesta omnino silentio praeterire inconveniens arbitramur. Hic Waldegiso patre ac matre Corbiniana, claris ad seculum parentibus, generatus, in ipsa etiam puericia divinam gratiam, quam postmodum plene accepturus erat, praelibavit. Etenim mundi non detentus illecebris, de cuncta parentum substantia solo victu et vestitu contentus, in cellula quam sibi construxerat, habitavit. Vindemiarum autem tempore, dum quidam vini primicias ei obtulisset, musti fervescentis[l] impetus spinam vasis excussit[m]. Sed vir Dei regulare silentium nolens violare, famulis quidem hoc[n] indicare distulit, orationibus tamen vinum, ne inutiliter efflueret[o], cohibuit. Cum vero fide et virtute qui altius proveheretur dignus esset, a beato Gregorio urbis Romae episcopo praesul ordinatus, ad gentes destinatur. Igitur per vallem Tridentinam rediens, ac Baioariam[p] ingressus, a Tassilone[q] duce eiusque filio Theodone[97] benigne susceptus, montem Frisingum[r] accepit, ubi primo ecclesiam, quae usque hodie cernitur, in honore beati Benedicti construxit, ac monachorum ibi sacrum conventum adunavit. Est autem ibi[s] mons idem in pulcherrimo et amoenissimo loco positus, limpidissimarum aquarum ac praecipue Ysarae[t] rapidissimi fluvii cursu conspicuus, totam illius regionis faciem et ex australi plaga latissimam campi planitiem tamquam e specula longe lateque contemplans. Hic illis diebus silvis circumseptus quasi venatorum specula fuisse traditur. Manent adhuc silvarum in plano inter harundineta vestigia, antiqui scilicet trunci, cervorum quoque usque hodie ac capreolorum multitudo copiosa. Ex septentrionali vero parte[u] adhuc silva non mediocris, quae forestus vulgo dicitur, aedibus ac igni[v] plurimum civitati utilis, superstes cernitur. Contigua quoque monti terra ex austro Ysara, ex aquilone Ambra fluviis[w] inclusa, in sinum quendam fertilissimum ad quatuor Teutonica miliaria protenditur. In fine cuius, ubi praedicti amnes confluunt, locus, qui Moseburga[x] dicitur, pulcher valde et delectabilis, in beati Castuli ecclesia congregationem clericorum habens, positus[y] cognoscitur. Beatus ergo Corbinianus Frisingensem ecclesiam plurimis honoribus ac possessionibus locupletavit, ac sanctissimae vitae documentis informavit. Fertur de eo, quod quadam vice, dum pro ecclesiae necessitate Romam pergeret, ursus sagmarium suum occiderit[z], cui vir Dei capto sagmam imposuit, et ut eam deferret praecepit, ac verbum Dei

a) *hoc caput in 2 et 4 praecedenti subiungitur; at in capitulorum indice, qui utrunque antecedit, numerus et inscriptio capitis reperiuntur.* b) DCCLI. 4. c) Moguntio 2; Mogont. 7. d) Aistolfo 2. 4. 5. 7. e) Pipino 5. f) *deest* 1. g) *deest* 2. h) *ita* 1. 2; Ruodbertus 4; Robertus 5. 13. 13*; Rådibertus 7; Virgilius *editt., quod etiam 4 manu saec. XIII. superscriptum invenitur.* i) seu Salzeburgensis *add.* 13*. k) sancti 1; *deest* 5. l) ferventis 1. m) excussis 2. n) hoc quidem 1. o) flueret 1. p) boariam 2. q) Tessalone 4. r) *ita* 1; Frising 2. 4. 5; Frisingensis 7. s) *erasum in* 5; *deest* 7. t) Ysarae 1; Isarae 2; Ysare 4; Ysarę 5. u) plaga *editt.* v) ligni 2, *cui eadem manus superscripsit* igni. w) fluvius 5. x) *ita* 2. 5. 7; Moseburda 1; Moseburch 4. y) *deest* 1. z) faremarium eius ursus occiderit 4; saginarium suum o. *editt.*

95) Rupertus Salisburgensis archiepiscopus minime tempore Pippini regis florebat, cum iam inter annos 705. et 710. obierit. Hunc errorem iam monachi Admuntenses saec. XIII. viderunt et nomini *Ruodbertus* superscripserunt *Virgilius*, quae lectio etiam a codice Scotorum et exinde ab omnibus editionibus exhibebatur. 96) Similis error; S. Corbinianus vixit tempore Pippini Heristallensis. 97) Tempora confundit Noster; vide Meichelb. Chron. Bened. I. p. 10.

omni gladio penetrabilius[a] effectum, indomitam bestiam mandatis viri Dei obtemperare coegit. Eodem itinere sociis suis[b] in loco deserto fame laborantibus aquila subito piscem detulit, cuius esu cuncti qui aderant cum stupore et admiratione refecti et exhilarati sunt. Alio tempore ad regem Pippinum[c] iter faciens, latronem suspendio adiudicatum, dum precibus a iudice liberare non valeret, signo crucis munivit, profectusque ad regem reum illum iam suspensum, sive mortuum sive vivum, sibi donari postulat et impetrat[d]; celeriterque remeans[e] illum biduanum[f] in patibulo vivum repertum, illaesum deposuit, et correctum abire permisit. His aliisque, quae longum est exequi, virtutibus virtutumque miraculis iste vir Dei praefatam ecclesiam primus irradiavit antistes.

25. Anno ab incarnatione Domini 755. Pippinus rex rogatu Stephani papae contra Aistulfum Longobardorum regem procinctum movens, Italiam ingredi disponit. Cui dum Longobardi in artis locis montium[g] obsisterent, caesis multis, magno labore claustra penetrans, in plano resedit. Porro Aistulfus Papiam se contulit, quam Pippinus tamdiu circumdedit[h], donec receptis 40 obsidibus ac iureiurando interposito, ne amplius Romanam ecclesiam infestarent, obsidionem solveret[i], Stephanoque pontifice cum milicia Francorum honorifice ad sedem propriam remisso, ipse ad propria remearet[i]. Hoc anno beatus Bonifacius archiepiscopus, qui, ut aiunt, terminos[k] episcopatuum Baioariae, sicut hodie manent, distinxit, Fuldenseque[l] coenobium fundaverat, ac multa ecclesiae Dei profutura opera tam in Gallia quam in Germania patraverat, verbum vitae praedicans, a Fresonibus martirio coronatur. Anno sequenti cum Aistulfus ea quae laudaverat, irrita faceret, Pippinus[m] eum denuo Papiae obsessum promissa implere compulit. Insuper etiam Ravennam cum aliis plurimis Italiae urbibus beato Petro designavit, ipseque reversus est in Gallias. Ekkeh. Vita S. Bonif. cf. Ekkeh. Ekkeh.

Anno dehinc proximo, cum iam, ut saepe dixi, Francorum regno crescente Romanum decresceret, Constantini augusti nuncii Pippino munera deferentes ad eum apud Compendium veniunt. Tassilo quoque Baioariorum dux illo cum maioribus suae gentis veniens, regi filiisque suis fidelitatem sacramento promisit. Sequenti anno rex gravi ac laborioso bello Saxones devicit, eosque tributarios fecit. Non multo post elapso tempore contra Waifarium Aquitaniae ducem, eo quod ecclesias sui iuris infestaret, militem instaurat, acceptisque ab eo obsidibus revertitur. His diebus beatus Othmarus in insulam Reni Stein[n] relegatus, migravit ad Dominum. Pippinus Waifarium[o] adhuc rebellantem multis ac gravibus bellis pressit. Tassilo etiam Baioariorum dux[p] postposita fide avunculo suo Pippino rebellare attemptat. Difficilia et periculosa haec tempora, duobus fortissimis Aquitaniae ac Baioariae ducibus regi rebellantibus, fuere. Ea tempestate Turci a Caspiis portis egressi, cum Avaribus multis utrobique profligatis conflixere. Igitur Pippinus multis ac variis bellis patratis, ad ultimum Waifarium[q] interfecit, ac non multo post in reditu Turonis infirmatus et inde Parrisius[r] deportatus, anno ex quo in regem unctus est 14., ex quo vero principari post mortem patris coeperat 26. diem obiit, duos relinquens filios, Karolum et Karlomannum.

26. Anno ab incarnatione Domini 769, imperante adhuc Constantino, Karolus diviso cum fratre regno, regnare coepit. Hic primo Hunaldum, qui occiso Waifario bellum in Aquitania renovabat, ad Lupum[s] Gaschonum ducem[t] fugavit. Post quem tam ipsum quam Lupum in deditionem accepit, et sequenti anno in Warmacia[u] generalem curiam celebrans, orationis causa limina apostolorum visitare disponit. Tertio[v] regni sui anno, Karolomanno fratre[w] suo mortuo uxoreque illius cum filiis ad Desiderium Longobardorum regem fugiente, Karolus solus regnans Saxoniam cum exercitu ingreditur, omnibusque ferro ac igne vastatis, acceptis obsidibus revertitur. Dehinc rogatu Adriani papae Italiam ingreditur, et Desiderium Longobardorum regem Tycini[x] obsidione inclusit, ibique dimisso exercitu, Romam orationis gratia[y] pergit. Inde reversus, urbem fatigatam ad deditionem compulit, regemque captivum abduxit. Inter haec[z] Saxones absentia regis elati, fide posthabita, contigua terrae suae loca[*] populantur. Porro rex subacta Italia, reversus in[a] Ekkeh.

a) penetrabilis *corr.* penetrabile 1; *totum hunc locum omisit* 4. b) eius 4. c) Pipinum 4. d) inpetrat 1. 2. e) reversus *edit.* f) triduanum *edit.* g) montium *deest* 1. 2. 4. h) circumd. 1. i) solveret — remearet *corr.* 1 solvit — remeavit. k) terminos *deest* 1. l) Fultenseque 1. m) Pipinus 4 *fere semper.* n) *ita* 1. 5; rheni stein 2; rheni Stein 4. 7. o) Waifariorum 1; Waipharium 4. p) dux Baio. 1. q) Waipharium 4. r) Parisius 7. s) Lŏpum 2. 4, *uterque vero codex in sequenti linea* Lupum *scribit.* t) ducem *deest* 1. u) *ita* 1. 2. 4. 7; Wormalia 5. 13. v) Tercio 1. 2. w) fratreque 1. x) Tytini 1. 2. y) causa 1. z) Interea 1. *) loca *deest* 1. a) in *deest* 2.

Ekkeh. Franciam, tripertito ordine militum Saxoniam ingreditur, incendiisque vastata terra, praedam inmensam diripuit, et non multo post regressus, denuo ab eis[a] obsides accepit. His diebus Constantinus persecutor 35. imperii sui anno mortuus est, eique filius suus Leo successit.

Ekkeh. 27. Anno ab incarnatione Domini 776. Leo 66. ab Augusto imperium accepit. Hic primo est visus mitior[b], unde et principes filium eius imperatorem postulant. Per idem tempus Saxones more suo non semel, sed saepe pactum mentientes, Karolus diversis praeliis pressit, ac plurimis ex eis fidem christianam accipere persuasit. Porro Leo imperator 5. imperii sui anno moritur

Ekkeh. 28. Anno ab incarnatione Domini 781. Constantinus filius Leonis 67. ab Augusto patri in regnum successit. Huic filia Karoli desponsata a matre sua alii copulatur. Anno imperii eius primo Karolus rex Romam veniens, ab Adriano papa honorifice suscipitur, ibique sancto pascha celebrato, Pippinus filius eius in regem Italiae, et alius, Ludewicus[c] scilicet, in regem Aquitaniae ab eodem pontifice unguntur, ipse vero, acclamante[d] populo universo, patricius Romanorum appellatur. Misit etiam Adrianus papa nuncios ad Tassilonem, qui eum de fidelitate regis monerent.

Ekkeh. 29. Circa idem tempus rege pascha[e] Domini[f] celebrante Inglinheim, Tassilo cum maioribus gentis suae venit; ubi dum accusatus a Baioariis, quod fidem regni non servasset[g], quin imo Avares[h] ad vastandum regnum induxisset, cum de his et aliis huiusmodi convictus fuisset, maiestatis reus ac capitali sententia plectendus iudicatur. Rex tamen misericordia motus, in monasterio Laureacensi[i], quod ipse construxerat, eum monachicum habitum assumere ac de peccatis suis poenitentiam agere permisit. Constantinus vero consilio matris suae Hyrene, ut aiunt, caecatus, non multo post, 14. imperii sui anno, diem obiit, regnavitque post eum mater sua 5 annis, digna cuius diebus orbis imperium, quod in manus foeminae non digne devenerat, ad Francos transferretur.

Ekkeh. 30. Anno ab incarnatione Domini 799.[k] Leo papa, qui Adriano successerat, in letania maiore[l] a Romanis flagiciosissime, ita ut oculi eius[m] eruti viderentur, tractatur, qui ad regem Karolum veniens eventum rerum deplorat. Igitur Karolus victoriosissimus, qui iam subiugatis sibi Baioariis, Aquitanis[n], Saxonibus, Danis, Nortmannis[o], Britannis[p], Pannoniis multisque aliis provinciis regnum Francorum plurimum dilataverat, dignus qui altius proveheretur, papam ulturus ad Urbem tendebat. Cui pridie quam Urbem intraret, Leo ad duodecimum lapidem occurrit, eumque honorifice suscepit. Mane facto Urbem ingressus, a pontifice ac cuncto populo susceptus, in ecclesiam beati Petri inducitur. Post septem diebus transactis rex contione facta, causam adventus sui exponit. Leo quoque, cui aemuli sui magnum crimen imposuerant, nemine cogente ex bona conscientia de obiecto crimine coram omnibus supra sacrosancta[q] euangelia se purgavit

Ekkeh. 31. Anno ab incarnatione Domini 801, ab Urbe vero condita 1552, Karolus 33. regni sui anno a summo pontifice, ablato patricii nomine, coronatus, omni populo ter[r] acclamante: *Karolo augusto, a Deo coronato, magno et pacifico Romanorum imperatori, vita et victoria*, 69. ab Augusto imperator et augustus vocatur. Ex hinc regnum Romanorum, quod a Constantino usque ad id temporis in urbe regia, scilicet Constantinopoli, fuit, ad Francos derivatum est. Augustus ergo convocatis civibus, habita ratione super his, qui in pontificem sacrilegii[s] rei fuerant, capitali sententia dampnatos, interventu praedicti papae ad poenitentiam conservatos tantum in exilium trusit. Porro Hyrene Constantinopolitana imperatrix, missis legatis ad Karolum, pacem inter Graecos et Francos[t] firmari rogavit. Cum quibus imperator missis nunciis, Hyrenem in uxorem postulavit. Quod dum illa annuisset, Aetius[u] patricius votum reginae impediens, manentibus adhuc in urbe regia legatis Karoli, Nicepharum[v] fratrem suum imperatorem fecit, eamque in monasterium trusit Nicepharus[w] ergo rex factus cum legatis imperatoris apocrisiarios[x] suos misit, foedusque litteris ac nunciis mutuo firmavere. Rex quoque Persarum muneribus imperatorem[y] honoravit.

a) obs. ab eis 1. b) hic est primo est visus mitior 1. c) Loduicus 1; Lodowicus 2; Lůdwicus 4; Lodewicus 5; Lodiwicus 7. d) adclamante 2. e) pasca 1. f) *deest* 1. g) *ita* 1. 2. 4. 7. 13; a Bai. q. fidem regis n. s. 5; a. Bai. fuisset quod regi non serv. fidem *editt.* h) id est Pannonios *add. editt.* i) Laureacensi *deest* 4; *addit vero man. saec. XV. in margine:* Lorsacum in vulgari Lors in dominio comitatus Palatini Reni et dyoecesi Moguntina. k) *ita* 5. 7 *et edd.;* DCCXXVIIII. 1; DCCLXXVIIII. 2; DCCCXXVIIII. 4. l) maiori 1. m) *deest* 1 2. 4. n) Aquitanes 1; Aquitaneis 2; Aquitanicis 4. 5. 7. o) Nortmanniis 1. p) Britanniis 1; Brittannis 5. 7. q) sacra 1. r) tunc *editt.* s) sacrilegi 2. t) et Francos *desunt* 1. u) Aecius 1; Etius 2. 4. 7. v) *ita* 2. 5. 7; Nycepharum 1; Nicepharium 4. w) Nycepharus 1. x) apocrisarios 1; *ita et* 7 *sed post corr.* apocrisia. y) regem 2.

32. Anno ab incarnatione Domini 812. Nicepharus[a] imperator[b], a Bulgaris publico[c] congressu necatur, eique in regno gener suus Michahel substituitur. Hic nuncios Karoli ad antecessorem suum missos honorifice dimisit, suosque cum eis ad augustum destinans, foedus pacemque cum eo renovavit. Is etiam dum contra Bulgaros[d] exercitum ducit, non prosperis usus successibus, revertitur, depositoque regno monachus efficitur, succedente sibi Leone, filio Bardi patricii. Igitur Karolus regno[e] Romanorum ad Francos translato, dum multa fortiter ac feliciter bella gereret, regnumque multipliciter dilataret, 46. regni[f] sui anno, subactae vero Italiae 43, imperii 14, in palatio Aquisgrani, ubi ipse ecclesiam miri operis in honore sanctae Mariae semper virginis construxerat, sedemque regni constituerat, 72. aetatis suae anno, diem obiit, ac in eadem ecclesia humatur. Caeterum actus eius et bella quae gessit, de ponte quoque quem ultra Rhenum fecerat Moguntiae, de palatiis[g] etiam quae Noviomagi, Inglinheim aliisque regni locis opere regio construxerat, qui scire vult, legat historiam[h] eius et gesta a multis descripta Erat autem, ut quidam de ipso ait, corpore amplo ac robusto, statura eminente, apice capitis rotundo, oculis praegrandibus ac vegetis, naso paululum[i] in mediocritatem excedenti, canicie pulchra[k], facie laeta et hilari[l], eloquentia copiosus et exuberans, in cibo et potu[m] temperans, sed in potu temperantior. Huius virtute regnum Francorum plurimum augmentatum est, omniumque regnorum maximum, Romanum scilicet, ab Oriente ad Occidentem translatum. Regni vero terminus[n] a Bulgaris seu Illirico[o] usque ad Hispanos[p], a Danis usque ad Calabros[q], exceptis adiacentibus regionibus, utpote Boemia, Polonia, Dalmatia, Histria, Venetia, Britannia aliisque provinciis, quae modo duo regna Romanorum et Francorum, excepta Pannonia, esse noscuntur, fuit.

Ekkeh. Einh.

33. Anno ab incarnatione Domini 815. Ludewicus[r] Karoli filius, quem ipse adhuc vivens successorem ordinaverat augustumque vocaverat, morte patris comperta, ab Aquitania ad palatium Aquis[s] veniens, consensu omnium rex creatus, 70. ab Augusto imperavit. Anno regni[t] eius primo delatione quorundam comperit, primates regni adversus Leonem papam conspirantes iussu pontificis interfectos fuisse. Ad quod perscrutandum vocatum ad se nepotem suum[u] Bernhardum Italiae regem Romam misit. Qui in Urbe infirmatus[v], rei eventum per Heroldum comitem augusto mandavit. Leo quoque missis ad imperatorem nunciis, de his quae imposita sibi fuerant, se expurgavit. Non multo post tempore Leone defuncto, Stephanus substituitur. Hic statim post consecrationem suam missis ad imperatorem nunciis, qui eius animum lenirent eumque ad se venturum praedicerent, iter eorum in Gallias subsequitur. Cui imperator Remis occurrens, eum honorifice suscepit. Papa ergo celebratis ex more missarum solempniis[w], diademate coronatum Romanorum imperatorem pronunciavit Ludewicum[x]. Hunc annum quo a Romano pontifice coronatus est, regni sui alii secundum, alii septimum dicunt. Imperator post haec generalem curiam Aquis celebrans, primogenitum suum Lotharium imperii socium legit, nam alios duos Karolum[x*] et Ludewicum[x] reges vocatos, unum Aquitaniae, alium Baioariae praefecerat. Non multo post Bernhardum Italiae regem cum[y] regni sui civitatibus adversum se coniurasse comperit. Contra quem dum procinctum movet, fractus animo Bernhardus, apud Cabillonem[z] imperatori se tradidit. Porro imperator ad palatium Aquis veniens ibique sanctum pascha[a] celebrans, habita de his qui coniurationis rei fuerant quaestione, iudicio curiae capitali sententia dampnatos una cum rege suo luminibus tantum orbari fecit. Non desunt tamen, qui dicant imperatorem Bernhardum dolo captum primo oculis ac post vita privasse.

Ekkeh.

34. Anno ab incarnatione Domini 822. imperator filium suum Lotharium in Italiam destinavit, ipse vero dum in oppido Franconfurt[b] curiam celebraret, inter caeteros barbarorum legatos duo fratres pro regno Wilzorum[c] contendentes veniunt, quos augustus sibi subiectos et fidelitate astrictos decisa lite ad propria remisit. Verum Lotharius ordinatis rebus in Italia, dum ad patrem redire parat, a Paschali[d] papa ad Urbem invitatur, ubi hono-

a) Nycepharus 1. b) imperator *deest* 1. c) pullico 1. d) Bulgarios 1. e) regnum 1. f) imperii 4. g) palatio 1; palaciis 2. 4. h) hystoriam 1. i) paulolum 1. k) pulcra 1. l) hylari 1. m) *ita* 4; et in potu 1. 7; sed in potu 2. n) termini eius 1. o) Illyrico 5. p) Hyspanos 5. 7. q) *ita* 5. 7; Galabras 1; Galabres 2; Calabres 4. r) Ludewicus 1. 2; Ludwicus 4. s) Aquisgrani *editt.* t) imperii 1. 4. u) nepotem suum *desunt* 1. v) informatus *editt.* w) solemniis1. x) Ludewicum 1; Luduwicum 2; Ludwicum 4; Ludiwicum 7. x*) Pippinum. y) eum 2. z) *ita* 5. 7. Gabilon. 1. 2. 4. a) Pasca 1. b) uranchenwrt 4; fra͞nconfurt 5. 7. c) Wilihorum 4. d) Pascali 1.

rifice susceptus, ac in die sancto paschae[a] ab ipso coronatus, imperatoris et augusti nomen sortitur. Hisdem diebus imperatore Aquisgrani[b] conventum celebrante, nuncii Bulgarorum pro constituendis terminis venerunt. Igitur Ludewicus[c] imperator propter mala opera uxoris suae[d], regno, ut dicitur, pulsus ac postmodum restitutus, 26. imperii sui anno diem obiit extremum.

[Ekkeh. Regino] 35. Anno ab incarnatione Domini 841, dum Lotharius reversus ab Italia regnare intentat, mortuo patre, fratres eius Karolus et Ludewicus graviter ferentes, si regno paterno privari deberent, fratri bellum indicunt. Igitur cum[e] regnum Francorum, ad quod post innumeras, quas supra dixi, mutationes regnum Romanorum devenerat, cum et ipsum ad ostendendas mortalium miserias ac instabiles mundi rotatus[f] auctor omnium Deus in illo ad quem profecerat statu manere nollet, in se ipsum miserabiliter dividi ac per hoc desolari et imminui[g] permisit. Proinde contractis undecunque regni viribus, fratres praedicti apud Fontoniacum conveniunt, acerrimeque pugnantes, ita in[h] hoc bello ex utraque parte regni vires imminutae feruntur, ut ex hinc fortissimi omnium Franci non solum terminos non dilatare sed et parta[i] vix conservare potuissent. Lacrimabili ergo pugna inter fratres acta, cruenta tandem victoria Karolo et Ludewico cessit, ac ob hoc[k] conventione facta, dividunt imperium. Hac divisione Karolo occidentalia regna, id est a Britannico[l] mari usque ad Mosam, Ludewico[m] orientalia, id est omnis Germania usque ad Rhenum, cesserunt. Lothario vero media pars, id est Belgica Gallia, quae ex eius nomine Lotharingia usque hodie vocatur, cum Romano imperio sorte devenit. Ex hinc diviso regno, regna modo duo[n], orientale ac occidentale, quorum alterum partem Ludewici[o] ac Lotharii sedemque regni Francorum, palatium Aquis[p] ac imperium urbis Romae habet, aliud vero occidentale, quod adhuc Francorum, eo quod istud Romanorum vocatur, appellatum partem Karoli tenet, inveniuntur.

36. Considerare Dei iudicia mundique volubilitatem etiam nolentes compellimur. Ecce enim, ut supra dixi, in modum coeli, quod ab oriente in[q] occidentem vertitur, simul cum tempore res mundanas rerumque potestates volvi cernimus. Et ne putaremus mortales res in aliqua mundi parte[r] statum invenisse, ibi etiam defectum eas pati ac more [Iob 17, 12.] febricitantis, sicut in Iob habes: *Noctem verterunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem*, quocunque se verterint, nichil stabilitatis habentes, dolores ac labores repperisse conspicimus. Nonne videtur tibi more, ut dixi, febricitantis, mundialis dignitas volvi ac revolvi? Febricitantes enim spem quietis in alteratione situs ponunt, ideoque crebris revolutionibus quando torquentur, se iactant huc et illuc. Ita nimirum potestas temporalis a Babylone[s] devoluta ad Medos, inde ad Persas, post ad Graecos, ad ultimum ad Romanos, et sub Romano nomine ad Francos translata est. Ubi dum, tanquam firmam sedem fixisset, mansura videretur, tot malis, ut in superioribus[t] paret, subiacere cepit, ut merito cum Iob dicere possit: *Cum ad diem venero, nocturnis cruciatibus fatigatus noctem praestolor, quam dum tenuero, maioribus doloribus affectus rursum diem venire exopto.* Denique armis experientissimi Franci, cum regni terminos plurimum dilatassent mundique caput Romam ad[u] suam ditionem transfudissent, cum iam omnibus gentibus horribiles facti essent et inexpugnabiles viderentur, in se ipsos non solum civiliter sed et intestine, fratribus auctoribus, divisi, regnum quod ab Oriente in Occidentem tanquam fugiens statum et requiem invenisse putabatur, desolandum fore iuxta euangelium, praesagebant[v]. Ex his ergo liquet, nullam caducis rebus fidem habendam, nec in se labentem alium quemlibet sibi inniti volentem [Ierem 17, 5.] sustentare posse. Unde apte propheta ait: *Maledictus qui spem suam ponit in homine, et qui ponit carnem brachium suum.* Quomodo enim te sustentabit, qui stare non potest? Vel qualiter te confirmabit, qui in se infirmus est? Cum ergo mundus transeat et concupiscentia eius, ab ipsa migrandum ad Deum vivum, qui est inmobilis et incommutabilis manet, ad eiusque beatam et aeternam civitatem quis[w] dubitaverit? Igitur omnibus regnis mundi inminutis, cum et Francorum, qui ultimi Romam habere meruerunt, ex quo divisum est, minoratum apparet regnum, nos qui ad ostendendas mutationes rerum res gestas

a) pasce 1 *constanter*. b) *ita* 4; Aqũis 1. 2. c) Ludewicus 1; Luduwicus 2; Luduuicus 4; Lodewicus 5. 7. d) Iudith *add. editt.* e) dum 1. 4. f) rotatus mundi 1. g) inminui 1. 4 *semper*. h) ita ut in 1. i) porta 7. k) per hoc 1. l) Brutanico 2; Brittanico 4. m) Lŏdwico 4; Lodewico 7. n) *ita* 5. 7; duo regna diviso m. regno 1. 2. 4. o) Lodewici 1. 2; Lŏdewici 4. p) Aquisgrani 4. q) ad 2. r) parte mundi 1. s) Babilone 2. t) ut superius *editt.* u) in 4; *deest* 1. 2. v) *ita* 1. 2. 4; bene praesagiebant *editt.* w) qui 1.

scribimus, hac regni mutatione tanquam sufficienti argumento ad regni coelestis inmutabilitatem missi, huic quinto operi finem imponamus.

EXPLICIT LIBER QUINTUS[a].

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRUM SEXTUM[b].

Beatus propheta mundi instabiles ac miserabiliter fluctuantes circuitus contemplans marique eos potissimum comparandos estimans: Hoc, *inquit,* mare magnum et spaciosum, illic reptilia, [Psal. 103,25] quorum non est numerus. *Nonne tibi videtur mundus in modum maris inherentibus sibi procellosis temporibus, tanquam tempestatum fluctibus, interitum minari? Et quid aliud homines pro caducis honoribus decertantes quam reptilia maris dixerim[c]? Ubi minores a maioribus, inferiores a potentioribus sorberi, ac ad ultimum se ipsos, cum materiam non invenerint, discerpere conspicimus. Unde illud:* In se magna ruunt. *Haec omnia prudens lector in huius historiae[d] serie invenire poterit. Cives ergo Christi non more reptilium salo mergi vel infidis eius procellis improvide[e] se credere, sed navi, id est ligno crucis, fide navigare, manusque per dilectionem operando exercere in praesenti oportet, ut per huius vitae viam ad portum[f] patriae securi valeant pervenire. Qualiter vero regnum Francorum tam miserabiliter divisum non solum Romanum imperium sed et partem Franciae ac Galliae cum palatio Aquis[g] perdiderit, in hoc opere dicendum restat.*

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBER SEXTUS[h].

1. Diviso Francorum regno, Lotharius, cui, ut dixi, cum Lotharingia Romanorum imperium[i] devenerat, 71. ab Augusto imperavit. Theophilo mortuo, filioque eius Michahele [Ekkeh.] apud Graecos in urbe regia imperante, Nortmanni per mare Ligerim intrantes, civitatem Namnetis irrumpunt, ac in sancto sabbato paschae episcopum ex more generale baptismum celebrantem cum clericis interficiunt, ac inde per circumquaque diffusi, cunctam ferro flammaque vastantes provinciam, Andegavensem quoque ac[k] Turonensem occupantes urbes[l], beati Martini ecclesiam cremare non verentur. Eo tempore Karolus, cui, ut supra [V, 35.] dixi, occidentalia regna in divisione cesserant, Pippinum[m] Aquitaniae regem cepit, ac episcoporum consilio tonsum monachum Suessione[n] in monasterio sancti Medardi fecit. Porro [Regino.] Lotharius imperator tribus filiis suis regnum, quod[o] eum contigerat, partitur[o], Ludewico[p] Italiam cum nomine imperatoris, Lothario[q] Lotharingiam, Karolo Provinciam tradens; ipse vero ordinatis omnibus in Prumensi[r] monasterio 16. imperii sui post mortem patris anno monachus efficitur. Vide, ad quantum defectum[s] Romanum imperium devenerit, ut in tres partes Francorum regno diviso, tertiae partis[t] tertia pars fuerit[u].

2. Anno ab incarnatione Domini 855. Lothario deponente milicie cingulum, privatumque [Regino.] habitum assumente, Ludewicus[v] filius suus serenissimus 73.[w] ab Augusto imperium suscepit. Basilio, qui Michahelem iam occiderat, in urbe regia regnante, Lotharius, cui [Ekkeh.] regnum Lotharingiae devenerat, Thiebergam[x] sororem abbatis Hucberti sibi sociavit. Non multis post diebus Karolus, qui Provinciam in divisione regni acceperat, moritur. Unde [Regino.] inter Lotharium fratrem patruumque suum Karolum controversia oritur. Lotharius Hucberto abbati, fratri reginae, ducatum inter Iurum et montem Iovis commisit. Porro Ludewicus senior, orientalis Franciae rex, adversus Sclavos[y] multa fortiter bella gessit, captumque principem eorum Rastum[y*] luminibus privavit.

His diebus in regno Karoli principibus suis mutuis inter se vulneribus cadentibus, Brit- [Regino.] tones tanquam destitutam terram irrumpunt, ac transmisso[z] Ligeri, Pictavis usque ferro flammaque cuncta vastantes progrediuntur, et sic Francorum spoliis ditati, ad propria revertuntur. Itaque Karolus conductis precio Saxonibus, Brittones bello petit. Nec mora, commisso praelio, Saxones in prima acie positi, territi spiculis hostium terga vertunt. Deinde[*] discursantibus hac illacque Brittonibus, Francisque ob antiquae fortitudinis genuinam virtutem

a) *ita* 4. 7. b) *ita* 3. 4; Prologus sexti libri 2; Prolog. libri VI. 5. 7. c) Et — dixerim *desunt* 4; dixerimus 5 *et edit.* d) hystoriae 1. e) inprovide 1. 2. 5. f) portam 1. g) Aquisgrani 4. h) 4. 5. i) L. ut d. cui L. cum Romano imperio 4. k) *deest* 3. l) civitates *edit.* m) Kar. occidentis rex Pipinum 4. n) Suessone 3. 4. o) imp. regnum partis suę tribus filiis partitur 4. p) Ludewico 1; Lodewico 2. 5. 7. 11; Luduuico 4 *constanter fere ita scribunt.* q) Lotario 5. r) Prumnensi 1; Pruvinensi 2; Prumiensi 7. s) detrimentum 4. t) tertiae partis *desunt* 1. u) interiit 2. v) Lŏdwicus 4; Lodewicus 1. 2. 5; Lodew. 11 *semper.* w) LXXIII. *corr.* LXXII. 2. x) Thyebergam 4; Thiebirgam 5. 13; Diepirgam 7. y) Scavos 2. y*) Rastitium. z) ac transmissa 2. 3. 5; transmissaque 4. *) Dehinc 2. 4. 3. 7.

Regino. viriliter dimicantibus, multis[a] ex utraque parte caesis ac vulneratis, noctis praesidio bellum dirimitur. Mane facto, dum[b] rursus[c] pugna conseritur, Karolus fugiens, suis etiam fugiendi praebuit exemplum[d]. Quo viso, Brittones castra Francorum cum clamore irruunt, captisque et occisis plurimis, ac papilionibus eorum cum multis aliis spoliis ablatis, revertuntur. At Karolus Roberto[e] viro forti ob hanc molestiam inter Ligerim et[f] Sequanam ducatum ad domandos Brittones dedit.

His diebus Noemeticius[g] rex Brittonum, dum multis modis ecclesiam Dei persequitur, videt in visu[h] beatum Maurelionem Andegavensem episcopum sibi occurrere, dicentemque ut ab oppressione cessaret, ecclesiarum baculo se percutere. Nec frustratur visu, nam continuo corruens a suis domum reportatur, manifestisque Dei iudiciis vitam simul cum tyrannide finivit[i], eique filius suus Herispeus in regnum successit. Karolus rursum[k] adversus Brittones bellum instaurat, parumque proficiens hoc tantum obtinuit, ut datis ex utraque parte obsidibus pacem mutuo firmarent[l]. Dehinc tamen Herispeius rex eorum sponte ad ipsum veniens, suae potestati se subiecit, quem multis donatum muneribus ad propria rex remisit.

3. Ea tempestate cum iam regno Francorum multipliciter diviso, ecclesia proficeret Nycolao[m] summum sacerdotium gerente, Lotharius multis modis amore Waldradae concubinae suae occasionem repudiandi reginam Thiebergam[n] quaerit. Itaque Guntharium[o] Coloniensem[p] archiepiscopum[q], qui tunc in regno praecipuae fuit auctoritatis, ad id quod animo conceperat perficiendum, falsa spe promittens ei, quod si ab ista liberaretur[r], neptem suam acciperet, pellexit. Guntharius[s], ascito sibi Treverorum archipraesule Thiegaudo[t], concilium Metis[u] congregat[v], vocatamque reginam[w] in medio statuunt, falsisque productis testibus inter alia nefaria de incestu illam convincunt. Proinde ad voluntatem regis sententia divortii[x] datur, reginaeque pro commisso scelere poenitentia iniungitur. Igitur rex desiderata potitus[y] occasione, conventu Aquis[z] habito dampnationem Thiebergae[*] scripto protulit, seque continere non posse pronuntiavit. Consilio Guntharii[a] omnibus acclamantibus: *Melius est nubere quam uri*, Waldrada producitur, ac regio cultu[b] decorata comitatuque famulorum stipata, reginae nomen sortitur. Sicque rex, dum ea quae mente conceperat[c] ad effectum produxit[d], Guntharium quem suae nequitiae socium falsis[e] promissionibus fecerat, versute decepit. Haec dum ad noticiam domni papae Nicolai[f] venissent[g] religiosus ac zelo[h] Dei plenus sacerdos, missis legatis, regem de commisso scelere redarguit et ad condignam poenitentiam invitavit. At legati pecunia corrupti, negotium minime ad effectum perducentes, multis ditati muneribus revertuntur, dicentes se pene nullum in praefato regno qui canones sciret invenisse. Quos Treverorum et Colonensium praesules subsecuti, dum a summo pontifice de facto iudicio rationem reddere coguntur, rei inventi deponuntur, dumque multis modis ad restaurationem sui laborarent, exules in Italia, permissa sibi tantum laica communione, moriuntur. Verum Lotharius post crebras admonitiones, post violatum sacramentum, quod sub praesentia Arsenii episcopi, sanctae Romanae aecclesiae apocrisiarii, fecerat, a summo pontifice communione privatur, ex qua causa tam ipsi quam toti regno gravissimum discrimen oritur. Extant de hoc epistolae quam plurimae utrobique missae. Unde[i] iam regno decrescente, ecclesiam vide[k] tantae auctoritatis factam, ut etiam reges iudicet.

Per idem tempus Ludovicus[l] orientalium[m] rex[n] occidentalia regna vocatu quorundam principum ingreditur, regnique terminos occupans, Senonas[o] usque progressus est[p], sed dum relicto ibi exercitu ad propria redisset, et principes qui eum invitaverant a Karolo in gratiam recepti fuissent, qui remanserant fines illos egredi compelluntur. His diebus Hucbertus abbas, frater[q] Thiebergae[r], Lothario diu rebellans[s], ad ultimum a Conrado[t] comite necatur. Eodem tempore Nortmanni per Ligerim Namnetensem[u], Turonensem, Andegavensem, Provinciam vastantes, Robertum[v] ducem occurrentem sibi occidunt.

a) multisque 3. b) *deest* 3. c) *deest* 4. d) f. ex. p. 1. 4; auxilium 3. e) Růberto 1. 2. 4. f) et *deest* 1. g) Noemiticius 4; Hoemet. 7. h) visione *editt.* i) tiranni definivit 5. k) rursus 1. l) firmaůe 4. m) Nykolao 2; Nicolao 5. n) Tiebergam 1; Tyebergam reg. 4; Thibirgam 5; Dietpirgam 7. o) Cunth. 3; Guntarium 5. p) Goloniensem 2. q) episc. 4. r) liberaretur ab ista 1. s) Guntarius 5. t) Theigando 7. u) *deest* 5. v) congregant 4. w) eam 1. x) divortium 1. y) pocius 1. 3; potius *corr.* potitus 2. z) Aquisgrani 4. *) Tyeberge 4; Thiebirge 5; Theiberge 7. a) Guntarii 5. b) *deest* 4. c) quae m. c. dum ea 1. d) perduxit 4. 5. e) falsisque 3. f) Nycolai 1. 2. 4. 5. 7. g) d. N. p. ven. 5. h) zelus Dei pl. 3. i) Vide 5. 7 *et editt.* k) Unde iam vide r. 4; unde *deest* 5. 7 *et edd.* l) Ludew. 1. 2; Lodew. 5. m) Orientis 4. n) rex Orientalium 1. o) Senanas 3; Senanas *corr.* Senonas 2. p) est *deest* 1. q) *deest* 4. r) Thiebirge 5. s) causa sororis *addit* 4. t) Kůnrado 1. u) Mannetensem *sive* Mamnetensem 1; Mānetensem 2. v) Růbertum 1; Rǒbertum 2; Rǒdbertum 4.

4. Hisdem[a] diebus Sarraceni ex Affrica venientes, Beneventanorum regionem, quae olim Samnium vocabatur[b], devastant. Contra quos dum Ludewicus[c] augustus[d] vires undecunque comparat, Lotharium fratrem suum[d] in auxilium invitat. Qui collecto milite Italiam ingressus, pravorum operum suorum multipliciter poenas solvens, tam ex insueto[e] calore quam aranearum morsibus multos de exercitu suo perdidit. Post haec Romam veniens, ab Adriano pontifice, qui Nicolao[f] iam[g] successerat, honorifice suscipitur, ac ab ipso si monitis praedecessoris sui Nicolai obtemperaverit, subtiliter exquiritur. Ille dum cum omnibus qui secum venerant principibus se bene iniuncta servasse falso affirmaret, corpus dominicum sub attestatione conscientiae sibi suisque tradidit. Fertur quod ipso redeunte, omnes qui ficto corde et polluta conscientia ad mensam Domini accesserant, infra spatium anni mortui fuerint. Lotharius etiam in via morbo correptus, Placentiae diem obiit. Karolus audiens fratruelem mortuum, regnum eius invadit. Quod Ludewicus frater eius dum impedire conatur[h], conventione facta, praedictum regnum apud[i] Marsanam[k] ex aequo dividunt, Ludewico palacium Aquis[l] sortiente[m]. Non multo post elapso tempore, Adalgisus Beneventorum dux, fiducia Graecorum Ludewico[n] imperatori, ascitis sibi Samnitibus, Lucanis, Campanis, rebellare parat[o]. Augustus contractis[p] copiis, Beneventum petit bello. Cui Adalgisus occurrens, fraude circumventum, muneribus conciliatum finibus suis egredi persuadet. Porro imperator Campaniam ac Lucaniam peragrans, omnes civitates eorum, excepta Capua, absque gravi negotio cepit, quae ex quadro[q] lapide extructa[r] dum non facile posset expugnari, obsidione cingitur, cunctis in circuitu vastatis. Capuani desperatis omnibus, apertis urbis portis, cum episcopo corpus beati Germani portante lacrimabiliter ad pedes imperatoris veniunt, veniamque poscentes, misericordiae suae se committunt. Imperator ut erat piissimus, cives in gratiam recepit, expulsisque Graecis, omnes Lucaniae ac Campaniae urbes Romano imperio restituit. Inter haec Adalgisus dolis[s] iterum regem circumvenire temptat[t], occurrensque ipsi suadet ut militem dimittat, regioni parcat, adiciens, necessarium non esse regem subiectum sibi inaniter consumere populum. Rex ad monitum ducis, omnibus praeter paucos ad propria remissis, Beneventum ingreditur, nichilque perperam sperans, dum circa meridiem strato cubat, subito a Beneventanis irruentibus arma corripere[u] cogitur. Cives autem cum duce suo Adalgiso[v] palacium incendere volentes, principem pacem petere ac interposito iure iurando, ne amplius sine voluntate ipsorum fines illorum ingrederetur, promittere cogunt. Imperator hac ignominiosa pactione facta, Romam venit, ibique coram summo pontifice Iohanne, qui Adriano successerat, totoque senatu[w] causam suam exponit. Proinde Adalgisus[x] a senatu hostis ac tyrannus[y] pronunciatur, augustusque a pontifice auctoritate Dei ac beati[z] Petri a sacramento, quod nolens et pro conservanda vita fecerat[*], absolvitur. Verum princeps, quamvis a sacramento liberatus iuste videretur, tamen ad removendum scandalum, per se ad compescendum[a] tyrannum ire recusat, collecto tamen milite, reginam eo destinat. Audiens hoc Adalgisus ac timore perculsus, in Corsicam insulam fugit, et sic iram principis declinavit Non multo post elapso tempore locusta innumerabilis, caeteris locustis maior ac senas alas habens, ab Oriente veniens, Gallias operit, depastisque ubique segetibus, tandem in mari Brittannico[b] resedit[c], ubi a vento raptae ac in salo mersae, postquam[c*] mari exaestuante ad litus in immensum[d] cumulum actae, vicinas foetore[e] regiones corrupere. Regino

5. Ea tempestate Karolus occidentalis Franciae rex[f] Nortmannos, qui occiso Rôberto[g] caeterisque[h] regni primoribus ubique bachabantur, cum Brittonum auxilio obsidione in Andegavensium, quam occupaverant, clausit urbe. At Brittones videntes totam spem hostium in amne fore, ab alveo eum derivare conantur. Quo viso, Nortmanni dextras petunt, promissaque pecunia[i] regem[k] turpiter obsidionem solvere[l] persuadent. Ipsi vero more suo, sicut sunt inquietissimi, minime promissa servantes, per Ligerim Franciam intrabant, multaque graviora quam prius regi faciebant mala. Quanta autem praedicta gens Regino.

a) His 1 *et edd.* b) vocatur 4. 5. c) Ludewicus 1. 2 *fere const.* d) *deest* 4. e) consueto 4. f) Nycolao 1. 2. 4. 7. g) iam *deest* 1. h) conaretur 4. 5. i) aput 1. k) Marsonam 4. l) Aquisgrani 4. m) sorciente 1. 2. 5. n) *deest* 4; Ludowico 1; Ludew. 2; Lodew. 7 *semper.* o) temptat 4. p) undecunque *addunt editt.* q) quadra 3. r) exstructa 1. 2. s) *deest* 4. t) intentat 5 u) arripere *editt.* v) Adilgiso 4. 5. w) Senetu 2. x) Adilg. 4. y) h. et t. 4. z) D. et b. 4. *) fec. pro cons. v. 1. a) *ita* 5. 7; concupiscendum 1. 2. 3. 4. b) brittonico 4. c) consedit 1. c*) postque *legendum videtur.* d) inmensum 1. 5. e) fetore vicin. 4. f) K. occ. rex Fr. 1. g) *ita* 1. 4; rûberto 2. 7; ruberto 3. 13; roberto 5. h) ceteris 1. 2. 3. i) peccunia 1. 2. k) regem *deest* 1. l) *deest* 4.

regno Francorum fecerit, ab aliis sat dictum invenitur. Est enim[a] levissima et instabilis, nec[b] propriis contenta terminis, gratiosa tamen quocunque venerit et affabilis. Haec, ut dixi, occidentale regnum, sicut Saxones, qui et ipsi instabiles[c] sed feroces sunt, orientale semper infestabant.

Regino. 6. Anno ab incarnatione Domini 874. Ludewicus[d] suavissimus imperator diem ultimum clausit, anno imperii sui[e] 19. Anno eodem patruus eius Karolus senior[f], occidentalis Franciae rex, Romam veniens, a summo pontifice Iohanne civibusque imperium pecunia[g], ut dicitur, obtinuit, regnavitque 74. ab Augusto. Non multo post Ludewicus senior, frater eius[h], orientalis rex, apud Franconefurt[i] diem obiit, tres filios relinquens, Karlomannum, Ludewicum, Karolum[k]. Porro Karolus imperator, morte fratris audita, regnum Lotharingiae[l] invadere molitur, collectoque milite primo palacium Aquisgrani[m] occupans, Coloniam usque progreditur. Inter haec Karlomannus primogenitus Ludewici Italiam ingressus, imperium arripere attemptarat[n]. Verum Ludewicus[o], qui patris exequiis interfuerat, orientalium rex a principibus creatus, regnare iam ceperat. Audiens ergo patruum suum Karolum fines regni intrasse, missa legatione, regno eum cedere monet. Quo non acquiescente, collecto milite, ad[p] pugnam progreditur. Nec mora, in pago Meginensi, non longe ab Andrenaco iuxta Renum pugna conseritur, fusisque ex utraque parte multis, tandem Karolus terga vertere compellitur. Ludewici[q] duo[r] filii conventione facta, regnum paternum dividunt, et Karlomannus Baioariam, Pannoniam, Carentanum, Boemiam, Moraviam[s]; Ludewicus orientalem Franciam, Turingiam[t], Saxoniam, Fresiam, Lotharingiam; Karolus Alemanniam et quasdam civitates Lotharingiae propter vini copiam accepit. Karolus secundus imperator Romam secundo[t*] petiit[u], indeque reversus, ac per Longobardiam iter faciens, Papiam se contulit. Ubi dum audiret Karlomannum Ludewici[v] fratris sui filium cum magno exercitu Italiam intrasse, in Franciam redire volens, in via veneno, ut dicitur, anno imperii 3. interiit. Anno sequenti Ludewicus Karoli iunioris filius, qui dicebatur[w] Balbus, diem ultimum clausit, duos relinquens filios, Ludewicum[x] et Karlomannum[y]; nam tertium[z], qui postmodum Karolus dictus est, mater tunc in utero gestabat[*]. Cuius regnum[a] Provinciam, quam pater eius Karolus Lotharii imperatoris filius in divisione sortitus fuerat, Boso, cui Karolus imperator illam tradiderat, invadere gestiens, Lugdunum venit, ibique a pontifice eiusdem urbis in regem Burgundiae ungitur[b], sed a praedictis adolescentibus Ludewico et Karlomanno arcetur.

Regino. 7. Anno ab incarnatione Domini 880, Karlomannus Ludewici filius, cui Baioaria sorte devenerat, post multos triumphos, quos sub patre et post patrem peregerat, regnique terminos plurimum dilataverat, paralisi dissolutus moritur, ac in loco Baioariae, Odingas dicto, sepelitur, relinquens filium ex nobili foemina, sed non legitima, quem de beati Arnolfi nomine tanquam Karolorum[c] origine Arnolfum vocaverat. Hic est Arnolfus, cui postmodum monarchia cessit. At Ludewicus orientalis Franciae rex, morte fratris comperta, Ratisponam Boioariae metropolim adiit, omnesque terrae illius optimates ditioni suae subiecit. Arnolfo quoque ducatum Carentani cum castro Moseburc[d] tradidit.

8. Anno ab incarnatione Domini 881. Karolus, qui in divisione[e] Alemanniam acceperat, in Italiam procinctum movet, totaque Longobardia in deditionem accepta, ad Urbem usque progreditur, ubi a Iohanne papa omnique populo imperatoris et augusti nomen sortitus, 75. ab Augusto imperavit.

Ea tempestate Nortmanni Ludewici regnum per Wal fluvium ingressi, Noviomagense[f] palacium concremant, ac inde per circumquaque diffusi, Coloniam, Bunnam, Aquis[g] cum adiacentibus regionibus castellis et vicis devastant[h]. Inter haec[i] rex Ludewicus[k] Franconefurt[l] diem obiit, et in monasterio Laureacensi iuxta patrem humatur. Nortmanni morte regis comperta, securi facti, nobilissimam urbem Galliarum Treverim, a Iulio Caesare quon-

a) autem 4. b) nunc 2. c) qui etiam inst. 3 *sed ex corr.* d) Lodewicus 3. 5. 7 *constanter.* e) *deest* 1. f) senex 1; senici 2. g) peccunia 1. h) frater eius *desunt editt.* i) franconfurt 1. 2. 7; francofurt 3; franchenvurt 4; franconefurt 5. k) L. et Kar. 1. 2. 3. l) Lotharingę 2. m) Aquisgraui 1. 2. n) temptarat 1. 2. o) Lodewicus 1. 2. p) coll. mil. *desunt editt.* q) Lodewici 1; Ludewici 2. r) vero 5. 7 *et editt.* s) Merouiam 4; Morov. 1. 2. 3. t) Thuringiam 5 *et editt.* t*) secundo Romam 4. u) *deest* 2. v) Lodewici 1. w) vocabatur *editt.* x) Lodewicum 1 *et sic deinceps.* y) Kallomannum 2. z) tercium 1. 2. *) *ita* 1. 2. 4. 11; portabat 3 *et editt.* a) regnum et 1. b) unguitur 1. 4. c) Karul. 4. d) *ita* 1. 2; Moseburch 3. 4. 11; Moseburg 5. e) qui in div. *desunt* 3. f) *ita* 13; navigio magnense 1; naviomagense 2; navigio magense 3; navigio magiense p. 4; Noviomagnense 7. g) Aquisgrani 4. h) vastant 3. 4. i) haec rex *desunt* 1; rex *deest* 3. k) Ludewicus rex 2. 4. l) Franconfurt 1. 2; Francofurt 3; Franchnuurt 4; Franconefurt 5; Franchonfurt 7.

dam subversam, in ipsa coena Domini irrumpunt, ac ibi usque ad pascha[a] morantes, tam Regin. ipsam quam adiacentem regionem igne consumunt. Quibus dum praefatae urbis antistes cum Bertholfo[b] comite occurrit, bello conserto vita privatur, caeterique in fugam vertuntur. Nortmanni[c] praeda Francorum ditati, ad classem revertuntur.

Haec dum in Galliis geruntur, Karolus III. imperator in Italia morabatur[d]. Principes ergo tam Galliae quam Germaniae omnes eum precibus pulsant, quatinus ad suscipiendum paternum regnum[e] fratre mortuo redeat, patriamque ab incursione hostium liberet. Qui nichil moratus revertitur, assumptisque[f] Longobardis, Baioariis, Saxonibus, Fresonibus, Alemannis, Turingis aliisque compluribus, contra Nortmannos[g], qui adhuc in regione morabantur, procinctum movet. Itaque Gotefridum Nortmannorum regem[h], data sibi filia Lotharii Gisila[i], cum Fresia provincia christianum fecit de sacroque fonte suscepit, et sic eum regni finibus cum suis cedere persuasit. Anno sequenti Ludovicus Karoli occidentalis regis nati filius moriens, ac in monasterio sancti Dyonisii[k] humatus, fratrem suum Karlomannum haeredem regni reliquit. Hic inter caetera virtutis suae opera, hoc quoque memorabile fecit, quod in bello quodam 8 milia[l] Nortmannorum fudit. Non multo post Karlomannus in venatu ab[m] apro percussus, diem obiit. Occidentales ergo Franci principibus amissis, Karolum imperatorem, qui tunc solus ex[n] stirpe Karolorum[o] superesse videbatur[p], ultro invitant, eique venienti subiciuntur, unde multa ac varia cum Nortmannis gessit praelia.

9. Anno ab incarnatione Domini 887. Karolus imperator cum corpore et animo aegrotare coepisset, principes regni apud Triburias circa[q] transitum sancti Martini Arnolfum Karlomanni filium ad regnum trahunt. Et mirum dictu, imperatorem, qui post Karolum magnum inter omnes reges Francorum maximae fuit potestatis, in brevi ad tantam tenuitatem devenisse cerneres, ut panis quoque egens ab[r] Arnolfo iam rege facto[s] stipendia miserabiliter exigeret, ac ab ipso paucos fiscos in Alemannia gratanter susciperet. Vide rerum humanarum[t] miserrimum statum. Rex iste qui in divisione orientalis regni inter fratres minimam portionem acceperat, ad tantum primo fastigium, ut tam orientalia quam occidentalia regna cum Romano susceperit imperio, ad tantam postremo deiectionem venit, ut panis quoque egeret. Dicere hic cum Iob poterat: *Elevasti me super nubem, et allisisti valide*, et cum Iob 30, 22. psalmista: *Elevans*[u] *allisisti me.* Quid enim prosperitatem mundi aliud quam nubem dixerim? Psal. 101,10. quae innitentem sibi cito[v] transeundo decipit, levitate sui acclinantem sustentare nequit. Quanto ergo quis super nubem altius levatur, eo validius terrae allisus quassatur. Hic tam miserrimus et iuxta philosophos fortunae in modum rotae nunc summa nunc ima[w] vertentis ludus, secundum rei[x] vero veritatem iuxta Dei regna mutantis nutum[y] anceps rerum status, ad declinandam mundi miseriam veramque vitam appetendam nos provocare posset. Ferunt de hoc Karolo, quod christianissimus fuerit. Unde haec ei circa finem temptatio[q] ad probationem evenisse creditur. Sequenti enim ex quo regno[z] pulsus est anno diem[q] obiit, ac in monasterio Augiensi humatus est. Ex hinc confuse Romae[*] regnatum usque ad Ottonem invenitur. Karolo enim mortuo, qui per sex annos imperaverat, ac septimum private vixerat, imperium multis modis[a] scinditur, singulis provinciis singulos reges creare cupientibus[b]; Arnolfo tamen[c] pars maxima[d] cessit.

10. Igitur Itali duos[e] super se reges Berengarium Foriuliensem[f] et Widonem Spoletanum[g] ducem reges statuunt. E quibus Berengarius a[h] Widone patria pulsus, ad Arnolfum[i] profugus venit. Occidentales quoque Franci Odonem[k] Roberti[l] filium virum fortem consensu Arnolfi regem creant. Hic multa praelia contra Nortmannos[m] viriliter gessit. His diebus gens Ungarorum ex Scythia[n] egressa ac a Pezenatis pulsa, Avaribus eiectis[o], Pannoniam inhabitare coepit. Haec eo tempore tam inmanis et[p] tam beluina fuisse dicitur, ut crudis carnibus utens, humano quoque sanguine potaretur. Quod ne cui incredibile videatur, audiat quod Pecenati et hii qui Falones dicuntur, crudis et immundis carnibus, utpote equinis,

a) pasca 1 *constanter.* b) Berhtolfo 2; Berthulfo 3; Bertolfo 5. 7 *ex corr.* c) Northm. 1. d) mor. in Ital. 1. e) regn. pat. 3; regnum *deest* 2. f) asumptis 1. 2. 4. g) Northm. 1. h) ducem 4. i) Gysila 4. k) Dionisii 2. 5. l) M̄ 2. m) *deest* 1. 2. 3. 5. 7. n) de 4. o) Karulorum 7. p) videretur eo ven. ultro s. 4. q) *deest* 4. r) sub 1. s) *deest* 1. t) humanorum 7. u) Elevasti 4. v) *deest* 3. w) nec s. nec i. 4. x) *deest* 5. y) *ita* 2. 3; i. r. m. D. n. 1; iuxta nutum D. r. mut. 4; regna mutantis Dei nutu *edilt.* z) *deest* 1. *) *deest* 2. a) regnum mod. omnibus sc. 4. b) cupientes 3. c) tm̄ *corr.* tn̄ 3; tantum *edd.* d) maxima pars 7. e) Igitur duos Itali super se 5. f) forluliensem 1. 3. 4. 7; forduliensem 5; *corr.* foriuliensem 2. g) Spolitanum 5. h) *deest* 7. i) Arnulf 7. k) Oddonem 4. l) Růberti 1; Ruberti 2. 7. m) Northmannos 2. n) Scithia 1. 2. 7; Scitia 5. o) electis 2. p) *deest* 2. 3.

Regino. catinis[a], usque hodie vescuntur. Valent autem in sagittarum[b] ictibus plurimum, quibus etiam dorsa vertentes nocere solent. Differunt vero a Britonibus seu Fresonibus[c] in hoc, quod illi missilibus, isti sagittis nocent. Per idem tempus Nortmanni[d] Gallias circa Senonas[e], Parisius, Trecas pervagantur.

11. Porro Arnolfus totam orientalem Franciam, quod[f] modo Teutonicum regnum vocatur, id est Baioariam, Sueviam[g], Saxoniam, Turingiam, Fresiam, Lotharingiam rexit, occidentalem vero Odo ex eius auctoritate habuit[h]. Concessit autem Zuendebaldo[i] Marahensium regi ducatum Boemiae, filiumque[k] suum ex sacro fonte ab ipso levatum eius nomine Zuendebaldum[l] vocavit. Dilexit vero prae caeteris regni sui locis metropolim Baioariae[m] Ratisponam. Unde et[n] muros eius ampliavit, monasteriumque beati[o] Emmerammi[p] plurimis ornamentis adornavit ac largis possessionibus locupletavit. Tradunt ibi, scriptumque monstrant, quod praedictus rex sanctum Dionisium[q] a Galliis ad praefatum monasterium transtulerit. Quod utrum[r] ita sit, ipsi viderint. Non multo post Arnolfo in Baioaria ad compescendos Sclavos morante, Nortmanni regnum eius[s] Lotharingiam ingressi, principes qui eis occurrerant, caesis multis fugant. Quod audiens Arnolfus, collecto milite, hostem petit, pugnaque conserta, tanta eos virtute stravit, ut paucissimi fuga lapsi, ad classem repedantes, solam vitam servarent. Arnolfus vero victor in Baioariam revertitur. Ea tempestate in regno occidentali inter Karolum Ludewici[t] filium et Odonem[u] gravis de regno controversia orta, Karolum[v] infirmioris[w] causae gratia ad Arnolfum supplicem venire ab eoque auxilium poscere compellit.

12. Anno ab incarnatione Domini 894. Arnolfus rex, compositis omnibus bene in Germania, Longobardiam cum exercitu ingreditur, captaque fortissima civitate Bergamo[x], comitem Ambrosium in patibulo suspendit. Quo facto, omnes Italiae urbes timore[y] perculsae, amplius rebellare non audentes, ultro se suae ditioni subdidere. Rex quoque Placentiam[z] usque progressus[*], per montem Iovis in Galliam rediens, Wormatiae[a] conventum celebrat, ac in vicino eius[b] urbis Laureacensi[c] monasterio Ludovico Bosonis filio quasdam civitates et pagos iuxta montana concessit. Ea tempestate Wido, qui Italicum regnum usurpaverat, moritur, cuius filius Lambertus Romam veniens, imperatorem se vocari fecit. Rex rursum conventum Warmatiae celebrans, Zuendebaldo[d] filio suo cum[e] voluntate principum regnum Lotharii tradidit. Odo[f] quoque rex Franciae cum multis muneribus eum adiit, et honorifice susceptus, omnibus pro quibus venerat impetratis[g], revertitur.

13. Anno ab incarnatione Domini 894, anno vero regni sui 7, Arnolfus rex victoriosus[h] vocatu Formosi papae, qui gravem a civibus persecutionem patiebatur, Italiam secundo ingressus, ad Urbem usque progreditur. Qua armis capta, a praefato pontifice coronatus, iuxta quosdam imperatoris et augusti nomen sortitur. Hic eos qui adversus pontificem seditionem moverant decollari praecepit[i]. Reverso ab Urbe Arnolfo, Lambertus qui imperium invaserat moritur, et[k] Ludovicus[l] Bosonis filius a Longobardis ad imperium invitatur. Repperi ego in quibusdam gestis Romanorum[m], post Karolum tertium, tanquam imperio a Francis ad Longobardos translato, Arnolfum in catalogo[n] imperatorum taceri, et Ludewicum caeterosque post ipsum[o] in numero augustorum poni. Alii Arnolfum in catalogo ponunt, et eos qui post[o] ipsum usque ad Ottonem confuse regnarunt[p], non imperatores et augustos, sed invasores et angustos appellare consueverunt. Non multo post Odone[q] Francorum rege mortuo, et in monasterio sancti Dionisii humato, Karolus voluntate omnium rex creatur. Arnolfus 12. regni sui anno, imperii vero iuxta quod dictum est[r] 5, diem obiit, et in loco Odingas, ut Regino[s] refert, iuxta patrem sepelitur. Monstratur tamen sepulchrum eius in monasterio beati Emmerammi[t] Ratisponae. Poterat enim esse, ut ibi humatus, huc postmodum transferretur.

a) cattinis 4. 5. b) sagitarum 1. c) Fresionibus 1. d) Northmanni 2, *et ita deinceps;* Normanni 5. e) Senanas 2. 3. f) quae *editt.* g) Sucinam 2. 3. 4. h) Otto *post* habuit *suppletum est* 4. i) *ita* 1. 2. 11; Suendebaldo 3; Ziendebaldo 4; Zedebaldo 5; Zuandobaldo 7. k) filium 4; que *add. m. secunda in* 3. l) Zuendeb. 3; Zuuend. 4; Zedebaldum 5. m) Baioariae *delevit* 1. n) *deest* 5. o) sancti *editt.* p) Emmerami 5. q) Dyonisium 1. 5. r) ut utrum 5. s) eius *deest* 1. t) Lodevvici 1; Ludewici 2 *constanter.* u) Ottonem 4. v) *deest* 3. w) *ita* 2. 3. 4. 11; inferioris *ceteri codd. et edd.* x) Pergamo 1. y) timore *deest* 1. z) *ita* 5. 7. *editt.;* Placentiam *deest* 1. 2. 3. 4. *) p. nec ultra reb. ausę. omnes ei subiciuntur. Rex q. ad urbem u. p. 4. a) Wormatię 5 *semper.* b) eiusdem 5 *et edd.* c) Laureacensium 3. 5. d) Zuuend. 4. 7; Zendeb. 5. e) *deest* 4. f) *ita* 1. 2. 3. 5. 11; Otto 4. g) inpetratis 1. h) victoriosissimus *editt.* i) fecit 1; iussit 4. k) et *deest* 1. l) Lodewicus 1. 5. m) Romanorum gestis 5. 7. n) cathalogo 1. o) ipsum — post *desunt* 1. 2. 3. 4; *adsunt* 5. 7. 13. p) regnař 3; regnasse et n. 4. q) Ottone 4. r) est *deest* 3. s) XII imperii sui a. ex quo vero augustus vocatus et V̂ d. o. et in Od. ut Reg. 4. t) Emmerami 5.

14. Anno ab incarnatione Domini 901. Ludewicus[a] Arnolfi filius in loco qui Forchaim[b] Regino. dicitur, rex creatur, ac a[c] principibus Lotharingiae, eo quod Zuendebaldo offensi essent, in regnum Belgicae invitatur. Quo comperto, Zuendebaldus[d] dum multa mala committeret, regnumque plurimum praeda, caede et incendiis cruentaret, tandem a Stephano, Gerhardo[e], Mathfrido[f] comitibus publico bello necatur, sicque Ludewicus libere regno eius potitur. His diebus Ungari Longobardiam pervagantes, incolas terrae occurrentes sibi sagittis perimunt, crudeliterque depopulata provincia, ad propria revertuntur.

15. Anno ab incarnatione Domini 905. Ludewicus Bosonis filius imperium adeptus, Regino Berengarium expulit. Dumque toti[g] Italico regno pro arbitrii sui motu potiretur, dimisso milite, cum paucis Veronam se contulit, ubi a civibus traditus, revocato Berengario, qui in Baioario exulabat, captus est et luminibus orbatus. Berengarius ex hinc regnum Italiae simul cum Romano imperio tenuit.

Circa idem tempus Albertus[h] nobilissimus Francorum comes, Ottonis Saxonum ducis Ekkeh. ex filia nepos, Conradum[i], qui a quibusdam Ludewici regis frater fuisse creditur, occidit. Ob ea rex praedictum heroam in castro Babenberg[k], ubi nunc nobilis episcopatus[l] fundatus[m] cernitur, bello petiit. Cumque viribus se non posse proficere videret[n], Hattonis[o] Moguntini archiepiscopi consilio ad dolum se contulit. Itaque ut non solum in regum gestis invenitur, sed etiam ex vulgari traditione in compitis[p] et curiis hactenus[q] auditur, praefatus Hatto[r] Albertum[s] in castro suo Babenberg adiit[t], eumque Dei[u] pietatis obtentu de gratia regis adipiscenda convenit. Ille devote monitis eius obtemperans, humiliter conductum de personae propriae incolomitate petiit. Ac ne multis morer, interposita sacerdotis praefati fide, iter carpunt; vix[v] castro exierant, iam proximo vico, qui Teurstat[w] adhuc[x] dicitur, appropinquabant, et episcopus: *Grave*, inquit, *nobis erit ieiunium sustinere; si placet, antequam regi praesentemur, ad prandium divertamus.* Tum ille simplices aures more antiquorum primorum habens dolumque minime persentiens, gratanter eum ad prandendum in castro, unde digressi fuerant, reduxit. At postquam refecti sunt, ad curiam veniunt; in causa[y] princeps ponitur, ac tanquam maiestatis reus capite plectendus adiudicatur. Monet ille episcopum de fide data, quam e contra ille se bene in hoc, quod sanum et incolomem[z] in castrum eum reduxerat, servasse respondit. Sic praefatus Albertus capite plectitur, possessionesque eius, e quibus postmodum Babenbergensis ecclesia locupletata dicitur[*], in fiscum redactae sunt. Ex huius Alberti sanguine Albertus, qui postmodum Marchiam orientalem, id est Pannoniam superiorem Ungaris ereptam, Romano imperio adiecit, originem duxisse traditur. Iudicent de hoc sacerdotis facto alii quod velint, et tanquam pro regni utilitate commissum tueantur; ego omnino nullius emolumenti gratia non solum quemlibet christianum fraude circumvenire, sed etiam in corde et corde[a] in causa capitali loqui non debuisse arbitror episcopum. Non multo post Ungari commisso cum Cont. Reg. Baioariis bello, ducem eorum Leopaldum[b], Arnolfi ducis patrem, occidunt, ac inde per totum regnum diffusi, Alemanniam, Franciam, Saxoniam, Turingiam percurrunt. Ludovicus[c] orientalis Franciae rex, 12. regni sui anno, sine haerede discessit, ac in ipso fratreque suo Zuendebaldo[d] iuxta quosdam Karolorum genealogia in orientali regno defecit ad tempus. Unde quidam modernus: *Ultimus*, ait, *Augustorum Augustulus, ultimus Karolorum Zuendebaldus fuit.* Defuncto Ludovico, Otto Saxonum dux ab omnibus petitur. Princeps ergo[e] clarissimus tanquam senio gravis rex fieri recusabat. Ekkeh.

16. Anno ab incarnatione Domini 913.[f] Conradus Conradi, quem Adelbertus[g] occi- Ekkeh. derat[h], filius consilio praefati ducis Ottonis, consensu omnium, orientalis Franciae rex creatur. Hunc quidam Ludewici fratris filium fuisse dicunt, et ob hoc eum novissimum V. c. 15. Karolorum ponunt. Anno regni sui primo Ungari ad depopulandam terram rursum effusi, Ekkeh. a Suevis et Baioariis iuxta Enum[i] fluvium sternuntur. Porro Arnolfus Baioariorum dux[k],

a) Lodewicus 1; Ludewicus 2; Loduuicus 4; Lodew. 7 *semper*. b) uorchehaim 4; Forcheim 5. c) a *deest* 1. d) Zendebaldus 5 *constanter*. e) Gebehardo 4. f) Mahtfr. 4. 11. g) *ita* 1. 2. 3. 5; dum quoque toti 4. h) Adilbertus 4. i) Kůnrad. 1; Conrad. 2; Konr. 3. 5. 7; Chonr. 4. k) Babenberch 4. l) *deest* 4. m) funditus 1. n) se pr. non po. v. 3. o) Hattoni 3. p) competis 1; copitis 3; conpetis 4. q) actenus 2. r) Atto 1. 2. 7. 11. s) Adebert. 4. t) adiit Bab. 1. u) Dei *deletum in* 1. v) Is 1. 2. 3; Ut 4. w) Tiurstat 1. x) *deest editt.* y) *ita* 4. 5 *et editt.*; eum 1. 2. 3. z) incolumem 5. *) dicitur locup. 1. a) *deest ap. Alberic.* 910. b) Livpoldum 1. c) Lodewicus 1; Ludewicus 2; Loduuicus 4. d) Zendebaldo 2; Zuendebaldo 5; Zuuend. 7. e) *deest* 1. f) dccc̄c xii 4. g) Adeb. 4, Alb. 5. h) Conradus Kůonradi filius q. Ad. occ. 1. i) ęnum 4. 7; Aenum 11; *deest* 2. k) dux *deest* 1.

Ekkeh. regi rebellans, cum uxore ac filiis ad Ungaros[a] fuga elapsus est. Rex vero 7. regni sui anno vita pariter ac regno perfunctus, diem[b] obiit, eiusque consilio Heinricus Ottonis ducis filius in regnum subrogatur anno ab incarnatione Domini 920.

17. Ex hinc quidam post Francorum regnum supputant Teutonicorum[c], unde filium eius Ottonem in decretis pontificum Leonem papam primum regem Teutonicorum vocasse dicunt. Nam iste de quo agimus Heinricus oblatam sibi a summo pontifice dignitatem rennuisse perhibetur. Michi autem videtur regnum Teutonicorum, quod modo Romam habere cernitur, partem[d] esse regni Francorum. Denique, ut in superioribus patet, tempore Karoli, regni Francorum tota Gallia, id est Celtica, Belgica, Lugdunensis, omnisque Germania a Rheno[e] scilicet[f] ad Illiricum terminus fuit. Dehinc diviso inter filiorum filios regno, aliud orientale, aliud occidentale, utrumque tamen Francorum dicebatur regnum. In orientali ergo, quod Teutonicorum dicitur, deficiente Karoli stirpe, primus, manente adhuc in occidentali Francia ex successoribus Karoli Karolo, ex gente Saxonum successit Heinricus. Cuius filius Otto, qui etiam imperium a Longobardis usurpatum reduxit ad Teutonicos orientales Francos, forsan dictus est primus rex Teutonicorum[g], non quod primus apud Teutonicos regnaverit, sed quod primus post eos qui a Karolo Karoli vel Karolingi, sicut a Meroveo Merovingi, dicti sunt, ex alio, id est Saxonum sanguine natus, imperium ad Teutonicos Francos revocaverit. Sicut autem Merovingis deficientibus ac Karolis succedentibus[h] regnum tamen[i] mansit Francorum, sic et Karolis decedentibus ex alia familia seu lingua in uno tamen[k] regno Ottones subintroiere. Quae varietas, humanarum rerum defectum prodens, ab initio mundi usque in praesentem diem alternatur. Sic in regno Aegyptiorum Pharaonibus[l] successere Ptholomaei[m]; in Romano quoque post familias Caesarum multas et assiduas regum[n] successiones miserabiliter mutatas curiosus indagator inveniet. Et sicut ex[o] libro Regnorum[p] habes, tam ex regum quam populi peccatis post quartam vel quintam generationem[q] decedentibus aliis alii successere, qui non solum filios priorum non exaltarent, sed et plurimum affligerent et delere cogitarent; vixque[r] alicuius regis semen diu stetisse in gloria sua invenis, excepto David, cui promissus est Christus. Quae omnia, ut saepe iam dixi, humanam miseriam variumque rotatum ostendunt, ac ad aeternae beatitudinis statum nos mittunt. Sed haec hactenus[s].

Ekkeh. 18. Igitur Heinricus Ottonis ducis filius in orientali Francia regnavit, occidentalem Karolo tenente. Quidam Celtici[t] scriptores asserunt, eum primo ducem tantum Saxonum Karoloque fuisse subiectum, postque[u] consilio generi sui Gisilberti Belgicae ducis cum orientalibus principibus a regno eius discessisse ac regium nomen assumpsisse. Alii Cont. Reg. dicunt eum post mortem Conradi[v] ab orientalibus Francis per electionem principum in regnum subrogatum fuisse, nec unquam aliquid[w] eum[x] de manu Karoli suscepisse. Concordant tamen in hoc, quod regnum Germaniae potenter habuerit et pro Belgica Gallia cum Karolo controversiam. Quam scriptorum varietatem ex hoc accidisse arbitror, ut, dum translato ad Francos imperio cum imperiali[y] gloria crescere simul coepissent et ingenia[z], divisoque regno divisi fuissent hominum animi, tantam quique suam rem publicam[*] perfecerunt[a], quantam eam praeclaris ingeniis extollere potuerunt. Nos vero medium in his limitem servantes, in quantumque possumus ac[b] ex eorum dictis conicere valemus, veritatis seriem tenentes, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinare, Deo largiente, studebimus. Itaque dum, secundum quod[c] utrosque scriptores concordare diximus, Heinricus cis Rhenum[d] regnaret et de Belgica[e] cum Karolo discreparet[f], ex voluntate amborum ad huius litis scrupulum decidendum die in oppido Bunnae[g] constituta, Belgica[h] Heinrico cessit, ac Karolo Celtica tantum et Aquitania parsque Lugdunensis, Burgundia regem per se[i] habente, remansit; et sic regnum, quod Francorum dicitur, ex paterna haereditate Belgicam Galliam cum palatio Aquis[k] et maiori parte Franciae perdidit.

Ekkeh. Circa idem tempus Arnolfus Baioariorum dux, morte Conradi regis comperta, ex Ungaria in patriam revertitur, regnareque gestiens, tandem a rege relictis sibi terrae suae

a) Ungarios 1. b) die 1. c) Tueton. 7 d) pariter *Alb.* 937. e) rehno 4. f) usque *addunt editt.* g) Teuton. rex 7. h) ac Karolif deficientibus illis succedentes 4. i) tantum 2. 3. k) tantum 2. 3. 4. 5. l) Pharonibus 2. m) Ptolomei 4. 5. n) rerum 1. o) in 4. p) regum *editt.* q) *deest* 4. r) vix 1. 2. 4. 5; *ita et* 7, *sed post corr.* vixque. s) actenus 1. t) cęltici 4. u) postquam 2. 3. 4. v) Kûnradi 1 *constanter.* w) aliquit 1. 2. x) eum aliquid 5. 7. y) imperali 1. z) ingenita 2. 4. *) publicam *deest* 1—4. a) fecerunt 7. 11. b) aut 4. c) *deest* 7. d) Rehnum 4; Renum 5. e) Belga 1. 2. 4. f) disceptaret 1 *et edd.* g) brunnę 1. 2. 4; b̄ne 3; bunne 5. h) Belgico 1. i) per se regem 1. k) Aquisgrani 4.

ecclesiis, in pacem vocatur. Hic est Arnolfus[a], qui ecclesias et monasteria Baioariae crudeliter destruxit, ac possessiones earum militibus distribuit. Is dum primo regnare moliretur, beato Oudalrico[b] Augustensium episcopo duo gladii, quorum alter capulo carebat, in visu monstrati sunt, audivitque gladium[c] cum capulo regem Heinricum, Arnolfum autem gladium sine capulo tanquam sine capite et iusticia esse. Post haec[d] Heinricus Ungaros[e] more suo erumpere volentes, in Saxonia incredibili caede stravit, titulumque victoriae in palatio Mersburch[f], quae[g] et Martinopolis, pingi fecit. Lanceam quoque sacram, quam Ekkeh. reges nostri hactenus[g*] habent, a Rudolfo[h] Lugdunensis Galliae seu Burgundionum rege minis extorsit. Ipse vero post multa virtutis suae opera, dum ad optinendum imperium Romam tenderet, morbo correptus, 17. regni sui anno diem obiit.

19. Anno ab incarnatione Domini 936. Otto Heinrici filius, patri nobilis haeres in regno Ekkeh succedens, in palatio Aquis a Moguntino[i] archiepiscopo Hildiberto[k] coronatur. Hic Sclavos, qui et Boemi, resistentes sibi compescuit, Belgas consilio Gisilberti ducis sui[l] transitum Rheni[m] prohibere nitentes in fugam vertit, ac tota terra ferro flammaque vastata, in monte Capri castrum suum[n] obsidione cinxit[o]. Igitur Ludewicus Karoli filius Belgicam, Cont. Reg. quam pater suus, ut supra dixi, perdiderat, hac occasione recipere gestiens, Alsatiam ingreditur. Quo audito, rex obsidionem Capri montis solvit, pulsoque Alsatia Ludewico, Bresacam[p] obsedit. Inter haec Gisilbertus dux, dedecoris iniuriam ulcisci volens, collecto milite Andrenacum usque progreditur, ubi occurrentibus sibi Germanis, acerrimo praelio commisso, Gisilbertus dux fugere volens, Rheno[q] submergitur, caeterique in fugam, caesis plurimis, vertuntur. Quo comperto, Bresacenses regi castrum dederunt[r]. Rex vero rursum Belgicam[s] ingreditur, totamque in deditionem accepit, et ex hinc provincia illa a regibus Teutonicorum absque contradictione possidetur. Porro Ludewicus rex sororem Ekkeh. Ottonis regis, Gisilberto duce mortuo viduatam, in matrimonium suscepit, ipse vero non Cont. Reg. multo post a suis regno pulsus, ad Ottonem supplex venit, eiusque auxilio devictis hostibus, regnum recepit. Post haec Inglinheim synodus, praesente Marino sedis apostolicae legato, in praesentia amborum regum celebratur. Verum Otto post multos triumphos Italiam[t] quoque, quae per[u] plures iam annos Francis seu Germanis[v] alienata fuerat, regno adicere parat. Haec eo tempore a Berengario tyranno multipliciter premebatur, a quo et[w] Adelheida[x], Lotharii imperatoris antecessoris sui vidua, in captivitate tenebatur. Rex ergo Italiam ingressus, reginam a[y] captivitate liberatam uxorem accepit, pulsoque Berengario, natale Domini Papiae celebravit, et sic verno tempore in patriam[z] rediens, Conradum[*] ducem ad persequendum Berengarium ibidem reliquit. Huius consilio Berengarius in Saxoniam ad regem venit, gratiam eius tam ducis quam Letalfi[a] regis filii impetraturus auxilio[b]. Sed cum per triduum conspectui regis non admitteretur, intercessione tandem praefati ducis ac regiae[c] prolis obtinuit, quod ei in urbe Rhetiae[d] Augusta dies praefigatur. Ibi Ekkeh ex omnibus regni visceribus multis[e] in unum adunatis, Berengarius humiliter veniens, Cont. Reg. cum filio suo Alberto regi se dedidit[f], ab eoque regnum Italiae, excepta marchia Veronensium et Aquileiensium[g], suscepit. Reversus in Italiam Berengarius, multa sicut et antea principibus terrae mala faciens, in se odia omnium excitavit. Eo tempore Letalfus filius Ekkeh regis consilio quorundam nova contra patrem molitur, sed in brevi a coepto desistens, paterne ab eo in gratiam recipitur.

20. Anno ab incarnatione Domini 955. Ungarorum gens saevissima cum innumera Cont. Reg. multitudine erupit, ac totam terram more locustarum operiens, ad Licum usque contra urbem Augustensem[h], cui tunc venerabilis ac Deo dignus sacerdos Ődalricus[i] praesidebat, pervenit. Quibus gloriosissimus rex, fide magis quam armis praefati viri Dei hortatu tutatus, occurrit, tantaque praedictos barbaros virtute stravit, ut ex hinc gens omnium

a) *hoc loco addit in* 2 *(codice nunc Monacensi, olim Scheftlariensis monasterii) manus saec. XIII. ineuntis:* De Arnolfo dampnatae memoria duce. *Quae notula etiam* 2* *manu fere coaeva adscribitur.* b) Vldar. 3; Ulrico 5. 11. c) *deest* 1. d) hoc 1. e) Ungarios 1. f) Merseburg 5. g) quae *deest* 2. 4. g*) in magna veneratione *addit Alberic.* 929. h) *ita* 1; radolfo 2. 5. 7. 11; rodolfo 4; Arnolfo *edd.* i) Mogont. 2. 3. k) Hildeberto 5 *et edd.* l) *deest editt.* m) reni 5. n) situatum *editt.* o) Capri obsidione cingit 3. p) ꝑsacam 3; brefacam 2. 4. q) reno 2. r) dedunt 2. s) Belgam 1. 2. 5. 7. t) Italia 2. u) Italia q. q. pars regni p. 4. v) germanis 2. w) etiam *editt.* x) Adilheida 2; Adalheida 3—5. 7. y) de 1. z) ad patriam 1. *) Kůnradum 1; Chonradum 7. a) Letalfi *primo scripserat* 1, *sed post correxerat* Lutolfi; Letalfi 2. 5; *omisit* 4. b) auxil. imp. 1. 2. c) rgiae 1. d) Raeciae 1; retia 2; recie 3; Recię 5; *deest* 4. e) multum 2—4. f) dedit 4. g) aquileg. 4. h) Augustam 4. i) Ulricus 5. 7.

immanissima[a], non solum regnum invadere non auderet, sed et suum desperatione cor-
cf Ekkeh. repta vallibus et sudibus in locis palustribus contra nostros munire cogitaret. Cecidit in eo praelio[b] * dux illustris Warmaciensis et gener regis Conradus[c]. Barbari vero, quod etiam incredibile videtur, usque ad internecionem[d], septem tantum residuis, omnes deleti dicuntur. Huius maximae concussionis auctor fuisse ex Baioaria quidam[e] Skirensis[f] comes[1] memoratur, qui tamen[g] perfidiae suae poenas solvens, dum Ungaros incaute eductos morti exposuisset, ab eis tanquam traditor necatus est[2] **. Porro terra ipsius[h] in fiscum redacta[3], partim a rege inter ecclesias divisa, partim heredibus eius cum castro Skirensi relicta, aeterno anathemati[i] ab episcopis addicata[k] fuisse traditur. Ex[l] huius origine cum multi hactenus tyranni surrexerint, Otto palatinus comes, perfidi et iniqui patris[4] haut dissimilis haeres[m], omnes priores malitia[n] supergrediens, ecclesiam Dei usque in praesentem diem persequi non desistit. Sic[o] enim mirabile dictu, quo divino iudicio nescio, pene tota illa posteritas in reprobum sensum tradita est, ut vel nulli vel pauci utriusque sexus, cuiuscunque professionis seu ordinis ex ea inveniantur, quin vel aperta tyrannide desaeviant, vel omnino infatuati, ad omnem tam ecclesiasticum quam secularem honorem indigni, furtis et latrociniis inservientes, miseram vitam mendicando transigant[l]. Rex[p]

* *Hunc locum ita exhibet* 13*: Cecidit in eo prelio dux Warmatiensis illustris et gener regis Cůnradi, qui ducatus adhuc creditur esse dominorum de Limburc. Barbari vero *etc.*

** *Locum sequentem ita interpolatum dant* 2* A. 1. 2. 2*. 3: Porro terra ipsius in fiscum redacta, partim a rege inter ecclesias divisa, partim haeredibus eius cum castro Scirensi[q] relicta, unum tantum[r] modo coenobium inibi monachorum institutum fore conspicitur. Ex[s] huius origine cum plures hactenus tyranni potentesque viri surrexerint[t], modo vero temporibus nostris praeclara et inclyta soboles Otto palatinus[u] comes illustrissimus de Witelnspach[v], infausti patris sed nobilis felicior haeres, vir corporis et animi robore praeditus, plurimis opibus et honoribus pollens, filiorumque generosa propagine excellenter dilatatus, emicuit. Quorum unus Conradus[w] nomine, ecclesiastico ordini destinatus ac postmodum ecclesiae Maguntinae[x] praesul effectus, magnae auctoritatis in regno Romano princeps claruit, alter vero Otto maior palatinus comes dictus, patri nobilior haeres succedens, vir armis experientissimus, sapientia praeditus, consilio validus, donis liberalis, laudis avidus, fidelitate et omni virtutum probitate conspicuus, cum aliis duobus fratribus suis, Friderico videlicet et Ottone iuniore, praeclarissimis comitibus; qui tres germani omnes terrae nostrae primates et barones nobilitate, divitiis, fortitudine, prudentia et aequitate praecellere dignoscuntur[y]. Huic Ottoni maiori palatino comiti ob multa virtutum suarum insignia, quae in cunctis regni negotiis et periculis ostendit et pertulit, quibus semper imperio fidelissimus agonista et assiduus propugnator extitit, postmodum ab imperatore Friderico, cum Henricum ducem opulentissimum et potentissimum ob crimen laesae maiestatis[z] de Baioaria[*] expulisset, ducatus idem[a] Noricus concessus est, quem, dum vixit summa prudentia paceque rexit filioque suo parvulo Ludowico[b], qui modo superstes est, regendum moriens dereliquit[c]. Quae quamvis per anticipationem breviter assignaverimus, tamen[d] sequenti opere loco suo expressius declarabimus[e]. Rex igitur Otto inde digrediens, Sclavos *etc.*

a) immanissima 1. b) *deest* 3. c) Chonradus 7; Konr. 5. d) internicionem 2. 3. e) quidam ex Baioaria 2* A 1; fuisse et ex Baioariis 13*. f) Skyrensis 5, *cui superscripsit manus coaeva* scilicet de wittilisbach. g) tantum 1. 3. h) eius *edit.* i) anathemate 4; anetemati 5. k) addicta 1; abdicata 2. 4. l) Ex huius origine — mendicando transigant *desunt* 7. 12 *et in* 11 *erasa sunt, ubi manus satis recens addit:* hic quaedam non sine suspicione sunt deleta. *Eadem verba desunt* 5, *sed manu coaeva infra in margine addita.* m) haeres *deest* 2. 2*. n) malicia 1. 2. o) Sic — transigant *desunt* 13*. p) Rex igitur Otto 2. q) Skyrensi 2* A 1; Schirense 2* A 2 *et* 2* A 2*. r) tamen 2* A 1; verum tantum 2* A 2. s) Ex huius - declarabimus *desunt* 2* B 1. t) surrexerunt 2* A 2. u) palentinus 2* A 2. v) Witelspach 2* A 1. 2* A 2*. w) Cunradus 2* A 2; Cůnr. 2* A 2*. x) Moguntine 2* A 2. y) dinoscuntur 2* A 1; dinostuntur 2* A 2. z) magestatis 2* A 1. 2. 2*. 3. 2* A, *Inderstorf. et Kraft.* *) Bawaria 2* A 2. a) eidem 2* A 2. b) Ludewico 2* A 1. 2* A 2. c) dereliquid 2* A 2. d) in 2* A 1. 2* A 2. e) *haec codices exhibent, in* 2* A 1 *tamen manus coaeva sed diversa veram Ottonis lectionem in schedula adglutinata addidit, praemissis verbis*: secuntur verba Ottonis.

1) Bertholdum filium Arnolfi comitis palatini cum Ungaris in Ottonem I. conspirasse, tradit auctor vitae S. Oudalrici, quae res Chronicis Admont. et Garstens. confirmatur. Comes Schirensis falso Otto vocatur in Chron. Salisburg. et a Bernardo Norico. 2) Eundem Bertholdum ad annum circiter 978. vitam produxisse perhibet Huschberg Scheiern-Wittelsbach p. 173. 182. 3) Haec confirmare sibi visus est Huschberg p. 187. n. 38 allato fragmento chartae ab Ottone II. imperatore a. 976. die 24. Sept. Frosae datae; quae tamen ad ipsius regnum tumultusque qui tunc temporis Baioariam vexabant, non autem ad Ottonis I. imperium referenda esse videtur. 4) Ekkehardi; quae vero de ipso in unum collegit Huschberg p. 224 sq. ostendunt quidem, Ekkehardum advocatum fuisse Frisingensis ecclesiae, attamen Nostri exprobrationes nequaquam probant. Interpolator eundem comitem *infaustum sed nobilem* vocat, quia in peregrinatione in terram sanctam a. 1101. suscepta obiit. Huschberg p. 226 sq.

inde digrediens[a], Sclavos resistentes sibi bello petiit[b], ac tam de ipsis quam de Ungaris (Cont. Reg.) victor[c] existens[d], pater patriae appellatus est[e,*]. (Ekkeh)

21. (Cont. Reg.) Anno ab incarnatione Domini 960, dum rex rursum contra Sclavos procinctum moveret, Iohannes diaconus et Azo scriniarius, ab apostolica sede missi, ad regem veniunt, tam de tyrannide[f] Berengarii[g] querimoniam facientes, quam ipsum ad defensionem sanctae[h] Romanae ecclesiae ac totius[i] Italiae invitantes. Walbertus quoque[k] Mediolanensis[l], Waldo Cumanus[m] episcopi cum aliis Italiae regni principibus, eadem petentes, ad regem supplices veniunt. Rex ergo natale Domini Ratisponae celebrato, in Belgas proficiscitur, ibique filio suo Ottone in palatio Aquis[n] ad regnum sublimato, in Saxoniam rediit, collectoque milite, per Baioariam ac Tredentinam vallem Italiam armatus intravit, totaque terra subacta, natale Domini Papiae celebrans[o], palatium a Berengario destructum reaedificari iussit.

22. Anno ab incarnatione Domini 964. Otto gloriosus rex, a Papia ad Urbem usque progrediens, honorifice a summo pontifice Iohanne ac toto populo susceptus, omnibus applaudentibus[p], imperatoris et augusti nomen sortitur. Hic iuxta eos qui Arnolfum in catalogo ponunt et eos qui interim in Italia regnabant secludunt, 77, secundum Romanos autem[q], qui semoto Arnolfo Ludewicum, Berengarios duos, Ugonem[r], Berengarium, Lotharium itemque[s] Berengarium cum Alberto filio[t], quamvis obscure regnantes, in numero priorum statuunt, 84. invenitur. Ex hinc regnum Romanorum post Francos et Longobardos ad Teutonicos vel, ut aliis videtur, rursum[u] ad Francos, unde quodammodo elapsum fuerat, translatus est. Cui[v] opinioni accomodatum videtur, quod regnum Romanorum iuxta maiores nostros Babiloniorum imperio similem ortum et[w] progressum habere dicitur. Sicut ergo illud duabus famosis mutationibus, Medorum scilicet et Persarum, succubuisse constat, sic et illud[x] item duabus tantum Graecorum et Francorum subiacere debere volunt[y]. Nam caeteros huius sicut et illius a diversis gentibus[z] incursus, eclypsim potius eorum quam mutationem fuisse dixerunt. Imperator ab Urbe rediens, Papiae pascha Domini celebravit. At Berengarius in monte, qui Sancti Leonis dicitur, imperatorem fugiens, latitavit.

23. Anno sequenti dum imperator rursum pascha[*] Domini Papiae celebraret, ac inde[a] progrediens Berengarium in monte Leonis obsidione clauderet[b], Albertus filius eius primo Corsicam, furorem principis declinans, intravit, post Iohannem Romanum pontificem adiens, eum in[c] sui partem inclinavit. Ea propter imperator relicta obsidione castri, contra Urbem aciem dirigit. Quidam vero ex civibus metu[d] perculsi una cum pontifice suo fugiunt[e], alii datis obsidibus augusto subduntur. Otto missa legatione papam revocat, sed eo venire nolente, collecta episcoporum synodo[f], Leonem ei in pontificatu substituit. Quod videns Albertus denuo Corsicam fugit. Quae omnia utrum licite aut secus acta sint, dicere praesentis non est operis, res[g] enim gestas scribere, non rerum gestarum rationem reddere proposuimus. Inveni tamen in quibusdam chronicis, sed Teutonicorum, praefatum Iohannem reprehensibiliter[h] vixisse, et frequenter super hoc ab episcopis aliisque subditis suis conventum fuisse. Cui rei fidem accommodare durum videtur, quia Romana ecclesia hoc speciale privilegium sacerdotibus suis ascribere[i] solet, quod meritis Petri supra firmam petram fundati nulla eos inferorum porta vel tempestatum turbo ad exicialem ruinam involvat.

24. Imperator natale Domini Romae celebrans, Berengarium in monte Leonis obsessum cum castello in deditionem accepit, ac in Baioaria custodiae mancipatum[k] exilio[l] relegavit. Vide regnum Teutonicorum[m] cum regno Francorum affine et quodammodo cognatum

* A. D. 956. Heroldus archiepiscopus Salzburgensis proh dolor excecatur apud Muldorf propter carmulam inminentem, et Heinricus dux qui hoc fecit eodem anno obiit Kal. Nov., et in hac carmula interfecti sunt 4 comites Adilbertus Askwinus Arnolfus Kerloh et alii quam plurimi. *in marg. manu aequali* 4. *V. Auctarium Ekkehardi Altah. SS. XVII. p.* 362 *et Ann. S. Rudb. Salisburg. SS. IX. p.* 771. *Fortasse nostra nota locupletior ex Ann. Altahensibus deperditis desumpta est.* ARNDT.

a) regrediens 2. b) peciit 2; petiit *corr.* petit 7. c) Ung. triumphans 3. 4 d) victoria potitus 2. e) est appellatus 13*. f) tyrandine 1. g) Beringarii 2. h) *deest* 3. 4. i) tocius 1. 2. 5. k) quoque *deest* 1. l) Med. et 7 *et editt.* m) Waldocumanus 1. n) Aquisgrani 4. o) celebrans Papiae 1. p) app. cunctis *editt.* q) *deest* 1. r) Hugonem 4. s) iterumque 7. t) cum lothario (*superscr.* alberto) filio 4. u) *deest* 3. v) Cui scilicet *editt.* w) *deest* 1. 2. 3; progressumque 4. x) istud 5 *et edd.* y) volunt debere 2. z) illius adversis g. 3. *) pasca 1. a) deinde 1. b) obsideret 4. c) ad *editt.* d) timore 4. e) fugierunt 11. f) sinodo 2. g) res — proposuimus *desunt* 4. h) reprehensiliter 1. i) asscribere 1. 2. k) mancipato 1—3. 7. l) *deest* 5. m) Teutonum 4.

Cont. Reg. principium habere. Ibi primus Karolus sine regis nomine regis honorem gerebat. Hic magnus Otto Saxonum dux, regibus adhuc ex stirpe Karoli manentibus, regni summam[a] administrabat. Illius filius Pippinus non solum re sed et[b] nomine rex coepit esse et dici, huius simili modo filius Heinricus regis nomine meruit honorari. Illius filius Karolus magnus non solum regnum sed et imperium, capto Desiderio, primus obtinuit ex Francis; istius filius Otto magnus post multos triumphos primus ex Teutonicis[c] post Karolos[d], capto Berengario, Romanis imperavit.

Manente in Urbe imperatore, cives communicato cum vicinis castellanis consilio[e] eum occidere temptant. Haec augustus[f] persentiens[g], insidias primo praecavit, post infinitam ex eis multitudinem stravit. Sequenti vero die interposito iureiurando, 100 ab eis obsides[h] accepit. Ipse autem septem apud eos dehinc dies manens, ad Spoletum divertit, rogatuque Leonis papae Romanis eorum obsides[i] relaxavit. Quo recedente, Romani Iohannem recipiunt, Leone expulso. Is nil moratus, augustum in ducatu Camerino morantem adiit, secumque sanctum pascha celebravit. Inter haec Iohannes moritur, et in locum eius Benedictus a Romanis subrogatur. Augustus itaque tam pro expulsione[k] Leonis quam subrogatione[l] Benedicti inflammatus, spretis Romanorum legatis, quos ad conciliandum animum eius[m] miserant, exercitum contra Urbem movet. Quam obsidione clausam et incredibili fame[n] fatigatam tandem ad deditionem coegit. Hac ergo conditione in gratiam sunt recepti, ut portis apertis ipsum honorifice susciperent, et Benedictum ei traderent. Quo facto, imperator Leonem restituit, celebrataque ibi sancti Iohannis nativitate ac apostolorum Petri et Pauli festivitate, ab[o] Urbe digressus, in via multos ex inaequalitate aeris perdidit. Deinde natale Domini Papiae agens, ad Cisalpina revertitur, Benedictum iam depositum secum ducens.

Non multo post deficientibus a se denuo Italicis, Alpes transcendit, nataleque Domini celebrans Romae, 13 ex maioribus Urbis post praefectum, qui factionis erga Leonem papam[p] rei fuerant, patibulo suspendit. Dehinc vocato ad se filio suo Ottone[q], eum a summo pontifice coronari et augustum vocari fecit, eique Constantinopolitani imperatoris Theophanu filiam in matrimonio coniunxit. Omnibus itaque bene compositis, reversus ex Italia, paschaque Domini Quitilinburg[r] celebravit, ac inde Martianopoli ascensionem ex Ekkeh. more ferians, morbo tertia ante pentecosten feria correptus, 37. regni sui anno, imperii 13.[s] Sigeb. diem ultimum[t] clausit. Hic est Otto[u], qui post multas quas nominavi victorias Graecos quoque in Apulia et Calabria superavit, ac imperium Romanorum virtute sua ad Francos orientales reduxit, primusque venas argenti et aeris iuxta civitatem Goslariam in Saxonia Ekkeh. invenit. Metropolim etiam Magdeburgensem, ubi adhuc cultu regio humatus cernitur, Ch. Wirzib. plurimis ornamentis decoravit[v]. Berengarius vero et uxor eius Willa[w] exules Babenberg[x] Cont. Reg. moriuntur; eodemque anno beatus Udalricus[y] Augustensium episcopus migravit ad Dominum*.

25. Anno ab incarnatione Domini 975. Otto secundus, magni Ottonis filius, qui vivente patre a Romano pontifice coronatus fuerat, patri in regnum succedens, 85. ab Augusto imperavit. Hic dum Graecos incaute in Calabria persequeretur[z], amisso milite de navi cf. Chron. Wirzib. exiliens, natatibus[*] evasit. Ipse vero 9. imperii sui anno[a] Romae moritur, ac ante beati Petri ecclesiam in concha marmorea honorifice humatur. Tradunt de ipso Romani, quod

* *Hic manus saec. XIII. ex. addit in margine* 11: Anno Domini 999. Gebhardus Ratisponensis ecclesiae episcopus construxit monasterium in Prus[5] et dedicavit tempore sancti Heinrici imperatoris, item ducis Bavariae.

A.[6] D. 967. Iohannes papa indulget Bolezlao duci Boemiae, fratrueli sancti Wenzeslai martyris, ut in Pragensi civitate ordinetur sedes episcopalis. Ordinatur itaque consensu et iussu Ottonis imperatoris primi Ditmarus Saxo in Pragensem episcopum a Wilhelmo archiepiscopo Moguntino.

a) summa 1. b) etiam et 1. c) Teutonibus 4. d) Carolus 1; Karulos 4. e) consilio c. vic. cast. 1. 4. f) Augustinus *editt.* g) praesentiens *Alb.* h) obsides ab eis 1. i) obsides eorum 2; Romanorum obsides 4. k) expulsu 1. l) subratione 7. m) eius animum 1. n) et caede *add. Alb.* o) nat. Ioh. baptistę festoque ap. P. et P. ab 4. p) papam *deest* 1. q) Othone 7. r) Quintilinburg 3; Quitilinburch 4; Quilinburge 7. s) XII° 2. t) ultimum *deest* 2. u) Otho 2. 7. v) plurimum dec. 4. w) in Willa 1. x) Babenberc 2; Babenberch 4. y) Ůdalricus 1. 7; Ůlricus 2; Vlricus 3. 5. z) proseq. 2. 5. * *ita* 1. 2. 4. 5. 7; natando *editt.* a) *deest* 7.

5) Prule. Oefele I, 337. SS. IV, 35. Vide praefationem. 6) v. Auctarium Ekkehardi Altahense, supra SS. XVII, 362. 363.

Benevento capta[a], beati apostoli Bartholomaei ossa inde asportaverit, ac Romae in Tyberis[b] insula in tumba porforetica ea collocaverit[c], in terramque suam per Tyberim et mare in praefato sarcofago deportare cogitaverit, sed eo in brevi vita exempto, preciosum thesaurum ibidem remansisse[d]. cf. Rob. de Monte

26. Anno ab incarnatione Domini 984. Otto tertius patri in regnum admodum puer succedens, 86. ab Augusto imperium est adeptus. Huius diebus beatus Albertus Bragensis episcopus praedicans Brucis[e] martyrio coronatur. Otto vero 17. imperii sui anno diem obiit, et in ecclesia sanctae Mariae Aquis sepelitur. Hii duo posteriores Ottones[f], quamvis brevitatis causa pauca de eis dixerimus, tam feroces, tam mirabiles fuere, ut unus Pallida mors Sarracenorum seu Sanguinarius, alter Mirabilia mundi diceretur*. cf. Ekkeh. et Chr. Wirz.

27. Anno ab incarnatione Domini 1001. mortuo sine haerede Ottone[g], Heinricus patre Hezilone, natione Noricus eiusdemque gentis dux, ab omnibus regni primoribus[h] electus, 87. ab Augusto rex creatur**. Hic multis in Germania, Boemia, Italia, Apulia fortiter ac prospere bellis gestis[i], postremo data sibi a Domino requie, cum esset christianissimus, nobilissimum episcopatum Babenberg[k] fundavit ac possessionibus et honoribus, sicut hodie cernitur, locupletavit. Sororeque[l] sua Gisila Stephano Ungarorum regi in uxorem data, tam ipsum quam totum eius regnum ad fidem vocavit. Hunc Stephanum Ungari hactenus fidem christianam servantes velut principium fidei suae inter sanctos colendum dignum ducunt. At Heinricus imperator piissimus[m] 24. regni sui, 11. autem imperii anno rebus humanis exemptus, in ecclesia Babenberg[k] humatur, et ut illa testatur ecclesia, sepulchrum eius usque hodie crebris miraculis celebre habetur***. Ekkeh

28. Anno ab incarnatione Domini 1025. defuncto sine filiis Heinrico, Conradus[o] natione Francus consilio antecessoris sui, cuius tamen[p] dum[q] viveret[r] gratia carebat, ab omnibus electus, 88. ab Augusto regnum sortitur. Hic ex parte patris a Conrado[s] Warmatiensium[t] duce, qui in praelio cum Ungaris sub Ottone[u] habito occubuerat, prosapiam ducens, ex parte matris approbatissimorum[v] Galliarum principum, qui ex antiqua Troianorum stirpe descenderant et a beato Remigio baptizati fuerant, originem trahens, uxorem Gisilam nomine de antiquo et glorioso Karolorum[w] sanguine[x] oriundam habuit, sicut quidam[7] his versibus attestatur: Wipo v. C. Ekkeh cf. Sig. 1024

Quando[y] post decimam[z] numeratur linea quarta,
De Karolo magno processit Gisila prudens.

Haec primum Ernusto[*] duci Suevorum, fratri Alberti superioris Pannoniae marchionis nupta fuit, geminosque ex ea filios Ernustum et Herimannum suscepit. Quo mortuo, Conradum[a] hunc, de quo agimus, accepit. Erat autem idem rex armis strennuus, consilio providus, sapientia tam forensi quam civili praeditus, in religione christiana satis devotus, humilitate quae regem decebat adornatus.

Itaque in primordio regni eius Balizlaus[b] Bolonorum[c] dux, qui ab antecessore suo Heinrico noviter subactus fuerat, a regno dividi rexque per se vocari molitur. Qui non[d] multo post moriens, Misiconem filium suum successorem reliquit. Is dum patrem imitari cogitaret, insuperque[e] fratrem suum Ottonem[f] expulisset, rex tam profugum in patriam Ann. Quedl. Wipo

* *Hic manus saec. XIII. ex. haec adiecit in margine* 11: 996. sanctus Adalbertus martirizatus est. Eodem anno Bruno nepos Ottonis III. regis factus est papa et dictus Gregorius V. Praedictum Ottonem in ascensione Domini, quae tunc fuit 12. Kal. Iunii consecravit in imperatorem.

** *Hic manus saec. XII. ex. vel XIII. ineuntis subiunxit in margine* 11: Huic in ducatu Bawariae succedit Heinricus, qui et Hezel dictus est, patruelis eiusdem imperatoris, qui ecclesiam Osterhovensem fundavit et patrimoniorum suorum copiosa liberalitate magnificavit, quo mortuo sine heredibus sibi heredem imperatorem dereliquit.

*** *Ultimis Ottonis verbis manus saec. XIII. subiungit in* 5: beata Kůnegundis uxor eius virgo perseverans apud ipsum sepelitur.

a) capti 5. b) Lycaonia *editt.* c) collocavit 1. 2. 4. d) mansisse 2. e) *ita omn. codd.*; Pruttienis *superscripsit* 1 *man. saec. XIV. exeuntis.* f) Othones 1. g) Othone 1; Otthone 5. h) primoribus regni 1. 4. i) *hic addit in margine* 2. *man. saec. XIV:* Eodem tempore fundata est ecclesia Osthoueñ. *cf. VII,* 22. k) babenberch 2; babinberg 5. l) Sorore quoque 2—5. m) piissimus imp. 1. o) Kunradus 1; Chonradus 2; Chunrad. 3; Conradus 5 *constanter*; Chůnradus 7 *semper*; Chůnr. 11. p) tantum 3. 4. q) *deest* 7. r) adhuc viveret 5 *et edd.* s) Kůnrado 1; Chonrado 4 t) Wormatiensium 5, *et ita deinceps.* u) Othone 1. v) *ita* 1; a probat. 2—5. w) Karulorum 4. x) sang. Kar. 2. y) Quarta 4. z) decima 1. 2. *) Ernnsto 1. a) Chonradum 2. b) *ita* 1—3; Bolisziaus 4; Bolizlaus 5. c) Polimiorum 2—5. 7. 11. d) non *deest* 2. e) nisuque *Alb.* f) Othonem 1.

7) Wipo Tetral. 159. 160. Vita Chuonr. 4.

reducturus, quam de contumace regni iniuriam vindicaturus, in Poluniam[a] procinctum movet. Misico regis impetum ferre non valens, fractis quibusdam regni insignibus, ad Ulricum[b] Boemensium ducem, qui et ipse tunc temporis hostis regni fuerat, fugit. Quem cum Ulricus regi dare[c] et sic ad gratiam eius redire vellet, ipse, ut erat serenissimus, eum hoc modo a perfido duce recipere noluit. Otto vero libere ducatu potitus, diadema, quod pater eius ad ignominiam regni illicite fecerat, regi misit, seque per omnia ditioni eius subiecit. Ipse vero non multo post fraude armigeri sui vita privatus est. At Misico a[d] rege exul factus, ad imperatorem supplex venit, interventuque reginae divisa in tres partes provincia, terciam partem ipse obtinuit. Ex hinc provincia illa regibus nostris sub tributo servire cognoscitur.

Ann. Quedl.

Wipo. Circa idem tempus consanguineus regis Conradus[e] Vangionum[f] et Ernustus[g] privignus eius Suevorum seu Alemannorum duces, regi cum aliis multis rebellare attemptant. Rex vero filio suo Heinrico adhuc infantulo rege post se designato, Italiam ingreditur, ad quem Ernustus[g] dux consilio matris suae reginae venit, gratiamque suam eius auxilio promittens, se in Italiam cum rege profecturum obtinuit. Rex ergo castra movens, sanctum pascha[h] Vercellis celebravit. Ibi Reginherum[i] marchionem cum civibus Lucensibus obvium habuit, susceptisque ad deditionem omnibus, ad Urbem iter tendit.

29. Anno ab incarnatione Domini 1027. Conradus[k] Romam veniens, in ipsa die paschalis[l] solempnitatis inter duos Cnutonem[m] Anglorum, et reginae Gisilae avunculum Rudolfum[n] Burgundiae reges honorifice procedens, a summo pontifice Iohanne coronatus[o], ab omni populo Romano imperatoris et augusti nomen sortitur. In ipsa vero paschali ebdomada tumultu orto inter milites imperatoris et cives, gravis pugna committitur, caesisque multis, Romanis fugientibus, imperator victoria[p] potitur. Post haec facta cum civibus pace, ab Urbe regreditur, captumque latronem quendam famosissimum Tashelhar[q] nomine suspendio peremit. Inde per Pirenaeum in Franciam rediens, denuo sibi ducem Ernustum[r], Ekkeh. privignum suum, consilio comitis Werenharii[s] rebellare nitentem audivit. Quem censura iusticiae ac viribus regalis excellentiae terra marique pulsum in silvis latitare coegit, ubi Wipo. postmodum a fidelibus regis occisus est, eiusque ducatum Herimannus[t] frater suus accepit.

Wipo. Ekkeh. 30. Ea tempestate Rudolfus[u] Burgundiae seu Galliae Lugdunensis rex moriens Heinrico filio regis, nepoti suo, regnum cum diademate aliisque insignibus sub testamento reliquit. Esse enim Gallias Cisalpinam et Transalpinam[v] scriptores testantur. Quarum Cisalpinam seu Togatam in Italia inter Padum et Alpes dixerunt[w], Transalpinam seu Comatam[x] vero in[y] tres, id est Belgicam, Lugdunensem Celticam, Aquitaniam Celticae partem facientes, divisere. Alii aeque tres constituentes, Celticam in Belgica ponunt, et Aquitanicam[z] terciam per se constituunt. Unde et tribus his Galliis tres primates praeesse volunt, Belgicae Treverensem, Aquitaniae Bituricensem, terciae Lugdunensem. Quod enim in Belgica contineatur Celtica[*], Orosius[a] velle videtur, qui in divisione orbis terrarum eam in Britanniam seu provinciam Narbonensem, cum iuxta priorem divisionem ad fontem Mosae seu silvam I, 2 Argunam a Rheno[b] protendatur, extendit: *Gallia*, inquiens, *Belgica habet ab oriente limitem fluminis Rheni et Germaniam, ab euro Alpes Penninas, a meridie provinciam Narbonensem, a circio oceanum Britannicum, a septentrione Britanniam insulam.* Item de Lugdunensi: *Gallia Lugdunensis ducta per longum et per angustum[c] inflexa Aquitaniam provinciam semicingit. Haec ab oriente habet Belgicam, a meridie partem provinciae Narbonensis, qua Arela[d] civitas sita est, et ubi mari Gallico Rhodani flumen accipitur[e].* Porro de[f] Aquitania non sicut de tercia parte Galliarum sed eius provincia loquens sic ait: *Aquitania provincia obliquo cursu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus eius, in orbem agitur. Haec a circio oceanum, qui Aquitanicus dicitur sinus, ab occasu Hispanias habet, a septentrione et oriente Lugdunensem, ab euro et meridie Narbonensem provinciam contingit[g].* Unde iuxta hanc divisionem

a) *ita* 1; Polimiam 2. 3. 4. 7. 11. b) Ŏlricum 2. 4. c) dare regi 1. d) *Alb.* ex. e) Kůnradus 1; Chunr. 7. f) Wangionum 4. g) Ernnstus 1; Ermistus 2. 4. h) pasca 1 *constanter.* i) Rehinherum 3; Reinherum 4. k) Cůnradus 1. l) pascalis 7. m) *ita* 5. 7; Commithones 1; conmilitones duos 2; conmilitones 3. 4. n) Rodolfum 1; Radolfum 2. 3. 7. 11; Rodulf. 5. o) coronatur 1. p) victoriam 2. q) *ita* 1; Taselhar 2. 4; Tashelhart 3; Tahselgart 5; Tahselhart 7. 11; Thaselgart *editt.* r) Erinistum 1; Ermistum 2. 4. s) Werehari 2; Werchari 3; Vuereharii 4; Wernharii 5. 7. t) Hermannus 5. 7 *et edd.* u) Radolfus 1. 2. 3. 7; Radulfus 5. v) *ita* 5. 7; cisalpinas et transalpinas 1. 4; cisalpinas et transalpinam 2. w) dixere 5. x) tr. v. s. com. 5 *et edd.* y) in *deest* 1. z) Aquitanniam 7. *) Q. enim Celtica in Belg. cont. 7. a) Horosius 5. b) Reno 2; a Rheno *desunt* 7. c) et angustum 1 *et editt.* d) Arela 1; Arelà 2. 4; Arela 3. 5. e) accip. *corr.* 1 excipitur. f) de *deest* 1. 2. g) contingit prov. 2.

duae tantum Comatae Galliae partes esse videntur, Lugdunensis videlicet et Belgica, ita ut Aquitania non pars tercia, sed una earum, ut dictum est, provincia sit, sicque Galliae item trina divisio cum Togata invenitur. Secundum priorem enim Comatae sine Togata tres, iuxta alteram cum[a] Togata tres itidem inveniuntur Galliae divisiones. Quae omnes, ut supra dixi, dum regno Francorum primitus subiacerent, post divisae[b], singulae singulos reges habere coepere, illique, quod Francorum hactenus vocatur, iuxta priorem divisionem Celtica, iuxta sequentem vero[c] Aquitanica et pars Belgicae tantum remansit*.

31. Igitur cum[e] Rudolfus[f] Galliam Lugduni Heinrico traderet, Odo Celticae comes, eo [Wipo cf. Herim] quod sororius eius esset praefatum regnum iure haereditatis ad se pertinere calumpnians, armata manu ingreditur. Hoc eo tempore dum imperator in subiugandis Poloniis[g], quod nos per prolemsim supra diximus, moraretur, contigit. Augustus ergo contumacia[h] Odonis audita, in Burgundiam iturus circa natale Domini militem instaurat; sed dum propter nimium frigus proficisci non posset, proxima aestate rursum Gallias ingressus est, vastataque per tres continuas[i] ebdomadas ferro ac flamma Odonis terra, ille supplex venire compellitur, interpositoque iureiurando, ne amplius regnum praefatum quoquo modo lacessat, imperator revertitur. Anno sequenti rex denuo Burgundiam ingressus, omnes terrae illius principes cum Lugdunensi primate in deditionem accepit, ducensque secum obsides terrae, in pace repedavit. Non multo post ad sedandam ignobilis vulgi contumaciam, qui princi- [Wipo] pibus[k] pene praevaluerant, Italiam ingreditur, nataleque Domini Veronae celebrans, per [Herim] Brixiam ac Cremonam Mediolanum venit, eiusdemque urbis episcopum, eo quod coniurationis erga eum factae[l] reus[m] diceretur[n], cepit, ac Pupioni[o] Aquileiensium patriarchae custodiendum commisit. Episcopus vero clam elapsus aufugit. Ea propter imperator pascha[p] Domini Ravennae celebrato, verno tempore praefatae civitatis territoria vastans, multa castra partim vi capta destruxit, partim in deditionem accepit. Inde Cremonam veniens, Romanum pontificem obvium habuit, quem cum multo honore susceptum et habitum dimisit, et ipse declinando calorem montana loca[q] subiit.

Dum haec aguntur in Italia, Odo comes sacramento rupto, denuo imperatori in Gallia[r] [Wipo] rebellat. Cumque ad ignominiam eius castrum quoddam Barrum[s] nomine obsidione cinxisset, a Gozilone Belgarum duce aliisque regni fidelibus occiditur, ac vexillum eius in signum victoriae augusto in Italiam mittitur. Ea tempestate Placentinus, Vercellensis, Cremonensis episcopi, dubium utrum licite an secus, maiestatis rei iudicati, in exilium deportantur. Proximo dehinc imperatore natale Domini Parmae celebrante, tumultu orto, dapifer regis necatur. Qua de re commotus princeps omni[t] nisu urbem impugnat[u]. Civibus autem fortiter se defendentibus sed tamen impetum regis diutius ferre non valentibus, fusis multis, tandem misera civitas crematur.

Hisdem diebus Romanus pontifex Mediolanensium archiepiscopum, eo quod imperatori [Herim Wipo] domino suo iniuste rebellaret, excommunicavit. Itaque Conradus subacta ad plenum Italia citeriori, Apenninum transiens, regina Romam orationis gratia[v] eunte ac post ad ipsum revertente, ipse Apuliam ingressus ac terrae illius urbes Capuam, Beneventum aliasque quam plures pervagatus, per Adriatici maris oram[w] domum remeare disponit[x]; sed cum per letifera loca iter ageret, ex corruptione aeris plurimos de exercitu et de claris principibus perdidit. Mortui sunt ibi[y] inter alios Hermannus[z] dux, reginae filius, Chunigunda filii regis sponsa, Cono[*] Francorum dux, et alii quam plures. Unde quidam ex nostris hunc rerum humanarum casum deplorans, rhitmum[a] in modum tragoediae simplici stilo composuit, qui [Wipo vit. C 40.] sic incipit:

Qui habet[b] vocem serenam,
Proferat hanc[c] cantilenam.

* *Manus saec. XIII margini 11 adscripsit:* 1036. Gebhardus II. Ratisponensis episcopus 16. Kal. Aprilis obiit, cui successit Gebhardus frater Chunradi imperatoris. — Porro 1029. Bruno Augustensis episcopus obiit, in basilica sancti Mauritii martyris ibidem a se construi coepta, sed minime perfecta sepultus est.

a) *deest* 3. b) diviso 1. 2. c) vero *deest* 1. e) dum *editt.* f) Radulfus 1. 2. 4. 5. 7. g) polomiis 5; polimiis 1. 2. 3. 4. 7. 11. h) contumalia 1. 2. i) continuas *deest* 1. 4. k) *deest* 3. l) *deest* 1. m) res 2. 3. n) dicerentur 3. o) Poppioni 7. p) pasca 1. 3. q) *deest* 1. 4. r) in Gal. imp. 1. 2. 5. 7. s) *ita* 5; Burrum 1. 2. 3. 4. t) omnium *editt.* u) inpugnat 1. 2. 4. v) causa orationis 1. w) coram 2. x) disnit 2. y) *deest* 1. 2. 3. 4. z) Herim. 1. 2. 3; Harim. 11. *) Chůno 1; Chǒno 2. 7; Chuno 3; Cono 5. 11. a) rhitmum 1. 7; ritmum 2. 3; rithmum 4; rethmum 5. b) habent 7. c) hanc proferat 5. 7. 11.

Wipo Non multo post reverso ab Italia[a] imperatore sanctamque pentecosten in inferiori Traiecto Fresiae urbe celebrante, in ipsa solempnitate infirmatus, 17. regni, imperii vero 14. anno diem ultimum clausit, sepultisque ibidem intestinis eius, reliquum corpus in Spirensem urbem deportatur, ibique in ecclesia sanctae Mariae humatur.

Ekkeh. 32. Anno ab incarnatione Domini 1040. Heinricus tertius[b], supra dictae Gisilae filius, qui patre vivente regnare coeperat, ipso mortuo, 89. ab Augusto solus regnavit, in ipsoque dignitas imperialis, quae per longum iam tempus a semine Karoli exulaverat, ad generosum et antiquum germen Karoli reducta est. Hic per omnia patrem in virtutibus non solum Herim. aequasse, sed et transcendisse perhibetur, regnum moderatissime gubernans. Verum in principio regni sui, dum Boemos resistentes sibi incaute bello peteret, plurimos de exercitu in abditis silvarum claustris perdidit. Contra quod[c] cum debitae indignationis aculeos exerceret gentemque praefatam multis malis attereret, tandem ducem eius in deditionem accepit. Ungaros quoque variis ac diversis praeliis premens, Petrum regem eorum ab Ovone regno fraudolenter pulsum intercessione Alberti marchionis, cuius levir erat, exulem suscepit, ac cum exercitu Pannonias ingressus, congressu habito, cum paucis incredibilem multitudinem Ungarorum fudit, Petrumque regno restituit[d]. Unde rursus est ille[e] rhythmus[f] Herimanni Contracti de praefato triumpho compositus[g], qui sic incipit[h]:

Vox haec melos pangat[i].

Herim. Accepit autem nobilissimi Galliarum principis, Pictaviae ac Aquitaniae ducis sororem Guillelmi[k] Agnetem in uxorem. Cumque ex more regio nuptias Inglinheim[l] celebraret, omne balatronum et histrionum[m] collegium, quod, ut assolet, eo confluxerat, vacuum abire permisit, pauperibusque ea quae membris diaboli subtraxerat, large distribuit. In ipsa vero nuptiarum solempnitate[n] tristia laetis admixta sunt. Nam illustrissimus marchionis[o] Alberti filius Leopaldus adolescens[p] immatura morte omnium planctu rapitur, et a patruo suo Popione[q] Treverorum archiepiscopo in urbe Treverensi sepelitur. Hic est Leopaldus, qui cum patre suo Alberto marchiam orientalem[r] Ungaris eripuit, ac inter caetera virtutis suae opera exercitum Ovonis[s] innumerabilem, fines suos ex improviso vastantem, subito correptis[t] armis, quod tamen in omni conflictu etiam fortibus incautum est, pene funditus[u] cum paucis delevit.

Circa idem tempus pudenda confusio ecclesiae Dei in urbe Roma fuit. Tribus ibi invasoribus, quorum unus Benedictus dicebatur, sedem illam simul occupantibus, atque ad maioris miseriae cumulum divisis[v] simul cum reditibus patriarchiis[w], uno ad Sanctum Petrum, altero ad Sanctam Mariam maiorem, tercio, id est Benedicto, in palatio Lateranensi sedente, flagitiosam et turpem vitam, ut egomet in Urbe Romanis tradentibus audivi, duxere. Hunc miserrimum statum ecclesiae religiosus quidam presbyter Gratianus nomine videns, zeloque pietatis matri suae compatiendo animadvertens, praefatos viros adiit, eisque a sede sancta cedere pecunia[x] persuasit, Benedicto reditibus Angliae, quia maioris videbatur auctoritatis esse, relictis. Ob ea cives praefatum presbyterum tanquam ecclesiae Dei liberatorem in summum pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium septimum[y] vocaverunt. Quod audiens rex procinctum movet in Italiam. Porro Gratianus regi apud Sutrium occurrens, ad leniendum ipsius animum diadema preciosum obtulisse dicitur. Quem rex primo, ut decuit[z], honorifice suscepit, postmodum autem collecto episcoporum conventu, a pontificatu pro nota simoniae[*] cedere persuasit, eique Suidegerum[a] Babenbergensem episcopum, qui et Clemens, consensu Romanae ecclesiae substituit. Hunc Gratianum Alpes transcendentem secutum fuisse tradunt Hiltiprandum[b], qui postmodum summus pontifex factus, ob eius amorem, quia de catalogo[c] pontificum semotus fuerat, se Gregorium VII. vocari voluit, Phars. I,128. et sicut in Lucano habes:

Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni,

ita et huic Hiltiprando[d], qui semper in ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista

a) ad Italiam 1. 3. b) quartus 1; unus 2. 3. 4. c) *ita* 1. 2. 3. 5. 7; *deest* 4; quos *editt.* d) instituit 11. e) *deest* 1. f) rhitimus 1; ritmus 2; rithmus 3. 4; rihmus 7. g) *addunt* 1. 5. 7. h) *locum hunc ita exhibet* 4: Unde rithmus ille Hermanni Contracti de hoc triumpho sic est compositus. i) Vox ekmeles p. 1. 2. 3. 4. 5. 7. k) Gwihelmi 3; Gwillihelmi 4; Gvillelmi 5. 7. l) Inglinhein 3; Ingelnheim 5. m) hystr. 3; istrionum 4. n) sol. nupt. 2. o) *deest* 3. p) *superscr.* 7 *manus recentior* miles fortis dictus. q) popone 3; pupione 5; Poppione 7. r) orient. *deest* 1. s) *superscr.* 7 *manus recentior* Ababani. t) arreptis 1. u) fonditus 1. v) *ita* 5. 7; dimissis 1. 2. 3. 4. w) patriarchis 2 *et editt.* x) peccunia 1. y) *ita* 1. 2. 3. 4. 5; septimum *correctum in* 7 sextum. z) primo ut quidem decuit 1; primo quidem ut decuit 2. *) symoniae 1. 2. a) Swid. 3. b) *ita* 1. 3. 4; Hiltprandum 2 *constanter*; Hiltibr. 5; Hiltepr. 7. c) kat. 2. 7. d) Hiltebrando 7.

in qua sententia principis et episcoporum praevaluit, semper displicuit. Ex hinc Romana ecclesia in electione canonica pontificum in tantum infirmata invenitur, quod iste quatuorque sequentes ab imperatore ibi positi in catalogo[a] inveniantur. Qualiter autem industria et opera praefati Hildebrandi sub Leone iuniore libertatem suam ex parte, sub Alexandro vero plene rehabuerit[b], sicut probatorum virorum relatu cognovimus, infra dicemus.

33. Anno ab incarnatione Domini 1047. Heinricus rex victoriosus Romae[c] in die natalis [Herm. Ekkeh.] Domini a Clemente coronatus, imperatoris et augusti 90. ab Augusto nomen suscepit. Inde per Apuliam exercitum ducens, cum honore ad patriam revertitur. Eodem anno Suidegero[d] mortuo, Popio Aquileiensium patriarcha in locum eius subrogatur. Non multo [Herm.] post Petrus Ungarorum rex a quodam cliente suo Andrea nomine oculis ac regno privatur. Popione quoque, qui et Damasus, mortuo, Bruno, qui et Leo, Tullensium episcopus, Romanam ecclesiam gubernandam suscepit. Hic ex nobili Francorum prosapia oriundus, auctoritate regalis excellentiae ad sedem beati Petri destinatus fuerat. Cumque assumpta purpura pontificali per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, ubi forte tunc praefatus Hiltiprandus[e] prioratus, ut dicitur, obedientiam administrabat. Is Leonem adiens, aemulatione Dei plenus, constanter eum de incepto redarguit, illicitum[f] esse inquiens, per manum laicam summum pontificem ad gubernationem totius[g] ecclesiae violenter introire. Verum si suis se credere velit consiliis, utrumque et quod maiestas imperialis in ipso non exacerbetur, quodque libertas ecclesiae in electione canonica renovetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum eius purpuram deponit, peregrinique habitum assumens[h], ducens secum Hiltiprandum[i], iter carpit. Igitur ad Urbem usque venientes, consilio Hiltiprandi[k] a clero et populo Bruno in summum pontificem eligitur, sicque qualitercunque ecclesia Romana ad faciendam electionem informatur. Imperator Belgicam ingressus, [Ekkeh.] Gotefridum et Baldewinum[l] duces ad[m] deditionem coegit. Post haec sinodus Moguntiae[n] celebratur in praesentia summi pontificis Leonis et imperatoris. Rex iterum ad comprimendam Andreae, qui eiecto Petro Ungarorum regnum invaserat, contumatiam, Pannonias ingreditur; sed latitantibus undique incolis terrae, et victui necessariis vel reconditis vel contaminatis, militem ibi sustentare non valens, cunctis tamen vastatis revertitur. Anno sequenti denuo Pannonias hostiliter petens, summum pontificem Leonem secum duxit.

Ea tempestate Nortmannorum gens[o] inquietissima Roberto[p] Giscardo duce, humilis conditionis viro sed strennuissimo, Apuliam irrupit, multisque malis, fraude et vi incolas terrae afflixit. Quos dum Leo papa cum militia ad Urbem rediens ecclesiae et imperii finibus coercere[q] vult, commisso praelio, caesis multis, fugere Beneventum compellitur. Tanta vero utrorumque strages ibi facta fuit, quod acervus ex ossibus mortuorum compactus hactenus ab indigenis illic[r] monstratur*. Anno dehinc proximo Leo papa moritur, et in ecclesia beati Petri Romae humatus miraculis clarus habetur. Cui Gebehardus Eistetensis[s], qui et[t] Victor, successit, et illi Stephanus item natione Teutonicus. Imperator rursum[u] Italiam ingressus, Beatricem Mathildae[v] matrem, consanguineam suam, defuncto marito suo Bonifacio marchione, secum reduxit. Ipse vero non multo post in termino Saxoniae et Turingiae[w] in loco qui dicitur Botfelt infirmatus, publice culpas suas recognoscens, [cf. Berthold] 17. regni sui, imperii vero 11. anno diem ultimum clausit, ac iuxta patrem humatus est. Caeterum tam eius quam patris sui actus et virtutes Herimannus[x] Contractus in libello quodam, quem ipsi destinavit, luculenter satis disseruit.

34. Anno ab incarnatione Domini 1057.[y] Heinricus quartus[z], Heinrici filius admodum [Chr. Wirz. cf. Berthold] puer, patri in regnum succedens, 91.[*] ab Augusto regnare coepit. Hic primo sub custodia [Ekkeh.] matris suae Agnetis imperatricis fuit, ipsaque per aliquod tempus prudenter ac strenue imperium rexit, postmodum[a] consilio quorundam matri[b] alienatus, per se regnavit; quod seminarium maximae dissensionis fuit. Porro nobilissima imperatrix mutationis rerum

* *Manu s. XIII adduntur in* 5: Iste primus Romanorum pontificum manu armatorum in bellum processit.

a) non *add. m. secunda in* 3; in catalogo *desunt* 1. b) *ita* 7; habuerit 1. 2; habuit 3. 4; reabuerit 5. c) *deest* 3 *et edit.* d) Swid. 4. e) Hiltibr. 4. 5. 7. f) inlicitum 1. g) tocius 1. 4. h) sumens 3. i) Hiltp. 2; Hiltib 4; Hiltebr. 7. k) Hilteb. 4. 7. l) *ita* 1. 2. 5. 11; Balduwinum 3; Balduuinum 4. m) in 3. n) Magontiae 1. 2. 5; Maguntię 4. o) Northmanni 4. p) Rŏb. 7. q) cohercere 2. 3. 7. r) illo 2. 3. 4. 5. s) Eistensis 7. t) *deest* 2. u) rursus 1. v) Maethildae 1; Methildae 3. 7; Mahtildę 4; Mehthilde 5. 11. w) Thuringiae 2. x) Hermannus 5. y) 1067. 3. z) unus 1. 2. 3. *) *ita* 5. 7; LXXXIus 1. 2. 4. a) vero *addunt* 1. 2. 5. 7. b) matris 2.

intuitu ad monasterium Fruteriam religiose vivens se contulit, ac inde Romam veniens et per aliquod tempus ibidem manens, vita decessit, et in ecclesia beatae Petronellae[a] honorifice in tumba marmorea sepulta est.

His diebus Alexander primo Lucensis episcopus, post communi voto et electione in summum pontificem promotus, ecclesiam iam diu[b] ancillatam in pristinam libertatem reduxit, Kadolumque[c] Parmensem[d] episcopum, sedem Romanam armata manu occupare volentem[e], constantissime repressit. Unde de ipso in palatio Lateranensi scriptum repperi:

Regnat Alexander, Kadolus[f] cadit et superatur.

Itaque cum, ut saepe dixi, diadema regni sacerdotali[g] gladio feriendum foret, in se ipsum dividitur, Saxonibusque rebellionem machinantibus, conspirationes[h] fiunt, detractiones[i] in principem dictantur, multaque inhonesta de ipso ad aures summi pontificis referuntur. Ekkeh. Deinde missis a rege Annone Coloniensi, Herimanno[k] Babenbergensi, pro iusticia regni Romam episcopis, peracta legatione revertentes, litteras summi pontificis reportant, regem ad satisfactionem pro simonia[l] aliisque multis, quae ei obiecta fuerant, invitantes. Ea tempestate Saxones conceptam diu corde malitiam[m] amplius celare non valentes manifeste regi rebellant, castellaque ac munitiones quas ibidem fecerat dissipant.

Anno sequenti Alexander vita et sacerdotio[n] perfunctus decessit, sedemque[o] Hiltiprando[p] archidiacono suo, qui Gregorius VII. dictus est, reliquit. Ex hinc scisma gravissimum, eo quod absque consensu regis per electionem constitutus fuerat, oritur. Ipse autem qui per multum temporis ad libertatem ecclesiae obtinendam[q] privatus laboraverat, iam ad sacerdotalem dignitatem provectus a coepto desistere indignum ducens, tam ob hoc quam pro simonia extirpanda ac incontinentia clericorum reprimenda plurimum desudabat. Denique non solum regem pro eiusmodi ad synodalia[r] responsa crebro vocavit, sed et datis decretis clericorum a subdiaconatu et supra conubia in toto orbe Romano cohibuit, formaque gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit, ac fortis per omnia athleta[s] murum se pro domo Domini ponere non timuit. Rex vero ex omnibus regni visceribus contractis copiis, Saxones bello petit, commissoque iuxta fluvium Unstruot[t] praelio, caesisque ex utraque parte[u] multis, cruenta tandem victoria regi cessit. Ceciderunt in hoc conflictu cf. Bruno. Gebehardus[v], Lotharii qui postmodum rex fuit pater, Ernustus[w] marchio, Alberti cuius supra mentio habita est filius, et alii innumerabiles.

Ekkeh. 35. Anno ab incarnatione Domini 1066. stella quae cometes dicitur visa, effectu non caruit. Eodem enim anno Guillelmus[x] Nortmanniae[y] comes Britanniam maiorem, quae nunc Anglia dicitur, occiso rege eius Heraldo, expugnavit, totaque in servitutem redacta provincia ac Nortmannis[z] ibi positis, illo ipse[*] regnavit. Anno sequenti rex Bertam[a], Ottonis[b] Italici marchionis filiam, uxorem accipiens, nuptias apud Triburias celebravit. At Romanus pontifex regem saepe vocatum excommunicavit, eiusque, ut dicitur, consilio et auctoritate Radolfus[c] Alemannorum dux a quibusdam principibus rex creatur. Quo non multo post in publico bello occiso, atque Herimanno[d] Lotharingiae principe sibi substituto, et ipse non multo post a fidelibus regis occiditur[e]. Lego et relego Romanorum regum sive[f] cf. Sigeb. imperatorum gesta, et nusquam invenio quenquam eorum ante hunc a Romano pontifice excommunicatum vel regno privatum, nisi forte[g] quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus a Romano episcopo[h] inter poenitentes collocatus et Theodosius a beato Ambrosio propter cruentam caedem a liminibus ecclesiae sequestratus sit[i].

36. Hic[k], quod supra distuli, solvendum puto, quod Romanum imperium ferro in Dan 2,33sq. Daniele comparatum, pedes ex parte[l] ferreos[m], ex parte fictiles habuit, donec a lapide excisο de monte sine manibus percussum[n] subrueretur. Quid enim aliud[o], sine[p] melioris sententiae praeiudicio, lapidem sine manibus excisum quam ecclesiam, capitis sui corpus

a) *deest* 3. b) diu iam 1. 3. 5. 7. c) *ita* 1. 2. 3. 5. 6. 8. 9. 11. 13; Karolumque 4 *et editt.; ita et 7 prius habuit, sed post correxit* Kadolum. d) Pariensem *corr.* 7 Parmensem. e) volente 3. f) Karolus 4; *idem corr.* 7 Kadolus. g) a sac. 5 *et editt.* h) *ita* 5. 7 *et editt.*; conspirati omnes 1. 2. 3. 4. i) detractationes 1. k) Heremanno 2. l) symonia 1 *const.* m) maliciam 2. n) sacerdocio 1. o) sedem 2. 3. 4. p) Hiltprando 2; Hiltibrando 4. 7. q) obtinenda 3. r) sinodalia 2. 4. s) atleta 3. t) Unstrut 5. u) ex ut. parte *desunt* 3. v) Gebih. 3. 7. 11. w) Ernnstus 1; ermistus 2. 4. x) Gilelmus 2; Gillelmus 3. 5. 7. 11; Gishelmus 4. y) Normanniae 1. 2; Northmannię 4. z) Normannis 1. *) *ita* 1. 2; illo tempore 3 *et editt.*; ipse illo 5. 7. 11. a) Bertham 1; Berhtam 4. b) Othonis 1; Othtonis 2. c) Radulfus 4. d) Herman. 4. 5. e) interficitur 2. 3. 7. f) vel 3; et 4. g) *deest* 2. h) pontifice 2. i) est 2. 3. 4. 7. k) ic 1. l) ex parte *desunt* 5. m) pe. ex p. fer. *desunt* 2. n) *ita* 1. 2. 4. 11; excisum 3 *et editt.* o) *deest* 3. p) siñ 2. 3.

sine carnali commixtione ex Spiritu sancto conceptum et virgine natum, ipsam quoque sine humana operatione et ex spiritu et[a] aqua regeneratam dixerim? Quae virgo speciosa[b], quia sine macula in novum hominem tanquam iuvencula regenerata, ideoque sine ruga, sic cotidie virgo manens, novum ac speciosum parit populum. Sicut mater capitis eius virgo manens contra legem naturae novum ac speciosum edidit partum, sic de virginitate gaudens, ut tamen sterilis non maneat. Hoc[c] nimirum regnum circa finem suum, quem pedes significant[d], ferreum propter Martem, fictile[e] propter conditionem, in ea parte quae infirmior fuit, percussit, dum regem urbis[f] non tanquam orbis dominum vereri, sed tanquam de limo per humanam conditionem factum fictilem gladio anathematis ferire decuit[g]. Ipsa vero quae antea parva fuit et humilis, in quantum montem excreverit[h], ab omnibus iam videri potest. Quanta autem mala, quot bella bellorumque discrimina inde subsecuta[i] sint, quotiens misera Roma obsessa, capta, vastata, quod papa super papam sicut rex super regem positus fuerit, taedet memorare. Denique tot mala, tot scismata, tot tam animarum quam corporum pericula huius tempestatis turbo involvit, ut solus ex persecutionis immanitate[k] ac temporis diuturnitate[l] ad[m] humanae miseriae infelicitatem sufficeret comprobandam[n]. Praedictus enim pontifex Gregorius a rege Urbe pellitur, Gibertusque[o] Ravennatensis cf. Ekkeh. archiepiscopus in locum eius subtruditur. Porro Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suae tempore, dixisse fertur: *Dilexi iusticiam et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Quia ergo in principe suo regnum ab ecclesia praeciso graviter percussum fuit, ecclesia quoque tanto pastore, qui inter omnes sacerdotes et Romanos pontifices praecipui zeli ac auctoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit[p]. Tanta mutatione, tanquam a perfectione ad defectum vergente tempore, sexto operi finem imponamus[q], ut ad septenarium requiemque animarum, quae miseriam praesentis vitae subsequitur, Deo ductore properemus.

EXPLICIT LIBER SEXTUS[r].

INCIPIT PROLOGUS[s] LIBRI SEPTIMI[t].

Omnis homo capax ad hoc rationis est, ut auctorem suum Deum[u] *cognoscat, factaque sua caeco corde non transeat, surdis auribus non audiat. Denique ad hoc creatum hominem esse, forma quoque corporis non in modum caeterorum animantium acclinis, sed*[v] *coelum respiciendo sublimis probat. Interior etiam homo ad imaginem creatoris sui factus*[w]*, materiam investigandae veritatis non solum in creaturis aliis pulchris et magnis foris accipit, sed*[x] *in se ipso, eo quod lumen vultus Domini super se signatum habeat, intus invenit. Proinde non iuxta quosdam Deum*[y] *negligere mundum, sed potentissima maiestate, quae non erant*[z]*, creasse, sapientissima providentia creata gubernare, benignissima gratia gubernata conservare, ex hoc liquido datur intelligi, quod quilibet sapiens et bonus propria benefacta diligit et amplectitur. Quod si homo id mutabilitati subiacens, participatione, immo denominatione*[*] *sapientiae sapiens, participatione, immo*[a] *denominatione*[b] *bonitatis bonus, facere novit, quanto magis Deus solus immutabilis, solus sua sapientia sapiens, solus sua bonitate bonus, et idcirco solus bonus*[c] *facere credendus est? Unde est illud Augustini:* Duo sunt propter quae amat Deus[d] creaturam suam, ut sit et ut maneat. Ut esset quod maneret, spiritus Dei ferebatur super aquas. Ut autem maneret, vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. *Si ergo Deus quae fecit diligit, nichilque eorum quae fiunt, sine eius nutu fieri potest, si potestates omnes ordinat, multo magis regna, per quae alia minora disponit, eorumque mutationes fieri permittit. Quod sine odio vel*[e] *invidia provenire, non solum ex hoc quod ab optimo*[f]*, iuxta Platonem, longe invidia relegatur, sed et per hoc, quod auctor et creator omnium nichil eorum quae fecit odisse*[g] *potest, innuitur*[h]*. Unde in libro Sapientiae pulchre de ipso dicitur:* Misereris omnium, Domine, et nichil odisti eorum[i] Sap. 11, 24 sq.

a) ex *add.* 3. b) specios 1. c) Hec 5. d) significat 3. e) Martem fictile *desunt* 7. f) orbis 3 *et editt.* g) decrevit 5. *Alb.* h) excrevit 1. 2. i) secuta 1. 2. 4. k) inmanitate 2. 5. l) divinitate 7. m) ab 1. 2. n) *addunt* 13 *et editt.*: Unde a quodam ecclesiastico scriptore densissimis Aegypti tenebris comparatur. *Quae verba 5 manus secunda in margine inferiore adscripserat; eadem etiam in 11 prius legebantur, sed post deleta sunt. Similem sententiam apud Ottonem VII, 7 invenies.* o) Gerbertusque 4. p) habuerit 2. 3. q) inponamus 1. 4. r) *ita* 2. s) prologus *deest* 7. t) *ita* 4; Prologus libri septimi 2. u) *deest* 1. v) set 5. w) ad imaginem creatus sui creatoris 2. 2*. 2* A 1. x) sed et 5 *et edd.* y) domini 1. z) erat 3. *) i. den. *desunt* 5. a) denominatione — imo *desunt* 2*. 2* A 1. b) sapientiae — denominatione *quae deerant* 7 *eadem manu post in marg. addita.* c) bonos bonus 2. 2*. 2* A 1. 2. d) Deus amat 5 *et editt.* e) sine 5 *et editt.* f) obtimo 1. g) odire 2. 3. 5. 7. h) innuit 3. i) eorum od. q̄ 3.

Sap. 12, 18 quae fecisti[a]. *Et rursum:* Tu autem, Domine, cum tranquillitate omnia iudicas. *Quod igitur mundus transit, quod tam miserabiliter variatur, cum sine eius nutu, ut dixi, fieri non possit, non crudeliter, quia miseretur omnium, non ex odio, quia nichil eorum odit quae fecit, non ex ira, quia cum tranquillitate iudicat*[a*], *sed iusto eius iudicio causaque, quae etsi nos lateat, utilissima tamen creditur, contingit*[b]. *Nullum enim malum auctor bonitatis et fons pietatis fieri permittere credendus est, praeter id quod quamvis in se ipso noceat, universitati prodest. Quod in malo Iudaicae gentis considerari potest, quia illo excaecato populo universitas gentium lumen veritatis accepit*[c]. *Sic et regnorum mutationes et ad ultimum imminutiones quis fructus sequatur*[d], *Deo, apud*[e] *quem nichil inutiliter effluere potest, relinquamus. Non desunt tamen qui dicant, Deum ad hoc regnum imminui*[f] *voluisse, ut ecclesiam exaltaret. Regni quippe viribus ac beneficentia*[g] *regum exaltatam et ditatam nemo ambigit ecclesiam, constatque non prius eam in tantum*[h] *regnum humiliare potuisse, quam ipso ob amorem sacerdotii eviscerato ac viribus exhausto, non eius tantum, id est spiritali*[i], *sed suo proprio materiali scilicet gladio*[k] *percussum destruetur*[l]*; quod iudicare vel discutere supra nostras vires est. Videntur tamen per omnia culpandi sacerdotes, qui regnum suo*[m] *gladio, quem ipsi ex regum habent gratia, ferire conantur, nisi forte David imitari cogitent, qui Philisteum primo virtute Dei stravit*[n], *postmodum proprio gladio iugulavit. Verum quia regno decrescente, ecclesia, ut dixi, bravium aeternae patriae ac post vitae praesentis laborem, requiem*[o] *adeptura, in praesenti quoque in magnum montem*[p] *crescens, in magna auctoritate stare coepit, ea quae secuntur, praesertim cum ad nostra tempora recentemque memoriam ventum sit, tam defectu rerum temporalium quam profectu*[q] *spiritalium mundi contemptum prodentia*[r] *in hoc opere dicenda restant.*

Nemo autem propter haec verba nos christianum imperium ab ecclesia separare putet, cum duae in ecclesia Dei personae, sacerdotalis et regalis esse noscantur[s], *memineritque nos supra dixisse, a tempore Theodosii senioris usque ad tempus nostrum non iam de duabus civitatibus, immo de una pene, id est ecclesia, sed permixta, historiam texuisse. Quod temperamentum propter haereticos vel excommunicatos ex regibus posuimus. Alios enim christiana fide*[t], *etsi*[u] *operi*[v] *quae credunt non secuntur, in ecclesia secundum praesentem statum computandos esse, nemo qui sagenam Domini malos et bonos continere scit, dubitat. Non enim discerni possunt in praesenti, ecclesia tantum quae manifesta sunt iudicante, Deo solo*[w], *qui novit qui sint eius, cuius ventilabrum in manu eius, merita singulorum pensante. Porro ecclesiam ecclesiasticas*[x] *personas, id est sacerdotes Christi eorumque sectatores, tam ex usu locutionis quam consideratione potioris partis diximus, non ignorantes, quod et ipsi si reprobam vitam duxerint, ad civitatem Dei in aeternum non pertinebunt.*

INCIPIT LIBER SEPTIMUS[y].

cf. Ekkeh. Sigeb Bern 1. Defuncto Salerni beatae memoriae summo pontifice Gregorio ecclesiaque in summo discrimine posita, eo quod Gibertus[z] auctoritate imperatoris Romanam sedem et Urbem occupasset, abbatem Cassinensem cardinalem Desiderium, qui et Victor, invitum pauci de Romanis ad culmen sacerdotii[*] summi[a] trahunt, corruptisque pecunia[b] Leoninae urbis custodibus, ob metum scismatis nocte consecrandum in ecclesiam beati Petri inducunt. Ubi profluvio ventris correptus moxque Urbe egressus, rebus humanis in brevi excessit, ac Othoni[c] Hostiensi episcopo, qui et Urbanus, ecclesiae regimen reliquit.

2.[d] Ea tempestate, regnante adhuc Heinrico quarto Romae, Constantinopoli Alexio, ubique terrarum iuxta euangelium gens contra gentem surrexit, orientalisque ecclesia gravem persecutionem a paganis passa fuit. Civitas etiam sancta a gentibus conculcabatur, sepulchrum tantum Domini ab eis quaestus duntaxat gratia in magna veneratione habebatur[e]. Itaque christicolae qui miserabiliter illic sub tributo vivebant, simul cum Alexio Constantinopolitano imperatore, missis ad Urbanum papam epistolis, auxilium flagitabant.

a) eorum odit quae fecit 1. a*) omnia iudicat 1. b) cont. *deest* 1. c) excepit 2*. 2* A 1. 2. d) quia non sine gravi scandalo dicere possumus *addunt* 13 (possemus) *et editt., quae in* 11 *erasa sunt.* e) aput 1. 2[f]. f) inminui 1. 2. 4. g) beneficientia 1; benefientia 5. h) in tantum *desunt* 2*. 2* B 1; *in marg. add.* 2* A 1. i) gladio *superscr. manu coaeva* 2. k) *deest* 1. 2. 3. 5. l) destrueretur 7. 11. m) suo *deest* 2. n) percussum 1. 2. 4. 5. o) *deest* 2*. 2* A 1. 2. 2* B 1. p) nomen *Alb.* q) provectu 1. 2. 2*. 4. r) providentia 1. 2. 2*. 3. 4; prodentia 5 *et edd.* s) cognoscantur 1. t) christianam fidem 2. 3. 4. 5. u) etiamsi 7. v) opere 5. w) solo *corr.* soli 2. x) ecclesiasticasque 1. y) *ita* 3. 4. 5. z) Gerbertus 4. *) sacerdocii 1 *semper.* a) summi sacerdotii 5. 7. b) peccunia 1. c) *ita* 1. 2. 5. 11; Odthoni 2*. d) *secundum caput immediate subiungitur primo in* 1. 2. 2*. 2* B 1. 3, *qui omnes codices in capitum numeris ab* 4. 5. 2* A 1. 2* A 2. *discrepant, quorum divisio cum editione Urstisii convenit.* e) habebatur vener. 2. 2*.

Qui super afflictione populi Dei commotus, laborioso itinere in Galliam[a] profectus[b] est, habitoque ibi concilio, verbo sanctae praedicationis circiter centum milia hominum ex diversis nationibus in militiam Christi[c] coadunavit, praefectis sibi ducibus[d] Gotefrido[e] Lotharingiensi, Roberto[f] Flandrensi, Regimundo[g] comite de Sancto Egidio, Hugone fratre Philippi regis Galliae aliisque nobilibus et viris bellatoribus, quorum omnium curam venerabili Podiensium[h] episcopo commisit. Haec fama commovit[i] diversos populos et ignotos, scilicet ex Aquitania atque Nortmannia, Anglia, Scotia, Hibernia, Britannia[k], Galicia, Gaschonia[l], Gallia, Flandria, Lotharingia[m], caeterosque populos non solum terram sed et insulas maris ac ultimum oceanum[n] inhabitantes. E quibus tam ignotae et lingua moribus et operibus visae sunt gentes, ut alii tantum pane[o] et aqua[p], alii pro omnibus utensilibus argento[q] uti dicerentur. Hii omnes, ex diversis nationibus et linguis in unum corpus adunati[r], crucem in vestibus portantes, crucis Christi discipulos verbo et opere se fore praedicabant, ac crucis virtute confisi, contra inimicos crucis in Domino dimicaturi iter[s], Gotefrido duce, in Orientem aggrediuntur[t]. Verum orientales Francos, Saxones, Turingios[u], Baioarios et Alemannos propter scisma, quod eo tempore inter regnum et sacerdotium fuit, haec expeditio minus permovit. Fuere tamen quidam ex eis, qui falsa specie religionis eandem miliciam aggregarentur, inter quos Emicho quidam comes de partibus Rheni[v], usurpans sibi ducatum fere 12 milium, Iudaeos ubicunque repperit, vel delere vel ecclesiae incorporare[w] satagebat. In Pannonia itaque incolis transitum in artis locis probibentibus, ad propria redire coguntur. At Gotefridus et caeteri[x] praenominati duces, Deo propicio Bulgaria quamvis difficulter permeata, Constantinopolim pervenere, ubi multa dolis Alexii imperatoris perpessi, dum seditione orta mortis periculum evasissent, ponte urbis regiae expugnato, suburbia eius destruxerunt. Inde recensitis absque parvulis et mulieribus 300 milibus pugnatorum, Nicaeam catholicae[y] fidei quondam turrem devenere, eamque fugato principe paganorum Solomanno[z] cepere, captamque imperatori tradidere. Deinde progredientes maritima Scytharum[*] attingunt, ubi tanta usi sunt rerum[a] habundantia, ut aries nummo, bos siclo[b], teste Roberto[c] comite, venundaretur. Principes quoque seu reges Sarracenorum occurrentes sibi opitulante Deo oppresserunt. His elati successibus, Antiochiam Syriae metropolim obsidione cingunt. Ubi per 9 menses morantes, deficiente exercitu ac exhaustis[d] copiis, plurimum[e] humiliantur. Dominus ergo afflictionem populi sui respiciens, urbem cum copiis Turcorum in manus eorum tradidit.

3. Circa idem tempus christianis in obsidione Antiochiae morantibus, cunctis orientalibus populis terrore perculsis[f], Aegyptiorum regis, qui vulgo Babyloniorum[g] putabatur, legati ad Gotefridum ducem veniunt, eique auxilium contra Turcos, qui tunc Ierosolimam cum tota Palaestina Sarracenis ablata tenebant, in dolo promittunt. Est enim[h] antiquae Babylonis, ut a probatis transmarinorum viris cognovimus, pars adhuc habitabilis, Baldach dicta, pars, ut in prophetia[i] habes, deserta et invia, per 10 miliaria usque ad turrem Babel extensa. Ipsa autem quae inhabitatur et Baldach vocatur, maxima est et populosa; et cum de imperio debeat esse Persarum, summo sacerdoti suo, quem ipsi Caliph dicunt, a regibus Persarum[k] concessa, ut[l] et in hoc quaedam habitudo, sicut saepe iam dictum est, inter Babyloniam et Romam eluceat, quia quod hic a christiano imperatore summo nostro pontifici in urbe Roma traditum est, hoc ibi a paganis Persarum regibus, quibus ex longo tempore Babylonia subiacuit, eorum summo sacerdoti indultum est. Ipsi vero Persarum reges, sicut et nostri urbem regiam, velut Aquisgrani[m], Ecbatani[n], quam Arfaxat[o] in libro Iudith[p] fundasse legitur, lingua eorum Hani dictam[q], 100 vel amplius, ut volunt, pugnatorum milia habentem, sedem regni constituerunt, nichil sibi de Babylone praeter nomen imperii reser- Ekkeh.

a) in Galliam *desunt* 2*. 2* A 1. 2* A 2. 2* A 3. b) provectus 3. c) *deest* 3. d) *deest* 1. e) Godefrido 5 *semper.* f) Rûberto 1. 2. 2*; Rŏberto 7. g) ducibus Reinmundo 1; Reginmundo 2. 3. h) Podiensi 5 *et edd.* i) *deest* 2. k) Brittannia 2. 5. l) Gasconia 4. m) Burgundia *addunt editt.* n) occeanum 1. o) pane tantum 7. p) et aqua *desunt* 2* A 1. q) argenti 2* A 1. r) coadunati 1. s) iterum 7; cum 2*. 2* A 1. 2* B 1. t) adgred 1; duce orientem adgrediuntur 2. 2*. 2* A 1. 2. 2* B 1. u) Turingos 4. v) rehni 2*. w) incorp. eccl. 1. x) *deest* 2*. 2* A 1. 2* B 1. y) kath. 2. 5. z) Soleimanno 1; Solomano 7. *) *ita* 1. 7; Scitharum 2. 2*. 11; Scithiarum 3; Schitarum 4; Rutenorum *superscriptum* 5 Scytarum; Rutenorum *editt.* a) rerum humanarum *editt.* b) syclo 3. c) Rvberto 1. 2*; Rûberto 2. 7. 11; Rŏberto 3; Roberto 4. 5. d) exercitu haustis 1. 2. 4. 2*. e) plimum 1. f) *deest* 2*. 2* A 2. 2* A*; 2* B 1 *secunda manus add. in margine* percussis; *in* 2* A 1 *vero* perculsis *additur in margine.* g) *ita* 2*; babiloniorum 1. 2. 3. 4. 5. h) autem 2*. i) prophecia 1. k) summo — Persarum *desunt* 2*. 2* A*. 2* A 2. 2* A 3. 2* B 1 *et* 2* A 1, *ubi secunda manu adduntur in marg. infer.* l) et ut 1. m) aquisgurni 2. 2* *et rell. codd. huius familiae.* n) ebactani 3; Ecbactani 5; Eobactani 7; Eblatani 13. o) arfaxath 5. 7. p) iudiht 2*. q) dicta 1. 2. 3.

vantes. Porro ea quae nunc vulgo[a], ut dixi, Babylonia vocatur, non super Eufraten, ut illi putant, sed super Nilum circiter[a] sex diaetas[b] ab Alexandria[c] posita est, ipsaque[d] est Memphis, a Cambyse[e] filio Cyri olim Babylonia vocata. Et ibi rex Aegyptiorum, quamvis caput regni sui Alexandria sit, propter ortum balsami morari dicitur; quod etiam ex hoc perpendi potest, quia cum in utraque christiani, sed sub tributo, maneant urbe, Mempheorum[f] episcopus Alexandrinorum patriarchae iure ecclesiastico[g] subditus est. Quem non Assiriis seu Babyloniis, sed Aegyptiis et Affricanis ex prima institutione et Nicaei concilii auctoritate praelatum fuisse invenimus.

Ekkeh. 4. Itaque praefati regis legatis duci Gotefrido praesentatis, lectissimi[h] proceres Francorum, sic enim omnes occidentales populos ob antiquam gentis illius dignitatem ut puto et virtutem orientales appellare solent, Babyloniam destinantur. Barbari ergo fortitudinem, proceritatem, habitum, incessum, elegantiam virorum mirantes, eos deos esse, non homines affirmabant. Proinde habito consilio, Babyloniorum rex ductis secum Francorum legatis, Ierusalem obsedit; praefatosque heroas in medium producens, se cum eis foederatum dicit; et sic eorum potius quam suo terrore civitate in deditionem[i] accepta, Turcis expulsis, Sarracenos ibi locavit[k]. Inter haec christiani capta ut diximus Antiochia, Deum non digne glorificantes, tanta Sarracenorum multitudine cinguntur, ut priorem ubertatem tam intolerabilis sequeretur fames, quod et ab humanis carnibus vix abstinerent. Itaque contricionem populi sui misericors Dominus clementer animadvertens ac intuitu gratiae suae considerans, lanceam sacram, qua Christi filii sui latus in passione perforatum[l] legitur[m], usque ad id temporis incognitam superna revelatione fidelibus suis monstravit. Cuius fiducia christiani, quamvis fame attenuati, egressi[n], Sarracenos non sua sed virtute Christi fuderunt. Inde in Siriam profecti, Barram et Marram urbes ceperunt. Ubi moram facientes, tanta rursus famis inopia[o] narrantur attriti, ut humana quoque corpora iam foetentia comederent. Post contra civitatem sanctam, iam a Sarracenis inhabitatam, aciem dirigunt. Quam obsidione clausam cum capere non possent, habito consilio humilitatis magistrum imitantes, nudis eam pedibus circuire disponunt. Igitur octava, id est ea qua divisio apostolorum celebratur die, civitas capitur, ac hostes qui ibidem[p] reperti sunt, tanta strage caeduntur, ut in porticu Salemonis sanguis interfectorum nostris ad genua usque attingeret equorum. Et nota, quod pulchre post humiliatum populum Dei precesque ad Dominum fusas octava die civitas sancta a gentibus conculcata a nostris obtinetur. Sicut enim Hiericho sub observatione sabbati a priore populo septimo die[q], sic et hic a christiano populo octava, tanquam abolita lege ac sabbato, resurrectionis die sequente Hierusalem[r] girata[s] expugnatur. Ex hinc Ierusalem et sepulchrum Domini a nostris possidetur.

Ekkeh. 5. Porro Mempheorum seu Alexandrinorum rex, qui Babyloniorum ammiraldus a peregrinis vocatur, apud Ascalonem[t] manens, ducens secum Francorum legatos, Antiochiam eo quo et urbem sanctam dolo capturus iter flectit. Christiani[u] vero, relictis in urbe sarcinis et infirmis, contra Sarracenos procinctum movent, cumque infinitam hostium multitudinem conspexissent, fusis ad Dominum precibus, audacter[v] eos cum paucissimis aggrediuntur[w]. Et mirum dictu, Dei qui omnia potest virtute cum quinque milibus equitum et 15[x] milibus peditum 100 milia equitum et 300 milia peditum terga vertere compellunt, ac spolia multa diripiunt. Ceciderunt in eo praelio ex[y] Sarracenis plus quam 100 milia gladio, duo quoque milia suffocata circa portam urbis narrantur, innumeri etiam mersi[z] seu spinis obruti feruntur. Peracta[*] victoria, reversis ad propria primoribus, Gotefridus[a] ducatum eorum qui remanserant strenuissime rexit. Hic etiam inter Francos Romanos, et Teutonicos, qui[b] quibusdam amaris et invidiosis iocis frequenter[c] rixari solent, tamquam in termino utriusque gentis nutritus, utriusque linguae scius, medium se interposuit, ac ad commanendum multis modis informavit.

a) *deest* 2*. 2* A*. 2* B 1; *add. in margine* 2* A 1. b) dietas 2. 2*. 4. 5. c) Alexandrina 1. 2. 3. d) Ipsa 1. e) a Caulyse 2; a eamlyse 2*; Cambise 7. f) Memphorum 7. g) *deest* 2*. 2* A 1—3. 2* A*, *in* 2* A 2 *vero additur in margine.* h) electissimi 2*. 2* A*. 2* A 2. 3. 2* B 1; *corr.* lectissimi 2* A 1. i) deditione 2*. 3. k) collocavit 2*. 2* A 1. 2* B 1. *et editt.* l) quae — perforasse 2. m) quae ... aperuit 2*. 2* B 1. 2* A 1—3. n) *deest* 2* A 1; ingressi 2* A 3. o) inedia 2* A 2; inopiam 2* A 3, *quod et* 2* A 1 *prius scripserat*, *post autem correxit* inopia; *sicut et* 2* A*. p) ibi 1. q) *deest* 1 4; *recepi ex* 5. 7. 13. r) *ita hoc loco* 1. 2. 4. 5. s) gyrata 1. 2. 2*. 5. 7. t) Aschalonem 2. 2*. 4. 5. 7. u) Christianis 1. v) autacter 1. w) adgrediuntur 1. 2. x) et ex XV 1. y) de 2*. 2* A 1. 2* B 1. z) submersi *editt.* *) peracta quoque 1; peracta vero *editt.* a) Gotfridus 2. 2*. 4. b) quid 1; *deest* 3. c) *deest editt.*

6. Verum Urbanus a concilio Claremontensi regressus, auxilio eorum[a], quos[b] ad Ierosolimitanum[c] iter accenderat[d], Gwibertum[e] ab Urbe, excepto castro Crescentii[f], eiecit, sedemque[g] propriam recepit. Inde per Apuliam et Calabriam Siciliam, quas tunc Nortmanni inhabitabant, ingressus, pecuniam[h] magnam collegit, sicque ad Urbem regrediens, corruptis eis, qui castrum Crescentii servabant, muneribus Gwiberto[i] tam Urbe quam castro expulso, libere tota potitur Urbe. Ipse vero non multo post rebus excedens humanis, Paschali[k] kathedram reliquit.

7. Anno ab incarnatione Domini 1100, cum ex omnibus mundi partibus[l] ad Ierusalem[m] terrestrem, coelestis typum gerentem, fideles orationis causa confluerent, multis ex corruptione aeris mortuis, Gotefridus[n] quoque gloriosissimus dux infausta morte post unum ducatus sui annum raptus in ecclesia iuxta sepulchrum Domini humatur, eique Balduinus[o] frater eius auctoritate summi pontificis regio nomine sublimatus subrogatur. Signa vero ac prodigia coelo terraque circa haec tempora visa, tam scisma regni[p] quam iter Ierosolymitanum portendentia, ab aliis posita sufficiant[q]. Eo tempore Gwibertus[r] moriens, horribili scismati tanquam densissimis Aepypti tenebris finem imposuit. Anno sequenti Conradus[s] imperatoris Heinrici filius christianissimus, cui pater Italiam commiserat, 9.[t] ex quo a patre discesserat anno, immatura morte praeventus diem obiit, ac in civitate Florentia Tusciae honorifice sepultus est. Eodem tempore[u] Gwillehelmus[v] comes Pictaviensis et dux Aquitaniae, Themo Iuvaviensis[w] archiepiscopus, Welfo Noricorum dux, qui in guerra cum imperatore habita[x] Frisingensem et Augustensem destruxit[y] urbes, Itha marchionissa Leopaldi marchionis orientalis mater, Gwillehelmus[z], Stephanus Italici barones, cum multis ex Italia[*], Aquitania, Germania, Hierosolimam per Ungariam et Graeciam pergunt; quos Alexius imperator in artis locis fraudolenter expositos[a] pene omnes crudeliter extinxit, elegantioribus ex eis captis et Mempheorum regi seu ammiraldo praesentatis. Quam[b] historiam[c] miserabiliter ac luculenter in modum tragoediae quidam ex his, qui se eidem expeditioni interfuisse testatur, executus est. Comprehensus inter alios venerabilis praesul Thiemo[d] ad ydolatriam, ut tradunt[e], angariatur. Ille inducias petens, fanum ingressus, animi et corporis viribus robustissimus, ydola quae adorare debuit, non deos sed opera manuum ostendens, in frusta comminuit[f, 8]. Ob ea productus ac exquisitis suppliciis et tormentorum generibus affectus, glorioso martirio coronatus est. Quod[g] ob fidem Christi passus sit, fidelissima traditio habet; quod autem ydola comminuerit, ex hoc credere difficile est[h], quia constat universitatem Sarracenorum unius Dei cultricem esse, librosque legis necnon et circumcisionem recipere, Christum etiam et apostolos apostolicosque[i] viros non improbare; in hoc tantum[k] a salute longe esse, quod Iesum Christum humano generi salutem afferentem Deum vel Dei[l] filium esse negant, Mahometque[m] seductorem, de quo supra dictum est[n], tanquam prophetam magnum summi Dei venerantur et colunt[o]. Cuius seductionis et, ut ipse mentitur, praedicationis tale apud eos traditur esse[p] exordium: *Initium euangelii Mahmet*[q], *filii Dei, prophetae altissimi: Lavamini, mundi estote.* Quod praeceptum praedicta gens stolide servans, secretiores corporis partes cottidie abluere solet. Ekkeh.

8. Anno ab incarnatione Domini 1103. imperator[r] Heinricus[s] natale Domini Moguntiae[t] celebravit, ibique Heinrico filio suo rege post se designato, sepulchrum Domini se visitaturum publice denunciavit ac multos ex diversis partibus[u] regni ad idem accendit. Anno dehinc proximo natale Domini Ratisponae agens, orta seditione, Sigehardus comes a familia principum, qui ministeriales dicuntur, eo quod iusticiam eorum infringere diceretur, occisus est. Ekkeh.

a) *deest* 2. 2*. b) quo 3. c) Hier. 1. d) accederat 1; accenderât 5. e) Gvvibertum 1. 7; Guuibertum 2. 2*; Gwibertum 3. 4. 11; Guibertum 5, *et sic deinceps.* f) Crescencii 1. g) sedem 2. 3. 4. h) peccuniam 1. i) Gvviberto 1; Guuiberto 2. 2*. 4. k) Pascali 1. l) *deest* 1. m) Hier. 2. 7; Hyer. 4. n) Gotfr. 2. 2*. 4. o) Baldewinus 5; Baldwinus 7; Balduwinus 2*. p) *deest* 3. q) sufficiat 1. 2. r) Gvvibertus 1; Guibertus 2. 2*. 5; Guuibertus 4. s) Kûnradus 1; Chûnradus 2*. t) octavo 1. u) anno *editt.* v) Willelmus 1; Guillelmus 2. 2*; Gwillelmus 3. 5; Gwillihelmus 4; Gwillehel. 7. w) Iuvanensis 5 *et edd.*; Salzburgensis *superscriptum in* 2 *manu saec. XV.* x) *deest editt.* y) destuxit 1. z) Guillelmus 2. 2*. *) Germania, Aquitania, Italia 3. a) positos 2. 2*. 4. b) Quam — executus est *post* coronatus est *adduntur in* 13. c) hyst. 2. d) Themo 2* 3; Tyemo 4, *erasum in* 2. 2* A 1. e) a rege *add.* 13 *et editt.* f) comminuerit 1. g) Quod — abluere solet *desunt* 13. h) dif. est cred. 2. 2*. i) apostolicos 5. k) tamen 1. l) domini vel dei 1. m) Mahimât 5. n) est *deest* 1. o) negat ... veneratur .. colit *editt.* p) esse *deest* 2. 2*; esse traditur 2* A. 4. 7. q) Mahimet 5. r) inper. 2*. s) Hainr. 2*, 2* A 1. t) Maguntię 5. u) div. ex part. 2.

8) Cf. passio Thiemonis supra SS. XI, 59.

Ekkeh. Anno dehinc iterum[a] sequente natale Domini Moguntiae imperatore[b] celebrante[c], Heinricus filius eius rebellationem[d] contra patrem in Noricis partibus consilio Theobaldi[e] marchionis et Berengarii comitis sub specie religionis, eo quod pater eius a Romanis pontificibus excommunicatus esset, molitur, ascitisque[f] sibi quibusdam ex orientali Francia, Alemannia, Baioaria principibus, Saxoniam, terram et gentem contra regnum[g] facile animandam, ingreditur. Ubi honorifice susceptus ac pascha Domini Quitilinburg[h] manens, universos gentis illius primates ad voluntatem suam inclinavit. Habitoque in villa regia Northusen[i] episcoporum conventu, praesidente Rothardo Moguntino archiepiscopo, qui a sede propria iam per multum temporis a rege pulsus fuerat, symoniam[k] aliaque Romanae ecclesiae contraria condempnavit, ac post pentecosten Martinopoli ferians, Heinricum[l] Magdeburg[m] electum, sed a patris sui fidelibus repulsum, consecrari fecit. Inde collecto milite, Mogontiam[n] archiepiscopum restituturus iter flectit, sed patre cum multis adventum eius[o] armata manu infra[p] muros praestolante[q], votum ad effectum perducere non potuit. Dehinc Herbipolim[r] petens, Erlongo eiecto, Robertum eidem praefecit ecclesiae. Quo pacto[s] dimissis Saxonibus, cum Baioariis castrum Noricum obsidione cingit, ipsoque per duos vel amplius menses expugnato, Ratisponam Norici ducatus metropolim adiit. Quem pater e vestigio subsequens, Roberto[t] fugato, Erlongum restituit; inde progressus, Ratisponensium auxilio filio urbe fugato, ipse pontificem ibi Ulricum quendam constituit, ac Theobaldi[u] marchiam per Boemos vastavit.

Ekkeh. 9. Igitur regno in se ipso miserabiliter diviso, ex omnibus eius viribus coadunato milite, ferro flammaque crudeliter vastata terra, in ripa Regini[v] fluminis uterque, scilicet pater et filius, consedit. Iam castra disponuntur, iam acies ordinantur, iam ad parricidiale[w] scelus pater in filium, filius in patrem a suis inflammatur[x]. Sed fluminis alveo nefarii conatus impediebantur. Videres lacrimabiles ac miserabiles[y] apparatus; cerneres mundum contemptum sui luce clarius effectibus suis prodentem, quod[z] videlicet contra legem naturae filius in patrem assurgeret, contra normam[*] iusticiae miles regem, servus dominum impugnare[a] pararet, frater contra fratrem, consanguineus contra consanguineum staret, ac proprii sanguinis consortis sanguinem fundere cogitaret.

Nonne tam inauditum, tam inhumanum hoc mundi factum ad contemptum sui solum nos provocare posset? Nunquid non ipse mundus, vel potius, iuxta Augustinum, immundus[b], sic amatores suos falsis delectationibus pellectos decipit, huiusmodi commercia inhaerentibus sibi tribuit, ac ad ultimum transeundo in interitum[c] trahit[d]? Haec sunt iuxta Paulum tempora novissima et ideo periculosa, in quibus homines quae sua, non quae Iesu Christi quaerentes, et ideo se ipsos amantes, scelerati, sine[e] afflictione[f] parentibus inobedientes effecti, ad ausus nefarios factaque nefandissima per diversa voluntatum suarum flagitia voluntati rapiuntur. Et nota, quod haec nostra tempora, quae utique novissima creduntur, tanquam prioribus sceleribus finem impositura[g] ac velut[h] mundi terminum ex flagitiorum immanitate[i] minantia et ex opposito[k] regnum Christi appropinquaturum prodentia, sicut[l] quosdam[m] sceleratissimos ac mundi amatores avidissimos, sic alios zelo Dei ferventissimos ac coelesti desiderio plenissimos habent; ut sicut hos nequitiae[n] spiritus, iam modicum tempus habens et ob hoc amplius inardescens, amplius ad vitia[o] inflammat, sic istos dulcedo regni coelestis, quasi[p] iam in ianuis[q] posita, ad amorem suum magis alliciat. Unde circa haec tempora, dum regnum Romanorum non solum civiliter sed et parricidialiter[s] libidine dominandi dividitur, alii contemptis suis pro Christo, ac militiae cingulum se non sine causa gestare considerantes, Ierusalem tendunt; ibique novum militiae[t] genus[u] exorsi, sic arma contra inimicos crucis Christi gestant, ut crucis[v]

Sermo 105. de verbis Luc. XI, 8.

a) dehinc iterum *desunt* 1. b) imperatore *deest* 1. c) sequente imperatore iterum nat. dom. mog. celebr 2. 3. 5. 7; s. i. n. d. i. m. c. 2*. 2* B 1. 2* A 1. d) rebellionem 5 *et editt.* e) Theopaldi 2. 2*. f) ascitisque 1. 2. 2*. g) regem *editt.* h) Quitilineburg 1; Quitilinburg 2. 2*; Quintilinburg 3; Quitilinburch 4; Quitiliniburg 5; Quitilineburg 7; Quitelinburg 13. i) Horthusen 2; Hortenhusen 2*; Nortusen 3. k) simonia 3, simoniam 4. l) Heinricus 1. 2. 3. m) Magdebḡ 2. 2*. 3. n) Moguntiam 2*. o) expectans *add.* 3. p) intra *editt.* q) *add. m. secunda* 3. r) Erbipolim 1. 2. 11. s) peracto 1. 2. 2* 7. t) Růberto 2. u) Th. opaldi 1. 2. 2*. 7. v) in Regini 1. 2. 2*. 3, iuxta Rhenum 4; in ripa Rheni 5; *ita nunc etiam* 7. *sed ante scripserat* in ripa Regni; in ripa Regini *editt.* w) parricidale 1. 2. 2*. 4. x) inflammantur 11. y) *ita* 5. 7; mirabiles 1. 2. 3. 4. z) quod *deest* 1. *) nomam 1. a) inpugnare 2. b) inmundus 1. 2. 2*. 5. c) ad int. *editt.* d) mittit 2*. 2* A 1. 2* B 1. e) sunt 2; s̄ 3. 4. f) affectione 5. 7 *et editt.* g) inpositura 1. 2. 4. h) velud 1. 2*. i) flagiciorum inman. 1. k) obposito 1. 2. l) sicut ut 1. 2. m) dixi *add.* 1. 2. 3. n) nequiciae 1. 2. 4. o) vicia 1. 2. 4. p) qua 2. 3. q) *deest* 1; rānis 2. r) *deest* 3. s) parricidaliter 1. 2. 2*. 4. 5. 2* A 1. t) miliciae 1. 2. u) gen. mil. 1. v) Christi *add. editt.*

mortificationem iugiter in suo corpore portantes, vita et conversatione non milites sed monachi videantur. Rigor etiam tam in monastico quam in clericali ordine ex hinc usque in praesentem diem amplius coepit crescere, ut iusto Dei iudicio, civibus mundi in sordibus sordescentibus, cives sui ad summam virtutum per eius gratiam magis ac magis proficiant. Sed iam ad historiam[a] revertamur. Ekkeh.

Igitur dum in ripa fluminis praedicti[b] uterque consedisset exercitus, ac quibusdam in ipso flumine sibi invicem occurrentibus occisis, Heinricus iunior omnes vires patris in duce Boemiae Beroe[c] ac marchione Leopaldo[d], cuius sororem praefatus dux habuit, fore considerans, ipsos multis modis, promissa sorore sua, quae tunc nuper a Friderico Suevorum duce viduata fuerat, in uxorem marchioni, inductos, ambobus ut patrem relinquerent persuasit. Quibus recedentibus, imperator cedere compellitur, et ex hinc vires eius imminui[e] iuniorisque crescere coeperunt. Rothardus tunc Moguntinus archiepiscopos sedi suae per iuniorem Heinricum 8. ex quo pulsus est anno restituitur[f]. Ekkeh.

10. Non[g] multo post filius patrem in oppido[h] Rheni[i] Binge alloquens, ad obedientiam Romanae sedi de anathematis vinculo exhibendam hortatur. Pater vero[k] conventum pro hac re principum coadunari rogat, sicque ad petitionem[l] suam curia Moguntiae in proximo natale Domini celebranda cunctis regni primoribus[m] indicitur. Ekkeh.

Circa idem tempus Balduinus[n] rex Aschalonem[o] obsidione cinctam[p] tributariam fecit. Commisso etiam cum Sarracenis praelio, cum paucis, id est quatuor milibus, divina magis quam humana virtute, uno principe eorum capto, altero occiso, 50 milia fudit. At Alexius imperator perfidissimus, iam diu conceptam corde[q] maliciam celare amplius non valens, cum Turcis, qui iam pene desperati erant[r], turpissime foederatur, eisque Nicaeam multo nostrorum sanguine acquisitam impiissime tradidit. Vide[s] tempora periculosa, duobus imperatoribus, Orientis videlicet et Occidentis, Deo contrariis.

11. Anno ab incarnatione Domini 1106. in natali Domini maximus conventus principum Moguntiae[t] factus est, ubi supervenientes apostolicae sedis legati anathema a Romanis pontificibus in imperatorem factum manifeste omnibus qui aderant promulgabant. Ea propter, dum ipse in quodam castro positus ac custodiae mancipatus audientiam peteret, principes seditionem vulgi timentes ei apud Inglinheim[u] occurrunt, ibique multis modis commonitum vel iuxta alios circumventum ac coactum insignia regni resignare ac filio mittere, 43. regni sui post mortem patris, imperii 5.[v] anno, ad quod tamen potenter magis quam iuste a Gwiberto[w] capta Urbe sublimatus fuerat, persuadent. Quae omnia utrum licite an secus acta sint, nos non discernimus. Sunt tamen qui credant, ei ad probationem non ad dampnationem hanc temptationem circa finem suum contigisse, affirmantque ipsum elemosinis[x] ac multis misericordiae operibus a Domino meruisse, ut excessus eius lascivaque ex fastigio regi conversatio[y] hoc modo in praesenti puniretur[z]. Reversi ad filium optimates imperialia deferunt, eumque primo a patre electum, per impositionem[*] manus apostolicae sedis legatorum cunctorumque electione 95.[a] ab Augusto regem creant, anno, ut dixi, dominicae incarnationis 1106. Ekkeh. Ekkeh.

Hucusque tam ex Orosii quam Eusebii et eorum, qui post ipsos usque ad nos scripserunt, libris lecta posuimus. Caeterum quae secuntur, quia recentis memoriae sunt, a probabilibus viris tradita vel a nobis ipsis visa et audita ponemus.

12. Resignatis[b] ab imperatore regalibus, ipse iam ex rege opulentissimo ac potentissimo, miserabile mortalibus relinquens exemplum, egens factus, ad inferiores partes Rheni in Belgas se contulit, ibique a Coloniensibus non ut exul sed ut rex regio apparatu susceptus est. Haec civitas in Belgica Gallia super Rhenum posita omnibus Galliae ac Germaniae urbibus, ex quo Treveris labi coepit, tam diviciis quam aedificiis, magnitudine ac decore sui praeferenda cognoscitur. Inde Leodium digressus ab eisque fastigio regali

a) propositum 13. b) praed. flum. 2. 2*. 5. c) *ita* 4; Boroe 1. 2. 2* 3. 5. 7. 11. d) Liupaldo 1. e) minui 2*. 2* A 1. 2* B 1. f) restitutus est 2*. 2* B 1. g) Aon 1. h) opido 1. i) Rehni 2* *constanter; ita et* 2* A 1 *et* 2* B 1. k) *additur secunda cura* 2. l) peticionem 1. 2. m) primoribus regni 1. n) *ita* 7; Baldiwinus 3; Baldunius 4; baldewinus 5. 13. balduwinus 2*. o) Ascalonem 5. p) cunctam 2*. q) eorum de malicia 3; eorundem malicia 2. 2*; eorundem maliciam 2* A 1. 2* B 1. r) desperaverant 1. s) unde 2*. t) Mogontię 5. u) Inglinhaim 1. 2. 2*. 3. 7. 13; Ingelenheim 5. v) vero 1; secundo 2. 3. 4. w) Gwib. 3; Guuib. 4; Gviperto 5; Gviberto 7; Giberto 13. x) *deest* 2*; *add. sec. manu* 2* A 1. y) conversacio 2. z) pun. in pr. 2. 2*. *) inposition. 1. 2*. 4; imposicion. 2. a) *ita* 4; xc. ṽ. 1. 2. 3. 11. b) Designatis 1; *ita etiam* 2 *primo habuerat, sed post correxerat:* Resignatis. *Idem in* 2* *factum videmus hoc modo* D; *in* 2* A 1 *et* 2* B 1. *vero* resignatis.

susceptus, omnibus, se *fraude* circumventum, se ad reddenda regalia vi coactum, quibus potuit in regno suo seu aliis regnis positis declamavit[a]. Extat[b] de hoc inter caeteras eius epistolas ad regem Celticae, qui Francorum dicitur, seu Aquitaniae ducem[c] epistola[9] missa, quae miseriarum eius tragoediam continens saxeas quoque[d] mentes ad mutabilium rerum aerumpnas contemplandas ac deplorandas emollire posset, quae[e] sic incipit: *Princeps karissime et omnium, in[f] quibus post Deum[g] speramus[h], amicorum nostrorum fidissime, primum et praecipuum inter omnes vos[i] excepi, cui conqueri et deplorare calamitates et omnes miserias meas necessarium duxi, et etiam genubus[k] vestris advolvi, si liceret salva maiestate[l] imperii.* Filius itaque iam rex[m] collecto milite patrem subsequens, circa Mosam consedit, ubi a Heinrico duce Belgarum aliisque patris sui fidelibus super pontem Mosae in loco qui Guegesaz[n] dicitur, bello temptatus cedere compellitur. Non multo post ipso ad superiores Rheni partes redeunte ac rursum[o] militem instaurante, pater Leodii moritur. Sicque intestino hoc malo terminato, pacis negotia tractantur.

cf Sigeb. a 1106.

13. Heinricus quintus, patre mortuo libere regnans Coloniam Agrippinam obsidione cingit, eamque tandem, multae pecuniae[p] pactione accepta, ad deditionem coegit, omnibusque in Gallia seu Germania rite compositis, episcopos, etiam qui in scismate propriis sedibus pulsi fuerant, restituit. Inter quos venerabilis Iuvavensis[q] ecclesiae archiepiscopus Conradus[r], qui hactenus in ecclesia Dei florere fructuoso labore noscitur[s], ad sedem, quam post mortem felicis memoriae martyris Themonis[t] Bertholdus[u, 9*] quidam concessione senioris[v] invaserat, missus est. Eo tempore Colomannus[w] Ungarorum rex fratrem suum Almum de consortio regni suspectum habens persequitur. Qui profugus ad regem Heinricum[x] veniens iniuriamque suam[y] deplorans, auxilium eius impetrat. Itaque condicta rex expeditione Ungaros bello petit; sed castro, quod Bosan[z, 10] vocatur[*], inconsulte se occupans, parum proficere potuit, sicque infecto negocio ad propria rediit.

14. Anno abhinc tertio[a], ex omnibus regni visceribus infinito contracto exercitu, Romam iturus, per montem Iovis Pyrenaeum transit, ac in plano Italiae residens, iuxta Padum militem recensuit. In comitatu eius 30 milia equitum electorum, exceptis his qui ex Italia ad eum confluxerant, tantumque castrorum ambitum, qui adhuc superstites sunt, fuisse tradunt, ut visu vix penetrari potuisset. In plano ergo Italiae castra metantes, unusquisque militum ante papilionem suum lumen noctu[b] accendit[c]. Quod ad humanae ostentationem gloriae factum, quantum spectaculum indigenis in tam amplo ambitu praebuerit, dicere non oportet. Inde castra movens Appenninum transcendit, oppidumque, quod Pons Tremulus vocatur, natura locorum ac altissimis turribus munitissimum, transitum prohibens, expugnavit et cepit. Post haec per Tusciam iter agens Ariciam[10*], in robore moenium ac altitudine turrium confidentem, eo quod cives eius urbis ecclesiam sancti Donati extra muros, ne sedes episcopalis ibi haberetur, destruxissent, ad solum usque prostravit. Verum Novariam Liguriae civitatem, dum per Longobardiam[d] pergeret, ceperat ac igne cremaverat[e]. Multis ergo tam in ulteriore quam citeriore Italia, quae modo Longobardia et Tuscia vocantur, fortiter gestis, ad Urbem usque progreditur. Ibi a Paschali[f] papa cum clero et populo Romano in urbe Leonina ante fores beati Petri cum crucibus et thuribulis[g] aliisque ecclesiasticis seu forensibus ornamentis stante et adventum eius praestolante cum maximo tripudio suscipitur. Ipse autem praefatum pontificem consilio quorundam sceleratorum cum magna tamen reverentia captivavit ac Ulrico Aquileiensium patriarchae custodiendum commisit, sicque tumultu orto ac omnibus preciosis rebus ad decorem et regale fastigium expositis immaniter[h] distractis, in luctum versum est gaudium.

Occasio autem huius sceleris haec fuit, quod rege Romam tendente, inter ipsum[i] et papam conventio facta ac[k] obsidibus firmata narratur, ut scilicet rex investituras

a) *Alb.* 1106: declaravit. b) Narrat 2; Errat 3. 2* B 1; erat 4. 2* A 2; extat *corr.* Narrat 2* A 1. c) seu Aquitaniae d. *desunt* 13. d) que 3. e) qui 1. 2. f) *deest* 3. g) in deum post Deum 2*. 2* A 2. 2* B 1; *ita et* 2* A 1 *prius scripserat, quae tamen secunda manus post correxit.* h) speram. p. D. 1. i) nos omnes 1. k) genibus 2. 2*. 3. 4. l) magestate 1. 5. m) rex factus *editt.* n) Suegesat 13. o) rursus 5. p) peccuniae 1. 2. q) Iuvaviensis 2; Iuvensis 7. r) Conradus 5; Chûnradus 2*. s) cognoscitur 1. t) Tyemonis 4. u) Berhtoldus 2*. 4; Berhtholdus 5; Bertaldus 7. 11. v) Heinrici *additur in* 1 *et* 2 *iisdem manibus.* w) Folomannus 1. x) *deest* 3. y) *deest* 3. z) Bosan 1. 2. 2*. 4. 5. 13; posonium 2* B 1. 11; bosan 3; Posonium *editt.*; Bosan *superscr.* 7 *man. saec. XV.* Presburg. *) dicitur *editt.* a) tercio 1. 2. 4. b) *recepi ex* 5. 7. 13, *deest cael. codd.* c) accenderet 1. 2. 2*. 3. 11. d) Longobardia 1. e) concremaverat 1. f) Pascali 1. g) thuribilis 3. h) inmaniter 1. 2*. i) *ita* 4; episcopum 1. 2. 2*. 3. 2* A 1. 2* B 1. k) et 5; ab *edd.*

9) apud Urstis. p. 396. 9*) obiit d. 9. April. 1147. 10) Presburg. 10*) Arezzo.

episcoporum remitteret, et papa ipsi[a] regalia eorum resignaret. Itaque dum Romam venisset, ac a pontifice promissa sibi persolvi exegisset, papa, eo quod reclamantibus episcopis ea quae petebantur adimplere non posset, tanquam nocens, cum per omnia esset innocens, custodiae mancipatur. Videns haec venerabilis Iuvaviensis[b] ecclesiae archiepiscopus Conradus[c], qui cum rege venerat, zelo aequitatis vicem Dei dolens, factum hoc improbavit. Cui dum quidam ex ministris regis Heinricus cognomento Caput[d] evaginato gladio mortem interminaretur, tanquam pro iusticia mori optans iugulum praebuit, malens, si minas ille ad effectum perducere voluisset, temporalem vitam finire, quam tanti piaculi scelus dissimulare. Populus etiam Romanus cum infinita erumpens multitudine[e] Tyberim transeunt, ac regem pene ex improviso, multis de exercitu in Urbe sive in agro manentibus, ante gradus ecclesiae sancti Petri invadunt. Rex ergo, ut erat armis experientissimus, cum paucis quos ibi habebat in hostem ruit, diutissimeque[f] ac acerrime suis iam adventantibus pugnans, occisis multis, caeteros in fugam vertit. Romani fuga in ponte iuxta castrum Crescentii[g] coartati, Tyberi se committunt, pluresque aquis quam gladiis perisse narrantur. Rex tam crudeli facto perpetrato, angustias portarum suspectas habens muros Urbis[h] rupit, egressusque papam captivum secum duxit[i]. Huius[k] maximi sceleris autor[l] fuisse dicitur Albertus, natione Lotharingus, qui postmodum factus est Moguntiae[m] archiepiscopus, tunc vero regis cancellarius et primus inter primos eius praecordialis consiliarius. Quem tamen post reditum rex captivatum[n] et in carcere positum diversis tormentis[o] et incredibili famis inedia afflixit, ipsumque de amicissimo inimicissimum ac regni sui pestiferum hostem divino iudicio usque ad vitae terminum sensit. Sed haec hactenus.

Igitur per aliquid temporis sacrilego ausu tento summo pontifice[k], conventione facta, rex a civibus revocatur, ac[p] extorto ab eo per vim[q] de investitura episcoporum privilegio et sic dimisso[r], Urbem ingreditur. Tunc quasi poenitentia ductus cives ac pontificem muneribus conciliat, ab eoque coronatus favore omnium imperatoris et augusti nomen sortitur anno ab incarnatione Domini 1111, anno vero regni eius post resignata a patre imperialia[s] quinto. Hoc privilegium, quod a Romano pontifice minis extorsit, postmodum synodo congregata, episcoporum auctoritas tanquam pravilegium[t] reprobavit.

15. Imperator ab Urbe regressus[u] ad Transalpina revertitur. Ergo non tantum finitimis sed et caeteris gentibus ob eius metum trepidantibus, cunctis ad imperium et voluntatem suam inclinatis[v], Belgas ingressus, Reginaldum[w] comitem hostem iudicans, bello petiit[x]. Quem in castro Barra[z] in termino regni sito obsidione clausum ad ultimum cum expugnato castro in deditionem accepit et captivum abduxit. Post haec Moguntiae[*] regio apparatu coniuncta sibi filia Heinrici regis Anglorum Mathilda[a], magnifice nuptias celebravit[11]. In ipsa nuptiarum sollempnitate Lotharius dux Saxonum, nudis pedibus sago indutus coram omnibus ad pedes eius venit, seque sibi tradidit. Tantus enim usque ad id temporis timor[b] omnes[c] principes[d] invaserat, ut nullus rebellare auderet, vel rebellans cum maximo dampno sui vel etiam vitae detrimento in gratiam eius non rediret.

Verum in hac curia, quia pene omnes regni principes confluxerant, conspirationes fiunt[e], ac ex hinc non solum occulta consilia sed et publica contra eum[f] machinamenta disponuntur. Hinc iterum miserum imperium, quod per paucos vix quieverat annos, scinditur, ac tam in Transalpinis quam in Cisalpinis regionibus intra se colliditur. Hinc etiam[g] publica bella cum magna[h] sanguinis effusione, tam praesente imperatore quam in Italiam migrante, rerumque summam sororiis suis[12] Conrado[i] et Friderico[k] committente, peraguntur. Sententia quoque anathematis[l] a Calixto, qui Paschali[13] et Gelasio successit, suadente Alberto Moguntino[m], Friderico Coloniensi, Conrado Iuvaviensi, in eum datur, iterumque

a) ipsius 1. 2. 2*. 4; ipsus 3. b) Iuuauiensi 1; Iuuauensis 4. 7. c) Chůnradus 2*. d) capud 5. e) erumpens multitudine 1. f) diutissime 1. g) Crescencii 1. h) urbi 1. i) capt. duxit secum duxit 2. k) Huius — pontifice *desunt* 13. l) auctor 2. 2*. 4. m) Moguntinus 7. n) captivavit 1. o) tormentorum generibus 2*. 2* A 1. 2* B 1. p) *ita omnes codd.*, 13 *vero et editt.* et per conditionem dimisso summo pontifice ac ... q) per vim *desunt* 1. r) *ita* 1. 2. 2*. 3 *et cod. Argent.* s) imp. a patre 2. 2*. 4. t) *haec vox eodem modo scribitur in* 2. 2* *et* 4 *quo* privilegium, *scilicet* ꝑuilegium. u) regrediens 3. v) *deest* 2* 2* B 1. w) Reinaldum 5. x) peciit 1. z) Barram 3. *) Mogontię 5. a) Mahtilda 2. 7; Mathilda 2*; Mahtilde 4; Mahthilda 5. b) tim. u. ad id temp. 1. c) omnes *deest editt.* d) regni *add.* 5. 7. e) fiuunt 1. 2. 2*. 3; fiunt 4. f) contra eum *des.* 1. g) iam 5. h) multa 5. i) Cŏnrado 5. k) Fiderico 1. l) *ita* 1—5. 2*. 2* A 1. 2* B 1. 7. 11; excommunicationis 13 *et editt.* m) moguntio 2; maguntino 4.

11) die 7. Ianuarii 1114. 12) filiis Agnetis, quos ex priore marito Friderico de Stouphe duce Sueviae susceperat. Vide Ott. Gesta Frid. I. 8. 13) Paschalis II. obiit die 21. Ianuarii 1118.

scismate renovato, totum imperium perturbatur. Ipse autem procinctum contra Urbem movens, Burdinum[14] Hispanum episcopum Romanae sedi violenter imposuit, qui non multo post apud Sutrium, recedente imperatore a Romanis captus, apud[a] Cavam[b] custodiae mancipatur.

Circa idem tempus terrae motus horribilis oppida, templa, villas montesque plurimos, sicut[c] usque hodie in valle Tridentina apparet, subvertit. Ea quoque tempestate Stephanus Ungarorum rex, Colomanni filius, cum magna multitudine fines regni clanculo invasit, ac vastatis terminis manubias abduxit. Quem illustris vir Leopaldus marchio, adiuncto sibi duce Boemiorum[d], subsecutus, usque ad claustra terrae progreditur, captoque ac succenso castro, quod Ferreum vocatur, et cuncta in circuitu ferro igneque vastata terra, sine dampno ad propria revertitur[e].

16. Igitur Romano imperio multis modis[f] in se attrito, imperator propter anathema deficere a se regnum videns patrisque metuens exemplum, congregato iuxta Warmatiam[g] maximo principum conventu, investituram episcoporum legato apostolicae sedis Lamberto, qui postmodum summus pontifex factus Honorius est dictus, resignavit, per eumque ab anathematis vinculo absolutus est. Privilegium ergo de hoc ecclesiae scribitur; ac ipsi rursum, ut electi tam Cisalpini quam Transalpini non prius ordinentur episcopi, quam regalia de manu eius per sceptrum suscipiant, scripto confirmatur. Hoc pro bono pacis sibi soli et non successoribus datum dicunt Romani. Ex hinc ecclesia libertati ad plenum restituta paceque ad integrum reformata, in magnum montem crevisse sub Calixto[h] papa secundo invenitur. Vnde de ipso Romae scriptum est:

Ecce[i] *Calixtus*[k] *honor patriae, decus imperiale,*
Burdinum[l] *nequam dampnat, pacemque reformat.*

Post haec[m] imperator in Celticam cum exercitu profecturus[15] Metis usque progreditur; ibi dum Vangiones[n] a se defecisse ac palatium suum extra muros positum comperit destruxisse, iter reflexit, urbemque obsidione cinxit. Dum autem cives incaute quadam die erumperent et cum augusto pugnare cogitarent, a muris callide provocati, plurimis occisis ac paucis per fugam elapsis, caeteri capiuntur, qui ad refrenandam aliorum insolentiam, alii naribus mutilati, alii luminibus orbati dimittuntur, et sic demum infinitae pactione pecuniae[o] in gratiam imperatoris redierunt. Omnibus itaque bene compositis, consilio generi[p] sui[16] regis Anglorum totum regnum[q] vectigale facere volens, multum in se optimatum[r] odium contraxit[s]. Huius rei gratia, dum inferiores[t] Rheni[u] partes[17] circuire parat,
1125. Mai. 23. in Traiecto Frisiae[v] urbe morbo correptus, 19. regni anno, imperii vero 14. diem ultimum clausit, ac per Coloniam Agrippinam deportatus, in civitate Galliae Spira[w] iuxta patrem, avum, proavum, imperatoris cultu regio sepelitur[x].

17. Anno ab incarnatione Domini 1125, defuncto absque haerede Heinrico quinto,
Aug. 24. principes Moguntiae[y] conveniunt, ibique habito de successore consilio quatuor regni optimates[z], Lotharius dux Saxonum, Fridericus[18] dux Suevorum, Leopaldus[*] marchio orientalis, Karolus comes Flandriae, ad regnum designantur[19]. Tandem Lotharius natione Saxo, patre
Aug. 27. Gebehardo, voto omnium, renitens valde ac reclamans, ad regnum tractus sub praesentia sedis apostolicae legati[20], 92.[a] ab Augusto regnavit. Hic per omnia progeniem imperatoris
3 Reg. 11, 39. Heinrici humiliavit[21], ut plane Dei iudicio iusto[b], sicut in libro Regnorum[c] habes, ex peccatis ac praevaricatione patrum semen ipsorum[d] affligi videretur. Unde gravis dissensio

a) aput 1. 2*. b) clauam 1—5. 7; *deest* 2*. 2* A 1. 2* B 1. c) sic 7. d) boemorum 5. e) *hinc capitum numeri non amplius consonant in* 13. f) mul. mod. imp. 1. g) wormatiam 5. 7. h) Kalixto 2*. 5. i) est 2* B 1. k) Kalixtus 5. 7 *semper*. l) Burdunum 1. m) hunc 7. n) Wangiones 5. o) pecuniae 1. p) *ita* 1—5. 7. 13. 2*. 2* B 1. q) totam terram 1. r) obtimatum 1. 2. 7. s) traxit 2*. t) inferioris 2; inferiori 3. u) Reni 2. v) Fresiae 2. 4. w) Spyra 1. 7; apud Spyram 4. x) sepultus est 2*. 2* A 1. 2* B 1. y) Mogontię 5. z) primates 1; obtimates 4. *) Liupaldus 1. a) XCIII. *editt.* b) iusto iud. 1; iusto Dei iud. 7. c) regum *editt.* d) eorum 1.

14) Bracarensem episcopum qui nomen Gregorii VIII. adeptus est. 15) anno 1124. 16) potius soceri, scilicet Heinrici I, cuius filiam Mathildem in matrimonium duxerat. 17) ubi Lotharii soror ex matre Gertrudis vidua Florentii comitis Hollandiae inde ab anno 1123. seditionem concitaverat. 18) cf. Gesta Ludov. VII. p. 390: *volebat sibi imperium quasi iure hereditario vindicare.* 19) a quadraginta scilicet electoribus, qui ex singulis Bavariae, Sueviae, Franconiae et Saxoniae provinciis desumpti erant; cf. Narrationem de electione Lotharii supra SS. T. XII. p. 530 sqq. et Ordericum Vitalem supra p. 76. 20) Duo sedis apostolicae legati Gerhardus et Romanus electioni intererant. 21) cf. Gesta I, 16.

regni in multos annos protracta, plurimos in anima et corpore[a] periclitari fecit. Praedicti enim Fridericus et Conradus iuvenes, sororii Heinrici imperatoris, dum se viderent opprimi[23], [1126.] in quantum poterant, reniti conabantur. Ob quam causam a summo pontifice Honorio, qui Calixto successerat, excommunicantur[24]. Porro Conradus[b] a fratre ac quibusdam aliis rex [Dec. 18. 1127.] creatus, Pyrenaeum per iugum Septimi montis[26], qua Rhenus[c] et Aenus[d] fluvii oriuntur, transcendit[27], ubi a Mediolanensibus, qui tunc Cumanum[e] bellum per 10 annos pro afflictione[f] populi utriusque civitatis miserrime protractum capta ac delata urbe prospere consumarunt, honorifice suscipitur[g], ac ab eorum archiepiscopo Anshelmo Modoyci[28], sede Italici regni, in regem ungitur. Pro his aliisque praefatus archiepiscopus[h] a summo[i] pontifice [1128. Iun. 29.] deponitur, et alter in locum eius subrogatur.

18. Non[k] multo post Honorio mortuo, gravissimum scisma in ecclesia Dei oritur, Innocentio[29] [1130. Febr. 14.] canonice electo, sed Petro[30] Petri Leonis filio violentia[l] amicorum suorum, qui fortissimi in Urbe erant, favente sibi Rogerio[m] Siculo, intruso. Cui dum Innocentius resistere non valeret in[n] Urbe, cedit[31], transcensisque Alpibus[o] Gallias ingreditur. Ubi in regno Gallici regis in civitate Alverniae apud[p] Clarummontem concilium celebrans, nuncios Lotharii [Nov.] regis, Conradum Iuvaviensem[q], Eribertum[r, 32] Monasteriensem episcopos, obvios habuit. Indeque profectus apud Leodium Belgicae urbem synodum episcoporum convocans, regem [1131. Mart. 22.] Lotharium ad defensionem sanctae Romanae ecclesiae invitavit. Qui nil cunctatus, exposito tamen prius modeste, in quantum regnum amore ecclesiarum attenuatum, investituram ecclesiarum[s] quanto sui[t] dispendio remiserit[33], auxilium Romanae ecclesiae promittit. Reversoque in Italiam summo pontifice, sequente[u] anno militem instaurat, exercitumque sed [1132. Sept.] propter discordiam regni parvum[34] per vallem Tridentinam in Italiam duxit, in multis locis tam amore Conradi[v] quam respectu paucitatis suae ab incolis terrae subsannatus et despectus. Verum paulo[w] ante Conradus, qui Mediolanensibus[x] rex constitutus fuerat, pene omnibus suis amissis, periculose ad patriam repedaverat[35]. Rex autem plus mente quam [1133. Apr. 30.] milite confidentiam gerens, ad Urbem usque progreditur, ibique qualibus potuit cum paucis strenue[y] peractis, in ecclesia sancti Salvatoris, quae Constantiniana dicitur, a summo pon- [Iun. 4.] tifice Innocentio coronatus, imperatoris et augusti adeptus est nomen. Nempe ecclesiam beati Petri, ubi coronari mos erat imperatoribus, Petrus[z] eo tempore occupaverat.

19. Imperator ab Urbe rediens, Germaniam ingreditur[36]; non multo post generalem curiam Babenberg[*] circa mediam quadragesimam celebrans, Fridericum et Conradum[37], [1135. Mart. 17.] duces interventu Clarevallensis abbatis Bernhardi[a, 38] in gratiam recepit. Ac ita renovata pace omnibusque in Gallia[b] et Germania bene compositis, expeditionem rursum[c] in Italiam edixit[d]. Inde in Saxoniam divertens, Polanorum[e] ducem[39] cum multis muneribus obvium habuit[40]; quem tamen non ante dignatus est suo conspectui praesentari, quam tributum 12[f] annorum, hoc est 500 libras ad singulos annos, persolveret, et de Pomeranis et Rugis homagium sibi faceret subiectionemque[g] perpetuam sacramento confirmaret. Regem quoque[h] Datiae in signum subiectionis ad decorem imperialis reverentiae gladium sibi sub corona deferre fecit[41], ac ab Ungarorum rege, terrore perculso, multa et magnifica munera suscepit.

a) et in c. 3. b) Kůnradus 1. c) Renus 2*. 2* A 1. 2* B 1. d) Enus 1. 2. 2*. 4. 5. 11. e) Gumanum 1. 2. 3 4. f) an. profligatione 11. g) suspitur 1. h) episcopus 3. i) sumo 1. k) Aon 1. l) violenti 1. m) Růgerio 1; Rŏgerio 2; Rugerio 3; Rogerio 4; Rŏgario 2*. 2* B 1; Rugario 2* A 1. n) *deest* 7. o) *Alb. p.* 265: et per mare Tirrhenum. p) aput 2* *semper*. q) Iuvavensem 1. 4. r) Ekibertum 7. 11. s) eorum *editt.* t) sibi *editt.* u) *ita* 2. 3. 4. v) Kůnradi 1. w) *deest* 2. 2*. x) Mediolani 4. y) strennue 2. 2*. z) petitus 2. 3. 4. *) Babemberg 1; Babinberch 2. 2*. 7; Babenberg 4; Babenberch 5. a) Bernandi 1; Berenhardi 2*. b) gratia 2; grecia 2*. c) *deest* 2* A 1. d) eduxit 3. e) Polanorum 1. 2. 4. 5. 7. 11. 2*. 2* A 1. 2* B 1. f) X. 2*. g) hominum sibi subiectionem 2*. 2* A 1. 2* B 1. h) regemque *editt.*

23) Fridericus enim in curia Argentinensi habita circa finem anni 1125. vel circa initium insequentis iudicio principum proscriptus est. 24) die 22. April. 1128. 26) Septimer. 27) ineunte anno 1128. 28) Monza. 29) antea Gregorio cardinali diacono tituli S. Angeli. 30) cardinali presbytero tituli S. Mariae Transtiberim. 31) ante diem 1. Martii 1130. 32) potius Ecbertum. 33) Epist. S. Bern. 150. Ernaldi vita S. Bern. I, 5. pag. 1109. 34) cf. S. Bernard. ep. 139. 35) cf. Jaffé p. 236 de tempore quo Conradus in Germaniam rediit. 36) ineunte mense Aug. 1133. 37) Conradum non in curia Bambergensi, sed circa finem Sept. in Mulehusen in gratiam imperatoris rediisse, ostendit Jaffé p. 161 n. 21 ex litteris Lotharii apud Annal. Sax. 1135; cf. pag. 167. 38) vide Gaufred. vitam S. Bernh. opp. ed. Mab. p. 1151. 39) Boleslaum III. 40) in curia Merseburgensi d. 15. Augusti 1135. 41) Haec in curia Halberstadensi d. 15. April. 1134 facta sunt; cf. Jaffé p. 153. 165.

1136. Aug. Post haec exercitum, non ut prius parvum sed copiosum et electum, per vallem Tridentinam secundo in Italiam duxit, habens secum Conradum, qui, ut supra dixi, a quibusdam rex creatus, postmodum resipuerat, captisque in artis locis[a] fortissimis castellis, cum quodam capitaneo, qui ei aditum viae claudere moliebatur[42], in plano Italiae iuxta Gardam castra posuit. Quo in deditionem accepto, ad Padum[b] usque progrediens Garistallum[c] cepit. Ibi Mediolanenses ac[d] Cremonenses diuturnum inter se bellum habentes obvios habuit, discussaque utriusque[e] urbis causa, Cremonenses a principibus Italiae hostes iudicantur[f] proscriptique discedunt. Quos imperator subsecutus, territoria eorum ac villas seu
Nov. 8. castella destruxit, indeque Papiam[g] veniens cives illos pactione pecuniae[h] in gratiam suscepit[i]. Bononienses quoque ac Aemilienses, qui eum priori expeditione despexerant, supplices ac multum servitium offerentes ultro occurrunt. Post usque ad Taurinum pro-
1137. grediens, totam citeriorem Italiam[k] in provinciam[l] redegit. Inde Appenninum transiens ac interiorem Italiam perlustrans, Anconam[43], Spoletum cum aliis urbibus seu castellis in deditionem accepit. Dehinc contra Rugerium[m] aciem dirigens, Campaniam et Apuliam peragravit[44]. Porro Heinricus Noricorum dux, gener regis, per Tusciam exercitum ducens, summo pontifici usque ad imperatorem conductum praebuit. Augustus vero tam fortia in Apulia ac Campania gessit, ut nullus ex Francorum regibus a Karolo magno usque ad id temporis tanta ibi fecisse inveniatur. Denique non solum civitates, utpote Capuam, Troiam, Salernum, Barletum[n], Barram[45], cepit, verum etiam munitissima castra et arces inaccessibiles expugnavit. At Heinricus dux cum militia Baioariorum Beneventum[46] cepit ac papae restituit. Nam apud Albam suburbia civitatis sibi resistere nitentis[o] ante expugnaverat ac destruxerat.

20. Morante in Apulia imperatore, Rogerius[p], cum eum auri et argenti multo pondere attemptatum flectere non potuisset, exercitum longe copiosiorem congregat, seque publico bello conflicturum cum eo denunciat. Imperator vero, ut erat armis strennuissimus[q] et imperterritus, militem instaurat, aciem ordinat, eosque respectu genuinae fortitudinis ac innatae hostium ignaviae nulla inimicorum multitudine frangendos denuncians, praesertim cum in extera et remota regione positi ad patriam fugere nequeant, ac contra tyrannum non solum regni sed et ecclesiae hostem et excommunicatum iuste arma sumpserint[r], ad bellum[s] confortat. Cumque in occursum eius procederet, fractus animo Rogerius fugit, ac ad montana se contulit. Imperator vero, occurrente sibi summo pontifice Innocentio[48], Barram usque progreditur, ibique a civibus cum magno gaudio susceptus, castrum quoddam ibi positum, ubi praesidia Rogerii erant[t], artificiose valde expugnavit, militesque ibi repertos et praecipue Sarracenos patibulo suspendit. Itaque augustus, eiecto de Campania et[u] Apulia Rogerio, dum eum in Calabria[v] quoque seu Sicilia[w] persequi intentat, a suis[49], qui iam[x] longo tempore extra patriam morati uxores, liberos et amicos visere cogitabant, revocatur[50]. Rogerio ergo hoste iudicato, Reginaldo[y. 51] viro forti ac nobili ducatus Apuliae, relicta sibi parte militum, traditur[52], et sic princeps victor[z] de reditu disponit. Verum silentio praeterire nolumus, quod in[*] dando ducatu[a] inter ipsum et Romanum pontificem pene controversia orta fuit[b], utroque ducatum Apuliae sui fore iuris affirmante; quae lis consilio tandem hoc modo decisa dicitur, ut in dando duci vexillo uterque manum adhiberet[c].

Igitur Lotharius ex Italia rediens, apud Tridentum morbo correptus, in ipsis montibus in vilissima casa[54] imperator potentissimus, miseram humanae conditionis relinquens

a) locis artis 1. b) Phadum 5. c) Garistallium 3. 5. 7. 11. 13. d) et 1. e) *deest* 1. f) indicantur 2. g) Papiam *addunt* 5. 7. 13 *et editt.*, *deest* 1. 2. 3. 4. 2*. 2* A 1. 2* B 1. h) peccuniae 1 *semper*. i) indeque — suscepit *omiserat scriba* 2* A 1, *quae manus posterior post in margine addidit*, *excepto verbo* Papiam. k) perlustrans *add. edd.* l) provintiam 2. m) Rogerium 4. 5. n) *ita* 5. 7 *et editt.*; Barbetum 1. 2. 3. 4. 2*. 2* A 1. 2* B 1. o) nitentes 1. 2; intentis 3. p) Rugerius 1. 2. 3 *constanter*. q) strennuentissimus 2*. r) sumpserit *editt.*; sumerent 5. s) bella 1. t) fuerant 11. u) ac 2. v) Galab. 2. 4. w) Sycilia 1. x) tam 1. y) Reinaldo 5. z) victor princ. 1. *) *deest* 2. 3. 4. 2*. a) ducatus 1. 2. 3. 4. 2*. b) fuerit 2*. 2* A*. 2* A 1; fuerat 2* B 1. c) adhibent *corr.* adhiberet 3.

42) Vide Annal. Sax. 1136. 43) inter dies 10. Febr. et 9. Aprilis 1137. 44) ineunte mense Maio 1137. 45) Barletta, Bari; Salernum demum mense Augusto capta est. 46) circa d. 23. Maii. 48) die 30. Maii 1137. 49) instigante Heinrico duce Bawariae; cf. quae Jaffé p. 208 n. 117 ex Cinnamo notavit. 50) Haec mense Augusto facta sunt. 51) Alias Rainulfus vocatur. 52) exeunte mense Augusto. 54) apud Bredinam villam, Breitenwang inter Oenum et Licum.

memoriam, 13. regni sui, imperii vero 7. anno, plenus dierum obiit[55], futurus, nisi morte praeventus foret, cuius virtute et industria corona imperii ad pristinam dignitatem reduceretur. Regalia dux Heinricus gener eius, in cuius finibus obierat, accepit, et ipse per Augustam ac orientalem Franciam in Saxoniam ad monasterium Luter, quod construxerat, deportatus, honorifice sepelitur; actusque[a] eius, ut nulla possent aboleri oblivione, in plumbeis laminis descripti, iuxta eum reconduntur[56]. 1137. Dec. 3 et 4.

21. Circa illa tempora multi ex claris optimatibus mortem sui principis praecesserunt et secuti sunt. Bruno Coloniensis archiepiscopus venerabilis et adprime eruditus, in Apulia decedens, in ecclesia sancti Nicolai[b] Barrae honorifice[c] humatus est, eiusque successor Hugo infra duos menses vita et sacerdotio functus, item in[d] Apulia apud Melpham quievit. Ex his vero qui remanserant Albertus Moguntinus vir ad seculum prudens et potens, locupletissimusque Heinricus Frisingensis, episcopi, abbas Fuldensis, Leopaldus Orientalis marchio[57], vir christianissimus ac clericorum et pauperum pater, cum aliis plurimis nobilibus et illustribus viris[e] vivendi finem fecerunt. Rex etiam Francorum Ludewicus[f] et Anglorum Heinricus et Remorum archiepiscopus Reginaldus[g] comesque Pictaviensis Gaufridus eodem tempore obierunt. Et ex hinc Anglia, terra hactenus habundantissima, tantis malis subiacere coepit, quod multi ibidem fame et egestate attriti, vitam etiam miserabiliter finisse tradantur. Praefato enim rege mortuo, Stephanum principes[h], sororis suae filium, ex Gallia invitaverunt ad regnum. Porro uxor comitis Andegavensis Mathildis[i], quondam imperatoris Heinrici quinti[k] coniux, illius vero Heinrici regis filia, haereditario iure paternum regnum reposcens, usque in praesens illud affligere non desistit, in tantum quod in manus eiusdem foeminae praedictus rex ante paucos annos incidens captus sit. Francia quoque occidentalis rege suo amisso, sub illius filio Ludovico, qui adhuc superstes est, ob ipsius ac Theobaldi[l] Blesensis comitis guerram tot praedis et incendiis perpessa est discrimina, quod, nisi religiosorum[m] qui ibi morantur[n] meritis, orationibus et consilio nuper pacata fuisset, usque ad internecionem[o] deleta putaretur.

At Pannonia non longe ante hoc tempus mortuo rege suo Stephano, Colomanni[p, 58] filio, qui et ipse dum viveret[q], cum imperatore Graecorum[r] diutinam dissensionem habuerat, multis itidem incommodis oppressa est. 1131. Substituto quippe in regno[59] Bela Almi[60] filio, a Colomanno quondam pariter cum patre Almo luminibus orbato, Boricius, qui et ipse Colomanni, sed ex alia quam Stephanus matre, Rutenorum seu Chyos[s] regis[61] filia natus dicebatur, regnum paternum requirit. Proinde in Graeciam transiens, consanguineam sibi imperatoris Kaloiohannis copulavit, ac post Poluniam[t] ingrediens, ducem[62] terrae illius ad voluntatem suam inclinavit, sicque cum exercitu adiutorio[u] illius, ex vocatione quorundam Ungarorum[v] comitum, sylvas[w] quae Polunios[x] et Ungaros seiungit transiens, Pannoniam ingreditur. 1132. Verum Bela rex, ascito[y] sibi Alberto[z] Leopaldi marchionis filio, qui eius sororem[63] habuerat[*], ac quibusdam de regno nostro nobilibus, Boricio occurrit. Ille vero audito strepitu ac adhortantium voce, ex linguae idiomate multitudinem Teutonicorum in acie[a] fore cognoscens, illorum potius quam Ungarorum terrore perculsus, una cum Poluniorum[b] duce, amissis in fuga[c] multis, terga vertit. 1133. Iul. 22. At in ipso[d] primo Ungarorum et Polonorum[b] congressu, antequam Teutonici supervenirent, ex utraque parte caesis plurimis, quidam ex illis qui ex parte Belae aderant, sed hostibus suos perfide tradiderant, iusto iudicio fraudis suae poenas solventes occubuerunt. Haec mala nostris diebus in vicinis regnis pullulare cognoscimus. Quanta vero ex[e] remotis et transmarinis regnis in dies audiamus, pro fastidio vitando ad praesens supprimimus. Tanta enim sunt, quod nisi sanctorum, quorum per Dei gratiam

a) actusque — reconduntur *desunt* 7; *deerant etiam* 5, *post addita sunt manu saec. XIV; extant in* 13. b) Nycolai 2. 2*; Nicholai 5. c) barre et h. 3. d) functus est et in *editt.* e) viris plurimis 1. f) Ludewicus 1. 2. 2*; Loduuicus 4; Lodewicus 5. 7 *const.* g) Reinaldus 5. h) *deest* 5; principes Stephanum 7. i) Mahtildis 2. 2*. 3. 5; Mechthildis 4. k) quarti 13. l) Theopaldi 1. 3. m) religiosarum 2. 2*. n) *deest* 2*. 2* A 1; sunt 2* B 1; *deest* 2* A*, erant *add. in margine.* o) internicionem 1. 2. 2*. p) Chol. 1. 2. 2*. 3. 5. 7. q) adviveret 1. 3. 4, adhuc viv. 2. 2*. r) Grec. imp. 5. s) Chios 4. 2*. t) *ita* 1; Polimiam 2. 2*. 3. 4. 5. 7. 11. 13; *corr.* Poloniam 2* A 1. u) adiutorium 3. v) Ungariorum 2*. w) silvam 5. x) *ita* 1; Polimios 2. 3. 4. 5. 7. 11. 13. 2*. y) asscito 1; mox ascito *editt.* z) Adilberto 2*. 2* A 1. 2* A* 2* B 1. *) habebat 11. a) acię 2*. b) *ita* 1; Polimiorum 2. 3. 4. 5. 7. 11. 2*. c) fugam 1. 2* A 1. d) populo 1. e) ex *deest* 1.

55) De morte Lotharii cf. Jaffé p. 224, de eiusdem aetate p. 226—229. 56) Inscriptionem vide apud Origg Guelf. II, 352. 57) pater Ottonis nostri. 58) qui anno 1114 obierat. 59) anno 1131. 60) consanguinei regis Colomanni. 61) Wladimiri. 62) Boleslaum III. 63) Hedwigem.

magna nunc copia est, meritis et suffragiis staret mundus, in brevi omnino eum periturum
timere cogeremur

1138. 22. Anno ab incarnatione Domini 1138, defuncto in autumpno sine filiis imperatore
Mai. 22. Lothario, conventus generalis principum Moguntiae[a] in proximo pentecoste[b] condicitur[c].
Quidam autem ex principibus[64] timentes, ne forte in generali curia Heinricus dux[d], qui tunc
praecipui et[e] nominis et dignitatis in regno fuit[65], per potentiam praevaleret[f], circa mediam
Mart. 7[66]. quadragesimam, consilio habito, in oppido Galliae[g] Confluentia conventum celebrant, ibique
Conradum[h] imperatoris Heinrici sororium, de quo supra diximus, praesente Theodewino[67]
episcopo cardinali ac sanctae Romanae ecclesiae legato, summi pontificis ac tocius Romani
Mart. 13. populi urbiumque Italiae assensum promittente, 93.[i*] ab Augusto regem creant. Qui mox
ad palacium Aquis veniens, a praedicto cardinale — nam Coloniensis[k] qui id facere iure[l]
debuerat, noviter intronizatus pallio carebat — cooperantibus Coloniensi Treverensi[m, 68] archi-
Apr. 3. episcopis, cum caeteris episcopis in regem ungitur[n]. Proximum dehinc pasca Coloniae
celebrans, Moguntiam, quae tunc forte pastore carebat, adiit, ibique Albertum, prioris Alberti
April. 17–22. fratruelem[69], per electionem cleri ac populi archiepiscopum constituit[70]. At Saxones et dux
Heinricus aliique qui electioni non interfuerant, regem non legitime[o] sed per surreptionem
electum calumpniabantur, quibus omnibus in proximo pentecoste[p] generalis curia Baben-
berg[q] indicitur. Porro post regressum imperatoris Lotharii Rogerius[r] Apuliam recipere
gestiens, congressu cum Reginaldo[s] duce habito[t] in fugam versus est[u, 71]. Petrus Leonis
Ian. 24. quoque moriens pessimum scisma terminavit[72].

Mai. 22. 23. Itaque Conradus[v] rex in pentecosten[w] curiam in praefata civitate, ut condictum
erat, cum maximo regni fastigio, maximo conventu principum, habuit, ubi[x] omnes Saxones[73]
simul[y] cum viduata imperatrice Richinza[z] venientes, ultro se suae ditioni[*] subdidere.
Solus ex principibus Heinricus[a] dux regalia[b] servans aberat[c], ad quae reddenda in festi-
Iun. 29. vitate apostolorum Petri et Pauli dies ei praefigitur Ratisponae[d]. Quo veniens regalia qui-
dem reddidit, sed tamen[e] ante conspectum regis non admissus[74], infecto[f] pacis negocio, sine
gratia eius recessit. Cumque multis modis homo prius[g] animosus et elatus[h] sed nutu Dei
humiliatus misericordiam peteret, nec impetraret, tandem iudicio principum[i] apud Herbi-
Dec. 25. polim[k] proscribitur[75], ac proxima nativitate Domini Goslariensi in palatio[l] ducatus ei abiudi-
catur[m]. Et mirum dictu, princeps ante potentissimus et cuius auctoritas, ut ipse gloriabatur,
a mari usque ad mare, id est a Dania usque in Siciliam[n], extendebatur, in tantam in brevi

a) Maguntiae 4; Mogontię 5. b) pentecostes 1; pentecosten 2. 3. 4. c) indicitur *editt.* d) Noricorum *additur in* 13 *secunda manu et in editt.* e) et *deest* 1. f) praevalent 2*. g) *deest* 1. 2. 3. h) Cůnradum 5; Chůnradum 2*; Cŏnradum 13. i) Theodouino 7; Theodewino 11; Theodiwino 13. i*) XCIIII 13 *et editt.* k) Mogontiensis 2, *cuius vocis litterae* Mogonti *in lacuna eadem manu, sed atramento paulo pallidiori post addita sunt;* Coloniensis 2*. 2* A 1 2* B 1. l) *deest* 2. 3. 4; id iure fac. 5. m) *ita* 1. 2. 3 4; Trevirense 5. n) *hic addit* 2. *eadem manus s XIV. quae iam l. VI. c. 27. notulam adiecerat:* Illo tempore data est ecclesia Osterhovensis ordini Premonstratensi. o) legittime 13. p) proximo Pentecostem 1; proximo Pentecosten 2. 3. 4. 5. q) Babemberg 1; Babinberg 2. 2*. 7; Babenberc 4; Babenberch 5; Babinberge 13. r) Rug. 1; Rog. 2. 3. 4. 5. 2*. s) Reinaldo 5 *semper.* t) habitu 4; *deest* 13. u) conversus est 13. v) Cůnradus 5. 13. w) pentecoste 5. x) ut 2* A 2. y) *deest* 1. z) Richiza 2. 3. 4. 2*; Richenza 5. *) dicioni sue 13 a) d. Hein. 5 *et edd.* b) *secunda manu add.* 13. c) abierat *corr.* 2 *et* 2* A 1 aberat, *sicut etiam* 5 *et editiones;* abierat 1. 2*. 2* A 2. 3. d) Rat. praef. 5. 7. 13. 13*. e) tantum 7. f) *ita* 1. 2. 3. 6. 7. 11. 2*. 2* A 1. 2* B 1, *qui menda scribae loco* quo *exhibet* eaio; 4 *vero pro more ita decurtans:* Quo veniens regalia quidem reddit sed in conspectu regis sine gratia eius recessit. *Editiones autem una cum* 9. 13 *et* 13* *valde diversam exhibent lectionem.* Quo veniens regalia quidem multis illectus promissis reddidit, sed tamen ea minime consecutus infecto pacis *etc. Haec ex parte in* 5 *inveniuntur, in quo man. s. XIII ex. vel XIV. in. verbo* reddidit *superscripsit* multis illectus promissis[74]. g) primo 6. 7. h) *ita plerique codices;* 5. 11. 13. 13* *et editt. autem* praepotens et animosus. i) quorundam princip. 13 *et editt.* k) Herbypolim 5. l) in pal. Gosl. 7. 13; in pal. *desunt* 2*. 2* A 2. 3; *additur in margine* 2* A 1. m) *ita* 5. 7 *et editt.;* obindicatur 1. 2. 3. n) Sycil. 1.

64, id est Arnoldus et Albero archiepiscopi Coloniensis et Trevirensis, Bucco ep. Wormatiensis et Fridericus dux Sueviae. 65) Ipse enim, favente imperatore Lothario, Saxoniae ducatum et Tusciam Baioariae iunxerat. 66) v. Jaffé Conrad III. p. 5. n. 16. 67) qui natione Allemannus hac de causa Stoufensium partibus favebat; vide Jaffé Conr. p. 4. n. 11. 68) cf. Alberonis gesta auctore Baldrico SS. c. 83. 69) Friderici ducis Sueviae levirum. 70) Adeas Ottonis Gesta Frid. I, 22. 71) die 29. Oct. 1137; Jaffé p. 88. 72) cf. Jaffé Conrad III p. 88. 73) inter quos praecipui erant Adelbertus archiepiscopus Bremensis, episcopi Numburgensis et Patherbrunnensis et Conradus marchio Misnensis. 74) Confer quae de genuina et de interpolata huius loci lectione disputavimus in Annalibus nostris XI, 34 – 45. Genuinam omnino confirmat Dodechinus anno 1138. 75) Quo mense et quo die hic conventus, in quo Saxoniam Adelberto marchioni Conradus concessit, celebratus sit, non constat.

humilitatem venit, ut pene omnibus fidelibus et amicis suis in Baioaria a se deficientibus, 1139. Ian. clam inde egressus, quatuor tantum comitatus sociis in Saxoniam veniret[76].

Ea tempestate Reginaldo[a] mortuo[77], Rogerius Apuliam rectore[b] destitutam ingreditur, April. 29. expulsisque cum multis nobilibus Reginaldi fratre ac principe Capuano[78], tam ipsam quam Campaniam recepit, ac multis malis incolas eius afflixit, et usque hodie premit[c]. Beati etiam Benedicti monasterium in monte Cassino positum totique orbi venerabile multis ecclesiasticis ornamentis immaniter spoliavit. Tradunt[d] eum in prima[e] irruptione ac Barrensis[f] urbis expugnatione crudele et inhumanum piaculum[g] perpetrasse. Capta quippe urbe, non solum vivos diversis tormentorum generibus affecit, sed etiam in mortuos saeviens, Reginaldum ducem effossum[h] per plateas trahi iussit. Haec et alia crudelitatis opera ad antiquorum Siculorum formam tyrannorum, quae indesinenter de ipso audiuntur, quia pene cunctis nota sunt, omittimus. Sunt tamen qui dicant[79], eum haec potius intuitu iusticiae quam tyrannidis exercere, aiuntque ipsum prae omnibus principibus pacem diligere, pro qua conservanda volunt eum tanta severitate rebelles cohibere. Alii vero amore pecuniae, qua etiam omnes occidentales reges excessit, plus quam iustitiae pacem eum sectari dicunt.

Conradus[i] rex Baioariam[k] ingressus, ducatum Leopaldo iuniori, Leopaldi marchionis filio, fratri suo ex parte[l] matris, tradidit[80], et ex hinc provincia nostra multis malis subiacere coepit. Proxima media quadragesima synodus maxima circiter mille episcoporum Romae, Mart. 29. praesidente[m] summo pontifice Innocentio, celebratur, ibique post multa salutifera decreta promulgata scismatici, qui parti Petri Leonis faverant, dampnantur.

24. Considerare hoc loco Dei consilia super filios hominum terribilia mundique volubilitatem libet. Ecce[n] enim Heinrico imperatore mortuo, consanguinei eius, qui tunc in regno praecipui nominis et quasi regii culminis, per hoc[o] securi erant, non solum ad regnum non eliguntur, sed et a posito[p] super se rege plurimum affliguntur et conculcantur. His[q] in summa tenuitate positis, cum dux Heinricus auctoritate soceri sui imperatoris propriisque viribus in tantum excrevisset[81], ut omnes despiciens[82] nulli pro regno supplicare[r] dignaretur, Dominus qui humilia respicit et alta a longe cognoscit, deponit potentes et exaltat humiles, illum humiliatum et pene desperatum ad fastigium regni provexit, hunc de alto in gloria et potentia sua gloriantem deiecit. Quid hic aliud dicere possumus[s], nisi quod prius Conradum[t] magnum in oculis suis humiliavit, humiliatum respectu pietatis suae exaltavit? Quae varietas humanarum rerum ex ubertate gratiae Dei descendens ad vitandam superbiam ac humilitatem appetendam nos incitare debet. Et quid aliud tam misera mortalium conditio, nunc de inopia ad regnum, nunc ad inopiam de regno trahens et crucians hominem, quam contemptum praesentium parit et ad aeternorum stabilitatem, quae nec mutatur nec transit[u], nos mittit? Quanta vero mala toti regno et praecipue miserae Baioariae ex hoc evenerint[v], nos cotidie experimur. Saxones ex hinc regi rebellantes plus mansuetudine ipsius quam armis inclinantur[83]. At Rogerius Innocentium papam in Apuliam cum militia Romanorum venire volentem, flagitiose in christum Domini[w] manum mittens, ex insidiis cepit, et regii nominis in Sicilia[x] ab eo auctoritatem et absolutionem anathematis extorsit, cum ducatu Apuliae, Calabriae ac principatu Capuae.

25. Cum[y] haec aguntur in Italia, Leopaldus marchio, suscepto a rege ducatu Norico, omnibus pene baronibus ad eum pertinentibus amoreque seu terrore ultro ad eum con-

a) Reinaldo 13. b) suo *add.* 13 *et editt.* c) et u. h. pr. *desunt* 13. 13*. d) Tradunt — dicunt *desunt* 10. 13*. e) prime 13. f) ac de barrensis 2* A 2. g) *deest* 2. 2*. h) *ita* 1. 2. 3. 11. 2*. 2* A 1. 2* B 1.; 4 *autem* Reginaldum mortuum effodi — iussit; *editiones vero et* 9. 10 *et* 13 ducem ac Brunonem archiepiscopum effossos per *etc.*; *hoc quidem loco in* 5 *verba* et Brunonem archiepiscopum effossos *manu s. XIII vel XIV superscripta sunt.* i) Chůnradus 2*; Cůnr. 13. k) bauuariam 3. l) patre *editt.* m) Rome *add.* 3. n) Nec 1. o) et per hoc culminis quasi regii 13. p) a proposito 13; apposito *editt.* q) His ergo 13 *et editt.* r) suplicare 2*. s) possimus 2*. 2* A 1. t) Cůnradum 5. u) transeunt 2* *et editt.*; transit 2* A 1. v) eveniunt 3. w) deum *editt.* x) Sycilia 1. y) Dum 13. 2*. 2* A 1. 2* B 1.

76) circa initium mensis Ianuarii 1139. 77) Obiit die 29. April. 1139. 78) Roberto; cf. Falco Benevent. 1139. 79) Ni fallor Bernhardus abbas Clarevallensis, qui teste Wibaldo (ep. 225) Siciliae regem collaudabat, *eo quod in multis utilis et necessarius fuisset catholicae ecclesiae.* 80) Haec inter diem 3. Iunii et 25. Iulii 1139 facta esse, ostendit Jaffé p. 221. 81) Vide quae supra ad cap. 22 notavimus. 82) Cf. Ott. Gesta Friderici I, 22: *Heinricus — pro nota superbiae pene omnium — odium contraxerat* et Bertholdi libell. de construct. mon. Zwifalt. ap. Hess. p. 213: *Henricus — propter superbiam a cunctis abominatus.* 83) Interveniente archiepiscopo Trevirensi Adalberone circa medium Augustum induliae datae sunt usque ad pentecosten anni 1140.

fluentibus, primo metropolim ac sedem ducatus Ratisponam ditioni suae subdidit, post collecto milite copioso, totam Baioariam pertransiens, in ipso eius termino iuxta Licum fluvium contra[84] urbem Augustensem negocia[a] terrae per triduum tractans strennui iudicis officium exercuit[85]. Ea tempestate Heinricus dux iam Baioaria[b] pulsus in Saxonia[86] moritur
1139. Oct. 20. ac[c] iuxta[d] socerum humatur. Quo mortuo, Saxones amore filii sui parvuli[87], quem eis adhuc vivens commendaverat, regi denuo rebellant.

Leopaldus vero ducatum Noricum ex hinc potenter habuit ac fortiter rexit[e]. Dum autem[f] in obsidione castri Phalaia[g.88] duorum fratrum[89], qui soli ex Noricis baronibus[h] in parte ducis Heinrici steterant, incaute moraretur, Welfo[i] ducis Heinrici frater, ex improviso[k] superveniens, fortissime pugnando, caesis ex utraque parte pluribus[l], ducem cedere[m] coegit. His elatus successibus, dum regem quoque non multo post in obsidione castri Winis-
1140. Aug. 13. perg[n.91] morantem, aggredi[o] attemptat, amissis multis, cum paucis fugit e praelio. Non[p]
Dec. 21. multo post, duce Leopaldo in urbe Ratispona civilia iura disponente, ex palatini comitis
1141. Ottonis importunitate[q.93] seditio oritur. Dux cum suis, populo circumquaque concurrente, arma arripuit[r], succensisque aliquibus urbis vicis, civibus tam armorum quam incendii metu discurrentibus, periculum evadens, urbe recessit, ac vastatis in circuitu agris, ad tempus inde divertens, collecto milite, non longe a civitate castra posuit, tandemque terrore perculsos[s] pecuniae[t] pactione in deditionem accepit. Dehinc dedecus a Welfone[u] sibi apud Phalaia[v] illatum ulcisci statuens, armata manu ad Licum usque[w] progreditur, ibique destructis quorundam inimicorum suorum[x] munitionibus cunctisque circumquaque vastatis, per fines nostros cum multo ecclesiae nostrae detrimento revertitur. Ipse vero non multo
Oct. 18. post Ratisponae infirmatus[y] in territorio Pataviensi diem obiit, et in monasterio sanctae Crucis, quod a patre suo fundatum ipse plurimum ditaverat, humatur, eique in marchia successit frater suus Heinricus

1142. 26. Eo tempore Conradus[z] Maraviensis comes, conspiratione facta cum Boemis, ducatum terrae illius affectans, de Maravia in Boemiam exercitum ducit. Cui cum[*] dux
April. 25. Labezlaus[a.94] cum copiis occurrere parat, a suis proditus fugae praesidio vix periculum mortis evasit, sicque profugus ad regem veniens, casum suum deplorat. Quem rex miseri-
Iun. 7. cordia motus cum exercitu in Boemiam reduxit, ac pentecosten[b] in urbe Braga provinciae illius metropoli celebrato, Conrado fugato, in ducatum restituit.

Non multo post Saxoniam ingressus, data in uxorem vidua[95] ducis Heinrici, Lotharii
Mai. 10. imperatoris filia, fratri suo Heinrico[c] marchioni, pacem cum Saxonibus fecit[96], eidemque
1143. marchioni Noricum ducatum, quem consilio matris ducis Heinrici filius[97] iam abdicaverat, concessit[98]. Quae res in terra nostra maximae discordiae seminarium fuit. Welfo[d.99] enim

a) negotia 1. 2. 2*. b) Bauuaria 3. c) et 3. d) *ita* 1. 2. 3. 4. 5. 6 7. 2* 2* A 1. 2* B 1; *editiones vero et* 9. 10. 13 *et* 13*: Heinricus dux, dum in Saxonia Albertum marchionem sibi rebellantem in tantum humiliasset, ut castris eius dirutis, terris circumquaque vastatis, ad regem auxilii gratia ire compulisset, omnibusque suis ibidem rite dispositis, iam in Baioariam ire (redire 13*), proposuisset, morbo correptus, diem clausit extremum, ac in monasterio Luter (Lueher 13*) iuxta *etc.* e) *ita* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7 11. 2*. 2* A 1. 2* B 1; potenter se habere confidens, dum 9. 10. 13. 13* *et editiones.* f) autem *deest editt.* g) Phaleida 5. h) soli — baronibus *desunt* 13*. i) Gvelfo 5. k) collecto milite *add.* 13 *et edd.*; *in* 13 *et* 13* ex improviso *desunt.* l) multisque captivatis *add.* 13 *et editt.* m) fugere 13*. n) Winiperch 2*. 2* A 2. 3; Winisperch 2. 2* A 1 *ex corr.*; Winesberch 5; Winesberg 13; Winesperge 13*. o) pugna aggredi 13 *et editt.* p) Non multo post Leopaldus Ratispone infirmatus 13, *omissis novem lineis.* q) inp. 1. 2. 4. r) corripuit 2. 3. 7. 11. s) perculsus 3. t) peccuniae 1. 2. u) Guelfone 2. 2*. 5. 7. v) Phaleidam 5; Valaia 2* B 1. w) usque a. L. 1. x) *deest* 2*. 2* A 1. 2* B 1. y) Iosamirgot 7 *superscr. m. s. XV.* z) Cônradus 5. 13. *) *deest* 1. a) Ladizl. 3; Labezelaus 13; Ladislaus *edd.* b) pentecoste 5. c) Hainrico 2. d) Guelfo 7. 13.

84) i. e. e regione. 85) circa mensem Augustum vel Septembrem 1139; vide Jaffé pag. 28 n. 45. 86) Quedelinburgi. 87) decem annos nati. 88) Valai, hic comitatus a linea collaterali familiae Sciro-Wittelsbachicae tenebatur; vide Huschberg p. 341. 89) quorum nomina diverse traduntur a diversis scriptoribus. 91) Weinsberg Sueviae. 93) In eundem Ottonem, Frisingensis ecclesiae advocatum, supra libro VI c. 20. acerbam scripsit invectivam. 94) alias Wladizlaus, qui, Gertrude, Ottonis et Conradi regis sorore, in matrimonium ducta, anno 1140 patruo suo Sobieslao in ducatu successerat; cf. infra c. 34 et Contin. Cosmae ann. 1140, SS. IX, 146. 95) Gertrude. 96) Haec circa diem 10. mensis Maii 1142, ante expeditionem in Boemiam susceptam, non post ipsam ut Otto perperam tradit, facta esse ostendit Jaffé p. 43. 44. Mirum est, quod Noster neque supra c. 23. ducatum Saxoniae Adelberto in conventu Wirziburgensi a. 1138 concessum, neque hoc loco eundem ducatum eidem abiudicatum memorat. 97) Heinricus Leo. 98) Ex argumentis, quae Jaffé l. c. p. 222 affert, elucet, Baioariam inter diem 16. Febr. et 3. Aprilis 1143 Heinrico Austriae marchioni a Conrado concessam esse. 99) sextus, Heinrici Leonis patruus.

princeps praefatum ducatum se iure haereditatis[a] contigisse calumpnians, armata manu in praesentia ducis Baioariam ingreditur, parteque provinciae vastata, regreditur. Ob ea dux inflammatus immenso coadunato milite fines nostros ingreditur, multisque ecclesiarum reditibus direptis, tandem etiam ipsius nostrae civitatis munitiones propter quosdam ex ipsa, qui fautores Welfonis[b] dicebantur, destruxit[1]. Cui dum Welfo cum copiis occurreret[c], audito quod rex superventurus erat, cessit. Porro dux simul cum rege castrum[2] comitis Conradi, qui ex parte Guelfonis erat, obsidione clausit, vastatisque in circuitu universis, adiutorio regis in deditionem coegit ac igne succendit. 1143. Mai.–Iun.

27. Dum[d] haec aguntur in Gallia et Germania, Romanus pontifex Innocentius, qui iam per multum temporis Tyburtinos[e] excommunicaverat ac aliis modis presserat, coangustatos ad deditionem, acceptis obsidibus ac iureiurando interposito, coegit. Populus vero Romanus volens[f], ut eos per obsides et sacramentum ad durissima praecepta, id est ut muris ruptis omnes provincia cederent, cogeret, dum nobilissimus ac liberalissimus sacerdos tam irrationabili et inhumanae petitioni[g] annuere nollet, seditionem movent, ac in ipso impetu in Capitolio venientes[h], antiquam Urbis dignitatem renovare cupientes, ordinem senatorum, qui iam per multa curricula temporum deperierat, constituunt, et rursum cum Tyburtinis bellum innovant[i]. Causa vero tantae immanitatis fuit, quod in priori anno, dum cum pontifice suo in obsidione praefatae civitatis morarentur, civibus egressis et cum ipsis manum conserentibus, multis amissis spoliis, turpiter in fugam conversi sunt[k], idcirco[l] nulla, nisi quam diximus, conventione usque hodie se posse placari asserunt. Verum sapientissimus antistes praevidens, ne forte ecclesia Dei, quae per multos annos secularem Urbis honorem a Constantino sibi traditum potentissime habuit, hac occasione quandoque perderet, multis modis tam minis quam muneribus, ne ad effectum res procedat, impedire conatur. Sed invalescente populo, dum proficere non posset, lecto cubans, iuxta quosdam de futuris visione sibi monstrata, in pace quievit[4], eique Caelestinus vir religione et litterarum scientia[m] praeditus, cum magna unanimitate electus successit. Circa idem tempus Veronenses, qui longo tempore cum Paduanis dissensionem habuerant, amnemque qui civitatem eorum praeterfluit, ab alveo derivaverant, congressu cum eis habito, plurimis captis, cruentissima potiuntur victoria. 1142.[3]

28. Anno ab incarnatione Domini 1143. Kaloiohannes Constantinopolitanus imperator, qui filio suo Manuel sororem[5] reginae Gerdrudis[n] desponsando cum Romano rege Conrado amicitiae foedus inierat[6], ab Antiocheno principe Reimundo[o], qui ei provinciam illam pro pecunia cum ipsa urbe iuraverat, Syriam cum maximo ingressus exercitu[p], promisso frustratur. Cui venerabilis Gabulensis episcopus N.[q] viriliter in faciem[r] restitit, eumque ex parte Romani pontificis et imperatoris, eo quod praefata civitas a Latinis possideatur, ut ab eius impugnatione desistat, intrepide commonuit. Ille autem eo quod a principe delusus esset, civitati quidem pepercit, sed totam ferro flammaque depascens provinciam, heremitas quoque, quorum grandis ibi copia est, de cellulis suis eductos, non kalo, id est boni Iohannis officium agens, crudelissime tractavit. Ipse vero non multo post sagittis toxicatis venationi inserviens, ab una earum ex inproviso[s] vulneratus, miserrime rex opulentissimus in ipso procinctu diem obiit, ac Manuel filio suo regnum reliquit. 1143. April.

Per idem tempus Folcho[t] Hierosolimorum rex moriens[7] filio suo Folchoni adolescentulo regni gubernacula dimisit. At Manuel ad regnum sublimatus, nuncios ad regem Conradum[u] cum preciosis[v] muneribus, sicut et prius pater eius fecerat, dirigens[w, 8], foedus renovavit. Et sicut frequenter inter hos duos imperatores a translato ad Francos imperio pro diversis oportunitatibus mos iste servatus est, sic et nunc inter Iohannem, patrem huius, et Conradum contra Rogerium, utriusque imperii invasorem, haec facta est confoederatio.

a) haereditario *editt.* b) Guelfonis 2. 2*. 7. 13. c) occurrere parat 13 *et edd.* d) Cum 1. 3. 4. 7. 11; Dum 2. 5. 2*. 2* A 1. 2* B 1. e) Tybertinos 2. f) voles 2*. g) peticioni 1. 4. h) conven. 13 *et editt.* i) instaurant 13. k) erant 7. l) iccirco 2. m) scient. liter. 1. n) Gerdrudis 3. o) Remundo 4; Raimundo 7. 13. p) exercitu ingr. 1. 2*. q) *ita* 1. 2. 2*. 3. 4. 13; *deest* 5. 2* A 1. 2* B 1. r) *ita* 2. 3. 13 *et* 1 *ex correctura, qui prius lectionem editionis in f. vir. exhibuerat.* s) inprovisu 3; inproviso 5. t) Folco 13. u) Cůnradum 5 *semper.* v) precibus 2. 2*. w) *deest* 1.

1) cf. Prologum libri secundi. 2) Tachouwe teste Anonymo Wingart. p. 36. De Conrado comite plura refert Noster in Gestis Frid. I. c. 25. 3) cf. Siccardi chronicon ap. Mur. SS. VII, 598. 4) Obiit d. 24. Sept. 1143. 5) Bertham, filiam Berengarii, comitis de Sulzbach. 6) in initio anni 1142; cf. Ottonis Gesta I, 23. 7) Obiit anno 1143. 8) inter annos 1143 et 1145.

29.[a] Hiis diebus[9] propter absentiam regis Italiae urbibus in insolentiam decidentibus, Veneti cum Ravennatensibus, Veronenses et[b] Vincentini[c] cum Paduanis et Tarvisiensibus, Pisani, Florentini cum Lucensibus et Senensibus atrociter debellantes, totam pene Italiam cruore, praedis et incendiis permiscuere. Praeter ea[d] enim quae supra diximus Paduanis priori anno illata incommoda, Veronenses et Vincentini sequenti[e] castella, vicos et agros Tarvisiensium ferro flammaque vastavere. Veneti[f] etiam ac Ravennatenses plurima mala terra marique alterutrum intulere. At Pisani et Lucenses propter nimiam[g] viciniae oportunitatem indefesso furore bellantes, ruinae suae omnes Tusciae vires implicuere. Nam et Florentini, una cum marchione terrae Ulrico usque ad ipsas portas Senensium procedentes, suburbia eius cremaverunt. Senenses vero, numero et viribus impares se cognoscentes Florentinis, Lucensium auxilium flagitant. Lucenses tam pro ipsis quam pro comite Guidone guerra, qui et ipse[h] cum Florentinis atrox bellum gerens eos adierat, Florentinos hostes pronunciant[i]. Illi autem Pisanis[k] adiuncti, non solum Lucenses bello attemptant, sed et castella, oppida, agros praefati comitis incendio et rapina devastant; Senenses[l] etiam, qui ad vastandos agros eorum egressi fuerant, insidiis a tergo positis, vix paucis fuga elapsis, captivant. Porro ex Pisanis[k] et Lucensibus non tantum plurimi ferro caesi compendio mortis miseriam miserabiliter terminavere, sed et innumerabiles utrobique comprehensi ac longa, ut ipse vidi, carceris inedia et squalore[m] macerati, omnibus praetereuntibus lacrimabile humani casus in se spectaculum praebent.

1144. Dec. 25. 30.[n] Anno dominicae incarnationis 1145. incipiente, in ipsa sacrosanctae nativitatis Christi solempnitate lugubre et miserabile ex peccato christiani populi accidit in Oriente piaculum. Sanguinus enim[o] Halapensis Syriae ac Mesopotamiae. excepta Antiochia et Damasco[p], princeps, Persarum vero et Medorum regis seu soltani[q] vassallus[r], Edissam quae nunc Rochas[s] dicitur, unicum Hierosolimitanae ecclesiae pro magnitudine ac habundantia sui refugium, cum infinita Sarracenorum multitudine circundedit, ac in ipsa, ut dixi, nativitate Domini irrupit, cunctis ibidem cum episcopo urbis christianis in ore gladii occisis vel miserabili captivitate in servitutem redactis, ecclesias Christi et praecipue beatae Mariae semper virginis basilicam, et eam in qua corpus sancti Thomae apostoli reconditum est[t], ad Salvatoris nostri ignominiam introferens ea, quae non licebat, foede polluit, nostrisque[u] penitus exterminatis vel tributo subactis, Sarracenos ibi ad habitandum locavit[v].

31. Per[w] idem tempus Lucius[x] papa, vir pro mansuetudine et humilitate sui officio sacerdotali dignus, Caelestini, qui non plene sex mensibus sederat, successor, gravem a civibus persecutionem passus, humiles ad regem Conradum tam suam oppressionem continentes quam de[y] incolomitate et prosperitate eius Deo gratias agentes ipsumque ad patrocinium Romanae ecclesiae invitantes litteras mittit, in hunc modum: *Lucius episcopus, servus servorum Dei, karissimo filio Conrado[z], Romanorum regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Omne datum optimum*[*] etc. Populus enim Romanus, nullas insaniae suae metas ponere volens, senatoribus, quos ante instituerant, patricium[a] adiciunt, atque ad hanc dignitatem Iordanem Petri Leonis filium eligentes, omnes[b] ei[c] tanquam principi subiciuntur. Deinde pontificem suum adeunt, ac omnia regalia eius tam in Urbe quam extra posita, ad ius patricii sui reposcunt, eumque more antiquorum sacerdotum de decimis tantum et oblationibus sustentari oportere dicentes, de die in diem animam iusti affligere non timuerunt. Ipse autem cottidianis cruciatibus ac taedio vitae affectus, infra anni spacium pontificatus sui diem obiit, ac Eugenium, virum religione ac sanctitate perspicuum, communi voto cleri et populi electum, successorem reliquit. Hic in principio dignitatis

a) *capp.* 29 *et* 30 *desunt* 13*. b) *deest* 1. c) cum Vincentinis et 2*. d) ea *deest* 2*. e) anno *add. edd.* f) Venati 2*. g) *deest* 1. 2. 3. 4. h) ipsi 1. 2. 3; ipse 4. i) pronunciat 4. k) Pysanis 1. 13. l) *ita etiam* 1 *prius habuerat, sed post insertis litteris* on *correxerat.* Senonenses. m) sualore 1. n) *cap.* 30 *capiti* 32 *subiungitur in* 13, *at in epitomen reductum.* o) quidam *add.* 13 *et editt.* p) Damaso 7. q) *ita* 1. 7; soltã 2. 2*. 2* A 1; sollã 2* B 1; soltanus 5. r) *ita omn. codd., et except.* 5. 13 *et edd., qui* subditus *exhibent.* s) *ita* 1. 2. 3. 4; Robas 5 *et editt.*, Rohahs 7; Ronahes 11; Robas 13 t) *ita* 1. 2. 3. 4. 5. 7. 11. 2*. 2* A 1 2* B 1; reliquiae — reconditae sunt 13 *et editt.* u) christianisque 13 *et edd.* v) *hoc loco editio addit:* Ob hoc mota est expeditio maxima contra paganos et regem Persarum a Conrado rege Romanorum et Ludovico rege Francorum cum summis et pluribus utriusque regni principibus et innumerabili multitudine populi, qui absque omni effectu reversi sunt, *quae omnibus codd. desunt.* w) *totum hoc caput decurtatur in* 13 x) Lutius 5. y) *deest* 2*. 2* B 1; *add. secunda manu* 2* A 1. z) Kunrado 1; C°nr. 5. *) Lucius — datum optimum *desunt* 4. a) patricinium 3. b) omnesque 2. 2*. c) ei *deletum in* 1.

9) circa annum 1146.

susceptae, eo quod totus populus ad tradenda Urbi regalia ipsum sicut et antecessores suos[a] sollicitare vellet, cum episcopis et cardinalibus Urbe cedit, ac proxima dominica in monasterio Pharfensi consecratione pontificali, ob persecutionis immanitatem morem mutans, sublimatur[b]. Inde[b*], furorem populi Romani declinans, ad munita loca se transtulit, postque Biterbium[c] veniens, ibi[d] per aliquod tempus moram fecit. At Romanus populus cum patricio suo Iordane in furorem versus, praefecturae dignitatem abolentes, omnes principes ac nobiles ex civibus ad subiectionem patricii compellunt, et non solum quorundam illustrium laicorum turres sed et cardinalium et clericorum domus subruentes, praedam immensam diripiunt[10]. Ecclesiam etiam beati Petri, omnium ecclesiarum caput, incastellare sacrilege ac profanissime[e] non metuunt, peregrinos causa orationis advenientes ad oblationem quaestus gratia plagis et verberibus cogunt, ac quosdam ex ipsis offerre nolentes in ipsa porticu et vestibulo templi nefario ausu occidere non verentur. Quos venerabilis pontifex*, percusso prius cum quibusdam fautoribus suis anathematis gladio Iordane, adiuncta Tyburtinis, Romanorum antiquis hostibus, militia cohercuit[f], tandemque pacem petere coegit[g. 11].

32. Ea tempestate[h] Armeniorum episcoporum eorumque metropolitani, quem ipsi catholicon[i], id est universalem, propter infinitum[k] episcoporum sub se habentem numerum vocant, legati ab ultimo pene Oriente summum pontificem Biterbii[l], laboriosum iter per annum et sex menses complentes, adeunt, eique ex parte illius ecclesiae[m] subiectionem omnimodam[n] eum[o] consalutando[p] offerentes, causas viae nobis cum aliis multis praesentibus, apud Veterem Aulam aperiunt[q], quae tales erant: Inter ipsos et Graecos quaedam de ritu sacrificii habitudo est in quibusdam, in aliis vero discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, sicut illi[r], aquam autem vino non admiscent, sicut nos et illi. Praeterea[s] nativitatem Domini epiphaniae continuantes, duas illas festivitates unam faciunt. Pro hiis et aliis dum inter se dissentirent, Romanam ecclesiam iudicem eligentes, consultum veniunt, formamque sacrificii iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcunt.

Quos Romanus antistes gratanter suscipiens, missarum solempniis ac sacrificii secretis adhibuit, diligenterque ea quae fiebant ibidem, eos animadvertere monuit. Quod dum facerent, intentique[t] sacro altari astarent, unus ex eis pontificali dignitate praeditus, sicut postmodum in plena curia retulit, in beati Martini octava, quando dedicatio ecclesiae beati 1145.
Petri celebrari solet, summo pontifice divina misteria agente, splendido fulgore radium Nov. 18.
solis super caput eius coruscare et in ipso duas columbas ascendentes et descendentes vidit[u]. Cumque diligentius[v] hac illacque oculos circumferret[w], nullumque aditum per quem lux illa transfunderetur, inveniret[x], deificum[y] hoc esse cognoscens ac ad obedientiam Romanae sedis amplius accensus, cunctis quae viderat[z] aperuit. At venerabilis pater non suis hoc* meritis attribuens, ipsius potius fide coelitus hoc sibi monstratum affirmabat, ut videlicet ecclesia, a qua ipse missus fuerat, sacramentorum virtutem veritatis luce perfusa cognosceret, ac deinceps quali ea reverentia et forma tractare deberet addisceret. Retulit etiam praefatus episcopus, quod in confinio Armeniae quaedam gentes essent, quae foetus suos foetentes generarent eosque statim ad aquas Armeniorum lavandos transmitterent, quos illi[a] baptismatis unda tinguentes innatum eis foetorem propellerent, mox tamen[b] remissi ad paganismi ritum et spurciciam redirent[c]. Quod utrum faciendum esset, item Romanam ecclesiam consuluerunt.

a) reg. sicut antec. suos ipsum *edd.* b) *hoc loco denuo* 9. 10. 13. 13* *et editiones glossema inserunt:* Ad hunc papam Eugenium venerabilis Bernardus abbas Claravallensis librum de consideratione sui quatuor distinctionibus ordinatum conscripsit, in quo perfectae vitae ac subtilissimi ingenii perspicuitatem evidentissime demonstravit. Nam idem apostolicus prius Bernardus dictus et primum vicedominus Pisanus ac demum in Claravalle, omnibus mundanis pro Christo spretis, eiusdem venerabilis Bernardi abbatis discipulus effectus, ac ab eo postmodum monasterio beati Anastasii Cisterciensis ordinis in urbe Roma abbas praelatus, summus pontifex, ut praelibavimus, constituitur. b*) Inde post consecrationem *edd.* c) biternium 3. d) ibique 1. e) ac prof. *desunt* 2*. 2* B 1. f) coercuit 5. g) 9. 10. 13. 13* *et editiones addunt:* Quam pacem eo tenore dedit, ut patriciatus dignitatem exfestucarent et praefatum in pristinam dignitatem reciperent, senatores autem ex eius auctoritate tenerent, sicque in Urbem rediens, nativitatem Domini ibidem celebravit, *quae ex initio cap* 34 *desumpta sunt.* h) temp. legati 13 *et edd.* i) kath. 5. 7. k) *ita codd.* 1—8; 9. 10. 13. 13* *et editt. addunt:* id est amplius quam mille. l) *ita* 1; biterbi 2—5. 7 m) ecclesiae illius 1. n) omimodam 1. o) *deest* 2*. 2* A 1. 2* B 1. p) salutando 1—4. q) causam vie apud veterem aulam multis presentibus aperuerunt 13*. r) sicut et illi 1. s) Propterea 1. t) attentique 2*. 2* A 1. 2* B 1. u) videt 1. 2. 2*. 5. v) diligenter 2*. 2* A 2. 2* B 1; diligentes 2* A 1. w) circumferrent 3. x) invenirent 3. y) deifficum 7. z) quae viderat cunctis 1. *) h̄ 3. a) dum illi 13; cum illi *editt.* b) inde 13*. c) redibant *editt.*

10) cf. Ottonis Gesta Frid. II, 20. 11) Haec omnia a. 1145. a Romanis duce Arnoldo de Brixia facta sunt.

33[a]. Vidimus etiam ibi tunc[a*] praetaxatum[b] de Syria Gabulensem episcopum, cuius praecipue opera[c] ad plenum Antiochia Romanae sedi subesse coepit, tam de patriarcha suo Antiocheno et de principis matre Balduini Hierosolimitani quondam regis filia querimoniam facientem, quam de spoliis Sarracenis ablatis iure antiquitatis exemplo Abrahae[d] decimas, qui eas Deo recognoscens, victoriam de suis spoliis Melchisedech[e] dedit, exigentem, ac super hoc apostolicae sedis auctoritatem requirentem. Audivimus eum periculum transmarinae ecclesiae post captam Edissam lacrimabiliter conquerentem et ob hoc Alpes transcendere ad regem Romanorum et Francorum pro flagitando auxilio volentem. Narrabat etiam, quod ante non multos annos Iohannes quidam, qui ultra Persidem et Armeniam in extremo Oriente[f] habitans rex et sacerdos cum gente sua christianus est, sed Nestorianus[g], Persarum et Medorum reges fratres, Samiardos[h] dictos, bello petierit, atque Ebactani[i], cuius supra mentio facta est, sedem regni eorum expugnaverit. Cui dum praefati reges cum Persarum, Medorum, Assyriorum[k] copiis occurrerent, triduo utrisque mori magis quam fugere volentibus[l], dimicatum est, presbyter Iohannes — sic enim eum nominare solent[m] —, tandem versis in fugam Persis, cruentissima caede victor extitit. Post hanc victoriam dicebat praedictum Iohannem ad auxilium Hierosolimitanae ecclesiae procinctum movisse, sed dum ad Tygrim venisset, ibique nullo vehiculo traducere exercitum potuisset, ad septentrionalem plagam, ubi eundem amnem hyemali[n] glacie congelari didicerat, iter flexisse. Ibi dum per aliquot[o] annos moratus gelu expectaret, sed minime hoc impediente aeris temperie obtineret, multos ex insueto coelo de exercitu amittens, ad propria redire compulsus est. Fertur enim iste de antiqua progenie illorum, quorum in euangelio mentio[p] fit, esse magorum, eisdemque quibus et isti gentibus imperans, tanta gloria et habundantia frui, ut non nisi sceptro smaragdino uti dicatur. Patrum itaque suorum, qui in cunabulis Christum adorare venerunt, accensus exemplo Hierosolimam ire proposuerat, sed praetaxata[q] causa impeditum fuisse asserunt[r]. Sed haec hactenus[s].

1145. 34. At[t] Eugenius cum Romanis hoc tenore[u] pacem fecit, ut patriciatus dignitatem exfestucarent, et praefectum in pristinam dignitatem reciperent, senatores vero ex eius auctoritate tenerent; sicque in Urbem rediens nativitatem Domini ibidem celebravit, incipiente anno dominicae incarnationis 1146, ubi rursum a populo Romano pro excidio Tyburtinorum in tantum de die in diem sollicitatur, ut a Lateranensi palatio improbitatem eorum non sustinens, ad Transtyberinam regionem migrans, animam suam vitae suae taedere confiteatur.

Rex quoque eadem nativitate[v] in palatio Aquis[w] celebrata[13], Baioariam[x] ingreditur.
1146. Ibi eum Boemorum[y] dux Labezlaus, supra nominatum Boricium[z] secum ducens, adiit. Is flebili ac miserabili voce querimoniam suam de privatione paterni regni depromens, quatenus auctoritate imperiali, ad quam totius orbis spectat patrocinium, ei subveniatur deposcit, eiusque super hoc promissum interventu praedicti Boemorum ducis eiusque consortis Gerdrudis, sororis regis, honesto intercedente placito impetravit[14]. Ex hinc non solum inpraesentiarum perturbationes sentimus, sed et maiores superventuras ex his aliisque argumentis formidando conicimus. Ecce enim inter nostrum et Ungarorum regnum, non solum isto militem instaurante, sed et illo multos ex nostris pecunia[*] corrumpente, valida expectatur[15] commotio. In Polonia[a] etiam[b] inter tres fratres terrae principes miserabilis auditur tumultuatio[16], in Belgica[c] Gallia virorum potentum indefessa conflictatio.

a) *in 13. cap. XXX. subiunctum.* a) *deest* 2*. 2* A 1. 2* B 1. b) tunc ibi praetexatum 1. 4. c) opere 11. d) habere 1. 2. 2*. 3. 4. e) Melchisedehc 5. f) *hic incipit secunda manus* 5. g) Nestorianos 1. 2. 2*. *Quo loco addit* 13*: a Nestorio Constantinopolitano episcopo nuncupatus, qui beatam virginem Mariam non Dei sed hominis tantummodo asseruit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis nec unum Christum in verbo Dei et carne credidit, sed separatum atque seiunctum, alterum filium Dei, alterum hominis praedicavit. Narravit, inquam, quomodo Persarum *etc.* h) Samardos 5; Saniardos 13. 13*. i) Egbattani 13*. k) Ass. *deest* 13*. l) volentes quam fugere 1. m) sic — solent *desunt* 13*. n) hiemali 2. 3. o) aliquod 2. p) mencio 1. q) praetexata 1; *ita etiam* 4 *prius habuerat, sed post corr.* praetaxata. r) *addunt* 13 *et* 13*: Extat huius Iohannis epistola presbiteri ad Manuel Constantinopolitanum tam multa de sua gloria et diviciis et Indice regionis opulentia continens, ut pleraque incredibilia videantur. Sed haec hactenus. *Tunc sequitur in utroque codice Ottonis de S. Blasio chronicon, reliquis libri VII. capitibus omissis.* s) actenus 5. t) Et 3. 4. u) tempore *editt.* v) civitate 1. 2. w) Aquisgrani 4. x) Bauwariam 5. y) Boemiorum 2*. z) Boericium 5. *) peccunia 1. 2. a) Polimia 1. 2. 2*. 3. 4. 5. 7. 11; Polunia 2* B 1. b) *deest* 2—5. c) Bellica 5.

12) De presbytero Iohanne cf. Ritter, Asia I, 283. 13) 25. Dec. 1145. 14) Vide Jaffé p. 83. 15) Haec ante diem 11. Sept. 1143. scripta sunt, quo Teutonicos Ungari in fugam verterunt. 16) Cf. Gesta I, 30 et Cont. Claustroneob. SS. IX. p. 614. a. 1146: *Homines et ministeriales ducis Heinrici, castro Ungarici regis quod dicitur Presburch clam capto, cum rege eodem paciscentes reddirent.*

Apud nos vero tam tetra iam[a] videtur confusio, ut non solum reliquo anni circulo praeda et incendio cuncta permisceant, sed et in ipso quadragesimali et penitentiali tempore contra divinas et humanas leges desaevire non pertimescant. Tanta postremo praeteritorum memoria, praesentium incursu[a*], futurorum metu discriminum urgemur, ut responsum mortis in nobis accipientes, etiam taedeat nos vivere, praesertim cum tam ex peccatorum nostrorum multitudine, quam tumultuosissimi temporis[b] feculenta[c] improbitate haut diu stare posse mundum putaremus, nisi sanctorum meritis verae civitatis Dei civium, quorum in toto orbe copiosa varie et pulchre distincta florent collegia, sustentaretur.

Sed quia mutabilium rerum ab Adam usque in praesentem annum, qui ab incarnatione Domini 1146, ab Urbe condita 1918.[d], Conradi[e] nonagesimi tercii ab Augusto nonus, Eugenii tercii summi pontificis secundus est, seriem qualitercunque percensui, multiplicesque mortalium miserias involvi, diversos religiosorum ordines, quorum, ut dixi, sanctitate a misericordissimo iudice malignitas mundi subportatur[f], silentio praeterire incongruum arbitramur, ut tantorum malorum turbulentiae clarorum virorum gesta insignia metam et articulum ponamus[g].

35. Igitur exceptis his, qui sobrie, pie et iuste ex clericis et laicis sua tanquam non sua possidentes fratrum necessitatibus misericorditer deserviunt, diversa sunt sanctorum agmina, qui propriis desideriis, facultatibus, parentibus iuxta mandatum euangelicum abrenunciantes, crucemque per mortificationem carnis iugiter portantes, coelesti desiderio pleni Christum secuntur. Quorum alii in urbibus, castellis et vicis et agris commorantes, proximis normam recte vivendi verbo et exemplo tribuunt; alii quidem commanentiam hominum aspernantes, et[h] quieti suae amplius providentes, frequentiam fugiunt, solique Deo vacantes, ad silvarum abditorum locorum latibula se conferunt. Illi lucem suam[i] lucere coram hominibus ad gloriam Dei non abnuunt; isti mortuos se mundo cognoscentes, vitam suam cum Christo in Deo in praesenti abscondunt, gloriamque suam donec Christus vita eorum gloriosus appareat, enitescere non cupiunt. Aeque tamen omnes vitae et conscientiae puritate ac sanctimonia coelesti et angelica in terris vita degunt. Commanent autem cor unum et animam unam habentes in unum in coenobiis vel ecclesiis, somnum simul capiunt, unanimiter ad orationem surgunt, in una domo reficiuntur[k], pariter orationi et lectioni, operi die noctuque ita indefessa incumbunt vigilantia, ut excepto illo quo lassa quieti membra vilibus et vimineis stramentis seu sago tradunt momento, aliquod horarum spacium sine divina occupatione nefas arbitrentur effluere, in tantum ut in ipsa naturali refectione divinae scripturae iugiter intenti, spiritum malint[l] saginare quam corpus. Abstinent vero omnes communiter a carnibus; alii autem ab[m] omnibus delicatioribus cibis vinoque se cohibentes, legumine interdum, interdum tantum[n] pane utuntur et aqua[o]. Quid de coelibatu ipsorum dicam[p], cum ita communem et indultam humano generi nuptiarum legem transcenderint, ut quidam ex eis non solum interna, sed et externa claustra tanta[q] cum diligentia observent, quod nulli unquam qualibet de causa, sed nec orationis obtentu introeundi aditus pateat foeminarum? Omnibus enim diversorum opificum officinis, id est pistorum, fabrorum, textorum[r] aliorumque, ne foras ullus eorum evagandi occasionem habeat, intro positis, hisque[s] studiosissime septis, porta in exteriori atrio posita est, ubi religiosus et timoratus frater iugiter manens, omnes supervenientes hospites, peregrinos, pauperes[t] alacriter et benigne, tanquam ipsum Christum suscipiens, primo ad oratorium ductos[u] in cellam hospitalem, lotis ante eorum pedibus, ac deinde[v] omnibus humanitatis officiis devote exhibitis, collocat. At foemina si exhortationis seu alterius officii[w] causa supervenerit[x], extra dimittitur, eamque monasterii pater vel aliquis ex fratribus, non in domo nec solus, sed sub divali et patenti loco, solum et rarum tectum propter pluvias habente alloquitur. Alii vero etsi eas orationis gratia ab oratorio non secludant, ad interiora

a) *deest* 1. a*) incursum 1. 2. 2*. 3. 4. 7. b) *ita* 5. 7 *et* 11; *quae lectio codice quodam confirmatur, quem Cuspinianus vidisse se memorat;* 1—4. 2*. 2* A 1. 2* B 1 *vero* Imperatoris, *quod aperte falsum est, cum auctor fratrem suum* tumultuosissimum *non nominaverit. Caeterum ex litteris* impris *facile error* impris *irrepere potuit.* c) foetulenta *editt.* d) MDCCCCVIII. 2*. 2* B 1; *ita et* 7 *habuerat, post vero correxit* MDCCCXCVIII. e) Kůnradi 1; Chůnradi 5. f) supportatur 5. g) Sed quia — articulum ponamus *in* 4, *post quinque capita desumpta ex Ottonis Gestis Friderici posita inveniuntur.* h) set 2. 2*. 3. 4. i) *deest* 2*. 2* A 1. 2* B 1. k) reficuntur 1. l) malunt 1. m) *deest* 5. n) tamen 2; *deest* 5. o) interdum tant. p. et aq. ut. 1. 4; int. cum p. u. et aqua *editt.* p) dicamus 3 *ex corr.* q) *deest* 1—4. r) testorum 3. s) bisque 1. 3. t) pauperes peregrinos 1. u) *ita* 4. 5; ductus 1. 2. 2*. 7; ductis 3 *et editt.* v) inde 1. w) seu alt. off. *desunt* 2*. 2* A 2. 2* B 1; *adduntur secunda manu* 2* A 1. x) *deest* 1. 2. 2*. 3. 4.

tamen fratrum receptacula introire non permittunt. Porro se ipsos tanta sollicitudine custodiunt, ut non solum maiora delicta abhorreant, sed et a minimis ac levissimis, et quae nobis ex ipso usu viluerunt, ita sensus suos cohibeant, ut rarissime, nisi soli Deo patrique congregationis colloquentes, nutibus magis ac signis quam lingua, ea quae necessaria sunt ab invicem requirant. Si vero in aliquibus vel minutissimis ex humana infirmitate, negligentia[a], surreptione quis eorum offenderit, ad locum ad hoc deputatum circa primam vel terciam horam concurrunt, ibique divino prius adiutorio invocato, culpas suas humiliter recognoscunt, ac cum karitate mutuo se corrigunt. Ibi sedens senior mansueta severitate sine ira et disceptatione eos diiudicat, frequenterque divinarum scripturarum sereno vultu mellifluo ore informans eloquiis, ita defecatos et ad unguem purificatos ad coelestis miliciae contubernium dignos tyrones[b] in praesentis vitae stadio praeparat.

Sed quia in ipso vestibulo speciosa domus agnoscitur, qualiter interior eorum homo coram discretore cordium Deo intus fulgeat, habitus exterior apud homines foris declarat. Sicut enim intus variis rutilant virtutum fulgoribus, ita foris diversorum utuntur colorum vesti-
Psal 44, 14 bus, iuxta illud psalmigraphi: *Omnis gloria[c] filiae regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate.* Alii quippe apostolicam vitam ducentes in ipsoque habitu innocentiae puritatem praetendentes munda et linea toga utuntur; alii eiusdem ordinis viri ob mortificationem carnis tunica lanea[d] asperius vestiuntur; alii omnibus exterioribus occupationibus liberi, angelicam vitam in veste praetendentes, eius suavitatem forma pocius ipsa quam sui mollitie typice figurant. Ponunt enim ad carnem tunicas asperrimas, superque eas alias cum caputiis[e] latiores ex senis partibus tanquam totidem alis ad instar Seraphin[f] constantes. E quibus duabus, id est caputio, caput tegentes, duabus, id est manicis, omnem actionem suam velud manus ad Deum dirigendo ad superna volantes, duabus reliquum corpus ante et retro velantes, divina se gratia praeveniente et subsequente, contra omnia saeva temptatoris iacula se munitos ostendunt. Differunt autem in hoc, quod alii ob contemptum mundi exprimendum eandem vestem nigram tantum[g] gerunt, alii vero de colore vel grossitudine[h] nichil causantes albam vel griseam aliamve abiectam tantum et asperam ferre consueverunt. Taliter intus et foris instructi ac per totum terrarum ambitum fertili copiosaque progenie[i], merito et numero in immensum in brevi multiplicati signis radiant, virtutibus coruscant, divina revelatione saepius sublevantur, angelica et dominica[k] visione in exitu vitae crebro consolantur. Infirmos curant, daemones fugant, coelestisque patriae dulcedinem, quantum in praesenti licet, per contemplacionem interdum praegustant, atque ob hoc, quamvis laboribus attriti, vigiliis exinaniti, ieiuniis attenuati sint, more cicadarum, quae famelicae plus grillare[l] solent, totam pene noctem in psalmis[m], ymnis et canticis spiritalibus pervigilem ducunt. Manent[n] autem, sicut olim in Aegypti, sic et nunc in Galliae Germaniaeque partibus habundantius, ut in hoc haut[o] mireris potentiae seu sapientiae[p] ab Oriente ad[q] Occidentem translationem, cum de religione ititem factum eniteat. Est praeterea diversis in locis ad singulare certamen spiritaliter[r] instructum anachoretarum et solitariorum in genere optimo pugnae sanctum collegium, numero quidem rarius, vitae vero austeritate superioribus vel aequale vel eminentius. Quorum alii sub priore degentes in remotis et abditis locis singuli singulas cellas velut sepulchra[s] inhabitant, operibus manuum sustentantur, modico contenti pabulo annonam totius ebdomadae sabbato accipiunt, ac omnimode humanae consolationis expertes a colloquiis tantum divinis et oratione non recedunt, dominicis solummodo diebus ad oratorium, quod in communi positum est, concurrunt, ac verbo sanctae exhortationis a seniore irrigati, deificis salubriter refecti misteriis, cum omni alacritate revertuntur; alii vitae suae solum Deum testem habere cupientes, antris, speluncis, parietibus se includunt, tantoque ardentius[t] coelo suspensi sabbatizare creduntur, quanto amplius omnis humanae societatis extorres inveniuntur. Sunt etiam qui squalorem[u] solitudinum requirant, bestiale ferarum consortium non pertimescant, herba pascantur[v], pelle carnis pro operimento utentes, algore noctis et calore solis in modum Aethiopum denigrati, velud tympanum obrigescant, atque terreno habitaculo in terra positi, includi dedignantes, tectoque coeli tantum utentes, non se tam homines quam coelestis

a) vel *add. editt.* b) tirones 3. c) gloria eius 1. 4. 5. d) linea 1. 2*. 3. 7. e) capitiis 1. 2*. f) seraphyn 5. g) tamen 1. 2. 4. h) crossitudine 1. i) propagine 5. 7 *et editt.* k) daemonica *editt.* l) grillire 5. 7 *et edd.* m) spalmis 2*. n) manent — eniteat *desunt* 5. o) *deest* 2*. 2*A 1. 2*B 1. p) sap. seu pot. 2*. 2*A 1. 2*B 1. q) in 1. r) spiritualiter 1. 4. s) sepulcra 1; sepulchrum 2*. t) ardencius 1. u) sualorem 1. v) pascuntur 3.

curiae contubernales esse demonstrant. Omnes hii ab omni misero mundi rotatu, de quo supra disputatum est, seclusi, post senarii[a] laboris perfectionem in veri sabbati pace aeternam quietem praegustando positi, nostrae enormitatis benigni et idonei intercessores, huius septimi operis terminus existant, nosque ad ea quae secuntur, quis scilicet finis civitati Dei maneat, quae perditio reprobam mundi civitatem expectet, dicenda, precibus suis aptos efficiant, Amen[b].

CATALOGUS REGUM ET PONTIFICUM ROMANORUM[c].

Hii sunt reges Italiae ante Urbem conditam[d]:

Italus.	Ascanius[g].	Agrippa Silvius.
Ianus.	Eleneas[h] Silvius[i].	Aremulus Silvius.
Saturnus.	Latinus Silvius.	Aventinus[m] Silvius.
Picus.	Alba Silvius.	Proca[n] Silvius.
Faunus in Laurento[e].	Egyptus Silvius.	Amulius Silvius in Latio vel Alba regnaverunt[o].
Latinus[f].	Capis Silvius.	
Aeneas.	Carpentus[k] Silvius.	
	Tyberinus[l] Silvius.	

Deinde Urbe sub Numitore[p] condita:

Remus et Romulus[q] Rhee[r] Silvie filii.	Servius[v].
Numa[s].	Tarquinius Superbus regnaverunt in Urbe. Ex hinc fuerunt consules[w] usque ad imperatores[x].
Tullius[t] Hostilius.	
Ancus Marcus[u].	
Tarquinius Priscus.	

ROMANI PONTIFICES.	ROMANI IMPERATORES.	
	Octavianus Augustus.	
	Tyberius[e].	
Petrus[y].	Gaius Galigula.	
	Claudius.	
	Nero.	Primus persecutor[f].
	Galba[g].	
Linus.	Vespasianus.	
	Titus[h].	
Cletus.	Domitianus.	Secundus persecutor.
Clemens[z].	Nerva[i].	
Anacletus.	Traianus.	Tertius persecutor.
Evaristus.		
Alexander.	Adrianus.	Quartus persecutor.
Xyxtus[*].		
Thelesphorus[a].	Antoninus Pius cum filiis.	
Yginus.		
Pius[b] I.	M. Antoninus Verus cum fratre[k]	
Anicetus[c].		
Sother.	L. Aurelio Commodo[l].	
Eleutherius.	Commodus post Antoninum.	
Victor[d].	Aelvius[m] Pertinax.	
Zepherinus.	Severus.	
	Antoninus Caracalla.	

a) senaris 5. b) *deest* 5. 7. c) *ita* 4. d) *ita* 2 5. 11. *catalogus subsequens deest* 1. e) in Laurento *add* 2—5. 11. f) Hi regnaverunt simul circiter 150 annos *add. editt.* g) Aschanius 5; Aeneas, Ascanius *desunt editt.*; Silvius *add.* 11 *nom.* 1.. Aen. Ascan. h) Eneas 2. i) *ita constanter* 2. 3. 4. k) Capetus *editt.* l) Tiberinus 4; Tiberius 11. m) Avenninus 4. n) *ita* . 7. 11; Podea 2. 3. 4. o) *ita* 2—5; in Latio — regnaverunt *desunt editt.* p) Nimitore 3. q) Rom. et Rem. 5. r) Reheę 2; Remus *et* Rhee Silvie filii *desunt editt.* s) Pompilius *add. editt.* t) *ita* 2. 3. 4. u) Martius 11. v) Servius Tulluus *edd.* w) per 400 annos *addit* 5. x) *ita* 2. 3. 4. y) Petrus post utrosque *bis dantur in* 7. z) *deest* 2. 3. 4; *reperitur vero in prolixiore catalogo* 1. *) *ita* 2. 11; Syxtus 5; Sixtus martir *interscripta in* 4. a) Telephorus 2. 3. b) *hos permutant* 2. 3. 4. 7. c) Anacetus 1. 5. d) primus *addit* 5. e) Tib. 3. f) *ita* 1. g) Otto, Vitellius *quos addunt editiones, desunt* 2—5. h) Tytus 7. i) *deest* 1—4. k) Quintus persecutor *addit* 7. l) L. Aurelio et Commodo 4. m) Elyus 5.

ROMANI PONTIFICES.	ROMANI IMPERATORES.
Calixtus.	Macrinus.
	Antoninus.
Urbanus.	Alexander.
Pontianus. Antheros.	Maximianus. Sextus persecutor.
Fabianus.	Cordianus.
Cornelius.	Philippus cum Philippo filio, primus christianus.
Lucius.	Decius. Septimus persecutor.
	Gallus cum Volusiano. Octavus persecutor.
Stephanus.	
Xixtus II.[a]	Valerianus cum filio suo[r] Galieno.
Dionysius I.[b]	
Felix I.	
Euticianus[c].	Claudius[s]. Aurelianus. Nonus persecutor[t].
Gaius.	Tacitus. Probus.
Marcellinus.	Carus cum Carino et Numeriano filiis.
Marcellus.	Diocletianus et Decimus persecutor.
Eusebius[d].	Maximianus[u].
Hi omnes fuerunt martires[e].	Constantius et Galerius et Licinius[u].
Melciades.	
Silvester I.[f]	Constantinus[v].
Marcus.	
Iulius.	Constantinus cum Constantio[w] et Constante[x] fratribus.
Liberius.	
Felix[g].	Iulianus.
Liberius ab exilio reversus[h].	Iovinianus[y].
Nota Felicem qui in catalogo[i] positus est, ab haereticis[k] vivente Liberio subrogatum. Cur autem in catalogo sit, a Romanis quere[l].	
Damasus[m].	Valentinianus. Valens.
Siricius[n].	Gratianus cum fratre Valentiniano[z]. Theodosius cum utrisque et post utrosque.
Anastasius.	
Innocentius.	
Zosimus.	Archadius, et Honorius.
Bonifacius.	
Celestinus.	
Xixtus[o]. Leo I.[p]	Theodosius cum Valentiniano. Valentinianus cum Martiano. Martianus post Valentinianum.
Hilarius.	Leo.
Simplicius.	Zeno.
Felix[q].	
Gelasius.	Anastasius[*].

a) *ita* 7; Xyxtus 2. 5. 11. b) Dyonis. 2. 7; Dionis. 4. 5. c) otianus annum unum *superscr. man. secunda in* 4. d) Esebius 3. e) h. o. fuere m. 2. 5; hii omnes martires fuerunt 4. f) confessor 3. g) secundus 5. h) reversus *deest* 4. i) cathalogo 5. k) heretis 5. 7. l) *ita* 2. 3. 4. 7. 11. m) XL^us 4. n) Syricius 5. o) *ita* 2; Xixtus III. 5; Xyxtus 7. p) Doctor *superscr. man. sec.* 4. q) tertius 5. r) *deest* 3. s) Cladius 3. t) *deest* 2. u) Maximianus — Licinius *desunt* 5. v) *superscript.* 5. 7 Cesares. w) Constanti 2. 3; Constante 4. x) Constantio 4. y) Iouianus 3; *ita et* 4 *prius habuerat, sed sec. manus corr.* Iovinianus. z) Valentino 3. *) *deest* 5.

ROMANI PONTIFICES.	ROMANI IMPERATORES.
Anastasius[a].	
Symmachus[b].	
Ormisda.	
Iohannes I.[c]	Iustinus.
Felix[d].	
Bonifacius.	
Iohannes Mercurius[e].	
Agapitus[f].	Iustinianus.
Silverius[g].	
Vigilius.	
Pelagius.	
Iohannes III.	
Benedictus.	Iustinus.
Pelagius II.	Tyberius[q].
Gregorius I.[h]	Mauritius.
Sabinianus[i].	
Bonifacius.	Focas.
Bonifacius[k].	
Deusdedit.	
Bonifacius.	Heraclius cum Constantio filio[r].
Honorius.	
Severinus.	
Iohannes IIII.	
Theodorus.	Constantinus.
Martinus.	
Eugenius I.[l]	
Vitalianus.	
Adeodatus[m].	
Donus[n].	
Agatho.	
Leo II.	Constantinus[s].
Benedictus.	
Iohannes V.[l]	
Conon.	
Sergius.	Iustinianus.
Iohannes VI.[n]	Leo.
Iohannes VII.	
Sisinnius.	Tyberius[t].
Constantinus.	Iustinianus.
	Philippicus.
Gregorius[o].	Anastasius.
	Theodosius.
Gregorius[p].	
Zacharias.	Leo cum Constantino filio.
Stephanus.	Constantinus cum filio Leone, Pippino Francorum rege iam patricio Romanorum.
Paulus.	
Constantinus.	
Stephanus.	
Adrianus.	Leo post mortem patris, Karolo Francorum rege et Romanorum patricio.

a) *deest* 2. 5; nastasius *superscript. sec. manu* 4. b) Simachus 3. 4. c) martir *add. ead. manu* 4. d) quartus 5. e) Iohannes Mercurius 2; *ita et* 4 *prius, sed post correxerat* Ioh. Merc. II. f) LX. *add.* 4. g) martir *add.* 4. h) LXVI[us] *in* 4 *ante nomen script., cui sup. sec. manus* doctor; *ita et* 5. i) vel Fabianus *sup. sec. manu* 4, *quacum convenit* 1, *qui* Fabianus *exhibet.* k) LXX. *add.* 4. l) Eug. — Ioh. V. *desunt* 2. 3. m) LXXX[us] *add.* 4. n) *inde ab* Agathon *usque ad* Iohannes VI. *prima cuiusque nominis littera deest* 4. o) secundus 5. p) tertius 5. q) Tiberius 4. r) c. f. Constantio 2. 3. s) *deest* 3. t) Tiberius 5.

ROMANI PONTIFICES.	ROMANI IMPERATORES.
	Constantinus cum matre Hirene[q, r].
Leo III.[a]	Hirene[r] post filium.
	Abhinc imperium transfertur ad Francos.
	Karolus[s].
Stephanus.	
Paschalis.	
Eugenius II.	Ludewicus[t] cum Lothario filio.
Valentinus[b].	
Gregorius IIII.	
Sergius II.[c]	Lotharius post patrem.
Leo IIII.[c]	
Benedictus.	Item Lotharius cum Ludovico[u] filio.
Nicolaus[d].	
Adrianus[e].	Ludewicus post patrem.
Iohannes VIII.	
Marinus.	Karolus.
Adrianus III.	
Stephanus.	Karolus[v].
Formosus	
Bonifacius V.	
Stephanus[f].	
Romanus.	
Theodorus II.[g]	
Iohannes IX.[h]	Arnolfus, iuxta quosdam.
Benedictus.	
Leo V.	
Christoforus.	Iuxta Romanos Longobardi[w].
Sergius.	Ludewicus.
Anastasius.	
Lando.	Berengarius[x].
Iohannes X.	Berengarius.
Leo VI.	Ugo.
Stephanus VII.	
Iohannes XI.[i]	Berengarius.
Leo VII.	Lotharius.
Stephanus VII.[k]	Berengarius[y] cum Alberto filio.
Marinus.	
Agapitus[l].	Teutonici.
Iohannes XII.[m]	
Benedictus.	Otto[z] cum Ottone[z] filio.
Leo VIII.	
Iohannes XIII.[n]	
Benedictus VI.[o]	
Domnus[p].	
Bonifacius[p'].	
Benedictus.	Otto post patrem[*].
Iohannes.	

a) C[us] *add.* 4. b) Valentianus 2. 4. c) *numeri desunt plerumque* 7. d) Nikol. 4; Nycolaus 5. e) CX[us] *add.* 4. f) effossor Formosi *add.* 4. g) diebus 20 *add.* 4. h) CXX[us] 4; *numerus deest* 9. i) CXXX[us] 4. k) Ioh. XI. — Stephanus VII. *desunt* 3. l) Marinus II. Mercurius II. Agapitus II. 3. m) qui et Octavianus *superscr.* 4. n) Narsiensis episcopus *superscr.* 4. o) a Crescentio strangulatus *superscr.* 4. p) vel Benedictus CXL 4 *omissa littera* B. p') *in hoc ordine recensent* 2. 3, *sed* 4 *post* Domnum *hos pontifices ponit:* Iohannes quem occidit sequens Bonifacius. Bonifacius invasor bis. Iohannes XV. Papiensis. Iohannes XVI. q) *add.* 2. 4. r) Hyrene 4. 5. 11. s) praescriptus *add.* 4. t) Ludwicus 2; Lŏdwicus 4; Lodewicus 5. u) Lŏdwico 4. v) Henricus I. Conradus I. Henricus II. *perperam hic positi in* 3. w) *ita* 2. 3. 4. 11; *ita et* 5 *praemissis verbis* heinricus rex primus. x) Bering. 3. 5, *in* 4 *vero manus secunda superscripsit:* Hii tres qui secuntur sub Ludwico fuere in Italia tantum. y) Berngarius 4. z) Otho cum Othone 4, *superscr.* Magnus. *) rufus *supersc.* 4.

ROMANI PONTIFICES.	ROMANI IMPERATORES.
Iohannes.	
Iohannes.	
Gregorius Teutonicus.	
Iohannes XVII.	Otto[r].
Silvester[a].	
Iohannes.	
Iohannes.	
Sergius Os porci[b].	Heinricus Ius[s].
Benedictus.	
Iohannes[c].	
Benedictus IX.[d]	Conradus[t].
Sylvester III.[e]	
Gregorius[f].	
Clemens II. Teutonicus[g].	
Damasus II. Teutonicus[h].	Heinricus[u].
Leo Sanctus Teutonicus[i].	
Victor Teutonicus[k].	
Stephanus Teutonicus[l].	
Benedictus.	
Nicolaus.	
Alexander.	
Gregorius VII.[m]	Heinricus[v].
Victor III.	
Urbanus II.	
Paschalis II.	
Gelasius II.	
Calixtus[n] II.[o]	Heinricus[w].
Honorius II.	
Innocentius II.	Lotharius.
Celestinus II.	
Lucius II.	Conradus[x].
Eugenius III.	
Anastasius IIII.[p]	
Adrianus IIII.[q]	Fridericus[y, *].

* *Imperatorum Heinrici IV, Lotharii et Friderici nominibus manus primitiva subscripsit in* 11. *episcopos Frisingenses sequentes:* Ellenhardus episcopus; 1088 Reginhardus episcopus obiit; 1137 Heinricus episcopus obiit; 1158 Otto episcopus obiit; 1184 Albertus episcopus obiit, Otto succedit.

In 13 *vero paparum et imperatorum catalogus ita explicit:*

Alexander III.[z] Contra Alexandrum a minori parte cardinalium eligitur Victor, item Paschalis, itemque Kalistus, Friderico imperatore minorem partem adiuvante, duravitque hoc scisma annis 20, Alexandro se interim per diversas provincias sustentante. Tandem obtinuit Alexander anno Domini 1177[z].

Fridericus[z] dux Suevie, fratruelis Cůnradi prenominati[z].

a) qui et Gerbertus archiepiscopus *superscr.* 4. b) CL. *add.* 4. c) XVIII. *superscr.* 4. d) scelerosus *superscr.* 4. e) invasor *superscr.* 4 *et hic additur* CL. f) vel Gratianus *superscr.* 4. g) Swidger babenbergensis *superscr.* 4; qui etiam Widgerus 11. h) Poppo *superscr.* 4; qui et Poppo 11. i) Bruno *superscr.* 4. 11. k) Gebehardus *superscr.* 4. 11. l) Fridericus *superscr.* 4 *additque* CLXus; qui et Fr. 11. m) CLXus *addit* 4. n) Pascalis 5. o) CLXVIIII. *add.* 4. p) IIus 3. 4. q) *huc usque* 2 *et* 3; *in* 4 *vero adduntur* CLXXIII. Alexander III. *et altera manu:* Lucius III; *in* 5 *vero* Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. Clemens. Celestinus II. Innocentius III. Honorius III. Gregorius VIIII. Celestinus III. Innocentius IIII, *in* 7 *et* 11 *denique:* Post Adrianum scisma fit, aliis Rolandum qui Alexander, aliis Octavianum qui Victor exigentibus a. 1159. *Eadem vel paulo recentior manus haec adiecit* 11: Heinricus VI imp. Philippus rex. Otto imp. Fridericus II. imp. r) puer *supersc.* 4. s) Heinricus secundus 5. 7, *alia man. superscr.* sanctus; Heinricus. Conradus. Heinricus *qui in* 3 *post* Karolum *positi sunt, desunt omnino* 2. t) Cůnradus 5; Chunradus Ius 4, *ubi post hunc denuo* Heinricus II. *cui sec. manu supersc.* Babinbergensis ecclesiae fundator. u) IIIus 4. 7; *in* 4 *supersc.* pius. v) *deest* 3; IVus 4. 7. w) IIII. 3; Vus 4. 7. x) II. 3; Chunradus IIus 4; Cůnradus II 5. y) *in fine paginae manus s. XIII exeunt. s. XIV. in. in* 4 *sequentia addidit:* Fridericus magnus fuit 81us. Hainricus filius huius. Fridericus filius huius. Heinricus 84us ab Augusto; 5 *vero pergit:* Heinricus VI. post patrem. Phylippus post fratrem. Otto IIII. Hic Saxo erat et a regno expellitur. Fridericus filius Heinrici. z) *manu Liutoldi addita* 13.

Lucius III.	
Urbanus III.	
Gregorius VIII.	
Clemens III.	Heinricus[a] filius Friderici
Celestinus III.	
Innocencius III.	Philippus frater Heinrici. Item Otto Saxo. Item Fridericus filius Heinrici *.
Honorius III.	Heinricus filius Friderici[a].
Gregorius VIIII.	
Celestinus IV.	
Innocencius IIII. Alexander IIII. Urbanus IIII. Clemens IIII.	Heinricus[a] de Turingia, item Willehelmus comes de Hollandia[a]. Ricardus[d] frater regis Anglie. Rŭdolfus comes de Habesburg, langravius Alsatie, comes in Kyburg. Adolfus comes de Nazowe[d]. } Isti tantum sunt reges.

Gregorius X. . . A[a] tempore beati Petri usque ad Gregorium decimum fuerunt pape 192. Sub isto fuit electus comes Rudolfus de Habesburg in regem Alemannie. Iste Gregorius natione Lombardus, spiritu Dei plenus, celebravit Lugduni concilium generale. In quo Grecos ad obedientiam ecclesie Romane recepit, crucem ad subsidium terre sancte predicari per universum mundum precepit, decimas omnium ecclesiarum per totum orbem colligi iussit ad subsidium dicte terre. In eodem etiam concilio novas constitutiones edidit, inter quas unam saluberrimam de festina summi pontificis eleccione condidit, per quam cardinales, vellent, nollent, subito providere viduate Romane ecclesie strictissime cogebantur. In eodem etiam concilio omnes mendicantes religiones abolevit, exceptis nominatim fratribus Predicatoribus et Minoribus, quos ecclesie universali idem concilium utiles iudicavit, prout in constitutione super hoc specialiter edita clarius continetur. Celebratum est autem anno Domini 1274, circa festum apostolorum Philippi et Iacobi beatorum[a].

Innocencius V. ordinis fratrum Predicatorum. Iste[a] Innocentius natione Burgundus in ordine fratrum Predicatorum circa 35[b] annos existens, magisterium theologie apud eosdem adeptus Parisius, super sentencias et super apostolum scripta fecit. Provincialis etiam ipsorum fuit in Francia multis annis. Postea modico tempore fuit archiepiscopus Lugdunensis. Inde Gregorius papa decimus ipsum transferens fecit cardinalem et episcopum Hostiensem. Tandem mortuo predicto Gregorio in summum pontificem est electus. Hic quia tantum quinque mensibus sedit, nichil dignum memoria deliquit[a].

Adrianus V. Iste[a] Adrianus tantum quinque septimanis sedens, natione Lombardus, nec ordinem sacerdotalem, nec benedictionem episcopalem, nec consecrationem papalem adeptus, decessit dyaconus ab hac vita. Iste brevi vivens tempore nichil penitus novi fecit. Nota quod isti tres, scilicet Gregorius X, Innocencius V. et Adrianus V, infra annum dimidium obierunt anno Domini 1276. Gregorius apud Aritium, Innocentius Laterani, Adrianus Viterbii est sepultus[a].

Iohannes XXI. Iste[c] Iohannes natione Hispanus, antea cardinalis et Tusculanus episcopus, statim post consecrationem et coronationem in domo fratrum Predicatorum Viterbii sibi factam, illam sanctam constitucionem Gregorii de electione summi pontificis, ad instantiam et instinctum cardinalium in consistorio Viterbiensi cum magno scandalo publice revocavit anno Domini 1276. 8. Idus Octobris. Quapropter ut creditur ultio divina ipsum infra primum annum sui

* *Friderici II. res gestas fusius enarrat* 13' *hoc modo*. Fridericus iste tempore Honoriii, Gregorii noni et Innocentii quarti imperavit annis 30 et amplius. Iste anno ab incarnatione Domini 1222. in basilica beati Petri sub Honorio tercio fuit coronatus. Iste fuit potens, dives et famosus imperator. Habebat enim imperium, regnum Hierusalem, regnum Sicilie, regnum Alemannie, ducatum Suevie, et alias plures dignitates; natione Theutonicus de castro Stouphen, ferox et tenax fuit. Iste quos expugnavit diversis tormentis et penis perdidit ultra quam cogitari possit. Hic excommunicatus a papa Innocentio et tandem in Lugdunensi concilio depositus et omni honore privatus, ante Parmam devictus contra sedem apostolicam rebellis, anno Domini 1246 mense Iulii tandem mortuus est. Contra quem Heinricus lantgravius Thuringie fuit electus, quo in brevi mortuo comes Willehelmus de Hollandia electus est in regem Alemannie. Sub predicto Friderico exivit gens Tartarorum et destruxit regnum [Hungarie] et alia multa.

a) *manu Liutoldi addita* 13. b) *numeris Arabicis scriptum.* c) Iste — est defunctus *manu Liutoldi addita* 13. d) *diversis manibus exarata in* 13.

papatus, trabe de suo solario ruente et eum solum opprimente, tulit miserabiliter de hac vita. Dignum enim fuit et iustum, ut qui totam ecclesiam futurorum pontificum celeri, celebri ac salubri et necessaria provisione privavit, ipse vita presenti celeriter, celebriter, et forsitan eterna miserabiliter privaretur. Qui enim cum scandalo vixit, non inmerito cum scandalo est defunctus.

Nycolaus III.
Martinus IIII.
Honorius IIII.
Nycolaus IIII.
Celestinus V.
Bonifacius VIII.
Benedictus XI. ordinis fratrum Predicatorum.

Codex vero 13 pontificum Romanorum catalogum his verbis terminat:* Honorius IV. natione Romanus de domo Sabellorum eligitur in Perusio anno Domini 1284. *In praefatione supra p. 108 monuimus in 13 foll. 129—134 exaratum esse* Provinciale Tancredi, *quod etiam scriptor codicis 13*, codicem 13 presso pede secutus, in suos usus convertit atque tribus columnis exaratum in fine operis subiunxit, cuius initium ex apographo Pertzii hic sistere libet:*

REGISTRUM DE CURIA ROMANA QUOD VOCATUR PROVINCIALE TANCREDI.

Isti sunt episcopi sub Romano pontifice qui non sunt in alterius provincia constituti:

Hostiensis.	Marsicanus.	Castellanus.	Interamnensis.
Portuensis.	Valnensis.	Aretinus.	In Marchia:
Albanensis.	Teatinus.	Grossetanus[b].	Esculanus.
Penestinus.	Pennensis.	Vulteranus.	Firmanus.
Sabinensis.	Aprutinus.	Lucanus.	Camerinus.
Tusculanus.	In Tuscia:	Pistoriensis.	Auximanus.
Tiburtinus.	Nepesinus.	Florentinus.	Humanus.
In Campania:	Sutrinus.	Fessulanus.	Anconitanus.
Anagninus.	Civitatensis.	Lunensis.	Esinus.
Signinus[a].	Ortanus.	In ducatu Spoletano:	Senogaliensis.
Ferentinus.	Balneorgensis.	Assisinas.	Fanensis.
Alatrinus.	Senensis.	Fulluginas.	Pesauriensis.
Verulanus.	Urbeventanensis.	Nucelerinus.	Forosifroniensis.
Terracinensis.	Viterbiensis.	Tudertinus.	Gallensis.
Soranus.	Tuscanensis.	Egubinus.	Urbinus.
Fundanus.	Castrensis.	Spoletanus.	In Romania[d]:
Gaietanus.	Suanensis.	Reatinus[c].	Ravenna.
In Marsia:	Clusinus.	Amelinensis.	Ariminensis.
Furconensis.	Perusinus.	Narniensis.	Feretranus.

In civitate Romana sunt quinque ecclesie que dicuntur patriarchales. Ecclesia beati Iohannis Lateranensis que habet priorem *etc. Idem codex 13* his verbis rubro colore conscriptis desinit:* 1298 in Tegernse.

Tabula supra scripta continet patriarchatus, archiepiscopatus et episcopatus omnium provinciarum totius christianitatis.

CONTINUATIO PRIMA[e].

Anno ab incarnatione Domini 1152. Conradus dux de Zeringen obiit, post quem etiam Conradus rex eodem anno defunctus est; in cuius locum Fridericus dux Suevorum, filius fratris eius Friderici, 95. ab Augusto rex electus est apud Franconefurt unanimi principum totiusque regni consensu. Huius 8. principatus anno Adrianus venerabilis papa obiit, et inter duos alios, Alexandrum videlicet et Octavianum, qui alio nomine Victor appellatus est, maximum schisma ecclesiae oriri coepit, quod 19 annis miserabiliter duravit, Friderico rege contra Alexandrum pertinaciter resistente, et in id ipsum plures episcoporum regia potestate compellente. Quod demum multo labore Dei gratia sanatum est, et Alexander universalis totius ecclesiae pater canonice confirmatus est, qui secundo confirmationis suae anno maximum Romae concilium congregavit, in quo plures episcopos schismaticos et plures diversorum ordinum per ipsos ordinatos degradavit et damnavit.

Eo etiam tempore praedictus imperator Fridericus expeditionem maximam contra Longobardos movit, et Mediolanum cepit, atque aedificiorum civitatis eiusdem plurimam partem

a) Sigrinus *c.* b) Crossetanus *c.* c) Beatinus *c.* d) Romana Ravenna *c.* e) *haec in omnibus codicibus desiderata, ab uno Scotorum Vindobon. codice datur, cuius librarius forsitan exemplar S. Trudperti monasterii in Silva nigra transscripsit. Vide quae diximus in praefatione p. 107.*

subvertit. Transactis autem paucis post haec annis, iterum cum exercitu multoque comitatu episcoporum, ducum et comitum diversorumque principum Teutonici regni secundo Longobardiam ingreditur, et ibidem regali potentia grandia multa perficere molitur. Sed circa finem Augusti mensis facta est immanis mortalitas in eodem exercitu principum Teutonici regni, episcopi scilicet Coloniensis, Friderici de Winsberg, Welfonis iunioris de Ravensburg, cum multis aliis. His etiam diebus praedictus imperator Fridericus Henricum filium suum regia dignitate sublimavit, eique puellam nobili genere procreatam, Rogerii scilicet et Wilhelmi Apuliensium principum filiam, copulavit, nuptiasque ipsius Mediolani regali gloria multaque potentia perpetravit. Postea vero idem rex Henricus castrum quoddam in Brisagaugia, Bresacum dictum, in refugium pauperum velut misericordiae asylum, coepit aedificare, cunctosque confugientes illuc a totius iniusticiae violentia regali potentia studuit defensare.

CONTINUATIO ALTERA[a].

Anno Domini 1138. defuncto Lothario regnavit Chunradus dux Swevi..[b], cui Fridericus nepos ex filio successit a. D. 1153. Hic Fridericus expedicionem ad partes transmarinas movit circa pentecosten. Cum terram Grecie manu valida intrasset, apud civitatem quandam cum exercitu suo moraretur, in flumine quodam ibi lavaretur, equo inpigente[b] in flumen cecidit et interiit.

Huic successit Hainricus filius eius anno Domini 1190, qui in die sancto pasche a Celestino papa coronatus tirannidem semper contra Romanam ecclesiam idem Hainricus[b] exercuit. Et ideo mortuo ipso, Innocencius III, ne frater eius Philippus promoveretur se opposuit, cumque omnes barones regni et principes in eundem consentirent, papa Ottoni filio ducis Saxonie adhesit et eum Aquisgrani per legatum apostolice sedis et episcopos, videlicet Treverensem, Coloniensem, Magontinensem, coronari fecit, et iuramentum ab eo exegit, ut iura ecclesie Romane salvaret. Qui statim ipso die contra iuramentum venit, nec non Romipetas expoliari fecit. Unde papa eum excommunicavit et ab imperio deposuit. Regno deposito Fridericus rex Sicilie Hainrici supradicti filius eligitur et ab Onorio coronatur. Leges optimas[c] pro libertate Romane ecclesie et contra hereticos edidit. Hic super omnes diviciis et gloria habundabat, sed eis in superbia abusus fuit. Nam tirannidem contra Romanam ecclesiam exercuit, duos cardinales vinculavit, et prelatos quos Gregorius IX. ad concilium vocaverat capi fecit et ideo ab ipso excommunicatur. Denique Gregorius multis tribulationibus ab ipso pressus moritur, et Innocencius IV. ei successit, qui apud Lugdunum concilium convocans imperatorem sepe amonitum et ad causam vocatum consilio omnium episcoporum deposuit. Sed Fridericus tanquam tyrannus adhuc in regno magis potestate et violencia quam auctoritate legitima in imperio permansit. Sed anno Domini 1250. a Domino percussus diem extremum clausit, sed quia excommunicatus, ut diximus, fuerat a summis pontificibus, videlicet Honorio et Innocencio IV, tanquam canis[17] et infidelis abiectus est nec fidelium participavit sepulture. Morsque eius ab his baronibus et principibus qui tunc in curia sua presentes aderant, fuit occultata. Reliquit tamen hic filium nomine Chunradum, quem in Sicilia ante regnare in preiudicium Romane ecclesie fecerat, qui etiam tamquam paterne imitator malicie a summis pontificibus excommunicatur, sed pauco tempore, id est quinto post mortem patris anno, infausta morte raptus et occulte subtractus nec ecclesiastice participavit ut pater sepulture, relinquens[d] hic filium parvulum de filia Ottonis ducis Bavarie, quam postea in matrimonium sortitus est Maynhardus[e] comes Tirolensis, nomine Chunradum, qui a matre et ab avunculis, videlicet Ludwico et Hainrico Bawarie principibus, nutriebatur, qui postmodum adultus regnum Sicilie et ducatum Apulie nec non Calabrie iure hereditatis ad se pertinere affirmans, fretus auxilio et consilio principum Bawarie supradictorum et maxime Ludwici senioris, qui secum iter arripuit, multitudine armatorum collecta per vallem Tridentinam exercitum ducens, Longebardiam intravit. Sed prefatas[f]

a) *fol. ultimo 2' addita manu saeculi XIV.* b) *ita codex.* c) optimos *cod.* d) *abhinc secunda manus fere coaeva.* e) *prius scripserat* Albertus. f) prefatos *corr.* prefatas.

17) Gestorum abb. Trud. Cont. tertia saec. XIV. conscripta simile quid de Friderico I. affert SS. X, 390: *Et prophetia impleta est de ipso in cunis iacente facta: „Intrabit ut vulpes, regnabit ut leo, morietur ut canis".*

dignitates, videlicet Siciliam, Calabriam et Apuliam, Clemens III. Karolottoni fratri regis Francie ante contulerat, salva reverencia ac pensione debita, videlicet octigentis auri marcis singulis annis exsolvendis; contra quem cum predictus adolescens Chunradinus pugnaret, ab eodem Karolottone superatus et captus atque capite est truncatus; apud Neapolim in arena iuxta mare sepultus, nec ipse sicut avus et pater ecclesiastice participavit sepulture. *Alia manus s. XIV:* Item Weitolt obiit anno regni sui sexto.

Adhuc[a] restat de rege Ruodolfo et nuptiis filiorum et filiarum eius et victoria in Bawaris et Bohemis et de Karulo et rege Aragonum et Grecorum*.

PROLOGUS OCTAVI LIBRI[b].

Hoc opus nostrum, quod de duabus civitatibus intitulavimus, trifarie distinctum invenitur. Cum enim civitas Christi seu regnum eius secundum praesentem statum vel futurum ecclesia dicatur, aliter se modo, quamdiu bonos et malos in uno gremio fovere cernitur, habet, aliter tunc, cum solos bonos in superni sinus gloria servabit, habitura erit, aliter, antequam plenitudo gentium introiret[c], sub principibus gentium vivens, se habuit. Denique quod ecclesia, non solum cum Christo regnans sed et in praesenti horreo granum et paleam continens, regnum Christi vocetur, in euangelio manifestissime habes, ubi de regno suo scandala, quae nulla profecto in coelesti patria tranquillissima et felicissima fore poterunt, auferendo[d] praedicuntur. Ea ergo locutione, qua Christus propter sacramentorum communionem malos et bonos, fidem istos per caritatem operantem, illos sine operibus mortuam habentes, regnum suum nominat, ea nos civitatem eius hunc praesentem statum vocamus. Neque enim subtilitatem eorum in hoc sequimur, qui utrum mali in ecclesia manentes veraciter sacramentis communicent an exterius tantum ea accipiant, solerter inquirunt, vel, si item[e] mali ecclesia, quae corpus Christi, dici propter temporalem commixtionem ac sacramentorum communionem debeant, acutissime disputant. Sed communem sacrae scripturae usum, simplici oculo intendendo, omnes in ecclesia fidem tenentes catholicam, civitatem Christi vocamus, Deo, qui solus novit qui sint eius, iudicium discussionemve singulorum relinquentes.

Civitatis perversae triplex aeque status invenitur, quorum primus ante gratiam, secundus tempore gratiae fuit et est, tertius post praesentem vitam erit. Primus miser, secundus miserior, tertius miserrimus. E contra vero alterius partis primus abiectus, secundus prosper, tertius beatus, vel primus humilis, secundus mediocris, tertius perfectus. Ac de duplici utriusque partis statu, quomodo scilicet unus, primo humilis cum latuit, post, datis sibi non solum internis bonis sed et exteriori prosperitate, non ut prius abiectus, nec adhuc, ut in futuro erit, gloriose beatus et perfectus, medius seu mediocris; alter vero, tam infinitarum mutationum motibus quam verae

* *Hic sistere libet quae in ultimo folio 7. adduntur manu saec. XIV. ex.:* Nota quod ad Sanctum Blasium prope Theodosiam flumen, non longe a Sancto Lamperto, fuit olim monasterium ordinis sancti Benedicti, cui presidebat beatus Silvinus abbas eiusdem loci, qui ab Attila Hunorum rege dum Aquilegiam versus iter faceret occisus fuit tempore Marciani imperatoris anno Domini 453. Quo monasterio per Hunos destructo demum anno Domini milesimo tercio Marquardus primum, deinde Henricus filius ducis Carinthie tempore Henrici quarti imperatoris monasterium sancti Lamperti fundaverunt in loco ubi modo situm est. Precessit ergo monasterium sancti Blasii monasterium sancti Lamperti annis 548.

Marquardus dux Carinthie, pater Henrici fundatoris monasterii sancti Lamperti apud Theodosiam siti, sepultus est in ecclesia parrochiali sancti Martini in Reitt prope . . . .[f] in sacristia. Nam ibi fundaverat monasterium monialium ordinis Cisterciensis, quod modo translatum est per episcopum Saltzburgensem in civitatem Frisacam in vicum Sakh. — *Quibus subiunguntur manu s. XV. ex.:* Item in Host fuit quoddam monasterium quod vocabatur ad Sanctum Michaelem, quod per Ottakarum primum ducem Stirie, qui ibi resedit cum uxore sua Beatrice, que fuit soror Henrici fundatoris nostri, creditur fundatum esse. Deinde Ottacaro et Beatrice mortuis, Henricus dictum monasterium et ecclesiam parochialem monasterio suo ad Sanctum Lampertum incorporavit, ut ex privilegiis fundatoris apparet. Sed de hoc, an Beatrix fuerat uxor eius, est dubium, quia nec in privilegiis de ea fit mentio, preterea in chronica Austrie habetur, quod Chunigundis filia ducis Austrie fuit eius uxor . . de hoc, ut in libello de origine monasterii sancti Lamperti per magistrum Iohannem Menestarffel de Wienna arcium doctorem decretorumque licenciatum edito, ubi plene invenies.

a) *adduntur quarta manu s. XIV.* b) *ita* 2. 7; Incipit prologus octavi libri 4; Incipit prologus in librum VIII. de duabus civitatibus 5. c) introierit *editt.* d) auferenda 5. 7 *et editt.* e) iter 2. f) *litterae* rima . . . *hic tantum legi poterant.*

religionis ignorantia primo miseris, secundo post revelatam lucem tanto miserior, quanto post manifestatam veritatem inexcusabilior fuit, in praecedentibus satis dictum est. De tertio vero, quomodo videlicet haec ad summam beatitudinem profectura, illa ad ultimam miseriam defectura et casura sit, iudicante ac examinante in ultimo iudicio iustissimo iudice utriusque urbis Prov. 16,18. *causam, in hoc octavo opere dicendum restat. Verum quia, ut ait Salemon*[a], *ante ruinam exaltari cor, et ante gloriam frequenter solet humiliari, quae hanc gloriam civitatis suae humiliatio, quae hanc ruinam civitatis perversae momentanea sub Antichristo praecedat elatio, quantum ex autenticis libris colligi datur, praemittere aptum reor. Sic enim post densissimas persecutionum tenebras, gratior aeternus aeternae pacis dies, et post temporalem arrisionem molestissimus poenarum turbo aeternaque nox gravior apparebit, quatenus et istius spes praesentes labores breves efficiat, et illius timor ab hac temporali, si qua est, quia transitoria est, voluptate deterreat.*

Nunc eis respondendum videtur, qui forte hunc nostrum laborem tanquam inutilem evacuare conabuntur, quasi tot alternantium malorum historicis narrationibus tam ardua et archana scripturarum documenta non digne commisceamus. Et primo quidem, quamvis de hoc exemplo beati patris Augustini, quem imitari proposuimus, idem in libro de Civitate Dei facientis excusemur, tamen rationum et auctoritatum spiculis eis obviandum erit. Nunquid non gratior est dies sequens noctem, dulcior quies post laborem, somnus post lassitudinem, cibus post esuriem? Quid de eptatico regnorum libro Paralipomenon[b] *dicam? Deficiet me tempus enarrantem, si universas sacrae scripturae paginas, utpote Ruth, Iudith, Esdrae, Hester, Machabeorum percurrere libros velim*[c], *qui dum mistico*[d] *sensu et deifica sapientia sint gravidi, diversas tamen mortalium aerumpnas*[e] *et bellorum tempestates continent. Taceo prophetas, qui inter crebras mutabilium miserias secreta sancti spiritus nonnunquam vaticinia posuere. Omitto apostolos*[f], *qui profundissimis divinorum misteriorum archanis nefandissima huius mundi facta frequenter interseruere. Sic Daniel ab historica narratione ordiens profundissima visione opus suum terminavit. Et egregius ille praedicator secundum datam sibi prae caeteris apostolis sapientiam de secretissimis Dei magnalibus excellenter disputans, ad correctionem nostram quaedam turpia tenebrarum opera in capite epistolarum obiurgando, commemorare non erubuit. Sed et dilectus ille Christo disci-* Ioh. 20,30. *pulus, euangelicae narrationem veritatis alto illo inchoatam principio concludens, cum dixisset:* Multa quidem et alia signa fecit Iesus, i. c. d. s. q. n. s. s. in libro hoc, haec autem scripta sunt etc. *exemplum dominicum, statum futurae vitae in captura piscium et retis soliditate* Ioh. 21,1. *necnon et cibi suavitate praesagiens, subtexuit:* Manifestavit, *inquiens*, se Iesus ad mare Tyberiadis. *Sicque huius tam eximiae rei praerogativam in calce libri ponens, omnem retroactae narrationis seriem eius tanquam prooemium fecit. Dominus quoque in principio coelum et*[g] *terram creans*[h], *invisibilem primo et incompositam materiam edidit, ac postmodum in ordinem eam et lucem redegit. Non ergo delinquere nos arbitramur, si enumeratis praesentis vitae miseriis, de aeterna sanctorum quiete, tanquam de luce post tenebras, quantum Deus permiserit, tractare conabimur.*

LIBER OCTAVUS.

1. Sicut ex scriptura sacra docemur, civitas Christi primo violentam a civitate mundi sub tyrannis infidelibusque regibus, secundo fraudulentam[i] haereticorum, tertio fictam ypochritarum[k] tempore persecutionem passa, ultimam tam violentam quam fraudulentam fictamque ac omnium gravissimam[l] sub Antichristo passura erit. Qui ex hoc quod Christum se mentiens, Christo per omnia vita et doctrina oppositus erit, Antichristus tanquam contrarius Christo vocatur. Graeci enim *anti* contra dicunt. Porro de tribu Dan[m], servili scilicet Gen. 49,17. conditione, ex illa qua dicitur auctoritate: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, nasciturus creditur.

2. Quae vero adventum eius indicia praecedant, apostolus insinuat, qui Thessaloni- 2 Thess. 2, 6 sq. censibus scribens ait: *Et nunc quid detineat scitis, donec*[n] *reveletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Et ib 3. rursum: *Nisi venerit discessio primum, et reveletur filius iniquitatis*[o] *filius perditionis* etc. Quod quidam ad Neronem, cuius tempore Paulus scripsit, interpretantur, sicut supra dixisse me

a) Salomon 5. b) paralippomenon 2; paralyppomenon 5. c) velim libros 4. d) mystico 5. e) erumnas 2. f) om. ap. *desunt editt.* g) ac 7. h) princ. fecit coelum et terram *editt.* i) fraudolentam 2 *const.* k) hypocrhitarum 4; ypocritarum 5. l) gravissima 2. m) Iuda *editt.* n) ut *editt.* o) revelatus fuerit homo peccati *editt.*

memini. Alii vero de diabolo, cuius membra omnes ad reprobam civitatem pertinentes sunt, dictum aestimant. Aiuntque Paulum intellexisse Zabulum, qui per[a] membra[b] sanctos persequendo, misterium iniquitatis tunc operabatur, tempore suo, id est in fine mundi, ad manifestam impietatem revelandum fore ac collectas vires per Antichristum effusurum. Unde in Apocalipsi habes, quod post mille annos, qui quidem numerus plenitudinem temporis significat, Satan, qui modo in reproborum mentibus maliciam intra se cohibentibus, tanquam in abisso ligatus noscitur, solvendus, id est ad manifestam nequitiam prorupturus, totas vires effusurus sit. Et nota, quod Paulus omnem praesentis diei maliciam, non iniquitatem sed misterium[c] iniquitatis nominat, ut per hoc omnis, quem ecclesia a primo tempore usque ad Antichristum patitur, labor respectu illius quem tunc passura erit, non iniquitas sed tanquam misterium, id est species iniquitatis, appareat. Vel misterium vocat tanquam occultum, res enim secretas misticas dicere solemus, et est sensus: In illo tempore tam manifesta, tam periculosa tam cruenta erit tribulatio, ut omnem quam nunc patitur vel passa fuit ecclesia, comparatione illius quasi occultam reputet. Quod vero subsequitur, et ait: *Qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat,* praedicto sensui accommodatum cernitur, velut[d] qui nunc sub honesto pudore vitia revelata tenet, teneat donec processu temporis inverecunda fronte commissa ad medium, id est ad publicum, veniant. Hoc etiam videtur innuere cum praemisit: *Quid detineat scitis, donec reveletur in suo tempore,* tanquam diceret: Non ante revelabitur, quam completa malicia Amorreorum, tempus quod manifestari debet, adveniat. Unde et hanc ipsius revelationem, discessionem praecessuram narrat. Tunc enim vere caput erroris apparebit, cum, relicta veritate, a veritatis auctore totus pene mundus discedet. Quidam discessionem, et hoc quod dicitur: *Qui tenet teneat, donec de medio fiat,* ad regnum interpretantur, ut scilicet omnibus amore scelerum iusticiae renitentibus ac per hoc a iusticia regni discedentibus, ad tantam qui regnum tenet deiectionem veniat, ut sine reverentia de medio, id est de communi, quasi quilibet de plebe fiat. Unde et aiunt, apostolum haec sub integumento verborumque involucro posuisse, ne videlicet Romano imperio, quod ab ipsis aeternum putabatur, calumpniam intulisse videretur. Qua de re et hoc dictum putant: *Quid detineat scitis,* ac si diceret: Hoc, quod vos scitis, alienigenas manifesta demonstratione scire volo. Alii vero eadem verba eodem quo de regno diximus sensu, de sacerdotio et Romana sede interpretantur.

3. Ostenso quae eum indicia praecedant, nunc de ipso eius adventu ac ea quae tunc fiet persecutione prosequamur. Dominus Iudaeis praedicans ac non auditus, inter alia
dixit: *Ego veni in nomine patris mei, et non recepistis me; si alius venerit in nomine suo, hunc* Ioh. 5, 43
recipietis. Et Paulus: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet* 2 Thess. 2, 10.
illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Nec timuit Paulus dicere, quod Dominus mittat eum. Mali enim etsi civitatem Dei non iusticiae sed iniquitatis zelo affligant, nichil tamen, nisi quod et quantum permittuntur, facere possunt. Unde spiritus Domini malus irruisse dicitur in Saul. Malus quippe propter nequissimam voluntatem, et idem Domini propter acceptam ab eo iustissimam potestatem. Quod si Dominus omnes reprobos regnare permittit, quanto magis omnium reproborum caput temporalis prosperitatis ac saeviendi in suos potestatem eius sine nutu non accipit? Mittet ergo eum Dominus, quia maliciam corde conceptam non amplius, quam et quantum[e] ipse permittet, exercere valebit. Sed quaerendum est, quare Dominus civitatem suam tam immaniter tribulari permittat, cur eius hosti tantam malefaciendi efficaciam tribuat. At non est mirum, si Dominus ecclesiam suam de nichilo suscitatam et ad summum in terra fastigium, ut supra diximus, exaltatam, ante ultimae tribulationis bravium, ne longo dissoluta ocio in amore sui conditoris torpeat, excitatam gravissima prius exerceat palestra. Erit autem haec persecutio, ut supra dictum est, violenta et fraudulenta[f], et violenta quidem non per se, sed per potentem personam,
ut mihi videtur, exercebitur. Unde psalmista: *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut* Psal 10, 8
interficiat innocentem, id est occultis[g] machinamentis potentes mundi ad hoc, ut manifesta sanctis irrogent supplicia, incitabit. Et hanc puto bestiam in Apocalipsi[h] vocatam. Nam ipsum Antichristum eadem scriptura pseudoprophetam nominat, diabolum vero instigantem draconem. Ex hoc conici potest, ipsum per omnia in hypocrisi[i] venientem, non tormenta exteriora per se sanctis inferendo, sed signis mendacii et specie religionis ac imagine[k]

a) per *deest* 2. b) membra sua 5 *et edd.* c) mysterium 5 *semper.* d) velud 2. e) quae ex quanta 7. f) fraudolenta 2. 4. g) in occultis 2. h) apocalypsi 5. i) *ita* 4; hip. 2. 7. k) ymagine 5.

rationis fraudulenter[a] mundum decepturum, tormenta vero potentem aliquem ad hoc sibi ascitum[b] sanctis intemptaturum. Si qui vero unum eum potentem utpote Romanorum imperatorem ad hoc ascire[c] contendunt, et hunc bestiam dictum non calumpnior.

4. Quoniam vero supra vitam et doctrinam eius Christo contrariam testati sumus, qualiter id fiat, Deo adiuvante, dicamus. De vita quidem constat, quia Christus de solio patris ac superis descendens, se ad redimendum genus humanum humiliavit, ille de inferis ascendere nitens, ac supra omne quod dicitur aut quod colitur deus se extollens, ad decipiendos homines sublevabit. Ille virtutem et excellentiam deitatis occultans assumptam carnem sputis et flagris exposuit; iste fragilitatem suam non considerans ac se super hominem deum iactans de hoc quod non est, gloriam et honorem ab hominibus expectabit. Doctrina Matth 11,29. vero eius in quantum ab illius dissideat, luce clarius est, cum dominus humilitatis: *Discite*, inquiens, *a me, quia mitis sum et humilis corde*, iste superbiae: *Mea sunt*, dicens, *flumina, et ego feci illa*, magister appareat. Et nota, quod in fide nostra in duobus praecipue calumpniandi materiam invenit, qua videlicet alia humanae rationi, alia carnis voluptati contraria praedicat. Humanae rationi contraria, ut partum virginis, sacramentum altaris adorare, Matth 16,24. crucifixum hominem credere Deum, et huiusmodi. Voluptati contraria, ut hoc est: *Qui vult* Luc. 14,33. *venire post me* etc., et: *Nisi quis renunciaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse* Luc. 6,24. ib. 20. *discipulus*, et: *Vae vobis divites*, et: *Beati pauperes*, et huiusmodi. Sapientes ergo argumentis ac ratione inducens, stultos rerum temporalium deliciis alliciens, utrosque falsis promissio- Matth 24,24. nibus seducet. Quapropter Dominus[d] in euangelio ait, quod tantum erit illius temporis periculum, ut in errorem ducantur[e], si fieri posset, etiam electi. Et in Iob habes, quod esca eius sit electa. Illi quippe, qui humanam rationem sequentes de rerum causis philosophantur[f], facilius rationibus et argumentis ad hoc ut fidem negent inducuntur, quam ad hoc faciendum minis deterreantur, delectationibus seculi alliciantur. Haec de vita et doctrina eius dicta sufficiant.

5. Praedicante autem ipso humanumque genus et praecipue Iudaicum populum seducente, Enoch et Helias, qui adhuc superstites sunt, venturi creduntur, ut eorum, quorum unus ante legem, alius sub lege fuerunt, auctoritate mundus errore deceptus ad agnitionem Malach 4,5. veritatis redeat. Et de Helia[g] quidem Dominum in propheta dicentem habes: *Ecce ego mittam vobis Heliam Tesbytem*[h], *qui convertat cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres* etc. *antequam veniet dies Domini magnus et manifestus*[i]. De utrisque vero in Apocalipsi scriptum invenies, ubi rursum, quod ab Antichristo interficiendi, ac quod ipse post haec spiritu oris Domini, tam ipsorum quam aliorum sanctorum sanguine ad Deum clamante, percussus, finem persecutionis sit impositurus, legitur.

6[k] Tempus quoque temptationis tribus annis et dimidio, totidem scilicet quot et Domi- Apoc. 12,14. nus praedicavit, ex hoc quod ibidem dicitur: *Usque ad tempus et tempora, et dimidium tem-* ib. 11,2. *poris*, protendi latenter innuitur. Evidentius autem ex illa auctoritate Apocalipsis: *Civitatem sanctam calcabunt mensibus* 42, declaratur. Quam brevitatem temporis ex immanitate persecutionis propter electos a misericordissimo iudice provisam esse Dominus insinuat, cum Matth 24,22. ait: *Nisi abbreviati*[l] *essent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos abbreviati sunt*[m] *dies illi*.

7. Percusso impiae civitatis capite, infidelis Iudaeorum populus iam se delusum cer- Esa. 10,22. nens, ad conversionem venire creditur, iuxta illud prophetae: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut harena maris, reliquiae salvae fient.* Post haec locus poenitentiae manet, cuius spacium omnes mortales latet. Igitur omnibus quae praedicta sunt consummatis, signisque universis[n] in sole et luna, stellis marique transactis, cunctis prae timore et expectatione quae superveniet universo orbi arescentibus, reprobae civitatis interitus et civitatis Christi Luc. 21,31. provectus diesque Domini iuxta veritatis vocem, quae suos blande consolans: *Cum videritis*, inquit[o], *haec fieri, scitote quia prope est regnum Dei*, qui tanquam fur in nocte, id est non praevisus, edentibus et bibentibus, nubentibus, nuptum tradentibus, iuxta Domini rursus vocem, venire non dubitatur. Quod non crudeliter sed magna conditoris providentia sapienter fieri credendum est, ut semper de adventu iudicis pavidi, semper ad

a) fraudolenter 2. 7. b) *ita* 5. 7; tormenta vero potentem aliique ad hoc sibi asscitum 2; tormenta vero potentem aliquem ad hoc sibi ascitum 4. c) asscire 2. 4. d) *deest* 2. e) inducantur 2. 4. f) phylosophantur 5. 7. g) Helya 5. 7. h) tespiten 2; thesbiten 4. 5; tesbitem 7. i) horribilis *editt.* k) *hic capitis numerus excidit* 2. l) adbr. 2. 5. 7. m) *ita* 2. 5. 7. n) universitatis 2. 5. o) inquid 2.

rationem reddendam parati inveniamur. Longo[a] me iam ocio torpentem et diversas ob occupationes quasi dormitantem, ultimo de tempore locuturum, tuba salutaris excitet. Quis enim, hac audita, somno[b] pigritiae[c] depressus non evigilet, per quam etiam exurgunt mortui? Fateor quia ad plurima sensu iam diu distracto, minorem me, imo nullum, ad tam ardua tractanda iudicans, digitum ori[d] supposui[e], malens dies malos silentio transigere, quam magnis de rebus in perturbatione temerarie disputare. Scio enim qui dixit: *Vacate et* (Psal. 45, 11) *videte.* Novi etiam perturbatione consilii semper esse nesciam, amicam ocii, negociosa officia renuere sapientiam. Quibus dum nunquam ad plenum carere mereor, quandoque tamen minus importune ingruentibus, quamvis tenuiter alleviari videor. Proinde hoc resurrectionis tempore non nostris sed illius, qui propter delicta nostra mortuus est, et resurrexit propter iustificationes nostras, viribus et ope fulti, de resurrectione mortuorum fineque temporum dicere ordiamur, ipsum obnixe invocantes, ut a morte animae suscitatos digne tanta nos[f] eloqui misteria[g] concedat.

8. Cum iuxta apostolum pax et securitas dixerint, repentinus interitus superveniet, terribilique ignis virtute cuncta cremabuntur. Quam seculi per ignem exterminationem non solum nostri prophetico spiritu veridice[h] praedixerunt, sed et quidam ex gentibus humana subnixi ratione phisicis opinionibus somniaverunt. Unde praecipuus philosophorum Plato mundum abditis naturae rationibus, aqua prius, post igne purgandum, in Tymaeo[i] suo asserit, et quidam poetarum de eadem re sic ait:

. . . . . . reminiscitur[k] *affore tempus,*
Quo mare, quo tellus immensaque regia coeli
Ardeat, et mundi moles immensa laboret.

Sed et Sibilla in prophetia de Christo habita ultimi huius incendii extremique iudicii manifeste meminit. Refert etiam Iosephus, primum hominem qui rerum causas tanto subtilius et sublimius[l] rimari potuit, quanto primordialem eorum creationem recentius vidit, rerum omnium exterminationem unam ignis virtute, alteram aquarum multitudine praedixisse. Cui concordans ex nostris Petrus: *Coeli,* inquit, *erant prius, et terra de aqua* (2. Pet. 3, 5.) *et per aquam consistens verbo Dei, per quae ille tunc mundus aqua inundatus periit; coeli autem qui nunc sunt et terra, eodem verbo repositi sunt igni reservati in diem iudicii et perditionis impiorum hominum.* Et infra: *Adveniet dies Domini magnus, in quo coeli magno impetu* (ib. 10) *transibunt.* Quibus verbis nonnulli volunt Petrum sensisse, tantum flammam ignis debere ascendere, quantum prius aquas diluvii constat consumpsisse. Ait enim: *Coelum et terram,* coelum nimirum aerium intelligens. Unde et aves coeli dicimus prius aquarum inundatione periisse, eos vero qui nunc sunt, eodem verbo repositos et igni reservatos, id est eodem modo et qualitate ignis, quo prius aquae, exterminandos vel in melius mutandos.

9. Hic non incongrue quaeri potest, quomodo iuxta hanc auctoritatem ipsiusque veritatis attestationem[m] coelum et terra transeant[n] vel potius pereant, psalmista dicente: *Ipsi peri-* (Psal. 101, 27) *bunt, tu autem permanebis?* Quomodo enim pricipales creaturae in principio factae peribunt, cum nulla substantia perire credatur, et scriptura sacra, omnibus fluxis et transitoriis prius enumeratis, dicat: *Terra vero in aeternum stat?* (Eccles. 1, 4) Nunquid terra stante, coelum, quod dignius est et superius, peribit? Qui scrupulus facilius solvitur, si, quod secundum quid dicatur, diligentius intueamur. Dicimus enim transire diversis modis. Est namque transitus de non esse ad esse, vel de esse ad non esse, vel de esse ad aliter esse: id est transitus, ut ficto nomine dicam, aliationis a faciendo aliud, vel alterationis a faciendo alteratum. Qui transitus alterationis in divina pagina diversis modis fieri dicitur, id est vel de bono in malum, vel de malo ad bonum, vel de bono in melius, vel de malo in deterius. De bono in malum transivit Lucifer, factus de angelo diabolus, de vita ad mortem vergens. De malo in bonum Paulus, ex persecutore factus apostolus, de morte ad vitam transiens. De malo in deterius Herodes, de cruciatibus corporis ad saevissima gehennae transmeans tormenta. De bono in melius quilibet fidelis, de bona huius vitae conversatione transiens[o] ad bravium retributionis aeternae. Etenim de Christo dicitur, quia transivit de hoc mundo ad patrem. Sic ergo coelum et terra, dum transire dicuntur, nequaquam de esse ad non esse vergere,

a) *hic incipit caput VII. in 2, VIII. in 4 et 5; in 7 vero pergit cap. 7, sed adduntur litteris miniatis:* Intercisio seu proemium octavi capituli. De futura vita. b) sompno 5. c) pigricie 2. 5; pigriciȩ 4. d) *deest* 2. e) superposui 2. 4. f) eos 2. g) *deest* 2. h) veridior 2. i) *ita* 7; Thimeo 5. k) reminiscetur 5. l) et subl. *desunt* 2. m) attestatione 2. n) transeunt 7. o) *deest* 4.

velut abolenda, quae essent transire ad aliud, sed de hoc statu ad aliter esse, id est ad alium pulchriorem longeque excellentiorem, commutanda et transfiguranda asseruntur. 1 Cor. 7,31. Unde Paulus: *Praeterit figura huius mundi:* figura inquit, non natura. Psalmista quoque Psal 101,27. ne quod dixerat: *Ipsi peribunt*, asperius interpretaremur, subiunxit: *Sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur.* Ac si diceret: Tabescentia, et quasi senescentia ex longa et multimoda corruptione haec elementa meliori statu velut[a] decentiori amictu decorata innovabis. Quamvis, si recte inspiciamus, quid et cui dixerit, haut miremur, coelum et terram perire dixisse. Ait enim et Deo: *Tu autem permanes,* et rursum: *Sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient:* et non miraberis[b] rem stabilissimam, sed creaturam ad creatoris sui incommutabilitatis et identitatis comparationem perire, veterascere, commutari debere. Puritatis intuitu res mundissimae, non mundae iudicantur, sicut dici- Iob 15,15. tur: *Astra non sunt munda in conspectu eius.* Erit igitur non abolita substantia, sed mutata figura, coelum novum, et terra nova, novo usui, novo decore, novis corporibus decenter praeparata, omnique inaequalitate ac squalore deterso, ad instar paradisi Dei purificata. Sunt qui dicant, duo elementa aerem et aquam, tanquam post resurrectionem non neces- Apoc. 21,1. saria, uno in terra, altero in aethere[c] commutato, non superesse. Unde in Apocalipsi: *Et mare iam non est.* Non enim, ut supra, coelum et terram transire mare, sed non esse dixit. Alii ea non deperire ut non sint, sed in melius sicut et terram immutari opinantur, sicut rursum Iohannes in Apocalipsi mare vitreum se vidisse testatur, quod tamen misterialiter potius quam ad litteram intelligendum videtur. Hoc de aqua. Aer autem sive in subtilitatem aetheris transeat, sive in propria substantia manens, liquatus et defecatus existat, nequaquam Marc 13,31. in ipso[d] fallit, quod dictum est: *Coelum et terra transibit.* Quod si quis acutius discutiens, ipsum quoque aetherem huius purificationis participem esse futurum et in ampliorem claritatem transiturum autumat, de ipsoque dictum, quod coelum transeat, non calumpniamur.

10. His transactis, vera octava resurrectioque mortuorum restat. Resurgent ergo Dan 12,2. omnes, sed non pari modo omnes, aliis iuxta Danielem, in vitam aeternam, aliis in opprobrium[e], ut videant semper, de terrae pulvere vigilantibus. Hic profecto notandum est, duas resurrectiones esse, animae videlicet[f] et corporis, quarum iuxta duas naturas Christus filius Dei primogenitus ex mortuis auctor existit. Est enim vita corporis anima, vita animae Deus. Secundum hoc ergo quod Deus est, animas peccato mortuas suscitat, verbum Dei filius secundum quod homo est suscitat corpora, homo hominis filius, quod Ioh. 5,25 ipse in euangelio loquens insinuat his verbis: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent.* Hoc de prima resurrectione dictum, ex hoc quod dicitur: *Nunc est,* nemo ambigere permittitur. Subsequenter ib. 26. autem de alia loquens ait: *Sicut pater habet vitam in semet ipso, sic dedit et filio vitam habere in semet ipso.* Habet quippe Deus solus vitam in semet ipso, qui ex se, a se, in se vivens, aliunde vitam non accipit, cui est vivere quod esse, nec aliud esse quam vivere, quia ipse est vita, et sic vita, quod ab eo omnis vita. In ipso enim vivimus, movemur et sumus, sine ipso nec vivimus, nec movemur, nec sumus, quia quod factum est, non in se sed in ipso vita est. Dedit ergo et filio vitam habere in semet ipso, dum homini in Deum assumpto dedit habere ex gratia, quod Deus Dei filius habuit ex natura. Unde subsequentia praecedenti sensu per ib. 27. coniunctionem continuans: *Potestatem,* inquit, *dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Ac si dicat: Qui dedit vitam habere in semet ipso, dedit potestatem et iudicium facere, non quia filius Dei, sed quia filius hominis est. Non enim ex hoc quod filius Dei est, aliquid dedit ei pater, vel aliquam potestatem accepit a patre, cui sicut[g] consubstantialis et coaeternus, ita coomnipotens ab aeterno genitus est, nisi forte dedit[h] dicamus quod genuit. ib. 28. Quid autem amplius de secunda agat resurrectione, consequenter audiamus. *Nolite,* ait, *mirari hoc, quia venit hora.* Hora profecto novissima, non quae nunc est, sed quando qui in monumentis sunt, audient vocem eius, et procedent. Superius dixit: *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent:* primam resurrectionem ex se, in hoc quod Deus Dei filius est, fieri declarans. Secundo cum dixisset, quod ib. 28. potestatem dedit ei pater et iudicium facere, quia filius hominis est, subiunxit: *Nolite mirari, quia venit hora, quando qui in monumentis sunt, audient vocem eius, et procedent.*

a) velud 2. 4. b) mutabis *editt.* c) ethere 2. 4; etherem 5. d) ipsa 2. 4. e) obpr. 2. 5. f) vid. animae 2. g) *deest* 2. h) *deest* 2.

Ac si diceret: Ne miremini, si potestatem accepi filius hominis iudicium facere, cum et potestatem acceperim corpora in cinerem redacta ex monumentis ad vitam revocare. Qui ergo in prima resurrectione a morte animae suscitatus fuerit, in secunda de corruptione ad incorruptionem immutatus transibit. Unde est illud: *Beatus qui partem habet in resurrectione prima, in hoc secunda mors potestatem non habet.* (Apoc. 20, 6.) Sequitur ex opposito[a], eum qui in peccatis suis moriens primae resurrectionis particeps non fuerit, maledictum secundaeque morti aeternaliter addicendum.

11. Quod autem resurgant mortui, non solum euangelia et apostoli novaeque legis doctores affirmant, sed et antiqui patres prophetico spiritu praedixerunt, quale est illud legislatoris testimonium, quod Dominus ad confutandos Saducaeos produxit, dicens: *Ego sum Deus Abraham, Deus Ysaac, Deus Iacob: cum non sit mortuorum, sed vivorum Deus.* (Matth. 22, 32.) Et in Iob: *Putasne mortuus homo rursum vivat? Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* (Iob 14, 14.) *Credo quod redemptor meus vivit, et in novissimo die resurrecturus sum.* (Iob 19, 25.) Et illud Ezechielis[b]: *Ossa arida, audite verbum Domini. Haec dicit Dominus: „Ecce ego intromittam[c] in vos spiritum, et vivetis, et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis“.* (Ezech. 37, 4 sqq.) Et infra: *Et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam.* Item: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris[d] vestris, popule[e] meus.* (ib. 12.) Quid rogo plenius[f], quid evidentius de re tam secreta, tam profunda, tam abdita dici potuit? Ossibus enim et aridis quasi iam sementem in se amisso phisice virore non habentibus nervos succrescere, carne vestiri, cute superextendi, spiritu reanimari, postremo talibus de tumulis suis produci divina virtute praedicit. Quanquam et illa ratione, cuius et Paulus meminit, ubi ait: *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur,* (1. Cor. 15, 36) ad credendam resurrectionem inducamur, qui singulis annis mundum aestivali fervore decoqui, autumpnali siccitate decoctum arefieri, hiemali[g] algore arefactum emori, veris benigna humiditate redivivo virore tanquam de morte suscitari conspicimus. Qualiter vero quaedam ex causis naturae inditis naturaliter, alia ex causis sibi reservatis potentialiter creator omnium operetur, alibi dicta praesentem locum non flagitant.

12. His dictis, videndum est, quomodo, qua aetate, quo sexu, qua forma mortui resurgant. Ubi primo sciendum est, omnia humana corpora, sive aquis absorpta, sive flammis consumpta, sive in visceribus terrae in cinerem redacta, sive a bestiis devorata et incorporata, sive per diversa terrarum spacia distracta et separata fuerint, iuxta apostolum iussu Domini in voce archangeli et tuba Dei ad pristinam vitae substantiam indubitanter redire. *Resurgent autem omnes*, ut ait Augustinus, *tam magni corpore, quam vel erant vel futuri erant aetate iuvenili, quamvis nichil oberit[h], etiamsi erit infantilis[i] vel senilis corporis forma, ubi nec mentis nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Unde etiamsi quis in eo corporis modo in quo mortuus est, resurrecturum unumquemque hominem contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.* (de civ. Dei XXII, 16.) *Nonnulli*[k, 18] *propter hoc quod dictum est: „Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, et conformes imaginis filii Dei“, nec in sexu foemineo resurrecturas foeminas credunt, sed in virili omnes, quoniam Deus solum hominem fecit ex limo, foeminam ex viro. Sed mihi melius sapere videntur, qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido erit ibi, quae confusionis est causa. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura servabitur. Non est autem vitium foemineus sexus, sed natura. Erunt enim membra foeminea non accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non illiciant aspicientis concupiscentiam, quae nulla erit, sed Dei laudetur clementia et sapientia, quae et quod non erat fecit, et liberavit a corruptione quod fecit.* (ib. 17. Eph. 4, 13.) Et post pauca: *Creatura Dei est foemina sicut vir, sed ut de viro fieret unitas commendatur. Quia ergo utrumque sexum instituit, utrumque restituet.* Haec Augustinus.

Superest ut de forma eorum disputemus. Non enim gigantes[l] in tam magnae staturae

a) obp. 2. b) Ezechiallis 7. c) mitto 2. d) sepulcris 2. 5. 7. e) populus 2. 4. 5. 7. f) planius 7. g) hyemali 5. h) obierit 4. i) infantulus 4; infantulis 2. k) haeretici *add. editt.* l) gygantes 5. 7.

18) Sententiam hanc a Patarenis hereticis prolatam fuisse, ex Ebrardi Flandrensis libro antihaeresis (ap. Gretserum Trias script. adv. Waldensium sectam, Ingolst. 1614. 4.) c. XVIII. compertum habemus. Quam ob causam lectio editionis Cuspinianeae *Nonnulli haeretici*, quamvis a nullo codice exhibita, minime spernenda est.

quantitate, nanos in tam exigua parvitatis extremitate contractos, vel debiles tam imbecilli inaequalitate, Aethiopes in tam tetra coloris deformitate, pingues vel macilentos in sua superfluitate vel tenuitate ad vitam, quae omni macula et labe carere debet, credendum est revocari. Unde idem[a] Augustinus: [de civ Dei XXII, 19.] *Omnis pulchritudo corporis est partium congruentia cum quadam coloris suavitate; ubi autem non est partium congruentia, aut ideo offendit quia pravum*[b] *est, aut ideo quia parum, aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas quam facit incongruentia partium, ubi et quae prava sunt corriguntur, et quod minus est quam decet, unde creator novit, inde supplebitur, et quod plus est quam decet, materiae servata integritate, detrahetur. Coloris porro suavitas quanta erit, ubi iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum? Quae claritas in Christi corpore cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse quam defuisse credenta est.* Haec de iustis; reproborum enim qualitatem investigare superfluum est.

De monstruosis vero et abortivis id sentiendum reor, quod omne cui haec diffinitio, animal rationale et mortale, congruit, vel ad vitam vel ad mortem resurrecturum esse credamus. Si ergo sunt aliquae gentes monstruosae, quae rationales sint et mortales, vel abortivi, qui iam animam habere coeperunt, de quibus Moyses in Deuteronomio loquens: [cf. Exod. 21, 22 sq.] *Si quis*, ait, *percusserit mulierem, et illa abortivum fecerit, si formatum fuerit, reddat animam pro anima*, huic legi subiacent. Caetera vero ratione carentia, quantumcunque humanae similitudini accedant, ut simiae[c], vel quocunque modo humano generi antiquus hostis per hoc illudat, ut Fauni, et si qua sunt huiusmodi, ab hac resurrectione aliena noscuntur. Caeterum de hermafroditis[d], bicipitibus, quos naturae error vel male coniunxit, vel male divisit, laboriose disputare necesse non est, praesertim cum in aliis scripturae locis copiose satis a patribus haec enodata sit quaestio.

13. Nunc inquirendum est de his qui vivi reperiuntur, utrum in illo statu ad iudicium rapiantur, vel potius sicut et alii moriantur, et iterum resurgant. Nemo enim resurgere potest qui prius non moritur. Non desunt quippe qui putent hoc quod dicitur iudicare vivos et mortuos sic accipiendum, ut vivos eos qui in carne residui inveniantur, dicant, eos vero qui dormierunt, et de pulvere terrae[e] evigilabunt, mortuos intelligant. Quibus accommodatum videtur quod in Paulo legitur: [1. Thes. 4, 12 16.] *Nolumus enim*[f] *vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et caeteri qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt, quoniam ipse Dominus in iussu et voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* Quae verba sonare videntur, Domino ad iudicium descendenti sanctos, qui adhuc vivunt sive qui a morte resurgunt, simul in aere occurrere. Velocitatem enim resurgendi significans, mortuos a vivis ait non praeveniri, sed istos simul eadem hora, eodem momento cum illis obviam Christo in aera rapi. Sed iuxta hunc sensum, si qui vivi reperti fuerint, non morientur, quomodo generalis erit resurrectio? quomodo stabit [1. Cor. 15, 51.] quod dicit Paulus: *Omnes quidem resurgemus?* Nunquid sibi ipsi contrarius aestimabitur? Absit. Iuxta maiorum igitur nostrorum diffinitionem et verum est, quod vivi cum his qui resurgunt, simul rapiuntur in aera, et verum est, quod iuxta quod in psalmo canitur: [Psal. 88, 50.] *Quis est homo qui vivit et non videbit mortem?* a debito universae carnis, quod et Dominus qui nil rapuerat, exsolvere voluit, immunes non erunt. Potest quippe Omnipotens, qui cuncta creavit ex nichilo, mira eos celeritate in ipso raptu morte dissolvere, statimque ad vitam revocare, quamvis vivi et mortui typice boni et mali accipi non incongrue possint. Si quis vero dicat, eos in illo generali incendio cremandos, et sic ad vitam cum aliis sanctis revocandos, non est cum eo decertandum, tantum videat quomodo verba apostoli, quibus obviam Christo in aera rapi dicuntur, intelligat.

14. Huius[g] in verbis nec hoc transeunter legendum est, quid vocem archangeli, quid tubam Dei intelligat. Nam et alibi de eodem loquens misterio: [1. Cor. 15, 51 sq.] *Omnes*, ait, *resurgemus, sed non omnes immutabimur in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, et mortui resurgent, et nos immutabimur.* Novissimam tubam ponens, alias prius increpuisse

a) item 5. b) parvum 2. c) symie 5. d) *ita* 4; ermafr. 2. 5. e) terre pulvere 5. f) *deest* 5 *et edit.*
g) Cuius 7.

declarat. Habes profecto in Apocalipsi: *Et septem angeli qui habebant septem tubas, para-* [Apocal 8, 4 sqq.] *verunt se, ut tuba canerent, et primus angelus tuba cecinit, et secundus, et tertius, ita usque ad septimum.* Quam tubam novissimam Paulum vocasse non inconvenienter intelligi potest. Sunt qui sex tubas ante novissimam, sanctos praedicatores, qui per sex mundi aetates verbo sacrae exhortationis torpentia corda, nunc quasi concisius insonando praemiorum promissis allexerint, nunc velut asperius increpando minis et terrore poenarum perculerint, intelligant, qualis in prima Enoch, in secunda Noe, in tertio Abraham et patriarchae, in quarta Moyses, in quinta David et prophetae, in sexta Christus et apostoli eorumque sequaces fuere. At septimam, quam et novissimam vocem, ad excitationem dormientium emissam tanto terribilius concrepantem, quanto praesentius[a] et quasi realius ea quae ante praedicta fuerunt, ipso effectu prodentem vocant. Qui sonus quia per misterium angelorum fieri creditur, vox propter rem, tuba propter significatum non inconvenienter appellatur. Si enim, Domino tranquillo et sereno ad coelos ascendente, vox angelica: *Sic veniet,* [Act 1, 11.] *quemadmodum vidistis eum euntem*[b] *in coelum,* leniter insonans voci tubae iuxta illud psalmi: *Ascendit Deus in iubilatione, et Dominus in voce tubae,* comparatur, quanto magis, ipso in [Psal 46, 6] maiestate metuendo et severo ad iudicium descendente, vox angelica vivos et mortuos ad iudicium terribiliter exsuscitans tuba vocatur? Si praedicentium futurum iudicium vox tuba fuit, quanto magis realiter et praesentialiter illud idem edicentium sonus tuba erit? Nonnulli septem tubas, septem donis Spiritus sancti exquisitius computant, singulaque singulis aetatibus descendendo tribuentes, novissimam tubam spiritum timoris appellant.

15. His consummatis, ad iudicium et utriusque civitatis ultimam discussionem Dominum venire non dubium est. Veniet autem iudicaturus in ea forma, in qua prius venerat iudicandus, ut aequa lance mundus eum severum discretorem inveniat, quem in carne humiliter venientem elata prius mente contempserat. Unde est illud propheticum: *Videbunt in* [Zach 12, 10.] *quem transfixerunt.* Pater enim in persona sua[c] non iudicans, omne iudicium filio dedit, ut quem prius diversis opprobiis[d] crucique innocentem exposuerat, hunc coelestium, terrestrium et infernorum dominum constituens, iudicem vivorum et mortuorum faciat[e]. Quae tamen humana forma cum mitis appareat, iustis tanto erit clarior et formidabilior impiis, quanto eis antea visa fuit obscurior et despicabilior. Aspectus enim eius et fortitudo, quae in priori adventu non perdita fuscabantur, sed non visa abscondebantur, tanto in eo erunt manifestius, quanto ad vindictam adversariorum exercebuntur[f] vehementius. Unde est illud Malachiae: *Quis poterit cogitare diem adventus eius? Aut quis stabit ad videndum* [Malach 3, 2 sq] *eum? Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi.* Quod est dicere: Non solum eos qui quasi stipula ab igne furoris eius consumuntur, condempnabit, sed et illos qui sortem haereditatis non habentes, in terra Levi filii vocantur. Vel eos qui argento comparati, digni quo in coelesti theca reponantur, inventi fuerint, virtutis suae super excellenti maiestate terrebit, territosque iuxta beatum Iob purgabit. Nam et virtutes coelorum movebuntur. Et hanc districtionem[g] fulgoremque iudicantis arbitror intellexisse Danielem, cum diceret: *Thronus eius flammae* [Dan. 7, 9 sq] *ignis, rotae eius ignis accensus, fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius.* Cum quanta enim et superinaestimabili gloria coelestisque curiae perlucida frequentia gloriosus et admirabilis appareat, idem propheta subiungit: *Milia milium*[h] *ministrabant ei, et decies milies centena milia assistebant ei.*

16. Itaque ambabus his civitatibus coram throno maiestatis suae praesentatis, una ad dexteram, id est partem potiorem, altera ad sinistram posita, causa utriusque iustissimo iudicio terminabitur. Porro nulla erit in iudicando difficultas, ubi cognoscendarum conscientiarum se invicem accusantium seu[i] defendentium tanta erit iudicis vivax facilitas. Unde Daniel in libro visionis suae: *Iudicium,* inquit[k], *sedit, et libri aperti sunt.* Manifestius [ibid 10] autem Iohannes in Apocalipsi sua: *Vidi,* ait, *thronum magnum, candidum, et sedentem super* [Apocal 20, 11 sq.] *eum, a cuius conspectu fugit coelum et terra, et locus non est inventus ab eis. Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt. Et alius liber apertus est, qui est vitae, et iudicati sunt mortui*[l] *secundum opera ipsorum.* Qui sunt isti libri quos Daniel simul et Iohannes posuit? Vel quis est ille alius liber quem Iohannes adiecit, quem etiam

a) *ita* 5 7 *et edd.*; praesentis 2. 4. b) *ita* 2. 5. 7; ascendentem *editt.* c) in sua pers. 5. 7. d) obprobriis 2. e) faciet 5. f) exerentur 2. 5; exercentur 4. g) distinctionem 4. 5. h) Milium milia 2. i) se 2. k) inquid 2 *semper.* l) ex his quae scripta erant in libro *add. editt.*

vitae nominavit? Nunquid Deus humano more facta singulorum, ne memoriae ipsius elabantur, conscripsit, et secundum hoc unumquemque iudicabit? Annon magis uniuscuiusque conscientiam novit, ut creator non obliviscitur, ut incommutabilis iudicabit, ut verus et subtilis ab aeterno discretor? Sunt ergo libri conscientiae singulorum, semet ipsas ad mortem vel ad vitam iudicantes. Liber vero alius qui vitae dicitur, praescientia conditoris, qui et ab aeterno iuste dampnandos praevidit, et misericorditer vocandos et iustifi- Psal. 68, 29. candos praedestinavit. De hoc libro impios deleri imprecatur psalmista, cum ait: *Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur.*

17. Quid vero sibi vult quod dicitur: *Iudicium sedit*, cum ad iudicium vel in iudicio sedere Psal. 121, 5. non iudicium sedere dicere soleamus? Ait siquidem et psalmista: *Quia illic sederunt sedes in iudicio.* Sedentne sedes? Quae sunt istae sedes? Quod iudicium? Quaeramus, petamus, pulsemus, ut inveniamus, ut accipiamus, ut intromitti mereamur. Non possunt sedere nisi vivae sedes, non possunt sedere nisi vivum iudicium. Sunt ergo aliquae sedes et vivae, in quibus Deus sedeat? Est iudicium et vivum, in quo iudicia sua discernat? Qui tropus frequenter in divina scriptura invenitur, ut sicut in humana pagina Parthonopeus pictus pro parma Parthonopei picta ratione consortii dicitur, ita eadem ratione sedes pro sedente, iudicium pro iudicante, sedere pro iudicare affirmetur. Quamvis et alia ratione iudicium vel sedes hic vocari possint, non solum quod iudicent, sed ex eo quod Deus in eis iudicet; non solum ex eo, quod sedeant, sed et quod Deus in eis sedeat, id est Psal. 9, 5. maneat; *Sedisti*, inquit propheta, *super thronum qui iudicas aequitates.* An de angelis hoc tantum dictum putamus? annon etiam de sanctis, qui cum eo sedebunt, in quibus ipse sedebit et iudicabit? Sedent quippe cum eo sancti iudicantes, sicut eis in euangelio ipse promittit. Sed et ipse in sanctis iudicans, mentes eorum ne ulla perturbatione vacillare valeant, inhabitando regens, ne ulla pravitate a rectitudinis norma exorbitent, vivificando implens, sicut dicitur: *Anima iusti sedes est sapientiae.* Sedet ergo iudicium, sedent et sedes, quia sancti apostoli, sacer ille senatus, eorumque imitatores quos Deus inhabitat, ad iudicium venientes, non iudicandorum sed iudicantium officio fungentur. Erunt enim ibi quatuor ordines, duo bonorum et duo malorum; ex bonis unus iudicans, alter iudicandus, ex malis item unus iudicandus, alter iudicatus. Iudicans perfectorum, qui propriis voluntatibus et facultatibus abrenunciantes Christum secuti sunt, quibus dictum Matth. 19, 28. est: *Sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*, duodenis thronis perfectionem illius ordinis declarantibus. Iudicandus non tam perfectorum, iustorum tamen, qui sua licite possidentes, operibus misericordiae obtinere meruerunt, ut ad dexteram Matth. 25, 35. collocati, iudicati prius et examinati, benigne audiant: *Esurivi, et dedistis mihi manducare,* ib. 34. et: *Venite, benedicti patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Malorum iudicandus et dampnandus, qui bona transitoria ad communem usum humano generi a creatore indulta, malo avariciae sibi usurpantes, indigentiae pauperum viscera ib. 42. ib. 41. clauserunt, quibus item dicitur: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, et: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum* etc. Malorum iudicatus et dampnandus, qui in obstinatione incredulitatis permanentes, ad agnitionem veritatis verique Dei verum cultum, quem Iohan. 3, 18. Graeci eusebiam, nos pietatem appellamus, non pervenerunt, de quibus dicitur: *Qui non* Psal. 1, 5. *credit, iam iudicatus est.* Et psalmista: *Ideo non resurgunt impii in iudicio, neque peccatores* etc. Non enim ait: *Peccatores non resurgunt;* sed cum dixisset, quod impii, id est infideles, non resurgerent in iudicium, id est ut ponantur in iudicio, de istis adiunxit: *Neque peccatores in consilio iustorum:* ac si diceret: *Resurgent quidem ad iudicium, sed non ad iustorum consortium.* Unde non videtur solum avaros, sed et quoscunque criminosos sub nomine christianae religionis in peccatis suis morientes, ad iudicandorum dampnandorum pertinere collegium. Neque enim ullos unquam per immisericordiam iustius discutiendos et dampnandos putaverim, quam qui vitae suae negligentes, ne dicam proximis, sed nec propriae animae misereri et subvenire curaverunt. Est enim veridicum proverbium: *Qui* Eccl. 30, 24. *sibi malus, cui bonus?* et illud sapientis: *Miserere animae tuae placens Deo*[a].

18. Dehinc videndum est et dicendum, ubi extremi illius iudicii conventus agatur. cf. Ioel 3, 2. Nonnulli propter prophetiam quae dicit: *In valle Iosaphat*[b] *diiudicabo eos,* ad litteram eam intelligentes, non longe a civitate sancta in valle Iosaphat[b] futurum iudicium putant, ut in locum quo iudicatus fuit, iudicaturus quoque Dominus adveniat. Unde quidam simpli-

a) et illud — Deo *desunt* 5. b) Iosephat 7.

ciores, sepulchrum Domini orationis causa visitantes, in praefata valle tanquam loca sibi ad illam horam denotantes, lapillos seu aliam metam collocant. Hunc, ut verbis Ieronymi utar, pium errorem ex simplicitate et devotione fidei procedentem non dampnamus, nec tamen pro sententia approbamus. Alii mistice intelligentes, eo quod Iosaphat hebraice latine iudicium sonet, ubicunque locorum celebretur illum Iosaphat, id est iudicium, dicunt. Alii propter verba apostoli supra posita, quod postquam rapiendos in aera obviam Domino sanctos dixit et *sic semper cum Domino erimus* subiunxit, in aere futurum iudicium aestimant. Michi autem melius sentire videntur, qui hoc in terra futurum dicunt. Corpora quippe de terra facta, nunc ad incorruptionem utpote malorum immutata, verisimilius est in terra ad iudicium collocari, quam ad subtilius elementum sua cum ponderositate, qua potius ea ad ima vergere oportet, sursum transvehi. Nec repugnat illud apostoli testimonium, qui sanctos, ex quo Christo in aera obviaverint, semper eos cum ipso futuros esse dicit, cum possint cum illo ad terram quocunque loco sibi placito, sine molestia gravedinis redire, postque sublato impio, ne videat gloriam Dei, in gaudium Domini sui, ubi semper cum ipso maneant, introire.

19. Porro quanta velocitate hoc iudicium transeat, dicere non oportet, ubi omnes tergiversationes et cavillationes, quas in hoc seculo in causis pati solemus, perspicua iudicis subtilitas et rerum cordiumque scrutatoris acutissima provisio evacuabit. Hic enim iuxta formam iudicii in rei causa, qua accusator impetit, patronus defendit[a], testis ad convincendum intendit, iudex internorum nescius ut homo saepe fallitur, reusque qui dampnandus erat frequenter absolvitur. Quod quia conscientia unumquemque accusante seu defendente, ibi esse non poterit, inaestimabili velocitate illud iudicium consummari credendum est.

20. Restat ut de fine utriusque civitatis qui profecto resurrectionem iudiciumque sequitur, inquiramus. Discussa enim, ut dictum est, in iudicio ambarum causa, illa pro qualitate meritorum coronabitur, ista cum capite suo diabolo principeque ac seductore suo Antichristo aeternis poenis condempnabitur. Quod Iohannes in Apocalypsi praevidens ait: Apocal. 20, 9 sq *Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in caminum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Tria posuit: diabolum, bestiam et pseudoprophetam; diabolum suo nomine; in bestia Babylonem seu mundum, in pseudopropheta Antichristum intelligens; quos in caminum ignis et sulphuris missos cruciandos die ac nocte in secula seculorum dixit. Per ignem enim et sulphur atrocitatem incendii, per caminum horrorem loci, per diem et noctem ac secula seculorum poenarum indeficientem perpetuitatem demonstravit. Erit ergo ibi incendium sine modo, locus sine refrigerio, continua nox sine die, poenarum diutina miseria sine fine. Porro de ipsius civitatis dampnatione, quam hic bestiam vocat, alibi loquens: *Sustulit*, inquit, *unus angelus* Apoc. 18, 21 *fortis lapidem[b] molarem, et misit in mare, dicens: „Hoc impetu mittetur Babylon[c] illa civitas magna[d], et ultra iam non invenietur“.* Talis locutio apud Graecos simbolica[e] dicitur, ubi videlicet divina scriptura de re invisibili vel spiritali loquens, collatione facta, materialibus seu visibilibus signis utitur, velut[f] cum angelorum velocitatem notare volumus, pennatos eos scribimus. Non enim credendum est angelum lapidem realem in mare misisse, sed praefato usu locutionis impetum et velocitatem dampnationis eius auctorem insinuasse, iuxta quod in psalmo legitur: *Periit memoria eorum cum sonitu.* Unde rursum in Apocalipsi Psal 9, 8 praedictae civitatis interitus largius describitur, cum dicitur: *Cecidit, cecidit Babylon magna,* Apocal. 18, 2 sq *et facta est habitatio eius demoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundae[g] et odibilis, quia de ira fornicationis eius biberunt omnes gentes, et reges terrae cum illa fornicati sunt.* Volunt quidam Iohannis Apocalipsim[h] antiquis prophetarum visionibus et praecipue Danielis et Ezechielis affinem esse, prioresque prophetias necessario per ipsam elucubratas fuisse. In ultima enim visione templi et Hierusalem[i], Ezechieli in extremo iudicio, Christique regno Danieli similis, hunc non iuxta Iudaeorum perversum sensum de Hierusalem seu templo terrestri sed coelesti locutum[k] fuisse, et illum itidem non iuxta eos de iudicio gentium regnoque Messiae[l] sui terreno sed de Christi vero coelesti et aeterno iudicio et regno prophetasse ostendit. Sic etiam quia[m] multi prophetarum contra Babylonem multa dixerant, ne de illa tamen urbe, quae olim iniusta dampnatione gentes premens, iustam suae iniquitatis eversa mercedem recepit, egisse viderentur,

a) defendat 2. b) magnum *add.* 5. c) Babilon 2. 4. d) m. illa civ. 7. e) symbolica 5. f) velud 2. 4. g) immundi 2. 4. 7. h) apocalypsim 5. i) Ierus. 4. k) loc. cęlesti 2. l) Messye 2. 5. m) quidam 2.

ad totum illud reprobae civitatis corpus sub illius typo eos respexisse declarans, ultimam eius perditionem insinuat, cum ait: *Cecidit, cecidit Babylon.* Similis est enim duabus Ysaiae et Hieremiae prophetiis, illi in principio, isti in fine concordans. Nam et apud Ysaiam legimus: [Esai 21, 9.] *Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia*[a] *deorum eius contrita sunt;* et alibi largius: [ib 13,19 sqq.] *Erit Babylon illa civitas gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldaeorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorram. Non habitabitur usque in finem, et confundetur usque ad generationem et generationem. Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiae, et replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi strutiones, et pilosi saltabunt ibi, et respondebunt ululae in aedibus eius, et sirenae in delubris voluptatum*[b]. [Ierem 51, 7 sq] In Hieremia vero sic: *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram. De vino eius biberunt omnes gentes, et ideo commotae sunt. Subito cecidit Babylon, et contrita est.* Primo videamus, quomodo haec illi Babyloni, quae a Cyro, ut in historia diximus, subversa est, ad litteram convenire possit. Ponamus eam ita funditus eversam, quod tamen a multis orientalibus negatur, ut non habitetur in finem, nec in generationem et generationem, ut requiescant ibi bestiae, ut repleantur domus draconibus et strutionibus[c], ut sint in delubris voluptatis syrenae[d] et alia monstrosa quae ibi ponuntur. Nunquid tamen sicut Sodoma et Gomorra subversa fuit? Nusquam enim coelesti eam igne conflagrasse, sed humana manu captam, ruinis et vetustate collapsam et dissolutam legimus. Restat ut, si quaedam ibi ad litteram impleta fuerint, reliqua plenius et verius in significato illius consummari credantur. Potest quidem ad litteram verum esse, quod civitas prius illa gloriosa in regnis tanquam mero vicinas gentes et regna inebriatas et commotas subiecerit, postmodum et ipsa tanquam inebriata collapsa et contrita, monstrorum latibulum, non hominum habitaculum fuerit. Sed quia pleraque et ita vera sunt significantia, quod et vera sunt eorum significata, sicut quod Abraham duos filios habuit, verum fuit in re, nec eo minus verum fuit, quod haec sunt duo testamenta in significatione. Qualiter mundo quae de Babylone dicta sunt conveniant, breviter aperiemus. *Cecidit, cecidit,* inquit Iohannes, *Babylon magna.* Ysaias: *Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt.* Et rursum: *Erit Babylon illa gloriosa, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorram, non habitabitur in finem, et confundetur a generatione usque in generationem.* Perversorum[e] enim civitas, quae hic temporali gloria florens in daemonum pompa tanquam in Chaldaeorum superbia inclyta in oculis suis fuit, non solum a gloria sua tracta usque ad inferos corruet, sed ad instar Sodomae, sulphureo subversa incendio, nunquam amplius ad priorum voluptatum desideria tanquam ad habitationem pristinam reversura, sine spe restaurationis in aeternum ardebit. Quod vero subsequenter ait: *Non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiae* etc. vel iuxta Iohannem: *daemones, spiritus immundi, volucres immundae,* sic dictum videtur, quod per Arabes et pastores electi, sese proximosque bene pascentes, qui praesentem mundum non quasi manentem civitatem, sed tanquam tentorium seu habitaculum inhabitant, accipiantur, per bestias autem, pilosos, dracones, strutiones, syrenas[f], ululas, volucres immundas multiplex et diversum spurcissimum illud immundorum spirituum collegium intelligatur. Reproba ergo illa civitas, quia, ex quo illa cum capite suo diabolo aeterno supplicio addicitur, non solum ab electis, quos prius ut triticum palea premebat, mentium sed et locorum intervallo separatur, recte audiat, quod non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiae etc. Nam quod dicitur: *Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt,* insinuatur, quia quotquot res transitorias inordinate amantes Deo praeponimus, tot nobis quasi sculptilia fabricamus. Ruente ergo Babylone, conteruntur et sculptilia, dum transeunte mundo, eo acrius plectendus quisque rapitur ad poenam, quanto tenerius Deo contempto propriam secutus est concupiscentiam. Dehinc qualiter iuxta Ieremiam[g] et itidem Iohannem calix aureus in manu Domini Babylon, omnem terram omnesque reges cum illa fornicantes, de ira fornicationis suae commovens et inebrians, ipsaque ad ultimum collidenda et conterenda sit, tropologice videamus. Habet Babylon aurum suum, habet sapientiam suam, per quod astutis cavillationibus et argutis ac sophisticis[h] argumentationibus simplices quosque et vecordes quasi monstrato poculo allicit, allectos falsis promissionibus potando trahit, tractos in praecipitium inebriatos ducit. Et sicut

a) scultilia 5. b) voluptatis 5. c) strucion. 2. 5. d) *ita* 2. 4. 7. e) Perversa 2. f) siren. 4. g) Hierem. 7. h) sophysticis 5.

in libro Sapientiae habes, non solum garrulitate sed et cultu et gestu meretricio ad illicitos sui amplexus quasi ad fornicationem illaqueatos in interitum deicit[a]. Est enim spiritualis fornicatio, qua unaquaeque anima ab amore sui creatoris recedens et diversas daemonum ludificationes amplectens, a Deo suo fornicatur, iuxta illud: *Perdidisti* Psal 72, 27. *omnes qui fornicantur*[b] *abs te.* Quia ergo mundus amatores suos non solum inani sapientia pellicit, sed et diversis desideriis volutatos quasi ad totidem immundorum spirituum fornicationes furiosa libidine subigit, recte a duobus his primatibus dicitur, Babylon calice aureo omnem terram omnesque reges et gentes cum ea fornicantes de ira fornicationis suae inebriare. Sed videndum est, quomodo calix iste aureus, omnem terram commovens, in manu Domini esse dicatur. Nunquid eius nutu et voluntate mundus sic concutitur, sic illuditur, et postremo cum dilectoribus suis in interitum praecipitatur? Quod etsi eius beneplacito non fiat, sine ipsius tamen potestatis permissione, cui formanti[c] lucem sic bonum placet, ut sine ipso creante tenebras malum esse non possit, nequaquam evenire creditur. Est itaque Babylon calix aureus in manu Domini, quia non solum eius, ut dixi, permissione concutitur, sed et ipsius dono aurum habet, quo inflata male abutitur, iuxta illud prophetae: *Dedi eis argentum et aurum, ipsi vero sacrificaverunt inde Baalim.* cf. Osee 2, 8 Babylon igitur, quae calice suo aureo omnes gentes commoverat, ad ultimum cadet et corruet, dum mundus nullum potentiae seu sapientiae suae emolumentum in extremo examine apud iustum et districtum iudicem inveniens, potens potenter tormentis deputatus, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius, mittetur. Ponamus ante oculos illud tempus quasi praesens, omnesque imperatorum seu regum civitatis illius ordines considerantes, in persona omnium cum sapiente dicamus: *Quid nobis profuit* Sap 5, 8 sqq *superbia? aut quid divitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa quasi umbra et quasi nuncius praecurrens et tanquam navis quae pertransit fluctuantes*[d] *aquas, cuius cum praeterierit non est vestigium invenire neque semitam carinae illius in fluctibus, aut avis quae transvolat in aere, nullum invenitur argumentum itineris illius* etc. Sic et nos nati continuo desivimus esse, et virtutis quidem signum nullum valuimus ostendere, in malignitate nostra autem consumpti sumus. Satis[e] arbitror de fine illius civitatis, quae iuxta beatum Iob, in bono ducens dies suos et in puncto descendens ad inferos, operum suorum Iob 21, 13. stipendium mortem immortalem sortietur, disputatum est. Restat ut de qualitate poenarum eius dicamus.

21. Itaque secundum qualitatem operum et diversarum desideria voluptatum extendi creditur et mensura poenarum, iuxta illud in Apocalipsi[f]: *Quantum glorificavit se et in* Apoc. 18, 7. *deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum;* et in libro Sapientiae: *In eo quo quis* Sap. 11, 17. *peccat, et punitur.* Unde dives ille in euangelio qui deliciose vivens in lingua plus peccaverat[g], eandem apud inferos caeteris membris plus ardere demonstrans, aquae gutta refrigerari petebat. Qualiter autem unum eundemque ignemque diverse sentiant, si quis scire cupit, in Augustino de civitate Dei plenius inveniet, ubi et quomodo dampnati aeternaliter in igne vivere possint, non solum ex Dei omnipotentis potentia fieri posse, sed exemplo quorundam animalium, quae in praesenti in igne[h] vivunt, rationi non obstare declaratur. Nonnulli propter illam auctoritatem: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur:* Iesa. 66, 24. malos non solum igne materiali apud inferos cremari, sed et verme vero excruciari aestimant. Alii vermem ad cruciatum conscientiae interpretantes, duplex itidem tormentum, aliud spiritualiter intus, aliud materialiter foris ponunt. Alii spiritualiter utrumque accipientes, taliter igne reprobos uri, qualiter verme rodi putant, illud Augustini in auctoritatem ducentes, qui ait: *Talis flamma, qualis lingua.* Michi autem melius sentire videntur, qui corpus vera flamma, animum cruciari dicunt conscientia. Quia ergo de male transacta vita immortalis mors rodet, conscientia ignis indeficiens sine fine aduret corpus et animam, bene propheta dicit: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Sunt etiam qui dicant, ab igne inextinguibili ad frigus eos intolerabile rapi, iuxta illud in Iob: *A calore* cf. Iob 24, 19 *ignium transibunt ad aquas*[i] *nivium.* Quod et Dominus in euangelio videtur velle, cum dicit: *Ibi erit fletus et stridor dentium.* Fletus enim ex calore, stridor dentium evenire solet ex Matth 13, 42. frigore. Non desunt etiam qui ad maiorem miseriae cumulum his malis foetorem adiungant iuxta illud prophetae: *Et erit pro suavi odore foetor.* Quidam vero his tribus poenarum Iesa. 3, 24.

a) deiecit 2. b) fornicatur 7. c) formati 2. d) et quasi — fluctuantes *desunt* 2. e) sat 5. 7. f) apocalipsis 2; apokalipsi 4; apocalypsi 5. g) peccavit 2. h) *ita* 4. 5. 7; in praesentium igne 2. i) ab aquis 2.

generibus sex alias adiiciunt, atque iuxta 9 coelestis curiae ordines totidem infernalis ergastuli puniendorum cuneos constituunt. De quibus omnibus curiosius non est investigandum, sed potius ne experiamur praecavendum, dum hoc tantum constet, quod omnium externorum et internorum miseriam miserrimus ille et infelicissimus status tam tormentorum magnitudine quam aeternae mortis mortem fugientis indefessa perpetuitate exuperet.

22. Solet autem quaeri, qua iusticia temporaliter peccantibus aeterna poena debeatur, [Matth. 7, 2.] cum Dominus dicat: *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Unde nonnulli inani pietate ducti, peccatores aeternaliter puniri negabant, atque ad argumentum sui [Psal. 76, 10.] erroris illud psalmigraphi[a] inducebant: *Nunquid obliviscetur misereri Deus aut continebit in* [Psal 30, 20.] *ira sua misericordias suas?* et illud: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te, perfecisti autem eis qui sperant in te.* Hoc enim sic intelligendum putabant, quod Deus ubertatem dulcedinis et copiosae misericordiae ad augendum timorem, et per timorem correctionem peccatoribus minas intentando in hac vita abscondat, sed in futuro[b] veniam sperantibus revelando perficiat. Alii omne hominum sed et daemonum genus a poenis liberandum post mille annos haeretice dicebant, illud Esaiae non recte [Iesa. 24, 22.] intelligentes: *Retrudentur in carcerem, et post multos dies visitabuntur.* Nos vero catholicae [Matth. 25, 46.] veritatis normam sequentes, secundum ipsius Domini testimonium, dicentis: *Ibunt hii in*[c] *supplicium aeternum,* reproborum poenas aeternas credimus. Si enim ad terrorem tantum malorum poenas aeternas dixit, adulatorie quoque tantum[d] bonorum gloriam aeternam praedixisse putandus erit, quod nequaquam stare posse, nemo qui ipsum veritatem et vitam esse cognoscit, dubitare permittitur. Nec auctoritates quae positae sunt, ab hoc sensu discrepant, cum miserator et misericors Dominus, quandiu tempus est miserendi, patienter et longanimiter expectando largam peccatoribus poenitendi materiam tribuat, in ipsaque ira sua, hoc est in iudicio, miserationes suas non contineat, minus fotasse quam meruerant puniendo vel interdum refrigerii solatium in poenis eis indulgendo. Hoc etiam videtur velle illa Esaiae auctoritas, quae eos post retrusionem in carcerem visitandos dicit, ut videlicet visitationem vocet quantulamcunque consolationem. Illa vero quam rursum inducunt: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine?* longe alium sensum requirit. Abscondit enim Deus multitudinem dulcedinis suae timentibus se, quia timor, qui non est in caritate serviliter Deum quaerens, ad degustandam dulcedinem eius, quam in caritate radicati spe gaudentes, in tribulatione patientes, ex meritorum conscientia inveniunt, non pervenit. Spes siquidem, quae sine praecedenti merito, vel saltem sine ea caritate, quae operit multitudinem peccatorum, procedit, non spes sed praesumptio vocanda est. Vel certe et caste timentibus in hac vita dulcedinem suam Deus abscondit quam eisdem in futuro sperantibus[e], facie ad faciem se ipsum videndum demonstrando perficit, ut sint idem timentes qui sperantes. Quid est ergo quod dicit: *Eadem mensura, qua mensi fueritis* etc., si temporaliter peccantium aeternae sunt poenae malorum? Qui scrupulus facilius enodatur, si Deum non solum operum sed et cordium esse scrutatorem intueamur. Remetietur itaque eadem mensura, qua mensi fuerint homines, dum eis facultate peccandi, non voluntate subtracta, in aeterna malefaciendi voluntate morientibus aeterna supplicia irrogat.

23. Sed et hoc inquirendum videtur, si tantis cruciatibus addicti, vel de transactis malis vere poeniteant vel rursum peccandi, si poenis carerent, voluntatem habeant? Legitur [Sap. 5, 2.] enim in libro Sapientiae: *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, dicentes intra se, poenitentiam agentes.* Et in euangelica parabola dives [Luc. 16, 27.] ille de salute fratrum sollicitari inducitur, ubi ait: *Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei; habeo enim quinque fratres, ut testetur illis* etc. Si enim eos, ne in locum tormentorum veniant, affectuosa sollicitudine praemoneri cupit, quanto magis semet ipsum hoc velle praecavisse putandus erit? Sed notandum est, diversis modis accipi poenitentiam. Accipitur interdum eo modo quo et describitur. Poenitentia est commissa deflere et deflenda non committere; qualiter Paulus quosdam poenituisse gloriatur, quibus ait: [2. Cor. 7, 9.] *Gaudeo vos contristatos esse, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poeni-* [Matth. 4, 17.] *tentiam*; et de qua Dominus in euangelio: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum.* Talis siquidem poenitentia vera et fructuosa est, per quam non solum

a) psalmigrafi 2; psalmographi 5. b) futura 2. 5 c) ad 2. d) tamen 2. e) et expectantibus *addunt* 2. 5. 7.

remissionem consequimur peccatorum, sed et meremur ad regnum pervenire coelorum. Dicitur etiam poenitentia quasi poenitudo, qualis est latronum et omnium sceleratorum in criminibus suis comprehensorum ac suppliciis addictorum. Poenitet eos enim non scelus perpetrasse, sed pro scelere tormento deputatos esse, nec vellent odio mali carere vitio, sed, si fieri posset, post commissum crimen debito carere supplicio. Tali poenitentia apud[a] inferos agi malos credibile est, cum tam ex instantia horroris poenae propriae, quam ex aemulatione salutis et prosperitatis alienae amplius conturbentur et crucientur. Sic quippe sapiens ille dixit: *Videntes scilicet iustos in magna tranquillitatis constantia stantes, turba-* Sap. 5, 2 sq. *buntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis.* Et tunc demum duobus his, videlicet propriae dampnationis et alienae salvationis consideratione, dicunt intra se poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes: *Hii sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in signum improperii.* Ex hinc liquet, sapientem illum non de vera et fructuosa poenitentia, sed de falsa et extorta poenitudine vel potius de dolore et indignatione locutum fuisse. Videamus etiam si praetaxatus ille dives vera poenitentia ductus fuerit: *Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne* Luc. 16, 27. *et ipsi veniant in locum hunc tormentorum* etc. Non enim ait, ut testetur eis vitare malum, sed moneat praecavere tormentum, nec ait, ut moneat eos, ut bona si qua faciunt virtutis agant amore, non servili poenae timore. Sed si quis hoc quasi parabolicum ad litteram dicat non esse intelligendum, non est in determinatione eius valde desudandum. Poenitet ergo malos esse in tormentis, sed non sic, ut, si redire ad pristinam vitam permitterentur, vellent carere peccatis. Si quis vero intentiosus[b] adeo est, ut putet eos vere ibi poenitere, sed effectu poenitentiam carere, iuxta illud apostoli: *Ecce nunc quasi non tunc tempus* 2. Cor. 6, 2. *acceptabile, ecce nunc dies salutis,* non est cum eo litigandum. Quamvis non desint qui dicant, sicut boni cum Deo in aeterna gloria perfecte unus spiritus effecti non possunt nec volunt velle nisi bonum, sic et reprobos in supplicio capiti suo diabolo velud[c] plene incorporatos ita obstinationi eius configurari, ut deinceps nec velint nec possint velle nisi malum. Iuxta quorum sensum non solum de transacta vita vere non poenitent sed et, si liceret, in peccatis adhuc manere vellent.

24. His dictis, indagandum puto, si transacto iudicio extra infernum inferiorem ad leviores poenas locus remaneat. Esse quippe apud inferos locum purgatorium, in quo salvandi vel tenebris tantum afficiantur vel expiationis igne decoquantur, quidam asserunt, iuxta illud patriarchae: *Lugens descendam ad inferos,* et illud apostoli: *Ipse autem salvus* Gen. 37, 35. 1. Cor. 3, 15. *erit, sic tamen quasi per ignem.* At si terminatis in iudicio causis singulorum, pro qualitate meritorum aeternis poenis deputatis, nullus ultra purgabitur, quomodo locus ille superior purgatorius residuus erit? Si vero non remanebit, ut de aliis taceam, quid de parvulis, qui solo originali delicto tenentur, fiet? Numquid in puteum inferni inferioris et ipsi retrudentur? Denique nonnulli tenebris tantum eos sicut antiquos patres, eo quod in nullo rei inveniantur, nisi quod ad gratiam baptismi et ad agnitionem verae lucis non pervenerunt, teneri affirmant, ad ipsas tantum tenebras interpretantes, quod mitissima poena Augustinus eos plectendos esse testatur. Alii praefata verba Augustini durius accipientes, vera eos poena sed mitissima puniendos dicunt. Quodsi locus etiam ille superior, non ut prius ad purgationem sed ad eorum vel minus malorum punitionem, perpetuam tamen, reservabitur, non huic aestimationi oppositum, quod post iudicium purgatorius locus non remaneat, cum non mutato loco sed officio, qui prius erat purgationis, tunc fiat punitionis, quamvis etsi loco illo penitus abolito, in generalem poenarum locum deputentur, non est incredibile, cum possit omnipotens manus Dei eos in illo horribili incendio vel intactos servare vel minus afficere, qui quondam tres in camino ignis pueros illaesos conservavit. Nam et uno eodemque solis calore non omnes aequaliter uri vel affici videmus. Cuius tamen rei assertionem, quia incerta[d] nondum auctoritate invenimus, Dei iudicio relinquamus.

25. Videndum quoque est de igne illo aeterno, quomodo luce careat, cum veri ignis sit natura non solum urere sed et lucere. Nam si lucet, quomodo sunt ibi tenebrae exteriores, tenebrae palpabiles? Qua in re considerandum est, quod naturae creator Deûs quasdam ipsi causas et vires indidit, quas si certis rationibus, sicut Deus, quandoque subtrahit, mirari non oportet, quia et ignis ille in fornace Chaldaeorum habuit virtutem suam ad consumenda puerorum vincula, sed non habuit ad delenda ipsorum corpora. Et

a) aput 2. b) *ita* 2. 4; content. 5. 7 *et edd.* c) velut 1. d) *ita* 2. 4. 5. 7.

olim in rubo, quem ardere voluit et non consumi, ardebat et non comburebatur, quia naturam suam ignis habebat ad lucem, non ad consumptionem[a]. Sic e contrario infernalis ignis virtute sua in luce carebit, et plenarie eam habebit in exustione. Erit itaque ibi[b] tormentum ignis ibi sine consolatione lucis adurens non illuminans, afficiens non reficiens, ut omne genus miseriae plus quam, ne dicam edici, sed nec excogitari possit, habeat, omnique delectamento quo miserrimi valeant sublevari careat.

26. Tandem decurso laboriosa disputatione fine malorum, quasi gravi pelago enatato, ad suavem et iucundum civitatis Christi finem ipsius freti gratia veniamus. Igitur civitate[c] mundi Babylone miserabiliter praecipitata qualiter civitas Christi Hierusalem[d] sancta glori-
Apoc 20, 9 sq ficetur, audiamus. Iohannes cum de illa dixisset in Apocalipsi, quod cum seductore suo diabolo, et pseudopropheta suo Antichristo missa esset in caminum ignis et sulphuris, ubi
Apoc 21, 2 3. cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum, post pauca subiunxit: *Et vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de coelo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de trono*[e] *dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis* etc. Putant Iudaei in adventu Messiae sui Hierusalem terrestrem magna cum gloria restaurari, ibique cum maxima rerum habundantia se cum illo regnaturos, omnis mundialis gloriae deliciis affluere, aedificium illud Ezechielis in monte, nec non pro-
Iesa. 60, 1. 5. phetiam Ysaiae: *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est; et tunc videbis et afflues et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, inundatio camelorum operiet te* etc. ad litteram intelligentes. Quorum errorem quidam sub christiano nomine sectati, regnum Christi in terra futurum putaverunt, ibique in Hierusalem terrestri, sanctis cum ipso deliciose regnantibus, post mille annos solvendum Satanam, at tunc demum praecipitandum, sanctosque in regnum coeleste assumendos fore. A qua aestimatione filii Zebedaei nondum virtute ex alto induti, non longe fuerunt, cum mediante matre peterent, ut unus ad dexteram et alter ad sinistram in regno Christi sederent. Iohannes ergo ut omnes has opiniones et errores destrueret, primo dampnationem reprobae civitatis eiusque in ultimum incendium praecipitium enarrare studuit, ac postmodum coelo et terra innovato, de coelestis, non de[f] terrestris[g] Hierusalem gloria loquens, subiunxit: *Et vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de coelo.* Quomodo enim sanctam vocaret, quam propheta[h] occidentem et eos qui ad se missi fuerant lapidantem Babylonem prius nominavit? Quomodo novam, quae in vetustate legis adhuc manet, diceret? Quomodo postremo eam, quae semper in terra terrena fuit, de coelo descendentem assereret? Unde bene apostolus eam quae in terris est Agar comparans, servire cum filiis suis ait: illam tamen quae sursum est, matrem nostram et liberam attestans. Sed et psalmista cum iocundari se de
Psal. 121, 3. hoc, quod in domum Domini et atria Hierusalem iturus esset, attestaretur: *Hierusalem,* inquit[i], *quae aedificatur ut civitas.* Non enim civitatem aedificari, sed ut civitatem eam aedificari[k] dicens, non more nostro nec nostris lapidibus, sed divina virtute vivisque ex lapidibus ipsam aedificandam declaravit. Quod etsi quis incredulus est, audiat quod sequitur: *cuius participatio eius in id ipsum.* Quomodo enim casurae non permansurae participatio
Exod. 3, 14. eius in id ipsum? Est ergo illius civitatis quae mater nostra est, et sursum est, participatio eius, qui dixit: *Ego sum qui sum, et qui est misit me ad vos.* Eius dico in id ipsum, id est in divinitate sua aeternaliter et incommutabiliter semper uno eodemque modo permanentis. Cuius quia tunc cum videbit eum sicuti est, aeternitatis et identitatis vere perfecteque particeps eris, bene dicitur: *Cuius participatio est in id ipsum.* Itaque secluso illorum errore, verba apostoli prosequamur. *Vidi,* ait, *civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de coelo.* Res mistica et profunda, prorsusque ingenium nostrum excedens. Quid est enim quod civitatem illam sanctam, id est ad incommutabilitatem firmatam, novam tanquam ab omni corruptione et mortalitate liberatam et innovatam descendisse de coelo dicit? An merces, quae in coelis futura promittitur, in terra erit? Si enim iuxta Augustinum nec in his coelis visibilibus merces sanctorum reposita est, quanto magis nec his inferius locanda erit? Quid ergo sibi vult: *Vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de coelo?* Ego quidem quid senserit, et si debita veneratione tanquam sacrum secretum amplectar, ad plenum me non intelligere profiteor, nisi forte coelum ipsam superexcellentem

a) *ita* 2. 4. 5. 7. b) *add.* 2. 4. 5. 7. c) civitatis 2. d) Hyerusalem 4. e) throno 4. f) *deest* 5. 7. g) celesti non terrestri 2. h) prophetas 2. 4. 5. i) inquid 2. k) edificari eam 2.

divinitatis naturam, de qua psalmo *A summo coelo egressio eius*, intellexerit. Ut sic dictum Psal. 18, 7. videatur, quod gloria illius civitatis in solius Dei praedestinatione ab aeterno collocata ipsique soli nota, tunc demum ad sanctorum cognitionem plenariam, quando Deus omnia in omnibus erit, et videbitur sicuti est, descendat. Quod enim in hac vita plene etiam ab electis illa superinaestimabilis beatitudo comprehendi non valeat, illo prophetico et apostolico probatur testimonio: *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit,* 1. Cor. 2, 9. *quae praeparavit Deus diligentibus se.* Descendere ergo dicitur de coelo cum ab archano divini consilii ad notitiam electorum non solum per scientiam sed et per experientiam incomparabilis illa corona perveniet, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Quem ornatum in spiritu propheta praevidens, immenso suffusus gaudio: *Gaudens,* inquit, Iesa. 61, 10. *gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo,* causamque gaudii depromens: *Quia induit me,* ait, *vestimento salutis, et indumento iusticiae circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Erit ergo ornatus eius corona et monilia. Corona scilicet[a] immarcescibilis perpetua immortalitatis et incorruptionis adornans gloria: monilia ineffabili cordis puritate, qua et Deus videtur, decorans eam munditia. Denique quia a factore suo non solum ut factura aeternaliter praescita, in coeleste habitaculum potentialiter introducitur, sed et ut sponsa decorata in eius regni thalamo amabiliter collocatur, bene de coelo descendens, a Deo parata et sicut sponsa ornata narratur. Mira enim et ineffabili benignitatis affluentia factura fit sponsa, cum eam quam mirabiliter ex nichilo creavit, ad famulatum mirabilius reformatam ad coelestis thalami iocundum assumet amplexum.

Et audivi vocem magna de trono dicentem. Vox ista vox suavis, vox laetitiae de alto Apoc. 21, 3. sonans, de sublimi divinitatis consessu dulciter increpitans, quid dicat audiamus: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Quod est illud tabernaculum Dei? An forte inter illa reputabitur, de quibus dicitur: *Quam pulchra tabernacula tua, Iacob,* Num. 24, 5. *tentoria tua, Israel?* An potius inter illa quae psalmista concupiscens alto suspirio proclamat: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in* Psal. 83, 1. *atrio Domini?* Sunt enim tabernacula Iacob tabernacula luctantium in praesentis vitae militia, agone et exercitio gravia sed intuitu coronae spectaculo pulchra, bona semper sed non semper iocunda. Sunt et tabernacula Dei tabernacula regnantium in coelestis patriae curia, omni calcato metu, plena tranquillitate, suavia, de percepta corona plene gaudentia, non solum bona semper sed sine tristium intermixtione, sine laborum fatigatione semper laeta et iocunda. Bene ergo illa pulchra, ista dilecta vocantur. Quid enim pulchrius[b], quam spe coronae cum vitiis et concupiscentiis luctam inire? Quid amabilius, quam victoria peracta[c], de percepta corona gaudere? Sunt itaque[d] tabernacula Iacob dilecta tabernacula Dei, quia de labore certandi pervenitur ad fructum praemii percipiendi. Quia vero in coelesti curia diversa sanctorum angelorum contubernia caritatis[e] nexu unam faciunt rem publicam, bene quae psalmista tabernacula dixerat, hic tabernaculum vocatur: quibus dum sanctorum agmina coniuncta unam condunt unius urbis commanentiam, bene cum hominibus tabernaculum Dei ad aeternam mansionem iunctum narratur. Sed inaestimabili dulcedine omnia praedicta exuperat quod subditur: *Et habitabit cum eis.* Si enim species tabernaculorum delectat, quanto magis inhabitatoris eorum, qui fecit illa, visio et mansio delectabilis erit? Habitabit ergo Deus in eis, pleno eos et vero gaudio replens, ne usquam vacillare valeant, plenam eis suae visionis noticiam largiens, atque omnibus omnia factus, perfectam eis beatitudinem tribuens. Unde pulchre subiungitur: *Et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* In hac enim vita, ubi terrena Apoc. 21, 3 habitatio sensum multa cogitantem deprimit, quotiens curis et sollicitudinibus succumbimus, quasi totiens Deum, quem omnibus fluxis et transitoriis praeponere debueramus, Deum nostrum esse obliviscimur. In illa vero civitate, ubi sic divina contemplatio omnes in id ipsum conglutinans beatificat, ut interno et aeterno gaudio perfecte suffusos foras evagari non oporteat, ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis[f] erit eorum deus. Ubi profecto quia sic aeternae iocunditatis et laetitiae vino deebrientur, ut omnis transactae vitae miseria ultra non afficiantur, subsequenter declarat, cum subiungitur: *Et absterget* Apoc. 21, 4 *Deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum, et iam non erit ultra*[g] *neque luctus, neque clamor,*

a) videlicet 5. 7. b) pulcrius 7. c) peracta victoria 5. d) pulcra *add.* 5. 7. e) karitatis 2. f) cum eis deus 2. g) iam ultra non erit 5. 7.

neque dolor eius ultra quae prima abierunt. Porro quod alibi civitas ipsa ex auro mundo, fundamento omni lapide precioso constare dicitur, 12 portae eius ex singulis margaritis, plateae ex auro mundo tanquam vitro perlucido ornatae feruntur, quantam coelestis illius patriae iocundissimam mansionem depromunt? Si enim ad litteram intellecta pulchra sunt et decora, quanto magis spiritaliter intellecta longe incomporabilius iocunda et delectabilia inveniuntur? Si preciosum est aurum, quanto preciosius est quod significatur per aurum? Luci enim comparata prior invenitur sapientia. Diximus ut potuimus, qualiter sublato impio, ne videat gloriam Dei, Christi civitas, sancta Hierusalem, glorificetur, pluribus quae de tanta iocunditate dici possunt suppressis, dum ad ea quae restant dicenda festinamus.

27. Quaeri potest, qualia sancti post resurrectionem in illa civitate corpora habeant. 1.Cor.15,44. Ait enim apostolus: *Seminatur corpus animale, resurget spirituale*, et rursum: ib. 50. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Unde nonnulli in spiritualem substantiam corpora sanctorum post resurrectionem transmutari putaverunt, alii, tametsi corpora non spiritus ea futura dicerent, tamen in tantam subtilitatem, ut nec palpari, nec excogitari[a] possent[b], ipsa redigenda credebant. Quia vero iuxta Domini exemplum, post resurrectionem disci- Luc 24, 39. pulis suis dicentis: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*, vera corpora in vera carnis substantia resurrectura credimus, qualiter praedicta verba apostoli accipienda sint, videamus. *Seminatur*, inquit[c], *corpus animale, resurget spirituale.* Sed intueamur ex subsequentibus, quid per animale, quid[d] spirituale intellexerit. Cum enim dixisset: *Seminatur corpus animale, resurget spirituale*, subsequenter adiunxit: 1. Cor. 15, 44 sqq. *Si est corpus animale, est et spirituale, sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem; sed non prius quod spirituale est, sed quod animale est, deinde quod spirituale*[e]. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis coelestis, tales et coelestes.* Nunquid his verbis secundum hominem Christum Iesum, quem spiritualem vocavit et coelestem, veram carnem habere negavit? Spiritualem ergo seu coelestem dicens, non carne carere voluit, sed ad differentiam primi, qui voluntatem carnis secutus, mandati Dei praevaricator extitit, carnis operibus alienum vita et doctrina esse declaravit. Unde et dicit: *Primus homo de terra terrenus, secundus de coelo coelestis*, ac si diceret: Primus homo terrenis ib. 49. operibus nos perdidit, sed secundus coelesti vita nos reparavit. Ideoque subiunxit: *Igitur* ib. 50. *sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis*, ac deinde: *Hoc autem dico fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Corpus itaque quod seminatur animale, resurget spirituale, cum substantiae vitium subtrahitur, veritas ib. 42. naturae relinquitur. Hoc est enim quod subdit: *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione.* Ad hanc quippe vitam mortalem per concupiscentiam nascentes animales seminamur, ad illam vero vitam immortalem per gratiam renascentes spiritales resurgimus. Huic assertioni et hoc suffragatur, quia, cum dixisset, quod caro et sanguis regnum ib. 50. Dei non possidebunt, ne de substantia carnis dictum putaretur, subiunxit: *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Habebunt ergo in illa civitate sancti de vera carnis substantia vera corpora, sed ab omni corruptione aliena, puritatis dignitate et agilitatis subtilitate spiritibus non inferiora, ac ita concorditer spiritibus suis connexa, ut nusquam esse velint, ubi esse non possint, nec usquam sint, ubi esse non velint. Nulla enim poterit esse discrepantia, quos divinus spiritus intus alens, verae pacis perfecta connectit concordia. Quapropter ubi sint, quaeri non oportet, cum iuxta dominicum exemplum, qui post resurrectionem ianuis clausis intravit, tantaeque sint agilitatis, ut sive in coelo sive in terra iam innovatis esse voluerint, in potestate habeant, ubi nec voluntas facultati, nec facultas repugnat voluntati.

28. Nunc inquirendum videtur, si in illa beata patria praeteritae vitae memoriam seu Iesa. 65, 17 scientiam habeant? Ait enim eximius prophetarum Ysaias: *Non erunt memores priorum,* ib. 66, 13 *nec ascendent in corda illorum.* Sed quid est[f], quod alibi dicit: *Egredientur, et videbunt cadavera mortuorum, qui praevaricati sunt in me?* Nunquid credendi sunt illas beatas sedes relinquere, ac ad videndum malorum tormenta localiter exire? Absit. Si ergo a fruitione aeterni boni non recedentes egredientur per scientiam, quomodo non erunt memores

a) nec cogitari nec palpari 2. b) possint 5. c) inquid 2. d) per *add.* 5 *et edd.*; quibus per animale quid 7. e) spiritale 2 *semper.* f) *loco* quid est 2. 4. 7 quidem.

priorum? An sciant poenas alienas, suasque transactas miserias, unde liberatori suo gratias habere deberent, oblivioni tradent? Qua in re sciendum est, duas esse scientias duasque obliviones. Scit enim aliter aeger infirmitatem per experientiam, aliter medicus per artis notitiam. Sic etiam aliter obliviscimur eorum quae experimento cognovimus, aliter illorum, quae artis tantum industria inexperti comprehendimus. Sicut ergo sancti habebunt omnium quae delectare possunt plenam memoriam, sic nichil quod officere possit eorum tanget conscientiam, ut plene habeant, unde redemptori suo gratias agant, et nichil recolant, unde laeso corde de priorum recordatione doleant, sed omnimodis deliciis affluentes, paceque Dei, quae exuperat omnem sensum, perfecte gaudentes, sicut foris nulla pulsantur temptatione, ita intus nulla recordationis tristium afficiantur passione. Scient itaque ad maiorem beatitudinis suae cumulum redemptoris sui largum recolendo beneficium, non sicut experti tam suos actus, quam malorum apud inferos cruciatus, ut non solum de sua felicitate gaudeant, sed et Deo suo eos de una massa factos, ab illorum perditione misericorditer separanti[a] gratias agere habeant. Scient, inquam, ut dictum est, per omnia scientem, et sua et aliena, non per experientiae miseriam, sed per internae et aeternae sapientiae supereffluentem gloriam.

29. His decursis, qualiter illa coelestis curia ordinata sit inquiramus. Nunquid enim omnes aeterna illa beatitudine pari modo, pariter omnes fruuntur, iuxta illud parabolicum, ubi omnes in vinea Domini non aequaliter desudantes aequalem operis mercedem, tanquam singulos denarios recepisse feruntur? Sed quomodo intelligemus ipsius Domini testimonium dicentis: *In domo patris mei mansiones multae sunt*, et illud apostoli: *Alia claritas solis, alia claritas lunae; et stella*[b] *differt in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum?* Verum est igitur, quod singuli singulos denarios accipiunt, et verum est, quod diversas mansiones inhabitantes, alius alio clarior existat, quia omnes quidem in unam beatitudinem recipientur, sed pro qualitate meritorum diversas ibi mansiones sortientur. Nam et Dominus non in domibus, sed in una domo mansionum hanc varietatem esse dicens, unam fore beatitudinem, sed in beatitudinis fruitione distantias ostendit. Quod etiam in praesenti videmus, ubi in una ecclesia diversis dignitatum ordinibus, alium alio clariorem, alium alio superiorem conspicimus. Quam ad instar illius curiae distinctam Dominus Moysi loquens ostendit, cum ait: *Vide ut omnia facias iuxta exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Sunt itaque in domo illa diversae mansiones, quas alius alio clarior, alius alio sanctior habitet, quia tanto quisque vicinius et quasi proximius divini luminis splendore[c] irradiatur, quanto ardentius et vehementius in praesenti vita ad eius amorem per fidem operantem ex dilectione inflammatur. Et sicut pluribus ad unum fontem confluentibus simulque undam eius gustantibus, qui plus sitit, plus haurit, ita ad Deum fontem vitae festinantes tanto largius ab ubertate domus eius torrente voluptatis suae inebriantur, quanto eum ampliore sitis ardore vehementius et avidius praestolantur. Pro diversitate igitur operum et capacitate singulorum varia et una beata tamen omnium erit gloria sanctorum.

Matth. 20. Iohan. 14,2 1.Cor 15,41. Exod 25,40.

30. Porro quia civitas illa duobus parietibus compacta ex angelis constat et hominibus, quis et qualiter inter eos ordo sit intueamur. Tres angelorum hierarchias[d], id est sacros principatus, praecipuus theologorum ponit Dionisius, et unamquamque in tres ordines subdividens, ut novem angelorum ordines compleat, tria terna constituit. In prima hierarchia seraphin, cherubin, tronos, in secunda dominationes, potestates, virtutes, in tertia principatus, archangelos, angelos ponit. Primam autem hierarchiam immediate Trinitatem circumstare, ab eaque sola illuminari, secundam vero inter primam et ultimam mediam tam a superiore illuminari, quam inferiorem illuminare asserit. Quorum secretissimae humanumque ingenium transcendentis naturae causas rimari, supra nos est, nec praesens opus exposcit. Ait nempe supra nominatus theosophus[e]: *Quanti quidem sunt et quales supercoelestium essentiarum ornatus, et quomodo secundum eos hierarchiae perficiuntur, solam diligenter scire dico contemplativam eorum perfectionis principem.* Quibus verbis cum solam divinam sapientiam, a qua principium habent ut sint, et ad quarum contemplationem respiciunt ut perfecti sint, scire dicat sacram eorum et superornatam ordinationem, temerarium de ipsorum natura videtur investigare, cum et ipsos angelos, quales facti vel qualiter dispositi sint, fateatur non posse comprehendere. *Propterea*, inquit,

a) separante 2. 4. 5. 7. b) et stella differt a stella 5. 7. c) plendore 2. d) Ierarchias 2. 5 *constanter*; ierrachias 7. e) teosophus 2. 7.

dico et eos adhuc ignorare proprias virtutes et illuminationes, et suam sacram et superornatam ordinationem. Unde et subiungit: *Inpossibile est enim nos scire supercoelestium animorum misteria et sanctissimas eorum perfectiones, nisi ibi dixerit quis quaecunque per eas nos tanquam propria bene scientes divinitas misteria docuit.* Et est dictum: *Incassum ad comprehensionem supercoelestium misteriorum laboramus, cum nec ipsos supercoelestes spiritus, quorum revelatione illa cognoscere deberemus, plene illa posse comprehendere credamus.* Quid est autem, quod supra eos nescire affirmans, hic nos per eos tanquam propria bene scientes, erudire divinitatem dicit? nisi quod sciunt propria misteria quantum sufficit ad nostram eruditionem, sed non sciunt ad plenam et perfectam comprehensionem. Quamvis igitur ex proprio motu nil de eorum natura comprehendere valeamus, hoc tamen quod divina eloquia de illis sacris ordinibus, necnon et iste theologus testantur, indubitanter credamus. Ait ergo: *Omnis theologia coelestes essentias novem vocavit manifestativis cognominationibus.* Deinde ab egregio doctore gentium, magistro suo Paulo, qui ad tertium coelum raptus archana Dei audierat, quid edoctus sit, subsequenter adnectit dicens: *Has scilicet novem coelestes essentias divinus noster sanctus profector in tres segregat ternas dispositiones.* Quod quia nusquam in Paulo legitur, ab eo familiari colloquio tanquam divinus philosophus didicisse innuitur. Nec repugnat, quod archana quae audivit, homini loqui licere apostolus negat, cum nec homo, sed super hominem, velut huic vitae funditus mortuus fuerit, vel qui docuit, vel qui didicit. Dicat ergo: *Has divinus noster profector*[a] *in tres segregat ternas dispositiones.* Et primam quidem esse dicit circa Deum existentem semper, et ante alias immediate uniri traditam, sanctissimos tronos et oculosos et pennosos ordines, Hebraeorum voce cherubin et seraphin nominatos. Quia enim seraphin incendentes, cherubin plenitudo scientiae interpretantur, cherubin oculosos propter contemplationis cognitionem, seraphin pennosos propter ardentissimi amoris dilectionem simbolice nominat. Tronos[b] vero, in quibus Deus sua iudicia decernit, quos alibi compactas et altissimas sedes, hic sanctissimos tronos anagogice vocat. Altissimas sedes propter dignitatem, compactas propter iudicii veritatem, sanctissimas propter incommutabilitatis firmissimam aeternitatem. Est ergo proprium tronorum[c] iudicii discretio, cherubin veritatis cognitio, seraphin cognitionis perfecta dilectio. Et quia in his tribus omnis constat perfectio, recte amantes, cognoscentes, iudicantes, velut intus praesidentes et ab interna contemplatione ad exteriora officia nunquam exeuntes, immediate Deo uniri et ante alias circa ipsum semper attente existere dicuntur. Ultimos vero tres ad exteriora mitti, ut angelos et archangelos, vel dimittendis invisibili potestate dispensare, ut principatus, testatur. Porro medios quae a superioribus ad inferiores deferenda sunt, secundum dignitatem et officium suum administrare dicit. In quibus dominationes, quasi solo imperio ad nuncianda formantes, primo, virtutes, tanquam perceptum ab eis imperium potestatibus edentes, secundo, potestates, quasi conceptum mandatum in principatibus, archangelis, angelis sibi ad operationem subiectis perficientes, tertio loco ponit. Qui vero post angelos et archangelos, virtutes, et deinde potestates, et sic principatus constituunt, virtutes eos, per quos signa et miracula fiunt, potestates eos, qui adversas virtutes spirituum comprimunt, ne tantum nocere possint quantum volunt, principatus, qui etiam bonis spiritibus principantur, accipiunt, plus ethimologiam nominum, quam rationes officiorum secuti. Usu enim nostro plus est potestate agere quam virtute. Deinde maior est principatus quam potestas[d]. Quod autem amplius sit in principatu dominari quam principari, nemo ambigit, et idcirco dominationes quasi principatibus dominantes in eminentiori loco posuerunt.

Quid est autem, quod cum suprema illa hierarchia[e] immediate circa Deum, et ita semper attente, ut nunquam a iocundissima maiestatis eius praesentia foris prodeat, assistere credatur, ad mundanda labia prophetae seraphin exisse narratur, cum dicitur:
Iesa 6, 6. *Volavit ad me unus de seraphin* etc.? Ubi profecto iuxta eundem Dionisium innuitur, quod inferiori ordine missus superioris ordinis vocabulum ex officio est sortitus. Prophetae quippe labia purgare eiusque mentem ad divinitatis amorem accendere veniens, seraphin, id est incendentis, vocabulum accepit. Quamvis non desint qui dicant, non incongrue ad alta consilia de altissimo ordine spiritus mitti, cum et ipse unigenitus de sinu patris ad terras missus, magni consilii dictus sit angelus. Quod enim omnes mittantur, testari
Hebr. 1, 14. videtur apostolus, ubi ait: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi?*

a) *ita* 4. 5. 7 *et editt.*; protector 2. b) Per nos 2; Thronos 5. c) tonorum 2. d) potestates 5. 7 *et edd.* e) icrarchia 2. 5. 7.

Unde Michahelem[a], Gabrielem, Raphahelem[b], quos prae caeteris spiritibus ecclesia Dei veneratur, altissimorum illorum ordinum principes esse putant, nec idcirco[c] eos ab intima divinitatis praesentia recedere dicunt, cum tantae subtilitatis eos et inaestimabilis puritatis esse velint, ut sic ad exteriora prodeant, ut tamen in coelis semper Deo assistant. Unde est illud Gabrielis in euangelio: *Ego sum unus de illis qui semper assistunt ante Deum, et huc missus sum annunciare tibi.* (Luc. 1, 19.) Cum enim hoc diceret, ad terras missus fuerat, et tamen Deo se assistere dicebat. Porro quod quidam a superioribus erudiantur, alii vero ab ipso Deo immediate illuminentur, prophetica auctoritate probatur. Quidam enim misterium incarnationis ignorantes, cum Iesum in gloria coelos ascendere conspicerent, novi regis adventum admirantes, a superioribus inquirebant dicentes: *Quis est iste rex gloriae?* (Psal. 23, 8. 10.) Sed et superiores non omnino ignorantes, sed immediate ab ipso discere volentes, nec tamen ad interrogationem festine praesilire audentes, primum apud se deliberabant: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* (Iesa. 63, 1.) Cumque ad doctrinam ultro ipse se offerret dicens: *Ego qui loquor iusticiam,* tunc demum assumpta fiducia, ad ipsum quaestionem dirigunt: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum sicut calcantium in torculari?* (ibid. 2.) In eo enim quod interrogant, ostendunt se illuminationem appetere, in eo vero quod inter se conferendo deliberant, significant, quia divinam in se processionem non audent praevenire. Unde theologus iste apud se inquit: *Ipsas deliberant ante interrogare, ostendentes quia discunt, et deificam scientiam appetunt, non autem praesilientes per divinam processionem inditam illuminationem.* Et notandum, quod interrogatio spirituum illorum ad Deum non est aliud quam ipsa interrogationis perceptio, ipsaque eius responsio vel locutio non est aliud quam illuminationis datio. Quia igitur ipsi non praeveniunt illuminationem in perceptione, sed divina eos gratia praevenit in datione, non ante interrogare dicuntur ut discant, sed ipse largitor et doctor offerre asseritur eis quid deceat. Et hoc est quod dicit: *Non praesilientes per divinam processionem inditam illuminationem.* Praesilirent enim inditam illuminationem, si humano more per studium inquisitionis ad lumen pervenirent cogitationis, sicque processio esset non Dei ad ipsos, sed ipsorum ad Deum. Sed quia divina processio, hoc est a Deo procedens datio, sponte veniens in ipsos, sic eos illuminat, ut nullum inquisitionis studium hanc illuminationem efficiat, bene dicitur, quod inditam illuminationem per divinam processionem non praesiliunt. Haec de angelorum natura[d] non de nostro sensu sed de divinis eloquiis prolata sufficiant. In quibus nichil temere diffiniendo sed secretum venerando indubitanter credimus, quod sive omnes mittantur nec ne, seu omnes omnia supercoelestium sciant archana, vel non, indeficienti tamen iubilo omnes simul in creatoris sui contemplatione iocundantur. Unde item Dionisius ad superprincipale principium et ad ipsum principium universaliter eos converti testatur. Qui etiam ad hoc ut supernae ierarchiae spiritus, sic Deo semper assistant, ut nunquam ad externa officia foras prodeant, et quod inferiores spiritus quandoque secreta Dei lateant, donec superiorum revelatione addiscant, inclinatus videtur. Quod tamen etsi ita est, eorum beatitudinem non minuit, quia omnia scientem videntes, sic in eo omnia sciunt, ut quicquid expedit eos scire, scire velint, nec aliquid scire velint, quod scire eos non expedit.

31. Quia de coelestium spirituum hierarchiis, eo quod in eorum ordines electi assumendi unam rem publicam facere creduntur, incidenter disputavimus, superest ut de hoc, qualiter in ipsorum consortia proportionabiliter assumantur, inquiramus. Ait itidem de hoc saepe nominatus optimus theologus: *Ad quas,* id est supercoelestes essentias, *secundum differentiam progressionum et incrementa illuminationum proportionaliter nobis ipsis ascendimus per gradus spiritualium profectuum in nobis vel differentiam donorum inter nos.* Et est dictum, quod sicut in praesenti per dona gratiarum et gradus dignitatum proportionaliter, hoc est differenti et ordinata participatione, disponimur, sic in coelestis curiae contubernia promoveamur. Iuxta enim ipsius Domini testimonium, qui in modico fidelis est, supra multa constituetur, (cf. Luc. 19, 17 sqq.) et qui bene ministrat, bonum gradum acquiret, et quia fideles dispensatores ecclesiae tanto amplius coronantur in coelis, quanto magis verbo et exemplo gregem Domini pascentes desudaverunt in terris. Unde qui accepto ad usuram talento, plus foeneravit, iuxta differentiam meritorum proportionaliter accipit stipendia retributionum; dum isti dicitur: *Tu esto super quinque civitates,* et illi: *Tu esto super decem.* Ascendent ergo sancti per differentiam progressionum, id est, quantum bene operando progrediuntur,

a) Michaelem 5; Michachelem 7. b) Raphaelem 5. c) iccirco 2 *semper.* d) essentia 5.

et incrementa illuminationum, id est quantum bene docendo subditos illuminando profecerunt, per gradus spiritualium profectuum, quod[a] de virtute in virtutem non pedum sed mentium in diversis dignitatibus progressus, vel differentiam donorum, quae sunt diversa dona carismatum, id est diversos ordines beatorum spirituum. Quae quoniam in ipsis et Psal. 83, 6. inter ipsos sunt, iuxta illud psalmistae: *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde disposuit.* Bene theologus iste dicit, quod secundum differentiam progressionum et incrementa illuminationum proportionaliter nobis ipsis ascendimus per gradus spiritualium profectuum in nobis vel differentiam donorum inter nos ad contubernia angelorum. Qualiter autem in singulos ordines beatorum spirituum singuli quique electorum assumantur, ut non solum mentis et corporis puritate sed graduum dignitate angelis similes et pares in beatitudine fiant, beatus Gregorius mellifluo ore disseruit tantum[b] iuxta illam auctori- Deut. 32, 8. tatem: *Constituit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei,* in illa civitate numerum electorum futurorum ostendens, quantus ibi sanctorum remansit angelorum.

32. Sed inquiri potest, cum decima dragma tanquam angelorum pars perdita per homines restaurari debeat, quomodo totus[c] fiat numerus electorum, quantus ibi remansit angelorum? Qua in re profecto videndum est, quod sex, 10, 100 et huiusmodi in divina pagina non semper numerum, sed significatum numeri ponunt. Quia enim denarius in sacra scriptura perfectionem significare solet, decima dragma perisse dicitur, cum reprobae illius partis globus a Deo exorbitans, a creationis suae dignissima perfectione ad propriae voluntatis motum declinans, superbiendo corruit, ut dicant, non quod illa decima pars corruerit, sed quod illa pars corruerit decima, id est ut decima qualitatem suam seu substantiam verbi reddat verbo, ut non intransitive sed substantive iungatur, cum corruit, quod est dicere, ut non numerum, sed litteralem, sed iuxta significationem numeri misticum sensum respiciat, ut non sit aliud dicere: *Corruit decima,* quam: *Corruit perfecta,* id est in eo quod perfecta, sicut solemus dicere: *Video te sapientem* verbum iungendo transitive ad te substantive ad sapientem. Vel: *Corruit decima,* id est perfecta, id est a decima vel a perfecta, ut sit ablativus decima seu perfecta, vel sensum habeat ablativi. Sicut enim nominativus[d] apud grammaticos frequenter substantiam sui, sic ablativus vel nominativus ex parte praedicata semper qualitatem eiusdem nominis innuit. Ut cum dico: *Martinus est homo,* non praedico secundum logicos hoc, sed ex hoc; sicut e converso cum dico: *Homo currit,* non subicio ex hoc, sed hoc. Nam si hac parabola ad hoc, ut decimam partem angelorum, quae per homines restaurari debet, cecidisse credere compellimur, nichilominus[e] etiam centesimam tamen partem ex parabola 100 ovium corruisse, confiteri cogemur. Praedictus ergo denarius vel centenarius, quia, ut dictum est, non ad numerum sed ad significatum numeri nos mittit, nec ad hoc cogit, ut decimam partem seu centesimam corruisse credamus, nec ad hoc impellit, ut tantundem restaurandorum, quantum lapsorum numerum fore confiteamur, sed hoc tamen ostendit, quod illorum miseria istorum felicitate, illorum imperfectione istorum perfectione suppleatur. Neque propter hoc quod[f] decima dragma perdita dicitur, 10 ibi ordines, quorum unus corruerit, quandoque fuerunt, sed de singulis 9 illis ordinibus cadentes unum inordinati ordinis globum fecerunt. Quamvis, si dicat quis, Gregorium hoc non sub assertione posuisse, non sit multum in eius determinatione laborandum, dum hoc[g] tamen credatur, quod vere in singulorum angelorum ordines[h], sive numero pares vel impares sint, beatitudine pares electi assumantur. Non enim Gregorius ait, ad quot tot ascensuros scimus, sed credimus. Nec illa quam posuit auctoritas: *Constituit terminos populorum, iuxta numerum angelorum,* huic sententiae accommodata cernitur, cum ibi subsequenter ibid. 9. dicatur: *Pars autem Domini populus eius.* Quod sic teste Dionisio dictum videtur: Caeterae nationes religionem angelorum sectantes diversam militiam coeli coluerunt, solus Israheliticus populus, unius Dei cultum servans, ipsi tanquam sua pars et funiculus haereditatis Psal. 75, 2. in possessionem peculiariter cessit, unde est illud psalmistae: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.* Si vero iuxta aliam translationem *iuxta numerum filiorum Dei* legatur, longe iterum alium sensum requirere innuitur, nisi eosdem filios Dei, quos et angelos diximus, iuxta illud Genesis, ubi alius translator filios Dei, alius angelos ad filias hominum accessisse commemorat. Quodsi iuxta nostrum usum *iuxta numerum filiorum Israel* dicatur, peregrinum penitus ab hoc intellectu erit. Igitur de re secretissima prorsus a

a) quod est 5. 7 *et edd.* b) tamen 2. c) tantus 5 *et edd.* d) nominis 2; nois 4. e) nilominus 2. f) quia 2. g) *deest* 2. h) ordine 2. 4.

nostris oculis remota iudicium prudentioribus relinquentes, ad ea quae restant transeamus, hoc tamen credentes, quod in libro sapientissimae praescientiae Dei, quam nullum fugit profundum, nullum fallit secretum, certus est numerus electorum, et verax corona pro meritis singulorum.

33. Nunc videndum[a] est, quae illius patriae sit beatitudo. Non enim credendum est, animas exutas a corpore vel post resumpta spiritalia corpora angelicis spiritibus puritate ac dignitate non inferiores, rebus exterioribus sicut in hac vita delectari. Proinde sicubi sacra scriptura floridis et virentibus campis, amoenis[b] locis, garritu avium, odoriferis rebus, utpote cinamomo et balsamo, sensus eorum refici et affici dicit, spiritaliter hoc potius quam carnaliter accipiendum videtur. Quamvis et propter simplices, qui lacte, non solido cibo alendi sunt, quorum sensus nondum exercitati spiritalem iocunditatem comprehendere nequeunt, haec frequenter a quibusdam doctoribus ponantur, ut sic per visibilia ad invisibilia cognoscenda et inquirenda mittantur. Est igitur beatitudo sanctorum visio conditoris sui iuxta illud dominicum: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem* Ioh. 17, 3. *misisti Iesum Christum*, intelligendum cum spiritu, qui est amborum. *Haec est*, inquit, *vita aeterna*. Quid enim aliud est vita aeterna, quam ipsa beatitudo? Si enim esset vita temporaria[c], beata non esset, quae de termino sollicita foret. Rursum quantumcunque diuturna, nisi omnis miseriae defectu carens, omnimodae felicitatis afflueret habundantia, beata dici non posset, quae aliquo naevo infecta esset. Est itaque illa vita aeterna et beata, beata et aeterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Vide quod fruitionem beatitudinis cognitionem dixit esse divinitatis. Unde frustra quidam ad comprehensionem divinae substantiae in hac vita laborant, quae a sanctis per speculum et in aenigmate vix in praesenti visa, sicuti est videnda pleniterque cognoscenda in futura eis tantum vita promittitur. Delectantur igitur sancti in plene iocunda et aeterna beata visione Dei iuxta illud psalmistae: *Benedictionem dabit qui legem dedit, ibunt de virtute in virtutem, vide-* Psal. 83, 8. *bitur deus deorum in Sion*[d]. Quid maius, quid iocundius, quid gloriosius? Quanto desiderio in tenebris positi desideramus hunc solem? quanto studio optamus hanc lucem? Quodsi haec lux desiderata cum gaudio suscipitur, suscepta cum admiratione inspicitur, visusque frequenter reverberatur, rursus ad videndum sustollitur, nec usu vilescit, nec frequentia fastidium gignit, quam putas lux lucis videntibus se iocunditatem afferat, admirationem tribuat, nec tamen fastidium inferat? Si reges vel imperatores terrenos in gloria sua fluxa et transitoria cum admiratione et quadam hilaritate videmus, quam inaestimabili gaudio suffusos, inaestimabili mentis iubilo repletos aestimabimus qui regem regum, creatorem universorum in decore suo et gloria incomparabili et immarcescibili, coelesti angelorum et hominum stipatum militia videbunt? Nec videbunt tantum, sed et visum amabunt, amatum laudabunt. Unde pulchre[e] psalmista: *Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum* ibid. 5. *laudabunt te*. Est ergo beatitudo videre Deum, in quem desiderant angeli prospicere incessanter sine taedio, visum amare indesinenter sine fastidio, amatum indefesse laudare sine fatigatione, atque de his in ineffabili cordis iubilo, gaudio inaestimabili, sine tristium intermixtione in secula seculorum gaudere. Quod quia in hac vita plene haberi non potest, illi coelesti civitati digne reservatur. Unde rursus psalmista: *Sicut laetantium omnium habitatio* Psal. 86, 7. *est in te*. Per hoc enim quod non laetantium sed sicut laetantium dicit, longe illud gaudium nostro[f] in[g] hac vita superexcellere ostendit. Cum itaque plene ac perfecte de visione Dei gaudio quod nemo tollere potest, gaudeant, quomodo rebus exterioribus delectari putabuntur, cum etiam in praesenti, ubi per speculum et in aenigmate gloria illa vix praegustatur, nonnunquam sancti contemplatione supernorum sic sublevantur, ut omnibus sensibus propriis officiis carentibus interna tantum dulcedine suaviter afficiantur? Quare credendum non est, quod etsi in coelo novo et terra nova omnibus in melius mutatis, splendido decore cuncta clarescant, tamen ut dictum est, sanctos visione ac laude creatoris sui iocundantes, horum pulchritudine occupatos, ab illa laetitia revocari. Nam quamvis iuxta prophetam Iesa. 30, 26. tanta ibi claritas fiet lunae, quanta nunc solis, solisque septempliciter quanta nunc est, tamen alibi habes, quod civitas illa non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna eius agnus est. Quod si claritate Dei illuminati, contemplationis veraeque visionis eius luce ineffabiliter perfusi, supernis ad delectationis augmentum

a) inquirendum 5. 7. b) amenibus 2. 7. c) temperaria 7. d) Syon 2. e) pulcre 7. f) nostrum 2. g) *deest* 2.

non egent luminaribus, multo minus inferioribus his, quibus sensus corporis, ut supra dictum est, affici solent, ad delectamentum indigebunt. Quamvis non desint, qui dicant illam etiam ibi ad delectationem non deesse. Aiunt enim, quod omnimodis ibi deliciis affluant, et quanquam visione Dei plene delectati exteriora non desiderent, illa tamen istam tanquam asseclae assequantur, sicut in sanctorum libris nonnunquam secularis scientia, divinam sapientiam non affectata, tanquam pedissequa comitari cognoscitur. Erunt ergo haec omnia ibi, si erunt, famulantia ad ornatum, sed non erunt ibi ad necessitatis obsequium.

34. Restat indagare, utrum Deus corporeis oculis simul et spiritalibus videatur, vel
Matth. 5, 8. spiritalibus tantum, iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quod nonnulli sic intelligunt, ut Deum tantum corde, tantum etiam illic in suae naturae simplicissima puritate videndum asserant. Quibus in tantum accommodatus videtur Augustinus, ut in libro de civitate Dei dicat, durum esse credere, quod illic oculos claudere non possimus, durius, ut clausis oculis Deus ibi non videatur. Sed videndum est, multa in eodem opere praedictum patrem non sub assertione posuisse, sicut ipse testatur dicens: *Nam nec ego volo temere credi cuncta quae posui, quia nec a me ipso ita creduntur, tanquam nulla de illis sit in mea cogitatione dubitatio.* Unde cum de hac ipsa a caeteris[a] redargueretur[b] sententia, tan-
Iob 19, 27. quam contra auctoritatem: *Quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt,* dixerit, respondit se in hoc non peccasse, quod Deum istis oculis videndum negavit, cum aut ipsis non videatur, aut si videbitur, oculi illi non sunt ipsi qui nunc sunt, quia longe in digniorem statum alterati. Quare non desunt, qui Deum utroque modo videndum affirmant. Dicunt enim plenam beatitudinem in visione Dei consistere, a qua si tunc corpora fraudarentur, nequaquam sancti in utroque sed in spiritu tantum summa beatitudine fruerentur. Nec multum ab hoc statu ille distaret, cum et nunc corporibus in terra putrescentibus spiritus et animae iustorum in coelo Deum videant. Nec repugnat quod dicitur: *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt*, quem profecto non impuri, sed soli mundi cordis videre merebuntur. Verum[c] ergo est ex parte subiecta, solum mundo corde Deum videre, sed non verum est ex parte praedicata: *Deum videbunt mundi*[d] *corde solum.* Verbi gratia verum est: *Pater est solus Deus,* sed non est verum: *Solus Pater est Deus.* In priori propositione ponitur alius deus non esse a Patre, quod verum est; in secunda ponitur Deus non esse alius a Patre, quod falsum est, quia Filius Deus est, et alius a Patre personaliter, sed non alius deus, quare et a theologis negatur Deus dici singularis vel solitarius. Sive igitur mente tantum, sive ad maiorem beatitudinis cumulum, ut duplici stola vestiti in utroque, corpore scilicet ac spiritu, saginati utrisque Deum oculis videant, hoc constat, quia revelata facie ipsum sicut est videbunt, in ipso et de ipso gaudebunt, ipsum in secula seculorum laudabunt. Haec est octava quae sabbatum vesperam non habens subsequitur vel potius continuat. Haec enim vespera non in noctem vergendo tenebrescit, sed in prima sabbati, quae octava non terminata animarum requie sed receptis corporibus duplicata lucescit. Haec requies ex requie, sabbatum ex sabbato, mensis ex mense. Haec erit in fine sine fine. En habes divina sapientia maliciam semper vincendo, quam fortiter a fine ad finem attingat, quam suaviter omnia disponat. Quid enim fortius, quam, diabolo cum membris eius in abyssum putei inferioris praecipitato, ad supercoelestia gaudia membra sua perducere? Quid suavius, quam cuncta haec sine aliquo perturbationis motu peragere? A fine igitur ad finem, id est a principio usque ad consummationem, unde Alpha[e] et Ω vocatur, fortiter attingit, hoc est utrisque diversa meritorum stipendia iuste distribuit, vel a fine bonorum
Psal. 79, 3. ad finem malorum. Unde propheta: *Qui sedes super cherubin, intueris abyssos*[f]. Sedet enim tanquam incommutabilis super altissima, et intuetur tanquam iustus discretor infima. Sedet, quia cum tranquillitate iudicando suaviter omnia disponit; intuetur desuper cherubin[g] abyssos, quia a fine ad finem fortiter attingit. Attingit intuendo iusteque utrumque moderando[h] finem, quo nichil inferius, a fine, quo nichil superius; finem, quo nichil amarius, a fine, quo nichil suavius; finem, quo nichil miserius, a fine, quo nichil beatius. Haec est haereditas servorum Dei. Ibi, ut ait Augustinus, vacabimus, videbimus, amabimus, lauda-
Ezech. 48, 35. bimus. Erit autem iuxta prophetam nomen civitatis ex illa die *Dominus ibidem.*

35. Haec de fine civitatis Christi iuxta capacitatem sensus nostri dicta sufficiant, in
cf VIII, 22. quibus, ut verbis utar Dionisii, quaedam praetermisimus commensurationi sermonis provi-

a) acceperis 2. 4; a coepiscopis 5. 7. b) redarguetur 2. 4. c) verum — solitarius *desunt* 5. d) mundo 2. 4. e) alfa 7. f) abissos 2. g) cherubyn 5. h) iudicando 4.

dentes, simul et honorificantes secretum quod supra nos est, cum silentio. Est enim gloria regum celare verbum, et maiestatem minuit, qui mistica[a] vulgat. Novi quippe sic magna dici oportere, ut semper supersit[b], quod cum diligentia inquiratur, ne vile appareat, si totum vulgariter pandatur. Proinde sicut ea, quae non de nostro sed scripturarum sensu, quamvis inculto prolata eloquio, charitati tuae devote offerimus, sic nolentibus et spernentibus impudenter non ingerimus. Nam ut supra de Augustino dixi, nonnulla ibi non sub assertione sed opinione et investigatione posita sunt, finitivaeque sententiae examen prudentioribus relictum. Tuum vero erit minus dicta supplere[c], male dicta corrigere, superflua resecare, meque in hoc salo mundi peccatis oneratum laborantem orationum tuarum remediis sublevare[d].

a) mystica 5. b) sit super 2. c) subplere 2. 7. d) Iesu Christo domino nostro *add.* 5, *desunt* 7. *In* 2 *et* 2* *post chronicon Honorii Augustodunensis, quod Ottonis operi ibidem adnexum est, sequens reperitur forma, de qua egimus supra p.* 103: Rogo autem te, lector, si tamen prae domina invidia audeas, ne huius opusculi laborem vilipendas. Ego nempe vigilavi, ut tu dormias, ego laboravi, ut tu quiescas; tuus solummodo labor erit, ut perlegendo intelligentia repleearis, et scientia praeditus clarus ab omnibus habearis. Si autem, quod magis spero, tabido corde et nebuloso his flosculis ornate contextis lividum dentem imprimis et rosigerum sertum candidis liliis connexum venenata lingua carpis, invidia quidem te, ut proprium mancipium, caligini ignorantiae involvit, me autem benevolentia per lumen ad gloriam et honorem perducet. Explicit forma.

CHRONICI AB OTTONE FRISINGENSI
CONSCRIPTI CONTINUATIO

AUCTORE, UTI VIDETUR, OTTONE S. BLASII MONACHO.

EDIDIT

ROGERUS WILMANS PH. D.

AUGUSTISSIMO REGI BORUSSORUM A CONSILIIS, TABULARIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Chronici ab Ottone Frisingensi conscripti continuatio, quam hic proponimus, ab omnibus qui eam in lucem ediderunt viris doctis Ottoni S. Blasii coenobii in Silva Nigra monacho attribuitur. Quae tamen opinio nullius veteris codicis auctoritate innititur, qui omnes scriptoris nomen silent. Demum in codice Vindobonensi saec. XV. exeuntis, infra Nro. 5 *descripto, ultimis verbis ex Ottone*
1 *Frisingensi depromptis haec addita inveniuntur* [1]*:* Hactenus Otto Frisingensis episcopus. Abinde Otto de S. Blasio, *et absoluta integra eiusdem continuatione, denuo repetuntur in fine c.* 52*:* Hactenus Otto de S. Blasio. *Quibus consonat Naucleri scriptoris eiusdem aevi testimonium, qui narrationi cuidam ex Nostro (c.* 19*) desumptae* [2] *haec subiungit verba:* Ut scribit Otho de S. Blasio.

Quae testimonia, etsi non omnis dubitationis materiem evellant, tamen a vero non recedere videntur. Nam auctor non uno loco se ex Alemannia oriundum esse haud obscure prodit [3]. *Praeterea tempus, quo scripsit, scilicet post annum* 1209, *cuius iam ad annum* 1198 *mentionem fecerat* [4], *omnino convenit, cum Ussermannus l. c. nos doceat, Ottonem anno* 1222 *duodecimum monasterii Sanblasiani abbatem electum,* 10. *Kal. Augusti sequentis anni mortuum esse. Quam sententiam etiam hoc confirmare videtur, quod Otto Sanblasianus abbas aliud chronicon composuit, in quo* omnes sacrae historiae genealogias ad Timotheum Titumque Pauli discipulos usque figuris pulchre distinxit [5], *cuius apographum Ussermanni tempore adhuc in bibliotheca Sanblasiana exstabat. Nam et noster saepius (c.* 2. 12. 40*) in eruditione, qualis tunc temporis florebat, versatissimum se praebuit.*

Haec autem continuatio annos 1146—1209 *complectens, Ottonis Frisingensis chronico, ut supra* [6] *monuimus, eo modo addita est, ut auctor eiusdem verba inde a capite septimo libri VII. omnino in epitomen redigeret et loco capp.* 34 *et* 35 *suam narrationem subnecteret.*

Quae quidem, deficientibus saec. XII. exeunte et XIII. ineunte uberioribus fontibus, haud parvi sane pretii est [7], *et hoc etiam prae se fert, quod stilo satis*

1) Cfr. Archiv. X, 575. 2) Vid. Urstis. p. 196. Ussermanni prodrom. II, 451. 3) Cfr. c. 21: *multorumque aliorum quae nobis incerta sunt. Haec enim omnia in sola Alemannia acquisierat* (Fridericus I.), et capp. 18. 19. 37 fin., quibus conferantur quae c. 49 de Alsatia tradit. 4) c. 46. — Praeterea iam capite 10 mors Philippi regis (1208. Mai 21) memoratur. 5) Vid. Urstisius et Ussermannus ll. cc. 6) in praefatione ad Ottonis Frisingensis chronicon p. 108. 7) Conferantur quae Böhmer Fontes III. p. LXXVI et Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen p. 355 hac de re docte disputaverunt.

culto conscripta est. Attamen verba Ottoni Frisingensi, ut ita dicam, propria et peculiaria etiam in Nostri narrationem saepius fluxerunt[8], *qui etiam eundem*[9] *diserte laudat, quamquam hic locus non ad Ottonem Frisingensem, sed ad Ragewinum referendus est.*

Praeter quem in conscribendo opere ad alium librum in lucem editum non provocavit neque aliis chronicis divulgatis, quod sciam, usus esse videtur. Sed nonnumquam se ex testium ocularium narrationibus sua hausisse diserte prodit[10] *et epistolas in argumentum eorum quae ipse tradidit, in medium producit*[11]. *Res inter sacerdotium et imperium gestas laudanda integritate refert, neque vehementissimum pontificiae partis studium, quo veteres Sanblasiani agebantur, apud Ottonem umquam reperies, econtra ipsum potius ex verbis c.* 22. spretoque in ignominiam caesaris pontifice Calixto *a caesarianorum partibus stetisse coniiceres, nisi c.* 23 *eundem a Friderico constitutum antipapam* schismaticum *appellaret. At de Germanico imperio semper magna sensisse videtur*[12]. *In enumerandis annis, quibus singulae res gestae sint, saepissime erravit, ex quo interdum factum est, ut ex falsis computationibus etiam falsa argumentaretur*[13]. *Quos chronologicos errores non omnes adnotavi.*

Inter codices *nullus invenitur, qui Ottonis aetatem attingat. Antiquissimus quidem, ex quo iam Urstisii editio fluxit et qui nostrae fundamentum praebuit, est* Turicensis, *olim monasterii fratrum Praedicatorum ibidem florentis, signatus* Bibl. Carol. C. 33 *fol. maior. membran. saec. XIII. med., in quo Ottonis Frisingensis chronicon una cum Ottonis Sanblasiani continuatione manu priore inter annos* 1254 *et* 1256[14] *exaratum invenitur. Quod opus postea, anno scilicet* 1277, *a fratre Liutoldo de Regensburg correctum et pluribus documentis*[15], *quae ex itinere Italico anno* 1276 *suscepto attulerat, auctum esse constat. Hunc codicem anno* 1854 *Monasterium benevolentissime mihi transmissum ipse contuli et signavi* 1.

Qui quidem fons est, ex quo omnes codices qui ad hunc usque diem in lucem prodierunt, derivati sunt, inter quos primo loco nominandus est

1) *codex* Parisiensis *Bibl. fol. membr. saec. XIV, sign.* 4895 A.[16] *Hunc ex* 1 *fluxisse, fidem faciunt nonnullae notitiae manu Liutoldi ad marginem capp.* 20. 23 *et* 48 *in* 1 *exaratae, quas scriptor Parisiensis codicis in textum recepit. Hunc Faerber contulit, signavi* 2.

2) *Neque minus ex* 1 *originem duxit* codex Musei Britann. Egerton 1944, *membr. fol. saec. XIII. exeuntis, inter annos* 1285 *et* 1287, *ut supra*[17] *ostendimus, conscriptus, et quidem Turegi in eodem Dominicanorum monasterio, in quo et prior codex* 1 *adservabatur. Quod ex quibusdam notitiis Ottonis Frisingensis chronico additis et ex continuatione operi Ottonis Sanblasiani subiuncta evidenter elucet. Quibus accedit, quod lectionum variarum consensus nec non variae notitiae*[18] *una cum libro inscripto* Provinciale Tancredi[19] *exinde in hunc codicem receptae probant, ipsum ex priore Turicensi* 1 *fluxisse. Cum vero auctor nostri*

8) *Pyrenaeum* vocat Italiae montes capp. 43 et 52; cf. Ott. Fris. Chr. VII, 14; *Sicilia — nutrix tyrannorum* c. 27 similiter ex eodem mutuatus est. 9) c. 13: *sicut in gestis Friderici imperatoris ab Ottone Frisingensi episcopo plenarie describitur.* 10) c. 42: *sicut ab his qui eidem expeditioni interfuerunt audivimus;* cap. 47: *sicut percepimus ab his qui interfuerunt;* ibidem paullo ante: *ut veraci relatione comperimus;* c. 42: *sicut fertur — ut fertur.* 11) c. 47. 12) c. 36. fin.: *Sed his dicta sufficiant, stilo ad imperium nostrum redeunte.* 13) cfr. capp. 33 et 34; quibus rebus magnam, uti sperare licet, allaturi sunt lucem Annales Imperii regnante Heinrico VI a V. Cl. Theodoro Toeche conscripti, qui iam prelo committuntur. 14) Cfr. supra p. 108. 15) qualia sunt: *Ordo consecrandi regem Romanorum in imperatorem; Forma iuramenti praestandi a rege Romanorum; Privilegium Constantini; Provinciale Tancredi.* 16) Quatuor priora capita desiderantur. De hoc codice cfr. Arch. I, 308. 500. III, 61. VII, 51. 17) p. 108. 18) inter quas scitu dignissimi sunt versus *de septem electoribus* agentes c. 46, qui, ni fallor, pariter Liutoldo debentur. 19) cuius initium ex Pertzii apographo dedimus in fine lib. VII. Chron. Ott. Fris. supra p. 275.

codicis non eo consilio duceretur, ut Ottonis Frisingensis chronicon tale transscriberet, quale in archetypo iam manco (1) *inveniebat, sed ipsum saepissime decurtaret, eundem morem etiam in describendo Ottonis Sanblasiani chronico secutus, innumeros locos qui sibi res minus scitu dignas referre videbantur, omnino suppressit. Inter quos enumerationi principum Germaniae anno* 1167 *in Italia peste exstinctorum (cap.* 20*) haec verba substituit:* Ut in cronica domni Ottonis Frisingensis poteris reperire, *quibus aperte indicat, se archetypum, quod Ottonis Frisingensis chronicon una cum Ottonis Sanblasiani continuatione complectebatur, prioris nomine designasse atque minime in animo habuisse, ut integrum transscriberet, sed potius epitomen omnium a mundo condito ad sua usque tempora rerum gestarum, forsitan in usum scholarum, exinde depromeret*[20]. *Quam ob rem etiam continuationem annorum* 1210—1277 *addidit, quam ex Pertzii apographo hic primum sistimus. — Hunc codicem a Pertzio anno* 1864 *Londini collatum signavimus* 1*.

3) *Ex* 1* *vero continuo fluxit codex* ***Vindobonensis*** Hist. prof. 672, *nunc* 540, *membr. quart. saec. XIII.*[21], *quippe qui omnes lacunas, quales in* 1* *inveniuntur, ad singula verba usque convenientes exhibeat. Cum autem cap.* 51 *abrumpatur, in dubio relinquendum est, utrum etiam continuatio annorum* 1210—1277 *et Provinciale Tancredi ibidem olim exstiterint. Hunc in usum nostrum convertere non licuit, sed lacunas et varias lectiones eiusdem ex editione Muratorii, qui eo usus est, adnotavi et signavi* 3.

4) *Codicem qui hodie inter libros V. Cl. Regnet in urbe Landau supra Isaram exstat, membr.* 8vo *mai. circa annum* 1300 *pulcherrime conscriptum merum esse codicis* 1* *apographum, fidem faciunt quae Wilhelmus a Giesebrecht ex eo excerpsit. Nam hic codex interdum mancus decurtationes chronicorum Ottonis Frisingensis et Ottonis Sanblasiani easdem atque* 1* *exhibet, praeterea autem huius continuationem, sed tantum ad annum* 1273 *usque protractam*[22], *et Provinciale Tancredi continet.*

Praeter quos duo adhuc exstant codices, in Bibl. Vindobonensi asservati:

5) Univers. 838 *chartac. fol. anno* 1482 *conscriptus*[23], *qui, ut supra vidimus, primus inter omnes Ottonis Sanblasiani nomen prodit.*

6) Hist. prof. 231 *et* 232 *saec. XVI. chart., qui teste Wattenbachio*[24] *in capite* 11 *desinit.*

Ex editionibus *princeps fuit Urstisii ex* 1 *petita, sed saepius manca, quae anno* 1585 *in lucem prodiit, quam Muratorius SS. VI,* 865 *repetivit, variis lectionibus et lacunis cod. Vindobon.* (3) *adnotatis. Novam deinde ope codicis* 1 *Ussermannus Prodr. Germ. sacr. II,* 453 *instauravit, quam Böhmerus Fontes III,* 582 *recudendam curavit.*

Scribebam Monasterii in Westphalia mense Novembri 1865.

ROGERUS WILMANS.

1. Anno[a] dominice incarnationis 1146. summus pontifex Eugenius ecclesie transmarine paterne condolens, multos ad Ierosolymitanum iter accendit, ac venerabili Bernhardo Clarevallensi abbati onere predicationis vice sui imposito, ex omnibus mundi partibus cismarinis innumerabilem exercitum coadunavit. Venerabilis itaque pater Bernhardus indutus virtute

a) *capp.* 1—4 *desunt* 2.

20) Quae operis indoles etiam hoc confirmatur, quod duobus locis capp. 30 et 35 lectores ad *historiam peregrinorum* i. e. crucesignatorum delegat. 21) quem descripsit Chmel I, 550. Vide quae Wattenbachius notavit Arch. X, 477. 22) quae desinit verbis: *duci Saxoniae maritavit.* 23) Cfr. Wattenbach Archiv X, 575. 24) Archiv X, 467.

Spiritus ex alto, ad iniunctum sibi predicationis officium non segniter accingitur, virtuteque verbi, omni gladio ancipiti penetrabiliori, miraculorum comitante incomparabili gratia, totam Galliam et Germaniam peragravit, et ad expeditionem transmarinam innumerabiles accendit.

2. Anno dominice incarnationis 1147. Cŏnradus rex, mortuo fratre suo Friderico Swevorum duce, filio eiusdem nominis ducatum concessit, ac pariter cum ipso cruce peregrinationis accepta, Hierosolimam adiit. Preterea Welf dux, Heinricus Noricorum dux et multi alii nostrarum partium[a] principes et episcopi cum innumerabili diverse conditionis exercitu eandem viam aggressi, per Ungariam et Greciam iter arripiunt, ac Francorum regi Ludewico cum multis principibus sue gentis illuc tendenti consociantur. In itinere itaque multa pericula passi, plurimisque diverso modo consumptis, Cŏnradus rex cum suis, mari emenso, Ptolomaidam applicuit, ac inde itinere terreno Ierosolimam veniens, cum maximo tripudio a patriarcha et rege et universis civibus suscipitur. Post hecque Ludewico Francorum rege cum reliqua parte exercitus pari honore suscepto, contra Sarracenos procinctum movent. Regione itaque paganorum diversis modis igne ferroque profligata, Damascum obsidione cingunt, ipsamque urbem, paganis pro posse resistentibus, toto nisu impugnant. Itaque pagani vim christianorum non sustinentes, conditiones, militibus Templi mediantibus, pro velle principum statuunt, sicque obsidione soluta exercitus christianorum discessit, ac Ierusalem veniens cum triumpho suscipitur.

His diebus[b] Petrus Baiulardus prava de Trinitate senciens contrariaque catholice fidei dogmatizans, heresin Arrianam resuscitare molitur, contra quem venerabilis abbas Bernhardus, velud contra ecclesie hostem insurgens, viva voce scriptisque ipsum magnifice convincens, hereticum probavit, scriptisque eius synodaliter examinatis ab apostolico et dampnatis, ipsi de cetero silentium imposuit.

3. Anno incarnationis dominice 1148. Cŏnrado rege repatriante, Heinricus Noricorum dux, filius Leopaldi, sororius Heinrici imperatoris, frater Cŏnradi regis, filiam imperatoris Constantinopolitani prius sibi in itinere desponsatam in matrimonium accepit, et ex ea Leopaldum, patrem Leopaldi ducis Orientalis et Friderici fratris sui, qui trans mare obiit[25], ducem strenuissimum[c], genuit. Hic Heinricus dux bello cum Ungaris habito victor extitit, ipsosque de terminis suis, multis ex eis occisis, gladio fugavit.

4. Anno dominice incarnationis 1152. Chŭnradus rex moritur, eodem scilicet anno, Febr. 15.
quo hospitatus est in civitate Friburgensi[26], Spiram deportatus exequiis[d] regalibus sepelitur, anno regni sui 15.

Hiis temporibus Eugenius papa synodum episcoporum congregavit, cui ipse presidens 1148.
multaque prava corrigens, inter cetera librum Giselberti Pictaviensis episcopi suspectum eo presente examinavit[27], in quo super verba Boetii de Trinitate, sana quidem et catholica, male commentatus est, hoc modo: *Pater est veritas, id est verus: Filius est veritas, id est verus: Spiritus sanctus veritas, id est verus. Et hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est unus verus.* Que expositio pape ceterisque episcopis perversa visa est omninoque suspecta, quia secundum Augustinum Deus non nisi ea magnitudine magnus est, que est quod ipse, et non nisi ea veritate verus est, que est quod ipse, alioquin illa erit maior magnitudo vel veritas, qua Deus magnus vel verus est, quam ipse; quod fateri absurdissimum est. Hanc expositionem venerabilis abbas Bernhardus in libro suo super Cantica canticorum, capitulo 81. sic correxit: *Pater est verus, id est veritas; Filius est verus, id est veritas; Spiritus sanctus verus, id est veritas.* Sicque verbis tantum transpositis, sanus est intellectus. Idem liber in nonnullis locis a vera fide visus est discrepare, et ideo synodaliter reprobatus et dampnatus est, episcopo libri ipsius auctore humiliter consentiente, ipsumque ore proprio dampnante; sicque solutum est concilium.

5. Anno dominice incarnationis 1153. Fridericus dux Swevorum, mortuo Cŏnrado 1152.
patruo suo, a principibus rex creatus, nonagesimus quartus ab Augusto regnavit. Eugenius papa obiit, cui Anastasius[e] successit. Eodem anno pie memorie beatissimus Bernhardus

a) n. p. *desunt* 1*. b) His diebus — imposuit *desunt* 1*. 3. c) serenissimum 1*. d) obsequiis 3. e) IIII *secunda manu super lineam additur in* 1, *quod in textum recepit* 2.

25) die 15. April. 1198. USSERMANN. 26) Ex quo fonte Ussermannus lectionem *Frisingensi* hauserit nescio, cum omnes codices manuscripti *Friburgensi* legant. 27) Cfr. Otton. Frising. Gesta Frid. I c. 46 sq.

abbas Clarevallensis, doctor egregius, ac multorum monasteriorum pater, 13. Kalendis Septembris migravit ad Dominum.

Anastasius papa obiit, cui Adrianus[a] successit, in ordine centesimus sexagesimus.

6. Anno dominice incarnationis 1154. Heinricus dux Saxonie, filius avunculi Friderici regis, filius Heinrici ex filia imperatoris Lotharii, ducatum Noricum sui iuris hereditate paterna affectans, cum Heinrico filio Leopaldi, patruo Friderici regis, qui eundem ducatum beneficii loco a rege Cŏnrado acceperat, toto nisu contendit, Heinrico non minore ambitione sibi resistente. Quorum litem Fridericus rex sedare cupiens, utrumque enim linea consan-
1156. Sept. 17. guinitatis tangebat, consilio principum taliter definivit, ut marchia Orientalis, que prius ducatui Norico iure beneficii subiacuit, a ducatu seiuncta, per se consistens nulloque respectu iuris duci Bawarie subiacens, ducatus iure et nomine constaret, hocque Heinricus filius Leopaldi principis iure et ducis nomine et honore sublimatus, contentus esset, ducatu Norico Heinrico duci Saxonie cedente. Ad hoc utroque consentiente, lite decisa, qui prius marchio, dux Orientalis deinceps dictus est. Sicque Heinricus fratruelis Welfonis ducatu Bawarie et Saxonie potitus, hereditatem paternam consequitur.

7. Anno dominice incarnationis 1155. Fridericus rex contra ducem Polanorum procinctum movens, regionem ipsius armata manu ingressus est, transitoque preter spem quodam fluvio cum exercitu, regione devastata, ipsum ad deditionem coegit, ac censum iam per aliquot annos neglectum, reddere compellens, et expeditionem Italicam ipsi indicens, omnimodam subiectionem sacramento sibi firmari fecit. Quo promisso omnimodis frustratus est. Nam post regressum regis periurus effectus, nec expeditioni interfuit, nec cetera que sacramentis firmaverat custodiens, iram denuo regis promeruit.

Eodem anno dispositis pro voluntate sua in Gallia et Germania rebus universis, Fride-
1154. ricus rex, contracto ex omnibus regni visceribus exercitu validissimo, procinctum movit in Italiam, ubi multis pro libitu consummatis, omnibusque rebellibus subactis, Terdonam, que sola restabat, obsidione cinxit, expugnatamque cepit et destruxit. Exin ad Urbem tendens, Romanis resistentibus Urbe arcetur, quos forti aggressione in brevi expugnans, multis occisis, favente sibi apostolico[b], Urbem ingreditur, ab eoque consecratus, imperatoris
1155. Iun. 18. et augusti nomen, nonagesimus quartus ab Augusto, sortitur. Romanis interim sedicione mota, cum exercitu imperatoris confligentibus, tandem fugatis et victis et ad deditionem coactis, omnibusque ibidem bene dispositis, suadentibus Coloniensi archiepiscopo et Hermanno Constantiensi episcopo et quibusdam aliis principibus, ad ulteriora contra Willehelmum[c] filium Rogerii, qui Apuliam usurpato regio nomine tenebat, progredi disposuit. Sed ab aliis dissuasus, hoc in posterum differens, ad Cisalpina revertitur. In quo itinere insidias a Veronensibus passus, ipsis non impune talia licere necessario iratus, sic ostendit. Ponte enim eius iussu ad transponendum exercitum per Attasim[d] fluvium a Veronensibus navibus compactis structo, quidam Albericus ex ipsa civitate[e] et aliunde latronum manu in immensum conflata, preparatis quibusdam natatilibus instrumentis, in superioribus fluminis insidias tendit, ut parte exercitus fluvium transeunte, ipsi iisdem instrumentis compage navium dissoluta, reliquam partem exercitus citra remanentem, pugna invaderent. Sed sicut conatus eorum in vanum, sic eventus cessit in periculum. Machinati enim, ut dictum est, ubi statuerant imperatorem invadere, ipse iam copiis ex toto fluvio transpositis, progressus fuerat, iamque cum omni exercitu ad Alpes tendebat. Illi itaque per notum sibi compendium precurrentes, in angustiis Alpium[f], parte exercitus iam progressa, imperatorem cum reliquis offendunt, ac nisi pecunia se redimat, viam sibi intercludi belloque congredi minantur. Imperator itaque semper et ubique imperterritus, tale pactum cum latronibus imperatorem inire dedecorosum existimans et hoc protestans, cum exercitus parte que substitit, restabat, ac se ad confligendum modis omnibus preparavit. Igitur Otto palatinus de[g] Witilisbach[h] senior, pater Ludewici ducis, qui postmodum Bawarie dux effectus est, lectis[i] de exercitu strenuis[i], valle girata, hostibus insciis, signo retecto, montana ascendit, ipsosque a tergo signo dato cum clamore invadens, in precipitium compulit. Sicque omnibus morti datis, captos ex[k] eis 12 precipuos imperatori tradidit, ex quibus 11 patibulo suspensis, uno dimisso, qui reliquos illaqueaverat, imperator per vallem Tridentinam triumphans gloriose repatriavit, iamque Alpibus transmissis exercitum ad propria remisit.

a) IIII *secunda manu super linea additur in* 1, *quod in textum recepit* 2. b) Adriano quarto *add.* 1. *secunda manus in margine.* c) Willelmum 1*. d) *ita* 1. 2. e) ex civitate ipsa 1*. f) in ang. Alp. *desunt* 2. g) ad 2. h) Witelisbach 1*. i) electis . . . strennuis 1*. k) *deest* 1*.

8. Anno dominice incarnationis 1156. episcopus Lundoniensis[28], cum quodam alio episcopo collega suo, a Romana curia recedens ac per Burgundiam repatriando iter faciens, a quibusdam capitur, rebusque omnibus denudatus lucri gratia in custodiam mittitur, dissimulante imperatore, querimoniamque pro hac re parvi pendente. Qua de causa dominus apostolicus legatos suos ad imperatorem misit. Qui Bisuntium, ubi generalem curiam tunc 1157. Oct. 24. temporis imperator habebat, venientes, litteras apostolicas imperatori coram principibus representant, in quibus pro dissimulata captivatione Lundoniensis episcopi redargutus, imperium de manu apostolici se recepisse admonetur. Quo audito, imperator et omnes presentes principes maxima indignatione accensi, quod quasi iure beneficii sub hominio cesarem imperium a se suscepisse papa gloriaretur, et cum clamoris maximo strepitu in legatos invecti, vix manibus temperabant, indignum ducentes, tali contemptu Romanos gloriari. Unus autem legatorum quasi pro apostolico loquens, stolidissime his ita respondit: *Si ergo a domino*[a] *apostolico non habet, a quo habetur.* Quibus verbis commotus Otto palatinus de Witilinsbach[b], qui gladium maiestatis imperatori astans tenebat, ipso gladio evaginato impetu in cardinalem facto, vix ab imperatore[c] retentus est, quin exitio cardinalem dederit. Tandem multis iniuriis impetiti, a conspectu cesaris eliminantur, divertendique ad episcopia vel cenobia questus gratia occasione omnino interdicta, via regia[d] Romam reverti iubentur. Qui reversi apostolico iniuriam sibi irrogatam conqueruntur, seque vix mortem evasisse protestati sunt. Imperator autem missis litteris in omnes[e] regni terminos, cunctis principibus irrogatam imperio a papa et a Romanis calumniam conquestus est, et ulcisci dedecus imperii summopere[f] nititur.

9. Anno ab incarnatione Domini 1158. principes verentes, ne controversia inter regnum et sacerdotium in immensum conflata rem publicam involveret exitio, apostolicum per episcopum Babinbergensem et[g] alios Romam directos eadem de causa conveniunt, et ut imperatorem litteris mitioribus et aliis nunciis, de notabili priorum litterarum arrogantia se excusans, placaret, dant consilium. Apostolicus autem audiens, nuntios cesaris, cancellarium videlicet et Ottonem palatinum, Italiam intrasse negotiaque imperii potenter disponere — nam conventus imperatorios absque imperatore, imo si dici curias fas est, cum episcopis Italie, qui 15 numero quodam conventu congregati erant, et cum aliis Italie principibus celebrabant[29] —, timensque superventurum cesarem, salutifero eorum consilio consensit, ac supplicibus litteris cum condigna salutatione per idoneos legatos de obiectis se excusans, mediantibus principibus cesarem placavit, et a priori indignatione revocatum animequiorem reddidit, sicque imperatoris ira contra Romanos excitata ad tempus[h] quievit.

10. Circa hec tempora Fridericus imperator generalem curiam cum maxima principum 1153. frequentia apud Constanciam habuit, ibique coram[i] Hermanno episcopo in choro Constanciensi uxorem suam, filiam marchionis[30] de Vohiburch, Adalam[k] nomine, causa fornicationis sepius infamatam, repudiavit, eique postmodum filiam Reginboldi principis ac excel- 1156 lentissimi comitis Burgundie, nomine Beatricem, superduxit. Ex hac Beatrice genuit Fridericum ducem Swevie, Heinricum imperatorem, Cŏnradum ducem, Ottonem comitem Burgundie, Philippum regem, qui omnes in brevi perierunt.

11. Anno dominice incarnationis 1158. Fridericus contra Willehelmum, Rogerii filium, invasorem Apulie, Calabrie, Sicilie, expedicionem instaurans, a Mediolanensibus rebellantibus multis iniuriis affectus, in ipsos arma convertit, et per vallem Tridentinam secundo in Italiam exercitum duxit, ac ad plana perveniens, precipue Papiensium et Cremonensium ope Italico exercitu admodum[l] roboratus, Mediolanenses hostes pronunciavit, totaque Liguria igne ferroque profligata, Cremenses Mediolanensium fautores obsidione cinxit, multisque diebus diversisque modis attritos tandem per conditionem suscipiens, ut vite donati provincia cederent. Civitate tradita, ipsam funditus evertit, ac deinde contra Mediolanenses aciem direxit. Itaque signis contra Mediolanum erectis, imperatore nesciente, mille de exercitu milites instructissimi contra Mediolanenses prorumpentes, cives ante portas ad bellum ordinatos offendunt. Quos incaute aggredientes alacriter a civibus suscipiuntur, pugnaque

a) domno 1*. b) Wittilisbach 1*. c) ab ipso imp. 3. d) viam regiam 2. e) omnis 2. f) summo opere imperii 1*. g) ac 1*; ad alia 2. h) ad tempus *desunt* 1*. i) *deest* 1*. k) Adalia 2. l) *deest* 1*.

28) potius Lundensis. 29) Cf. epistolam Reinaldi cancellarii et Ottonis palatini ap. Sudendorf Reg. II, 131. et Ragew. I, 20. 30) Theobaldi.

conserta, multis hinc inde occisis, milites cesariani, pre paucitate sui vim civium non ferentes, fugam ineunt. Quo peccato[a] militum cesar irritatus[b], a vindicta vix se continuit, ac interdicta tali presumptione in posterum, militibus data venia, urbem obsidione undique vallavit. Cecidit in hac congressione ex parte cesaris Egebertus comes de Butingov[c, 31] et alii plures. Itaque cives cesaris industria undique artati fortiter resistunt, ac illatum sibi dampnum viriliter recompensantes portis sepius erumpunt, patratisque hinc inde preclaris facinoribus, hinc inde multis occisis, non sine maximo exercitus dampno portis recipiuntur. Quadam enim eruptione cum cesarianis, ubi Italicis militibus obsidebantur, congressi[d], Wernherum Italicum marchionem prestantissimum cum multis aliis occiderunt, de cuius nomine[e] dicitur[f] adhuc Wernheri markia[32]. Ex ipsis autem civibus cottidie[g] multi passim machinis et congressionibus perimebantur, ac diversa sorte pessundati multis malis atterebantur.

Cives itaque cesaris impetum non sustinentes, arta quippe obsidione omnibusque bellicorum instrumentorum machinis impugnatos, admodum attriverat, condiciones pacis, mediante Friderico duce[h] de Rotinburch[i], Heinrico duce Bawarie et Saxonie, Bertolfo[k] duce Zaringie, nec non et rege Boemie, ab imperatore querunt, multoque auri pondere imperatrici collato, nec non infinita pecunia imperatori, vix impetratam tali modo accipiunt, imperatore ad impetrata, ut iam dictum est, vix assensum dante[l]. Pace data dies statuitur, qua cives se suaque omnia in manus cesaris contraderent, sicque obtentu principum gratiam eius[m] invenirent. Qua veniente, imperator procul a civitate per quatuor ferme miliaria Latina secessit, ibique tribunali ambitiosissime instructo cum frequentia principum resedit, cuncto exercitu per turmas suas tractu longissimo a civitate usque ad locum tribunalis extento, tociusque militaris glorie apparatu decentissime instructo. Via itaque per medium exercitum usque ad imperatorem civibus patefacta, primo procedit[n] archiepiscopus, sacerdotalibus indutus, nudis pedibus, cum omni clero et ceteris ordinibus ecclesiasticis, simili habitu, lugubri facie reliquias sanctorum gestantes. Post hos consules aliarumque dignitatum barones, cum omnibus libere conditionis ordinibus, nudis pedibus, sagis induti, exertis gladiis collo impositis. Post hos servilis conditionis cum omni vulgo torque collo innexo, eadem via suo quisque ordine venientes, pedibus imperatoris provolvuntur, seque maiestatis reos verbis et gestibus profitentur. Principibus ergo pro eis supplicantibus, subiectioneque omnimoda sacramentis firmata, imperator ad misericordiam flectitur, ipsosque vite et civitati pristinisque honoribus redditos, de malis peiores — sicut in sequentibus ostendemus[o] — reddidit, sicque soluta obsidione cum exercitu discessit.

12. His diebus Petrus Lombardus et Petrus manducator apud[p] Parisius magistri insignes claruerunt, multaque ecclesie profutura conscripserunt, e quibus Lombardus librum Sententiarum quatuor distinctionibus ordinatum confecit. In prima distinctione de Trinitate, que Deus est, subtilissime tractans, in secunda de creatione rerum primordialium, in tertia de incarnatione verbi, in quarta de sacramentis ecclesiasticis. Preter hec in apostolum nec non Psalterium continuas glosas luculenter admodum exposuit, Deoque digna conversatione degens, apud Parisius vita decessit[33]. Alter vero, manducator scilicet, conversatione et studio huic non dispar[44], librum scolastice historie[q] utilissimum confecit, a principioque Geneseos incipiens, Pentateucos, librum Iosue Iudicumque et Ruth continuavit, libroque[r] Regum Paralipomenon[s] includens, cum ultimis Ysaie Tobiam complectitur, transmigrationeque cum morte Godolie et visionibus Danielis descripta, Esdram, Hester, Iudith librumque Machabeorum diligenter prosequitur. Exin Iosephum secutus, a Iohanne Hircano usque ad regnum Herodis nativitatemque Christi historiam deducit, euangelioque complexo in Actibus apostolorum opus totum concludit, obscura queque dilucidans, ambigua certa faciens, tradicionesque Hebraicas cum incidentiis historiarum notas faciens, ecclesiasticarum traditionum diversas species inducit. Preter hec librum sermonum mira subtilitate composuit, in quo preter alia utilia moralitatem mentibus legentium miro modo inculcavit.

a) Quo acto 1*. b) iratus 3. c) *ita* 1 *post corr.* Bitingov; Bittingö 1*; Bitingen 3. d) *deest* 1*. e) *in margine add.* 1. f) *deest* 2, *in margine additur* nominatur g) quottidie 1*. h) *deest* 1*. i) Rotunburc 2; Rotinburg 1*. k) Bertoldo 2; Berchtoldo 1*. l imperatore — dante *addunt* 1. 1*. 2. 3. m) eius gratiam 1*. n) precedit 3. o) ostenditur 1*. p) aput 1*. q) hyst. 1. 1* *fere semper.* r) librumque 2. s) Paralipemenon 2.

31) Butinensem in Austriae Styriaeque finibus nec non Neuburgensem ad Oenum obtinebat comitatum. USS. 32) Anconitana marchia. 33) 1164. Iul 20. USS. 34) Obiisse creditur a. 1178. USS.

13. Anno dominice incarnationis 1159[a], Adriano papa mortuo, factum est scisma in electione, quibusdam Octavianum cardinalem, Victorem vocatum, eligentibus, aliis Rŏlandum[b] cancellarium, Alexandrum dictum, intronisantibus. Divisis itaque tali scismate cardinalibus, novem numero in parte Victoris, undecim in parte Alexandri[c] consistentibus, res ad imperatorem refertur. Qui habito principum consilio, ab ipsis tale scisma maiestate imperatoria sedandum esse, data sententia generalem curiam omnibus regni principibus ad ineundum pro statu ecclesie concilium Papie in epiphania edixit[d]. Missisque litteris suis 1160 Ian. 6. omnibus cismarinis regibus, utpote regi Ungarie, Anglie, Dacie et omnibus regibus Hyspanie, ut episcopos suorum regnorum ad hoc concilium pro status ecclesie necessitate dirigerent, rogavit, datoque conductu utrique electo cum partibus suis ambos ad concilium citavit[e]. Extant diverse ad diversos utriusque partis de hac causa epistole, suum queque pars electum canonizare cupiencium, sicut in gestis Friderici imperatoris ab Ottone Frisingensi episcopo[35] plenarie describitur.

Igitur ex omnibus mundi partibus ecclesiasticarum et secularium principum personis cum infinita multitudine clericorum, laicorum, nobilium sive ignobilium ad hanc curiam Papie confluentibus, concilio ab episcopis habito, exclusis primum cum imperatore laicis, Octavianus qui et Victor, cum sua parte, iudicio istius concilii se presentavit, seque iudicium ecclesie humiliter subire profitetur. Rŏlandus autem qui et Alexander cum sua parte se canonice utpote a maiori et saniori parte electum affirmans, nec summum pontificem a laico citari, omnesque ipsius iudicio subiacere, et ipsum a nemine iudicari debere contestans, huic concilio se absentavit, nec responsales aliquos pro se destinavit. Cuius absentatione concilio presidentes permoti, electionem domini Victoris canonicam iudicantes, Alexandro reprobato, ipsum in summum pontificem, favente imperatore, omnibus presentibus, receperunt, omnique obedientie reverentia ei exhibita, pedibus eius utpote apostolici cum oblationibus osculatis, concilium solvitur, ascendentique[f] equum imperator strepam pro sacerdotali reverentia tenens, se fautorem et auctorem promotionis ipsius ostendit. Alexander autem cum maiori parte cardinalium, vim cesaris non sustinens, Urbe cessit, ac in partes Apulie, Calabrie et Sicilie, apostolica nihilominus utens auctoritate, se contulit, fautoresque Victoris cum concilio Papiensi detestans, in potestate Willehelmi regis Sicilie[g] mansit aliquamdiu.

14. Anno ab incarnatione Domini 1160. Fridericus imperator convocatis omnibus Italicis 1158. Novemb. baronibus, generalem curiam apud Roncaliam[h] cum maximo principum conventu celebravit, ibique renovatis antiquis legibus, novas de suo promulgavit, ac diversis imperii negotiis expeditis, iura desueta in consuetudinem reduxit, et quo iuris genere civitates Italice subiacerent imperio, iudicialiter exquisivit. Quod a principibus et legum dominis diligenter examinatum generali omnium sententia adiudicatur, omnia regalia civitatum, utpote monetas, telonea[i], navigia, nec non et dignitates[k] potestatum, consulum, iudicum ad ius spectare imperii, electasque a civibus ad has dignitates personas de manu imperatoris iure beneficii easdem suscipere, nec sine eius consultu susceptas deponere. In hac etiam curia iam per multa tempora oblivioni et neglectui datos ad 30 milia talentorum annuos reditus imperio acquisivit. Preterea vectigalia antiquitus constituta, nec non exactiones pro imperii necessitate exigendas in rationem cesaris, ubi, quando et a quibus et quomodo tractentur, decretum est et edicto confirmatum.

Ad que promulganda et instituenda nuntii imperiales per Italiam destinantur, inter quos precipui cancellarius, Otto palatinus de Witilinsbach[l], Wido comes Blanderanensis, Gozwinus comes fuerunt. Qui peragratis eadem de causa pluribus civitatibus, Mediolanum venerunt, convocatisque in concionem civibus decreta imperialia pandunt, et ad hec exequenda constanter insistunt. Cives, utpote talium insueti, edicta imperialia spernunt[m], expulsisque cum dedecore legatis, rebellionem toto nisu denuo moliuntur. Igitur legati vix fuga elapsi, ad imperatorem redeuntes, suam iniuriam rebellionemque Mediolanensium referunt, ipsumque ad ulciscendum summopere incitaverunt. Qui nil moratus, ignominiam imperii principibus conquestus, militem instaurat, contraque Mediolanum procinctum movens, igne ferroque cuncta demolitur[n]. Liguribus itaque pro posse resistentibus, cesar

a) *ita* 1. 1*. 3; 1160. *Urst.* b) Rûl. 2. c) Alexandrinum 2. d) dixit 1, *quod post correctum est* condixit. e) datoque — citavit *addunt* 1. 1*. 2. 3. f) ascendendique 2. g) *deest* 1*. h) Rancoliam 1*. i) thelonea 1. k) dignitatis 1*. l) Witilisbach 2. m) ed. imp. sp. *desunt* 1*. n) demolitus 1*.

35) potius a Ragewino Ottonis continuatore.

inito cum Papiensibus consilio, ipsos ad rapienda Mediolanensium in pascuis pecora[a] immisit, se cum lectissimis militibus in insidiis collocans. Papienses itaque ad raptum pecorum effusos eaque abigentes, totis viribus Mediolanenses insequuntur, cesaremque ordinatis legionibus ex insidiis erumpentem incidunt, eique necessitate cogente bello congrediuntur. Cuius impetum ferocitatemque Teutonicorum in acie non ferentes, multis occisis, quingentis de nobilioribus captis, fugam ineunt, et se in civitatem receperunt; sicque imperator victoria potitus, magnifice de Mediolanensibus triumphavit, ac castellum Trecense, ubi presidia eorum fuerant, aggressum expugnavit, captisque vel occisis castellanis, suos inibi collocavit. Ligures, cesare exinde digrediente, civitate effusi, expugnatum castellum funditus destruunt, captisque cesarianis, Latinos tormentis adactos occidunt, Teutonicis reservatis.

15. Anno dominice incarnationis 1161. Fridericus imperator vires imperii omnibus Italicis[b], in Mediolanenses[c] ostensurus, coacto in unum exercitu, ad futurum certamen se modis omnibus preparavit, missisque ad Cisalpina litteris ex omnibus imperii finibus auxilia contraxit. Rex quoque Ungarie cohorte militum cum sagittariis cesari missa exercitum ampliavit. Itaque ex diversis regnis et regionibus exercitu coadunato, primo in auxiliarios Mediolanensium arma convertit, ac Placentinos in multitudine turrium suarum confidentes obsidione cinxit, fortique aggressione expugnatam, turribus universis deiectis, civitatem ipsam solo coequavit. Exinde ad Mantuanos divertens, cunctis ad eos pertinentibus igne ferroque profligatis, ipsos ad deditionem coegit, omnesque civitates Mediolanensibus faventes simili modo aut dedi fecit, aut funditus evertit, novamque Laudam inter Mediolanum et Placentiam ad receptionem exercitus a fundamentis edificavit, et in ea sedem belli contra Mediolanenses constituit. Igitur Mediolanenses undique bello videntes se impeti, futuris cladibus idoneos[d] omnimodis se preparant, fossatis, muris, turribus ac diversis missilium machinis, armis[e] ac ciborum ad ferendam obsidionem necessariis, civitatem suam totam industria muniunt, seque ad resistendum summo nisu instruxerunt, sed inaniter. Nam animositatem cesaris pondusque imperii ferre non prevalens, contra impetum fluminis conari esse periculosum, maiestatique non cedere stultum, Mediolanum civitas egregia, caput Ligurie totiusque flos Italie, funditus eversa liquido demonstravit.

16. Anno incarnationis dominice 1162. imperatrix, comitante eam Cônrado Augustensi episcopo, nec non et Welfo dux, multique nostrarum partium nobiliores cum militia transalpinantes, imperatori coniunguntur, coactoque in unum corpus toto exercitu, et ad[f] 100 milia pugnatorum computato, Mediolanum denuo obsidione cingitur, ac diversis machinis tota industria impugnatur. Cives autem necessitate cogente — nichil quippe necessitate pugnacius —, pro patria, pro parentibus, pro liberis[g] et uxoribus, postremo pro vita, sepius audacissimis erumpentes incursibus, fortiter resistunt, missilibus insuper sagittis, iaculis de propugnaculis hostes arcentes. Cesar autem dispositis undique contra incursus eorum presidiis, ipsos diversis missilium machinis, balistis, arietibus omnique telorum genere aggreditur, militibus in conspectu cesaris pro gloria, honore, premio, ambitione, ostentatione alacriter pugnantibus, multis hinc inde passim procumbentibus. Tandem diversis attriti cladibus miseri cives dextras petunt, ac multis modis iram cesaris sedare temptantes,
1162. Mart. 1. nullo modo nisi hac sola conditione proficiunt[h], scilicet, ut traditis armis urbem[i] relinquentes egrediantur, vita tantum rebusque necessariis, licet exiguis, sibi indultis. Quo pacto accepto, cum maximo luctu egressi[k], hostibus civitatem relinquunt, ac sub oculis dilecta menia omnimodis destrui conspiciunt[l]. Ingressus enim imperator cum toto exercitu immensa ac ditissima spolia in ecclesiasticis thesauris aliisque rebus pretiosis diripuit, reliquiisque sanctorum, quibus hec civitas egregie nobilitata fuit, per ecclesias collectis ac cum magna reverentia asportatis, tres Magos, qui[m] cum muneribus stella duce Christum in cunabulis[n] adoraverunt, inibi inventos, Reginoldo[o] Coloniensi episcopo, qui in hac obsidione cum sua militia precipue claruit, dono dedit, quos venerabilis pontifex ad Cisalpina transferens, Coloniensi ecclesie intulit, hisque[p] patronis totam Germaniam illustrans, universam Teutonicorum gentem magnifice nobilitavit. Incorrupti enim et quasi adhuc vivi in singulis de pretioso metallo sarcofagis in eadem ecclesia hactenus reservantur. Igitur cesare, ut
Mart. 26. prescriptum est, Mediolanum ingresso, muro diruto, turribus deiectis, totam civitatem a

a) pec. Med. in pasc. 1*. b) Yt. 1. c) Mediolanensibus 3. d) yd. 1*. e) *deest* 3. f) *deest* 1*. g) prolibus 3. h) perficiunt 3. i) *deest* 1*. k) egr. luctu 1*. l) despiciunt 1*. m) *recentiori manu superscriptum* 1. n) in incunabulis 3. o) Reginaldo 1*. 2. 3. p) hiisque 1*.

fundamentis ac omnimodis inhabitabilem reddens, igne postremo reliquias omnino consumsit, divisisque in quatuor partes civibus, regione inculta ipsis ad inhabitandum concessa, quatuor eos oppida edificare iussit, ipsosque, uti dictum est, per partes divisos ea incolere fecit.

Igitur confecto bello Ligurico, imperator principibus grates pro industria referens, militibusque dona pro meritis liberaliter largiens, nobili triumpho repatriavit, ac multis diebus desolatam sua presentia Germaniam cum inestimabili totius exercitus tripudio demum revisit, ac aliquandiu cis Alpes manens, colloquia diversa in diversis regni locis pro negociis imperii cum principibus habens, cuncta pro libito bene disposuit ac iudicia exercuit.

17. Anno dominice incarnationis 1163. Fridericus imperator tertia vice, sed sine instructu[a] bellico, Italiam ingreditur, inibique sicut et in Germania diversis placitis cum Italicis baronibus per loca habitis, negotia imperii iudicialiter exercuit, ac per aliquod tempus cum eis quietus permansit.

18. Anno dominice incarnationis 1164, Victore uno pontificum Rome defuncto, Pascalis ab hiis, a quibus et Victor prius electus est, substituitur, Alexandro adhuc sedente. Eodem anno Hugo palatinus de Tuingin[b] tres latrones, quorum duo sui homines erant, tertius ducis Welfonis, apud Moringin[35] capiens, suos abire permisit, suspenso illo qui Welfonis erat. Pro quo Welf iunior permotus, maxima indignatione in palatinum exarsit, et igne ferroque acceptam iniuriam ulciscitur. Palatinus itaque a duce artatus, ad Fridericum ducem de Rotinburch[c], filium Cŏnradi regis, se contulit, auxiliumque eius contra Welfonem nanciscitur. Igitur Welf Bertoldo duce de Zeringin[d] in adiutorium ascito, ac ab utroque summo studio exercitu congregato, contra palatinum et ducem Fridericum procinctum movent, ipsosque apud Tuingin invadunt, a quibus non segniter excipiuntur cum expeditis militibus[e], consertaque pugna[36] duces a palatino fugantur, captis de eorum exercitu nongentis militibus. Quo infortunio filius[f] Welf senior inflammatus, militem instaurat, venienteque Bertoldo duce cum militia sibi in adiutorium, cunctis rebus palatini igne ferroque profligatis[37], castrum Chelmunz[g, 38] obsedit, ac post aliquot dies expugnatum funditus destruxit. Exinde ad castrum Hildratshusin[h] divertens, simili modo expugnatum destruxit, ac inde per Gilstin transiens turres ecclesie pro castello munitas a fundamentis evertit. Deinde castrum Wilare[39] obsidione circundedit, ubi aliquantisper moratus, castrum forti aggressione captum destruxit, omnibusque palatini prorsus igne consumptis, dimisso duce Bertoldo[i], cum victoria in Sweviam rediit. Interim dux Fridericus de Rotinburch, educto Boemico exercitu[40], Welfonem insequitur, ac apud Gaiziburron[k] morantem, prima noctis vigilia de repente facto incursu, Welfonem expergefactum cum suis in castrum Ravensburc fugavit. Sed non impune cessit eis hec temeritas. Nam quidam de nobilissimis Boemicis baronibus a Heinrico de Landisberch[l] in ipso impetu occiditur, inibique cum maximo planctu a suis sepelitur; succensisque quibusdam Welfonis territoriis, ad propria revertuntur.

19. Anno incarnationis dominice 1165.[42], auditis per principes in Cisalpinis partibus regni devastationibus, Fridericus imperator ex Italia regreditur, eiusque iussu dimissis a palatino captivis militibus Welfonis, generalis curia in quadragesima apud Ulmam[43] principibus indicitur. Quo Welf dux cum[m] fratruele suo Heinrico duce Saxonie et Bawarie et Bertolfo duce de Zaringin ac multis aliis terre maioribus perveniens, ab imperatore honorifice cum filio suscipitur, ac palatino, ut sine omni conditione in manus ipsorum se tradat pro iniuria ipsis illata, aut regno cedat, ab imperatore iubetur. Qui tribus vicibus coram duce Welf in terram corruens, ipso suscipere dedignante, tandem receptus capitur, captusque in exilium Retiam Curiensem ad castrum Nuinburch[n, 44] transportatur. Sicque Welfone placato, imperator inde digreditur.

a) structo 2. b) Tuiwingen 2. c) Rotenburch 1*. d) Zeringen 1. 1*. e) mil. exp. 1*. f) *ita* 1. 1*. 2. g) Chelmünz 2. h) Hildratshusen 1*. i) *ita* 1*. 2; Bertolfo 1. k) *ita* 1. 1*. 2. l) Landesperg 1*; Landesperc 2. m) in 1. 2. n) Nuwinburc 2; Nuinburc 1*.

35) „Mähringen auf den Fildern“ teste L. Schmid Gesch. der Pfalzgrafen von Tübingen 1853. p. 77, qui disertius de hoc bello disputavit. 36) die 5. Septembr. 1164; Schmid l. c. p. 82. 37) exeunte anno 1165. 38) „Kelmünz an der Iller“ Schmid p. 86. 39) Hildrizhausen, Gültstein, Pfalzgrafenweiler; ib. p. 87. 40) ineunte anno 1166. 41) Geisbeuren prope Ravensburg; l. c. p. 88. 42) potius 1166; cf. Stälin II, 99. 43) diebus 7. et 8. Martii 1166; cfr. Schmid p. 88 et Böhmer 2514. 44) inter Brigantiam et Feldkirch; v. Schmid p. 89 n. 3.

20. Anno incarnationis dominice 1166. Fridericus imperator, sedata, ut dictum est, principum controversia, ac bene dispositis in Germania rebus, ex omnibus regni visceribus congregato exercitu Alpes iam quarta vice transcendens[45], procinctum movit in Italiam, indeque Appenninum transiens, ac per Tusciam exercitum ducens, in markiam Anconitanam divertit, et Anconam urbem rebellem obsidione cinxit. Interea Reginoldus Coloniensis archiepiscopus, antea pro negociis imperii ab eo digressus, dum cum sua militia rediret ad cesarem, in castrum Tusculanense iuxta Romam aliqua tractaturus divertit. Quod ab exploratoribus Rome compertum, Romani tota urbe effusi et ad 30 milia pugnatorum computati, archiepiscopum in castro in ignominiam cesaris obsidione de repente concludunt. Quod imperatori Ancone[a] nuntiatum, convocatis principibus, utrum archiepiscopo dimissa Anconitana obsidione subveniendum esset nec ne, consuluit, quod a[b] quibusdam principibus et maxime laicis, sinistram famam de obsidione solvenda metuentibus, dissuadetur. Hac dissuasione principum egregius archiepiscopus Maguntie[c] Christianus accensus indigneque ferens, quod laici principes se suosque compares ita parvi pensos periculo relinquerent, convocatis suis omnibus et aliis, quos prece vel pretio potuit adipisci, quingentos milites et sariandos[d,46] octingentos, ad bellum instructissimos, coadunavit, sicque contra Romanos versus Tusculanum ad liberandum archiepiscopum iter flectit. Quo perveniens, locatis ex opposito illorum castris, Romanos ea die tantum ad quietem exercitus sui pro pace per internuncios interpellat, virtutem liberalitatis antiquorum Romanorum eis ad memoriam reducens, per hec postulata ab eis adipisci existimans. Ipsi autem in his et in aliis omnibus antiquis omnino dissimiles, se nolle acquiescere postulatis respondent[e], sed ipsum omnemque eius exercitum volucribus[f] celi et bestiis terre in escam super faciem terre[g] ea die se daturos, arrogantissime minantur, et sic dimissa obsidione, 30 milia pugnatorum contra quingentos milites Teutonicos in aciem deducunt. Archiepiscopus autem tali responso ab eis recepto, nequaquam territus, nec enim inexpers fuit ante laborum, suos quamvis respectu illorum paucissimos, sed tamen admodum exercitatos, ad bellum promissis, minis, tota industria hortatur, et ne spem in fuga ponant, utpote a patria et exercitu imperatoris[h] quantum ad fugiendum[i] remotissimi, sed genuine fortitudinis sue et innate hostium ignavie memores, pro vita totis viribus decertent, exhortando magnanimiter concionatur.

Videns autem milites Teutonica animositate alacres — nam hortatu eius insuperabilis quodammodo alacritas menti eorum incidit —, acies ordinat[47], et qui primi committant, qui consertos[k] hostes a latere irrumpant, qui subsidia pondere prelii laborantibus ferant, semet ipsum ad ferenda cum lectissimis subsidia collocans, ordinanter disponit. Et sic signis erectis extensisque in longum cohortibus, Deo spem suam committens, contra Romanos ad bellum procedit. Archiepiscopus autem Coloniensis cum castellanis et suis omnibus, qui ad 300 milites bene armis instructos erant computati, ad subveniendum se modis omnibus preparavit, et in castro usque ad congressionem silenter delituit. Igitur bello commisso fractisque primitus militari concursu lanceis, res gladiis agitur, sagittariis partis utriusque sagittis lucem diei in modum nivium obtenebrantibus[l]. Et ecce Coloniensis cum expeditis militibus castello erumpens Romanos a tergo invadit, eisque fortiter cedendo instat, sicque bello ante et retro circundati undique impugnantur. Romanis itaque tantum multitudinis impressione pugnantibus, Christianus episcopus cum suis aciem illorum a latere irrupit, eosque mediotenus dividens, tribus in locis artificialiter disiunctos cecidit. Itaque multis occisis, pluribus captis, Romani superati fugam ineunt, ac Urbem versus a victoribus insecuti cruentissima cede mactantur. Presules itaque, militibus a cede revocatis, ad locum belli[m] redeunt, ac cum maxima letitia triumphantes noctem illam duxerunt.

Mane facto, Romani ad tollenda cadavera occisorum ad locum belli properantes, per presules, immissis in eos militibus, fugantur, reversique ad Urbem vix evadunt. Tandem missis ad presules nunciis, ut amore sancti Petri et respectu christianitatis eis mortuos

a) Anconie 1. b) *deest* 1. 2. c) nomine *add.* 2. d) *ita* 1. 2; sarmandos 1*; Caesarianos *Urst.* e) responderunt 3. f) avibus 1*. g) in e. s. f. t. *desunt* 1*. h) Cesaris 1*. i) *ita* 1. 2. 3. k) confertos 2. l) obtenebrescentibus 3. m) belli locum 1*.

45) exeunte mense Octobri 1166. 46) vel *sarientes* i. e. servientes, unde Francogallis *sergeants d'armes;* mercenarii milites (cfr. Ragew. I, 32), qui ab aliis historicis hanc rem narrantibus *brabanzons* dicuntur. Vide Ficker Reinald von Dassel p. 110. Cf. infra c. 43. 47) die 29. Mai. 1167; v. Ficker l. c. p. 111.

suos tollere liceat, suppliciter obsecrant. Quod a presulibus hac conditione est concessum, scilicet ut occisorum vel captivorum eo prelio[a] numerum ex sua parte computantes, sub attestatione iurisiurandi ipsis scripto[b] presentarent, et sic demum pace data, mortuos suos ad sepulturam tollerent. Qua computatione facta, invenerunt occisorum seu captivorum de suis hoc prelio numerum ad 15 milia, dataque licentia, cadavera occisorum demum cum maximo eiulatu tollentes, sepelierunt.

His auditis apud Anconam cesar et omnis exercitus, Ancona deditia facta, soluta obsidione contra Urbem cum copiis tendunt, ipsamque forti aggressione impugnantes. Cives itaque superiori bello exhausti et viribus enervati, inprimis utcumque menia defendentes, cesari totis viribus Urbem irrumpenti[c], maxima suorum clade accepta, cedunt, et ad ecclesias et ad queque[d] munita confugiunt et precipue ad Sanctam Mariam ante Sanctum Petrum et ad ecclesiam beati Petri, quam castelli vice munierant, congregati, denuo pro posse resistunt. Milites autem cesaris ecclesias armata manu aggressi, valvas ecclesie beati Petri in securi et ascia deiecerunt, ipsamque ductore Friderico de Rotinburch[e] infesta signa usque ad altare ferente, occisione multorum polluerunt, sed et ecclesiam beate Marie igne succendentes, profligatis occisione sive captivatione inibi repertis, multa rapientes spolia profanaverunt, ut[f] bene illud psalmiste ad litteram impletum esse videatur: *Quasi* Psal.73,6.7.
in sylva lignorum securibus[g] *exciderunt ianuas eius in id ipsum, in securi et ascia deiecerunt eam. Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.* Facta est hec irruptio Urbis per Fridericum cesarem in Iulio mense, anno ab incarnatione Domini 1166.[48]

Cesar itaque hac[h] utinam non consecuta victoria potitus, coronata imperatrice[49], ab Urbe recedit, statimque pestilentia tactum exercitum pene omnino extinxit. Nam[i] a maioribus incipiens, iuxta illud Ezechielis: *A sanctuario meo incipite,* primo in morte principum Ezech.9,6.
grassatur, consumptoque in principibus capite, deinde in reliquum corpus deseviit dira pestis. Nam Reginoldus archiepiscopus Coloniensis[50], Eberhardus Ratisponensis et Godefridus Spirensis episcopi obierunt. Preterea in partibus Tuscie dux Fridericus de Rotinburch[k. 51], filius Cônradi regis, Berengerus princeps de Sulzbach, et antea[l. 52] apud Sienem Welf iunior, Welfonis ducis filius, cum aliis principibus, comitibus, liberis principumque ministerialibus[m], cum multitudine vulgi de exercitu hac pestilentia tacti occubuerunt. Ossa itaque Welfonis in Alemanniam translata a patre Welfone cunctisque ipsius terre maioribus apud Staingadin[n. 53] cum maximo planctu reconduntur, nec non et Friderici ducis de Rotinburch simili modo apud Hebera[54] tumulantur.

Videntes itaque Mediolanenses vires augusti in exterminio exercitus concidisse, mutatione rerum animati presente augusto in sua vicinia[o], ex omnibus quibus dispersi erant locis congregati, ad ruinas urbis sue conversi sunt, ipsamque totis nisibus ac sumptibus reedificaverunt. Imperator vero morte suorum quamvis sauciatus admodum, tamen ignominiam talem a Mediolanensibus sibi exhibitam ex necessitate temporis non dissimulavit, sed per episcopatum ipsorum transiens, cuncta igne ferroque profligavit. Ipsi vero iniurias suas ulcisci cupientes, imperatorem ad montana tendentem armati insecuntur. Apprehendens itaque imperator obsides, quos ab eis acceperat, dum Mediolanum eorum civitatem subverteret, eos in locis diversis suspendi precepit. Quos cum cesarem insequentes invenissent suspensos, nimio terrore perculsi, unusquisque cadaver cari sui cum lamento reducens, cesarem insequi omiserunt.

Veniens[p] igitur imperator in civitatem Susam, que sita est in ingressu Alpium, fraude civium occidi temptabatur. Ipse autem ab hospite suo premonitus, dolos eorum sic evasit.

a) eo pr. *desunt* 1*. b) prescripto 1*. c) irrupente 1*. d) quecunque 1*. e) Rotinburc 1*. f) ut — MCLXVI *desunt* 1* *et* 3. g) *deest* 1. h) *deest* 1*. i) Nam a maioribus — tumulantes *desunt* 1* *et* 3, *qui horum loco haec verba exhibent:* Ut in cronica domni Ottonis Frisingensis poteris reperire, *ex quibus* 3 Frisingensis *omisit.* k) Rotinburc 1. l) aña 1. 2. m) misterialibus 2. n) monasterium Premonstratensis ordinis Augustensis dioecesis *addit manus posterior saec. XIII. in margine* 1, *quae* 2 *in textum recepit.* o) vicina 1. 2. p) Veniens — evertit *desunt* 1* *et* 3.

48) rectius 1167; v. Böhmer 2526. Ficker l. c. p. 113. 49) die 1. Aug. 1167. 50) die 14. Aug. 1167; Ficker l. c. p. 114. 51) Obiit die 19. Aug. 1167; cf. Stälin Wirt. G. II, 101. 52) Error Nostri, si haec vox re vera *antea* legenda est. Nam Welf iunior, teste Necrologio Weingartensi (v. Stälin II, 263 n. 2), demum 2. Idus Septembris (1167.), ergo *post* Fridericum de Rotinburch mortuus est. 53) in Bawaria superiore inter Weilheim et Füssen. 54) Eberacum Cisterciensis abbatia in Franconia a Friderico duce eiusque patre Conrado III. caesare insigniter dotata. USSERM.

Ipsa enim nocte, cum mane ad mortem querendus esset a civibus, militem quendam sibi similem, nomine Hartmannum de Sibineich[55], in lectu suo collocari fecit, et ipse in habitu servi cum duobus aliis[a] egressus est. Mane autem facto, cives venientes imperatorem querebant, et responso accepto a cubiculariis, eum dormire, moram non patientes, fores effringunt, ipsoque non invento, cognoverunt eum effugisse. Dissimulata itaque ira propter metum imperatoris elapsi, exercitum abire[b] permiserunt, sicque evadens imperator, transcensis Alpibus exercitum[b] morte, morbo omnique miseria confectum in patriam reduxit. Et cum post hec in Italiam rediisset, predictam civitatem Susam funditus evertit.

21. Anno dominice incarnationis 1167.[c] Paschali papa defuncto[56], Calixtus ab his, a quibus prius Paschalis[d] et Victor, substituitur, Alexandro in potestate sui iuris adhuc consistente. Eodem[e] tempore Fridericus imperator reversus ad Cisalpina, totam terram et universam substantiam Friderici de Rotinburc[f] ditissimi fidelis[g], in possessione prediorum principis fratruelis sui, hereditaria successione possedit, ac multorum baronum possessiones postmodum in suam potestatem contraxit. Welf vero dux orbatus herede in amisso filio, tactusque dolore cordis intrinsecus, Heinricum ducem Saxonie et Bawarie fratruelem suum in heredem adscivit, ab eoque pro hoc quantitatem pecunie exigens, dum consequi putat, frustratur promissis. Dux enim Heinricus quorundam pravorum consilio, Welfonem iam grandevum cito moriturum presagiens, argentum pro constituto dare distulit. Pro quo Welf iratus, imperatori Friderico sororio[h] suo, recepta ab eo prius[i] pro libito suo pecunia, primo beneficiis scilicet ducatu Spoleti, markia Tuscie, principatu Sardinie ipsi resignatis, omnia predia sua ipsi contradidit, eaque usque ad terminum vite pluribus aliis additis recepit[57]. Simili modo Rŏdolfus[k] comes de Phullendorf, sororius[l] comitis Rŏdolfi de Bregancia, omnia predia sua heredis loco imperatori tradidit. Pro his imperator Alberto comiti de Habisburc[m], qui filiam comitis Rŏdolfi in matrimonio habebat, concessit Turicensem[n] comitatum et advocatiam Sechingensis[58] ecclesie, cum prediis conquisitis de Biedirtan. Preter hec multorum nobilium, qui heredibus carebant, predia donatione vel pretio acquisivit, utpote illius de Swabeggi[o], de Warthusin, de Bibra, de Horningin, de Swainhusin, de Biedirtan, de Lenziburch et de Werde, multorumque aliorum in aliis regionibus, que nobis incerta sunt. Hec enim[p] omnia in sola Alemannia acquisierat.

Post[q] hec Burgundiam ingressus, terram soceri sui Reginaldi comitis, qui iam obierat, in ditionem suam redegit, ac regnum Burgundie cum archisolio Arelatensi, quod duces de Zaringin quamvis sine fructu tantum honore nominis iure beneficii ab imperio iam diu tenuerant, a Bertolfo duce extorsit, prestitis sibi trium episcopatuum advocatia cum investitura regalium, scilicet Lausannensis, Genovensis, Sedunensis. Supradictorum etiam et aliorum, quorum predia in ius cesaris cesserant, omnia beneficia que ab ecclesiasticis principibus, episcopis vel[r] abbatibus sub hominio habuerant, filiis suis prestari faciens, pacative possedit[s], liberosque suos omnes litteris apprime erudiri faciens, eos facultatibus reddituum, excellentiis dignitatum per sortitas provincias delegaliter sublimavit. Nam Friderico, qui secundus natu erat filiorum, ducatu Swevie cum hereditate Welfonis[59] et prediis Rŏdolfi comitis de Phullendorf concesso, Cŏnrado vero dignitatibus, beneficiis et prediis Friderici ducis de Rotinburc ditato, Ottone archisolio Arelatensi cum Burgundia, Reinaldi[t] avi sui terra, sublimato, Heinricum, qui prior natu erat, regem post se designavit[60], Philippo[u] adhuc infantulo[v]. Preter hec omnia res ecclesiarum ab episcopis vel abbatibus sibi concessas vendicans sub iure hominii, multa amore filiorum contraxit, quibus singulos cum delegata sibi dignitate admodum ditavit.

a) aliis *addunt* 1. 2. b) abire — exercitum *prius omissa manus posterior saec. XIII. supplevit in margine* 1. c) 1168. *Ussermannus ex mera coniectura.* d) Pascalis 1. e) eo 1*. f) Rotinburg 1*. g) ducis ditissimi 1*. h) id est e filio sororis *superscripsit* 1. *manus saec. XIII.* i) *deest* 1*. k) Rŏd. 1* *semper.* l) filius sororis 1*. m) Habesburc 1*. n) Thuricensem 1*. o) *ita* 1. 2. 3; Swabegga 1*. p) *deest* 1*. q) *recepi ex* 3; praeter 1. 1*. 2. r) *addunt* 1. 2. s) fac. potestati sue pos. 1*. t) Rainhaldi 1*. u) Phylippo 1. v) existente *addunt* 1*. 3, *omissis* Praeter — ditavit.

55) *Hartmannus camerarius noster de Siwenheich* occurrit in charta Friderici I. imp. d. d. 27. Ian. 1153. Würdtwein N. S. VII, 161; quod huic narrationi a Nostro solo relatae fidem aliquam facit. 56) a. 1168. die 20. Septembr. 57) cfr. Stälin II, 109. 58) inter Basileam et Waldshut. 59) Welf senior grandaevus demum anno 1191. die 15. Decembris Memmingae obiit; v. Stälin II, 263. 60) mense Iunio 1169. in conventu Bambergensi, qui die 15. Augusti sequente Aquisgrani ab archiepiscopo Coloniensi Philippo coronatus est.

22. Anno dominice incarnationis 1170. Mediolanenses animum imperatoris sepius experti, ipsumque pro presumptione reedificate civitatis sue nimium metuentes, omnibus[a] Italie civitatibus confederati preter Cumanos, Papienses, Cremonenses, cum aliquibus civitatibus sibi faventibus, qui cum imperatore sentiebant, ad futura imperatorie ultionis cladem se modis omnibus preparabant, spretoque[b] in ignominiam cesaris pontifice Calixto, Alexandro pape iam diu exuli obedientia firmata, ipsoque in apostolicum suscepto[c], subiiciuntur, ac territorium Palense fossatis firmissimis et profundissimis cingentes, adductis electis ex omnibus sibi faventium civitatum burgensibus in hanc colonis, civitatem firmissimam, utpote paludibus undique circundatam, non procul a Vercellis, Alexandriam, Alexandri pape nomine nuncupatam, construxerunt, ipsamque cibariis omnibusque ad futuram obsidionem necessariis habundantissime confertam, ad sustinendam imperii vim ac de contra vires totius Italie demonstrandam, studiosissime munierunt. Imperator itaque his compertis, eis non impune talia licere dignum necessariumque existimans, undique contracto validissimo exercitu, quinta iam vice Italiam ingreditur, confluentibusque ad eum civitatibus auxiliariis, procinctum Alexandriam versus movit, ipsamque civitatem obsidione cinxit. 1174.

23. Anno dominice incarnationis 1171. obsessa est civitas[d]. Hec obsidio nulli priorum comparanda tum loci munitione, tum civium resistentium atrocitate, tum[e] militum cesarianorum oppressione et occisione, tum[e] temporis diuturnitate. Nichil enim calamitati et periculis idoneum hic defuit, nichil patrandis in alterutrum immanissimis facinoribus impediens fuit. Nam cesare forinsecus balistis, arietibus, missilibus omnique telorum genere ac diversis machinarum instrumentis, turribus insuper ligno compactis civitate supereminentibus admotis, impositis militibus et sagittariis fortiter urbem impugnante, obsessi[f] non minori virtute et industria similium machinarum instrumentis illatum sibi dampnum recompensantes, magnanimiter vindicabant, ac[g] sepissime ordinatis agminibus portis erumpentes, cesarianis gladio tenus congrediebantur, sepe repentinis incursibus maxima patratis audacia, hostes adoriebantur.

Interea Mediolanenses et Veronenses conflato ex civitatibus sibi faventibus exercitu, cum cesare in obsidione civitatis posito, congredi statuerunt, ut et his qui obsidione premebantur opportune concurrerent, et rursus ab eis adiuti facilius imperatorem superarent. Quo comperto cesar obsidionem solvit[62], et a civitate recessit, quoniam eam superare 62 nequivit. Cives[h] enim turres ligneas, quas cesar ad expugnationem ipsorum fecerat, cum armatis desuper consistentibus, per suffossionem his deiectis, igni concremarunt, magnumque ex hoc detrimentum exercitui intulerunt. Cesar itaque omnem reliquum apparatum, quem ad expugnationem civitatis fecerat, scilicet talpas, vulpeculas, ericios, cattos — talibus enim censentur nominibus — exuri precepit[h], venientique[i] exercitui obviam processit, ut ante videlicet cum eis congrederetur, quam cum Alexandrinis coniungerentur[k]. Cum itaque iam ad invicem propinquassent, Italici Teutonicorum metuentes audaciam, missis ad principes nunciis cesarem de pace rogabant, se suaque omnia dedentes[l]. Cesar igitur paci studens, eos in gratiam recipere statuit. Ipsi igitur[m] se suaque omnia in manus cesaris offerentes, deditícios rursus ostendunt. Principibus igitur pro eis supplicantibus subiectioneque omnimoda sacramentis firmata, in gratiam imperatoris recipiuntur. Cesar igitur cum exercitu Papiam se recepit, Italicis ad sua loca remeantibus. Rege vero Boemie cum suis repatriante, imperator[n] cum consiliariis suis cepit tractare, quomodo civitates, quas in gratiam receperat, disponeret, ut imperialia decreta conservarent, definitoque consilio, nuncios suos ad hec promovenda direxit.

Mediolanenses itaque videntes exercitum cesaris defluxisse, rursus rebellare presumunt. Imperator igitur angustatus legatos in Germaniam pro supplemento exercitus direxit, simulque ad Heinricum avunculi sui filium, ducem Saxonie et Bawarie, ut Clavenne ad colloquium sibi occurreret, venientique obviam procedens[63], ut periclitanti imperio

a) quibus 2. b) sumptoque 1*. c) firmato seu suscepto 1*. d) hec civitas 1*. e) cum 1*. f) *ita correxit* 1 *manus s. XIV. vocem prius scriptam:* opidañ. g) ac — adoriebantur *desunt* 1*. 3. h) Cives — praecepit *desunt* 1* *et* 3. i) Venienti itaque 1*. k) *ita* 1. 3. l) dantes 1*. m) Igitur ipsi 1*. n) imperator — direxit *desunt* 1*. 3.

61) 1174. exeunte mense Octobri. 62) 1175. April. 11. 63) Colloquium inter Fridericum I. imper. et Heinricum ducem in Bawaria superiore habitum esse videtur inter dies 1. et 7. Martii 1176; vide H. Prutz Heinrich der Löwe. 1865. p. 301 et Excurs. II. p. 443; ibidem p. 450 de fide huius narrationis fusius agit. [Econtra v. disputationem Alberti Cohn in Göttingische gelehrte Anzeigen 1866. Stück 16 p. 618—624, ubi copiose, et recte quidem de conventu Clavennensi agitur. ARNDT.]

subveniret, plus quam imperialem deceret maiestatem, humiliter efflagitavit. Dux igitur Heinricus, utpote solus ad subveniendum imperio hoc tempore potentia et opulentia idoneus, Goslariam ditissimam Saxonie civitatem iure beneficii pro donativo ad hoc expetiit. Cesar autem tale beneficium sibi invito extorqueri ignominiosum existimans, minime consensit. Pro quo Heinricus iratus ipsum in periculo constitutum recedens reliquit.

Imperator vero Papiam regrediens, ipsos et Cremonenses cum Cumanis toto studio ad bellum ingruens confortavit. At illi congregata militia hostes alacriter prestolantur. Igitur Wormatiensis episcopus cum aliis baronibus de inferioribus Rheni partibus in[a] Italiam transiens, cum instructa militia cesari coniungitur, ordinataque acie hostibus ex adverso cum infinito exercitu consistentibus — nam ad 100 milia pugnatorum computabantur — bellum
64 committitur[64], fretis Italicis multitudine, cesare autem peritia cum fortitudine. Itaque cesarianis alacriter preliantibus ac iam de victoria sperantibus, acies Brixiensium in insidiis ad subsidium collocata repente erupit, exercitumque cesaris a latere irrumpens disiunxit, ipsumque multis captis vel occisis fugere coegit. Ligures[b] itaque nobili victoria potiti fugientes, cesare vix evadente, persecuntur, spoliisque egregie ditati Mediolanum cum triumpho revertuntur. Capti sunt hoc bello preter alios de Cumanis fere quingenti, multique de Teutonicis. Quo[c] infortunio cesar accepto, in civitatibus sibi subditis se recepit. Mortuo interim Calixto papa scismatico, episcopi Germanie de concordia imperii et sacerdotii imperatorem allo-
1177. Aug. cuntur, voluntateque ipsius diem apud Venecias condixerunt, datoque conductu pape Alexandro veniendi ad colloquium mediante Christiano Magunciensi episcopo, et Cōnrado Saltzburgensi, maxime autem Wicmanno Hildesheimensi[d] [65] cum ceteris episcopis, sacerdotium et imperium concordatur, quibusdam[e] episcopis scismaticis sedes suas propter iustitie censuram cedentibus. In hac etiam[f] compositione Mediolanensibus treuge 14 annorum donantur, ipsis omnes captivos reddentibus.

Hiis diebus beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus, a rege Anglorum Heinrico[g]
1170. Dec. 29. multis iam diebus sede sua pro iustitia pulsus, ab eodem occisus, in confessoris et martyris morte faciem matris ecclesie decoravit[h].

24. Anno dominice incarnationis 1177.[66] Alexander papa sedato scismate, sedem apostolicam obtinens, concilium, quod Lateranense dicitur, congregavit, in quo scismaticos officio privatos deposuit.

Imperator vero in Germaniam redire disponens, Italicorum fidei se credere non audebat, sed missis nunciis ad Bertoldum[i] ducem de Zaringen[i] petiit ut in Italiam cum exercitu sibi occurreret, ut eo securius transalpinaret. Quo veniente, per montis Iovis angustias regressus, in Alemanniam venit. Itaque memor contemptus a duce Heinrico[k] apud Clavennam sibi exhibiti[l], in ipsum vehementissime exarsit, et quod Italicis hostibus rei publice contra imperium faveret, universis principibus conqueritur. Dataque ei curia apud Ulmam ipsum ad iudicium subeundum imperiali more citavit. Quo non veniente, curiam sibi secundam Ratispone prefixit; quam parvi pendens, tertiam nichilo minus apud Herbipolim sibi datam supersedit, ibique sententia principum ducatu Norico cum Saxonico et omni prediorum et beneficiorum possesione, feodali pena multatus, privatur. Ipse autem more paterno maiestati cedere[m] regalemque gratiam querere dedignatus, dum[n] se existimat stare, cecidit, perditumque statum dignitatis usque ad terminum vite nunquam recuperavit. Nam imperator prediis et beneficiis sibi cedentibus, Ottoni palatino de Witilinsbach[o] ducatum Noricum concessit, ac Bernhardum comitem[p] de Anehalde ducatu Saxonico sublimavit[67], procinctumque[q] movit contra Heinricum ducem, omnesque civitates et castella cunctaque iuris ipsius in Swevia et Bawaria et in Saxonia ditioni sue subiugavit. Deinde contra civitatem munitissimam Bruniswich aciem dirigens, eam obsedit, civibusque acriter resistentibus, cum minime proficeret, ceteris omnibus cis Albiam[r] fluvium ei subiectis, soluta obsidione discedit. Acta sunt hec anno dominice incarnationis 1178.[s]

a) *deest* 1*. b) Ligures — revertuntur *desunt* 1* *et* 3. c) Quo — recepit *desunt* 1* *et* 3. d) maxime autem Wicmanno Hildesheimensi *in margine man. s. XIII. adscripsit* 1. e) quibusdam — cedentibus *desunt* 1*. 3. f) *deest* 1*. g) Iste fuit avunculus Ottonis postea imperatoris *manus s. XIII. adscripsit margini* 1. *Quae verba* 2 *ita, econtra* 1* *et* 3 *mutato* iste *in* qui *in textum receperunt.* h) mirifice decoravit 1*. i) Berchtoldum ducem Zaringensem 1*. k) Hainrico 1. l) exhibito 1. m) more — cedere *desunt* 1*. 3. n) dum — cecidit *desunt* 1*. 3. o) Witilinsbach 1*. p) comitem 1. q) procinctumque — discedit *desunt* 1*. 3. r) Alpiam 2. s) *ita* 2 *et Urstisius;* 1174. 1. 1*. 3.

64) apud Legnianum die 29. Mai. 1176. 65) Wicmanni pro pace Veneta studium celebrat carmen inter Carm. Burana p. 34. A. 66) 1179. 67) die 13. April. 1180.

25. Anno[a] dominice incarnationis 1179. soldanus rex Iconii missis ad Fridericum imperatorem legatis quamvis paganus cum suis omnibus fedus cum eo pepigit, filiamque eius matrimonio sibi coniungi postulavit, ac se christianum cum sua gente fieri, si adipisceretur imperatoris filiam, sponte promisit. Imperator autem, licet filiam tenere diligeret, vixque postulata concederet, tamen consensit, eamque sibi dare promittens, prius tamen mortuam luxit, quam petenti dederit[68].

Circa hec tempora Alexander papa 171. obiit, cui Lucius 172. in ordine successit, anno videlicet dominice incarnationis 1182.[b. 69]

26. Anno dominice incarnationis 1184. Fridericus imperator, sedatis in Germania cunctis bellorum turbinibus, generalem curiam cunctis regni optimatibus[c] in pentecoste[d] apud[e] Magunciam indixit, ibique filios suos, Heinricum scilicet regem et Fridericum Swe- 1184.
vorum ducem, gladio accingi armisque insigniri disposuit. Mai. 20.
Ad hanc curiam totius imperii principes, utpote Francorum, Teutonicorum, Sclavorum, Italicorum, ab Illirico usque ad Hispanias[f] congregantur. Sed et vicinorum regnorum proceres invitante imperii dignitate convenerunt, incredibilisque multitudo hominum diversarum regionum vel linguarum ibi coadunata est. Itaque foris civitatem in campi planitie, palatio cum amplissimo oratorio ad diversorium imperatoris ex ligni materia facto, domus principum procerissime[g] constructe sunt in circuitu, singulis ad ostendendam sue dignitatis magnificentiam sumptus ambitiosissime conferentibus. Preterea tentoriis diversicoloribus numerum excedentibus erectis, velut maxima civitate constructa, tota planities ambitur, nihilque hic ad ostendendam mundane miserie gloriam habundantia victualium, varietate vestium, faleramentis equorum, delectatione spectaculorum defuit, filiis huius seculi prudentia sua, que stultitia est apud Deum, in generatione sua abutentibus, quod evidenti indicio divina potentia futura presagiens demonstravit. Nam sacre noctis crepusculo ventus validissimus ab occidente ortus, palatio imperatoris oratorium eius contiguum multaque alia edificia, inhabitantibus vix evadentibus, funditus evertit, maximoque terrore perculsos, ut pene loco cessissent, omnes dubitantes reddidit. Quod a sapientibus non pro bono omine susceptum, eis omnino displicuit. Crastina itaque sacra die[h] cum maxima letitia solempniter celebrata, exquisitisque conviviis sumptuosissime exhibitis gloriose peracta, feria secunda celebratis mane missarum solempniis, filii imperatoris Heinricus rex et Fridericus dux armis precincti militarique palestra alacriter exercitati, militie cingulum sumpserunt, tractatisque diversis imperii ab imperatore negotiis, quarta die ad propria cum gaudio recesserunt.

27. Anno dominice incarnationis 1185. Lucius papa vita decessit, eique Urbanus tertius successit, in ordine 173. Eodem anno Beatrix imperatrix obiit[69*], et apud urbem Spiram regalibus obsequiis, presente Heinrico rege filio suo, officiose sepelitur.

Circa idem tempus[i] Fridericus imperator apud Constantiam in pentecoste generali 1183
curia celebrata, legatos Mediolanensium omniumque civitatum Italie[k] antea[l] sibi rebel- Iun. 5.
lantium, subiectionem ultroneam insigniaque civitatum cum clavibus aureis offerentes ac per hoc se deditícios demonstrantes, suscepit, ipsosque indulta venia[70], gratiam impe- 70
rialem pacemque patrie reportantes, cum gaudio remisit.

28. Anno dominice incarnationis 1186. Fridericus imperator missis legatis ad Willehelmum Sicilie regem, filium Rogerii, sororem eius[71] filio suo Heinrico[m] regi desponsari fecit[71*], ac per hoc regnum Sicilie cum ducatu Apulie principatuque Capue Heinrico[n] regi dotis nomine, post mortem suam a socero de legato recipiens, Romano imperio restituit, quod post mortem Lotharii quondam imperatoris a Rogerio, capto papa Innocentio regioque nomine ab eo extorto, imperio ablatum fuerat. Igitur sexta vice cum maxima principum frequentia Italiam ingressus, rogantibus Mediolanensibus, ut in signum adepte imperialis gratie nuptias[72] filii apud Mediolanum celebraret, ad recuperandum imperio eorum obsequium, cuius viribus admodum attriti erant, consensit, omnibusque Italicis baronibus generalem curiam apud Mediolanum indixit. Ad quam curiam de Cisalpinis

a) Anno — dederit *desunt* 1*. 3. b) *ita* 1. 1*. 3, *et* 2 *etiam, numero* 1180 *loco* 1182 *excepto.* c) obt. 1. d) penthecoste 1* *semper.* e) aput 1* *semper.* f) Hysp. 1. g) pretiosissimae 3. h) die sacra 1*. i) Circa hec tempora 1*. k) Italium 1. 2. l) *add.* 1. 2. m) Hainr. 1*. n) Hainr. 1 *saepius.*

68) Narratio haec fabulosa esse videtur. 69) potius 1181. 69*) a. 1184. Nov. 15; cf. Toeche, Gesch. Heinr. VI. Lpz. 1866. p. 34. A. 70) die 25. Iun. 1183; Böhmer no. 2657. 71) Constantiam. 71*) Panormi a. 1184. Oct. 29; cf. Toeche l. c. p. 38. A. 72) Nuptiae Mediolani celebratae sunt die 26. Ian. 1186.

regionibus ac de omni Italia, Tuscia, Campania, Apulia, Sicilia coadunati principes filiam Willehelmi, Heinrici regis sponsam, cum maximo apparatu regalique pompa cum imperatore et sponso obviam procedentes[72], suscipiunt, ac cum maximo regni fastigio nuptias peregerunt. In hac curia Italicis plenarie gratiam imperatoris adipiscentibus paceque[a] ad integrum reformata, amnestia, id est malorum oblivio, obsequiis eorum multifarie delibutus[b], in eternum mansura stabilitur, solutaque curia, imperatore cum filio eiusque uxore transalpinante, omnes cum gaudio ad propria revertuntur. Igitur sicut de Theodorico Gottorum rege legitur, universis per circuitum regibus affinitate seu federe seu subiectione Friderico imperatori consociatis, imperii status multis modis eo imperante exaltatur. Nam regi Francorum confederatus, regisque Sicilie filia filio suo coniuncta, regem Ungarorum prono obsequio devotissimum semper habuit, regisque Hispaniarum filiam alteri filio suo Conrado, licet inefficax remanserit, desponsavit. Preterea ante hec omnia in curia Tho-
73 lensi[73] iuxta Bisuntium, regi Danorum corona imposita, regnum sub hominio[c] concessit, ac ducem Boemie in dignitatem regiam extollens[74], ius nomenque regium corona imposita ei contulit.

29. His[d] temporibus Baldewinus rex Hierosolymorum moriens, filiam nubilem[e] — nam filio carebat — regni reliquit[f] heredem, quod merito in se ipsum divisum peccatis exigentibus desolandum et a paganis conculcandum erat, quia in manus puelle non bono omine[g] regendum devenerat. Nam principum ipsius regni quisque regnare gestiens, eandem puellam cum regno hereditario sibi, si coniugio carebat, vel filio, si coniugatus, vel proximo, filio carens, iungi desiderabat, hacque de causa maxima inter eos conflata invidia regnum dedit exitio. Ipsa autem spretis indigenis, Widonem comitem Ascalonis, advenam videlicet elegantis forme spectateque fortitudinis virum adscivit, eumque regno induens, favente patriarcha nec non militibus Templi, sibi in matrimonium coniunxit. Unde reliqui, principes valde permoti sunt, maxime comes Tripolitanus, eum regem habere, quia peregrinus erat, indigne ferens; Sarracenos accepto pretio regno induxit, traditisque eis castellis quibusdam et civitatibus, ad obtinendam[h] Hierosolymam accendit. Ad quod animum intendentes, quosdam de militibus Templi cum quibusdam terre ipsius maioribus precio corruptos, illata a se regno sepius latrocinia — ne videlicet eis latrocinia exercentibus vi obsisterent — dissimulare fecerunt, sicque maximam regionis partem quantocius obtinuerunt.

30. Anno[i] dominice incarnationis 1187. Saladinus rex Sarracenorum apud Damascum habitans, nequissimum christianorum animadvertens commercium, eosque discordia, invidia, avaritia infectos considerans, tempus opportunum ratus, ad obtinendam totam Syriam cum Palestina intendit animum, congregatoque validissimo de omni Oriente Sarracenorum exercitu, procinctum contra christianos movit, eisque per totam Palestinam igne ferroque instans, castella multa civitatesque, occisis vel captis christianis, expugnavit, Sarracenosque ibi ad habitandum collocavit. Rex itaque Hierosolymorum nec non egregius princeps Antiocensis Reinaldus aliique christianorum proceres contracto grandi exercitu, dominica cruce exercitum precedente, Saladino[k] occurrunt, eique bello congrediuntur. A quo superati, multis christianorum milibus occisis, cruce dominica, proh dolor, capta, christiani fugantur, rexque nec non Reinaldus illustrissimus princeps cum multis aliis christianis capti Damascum ducuntur, ibique idem rex et prefatus princeps in confessione vere fidei decollantur.

Hac victoria insolescentibus paganis, omni provincia devastata cunctisque civitatibus christianorum[l] dirutis, excepta Tyro et Sidone, Tripoli et Antiochia ac paucis aliis civitatibus et castellis munitissimis et inexpugnabilibus, capta prius Accaron ubi portus est, quod unicum et speciale christianorum refugium hactenus fuit et est, Hierusalem obsidione cinxerunt, ac destructis in circuitu ecclesiis, Bethleemitana videlicet et Olivetana multisque aliis, tandem eiectis per conditionem christianis, Hierusalem capitur[75], sanctaque redemptionis nostre loca profanata a paganis incoluntur. Nec silendum arbitror, quod obsessa Hierusalem paganis irruentibus, una turrium occisis plerisque christianis, imposito Saladini

a) pacemque 2. b) *ita omnes codd., quod equidem non intelligo; forsitan auctor scribere voluit:* (imperator) obsequiis eorum delibutus amnestiam id est oblivionem . . . stabilit. c) ominio 1*. d) *sequens caput deest* 1*. 3. e) nubelem 2. f) reliquid 1. g) homine 2. h) optin. 1 *saepius.* i) Anno — gemit *desunt* 1* *et* 3. k) soldano 2. l) Ch. sive 1. 2.

72) cf. Toeche l. c. p. 47. 53. A. 73) die 3. Novembris 1157. 74) die 18. Ianuarii 1158. 75) die 2. Oct. 1187.

vexillo, capta est, unde civibus orta desperatio, relicta murorum defensione, eadem die civitatem in ore gladii exterminandam pene dederat exitio. Quod videns quidam miles Teutonicus, ex desperatione sumens audaciam, quosdamque circa se hortatus, impetu magnanimiter in hostes facto, turrim vi obtinuit, occisisque in ea paganis, vexillum Saladini truncata hasta deiciens, de eminentia turris in lutum proiecit, civibusque fiduciam resistendi hoc facto conferens, ad defensionem murorum eos quantocius reduxit. Postque civitate per conditionem, ut dictum est, tradita, sepulchrum Domini a paganis questus gratia in veneratione habetur.

Facta est hec terre sancte lamentabilis desolatio anno ab incarnatione Domini 1187, ab adventu vero Francorum, quando eadem terra a paganis per Gotfridum ducem liberata est, anno 88. Sicque Saladinus Palestina subacta, ecclesiam transmarinam miserabiliter attrivit, ipsaque regio per multos annos paganis subdita gemit.

Eodem[a] anno Urbano tertio papa mortuo[76], Gregorius octavus successit. Quo infra 76
dies quasi decem defuncto, Clemens tertius substituitur, in ordine 174. Qui lamentabili de subversione transmarine terre accepto nuntio[b], omni ecclesie ad placandum Deum indicta penitentia, legatos suos cardinales, episcopos et presbyteros in omnes cismarine ecclesie fines direxit, filiis ecclesie matris confusionem paterno conquerens[c] affectu, et ut matri vim patienti, memores uberum, quorum lacte primitiva ecclesia Ierusalem nutrita, in eis virili robore convaluit, subveniant, obtestatur, cruceque accepta in remissionem peccatorum, crucis servos se gloriantes, crucis ignominiam, que a paganis capta tenebatur, in laudem et gloriam vindicent crucifixi, verbo predicationis magnanimiter hortatur[d].

31. Anno dominice incarnationis 1188. Fridericus imperator generalem curiam in media quadragesima Maguncie celebravit, ibique per totam Germaniam sedatis bellorum 1188.
turbinibus, pace undique reformata, rei publice negotia tractavit. Ad quam legati sedis Mart. 27.
apostolice venientes imperatori desolationem transmarine ecclesie scriptis et verbis, ex persona domini apostolici ac totius ecclesie conquesti, representaverunt, patrociniumque Romani imperii per eius auxilium imploraverunt. Qui habita deliberatione ad subveniendum se obtulit, acceptaque cum filio, Friderico scilicet duce Swevorum, peregrinationis cruce in remissionem peccatorum, crucis ignominiam se[e] vindicaturum publice denunciavit, et ad idem negotium sui exemplo multos regni[f] optimates cum multitudine diverse conditionis et etatis accendit. Cardinales autem his patratis a curia digressi, verbo predicationis per diversas imperii partes instabant, multisque relinquere patrem et matrem, uxorem et filios et agros[g] propter nomen Christi, et crucem tollere, ipsum sequi in expeditionem transmarinam persuaserunt, et innumerabilem exercitum contraxerunt. Quibus omnibus imperator sequentis anni Maio tempus profectionis constituit, pauperioribus ad minus trium marcarum expensam, ditioribus pro posse expensis preparari, indicens; egentibus autem pondo trium marcarum sub anathemate profectionem fecit interdici, nolens exercitum vulgo minus idoneo pregravari. Hiis in Romano imperio patratis[h], apostolicus a latere suo cardinales regi Francorum Ludewico, nec non Richardo regi Anglorum dirigens, ad idem opus cruce imposita accendit, multosque de predictorum regnorum finibus in eandem militiam coadunavit.

Hac[i] tempestate Colonienses maximis studiis et sumptibus civitatem suam munientes, eam muro cinxerunt firmissimo; que res imperatori suspecta displicuit, eisque excidium interminans, munitiones dissipare, rupto per quatuor loca muro, eos minaciter coegit.

Hiis diebus nuncii soldani regis Iconiensis ad imperatorem venerunt, fedusque, quamvis in dolo, renovantes, commeatum per totam Ciliciam cunctoque exercitui, si pacificus veniret, ex parte domini sui obtulerunt; per Ciliciam enim imperator terram soldani, cuius caput Iconium est, cum exercitu transiturus erat, ideoque pagani terre sue metuentes, federe quesito pacem quam bellum malebant, licet aliter optatis evenerit.

32.[k] Anno dominice incarnationis 1189. Fridericus imperator in pentecoste generalem 1189. Mai. 28.

a) 1* *et* 3, *qui inde a fine cap.* 28 *omnia omittunt, pergunt his verbis:* Anno d. i. 1187. Urbanus papa obiit, cui Gregorius VIII. successit. Quo infra dies quasi decem defuncto, Clemens quartus *etc.* b) Ut in historia peregrinorum poteris invenire *inserunt* 1*. 3. c) conquerentes 3. d) exhortatur 1*. e) *deest* 1*. f) reges 3. g) et agros *desunt* 1*. h) *ita in* 1 *manus paulo recentior corr.* paratis. i) Hac — Fridericus *(cap. 32.) desunt* 1*. 3. k) *manus s. XIII. paulo recentior superiori margini* 1 *hos versus inscripsit:*

Annis undenis demptis de mille ducentis,
Christus ut est natus, transit mare rex Fridericus.

76) die 19. Oct. 1187.

curiam Prehsburc[a] in markia Ungarie celebrans, exercitum peregrinorum in militiam Christi coadunavit, traditisque regalibus Heinrico regi filio suo, divisisque pro velle suo inter filios prediorum suorum redditibus cum collatis dignitatibus omnibusque bene dispositis, cunctis valedixit, et cum filio equivoco Swevorum duce, nec non et marchione de Misen, cum Saxonibus et multis aliis principibus et episcopis, exercitu omni militari apparatu admodum instructo et copiosissimo, in Orientem contra Saladinum Sarracenorum regem et omnes crucis Christi[b] inimicos procinctum movit, ac per Ungariam iter arripiens, multis
77 muneribus a rege Ungarie[77] liberaliter honoratus, datis etiam exercitui victualibus in copia farine, vini carniumque in Bulgariam copias transposuit, ibique negata sibi ab incolis regia via, eam vi obtinuit, occisaque multitudine resistentium, multos ex eis captos ex utraque parte vie ramis arborum illaqueatos suspendit, seque per hoc non in pera et baculo, sed in lancea et gladio sepulchrum Domini visitare ostendit, sicque transita Bulgaria Greciam applicuit. Greci itaque Bulgaris[c] inhumaniores, subtracto exercitui omni humanitatis necessitate, simulque rerum venalium commeatu, iussu imperatoris Constantinopolitani, milites sancti sepulchri necessariis defraudaverunt, seque in munitiones congestis rebus omnibus undique receperunt. Cesar itaque hec a christianis pati egre ferens, exercitum ad rapinam data licentia relaxavit, Grecisque velut[d] paganis utendi[e], quorum fautores his actibus se[f] ostendebant, edicto constituit. Qua occasione totus effusus exercitus civitatem opimatissimam[g] Philippopolim forti aggressione captam expugnavit, opimaque preda ibi direpta, castrum munitissimum, Themut[78] dictum, simili impetu obtinuit, hocque terrore multa castella et civitates Grecorum sibi subiecit, profligataque regione, opulenta preda ditati, reliquos ad commeatum coegerunt. Hiis circa finem mensis Augusti gestis, augustus convocatis principibus, eorum consilio in Grecia hiemare statuit, omnique in circuitu subiecta sibi terra, montem quendam accessu difficilem ad receptionem exercitus munivit, eumque Teutonico idiomate Chunigisberc[h] nuncupavit. Ubi contra faciem Constantinopolitane civitatis potenter residens, omniaque necessaria exercitui a civitatibus finitimis convehi faciens, Grecam astutiam Romana potentia Germanicaque fortitudine devicit, totaque
1190. Mart. 25. hieme usque ad pascha anni sequentis inibi mansit, Grecis[i] cum imperatore suo semper a facie eius fugam constitutis.

33. Anno dominice incarnationis 1190 [79] Clemens III. papa obiit, eique Celestinus III. in ordine 175. successit. Eodem anno Leopaldus dux Orientalis et exercitus Coloniensium multique de inferioribus partibus Reni cruce peregrinationis accepta, a Brundusio mare transvecti, Accaron applicuerunt, illucque iam rege Anglorum Richardo, nec non et rege Francorum Ludewico cum instructa militia tendentibus, Pisanis cum Italico exercitu eandem urbem iam obsidentibus, consociantur, ipsamque totis viribus impugnant, Saladino summa industria obsessis opem ferente.

Eodem anno filius Friderici imperatoris Heinricus rex contracto exercitu Alpes transcendens, Italiam[k] ingreditur, indeque ad Urbem tendens, a Celestino papa gloriose susceptus, ab eoque omnium Romanorum favore una cum coniuge in die sancto pasce coronatus[80], imperatoris et augusti nomen nonagesimus quintus ab Augusto sortitur. Hic favorem Romanorum avaritie eorum maximis muneribus satisfaciens promeruit, ac Tusculanense castellum, quod asilum imperii contra omnes insultus eorum hactenus extitit, ipsis tradens, imperium in hoc non mediocriter dehonestavit. Qui statim tota urbe effusi in ipsa die parasceue castellum funditus destruxerunt, dirutisque[l] turribus et muris, igne postremo consumpserunt, in vindictam cladis a Christiano Maguncensi episcopo sibi inibi quondam bello illate.

Igitur imperator Constantinopolitanus vim cesaris Friderici ferre non prevalens, animum eius pro commissis satisfaciens placavit, paceque data exercitum omni opulentia victualium collata, animequiorem reddidit, sicque reconciliatus augusto, accepto federe post pascha presentis anni[m. 81], structis summo studio navibus, ipsum cum exercitu per Propontidem transvexit.

a) Prechsburc 1*. b) *deest* 1*. c) Bulgarias 1*. d) velud 1. e) utendum 1*. f) *deest* 1. g) opina. 1; opulentissimam 1*. h) Chunigisburc 1*. i) Grecis — constitutis *desunt* 1*. 3. k) Ytaliam 1. l) dirutisque — consumpserunt *desunt* 1*. 3. m) anni presentis 1*.

77) Bela III. 78) Demotica. 79) rectius 1191. die 25. Martii. 80) die 15. Aprilis 1191, scilicet post mortem Friderici I. 81) scilicet 1190. quem hic et in capite sequenti cum sequenti confundit auctor.

34. Itaque Heinrico[a] imperatore imperio Occidentis sortito, Fridericus augustus viribus Germanorum Orientem aggreditur, ingressusque cum exercitu Asiam prosperis successibus ad tempus[b] incessit, omnibus ei in tota Romania[c] pro voto parentibus. Igitur soldanus rex Iconii appropinquante augusto cum exercitu fedus infringens, victualia cum aliis rebus per totam Ciliciam in munitiones comportari fecit, mercatumque exercitui, utpote barbarus et Scita perfidissimus, conferre noluit. Qua de re maxima fames exercitui inhorruit, ac plerosque mulos, asinos et equos, cibum insolitum, manducare coegit. Preter hec exercitu paganorum latenter immisso[d], extremos agminis pabulatoresque christiani exercitus latronum more assiduis incursionibus, aliquibus interdum occisis, inquietabant, sepius se publice ordinatis agminibus ostendentes, nostris equo Marte eis congredi cupientibus, retro cedebant, conserereque nullo modo volebant[e].

Augustus ergo tali incommodo exercitum fameque et omni penuria[f] laborantem respectu pacti federis cum soldano a devastatione ac rapina refrenabat, estimans aut hoc ignorante aut invito soldano committi. Ubi vero per veredarios hec de industria soldani, publicata[g] eius perfidia, fieri cognovit, iratus, soldano hoste pronunciato, exercitum ad ultionem relaxavit, totaque Cilicia cum Pamphilia Frigiaque proscripta, cedibus, rapinis, igne ferroque utens, profligavit cuncta[h], paganis, licet procinctim incedentibus, semper tamen in fuga constitutis. Hac itaque relaxatione recreato exercitu Iconium versus, totius Cilicie metropolim soldanique archisolium, aciem direxit, eamque inaudita celeritate[i] expugnavit. Denique[k] civitas hec populosissima, maximo murorum ambitu turriumque proceritate munitissima, arcem inexpugnabilem in medio sui complectens, omnibus ad obsidionem necessariis referta fuerat, cuncta extrinsecus regione victualibus nudata, ne superveniens augustus militem ibi aliquandiu sustentare posset. Sed Deo conatum paganorum in contrarium vertente, res aliter evenit. Nam ante horam diei tertiam augustus civitatem subitaneo incursu cum maximo impetu aggressus, multitudine paganorum resistentium occisa, ante nonam expugnatam irrupit, innumeris utriusque sexus et etatis in ore gladii trucidatis, rege soldano cum nobilioribus in arcem fugiente. Sicque civitate potitus, eadem die arcem obsidione vallavit. Videns itaque soldanus viribus Germanorum cuncta cedere, eosque divina quadam virtute fultos ac mortis terribiliumque rerum contemptores sine cunctatione cuncta invadere resistentia, talibus cedere periculoso[l] doctus experimento, necessarium ratus dextras ab augusto petiit, et ut ei mereretur colloqui, serio ductus penitentia, desideravit. Quo concesso, arce cum suis descendit[m], ac pro velle augusti factus deditícius, datis obsidibus, reconciliatur, restituta sibi cum regno civitate Iconio.

35. His ita peractis exercituque spoliorum opulentia ditato, augustus motis castris ab Iconio discessit cum triumpho, principibus Armeniorum undique ad eum confluentibus, et precipue Leone, illarum regionum nobilissimo christianorum principe, qui in montanis habitabant; a quibus letanter susceptus, ac condignis gratiarum laudibus pro suo adventu et expugnatione paganorum ei exhibitis, cum magno tripudio et gloria versus Tarsum[n], Pauli apostoli nativitate insignem, proficiscitur, cunctis ei ad libitum inclinatis. Nam terra siluit in conspectu eius. Sed terribilis in consiliis super filios hominum Deus, nondum venisse tempus miserendi Syon ostendens, solidissimam navicule Petri anchoram, in augusto Friderico rupto fune spei, post tales tantosque prosperitatum eventus succidit, ipsamque naviculam in mediis huius mundi procellis quassari flagellarique nondum ad purum defecatam permisit. Nam egregius cesar Fridericus Tarsum tendens, amne quodam parte exercitus transposita, refrigerandi gratia — estus quippe erat nimis[o] — eundem ingressus — nandi enim peritus erat — subitaneo frigore naturalem calorem extinguente, deficiens submergitur, miserabili morte imperator terra marique potens finem vite sortitur[82]. Fertur a quibusdam, hoc in Cidno amne accidisse, in quo et Alexander Magnus simili quidem modo sed non morte periclitatus. Nam Cidnus Tarso contiguus est. Obiit[p] anno regni 38, imperii[q] autem 35, incarnationis dominice anno 1190.[r]; cuius morte totus christianorum exer-

a) Heinr. itaque 1*. b) ad aliquod tempus 1*. c) Romana 1. d) exercitu — immisso *post* exercitus *interserit* 1*. e) valebant 1*. f) *sequentia ita corrupta exhibet* 1*: laborantem estimans hec ignorante saladano committi, sed ubi cognovit de industria soldani fieri, iratus soldano *etc.* g) et pub. 2. h) c. pr. 1*. i) mira celer. ac inaudita 1*. k) Denique — evenit *desunt* 1*. 3. l) periculosa 1. 2. m) descendit cum suis 1*. n) Tharsum 1* *semper.* o) *ita omnes codd.;* nimius *edd.* p) obiit autem 1*. q) imperii — luxit *desunt* 1*. 3. r) MCLIX. 1. 2.

82) die 10. Iunii 1190.

citus irremedicabiliter sauciatus, planctu intolerabili augustum si vixisset omni Orienti metuendum luxit, sepultisque intestinis eius cum carne reliqua apud Tarsum, ossa Antiochiam translata[a] cultu regio officiosissime reconduntur.

Igitur Fridericus[b] Swevorum dux, filius eius, nobilis heres, thesauris paternis exercitui liberaliter erogatis, militie christiane decus et spes unica, exercitum merore confectum consolatus recreavit, eductoque[c] de hoc fatali loco et inviso milite, Antiochiam[d] pervenit, ubi statim pestilentia, desecto capite in morte augusti, per totum corpus grassatur, divites et pauperes simul in unum exitiali tabe involvens, maximaque[e] pars exercitus morte infausta consumpta Antiochie[f] et in eius finibus sepelitur. Itaque celesti censura inopinabiliter tali exercitu pene defluxo, Fridericus dux reliquis assumptis, christianis in obsidione Accaron desudantibus associatur, ab eisque[g] gloriose suscipitur, ubi[h] modico manens tempore febre corripitur, immaturaque morte raptus cum maximo planctu ibidem sepelitur. Sicque nobilis illa et inclita virtus imperatoria, spes totius ecclesie, in patre et filio ad nichilum devenit, tanquam aqua[i] decurrens. Ut[k] bene lamentatio Hieremie huic calamitati possit aptari, ubi in Trenis filios Syon — nam et hi filii Sion, utpote peregrini sepulchri
Thren 4, 2. Domini — deflet, ita dicens: *Filii Syon incliti et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Hii si vixissent cum tali exercitus apparatu, tanta prudentia tantaque fortitudine instructi in unumque[l] corpus cum Accaronica militia coacti, que gens, que regio, quis regum fortissimus, imo que multorum regum virtus in omni Oriente Italie potentiam, Francie alacritatem bellandique scientiam, et quod his omnibus supereminet Germanie animositatem et fortitudinem indomitumque regni[m] caput sustinere
Psal. 126, 1. 2. posset? Sed non est consilium neque virtus preter Dominum. *Nisi enim Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt qui edificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ergo tu exurgens, Domine, misereberis Syon, quando et quomodo et per quos volueris, cum venerit tempus miserendi eius. Quia si humana virtute liberari debuisset, te permittente, Fridericus huius victorie titulum obtinuisset. Itaque quoniam si voluisses, sacrificium sanguinis sui in honorem sancti sepulchri et sancte crucis tue dedisset; utinam holocausto peregrine mortis sue delecteris, animamque eius spiritibus beatorum in celesti Ierusalem sociare digneris. Amen.

36. Igitur Accaron a christianis obsessa per regem Francorum regemque Anglorum Leopaldumque ducem ac per reliquos principes diversis machinarum instrumentis balistarumque tormentis fortiter terra marique impugnatur, Pisanis cum Genuensibus Venetianisque a[n] parte maris instantibus[n], quia navium assueti erant facientes operacionem in aquis multis[o]. Interim rex Francorum[83] sinistro nuntio de invasione proprii regni accepto, cum multis aliis relicta obsidione discessit, amans plus terrenum quam celeste regnum, emensoque mari per Apuliam rediens repatriavit. Sed rex Anglie egregiusque dux Leopaldus reliquique egregii bellatores aratro laborantes dominico retro non respexerunt, donec agrum Accaron cadaveribus paganorum fructiferum reddiderunt.

Saladinus itaque ad liberandos Accaronitas animum intendens, tota industria exercitum congregavit, christianosque obsidione pellendos comminatur. Christiani autem audito adventu Saladini, duobus fossatis latissimis et profundissimis cinxerunt se, binas habentes portas ad excurrendum, si opus esset, ultra fossata constitutas, victualibus ad ferendam obsidionem undique comportatis. Igitur Saladinus valido exercitu contracto, contra Accaron aciem direxit, christianosque civitatem obsidentes forinsecus obsedit, castris in quodam colle non longe a civitate locatis, oppidanisque cum a christianis impugnabantur, signum per fumum ei ostendentibus. Quibus ilico subveniens, extrinsecus sagittis, balistis omnique telorum genere christianos impugnabat. Christiani vero ordinatis agminibus ultra fossata sepius egressi, ei publico bello congredi cupiebant, ipso semper cedente bellumque detrectante. Tandem civitatem Saladino presente totis viribus invadentes, ipsam vi obtinue-

a) sepultis intestinis Tharsum, ossibus autem translatis Anthiochiam 1*. b) Fridericus igitur 1*. c) edictoque 2. d) Anthiochium 1*. 2. e) maxima 1*. f) Anthiochia 1*. g) eis 1*. h) ubi cum 2. i) aqua subito 1*. k) Ut — captivatis (*cap.* 36 *med.*) *desunt* 1* *et* 3, *qui horum loco haec tantum exhibent:* De obsidione igitur Accaron a christianis facta et qualiter capta fuerit, de cetero consule hystoriam peregrinorum, hoc solum addito quod capta Accaron rex Anglorum *etc.* l) *ita* 1. m) *ita edd., ex coniectura, ni fallor, nam codd.* 1. 2. *legunt* reni. n) a — instantibus *desunt* 2. o) facientes — multis *desunt edd.*

83) Philippus Augustus demum post captum Accaron exeunte mense Iulio 1191. domum rediit.

runt, omnesque paganos viros ac mulieres cuiusque etatis et conditionis in ore gladii occiderunt, Saladino aspiciente et cum maximo dolore recedente, paucis de maioribus captivatis.

Capta igitur civitate[84], rex Anglorum signa triumphalia sui exercitus turribus affigi precipit, titulum victorie ex tota sibimet ipsi satis arroganter adscribens. Hacque de causa cum per civitatem transiret, vexillum ducis Leopaldi[a] turri, quam ipse cum suis obtinuerat, affixum vidit, suumque non esse recognoscens, cuiusnam sit percontatur. Qui Leopaldi ducis Orientalium esse accepto responso, eumque ex parte civitatem obtinuisse comperiens, maxima indignatione permotus vexillum turre deici lutoque[b] conculcari precepit, insuper ducem verbis contumeliosis affectum sine causa iniuriavit. Preter hec preda communi universorum sudore acquisita, inter suos tantum distributa[c], reliquos privavit, in seque odia omnium concitavit. Omnibus enim fortiori militum robore prestabat, et ideo pro velle suo cuncta disponens reliquos principes parvi pendebat. Attamen Teutonica militia cum Italica hiis admodum exasperata regi in faciem restitisset, nisi auctoritate militum Templi repressa fuisset. Anglicam itaque perfidiam detestantes Angliequed[d] subdi dedignantes, ascensis navibus, simul cum duce Leopaldo repatriaverunt, rege cum suis adhuc remanente[e] quotidieque[f] paganos impugnante.

Itaque cives Hierosolymitani omnesque qui paganos ex urbibus vicisque evaserunt, Accaron congregati, urbem ipsam summo studio munientes receptaculum christiani exercitus sedemque belli contra paganos constituerunt, eamque pro dignitatum varietate dividentes habitationibus Templariorum, Hospitalarium, sepulchri dominici canonicorum cum sede patriarchali distinxerunt, ac sepius cum exercitu egressi paganisque congressi, pluribus civitatibus castellisque, que perdiderant, receptis, paganis magnanimiter resistebant, repatrianteque rege Anglorum, Heinricum comitem Campanie, data sibi vidua Widonis regis, regem sibi creaverunt, sicque collecto cottidianoque crescentes numero, prelia Domini preliabantur cum leticia[g], multis de cismarinis partibus in auxilium eorum vicissim transfretantibus[f]. Sed his dicta sufficiant[e], stilo ad imperium nostrum[h] redeunte.

37. Anno dominice incarnationis 1190. Heinricus imperator, ut prelibatum[i] est, a Cele- 1191.
stino papa cum coniuge coronatus, ipsam secum ducens[k], Apuliam Siciliamque mortuo Willehelmo possidere volens, in Campaniam cum exercitu divertit, rebellantemque sibi totam terram invenit. Nam mortuo Wilhelmo rege quidam consanguineus eius de genere Rogerii, Tancredus nomine, tyrannidem[l] in Sicilia, que nutrix tyrannorum ab antiquo fuit, sub regio nomine arripiens, cum consensu omnium ipsius terre baronum civitatumque imperatori violenter restitit, ipsumque de[m] hereditate coniugis quoad vixit constantissime propulsavit. Imperator itaque Neapolim rebellem Campanie urbem obsidione vallavit, cuncta in circuitu terre igne ferroque vastata. Quo rex Francorum de transmarina expeditione rediens, ad eum venit[85], ipsique confederatus honorifice dimissus in Franciam rediit. Pestilentia itaque exercitum tangente, nichil proficiens imperator de repatriatione disposuit; in qua mora a quibusdam baronibus Apulie propinquis suis imperatrix capitur, et cum maxima diligentia custodita in captivitate detinetur tempore aliquanto. Flebili ergo principio ad obtinendam Apuliam imperator dehonestatus, sed meliori postmodum fortuna usus, ad Cisalpina regreditur, facta prius apostolico de captivitate coniugis querimonia. Apostolicus autem commotus presumptores huius rei, terra eorum sub interdicto posita, anathemate constrinxit, imperatricemque captivitate relaxari coegit, quam postmodum ad Cisalpina revertentem imperator recepit, die ultionis in corde eius cum nimia indignitate[n] statuta. Reversus igitur ad Cisalpina[86] Heinricus imperator, Chûnrado fratri suo ducatum Swevie concessit. Hic Cônradus ferocis[o] agrestisque nature homo, sed liberalis admodum animi erat[p], ideoque magna appetens[q] illicitaque semper faciens vicinis et remotis terrori fuit.

38. Hac tempestate rex Anglorum Richardus de expeditione transmarina rediens, per Ungariam in fines ducis Leopaldi paucis comitatus devenit, memorque iniuriarum eidem duci apud Accaron a se exhibitarum, ipsum nimis metuens, dimisso regali obsequio, privato

a) Liupoldi 1*; Lupoldi 2, *quod manus recentior s. XIII margini 1 adscripserat.* b) luto 1*. c) predam — acquisitam — distribuit 1*. d) Anglieneque 1. 2, *quod male scriptum esse loco* Angligeneque *suspicor;* Angliaeque — detestantes *desunt* 1*. e) remanente. Sed hec hactenus 1*. f) quotidieque — transfretantibus *desunt* 1*. 3. g) c. let. *add.* 1. h) *deest* 1*. i) praeliabatum 2; dictum 1*. k) secum ducens ipsam 1*. l) tir. 1*. m) ab 2. n) indignatione 3. o) *ita* 1. 2; fortis *edd.* p) erat animi 1*. q) appetens magna 1*.

84) die 12. vel 13. Iulii 1191. 85) mense Septembri 1191. 86) mense Decembri 1191.

habitu[a] furtim celeriterque transire cupiens, in quoddam diversorium iuxta Viennam civitatem necessitate prandii divertit, sociis preter paucos a se dimissis. Itaque servili opere ne agnosceretur in coctione[b] pulmentorum per se dans operam, altile ligno affixum propria manu vertens assabat, annulum egregium[c] in digito oblitus. Quidam igitur de familia ducis, qui cum duce apud Accaronenses[d] visum inibi[e] regem notum habebat, de civitate fortuito[f] egressus, tabernam regali coquo insignem intravit, et ex consideratione annuli ipsum respiciens et recognoscens, agnitum dissimulavit, concitoque cursu in civitatem reversus, ducem, qui tunc forte aderat, de presentia regis certificans, admodum exhilaravit. Igitur sine mora ascensis equis cum frequentia militum dux accurrens, regem frixam carnem manu tenentem captivavit, irrisumque tali opere in civitatem duxit, eumque artissime custodie mancipavit[87], digna recompensatione reddens ei quod meruit. Attamen[g] multi pro hoc facto duci detrahentes, ac pro sacrilegio in peregrinum sepulchri dominici commissum computantes detestantesque improbabant[h], licet hec improbatio captivo regi parum profuisset.

Imperator itaque captum Anglorum regem audiens, missis ad ducem nuntiis regem sibi presentari iussit, presentatumque Wormatiam asportari, vinctum ferroque honustum[87*] precepit, datis sibi induciis deliberande redemptionis; ad quem multi sue terre maiores visendi gratia venerunt, et diversas rerum species domino suo[i] obtulerunt. Itaque pro captivatione peregrini regis Leopaldus dux a summo pontifice excommunicatur, ne simili ausu peregrini sancti sepulchri a quoquam impetiti a subventione transmarine ecclesie deterrerentur. Tandem datis in redemptionem suam imperatori multis milibus centenariorum auri et argenti, nec non et duci Leopaldo auro et argento pro libitu collato, eisque pace et reconciliatione sacramento ab eo firmata, captivitate exuitur[88], sicque multatus rediit in terram suam. Certum autem pretii pondus quod contulit explicare distuli, ne cuiquam incredibile visum falsitatis arguerer. Hoc autem sciendum, quod ecclesiastici thesauri per omnes Anglie ecclesias collecti, huius census pars maxima constabat calicibus, crucibus aliisque diversis speciebus conflatis.

Imperator itaque tanto pretio donativa liberaliter militibus[k] erogans, exercitum egregie stipendiatum, prefectis sibi ducibus Marquardo dapifero de Annewiler[l, 89] et Bertoldo de Cunisberc[m], misit in Apuliam, quorum industria multa castella civitatesque in deditionem accepit; ibique Bertoldus iactu baliste percussus interiit. Tancredo interim mortuo, optimates terre ipsius contra imperatorem unanimiter conspiraverunt, subdique dedignantes, omnes advenas Teutonicos de civitatibus suis expulsos eiecerunt.

39. Anno dominice incarnationis 1193. multi de cismarinis regionibus cruce peregrinationis accepta, ad auxilium transmarine ecclesie accenduntur.

Eodem anno[90] Heinricus imperator contracto exercitu secunda vice Alpes transcendit, transitaque Italia et Tuscia, in Campaniam arma convertit. In quo itinere Richardum de Scerre[n, 91] comitem ditissimum, a Theobaldo de Reggatart[92] captum sibique presentatum, apud Capuam patibulo suspendit, capite deorsum verso, digna indignatione pro capta imperatrice in eum efferatus. Deinde omnes civitates Campanie Apulieque aut expugnatas destruxit, aut in deditionem accepit; inter quas precipue Salernum, Barletum, Barram multasque alias civitates fortissimas nimia inflammatus ira, pervasa inestimabili preda, subvertit[93], nec fuit civitas aut munitio, que eius impetum sustinere valeret, militia peregrinorum, que in procinctu transmarine expeditionis constituta cum eo transalpinaverat interimque confluebat, opem ei[o] summo nisu conferente. Itaque tota Apulia cum Campania in provinciam redacta, in Calabriam et Siciliam copias transposuit, profligataque regione, Heinricum marscaldum de Kallindin cum instructo ad bellum exercitu versus civitatem Catinen-
1197. sium[p] direxit, ubi omnes ipsius terre optimates cum innumerabili exercitu ordinata acie offendit, eisque incunctanter congressus et victoriam multitudine occisa adeptus fugien-

a) *ita corr.* habito *in* 1; habitis 2. b) actione 2. c) *deest* 1*. d) Accaronens. 1. 2; Accaron 1*. e) *add.* 1, *cui voci in* 2 *spatium vacuum relinquitur.* f) fortuitu 1. 2. g) Attamen — profuisset *desunt* 1*. 3. h) improperabant 3. i) suo domino 1*. k) *deest edd.* l) Marchwardo d. de Annewilre 1*. m) Berchtoldo de Chunisburc 1*. n) Scherre 1*. o) ei opem 1*. p) Cath. 1.

87) mense Decemb. 1192; v. Böhmer 2793. 87*) cf. Toeche l. c. p. 265 n. 2. A. 88) 1194. die 2. Febr.; cfr. Böhmer 2817. 89) vicus Anwyl in territorio Sangallensi. 90) rectius anno 1194. mense Maio. 91) i. e. comitem Acerrarum. [Comes a. 1196 morti deputatus est; cf. Toeche l. c. p. 452. A.] 92) Vox secundum Urstisium corrupta ex *Rocca arci.* 93) Haec in dubium vocavit Muratorius Ann. It. a. 1194.

tesque insecutus, civitatem cum eis irrupit, captoque episcopo, qui precipue rebellaverat, cum multis nobilibus, civitatem igne succendit, nec ecclesiis parcens ecclesiam sancte Agathe cum multitudine utriusque sexus et etatis, que in eam confugerat, miserabiliter incendio consumpsit, sicque ad imperatorem, nobiles in triumpho trahens captivos, rediit. Optimates igitur ultima desperatione adacti, dolo occidendum cesarem deliberaverunt. Et ut hoc consequi valerent, se et omnia sua potestati eius contradiderunt. Quibus in fidem susceptis familiariterque habitis, dolum et insidias eorum augustus[a] declinans vix evasit. Itaque dolum senciens dolo dolum[a] vincere statuit, quamvis tamen perfidiam perfidia vindicare dedecus sit. Denique se detectos minime putantes, ab imperatore citati convenerunt ad eum; quos omnes captos in vincula coniecit, et exquisitis suppliciis affectos miserabiliter enecavit[93*]. Nam Margaritam archipiratam, potentissimum illius terre baronem, cum quodam comite Richardo litteris apprime erudito oculis privavit, et quendam lese maiestatis convictum pelle exutum decoriavit, quendam vero regno aspirantem coronari coronamque per tempora[b] clavis ferreis transfigi precepit, quosdam stipiti alligatos piraque circundatos exurens crudeliter extinxit, quosdam vecte perforatos ventre[c] tenus humo agglutinavit, ac per hoc omnibus in circuitu nationibus, non solum in cismarinis, sed[d] etiam in transmarinis partibus severitatem eius metuentibus, maximum terrorem incussit.

40. Anno dominice incarnationis 1194. imperator contra Palermum[e] civitatem in ultimis finibus Sicilie sitam, que caput Sicilie archisoliumque nec non erarium thesaurorum regum eiusdem terre hactenus extitit, aciem direxit, castrisque ante faciem locatis, eam expugnare disposuit, hortumque regalem amplissimum undique circundatum omniumque bestiarum genere delectabiliter refertum irrumpi iussit, feris in usum exercitus multifarie consumptis. Itaque cives animositatem cesaris nimium metuentes, sine omni mora[f] deditícii dextras petunt, conditionesque pacis, se suaque omnia offerentes, suppliciter querunt. Quibus consentiens, civitate tradita[94] eos recepit in gratiam, signis imperialibus turribus undique insignitis; statutaque die processionis, quo a civibus imperator imperiali fastu susciperetur, exercitum omni affluentia delitiarum resolutum gazisque spoliorum egregie ditatum, securum reddidit palestraque militari exercitii gratia omnique spectaculorum magnificentia interim exhilaravit. Tandem summa industria civium cum maximis sumptibus triumphali pompa preparata, tota coronatur civitas tapetibus sertisque diversi generis et pretii, compita illustrantibus, thure, myrra[g] aliisque speciebus odoriferis intus et extra civitatem redolentibus plateis; amotoque a civitate procul imperatore cum exercitu, cives per turmas suas secundum modum dignitatum, conditionum etatisque differentiam egressi, nobiles in sua cohorte[h], seniores etateque provecti in suo ordine, et hiis minoribusque robustiores, exin iuventus cum imberbi adolescentia imbecillique pueritia, omni faleramento equestri vestiumque varietate adornati, ordine stacionario in obviam procedebant, singulis quibusdam pro suo modo vel arte cum omnibus musice discipline instrumentis plausum exhibentibus. Imperator autem non minori industria composito exercitu militari disciplina, omnique presumptione Teutonica prorsus interdicta, contemptoribus mutilationem manuum interminatus, omni armorum splendore rutilantem militiam exhibuit, binis longo tractu civitatem versus pedetemptim incedentibus. Ipse autem cum principibus imperiali gloria et ornatu subsecutus, civitatem ingreditur, cunctis laudes affatim acclamantibus, vulgoque, quod plateas circumstabat, viso augusto iuxta morem illius terre prono vultu in terra coram eo corruente, sicque in regiam receptus quieti dedit operam. Itaque multis muneribus a civibus[i] est honoratus in equis prestantissimis, sellis aureis, frenis[k] faleratis ac diversis ex auro, argento[l] sericoque speciebus, que omnia exercitui liberaliter largiens, primo principibus regalia dona contulit, dein militibus pro meritis extans munificus, eos omnibus modis ad obsequium suum illexit. Inestimabili igitur pecunia in thesauris regiis auri argentique reperta, erarium publicum Trivels[m] confertissimum reddidit, aliaque imperialia triclinia ex hiis admodum ditavit. Nam divitias Apulie, Calabrie et Sicilie, que fertilissime metallorum sunt[n], patrie invehens, lapidum pretiosorum ac diversarum gemmarum gloriam

a) augustus — dolum *addunt* 1. 1*. 2. 3. b) timpora 1*. c) vetre 1*. d) verum 3. e) Palernum 1. 1*. f) *deest* 1. 1*. 2. g) mirra 1*. h) coorthe 1; coorte 1*. i) a civ. *desunt* 2. k) frenisque 1*. l) et argento 1*. m) Trivels seu Trivallis 1*. 3; Trivallis 2. n) sunt metallorum 1*.

93*) Auctor confudit annos proelii (1197) et poenarum (1194); cf. Toeche l. c. p. 586. A. 94) exeunte mense Octobri 1194.

cum infinitis thesauris congessit, uxoremque Tancredi cum filia nec non filium ipsius cum sua sponsa, filia scilicet Constantinopolitani imperatoris, captivos nobilissimos trahens, mirifice triumphavit.

Igitur tali modo confecto bello Samnitico[a] Apuliensique cum Calabrico, redactaque in provinciam tota Sicilia cum Sardinia[94*], Heinricus imperator bellicosissimus exercitum peregrinorum, multis muneribus illustratum, a se dimisit, et cum ipsis e suo latere publici erarii stipendiarios quingentos milites in adiutorium transmarine ecclesie direxit. Qui a Seponte[b] et Brundisio[b] mare Tyrrenum[c] transvecti, Accaron applicuerunt, et a christianis cum gaudio suscepti sunt. Quorum[d] auxilio multa castella christiani recipientes, paganos pacem petere coegerunt, multis utrinque congressionibus prius habitis, christianis semper victoribus. Itaque pace constituta, pagani summa industria civitates et castella, que obtinuerant, muniverunt, et precipue Hierusalem duplici muro, antemurali opposito ac fossatis profundissimis cingentes, inexpugnabilem reddiderunt, dato christianis securissimo conductu visendi sepulchrum dominicum questus gratia, quod dominus apostolicus, ne pagani oblationibus christianorum abuterentur, omnimodis interdixit, transgressoresque anathematis vinculo innodavit.

Hiis temporibus Petrus cantor Parisiensis, et Alanus et Prepositinus[95] magistri claruerunt. Horum prior librum distinctionum librumque psalmorum euangeliumque unum ex quatuor per continuas glossas subtiliter compilavit, et preter hec alia multa. Alter vero multa conscribens exposuit, inter que librum qui intitulatur Anticlaudianus, et regulas celestis iuris[e], et contra hereticos, et librum de vitiis et virtutibus, et de arte predicandi, librumque sententiarum, et multa alia sana et catholica conscripsit. Tertius nichilominus summam sententiarum cum multis aliis conscripsit. Hisdem temporibus Humbertus[f] Mediolanensis librum, qui sic intitulatur: *Frumenta*[g] *celestis mense*[h], et ita incipit: *Colligite fragmenta ne pereant*, quantitate et subtilitate insignem, scripsit.

41. Anno dominice incarnationis 1195. Heinricus imperator apud Tarentum constitutus, navibusque omnium necessariarum rerum affluentia onustis per mare christianorum exercitui transmissis, repatriare disposuit, nobilesque captivos triumpho reservans in Germaniam premisit, locis opportunis exiliatos conservari precipiens. Nam filium[96] Tancredi regis adhuc puerum in[i] Rhetiam Curiensem perductum oculis privari et in castro Amiso[k], perpetue captivitati addictum custodiri precepit. Qui ubi ad virilem etatem pervenit, de transitoriis desperans, bonis operibus, ut fertur, eterna quesivit, celestibus inhiando, quod[l] terrenis non potuit. Nam de activa translatus coacte, contemplative studuit, utinam meritorie. Sponsam vero ipsius[97], filiam Constantinopolis[m] imperatoris, imperator Philippo fratri suo desponsavit, reginamque Apulie, uxorem Tancredi, Sibiliam nomine, filiamque eius apud monasterium virginum Hohinburc[n] dictum in Alsatia custodie mancipavit. Margaritam vero archipiratam et Ricardum comitem imperatricis consanguineum, luminibus, ut dictum est, privatos, eternis vinculis apud Trivels deputavit; sicque victoriosissimus terra marique potens augustus in Germaniam rediens, repatriavit[98].

Welf dux obiit. Leopaldus etiam dux Orientalis, nato[o] apostemate in crure, ipsoque crure propter intolerabilem dolorem preciso, ingravescente dolore, vitam cum dolore terminavit. Eodem tempore Ricardus ante dictus[p] rex Anglorum in obsidione cuiusdam castri sagitta occiditur[99], succedente ei[q] in regno fratre eius Iohanne.

42. Hisdem[r] diebus tertia expeditio transmarina mota, multos nostrarum partium principes ad Hierosolymitanum iter cum multis aliis accendit. Inter quos primatum habebant venerabilis Maguntinensis archiepiscopus Cůnradus, nec non et Cunradus cancellarius, episcopus Herbipolensis illustres. Huic expeditioni interfuerunt Fridericus dux Orientalis, filius Leopaldi, pro patris anime remedio suam positurus eadem via in mortem, sed temporalem ut sperandum est, animam, succedente sibi in ducatu Leopaldo fratre suo; nec non

a) *ita* 1. b) *ita* 1. 2. c) Terrenum 2. d) Quorum — innodavit *desunt* 1*. 3. e) *ita* 1; viris 2; vitae *edd.* f) Lumb. *edd.* g) fragmenta 1*. h) messis *ed.* i) *deest* 1. 1*. 2. k) Empz *notavit secunda manus in margine* 1, *quod* 1* *in textum recepit; in* 3 *vero haec ita scribuntur:* in castro Emp ... l) quia t. uti non p. 1*. m) Constantini 1*. n) Hohinburg 1*. o) nato — tempore *desunt* 1*. 3. p) a. d. *add.* 1. 2. q) sibi 1*. r) *totum caput* 42. Hisdem — effectu *omittunt* 1*. 3.

94*) cf. Toeche l. c. p. 356. A. 95) Ussermannus nullo, uti videtur, codice fultus correxit *Praepositivus*, et ipsum cancellarium universitatis Parisiensis fuisse asserit. 96) Wilhelmum. USS. 97) non Wilhelmi, sed fratris eius Rogerii. USS. 98) mense Iulio 1195. 99) 1199. die 26. Mart.

Heinricus palatinus Rheni, filius Heinrici ducis Saxonie, sororius regis Anglie, frater Ottonis imperatoris[a], cum duce Brabancie de Lovin multisque aliis preclaris baronibus, cum expedita militia crucem suam tollentes Christumque sequi cupientes, ad auxilium transmarine ecclesie transfretaverunt, ibique adhuc de priori expeditione multos invenerunt. Quibus coniuncti, paganis[b] cottidie igne ferroque instantes, plurimam pervase[c] terre partem receperunt, castrumque Torolts[1] natura et arte munitissimum obsederunt, quod et cepissent, si non auri sacra fames in mente quorundam Christo preponderans id impedivisset. Nam sicut fertur, quidam de militibus Templi a paganis corrupti pecunia, animum Cůnradi[2] cancellarii, qui in hac ipsa obsidione precipue clarebat, cum quibusdam aliis inflexerunt, eisque auri maximo pondere collato obsidionem solvere persuaserunt, sicque vendito Christo, tradito paganis castello[d], sicut olim Iudeis, recesserunt, nec tamen de pretio taliter acquisito aliquod emolumentum, sicut nec Iudas de triginta argenteis, consecuti sunt. Siquidem pretio corrupti corruptum a paganis aurum metallo sophistico, auro in superficie colorato, receperunt, sicque opprobrium sempiternum cum nota infamie merito consecuti sunt. Id sane castellum, si captum christianorum potestati cessisset, vim paganorum in ea regione admodum contrivisset. Sed[e] statim eodem Cůnrado cancellario repatriante, emenso mari ad Wirziburc sedem suam rediit, ibique postmodum contra regnum conspirans et montem sancte Marie in ipsa urbe pro castello muniens, publice rebellavit, rebusque ecclesie multifarie dilapidatis, a quibusdam ipsius ecclesie ministerialibus, quos in guerra cum ipsis habita admodum iniuriaverat, in ipsa civitate occiditur et apud eandem 1202. ecclesiam sepelitur[f]. Dicitur tamen de eo, quod in corpore ipsius quedam castigationis indicia inventa sint, quibus districta[g] conversationis ipsi penitentia sit ostensa.

Sed ut ad digressa redeamus, exercitus peregrinorum apud Accaron constitutus, conversatione Templariorum, Hospitaliorum[h] reliquorumque terre ipsius[i] baronum scandalizatus, taleque commercium et quandam quodammodo secretam familiaritatem eorum cum paganis detestans, se ab eorum auctoritate ducatuque alienavit, auctoritate propria regi cepit, et multis tam publicis quam privatis congressionibus cum paganis habitis, victoriam sepius consecutus, actibus preclaris admodum enituit. Videntes itaque conpatriote militiam peregrinorum alacriter incedere, eisque pro voto cuncta succedere, sicut ab his qui eidem expeditioni interfuerunt audivimus, plus eorum industriam quam paganorum malitiam metuentes, insidias parant, peregrinosque omnes dolo occidendos conspiratione cum paganis habita, deliberant, Heinrico rege eorum, ut fertur[k], in id ipsum consentiente. Verebantur enim, ne si peregrini paganis prevalerent, eos patria pulsos arcerent, eamque vi obtinentes possiderent. Hacque de causa mortem vel captivitatem eorum machinati sunt. Nam que sua sunt, non que Iesu Christi querentes, regionem maritimam que fertilissima est, propter rerum ubertatem tantum obtinere delectantur, Ierusalem sepulchrumque Domini parvi pendentes, ideoque tanto tempore tantisque exercitibus parum proficientibus, Hierusalem conculcatur a gentibus. Igitur Heinricus rex cum suis fautoribus in fenestra altissime turris apud Accaron residens, ut fertur, et qualiter auxilio paganorum peregrinos morti exponeret, capiens consilium, divinum iudicium, in quod horrendum est incidere, expertus est[l], ac de fenestra, cui insidebat pessima tractans, nutu Dei forinsecus corruens, quassatoque membratim corpore, spiritum exhalavit, sicque pravorum dissipato consilio, res ut proposuerant caruit effectu.

43. His diebus Heinricus imperator, Friderico filio suo infante[m] adhuc rege post se designato, contracto exercitu[n] tertia vice Italiam intravit[3], ac Pyreneum[o] transiens cunctaque in Tuscia et in Campania pro libitu disponens, in Apuliam et Calabriam divertit, ibique potenter residens, ad obtinendam Greciam imperiumque Constantinopolitanum intendit animum. Nam bello intestino fraternaque discordia pro regno exhaustam Greciam considerans eamque Romano imperio subicere desiderans[p], quo id modo fieret sagaci mente tractabat. Inter hec imperator Grecorum, missis ad eum legatis, auxilium ipsius contra

a) *secunda manu superscriptum* 1. b) a paganis *edd.* c) *secunda manu deletum in* 1, *deest* 2. d) *ita* 1. 2; tradito paganis per castellum *Urst., quae etiam prius in* 1 *sic habebantur, in quo* per *et* um *erasa et* castello *correcta sunt.* e) Nec 1. f) et — sepelitur *add.* 1. 2; *desunt edd.* g) districtae *edd.* h) *ita* 1. i) *add.* 1. 2. k) ut f. *add.* 1. 2. l) in — est *desunt* 2. m) adhuc infante 1*. n) cont. ex. *desunt* 1*. o) Pyrereneum 2. p) eamque — desiderans *desunt Urst.*

1) Toron. 2) Eadem refert Arnold. Lub. VII, 2. De Cunrado episcopo Wirzeburgensi vide Abel K. Philipp p. 356 sq. 3) medio anno 1196.

fratrem suum quesivit. Qui habita deliberatione, omnes ad id voluntarios auroque Grecorum sollicitatos milites et sariandos illuc direxit, salutem ipsorum in hoc negotio fortune committens. Itaque multi spe lucri eandem militiam aggressi in Greciam transvecti sunt, illucque auxilio intenti, ubi se sperabant liberalius appretiari. Interea Grecorum imperator[5] a fratre captus luminibus privatur[a] et arta custodia servatur[b], ipseque imperium cum urbe Constantinopolitana nactus, militiam Teutonicorum ad se vocatam in gratiam cesaris liberaliter habuit, ipsorumque[c] adiutorio prosperatus, regnum Grecorum obtinuit, filio excecati eum pro posse impugnante. Huius ceci regis filiam filio Tancredi, ut supra retulimus[d], desponsatam imperator Heinricus apud Palermum[e] repertam Philippo fratri suo desponsaverat, hacque de causa idem cecus imperator desperatis rebus ipsum Philippum cum filia heredem regni a fratre ablati adoptaverat, et ut hoc consequeretur, opem augusti assidue sperabat[5*].

His Constantinopoli ita gestis, Heinricus imperator in Sicilia manens, imperii negotia in eisdem regionibus pro velle suo disposuit, iudices regionibus, iura civitatibus, leges potestatum dignitatibus constituens; insuper insulas maris vectigales faciens, imperium admodum dilatavit, exercitu eius cum instructis navibus et munitis galinis maritima percurrente.

44. Anno dominice incarnationis 1196. Heinricus imperator, mortuo fratre Cůnrado[f, 6], Philippo fratri suo, qui in Sicilia interim cum eo manebat[6*], data sibi sponsasua[7], filia Constantinopolitani imperatoris, ducatum Alamannie concessit, ipsumque cum eadem sponsa sua in Germaniam destinavit. Qui in[g] Alamanniam[h] perveniens, apud Augustam urbem in
1197. Mai. 25. pentecoste[i] armis cinctus, nuptias magnifice celebravit in loco qui Gunzinlech[8], a quibusdam concio legum[9], dicitur, ac postea assumptis militibus Alpes transcendens, in Siciliam ad imperatorem rediit, citatus ab eo, negociis suis per omnem ducatum Diethelmo Constantiensi episcopo commendatis.

45. Anno dominice incarnationis 1197. Heinricus imperator, hostibus imperii circunquaque subactis, terra marique potens, in ultimis Sicilie finibus constitutus, immatura morte preventus est[10]. Cuius mors genti Teutonicorum omnibusque Germanie populis lamentabilis sit in eternum, quia aliarum terrarum divitiis eos claros reddidit, terroremque eorum omnibus in circuitu nationibus per virtutem bellicam incussit, eosque prestantiores aliis gentibus nimirum ostendit futuros[k], nisi morte preventus foret, cuius virtute et industria decus imperii in antique dignitatis statum refloruisset. Itaque apud Messanam[l] civitatem Sicilie defunctus, ibidem[10*] cum maximo totius exercitus lamento cultu regios epelitur, filium etatis annorum quatuor relinquens. Post cuius mortem Philippus dux Suevie maximo periculo insidias illorum provincialium declinans, vix repatriavit. Nam, ut prelibatum est, ab imperatore prius citatus erat hac de causa, ut filium ipsius ex Apulia perduceret in Germaniam, ubi a principibus in regem electus a Coloniensi episcopo inungeretur, ut moris est. Imperator enim in Italiam migrans eundem filium suum cum consensu principum cunctorum preter Coloniensis episcopi regem post se designaverat, qui tamen postea resipiscens ceterisque principibus vix inductus acquiescens puerum in regem collaudavit. Hoc itaque negotio Philippus dux in Italiam profectus, cum venisset Romam[11], mortuum imperatorem percepit, statimque regrediens, in Tuscia et in Italia insidiis diversorum periclitatus, vix evasit; sicque negotium hoc inefficax premansit, puero in Sicilia cum matre remanente.

Hisdem[m] temporibus compatriote earundem regionum, scilicet Apulie, Calabrie, Sicilie, memores iniuriarum, quas ab imperatore Heinrico sustinuerant, in gentem Teutonicam maxima sunt invidia efferati, acceptam iniuriam pro posse in eos vindicantes; eaque de causa multos peregrinos gentis Teutonice de transmarina expeditione remeantes per terram illam, mortuum imperatorem nescientes, multis modis iniuriabant, nullusque sine iniuria

a) privatus 1*. b) servatus 1*. c) ipsoque 1*. d) *deest* 1*. e) Balermum 1; Balernum 1*. f) Cůonrado mortuo 1*. g) *deest* 1. 1*. h) Alemann. 1*. i) pentecostibus 2. k) futurus 1. l) Mesanam 1. 1*. m) Hisdem — invidia *desunt* 1*. 3.

5) Isaac Angelus. 5*) De erroribus auctoris vid. Toeche l. c. p. 366. A. 6) die 15. Augusti 1196; v. Stälin Wirt. Gesch. II, 129. 6*) cf. Toeche l. c. p. 440. A. 7) Irene filia Isaac Angeli. 8) De hoc loco, saeculo XV. undis Lici submerso, vide Stälin I, 455. 9) Eodem fere nomine vocatur a Burcardo et Annalibus Weingart.; Stälin II, 134. 10) die 28. Sept. 1197. 10*) Panormi; cf. Toeche l. c. p. 471. 11) v. Stälin II, 136 not. 1.

illesus transire poterat absque armis et sine comitatu multitudinis, multisque diebus hec duravit invidia.

46. Anno dominice incarnationis 1198. Celestino papa decedente, Innocentius tertius substituitur.

Igitur mortuo Heinrico imperatore[a], Philippus dux Swevie frater ipsius, regressus in Alamanniam de partibus Tuscie, satagebat omnimodis, ut principes electionem quam circa filium imperatoris fecerant, ratam haberent. Orientales itaque principes, videlicet dux Bawarie et Bernhardus dux Saxonie cum ceteris baronibus et episcopi Magdeburgensis et Salzaburgensis cum ceteris episcopis Orientalibus diem colloquii in partibus Turingie apud villam que vocatur Arnisperc[b, 12] prefixerunt. Quo veniente Philippo duce cum ceteris quos supra diximus, habito consilio, ipsum in defensorem imperii eligere decreverunt, quoad usque nepos suus, imperatoris filius, dudum tam ab ipso quam a ceteris principibus electus, in Alamanniam deveniret. Soluto ergo colloquio, ad oppidum Mulnhusin venientes 1198.
Philippum ducem in regem eligunt promissaque sibi subiectione digressi sunt. Mart. 7.

Archiepiscopus vero Coloniensis et Treverensis et quidam episcopi et Heinricus palatinus Rheni cum aliis baronibus illarum regionum aggregati, electionem filii imperatoris cassantes, vocaverunt ducem Bertoldum de Zaringin[c], ipsum in regem eligere volentes. Qui cum ad diem condictam Coloniam venisset, dissuasus a consiliariis, ne electioni eorum consentiret propter contradictionem principum Orientalium et electionem filii imperatoris iam factam, promisit se de[d] his deliberaturum. Regressus est igitur ab eis datis obsidibus die constituto reversurum se[e] promittens. Quo non reverso, retentis obsidibus, pecuniam, quam sub conditione promiserat, obsides dare coegerunt, mittentesque comitem Emichonem de Liningen vocaverunt Ottonem, Heinrici quondam ducis Bawarie et Saxonie filium, quem venientem regem creaverunt, faventibus quibusdam illarum partium civitatibus. Sic ergo divisis contra se regni principibus, regnum Cisalpinum contigit plurimum desolari. Principes etenim, qui electionibus regum non interfuerant, postmodum se vicissim ad alterum eorum conferebant, Lupoldus videlicet dux Orientalis et rex[f] Boemie, nec non etiam lantgravius de Duringin[g] et Bertoldus de Zaringin ad Philippum, dux Brabantie ad Ottonem et quidam alii.

Itaque uterque regum pro principatu suo satis agens, bellum hoc civile pene per 12 annos pertinaciter protelarunt. Nam Philippus regalia tradente sibi Heinrico imperatore fratre suo tenens, omnesque thesauros ipsius possessionesque prediorum aliorumque fratrum suorum, ditissimorum videlicet principum[h], ipsorum heres, solus obtinens, principes Ottoni faventes, quosdam minis, quosdam promissis et donis in sui partem transduxit, et innumeras expeditiones sepissime contra Ottonem promovit, civitates castellaque per diversa loca expugnans, rebellantes undique ad deditionem coegit. Otto vero auxilio fretus Heinrici palatini fratris sui et Coloniensium, impetus Philippi constanter sustinuit, archisoliumque quod Aquisgrani est adeptus, a[i] Coloniensi episcopo cooperante Treverensi, qui ad hoc specialiter privilegiati sunt, in regem unctus, gloriabatur, se etsi non regalia iura tamen et loca regalia retinere[k, *].

47. His[l] temporibus, ut veraci relatione comperivimus, sacerdos quidam sancte conversationis nomine Volco, in Francia, in Parisiensi diocesi, cuiusdam ecclesie parochianus, verbo predicationis per omnes Francie partes instans, gratia miraculorum mirifice claruit, ac precipue in Parisiensi civitate vitia Deo odibilia et maxime avaritiam eiusque accidens usuram Sodomiticumque scelus reprehendit, et nunc minis, nunc blanditiis, nunc increpa-

* *Ad marginem capitis 46 manus saeculi XIII exeuntis hos adscripsit versus in* 1:

archiepiscopi
Maguntinensis, Treverensis, Coloniensis,
Reni Saxoniae
Inde palatinus dapifer, dux portitor ensis,
de Brandenburg " rex
Marchio prepositus camerae, pincerna Boemus,
Romanum statuunt regem concorditer isti.

quos 1* *et* 3 *receperunt in textum addito verbo* Nota.

a) imp. Heinr. 1*. b) Arnisperg 1*. c) Bertoldum ducem Zaringin 1*. d) in 2. e) *deest* 1*. f) dux 3. g) Turingia 1*. h) vid. princ. *desunt* 1*. i) et a 1*. k) tenere 1*. l) His — defendi (*cap.* 47) *desunt* 1*. 3.

12) potius Arnestede.

tionibus omnes verbum audientes ad penitentiam invitavit, atque, sicut percepimus ab his qui interfuerunt, laborantibus variis languoribus per impositionem manus contulit sanitatem, reddens cecis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam. Hecque sic evidenter et confidenter egit, ut in digito Dei hec eum operari non dubitaretur. Ergo tam preclara tamque multa miracula per eum Deus ostendit, ut antiquis sanctis omnimodis posset in hoc dono Dei equiparari. Non ergo temere opus predicationis assumpsit, sed auctoritate domini pape episcoporumque precepto ad hoc accessit, asserens, quod beata virgo Maria sibi apparens ad hoc eum officium informaverit, et ut penitentiam populo predicaret, admonens, datam sibi a Deo gratiam sanitatum intimavit. Igitur pauca de pluribus, sicut Bertoldus de Ôsinberc Heinrico custodi Argentinensis ecclesie de Veringin, postea eiusdem ecclesie episcopo, transcripsit, qui his interfuit, in medium producentes, declarabimus, ad ostendendum, cum quali confidentia ea operatus est. Allatis denique ad eum mutis, sicut idem Bertoldus[a] oculis suis vidit, ora eis aperiens insufflavit, eisque ut loquerentur imperavit. Qui si aliquandiu morarentur, eos in maxillam cedendo, quasi per vim Spiritus sancti verbum ab eis violenter extorsit, statimque loquentes reddidit. Contigit quoque eum quadam die causa quadam ad regem Francie pergere, cui occurrentes milites quendam adolescentem cognatum suum debilem et contractum obtulerunt, et ut ei manum imponeret, suppliciter petierunt. Quos ille de pompali admodum superfluitate acriter reprehendens, contracto, ut equo quo sedebat descenderet, imperavit. Itaque puer omnino debilis, cum se movere non poterat, iterato sacerdos ei inquit: *In nomine domini Iesu Christi precipio tibi ut descendas.* Cum nec ad hanc vocem eger posset descendere, domnus Volco, nam et ipse equo sedebat, equum ad eum urgens, quasi eum percussurus baculum quem manu gestabat elevavit, egroque per hoc stuporem incutiens, eumque pre timore de equo corruentem elevans, sanum continuo reddidit, eumque per aliquod campi spatium coram se gaudentem currere fecit. Inter cetera virtutum eius insignia feneratorem quendam ditissimum videns in spiritu ad vitam esse predestinatum, occasione prandendi cum eo ad salutem eius sumpta, domum eius ingressus est. Ad quem vir Dei: *Quid,* inquit, *pransuri sumus hodie?* Cui dives: *Non est necesse, domne, vos hoc inquirere, quia quicquid civitas optimum habere poterit in cibis, vobis hodie non deerit.* Quare vir Dei clericis[b] qui secum venerant assumptis, coquinam eius intravit, et coco, ut singula fercula se presente exponeret, iussit. Quod dum faceret, mirum dictu, pro variis et pretiosis que imposuerat, aut ranas de singulis aut serpentes exposuit. Quo viso, omnes qui aderant in stuporem conversi sunt, et precipue dives ille se peccatorem agnoscens, pedibus eius provolvitur, se peccatorem, se criminosum proclamans, et ut sibi viam vite per indictam penitentiam ostendat, summopere precatur. Ad que sacerdos: *Immundus es tu, et omnia que habes. Et nisi omnia que ex usuris vel quolibet modo iniuste acquisivisti, reddideris, ac deinde omnibus iuste acquisitis in pauperes erogatis, per eleemosynam peccata tua redemeris, indulgentiam non mereberis.* Cui dives obediens, ac septimanas nichil agens[c], hec devotus implevit. Dehinc ad virum Dei reversus, nil sibi remansisse indicavit. Quidam autem ex amicis eius astans, se adhuc in vasa 20 maltra tritici de rebus eius reservasse indicavit, que dives alia expendens oblitus erat. Sacerdos igitur assumpto divite, turba clericorum amicorumque eius multorumque aliorum comitante, ad vas accessit, ipsumque aperiens, bufonibus serpentibusque plenum reperit. Sacerdos autem ad divitem versus: *Si vis,* ait, *perfectus esse et certus de divina misericordia et venia, vas istud ingredere nudus, et ego tibi vitam eternam promitto.* Cui ille magna fide obediens, coram omnibus in remissionem peccatorum suorum nudus intravit, clausoque vase ac signato super eum, sacerdos omnes usque in crastinum abesse precepit. Itaque sequenti die cum eis qui hoc viderant et cum multis aliis ad locum venit, et aperto vase, nichil preter humana ossa super nivem candida invenit. Que in medium proferens, sancta et veneranda esse protestatus est, et cum gaudio et admiratione omnium in loco honesto reposuit. Meretricum autem sectam, que infami commercio vitam suam probrose prostituerant, omnimodis in ea regione deposuit, easquę verbo predicationis conversas, conplures truncatis crinibus habitu religionis induit professione perpetue castitatis; alias autem que continere non presumebant, casum ex fragilitate timentes, data eis in dotem non modica pecunia, legitimo connubio reformavit. Ad quod efficiendum Parisienses scholares ducentas quinquagintas libras erogaverunt argenti, burgenses quoque mille et amplius.

a) Pertoldus 1. b) cum clericis 1. c) adagens 1 2.

Huius sacerdotis conversatio non multum[a] simulata religione fuit. Vestes enim pro consuetudine ipsius terre habens, barbam frequenter radebat, caput decenti pileo cooperiens. Vadens ad predicandum equo utebatur, et in quamcunque domum receptus est, modo iusti predicatoris comedit et bibit que sibi apponebantur. Magistrum etiam Petrum, virum apprime eruditum, ad officium predicationis assumpsit, eique gratiam curationum a Domino impetravit, reliquos magistros, ut compendiosas et dulces et utiles in timore Domini discipulis facerent lectiones, adhortans. Dialecticos enim inutilia abicere, utilia in hac arte monuit reservare[b]; decretistas quoque de multis inutilibus et lectionem gravantibus concordantiis reprehendit; theologos autem de longis continuationibus et sophisticis disputationibus redarguit, reliquarumque artium magistros simili modo increpans, eos de multis inutilibus correxit, atque ad necessaria tractanda et docenda informavit. Hic sacerdos quid egerit his peractis, vel quo fine defecerit, ignoratur, sapientioribus, quia de eius transitu nichil memoria dignum, ex hoc admodum scandalizatis. Sed hoc frustra, cum possit multipliciter honeste defendi.

48. Igitur Innocentius papa Philippo iam antea offensus, eo quod in Tuscia existens quoddam patrimonium sancti Petri invaserat, ipsum in regem eligere non consensit, sed Ottoni favens, ipsum in defensorem Romane ecclesie collaudavit. Veruntamen procedente tempore videns vires Ottonis ablatas, et favore principum admodum concidisse, Philippum vero, subiectis[c] Ottonis fautoribus[d], prevaluisse ipsi deferens[e], duos cardinales ex latere suo, Hugonem videlicet Hostiensem et Velletrensem episcopum et Leonem tituli Sancte Crucis in Ierusalem presbyterum cardinalem, ad eum direxit[13], ut auctoritate apostolica ad litem terminandam data ab utrisque[f] pace, ad diem et locum condictum reges convenirent, ibique mediantibus cardinalibus[g] aliisque principibus, qualicunque conditione pax inter eos reformaretur. Itaque die condicta in inferioribus Reni partibus, non procul a Colonia[14], convenientes, post multa passim tractata Ottoni a Philippo per cardinales offertur, ut accepta in uxorem filia eius cum ducatu Alamannie aliorumque prediorum suorum redditibus, regio nomine deposito ipsi de cetero ut regi pareret, Philippo ex hinc sine controversia regnante. Ad hec[h] Otto, quamvis iam desperatus, indigne ferens aliqua sibi pro regno offerri, se regnum non nisi cum morte depositurum protestatus, Philippo ut sibi cederet multo maiora obtulit. Talique ambitione non convenientes, infecto negotio ab utroque discessum est[i], cardinalibus ad regem Philippum se conferentibus, eique favorem domni apostolici offerentibus.

49. Anno dominice incarnationis 1205. dux Venetiarum cum markione de Monteferrato ac multis Italicis, nec non et comes Flandrensis plurimique de regione Galliarum, Hierosolymitane[k] ecclesie subvenire nitentes, cruce accepta per Greciam iter arripiunt, ubi a Grecis et maxime a[l] Constantinopolitanis multis versutiis et iniuriis irretiti sunt. Unde permoti, profligata circa urbem regiam universa regione, belloque cum imperatore habito, ipsoque cum multis occiso, urbem obsessam expugnantes irrumpunt, in rapinamque efferati, nec ecclesiis parcentes, auri et argenti aliarumque rerum inestimabiles thesauros diripuerunt, Venetianis cum Pisanis Genuensibusque[m] ac multis de omni Italia, Ungaria, Germania, Gallia, Hispania ad auxilium eorum spe lucri vicissim tendentibus. Itaque multis occiduis regionibus divitie Grecorum invecte sunt, ac precipue ornatus templi, quod Iustinianus imperator in honorem agye Sophie quondam construxit, multo[n] auri extans pondere cum reliquiis sanctorum innumerabilium, quibus hec civitas prestabat omni Orienti, Venetiam ex maxima parte translatus est, aliis regionibus civitatibusque[o] eisdem reliquiis thesaurisque admodum ditatis. Preterea abbas quidam nomine Martinus, Cisterciensis ordinis de monasterio Parisio, quod situm est in Alsatia, eandem expeditionem aggressus, huic expugnationi Constantinopoleos interfuit, indeque maximam partem vivifice crucis aliarumque reliquiarum dominicarum cum multis sanctorum reliquiis, ornatis auro et argento et lapidibus pretiosis, in patriam transtulit, hisque totam Germaniam cum Alsatia admodum nobilitavit.

a) non multum conversatio 1. 2. b) reserare 1. c) subiectum 1*. d) f. O 1*. e) *addunt* 1. 1*. 2. f) *bis in* 2. g) *deest* 2. h) ad hoc 1*. i) *hic glossema* 1 *in inferiore margine inscriptum:* Philippus rex creatur *a* 2 *in textum receptum est.* k) Ieros. 1*. l) *deest* 1*. m) Genuens. *corr. secunda manus in* 1 Ianuens. n) multi 1*. o) civitatibus 1*.

13) medio anno 1207; v. Böhmer R. I. 1198–1254 p. 313 n. 228. 14) Erravit Noster; prope Quedlinburgum mense Septembri 1207. hoc factum est; v. Böhmer l. c. p. 24.

Sic[a] itaque districtus iudex omnipotens Deus iniurias peregrinorum suorum vindicavit, que a Grecis ab antiquo omnibus Ierusalem per fines suos tendentibus semper irrogata est. Deus ultionum dominus, reddens retributionem superbis, nec tamen in ira sua misericordie oblitus, quod hoc flagellum non a paganis sed a christianis super filios pestilentie induxit, hoc nimirum meritis sanctorum exigentibus, ne preclare eorum reliquie manibus paganorum polluerentur, sed a christianis alio translate debito colerentur honore. Itaque Latini nec non Teutonici pulsis seu occisis Grecis civitatem regiam obtinentes, comitem Bonifacium regem creaverunt, totamque Greciam devastantes variis preliorum eventibus cum Grecis decertarunt. Sed de hiis hactenus[a].

50. Anno dominice incarnationis 1208. Philippus rex subiectis sibi multis modis pene omnibus Ottonis fautoribus, ipsum postremo persequi deliberat, contractoque valido exercitu contra Brunswic[b] ire disponens, in civitatem Babinbergensem divertit, exercitu iam in procinctu constituto, ibique flebotomatus aliquandiu quiescere voluit. Itaque Otto palatinus de Witilinsbach[c], remordente memoria iniurie sibi in ablatione filie a Philippo rege exhibite — desponsatam enim illi filiam pretenta[d] consanguinitatis propinquitate negaverat — tempus opportunum ratus, atque instigatione marchionis de Anedehse[e] animatus, in vindictam exarsit, sociorumque frequentia stipatus, quasi in expeditionem iturus, Babinberc[f] ad regem Philippum divertit, et quasi ei[g] in aurem loquuturus cubile regis familiariter pulsavit, gladio sub veste latente. Intromissus igitur continuo exerto gladio regem invasit, unoque ictu capite letaliter vulneratum occidit[15], vulnerato etiam Heinrico dapifero[h] de Walpurg, qui eum comprehensum retinere voluit; sicque cubili erumpens, ascenso equo cum sociis secessit, rege statim expirante. Exercitus igitur[i] audiens regem occisum, veloci regressu repatriavit, sibi rebusque suis quasi prospiciens. Nam quaquaversum omnes in rapinam efferati, civitates ad ius Philippi spectantes plerasque rebus direptis succenderunt, monasteriis villisque undique spoliatis, nullusque sine armis multoque comitatu securo itinere incedere valebat.

Occiso igitur Philippo, anno belli huius[h] civilis duodecimo, Otto regnum, pro quo diu conflixerat, tandem obtinuit. Sed quia admodum attenuatus fuerat, paulatim conversis ad se principibus confortatur. A nativitate itaque sancti Iohannis baptiste, quando videlicet occisus est Philippus, usque ad autumnum attrahendis sibi regni possessionibus et con-
1208. ciliandis principibus instans, circa festum sancti Martini curiam apud Frankinfurth[k] habuit[16].
Nov. 11. Itaque lege pacis promulgata, regnum turbatum paulisper tranquillavit. Post hoc apud castrum Noricum colloquium habens, a Bawaria in Alamanniam pervenit, ibique in epipha-
1209. nia Domini apud Augustam colloquium habens, Ottonem palatinum de Witilinsbach[l] nec
Ian. 6. non markionem de Anadehse lege Bawarica sententialiter propter occisum Philippum proscripsit, eosque dignitatibus, beneficiis ac prediorum suorum reditibus[m] sine spe recuperationis iudicialiter privavit, dignitates eorum in alios transferens, aliisque beneficia concedens, reditibus prediorum heredibus eorum delegatis, captisque ibidem quinque pacis violatoribus uno decollato, quatuor suspensis. Ubi etiam legatis civitatum Italie ad eum venientibus insignia civitatum cum clavibus aureis et multis aliis donis offerentibus ac per hec subiectionem profitentibus susceptis, in Saxoniam perrexit.

1209. 51. Anno dominice incarnationis 1209. Otto rex generale colloquium in quadragesima
Mart. habens apud Hagenowe[n], expeditionem in Italiam principibus edixit, ibique occisum esse Ottonem palatinum de Witlinsbach a marscaldo Heinrico de Kallindin in vindictam Philippi regis nuncium accepit. Igitur fortuna prosperis successibus arridente, ne principes qui cum[o] Philippo fuerant, et hii qui Ottoni prius adherentes demum apostataverant regem conscientia[p] remordente suspectum haberent, medium quoddam necesse fuit interponi, ne occasione, ut fieri solet, alicuius discordie conflata, in pristinum rursus exitium regnum involveretur. Ad hoc nullum magis idoneum[q] inveniri potuit, quam ut Otto rex acciperet in matrimonium Philippi filiam, que connexione insolubili concordiam inter regem et principes stabiliret. Et quia hoc sine licentia apostolice auctoritatis fieri non licuit[r], cognatione[s]

a) Sic — hactenus *desunt* 1*. 3. b) Brunsuic 1*. c) Witilisbach 2. d) praextexta 3. e) Anadechse 1*. f) Babinberg 1*. g) ei quasi 1*. h) *deest* 1*. i) ergo 1*. k) Vranckenfurt 1*. l) Wittelinsbach 1*. m) beneficiis *hic repetitur in* 2; ac praediorum suorum reditibus *desunt* 1*. n) hagenŏue 1*. o) *secunda manu in margine* 1 *additum.* p) scientia 1*. q) id. magis 1*. r) n. l. f. 1*. s) *hic abrumpitur* 3.

15) die 21. Mai. 1208. 16) v. Böhmer l. c. p. 39.

impediente — nam pater Ottonis avunculus fuit Friderici imperatoris, patris Philippi — missi sunt[17] a sede apostolica cardinales duo, videlicet Hugo Hostiensis et Velletrensis episcopus et Leo tituli Sancte Crucis in Ierusalem presbyter cardinalis, qui priore anno vivente Philippo pro eadem causa, ut prelibatum est, legatione functi erant, ut necessaria dispensatione connubium hoc, gratia pacis et concordie auctoritate beati Petri ex apostolica conniventia[a] initum, ratum et legitimum statuerent, idque remoto omni scandalo, ecclesia dispensante probabile confirmarent. Qui ad regem venientes eumque apostolica benedictione salutantes, causam legationis sue, ut relatum est, aperiunt, eumque libenti animo consentientem ad hoc ad defensionem Romane ecclesie invitaverunt.

Itaque ad hec exequenda generalis curia principibus apud Herbipolim[18] indicitur in 1209. Mai. 24. octava pentecostes[b]. Principes igitur ex diversis regni partibus ad hanc curiam convenerunt, legatique civitatum Italie subiectionem offerentes interfuerunt, Ottonemque regem regali ambitione tota coronata civitate, cum maximo tripudio susceperunt, ibique in palatium regale congregati, extructo tribunali rex conscendit, cardinales habens collaterales, reliquis principibus circumsedentibus. Itaque Hugo Hostiensis episcopus cardinalis primo exorsus, de causa regalis connubii, pro qua convenerant, rationabiliter Latino idiomate allegavit, interpretem habens Wirziburgensem[c] episcopum, regique Ottoni, ut pro bono pacis et concordie ad abolendam preteritorum malorum memoriam cum filia illustrissimi principis Philippi matrimonium contraheret, auctoritate Dei et beati Petri per apostolicam obedientiam in remissionem peccatorum suorum precepit. Rege igitur ad hoc devoto animo consentiente, abbas Morimundensis Cisterciensis ordinis surrexit, omniumque abbatum aliorumque claustralium utriusque ordinis, Cluniacensis videlicet et Cisterciensis, personam assumens, delictum hoc connubio contra consuetudinem ecclesie quamvis dispensatorie committendum, monastico ordini auctoritate apostolica imposuit, regi per hoc iniungens penitentiam, ut monasteriorum aliarumque ecclesiarum pro posse defensor existeret, viduis et pupillis iusto iudicio preesset, monasteriumque Cisterciensis ordinis in fundo proprio edificaret, ac post hec[d] ecclesie Hierosolymitane in propria persona subveniret. His omnibus rege obediente, puella iam nubilis a duce Leopaldo[e] Orientali et Ludewico[f] duce Bawarie adducta, tribunali sistitur, ac de consensu interrogata, verecundata admodum ruboreque perfusa, se libenti animo consentire profitetur. Mox a duce Leopaldo cognato suo per manus cardinalium lege Francorum regi Ottoni desponsatur, a quo amantissime amplexata, publici signo osculi mutationeque annulorum[g] subarratur, tractatisque diversis regni negotiis, a curia digrediuntur, reginaque Saxoniam perducta apud Bruniswich[h] aliquandiu mansura collocatur.

52. Hisdem diebus Otto rex generalem curiam[i] circa festum apostolorum Petri et 1209. Iun. 29 Pauli[19] apud Augustam Vindelicam celebrans, premissis prius ad apostolicum cardinalibus, expeditionem movit in Italiam, et per vallem Tridentinam ducens exercitum, Veronam pervenit, ibique a civibus, ponte navibus compacto, per Athesim cum toto exercitu transductus, favorabiliter excipitur. Dispositis itaque inibi negotiis imperii, Gardam[20] castellum ab imperatore Heinrico VI.[k] Veronensibus quondam traditum, ab ipsis recepit, et in eo presidia imperii more antiquorum posuit. Exin[l] Bononiam[21] copias traiciens, generalem inibi curiam[m] cum principibus Italie celebravit, ac inde Mediolanum[22] perveniens, honorifice a civibus suscipitur. Ubi moram faciens negociaque rei publice disponens, validum ex omni Italia contraxit exercitum[n]. Pyreneum[o] transiens, Tusciam applicuit, nuntios ad dominum apostolicum patriarcham Aquileiensem et episcopum Spirensem cancellarium suum Romam premisit. Qui ex persona regis compositione imperialis consecrationis cum apostolico facta, ad regem regrediuntur, ipsumque cum universo exercitu ex parte domini apostolici filiali affectu compositionem consecrationis intimantes, salutaverunt. Qui mox ad Urbem tendens exercitum castra metari ante portas Urbis fecit, ipseque crastina die dominica ante festum sancti

a) licentia 1*. b) penth. 1*. c) Wirzeb. 1*. d) hoc 1*. e) Lupoldo 1* *semper*. f) Lod. 1. g) anul. 1*. h) Brunswic 1*. i) cur. gen. 1*. k) VI *deest* 1*. 2. l) Exinde 2. m) curiam inibi 1*. n) val. exerc. ex o. I. cont. 1*. o) Pir. 1*.

17) die 16. Ianuar. 1209; Böhmer l. c. 318 n. 278. 18) v. Böhmer l. c. p. 44. 19) rectius circa medium mensem Iulium. 20) die 18. Aug. 1209; Böhmer l. c. p. 46 n. 71. 21) die 1. Sept. 1209; Böhmer l. c. n. 76. 22) Error; cf. Böhmer l. c.

Michaelis[23], que eo anno 5. Kalend. Octobris evenit, a domino papa Innocentio[a] et a Romanis honorifice suscipitur, datoque sacramento, coram ecclesia se iustum iudicem ac viduarum et orphanorum tutorem nec non ecclesiarum et precipue patrimonii sancti Petri defensorem pro posse existere, ab apostolico consecratus coronatur, imperatorisque et augusti nomen nonagesimus sextus ab Augusto sortitur. Consecrationem igitur desideratam adeptus, cum magno tripudio ab Urbe recedens[b], in partes Tuscie divertit[24].

CONTINUATIO[c].

Eodem anno accepta corona consecracioneque adepta pugnam habuit cum Romanis, et contra voluntatem domni pape regnum Apulie intravit, et totam terram profligavit, auferens regnum Friderico regi Sicilie. Unde papa cum populo Romano permotus, Ottonem excommunicacionis anathemate vinculavit.

Tempore huius Innocentii inceperunt duo ordines solennes, videlicet ordo fratrum Predicatorum et ordo fratrum Minorum. Ordinem fratrum Predicatorum incepit sanctus Dominicus in Tholosanis partibus, ubi contra hereticos verbo et exemplo predicabat, anno Domini 1198, pontificatus domni Innocentii pape anno 6. Ordinem vero fratrum Minorum incepit sanctus Franciscus prope civitatem Asisiam anno Domini 1206, pontificatus eiusdem Innocentii anno 14, qui fuit annus conversionis ipsius, a quo post 24 annos defunctus est; qui Franciscus ante conversionem suam vocabatur Iohannes.

Anno Domini 1213. communi consensu principum Ottone ut dictum est excommunicato, Fridericus II. in regem eligitur. Qui veniens navigio Romam, ab Honorio papa tercio et populo Romano honorifice susceptus, in basilica sancti Petri solenniter coronatur, imperatorisque augusti nomen nonagesimus septimus ab Augusto sortitur. Hic veniens in Alemanniam, contra Ottonem invasorem ecclesie mirifice triumphavit.

Hic Honorius primo anno sui pontificatus ordinem Predicatorum confirmavit, beato Dominico natione Hispano eiusdem inventore procurante. Nam Innocentius III. papa qui durus sibi in hoc fuerat, visione habita quoniam beatus Dominicus Lateranensem ecclesiam cadentem humeris sustentasset, confirmare voluit, sed morte preventus non potuit. Hic papa Fridericum imperatorem primus excommunicavit, quia ut dicitur sibi post coronacionem statim rebellavit regnum Apulie auferendo. Hic papa post multa utilia que fecit decretales compilavit. Quo mortuo substituitur domnus Hugolinus episcopus Hostiensis, qui in papam consecratus Gregorius nonus est vocatus.

Gregorius igitur nonus natione Campanus mense Martii die nono post festum sancti Gregorii aput Septisolium electus fuit; sedit annis 14. Hic sanctam Elisabeth filiam regis Ungarie, relictam lantgravii Thuringie, canonizavit. Hic sententiam quam predecessor suus Honorius contra Fridericum fulminaverat roborando renovavit, quia dum concilium Rome nititur et ab imperatore vie per mare ac terram artantur, duo cardinales et multi prelati abbates et clerici, maxime per mare ad concilium venientes, per imperatoris fautores capiuntur. Hic papa per fratrem Raimundum ex pluribus voluminibus decretalium unum volumen compilavit, mandans ubique doctoribus eo uti.

Fridericus imperator occupans iam magnam partem patrimonii ecclesie, Gregorium papam in Urbe obsedit. Qui videns pene omnes Romanos esse pecunia corruptos, excepit capita apostolorum, et processionem a Laterano usque ad Sanctum Petrum faciens, animos Romanorum sic revocavit, ut pene omnes contra imperatorem cruce signarentur; quod cesar qui iam se credebat intraturum Urbem audiens, longe ab Urbe retrocessit. Deinde Gregorius papa tantis tribulacionibus concussus, Rome anno 14. mense Augusti migravit ad Dominum, beato Dominico prius ab eo canonizato. Cui successit Celestinus quartus natione Mediolanensis; sedit diebus 18. Cui successit Innocentius IV. natione Ianuensis; sedit annis 11. menses 6.

Fridericus imperator dum in Alemannia negotia regni tractaret, consensu principum adhibito Heinricum filium suum regem Alemannie constituit; ipse vero imperator trans-

a) Innocentio 1*. (III) b) recedit 1* *omissis caeteris.* c) *sequentem continuationem, quam 1* exhibet, damus ex Pertzii apographo.*

23) potius dominica post S. Michaelis festum, Octob. 4; v. Böhmer l. c. p. 47. 24) mense Octobri 1209.

alpinando in Italiam venit, ubi dum moram faceret, Heinricus rex rebellionem contra patrem nititur attemptare, coartans civitates regni et precipue circa Rhenum fidelitatem sibi promittere contra patrem. Ut autem super hoc certior efficeretur, aliquot pueros de singulis civitatibus obsides accepit; cui factioni solum Thuregum dicitur restitisse. Hiis et aliis multis imperator compertis, ipsum Hainricum captum in Apuliam ducens, squalore carceris suffocavit.

Post hec Fridericus imperator cruce signatus, durante sententia excommunicacionis, mare transivit, liberans sine magno labore sepulchrum Domini crucifixi de manibus incircumcisorum. Postquam autem ab Innocentio IV. papa depositus esset ab imperio, principes elegerunt contra ipsum Heinricum lantgravium Turingie, quo post modicum tempus mortuo, Willehelmus comes Hollandie contra ipsum denuo a principibus eligitur, sed post breve tempus a Frisonibus occiditur; et sic uterque electus benediccione caruit imperiali. Hiis temporibus floruit vita et scientia domnus Hugo cardinalis fratrum Predicatorum ordinis, qui doctor eximius doctrina sana et perlucida totam bibliam postillavit; concordantiarum etiam biblie primus auctor fuit. Huius Friderici temporibus in Burgundia a montibus circiter quinque milia hominum suffocantur. Nam unus maximus mons se dividens ab aliis montibus, per plura miliaria cuiusdam vallis transiens, ad alios montes accessit, in valle omnes villas terra et lapidibus operiendo. Tempore etiam eius in Toleto Hispanie urbe quidam Iudeus comminuendo unam rupem pro vinea amplianda, in medio lapidis invenit concavitatem nullam penitus divisionem habentem neque scissuram, et in concavitate illa repperit unum librum quasi lignea folia habentem, qui liber tribus linguis scriptus, videlicet hebraice, grece et latine, tantum de littera habebat quantum unum psalterium, et loquebatur de triplici mundo, ab Adam usque ad Antichristum, proprietates hominum cuiusque mundi exprimendo, principium vero tercii mundi posuit in Christo sic: *In tercio mundo filius Dei nascetur ex virgine Maria, et pro salute hominum patietur.* Et legens Iudeus, statim cum tota domo sua baptizatur. Erat etiam in libro scriptum quod tempore Ferrandi regis Castelle debebat liber iuveniri. Simile habes in Constantino sexto; anno cuius primo quedam aurea lamina in Constantinopoli in quodam sepulchro cum quodam defuncto ibidem iacente inventa est cum hac scriptura: *Christus nascetur ex virgine Maria, et ego credo in eum*

Anno Domini 1239. temporibus Friderici imperatoris gens Tartarorum occupatis Orientalibus et crudeliter subiectis, in duo agmina se dividentes, Ungariam et Poloniam intraverunt, ubi campestri bello habito multos nobiles et ignobiles tam viros quam mulieres in ore gladii peremerunt, sic reddentes precipue Ungariam in solitudinem, ut pre fame valida matres puerorum suorum carnibus vescerentur, et plerique pulvere cuiusdam montis pro farina uterentur.

Alexander quartus natione Campanus sedit annis 7, et cessavit menses tres, diebus 4. Huius tempore Manfredus filius naturalis quondam Friderici imperatoris gerens se pro pedagogo Counradi nepotis Friderici, ipso Conradino non vere mortuo publicato sibi ipsi coronam assumpsit, quod factum quia in preiudicium fuit domni pape, primo excommunicatus, post contra ipsum magnus exercitus sed parum proficiens mittitur; quem Manfredum Urbanus IIII. natione Gallicus, qui sedit annis 3, mense 1, diebus 3, qui successit Alexandro, cum exercitu crucesignatorum fugavit, et comiti Karolo fratri regis Francie regnum Sicilie ut a Manfredo detentore eius recuperaret contulit Cui successit Clemens IIII.[a] natione Provincialis; sedit annis 3, mensibus 9, diebus 21, et cessavit annis 3, mensibus 2, diebus 10.

Anno Domini 1251. Counradus rex filius Friderici ut mortuo patre Sicilie regnum suscepit, per mare in Apuliam devenit, et ibi capta Neapoli muros illius funditus destruxit; sed cum sequenti anno introitus sui in Apuliam infirmari cepisset, veneno mixto intulit sibi mortem.

Anno Domini 1260. supradictus Karolus, qui pro recuperacione regni Sicilie per Urbanum papam vocatus fuerat, navigio venit. Deinde intrans Apuliam, bello campestri habito predictum Manfredum et regno et vita privavit.

Anno Domini 12 ..[b] ut prius rex Ungarie pro terris regem Bohemie bello aggreditur, habens in exercitu suo diversarum Orientalium nationum homines, circa quadraginta milia equitum. Cui rex Bohemie cum centum milibus equitum et ut dicitur cum septem milibus

a) III. *codex.* b) M°CC° *c.*

equorum ferro coopertorum ad resistendum occurrit. Cumque in confinio regni prelium[a] inchoatum fuisset, ex collisione equorum et armorum tantus pulvis de terra surrexit, ut media die vix homo hominem cognoscere potuisset; tandem Ungari rege eorum graviter vulnerato terga vertentes, cum cedentes festinarent effugere, in quodam fluvio profundissimo quem transire debuerant preter alios occisos circa 14 milia hominum submersi dicuntur, rege Bohemie victoria habita Ungariam intrante. Rex Ungarie pacem querit, terras que discordie causa fuerant restituit, et in futuram amiciciam mediante matrimonio confirmavit.

Anno Domini 1264. cometes tam nobilis apparuit, qualem nullus tunc vivens ante vidit; ab oriente enim cum magno fulgore surgens usque ad medium emisperii versus occidentem comam perlucidam protrahebat, et licet in diversis partibus mundi forte multa signaverit, hoc tamen pro certo compertum est: unum, ut cum plus quam per tres menses duraverit, ipso primo apparente papa Urbanus cepit infirmari, et eadem nocte qua papa expiravit et cometes disparuit.

Anno Domini 1268. Conradus olim nepos Friderici imperatoris parvi pendens domni Clementis IIII.[b] pape excommunicacionem, et contra domnum regem Karolum quem ecclesia regem Sicilie fecerat insurgens, ad Teutonicos quos habuit quam plurimis Lombardis et Tuscis adiunctis pervenit usque Romam, ubi cum imperiali more solemniter receptus, associato sibi senatore Urbis domno Heinrico fratre regis Castelle et quam plurimis Romanis contra regem Karolum Apuliam intravit, sed post durum campestre bellum Conradus cum suis terga vertentibus capitur, et a Karolo cum multis nobilibus decapitatur.

Anno Domini 1270. Lodewicus rex Francie non perterritus pre ceteris laboribus et expensis quas olim fecerat ultra mare, iterato cum duobus filiis adiuncto sibi rege Navarre et quam plurimis prelatis et baronibus pro recuperatione terre sancte iter assumpsit. Verum ad hoc ut terram sanctam facilius recuperaret, incidit ipsis consilium ut regnum Thunitii, quod in medio consistens non parum transfretantibus dabat impedimentum, primitus subiceretur christianorum potestati. Et cum Portum et Carthaginem que est prope Thunicium potenti manu cepissent, infirmitas, que illo anno maxime circa confinia maris viguit, exercitum nimis involvit; et primo quidem de regis Francie filiis unum, post legatum domni pape, deinde ipsum regem Lodowicum cum multis comitibus et baronibus nec non et aliis simplicibus de medio sustulit. Quam feliciter autem predictus rex terminaverit, rex Navarre domno Tusculano per litteras intimavit. Nam in infirmitate sua laudare nomen Domini non cessavit, illam orationem quandoque interserens: *Fac nos queso, Domine, prospera mundi huius despicere et nulla eius adversa formidare.* Orabat etiam pro populo quem secum duxerat dicens: *Esto, Domine, plebis tue sanctificator et custos* etc. et dum appropinquaret ad finem, suspexit in celum dicens: *Introibo in domum tuam* etc. Et hoc dicto obdormivit in Domino.

Anno Domini 1273. crastino beati Michaelis Ruodolfus comes in Habisburc et in Kiburg per principes electores regis Alemannie in curia Franckinvurt solenniter celebrata in regem Alemannie concorditer est electus. Quem absentem et quid de se inter principes ageretur penitus ignorantem, idem principes per burgravium de Nuorinberg ad se cum suis litteris eleccionem expressam de ipso factam continentibus vocaverunt, et venientem ac magnifice prout decuit susceptum, ad regimen regni in Frankinvurt concorditer et solenniter extulerunt. Qui de consilio principum in festo beati Luce immediate sequenti, in ipsorum presentia, et in infinite multitudinis prelatorum nobilium ac aliorum hominum Theutonie, qui ad consecracionem eius de ultimis finibus Theutonie confluxerunt, Aquisgrani est cum illustri[c] domna regina uxore sua, filia comitis Burchardi de Hohinberc in Suevia, in regem Romanorum solenniter consecratus. In qua curia statim unam de filiabus suis Ludowico palatino Rheni, aliam duci Saxonie maritavit.

Anno Domini 1274. circa festum apostolorum Philippi et Iacobi domnus Gregorius X. natione Lombardus de civitate Placentia, spiritu Dei plenus celebravit Lugduni concilium generale, in quo Grecos ad obedientiam ecclesie Romane recepit; et ad unitatem ecclesie redire promittentes, Spiritum sanctum confessi sunt a Patre et Filio procedere simbolum in concilio solenniter decantando. Hic cum archidiaconus esset Leodiensis, et devocionis causa ultra mare iter arripuisset, ibidem existens, in palatio Viterbiensi anno Domini 1272. in

a) *vocem supplevi.* b) III. *c.* c) illi *c*, *sed* illustri *textus infra fol.* 110 *repetitus habet.*

papam a cardinalibus est electus. Hic novas constitutiones edidit, inter quas unam saluberrimam de festina summi pontificis electione condidit, per quam cardinales strictissime cogebantur, subito viduate ecclesie Romane providere; quam sanctam constitutionem revocavit cum magno scandalo Iohannes papa XXI. in consistorio Viterbiensi, anno Domini 1276. 8. Idus Octobris. Unde ut creditur ultio divina secundo anno sui papatus, trabe de suo solario Viterbii super eum ruente et obruente, tulit miserabiliter de hac vita, et sic qui revocando tam utilem toti ecclesie constitutionem ipsam scandalizavit, cum totius ecclesie scandalo est defunctus. Huic etiam concilio Tartari affuerunt, qui baptizati ad propria redierunt. Hic etiam Gregorius crucem ad subsidium terre sancte per totum mundum predicari precepit. Decimas omnium ecclesiarum colligi iussit ad auxilium dicte terre. Omnes mendicantes ordines seu religiones abolevit, exceptis nominatim fratribus Predicatoribus et Minoribus, quos idem concilium universali ecclesie utiles iudicavit. Hic papa mire experientie in secularibus, non intendebat pecuniarum lucris sed pauperum elemosinis. Huic etiam concilio interfuit Romanorum rex Rodolfus. Numerus autem prelatorum qui fuerunt in concilio fuit quingenti episcopi et sexaginta abbates et alii prelati circa mille. Τελος.

GESTA FRIDERICI I. IMPERATORIS

AUCTORIBUS

OTTONE EPISCOPO
ET RAGEWINO PRAEPOSITO
FRISINGENSIBUS.

EDIDIT

ROGERUS WILMANS PH. DR.

AUGUSTISSIMO REGI BORUSSORUM A CONSILIIS, TABULARII REGII MONASTERIENSIS PRAEFECTUS.

Ottonis Frisingensis chronico quod supra[1] *edidimus hic subiungimus aliud eiusdem scriptoris opus non minus clarum et huic quadam necessitudine iunctum. Cum enim chronicon exeunte anno* 1156 *imperatori Friderico I. per abbatem Rapotonem et notarium Ragewinum transmitteret, etiam res gestas eiusdem se litteris commendaturum pollicitus est, si caesareorum notariorum commentarii secum communicarentur. Imperator libentissime obtemperavit ac delineationem rerum inde ab anno* 1152 *usque ad mensem Septembrem anni* 1156 *gestarum patruo transmisit.*

Tunc Otto per duos sequentes annos 1156—1158 *huic libro componendo operam navavit ac praelibatis in volumine priore rebus a Friderici avo, patre patruoque gestis*[2]*, in altero ipsius vitam inde ab eo die quo rex electus fuerat, conscribere aggressus est. Quod opus tamen ei ad id tantum tempus, quo caesarei commentarii desinunt, producere concessum erat. Ottonem autem etiam ultra progredi voluisse, ex verbis patet, quibus liber secundus finitur*[3]*. At in ipso conscribendo libro praematura eum mors rapuit die* 22. *Septembris* 1158.

Quod opus si cum chronico confers, valde diversam esse utriusque indolem non negabis. Chronicon, cuius primam editionem anno 1146 *propter turbulentissimam rei publicae illo temporis spatio conditionem in amaritudine animi absolverat, ubique lugubrem rerum humanarum imaginem repraesentat. At in Gestis conscribendis, ut ipsius verbis*[4] *utar,* non tragoediam sed iocundam scribere historiam *sibi proposuit*[5]*. Quod quidem felicissima rerum publicarum mutatione anno* 1156 *facta illustratur. Conrado III. enim regnante, dissidia inter ipsum et Heinricum Leonem totamque Welficam gentem exorta Germanicum etiam*

1) p. 83 sqq. ubi fusius de Ottonis vita scribendique ratione egimus. 2) Cfr. prooemium Gestorum et Gesta I, 63. 3) II, 32: *Quare huic secundo operi terminus detur, ut ad ea quae dicenda restant, tertio locus servetur volumini.* 4) Gesta I, 44. 5) Quamobrem etiam secundae crucesignatorum expeditionis finem infaustum alto silentio praeterit atque ex illa unum tantum casum narrationi inserit, ex quo pateat (II, 45), quantum Friderico fortuna etiam in rebus adversis obsecuta sit.

1. Ottonis Frising. gesta Friderici imp.

C. Welferbyt. tanus olim Sitticensis.

pe seu temitate p̄uadentiū seu neglectu regū impio depre
rant studiose disserens cū nullā posset inuenire defensi
onē excusationis rā epi q̄. p̄mates ꝯ ciuitates uno ore uno
assensu in manū p̄ncipis regalia reddidē p̄mq; resignan
tū. Mediolanenses exciuere reqsitiq; de hoc ipso iure qd
esset; adiudicauitur ducat⁹ marchias comitat⁹ ꝯsulat⁹ mone-

R. Wilmans scripsit.

2. C. Vorowiensis fol. 178

q; p amfract⁹ discurrere. At q̄ ꝯt steter-
unt multi q̄de dedignabant. Erant aut̄
int eos ut assolet etiā q̄t inimi q̄s da ū ñ i9sy- *timerent*
lta mouebat ratio. cū mortis cupido ñ
debere ꝯfuge ꝛ cū his īdisc̄m uenire q̄s

W. Wattenbach scripsit.

ubera bit   iulii

2. Chronicon Lippoldesbergense.

GVNTHERVS.

Quia domū dī p oīā or | censuales hui⁹ ecclie siue
dinatā eē decet ꝛ | sint uiri aut mulieres
expedit. q̄dā q̄d hic oī | optulerint. totū ē̄ hac

fol. 14

W. Arndt scripsit

3. Reineri Leodiensis.

pars 2. tueng. sonno illapsum negabant. Ad dn̄. ergo stillabat *fol. 50.*
oculus anime mee. quia in me transibant ire eius. et

pars 4. bartholomeus exhibuit. Frequentes pterea *fol. 88.*
motus ac turbe. ꝯ ab sicariis arduennensib⁹

W. Arndt scripsit.

4. Herbordi vita Ottonis Babenbergensis e. Monacensis

Expliciūt capla p̄mi libri :-
Dyalog⁹ loco phemii i uitā b
Ecce p̄ieuntibus est dies ani
uersarius depositionis dn̄i m
et nostri felicis memorie Ot
tonis epi Babengergensis. Qd
expectas: Redde p̄missū In hac
eni die quam gratam nobis atq; iocundam facit ip
sius recordacio. uelim narrare incipiens omnia que

Ottonis epi

W. Arndt scripsit.

Lithog. v. J. G. Schwab, Hannover.

imperium sciderant eiusque vires ac potentiam debilitaverant. Hanc controversiam Fridericus in conventu Ratisbonae die 8. Septembris 1156[6] *habito hoc modo diremit, quod patruum Heinricum Ottonis Frisingensis fratrem adduxit, ut ducatum Bavariae sibi resignaret; quem statim Heinrico Leoni reddidit, marchia Austriaca ducatus nomine insignita patruo Heinrico concessa.* Praeponebat, *teste Ottone II*, 29, hoc princeps omnibus eventuum suorum successibus, si tam magnos sibique affines imperii sui principes sine sanguinis effusione in concordiam revocare posset. *Neque minus Otto ipse, qui in hac gravissima re mediatoris vice functus (II, 27) privilegio Heinrico duci Austriae die 17. Septembris 1156 a Friderico concesso testis subscripsit, imperatorem summis laudibus extulit, qui* cuique quod suum est conservando pacem amabilem mundo reddiderit[7]; *tantam enim ex illa die toti Transalpino imperio pacis iocunditatem arrisisse, ut non solum imperator et augustus, sed et pater patriae Fridericus iure diceretur*[8]. *Quam ob rem, cum post tempus flendi tempus ridendi advenerit*[9], *hoc tempore scribentes beatos iudicat, qui res gestas victoriosissimi principis, cui* obscoenum nondum vultum fortuna verterit[10], *posteris traderent. Ob eius enim virtutem in tantum excrevisse Romani imperii auctoritatem, ut non solum gentes sub eius principatu viventes, sed et barbarae nationes et Graeci ipsi silendo iussibus eius obtemperarent*[11]. *Eo etiam usque apud ipsum Friderici bonae fortunae excessit admiratio, ut interdum partes potius adulatoris quam veridici historici agere videatur, cum in prooemio secundi libri dicat, timere se, ne crebrescentibus victoriis stilus materiae succubiturus sit.*

At ipse etiam Otto ultimo vitae anno rerum mutationem praesagivit et fortasse existimavit fieri posse, ut spes eum falleret, in quam in prooemio Gestorum adductus erat, fore ut bono Friderici principio melior finis apponatur. Iam ea quae annis 1157 et 1158 exorta fuit controversia[12] *inter pontificem Romanum et imperatorem fiduciam labefactare debebat, quam ex negotio Wichmanni archiepiscopi Magdeburgensis electi et ab Anastasio IV. tandem, renitente quidem curia Romana, anno 1154 confirmato ceperat, fore ut deinceps auctoritas principis etiam in disponendis ecclesiasticis rebus plurimum cresceret*[13]. *At regnante Hadriano IV, Anastasii successore, longe aliter se res habuit. In cardinalium enim collegio, duce Rolando post papa Alexandro III, pars imperatori adversa praevaluit atque in turbulentissimo illo conventu mense Octobri anno 1157 Vesontione habito eiusdem indignationem movit*[14]. *Quae quidem controversia hac vice interveniente Ottone in comitiis Augustanis die 14. Iunii 1158 sopita est. Quae vero eo tempore Ottonis animus exinde praesagiverit mala, ex verbis elicere possumus quibus Ragewinus de hoc conventu agens utitur, quod scilicet*[15] *Otto* singularem de controversia inter regnum et sacerdotium habebat dolorem. *Haec quidem mala ipse non vidit et ante Hadriani IV. mortem (die 1. Septembris 1159), ex qua Friderici fortuna dilabi coepit, diem obiit supremum.*

Historia sui temporis, quam talis tantusque vir in summo rerum positus, nepos Heinrici IV, frater uterinus Conradi III, patruus Friderici I, duabus

6) Vide diploma Frid. I. die 17. Sept. 1156. datum, apud Wattenbach, Die Oesterr. Freiheitsbriefe p. 34: *Qualiter nos eius cooperante gratia, a quo celitus in terram pax est missa hominibus, in curia generali Ratispone in nativitate sancte Marie celebrata ..... litem et controversiam ... terminavimus* etc. 7) Cfr. epistola dedicatoria chronici supra p. 116. 8) Gesta II, 32. 9) Prooemium Gestorum. 10) Prooemium Gestorum. Simile aliquid occurrit I, 44: *fortuna quae ei ab adolescentia .... usque ad praesentem diem numquam ad plenum nubilosum vultum ostendit.* 11) Vide prooemium Gestorum, ubi etiam Iohannis Saresberiensis epistolam a me laudatam consulas. 12) Gesta III, 22. 13) II, 10. 14) III, 8 sq. 15) III, 22.

vicibus in gravissimi quidem imperii negotiis[16] *mediatoris munere felicissime functus composuit, quanti momenti sit, non opus est pluribus demonstrare. Dolendum siquidem est quod res annis* 1152, 1153 *et usque ad mensem Octobrem anni* 1154 *gestas obiter tantum perstringit (II,* 1—11*). At narratio duorum annorum sequentium tanto maioris est pretii. Ubique veri studiosissimum talemque se praebuit, qui rerum causas cognoscere potuerit. Non raro enim ut testis oculatus loquitur*[17]*; alibi aperte profitetur se sciscitatum esse de rebus a se relatis*[18]*; neque etiam rumores silet qui ex Italia in Germaniam pervenerant*[19]*. Ad has perscrutationes etiam ea referri possunt, quae de principiis, quae axiomatum vice in curia imperiali observabantur*[20]*, adnotat, neque id praetereundum esse videtur quod de vetere quadam consuetudine apud Francos et Suevos obtinente retulit*[21]*. Quod autem operi eius authenticum, ut ita dicam, pretium tribuit, plurimae sunt summorum virorum epistolae, quas Noster narrationi ad verbum inserere non praetermisit*[22]*, inter quas quidem Eugenii III. litterae*[23] *etiam ad Ottonem ipsum directae sunt. Narrationem autem rerum gestarum imperii Germanici finibus non inclusit, sed etiam de exteris nationibus quae scitu digna erant*[24]*, propterea referenda esse aestimavit, quia, ut in prooemio dicit:* omnium regnorum vel gentium ad Romanae rei publicae statum, tamquam ad fontem recurrat narratio.

Tanti operis si quid pretium et auctoritatem minuere potest, sine dubio id ei crimini dandum est, quod narrationi vividiorem colorem orationibus insertis tribuere voluit. Inter quas Terdonensium (II, 18*) et Romanorum et Friderici imperatoris (II,* 21*) prolixiores sunt, quam eas ita habitas fuisse credere possemus. At forsitan Terdonensium et Romanorum orationes ideo inseruit, quia lectori specimen loquacitatis Italorum praebere voluit*[25]*. Gravius vitium forsitan in verbosis illis excursibus philosophicis et theologicis*[26] *deprehendes, quos ad explicandas res gestas narrationi immiscuit. At Otto, ut in praefatione chronici uberius exposuimus, theologicis et philosophicis sui temporis disciplinis inprimis eruditus, hac in re ingenio nimis indulsit, et hoc ipse sensisse videtur, quippe quod in praefatione Gestorum singulari modo excuset*[27]*.*

Exceptis veteribus auctoribus prout Platone, Aristotele, Cicerone libros scriptos non in partes vocavit, sed ad chronicon iam antea editum saepius recurrit[28]*. Quae vero in priore libro de avo, patre patruoque Friderici ac de ipso litteris mandat, haec mihi ex vetere relatione apud gentem Staufensem tradita hausta esse videntur.*

Duos priores libros Ottoni soli debemus. At etiam librum III. et eam quarti libri partem, quae ad ipsius mortem usque pertingit, etiamsi non ab

16) In conventu quidem Ratisponensi die 8. Septembris 1156. inter Heinricum Leonem et Heinricum Austriae postea ducem, in comitiis vero Augustanis die 14. Iunii 1158. inter papam Hadrianum IV. et imperatorem Fridericum I. pacem restauravit. 17) I, 62. II, 3; cf. II, 27 et III, 22. At ubi non interfuit, hoc notare non obliviscitur II, 26. 18) II, 8: *ex cardinalium — viva voce percepimus:* 23: *tradunt;* 10: *a proprio ipsorum (Romanorum) ore audierant;* 28 et 29: *sicut cognovimus;* 32: *ut recolo.* 19) II, 29: *sed et ad nos usque pervenit.* 20) II, 5: *est enim consuetudo curiae;* 6: *tradit enim curia;* 28: *est enim lex curiae.* 21) II, 28. 22) I, 23. 24. 28. 35. 41. 48. 61. 23) II, 8. Similes in Ragewini Continuatione saepius inveniuntur. 24) de Hungaria I, 30; de Sicilia I, 33; de Italia II, 13. 25) II, 21: *At rex ... cursum verborum ... more Italico longa continuatione periodorumque circuitibus sermonem producturum interrupit.* 26) I, 5. 53. 60. 27) *Nec si plana historica dictione, ad evagandum opportunitate nacta, ad altiora velut philosophica acumina attollatur oratio, praeter rem eiusmodi aestimabuntur, dum et id ipsum Romani imperii praerogativae non sit extraneum, rebus simplicioribus altiora interponere.* 28) I, 10: *quod alias a nobis plenius dictum est;* 11: *quia in priore dicta sunt historia;* 12: *ut alibi a nobis profusius dictum est;* 20: *in priore historia dictum;* 30: *ut in prioribus cronicis dictum est;* 31: *quod alibi latius a nobis dictum est;* 57: *quod in priori nostra ex Tripartita*

Ottone ipso compositae sint, tamen eiusdem adnotationibus inniti, fidem faciunt et auctoris et continuatoris verba[29].

Quis vero fuerit hic, nunc paucis dicendum est. Editiones quidem omnes ipsum Radevicum *appellant et hoc nomen inde in omnes qui litterarum historiam tractant libros receptum est. At iniuria, ut mihi quidem videtur. Otto enim, cum anno* 1156 *imperatori chronicon per abbatem Rapotonem et capellanum* Ragewinum *transmitteret, hunc in praefatione chronici verbis additis commendat:* qui hanc historiam ex ore nostro subnotavit; *iisdem fere verbis utitur continuator de se ipse loquens II,* 11*:* ego autem qui huius operis principium eius ex ore adnotavi, *ita ut nullus dubio locus relinquatur, quin capellanus, quem in loco chronici laudato optimi et fere coaevi codices* 1. 2. 3. 4. 7. Ragewinum *vocant*[30], *et continuator unus idemque sit. Quae sententia nunc per annales Claustroneoburgenses egregie confirmatur, qui nostrum nomine paulo immutato* Rachwynum *appellant*[31]; *econtra Vitus Arnpeckh in libro, quem de gestis episcoporum Frisingensium*[32] *saeculo XV. exeunte composuit, priorem formam exhibet:* Ragewinus canonicus Frisingensis abbreviator et notarius suus. *Attamen praeter has etiam alias eiusdem nominis formas in usu fuisse, ex pluribus operis quod hic edimus locis evincitur. In fine enim prologi in librum I. haec in codice* 1 *inveniuntur:* Explicit prologus. Incipit chronica Ottonis Frisingensis episcopi et eius adbreviatoris Rahewini, *quae verba similiter* 2 *et* 3 *praebent, hoc excepto, quod nomen in* 2 Rahebint, *in* 3 *vero* Rahewinit *sonat. Et codex etiam* 1 *in scribendo hoc nomine sibi minime constitit. Nam in fine libri II. hic solus addit:* Huc usque Otto episcopus. Deinceps Radewinus. *Hanc formam tunc in libri III. praefatione codices* 1. 3. 6. *receperunt, quam* 2 *suo more littera* w *commutata in* b *exhibet* Radebinus, *caeteri vero codices* 4. 8. 9. *tantum littera initiali* R *indicant. Inter omnes vero codices* 4 *solus est, quo nomen huc usque receptum innititur. Et quidem uno tantum loco plenior nominis forma apud ipsum occurrit, scilicet in initio operis, ubi haec in capite epistolae Friderici imperatoris inveniuntur:* Cronica Ottonis Frisingensis episcopi eiusque adbreviatoris Radewici. *Quod meram esse corruptelam ex voce* Radewinus *ortam, Nostrique auctoris verum nomen vel* Ragewinus *vel* Rachwinus *vel* Radewinus *fuisse, hasque formas tantum secundum librariorum dialectum variatas esse, mea saltem sententia constare videtur. Nam si hanc veram nominis formam retinemus, de vita fatisque scriptoris haud omnino spernenda documenta in medium proferre possumus, quae quidem nomine* Radewici *recepto, alto operiuntur silentio. Et hic quidem iam ad primam auctoris iuventutem progredi eiusque patrem patriamque investigare licet. Teste enim continuatione Claustroneoburgensi prima SS. IX,* 610 *Liupoldus marchio circa annum* 1133 mortuo Ottone primo Niwenburgensis ecclesiae preposito *filium Ottonem, post Frisingensem episcopum*, fecit eidem ecclesiae prepositum substituens ei vicarium Opoldum. *Qui quidem in codice traditionum ecclesiae collegiatae Claustroneoburgensis a viro cl. Max. Fischer anno* 1851 *edito*[33] *saepius cum fratre Pilgrimo eiusque filio* Rŏdewino *nominatur*[34]. *Quem nostrum auctorem esse,*

sumptum historia plenius dictum est; II, 7: *ut alibi dictum est.* Ex quibus prior locus forsitan ad Ottonis historiam Austriacam nunc deperditam referendus est, de qua adeas praefationem nostram ad chronicon p. 92.

29) Vide quae collegi Archiv X, 146; eandem sententiam etiam profert Wattenbachius noster Deutschl. Geschichts-Quellen p. 423.

30) 2* vero et eius sequaces: *Regewinum.*

31) SS. IX, 611: *Quae et quanta scripserit* (Otto) *vel etiam quomodo ecclesia illa per eum profecerit, Rachwynus* (alii codices: *Rachwinus* et *Rehwinus*) *notarius eius plenius omnia scripsit,* quae aperte Gesta IV. c. 11. respiciunt.

32) ed. Deutinger 1852. p. 41.

33) Fontes rerum Austriacarum tom. IV.

34) l. c. p. 95.

qui in Ottonis familiaritatem iam ab ineunte eius aetate admissus[35] *et ipsum postea ex Austria in Frisingensem episcopatum comitatus fuerit, equidem persuasum habeo. Hic iam iuvenis litteris operam navavit, si librum quendam manuscriptum, anno* 1721 *adhuc in bibliotheca Tegernseensi exstantem, quem Pezius*[36] *hoc titulo laudat:* Rahewini ad H. papam flosculus[37], *ad Nostrum referre possumus et littera initialis* H. *Honorium II. papam* 1124—1130 *indicat, quae forsitan rectius ad Hadrianum IV.* 1154—1159 *referenda esse videtur.*

Utut est, Ragewinum saltem inde ab anno 1144 *in obsequio Ottonis Frisingensis episcopi conversatum atque ipsi usque ad mortem eius coniunctum fuisse, sat multis evincitur documentis. Charta enim Ottonis data Moseburch* 38 *die* 9. *Decembris* 1144 *scripta est* per manum Regnini cartularii[38]; *in altera anni* 1147 *vocatur* Rachewinus capellanus et notarius[39]; *tertia data est anno* 1154 per manum Rachumini[40] (*legendum* Rachuwini) notarii. *Privilegii Gerhoho Reicherspergensi praeposito anno* 1155 *concessi duplex exstat textus, in quorum uno*[41] *datur* per manum Radwini, *in altero*[42] *vero* per manum Raheuuini. *Similiter charta quam Otto episcopus anno* 1158 *circa diem* 14. *Iunii*[43] *Alberto praeposito S. Mariae Frisingensis dedit scripta est in libro Conradi Sacristae*[44] per manum Rahuvini notarii, *cuius nominis loco legitur apud Meichelbeckium*[45]: Rachwini. *Praeterea duae adhuc Ottonis chartae notis chronologicis non insignitae eundem inter testes referunt, in quorum una*[46] *post annum* 1155 *data nominatur* Rawinus capellanus, *in altera*[47] *vero post mensem Septembrem* 1156 *conscripta testes nominantur:* Rahwinus et Volmarus Frisingensis ecclesiae canonici.

Et haec quidem sunt documenta ante mortem Ottonis in lucem edita. Post quem casum diu quidem ex actis publicis disparuit, quod inde facile intelligitur, quod mortuo episcopo Ottone, Ragewinus etiam officio se notarii abdicasse videtur. Attamen eum multos etiam annos post vixisse, nullus dubito. In epistola enim dedicatoria libro tertio praemissa, qualem editiones hucusque exhibebant, nominabat se auctor: Radevicus sanctae Frisingensis ecclesiae professione canonicus, ordine diaconus, *quem locum nunc optimos codices* 1. 2. 3. 6. *secuti ita emendatiorem damus:* Radewinus sanctae Frisingensis ecclesiae professione canonicus, ordine diaconus, dignitate praepositus. *Cuius autem ecclesiae* 48 *praepositus fuerit, haud incertum. Exstant enim in Monumentis Boicis*[48] *duo Scheftlarensia diplomata annorum* 1168 *et* 1170, *quibus testis subscripsit* Rawinus Sancti Viti praepositus, *id est ecclesiae collegiatae sancto Vito in urbe Frisingensi dicatae. Diem autem supremum ante annum* 1177 *obiisse videtur, cum ex ipso anno documentum habeamus, in quo eiusdem successor* Konrat Sancti Viti praepositus *laudatur*[49].

n. 20: *ranonicus Nuenburgensis congregationis Oboldus ..... testantur Bilegrimus frater Oboldi et filius suus Rŏdewinus;* n. 25: *Bilegrimus frater Opoldi et filius suus Rŏdewinus;* n. 27: *Pilgrimus et Ruodewinus filius eius;* similiter n. 26. 35) Cfr. Ragew. IV, 11: *Nemo me accuset, si .... amantissimi domini et* ***nutritoris*** *mei flebilem interitum prolixiore narratione prosequar ...* 36) Thesaur. anecd. I. praef. pag. XIV. num. 28. 37) Pergit Pezius: *id est libri duo rhythmici, quorum unus sententias theologicas de Deo et S. Trinitate, alter de angelis complectitur. Incipit opus in cod. membr.* 500 *annorum:*
„Instas, urges, pater venerande,
Admones, nunc acuis, nunc hortando blande".

38) Meichelbeck I. I. 318. 39) Monum. Boica VI, 168. 40) Ita scribunt Mon. B. II, 447; apud Meichelb. I. II. 555 invenitur in eodem documento: *Rathunii.* 41) Mon. B. III, 426. 42) Chron. Reichersp. ed. Gewoldus 5. a. 43) Vide adnotationes nostras ad Gest. III, 22. IV, 11. 44) in apographo Guelferb., cod. 8, qui infra descriptus est. 45) I. I. 340. 46) Monum. Boic. I, 365. 47) Archiv für Kunde Oesterreichischer Geschichtsquellen IX, 262, quem locum Wattenbachio debeo. 48) VIII, 516. 517. 49) Monumenta Boica X. p. 44. — Ragewinus Gesta IV, 11. Frisingam *patriam meam* vocat.

Hic ergo continuo post mortem Ottonis eiusdem opus, tam auctoris quam et imperatoris voluntatem secutus[50], *continuandum suscepit eique, ut ipse fatetur*[51], *ineunte anno* 1160 *finem imposuit, narratione usque ad concilii Papiensis exitum qui mense Februarii eiusdem anni evenit perducta. Historiam Friderici I. ab Ottone inchoatam duobus libris additis absolvit, quippe quod numerum euangeliorum minime excedere deberet*[52].

Ragewini opus, si diligentius perquiris, duabus potissimum rebus aliis antecellere libenter mecum statues. Inprimis eius authentica, ut ita dicam, indoles praedicanda est. In prologo enim libri tertii ad sacri palatii cancellarium Udalricum et notarium Heinricum directo profitetur librum suum illis viris, rerum publicarum experientissimis et secretarum consciis, apud quos exacta fides historiae reperiatur, potissimum deberi, quorum ope ac studio se tantum opus suscipere potuisse, quos propterea tam praeceptores et testes[53] *quam et* 53 *arbitros et correctores elegerit*[54]. *Ex hoc igitur fonte magnus numerus actorum publicorum, litterarum summorum pontificum, imperatorum et episcoporum, quae hic inveniuntur, sine dubio derivandus est, neque caetera huius temporis gravissima monumenta, veluti fidelitatis sacramentum ab Italis Friderico I. praestitum (III,* 19*), leges in castris imperatoris observandae (III,* 26*), leges de feudis (IV,* 7*) et acta concilii Papiensis (IV,* 66. 67. 69. 70*), ad Ragewinum aliunde provenerunt. Attamen simul crediderim ipsi etiam ad scrinia Eberhardi archiepiscopi Salzburgensis et Eberhardi episcopi Bambergensis aditum patuisse, ad quos plurimae ex litteris operi insertis directae sunt*[55]. *Nonnullas etiam Albertus Frisingensis episcopus cum Ragewino communicasse videtur*[56].

Quae cum ita sint, librum hunc forsitan quis in panegyrica scripta reiiciendum esse putet. At iniuria certissime. Nam etsi non desint loci, quibus Ottonis exemplum secutus et Ragewinus in Fridericum I. adulatoris munus subiisse videatur[57], *admodum pauci sunt. E contra notatu sine dubio dignum est quod auctor de imperatore, quem in epilogo operis alloquitur*[58], *iudicium valde sincerum ab episcopo Bambergensi prolatum ingenue transscribit*[59]. *At quod maximi momenti esse videtur, in prologo ipso id se egisse profitetur, ut in his quae audierit* neque quorumlibet relatorum rumusculis *fidem accommodaret neque in his quae per se cognoverit*, gratia principis seu favore suae gentis falsum *quippiam adderet. Hanc animi integritatem ubique servavit et in rebus quidem gravissimis se nullius partis studio addictum praebuit. Quapropter cum ad infaustum illud schisma, quod post mortem Hadriani IV. inter ecclesiam et imperium obortum Europam agitabat, narratio pevenerit, minime quidem partem imperii unice fovendam suscepit, sed potius alta voce proclamavit*[60], *utramque* 60 *personam sacerdotalem scilicet et regalem se aeque venerari neque praesumere de una alterave temere iudicare. Hoc consilio ductus non uno loco lectorem admonuit*[61], *ut non suis verbis vel assertionibus nimis confidat, sed* ipsarum partium propriis scriptis *a se operi insertis fretus*, libere eligat, utri parti suum velit accommodare favorem; *si enim alterutrius partis res vel attolleret vel*

50) V. praefationem in libr. III: *eius* (Ottonis) *iussu pariterque serenissimi et divi imperatoris Friderici nutu* et epilogum libri IV: *nos tamen obedientiae fructus consolabitur, qua praecipienti paruimus.* 51) IV, 76: *Haec a glorioso principe acta sunt usque ad praesentem annum qui ab inc. D. millesimus centesimus sexagesimus — numeratur.* 52) IV, 75. 53) praef. libri III. 54) epilog. libri IV. 55) De Salzburgensi vide IV, 73. Cfr. praeterea IV, 19. 20. 30. 31. 71 et 72. 56) Vide IV, 42. 69. 57) Prol. in libr. III. in fin.: *ut qui res eius* (Friderici) *legerit, non unius sed multorum facta regum seu imperatorum arbitretur.* 58) *Hos ... augustorum optime ...* 59) IV, 19 in fine: *Qualis sit* imperator, *vos scitis. Diligentes se diligit, aliis alienum se facit: quia nondum perfecte didicit etiam inimicos diligere.* 60) III, 15. 61) III, 8. 15.

extenuaret, se a proposito decidisse et historiam a se conscriptam domestici favoris morbo *infecisse sibi videri*[62].

Praeter ea quae cancellarius et notarius caesarei iam memorati suppeditaverant, Ragewinus etiam ex aliis idoneis testibus verum investigavit. Sic III, 11
63 *ad Heinrici Trecensis episcopi testimonium diserte provocat*[63], *neque rumores omnino silentio praeterit qui in aulis principum et episcoporum vel etiam apud populum circumferebantur*[64]. *Interdum etiam ut testis oculatus rerum a se litteris mandatarum loquitur*[65].

His quae exposuimus subsidiis praeditus opus in lucem edidit, quod historiae aequalis conscribendae artem etiam medio aevo summo cum fructu excultam fuisse docet. In quo ubique vestigia deprehendes quibus pateat, Ragewinum scriptoribus Romanis antiquis diligentissimam operam navasse[66]. *Quos nonnumquam etiam nimis imitatus est. Non magnopere certe incusandus est, quod Fridericum I. saepissime* divum *augustum vel* divum *imperatorem appellat*[67], *vel quod viros militia illustres* heroum *titulo insignit*[68]. *Sed si in describenda conflagrata urbe Frisingensi IV,* 13: pilosos quos satyros vocant in domibus plerumque visos, *phantasmata et monstra in scenam producit urbis interitum praenuntiantia, id certe risum movet. Scriptores classici ita ab eo in succum et sanguinem conversi fuisse videntur, ut non uno loco eorum verba exscribat*[69]. *Ad quam antiquorum*[70] *imitationem etiam orationes nimis prolixae*[71] *referendae sunt, quas aeque atque Otto narrationi inseruit.*

Quae tamen maculae pretium operis nullo modo minuere possunt, quod pro cognoscendis rebus hoc tempore gestis gravissimum est et nulli alii secundum.

Nunc de appendice paucis agendum est, quam in fine sistimus ex eodem codice 1 *repetitam, ex quo etiam Pithoeus eam ediderat, quocum excerpta*
72 *codicis* 6 *et Annales Zwetlenses*[72], *qui appendicem integram receperunt, conferre licuit. Quae continuatio res inter annos* 1160 *et* 1169 *vel* 1170 *gestas amplectitur et multa praebet, quae mihi suadere videantur, ipsam ex Ragewini calamo fluxisse. Frisingae enim aperte conscripta est, ut testantur nonnullae notitiae de Alberto huius urbis episcopo insertae*[73], *quas nullus alius nisi Frisingensis canonicus et qui inter intimos episcopi amicos admissus erat, tam accurate tradere poterat. Huc accedit quod annus* 1169, *quo appendix terminatur, optime tempori quadrat usque ad quod Ragewinum inter vivos fuisse supra ostendimus. Non parum momenti huic opinioni vox quaedam addit, quam continuator in eodem peculiari sensu atque Ragewinus usurpat. Hic enim* Latinorum *vel* Constantinorum *nomine III,* 39. *IV,* 5. 7. 32 *Italos appellat, quod eadem significa-*

62) IV, 49; cf. 65. 63) Cfr. III, 20: *Idque veraciter asserere potero.* 64) III, 31: *dictum tamen memini a quibusdam;* IV, 36: *nos tamen audivimus;* 37: *non multo post a quodam divino monitore litteras imperatori allatas accepimus.* 65) III, 7: *papilionem — perspeximus;* IV, 3. de conventu Roncaliensi agens dicit: *a nobis visi sunt ut meminimus,* quae verba evincunt Ragewinum ipsi interfuisse. 66) Cfr. III, 14. 67) III, 42. 45. IV, 76. 68) III, 36, quocum conferenda sunt III, 18. IV, 3, quibus locis hoc verbum tantum editiones vel codices 8 et 9 exhibent. 69) Verba IV. cap. 38 de moribus Heinrici Leonis ex Sallustii Iugurtha c. 6; IV, 76 de moribus Friderici I. ex Sidonii Apollinaris ep. I, 2, quem tamen auctorem hic expresse laudat, deprompta sunt. 70) Praeterea etiam ius Romanum nosse videtur, cfr. III, 27. De historicis medii aevi unum quod sciam Liudprandum disertis verbis laudat III, 33. 38. 71) III, 27. 40. IV, 3. 4. 23. 24. 26. 47. 61. 72) apud Pez SS. rerum Austr. I, 559—562 editos ex cod. Zwetlensi no. 255 saec. XII. exeuntis, quem Wattenbachius Archiv X, 610 et SS. IX, 482 luculenter descripsit, qui etiam ea quae his annalibus nova inerant, omissis sc. additionibus ex operibus Herimanni Augiensis, Wiponis et Ottonis Frisingensis petitis, edidit SS. l. c. p. 538. 547. 73) *Solus Albertus Frisingensis tunc* (in conventu Wirzeburgensi anni 1165) *iurare noluit .... Eodem anno Albertus Frisingensis diu renitens coactus iuravit obedire Paschali pro conscientia, quamdiu imperium partes eius foveret et quamdiu regalia habere vellet .... Gwido qui et Paschalis moritur* (1168. Sept. 20.) *.... Albertus Frisingensis iam quasi liber et liberatus a schismate per mortem Gwidonis ....*

tione etiam in appendice occurrit[75]. *Neque hoc admirationem movere debet, quod anni plerumque falsi rebus gestis adnotati sunt et quidem in codicibus* 1. 6 *et in annalibus Zwetlensibus omnino consentientes inveniuntur, cum Ragewinus etiam in opere ipso non uno loco contra temporis rationem peccaverit*[76].

Urstisii exemplum seculi appendici subiungimus epistolam de Friderici I. Hierosolimitana expeditione, *saec. XIII. ineunte minoribus litteris in codice* 1 *exaratam. Cuius autographon durante illa expeditione et paulo quidem post mortem imperatoris conscriptum est*[77], *et omnino scitu digna litteris tradit.* 77

Codices quorum ope et Ottonis et Ragewini textum constituere poteramus, sequentes sunt:

1) *Codex* Guelferbytanus, *Helmstad.* 206. *ex bibliotheca Flacii, fol. membr. saec. XII. exeuntis, olim monasterii* Siticensis *in Karinthia, ut testantur notitiae historicae saec. XV. ultimo folio inscriptae, exhibet integrum opus ab Ottone et Ragewino conscriptum una cum appendice. Dolendum siquidem est, quod folium continens I. c.* 5 consideratur *usque ad* non aliam de Socrate *et integer quaternio XVI. amplectens textum inde a libri IV. c.* 52 (con-)suetudinem istius ecclesiae *usque ad finem cap.* 66. pacem toti mundo *excisa sunt. Hunc codicem manus fere aequalis correxit emendationibus super lineas vel in margine scriptis. Ipse contuli et signavi* 1.

2) *Codex* Vaticanus *nullo numero instructus, chart. fol. saec. XV, olim Picolomineae familiae, teste inscriptione:* Questo libro e di Misser Iacomo et di Miser Andrea Piccolomini, lu quale hanno prestato alo rev[mo] cardinale loro quisto dī V. di Ottobre 1464 et he quinterni quattordici et carte 141 et henne facto ricord allibro memoriale di decto misser Iacomo, *quam inscriptionem Cardinalis Picolominaeus numero* 1464 *mutato in* 1474 *post correxit verbis additis:* Reso per me F. car̃. di Siena a die 27. Novembr. 1476. *Quae ex hoc codice Bethmannus noster notavit, aperte demonstrant eundem esse apographum codicis* 1. *Signavi* 1*.

3) *Codex caesareae bibliothecae* Vindobonensis 233, *olim* 350 *hist. prof., membran. fol. minor., teste F. Goldhahn, qui ipsum contulit, anno* 1160[77*] *exaratus. Qui cum una referat codicem illum praestantissimum eo excellere, quod litterae in initio librorum et capitum positae auro et variegatis coloribus pictae sint, facile adducor ut credam annum illum* 1160 *a recentiore quodam ex mera coniectura additum esse et Wattenbachio adstipuler, qui codicem saeculo XV. exeunti adscribit*[78]. *Desinit in fine epilogi libri IV; signavi* 2.

4) *Codex* Vorowiensis *membr. fol. saec. XII. exeuntis*[79], *cuius secunda pars inde a fol.* 136′ *usque ad fol.* 183 *Ottonis et Ragewini opus amplectitur*[80], *hoc praefixo titulo:* Gesta Friderici imperatoris, que Wolfcangus scripsit iubente Bernhardo preposito. Qui ea sancte Marię, sancto Thomę et Vorowensi ecclesię

75) a. 1160: *cum iam Latinis qui secum erant fugientibus victus videretur* (Fridericus), *strennue vicit.* 76) IV, 11. Ottonis mortem anno 1159. evenisse refert, quem numerum ab omnibus codicibus traditum apertum esse errorem, ea demonstrant quae IV, 12 inveniuntur: *Ottone episcopo* 10. *Kal. Octobris — defuncto, paucis post mensibus Nonis Aprilis quae tunc fuit dominica palmarum* etc. Dominica enim palmarum tantum a. 1159. in Nonas Aprilis incidit, Otttonem ergo iam a. 1158. mortuum esse oportet. Similiter III, 13 in omnibus codicibus loco MCLVIII invenitur falsus numerus MCLXIII; neque hoc praetereundum est, quod II, 1. Friderici electio saltem a codicibus 1. 2. 3 anno 1153. adscribitur. 77) Cfr. versus finem: *donec soldanus qui se et suos in castra receperat ... viginti obsides ad electionem nostram dedit, quos adhuc captivos tenemus ... Imperator .... casu lacrimali .. submersus est. Cuius reliquias debita veneratione nobiscum portamus .... et continue per sex ebdomadas laboravimus victualium penuria ...* 77*) 1460? P. 78) Arch. X, 467. „Hist. prof. 233, ietzt 403 mbr. fol. s. XV. exeuntis. Ottonis Frising. Gesta Friderici.“ 79) Cfr. Archiv X, 626. 80) Vide Diemer Deutsche Gedichte des XI. u. XII. Jahrhunderts. Wien 1849. praef. p. I. II. LI.

abstulerit, anathema sit. *Emendationes et curae secundae manus debentur eidem praeposito Bernhardo qui inter annos* 1185—1202 *ecclesiae Vorowiensi praefuit. Huius pretiosissimi codicis ultimi tres quaterniones inde a fine cap.* 7. *libri III. perditi sunt. Contulit Wattenbachius; signavi* 3.

5) *Codex bibliothecae imperialis* Parisiensis 138, *teste inscriptione saeculi XV. olim* Sancti Augustini in Marpach Basiliensis dyoceseos, *membr. quart.*
81 *saec. XII. a Bethmanno nostro collatus*[81], *qui propterea notatu dignus est, quod ex eo nomen* Radewicus *irrepsit. Signavi* 4.

6) *Codici* Admuntensi *chronici Ottonis saec. XII. conscripti, de quo fusius in praefatione chronici p.* 103 *egimus, librarius in fine ex Gestorum libro primo adiecit capp.* 23. 27. 29. 32—34. 36. 37. 39—44, *quae tamen ex more suo plurimum in epitomen redegit. Hunc contuli ipse et signavi* 5.

7) *Codex Monacensis Latin.* 19,411, Tegernseensis 1411, *olim* E 33, *saec. XII. exeunte et quidem regnante adhuc Friderico I. imperatore exaratus*[82], *integrum Ottonis et Ragewini opus decurtavit, epistolas tamen et caetera documenta publica omnia recepit. Hunc codicem optimae notae qui etiam appendicem maiore ex parte continet, contulit Wattenbachius; signavi* 6.

Quos codices si diligenter conferimus, in promptu est, codices 1. 2. 3. 6 *saepissime inter se convenire atque easdem exhibere lacunas*[83], *ita ut statuendum esse videatur, ipsos ex eodem fonte manasse. Contra* 4. *maximam partem cum editione Cuspiniani congruit, quae etiam ipsi consentiens loco* Ragewinus *vel* Radewinus *falsam illam formam* Radewicus *prae se fert.*

8) *Codex* Seidenstettensis *sign. num. XIII. chart. fol. saec. XV.*[84] *integrum Ottonis et Ragewini textum praebet, omissa tamen appendice, quem perscrutatus est Wattenbachius et varias lectiones epitaphii III. exinde notavit. Signavi* 7.

9) *Codex* Guelferbytanus *Helmstadiensis* 205, *fol. chart. saec. XV., inter codices chronici Ottonis* 2* A 1. *signatus, olim Viti Arnpeckh curati Frisingensis († c.* 1495*), de quo uberius in praefatione chronici disputavi*[85]. *Ipse contuli et signavi* 8.

10) *Codex* Giessensis *n.* 176, *olim Senkenbergii, chart. fol. saec. XV.*
86 *Ipse contuli et signavi* 9; *fere ubique cum* 8 *convenit*[86], *neque minor est eiusdem congruentia cum Cuspiniani editione. At cum* 8 *et* 9 *epistolarum et documentorum publicorum initia tantum exhibeant omissis reliquis, necesse est Cuspinianum in edendis Gestis eorum fontem vel exemplar ad verbum exinde desumptum secutum esse.*

11) *Codex bibliothecae Caesar.* Vindobonensis 629. *Ius can.* 133 *membr.* 8°. *saec. XII.*[87] *continet epistolas in Gestis editas III*, 9. 15. 16. *IV*, 50. 51. 52. 69. 71. *Exscripsit Wattenbachius sicut et* 11 *et* 12; *signavi* 10.

12) *Codex* Vorowiensis 111, *saec. XII. oct. membr. saec. XII.*[88], *in quo leguntur epistolae II*, 8 *et IV*, 19. *Signavi* 11.

13) *Codex* Admuntensis 165.[89] *membr. saec. XII. praebet folio ultimo epitaphium Ottonis (IV*, 11*) notis musicis instructum. Signavi* 12.

Quibus pauca de illis codicibus quorum notitia tantum ex libris editis ad nos pervenit, hic subiungere libet. Inter quos prae caeteris laudandi videntur codex Vindobonensis Salisburg. 36 B *nunc* 3377 *saec. XV.*[90], *et* Vindo-

81) Cfr. Archiv VIII, 286. 82) Vide notam ad I, 34. 83) Cfr. I, 61. II, 16. 22. III, 19. 40. 84) Cfr. Archiv III, 75. VI, 194. 85) Cfr. supra p. 111 et Archiv XI. p. 57 sq. 86) supra p. 112 et Arch. XI, 63. 87) Arch. X, 491. 88) Arch. X, 628. 89) l. c. p. 635. 90) l. c. p. 547.

honensis 3167 A *nunc* 1180, *membr. saec. XIII. fol. maioris, in quo excerpta ex Gest. I,* 44 *inveniuntur*[91]. *Neque praetereamus oportet versionem Germanicam in usum Maximiliani I. imp. factam*[92]. *Praeter quos notatu digni sunt* 92 *codex* Kraftianus[93] *et* Ratisponensis *olim* Nereshemensis *saec. XV.*[94], *qui omnino codicibus* 8 *et* 9 *congruunt*[95], *ad quos forsitan et codex* Dunensis *a Vischio*[96] *inspectus referri potest. Ultimo denique loco nominamus codices* Luccensem[97], Troppaviensem[98] *et* Peutingerianum[99].

Quod ad e d i t i o n e s *attinet, non multa restant iis addenda quae iam in praefatione chronici exposuimus.*

Prima Iohannis Cuspiniani anno 1515 *post Ottonis chronicon iuris est publici facta.*

Secunda prodiit Basileae anno 1569 *curante Petro Pithoeo, qui Cuspinianeam repetiit additis quibusdam variis lectionibus et appendice ad Ragewinum ex* 1 *et* 8.

Hanc repetiit Urstisius anno 1585 *in SS. rer. Germ. I,* 401.

Quartam Parisiis anno 1669 *in tomo VIII. Bibliothecae Cisterciensis prelo dedit Bertrandus Tissier ex Cuspiniani libro ad verbum expressam*[99*].

Quinta denique divulgata est a Muratorio anno 1725 *in tomo VI. SS. rer. Ital. p.* 633 *adhibitis variis lectionibus codicis Vindobonensis* 2.

In verbis utriusque scriptoris edendis eandem observavi legem, quam in Ottonis chronico sum secutus.

Scribebam Monasterii in Westfalia mense Februario anni 1864.

ROGERUS WILMANS.

INCIPIT[a] EPISTOLA FRIDERICI IMPERATORIS AUGUSTI AD[b] OTTONEM[c] FRISINGENSEM EPISCOPUM.

Fridericus[d] Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus dilecto patruo suo Ottoni[e] Frisingensi episcopo gratiam suam et omne bonum.

Cronica quae[f] tua sapientia digessit vel desuetudine inumbrata in luculentam erexit consonantiam, a dilectione tua nobis transmissa[g] cum ingenti gaudio suscepimus, et post bellicos sudores interdum in his delectari[h] et per magnifica gesta imperatorum ad virtutes informari praeoptamus. Ea vero quae ab ingressu regni[i] a nobis gesta sunt, ad petitionem[k] tuam breviter compilata notitiae tuae libenter commendaremus, nisi quod ad similitudinem priorum gestorum, quae ab excellentissimis viris edita sunt, magis dici possunt umbra quam facta. Tuum tamen quia[l] praeclarum ingenium humilia extollere et de parva materia multa scribere novit, plus confisi tuis laudibus quam nostris meritis, tantillum hoc, quod in Romano orbe per quinquennium fecimus, paucis perstringere curamus.

Post primam unctionem Aquisgrani et acceptam coronam Teutonici regni generalem curiam Merseburch[m] *in pentecosten celebravimus, ubi rex Danorum Petrus ad curiam nostram vocatus venit, et hominio ac fidelitate facta nobis, coronam regni de manu nostra suscepit. Deinde Cicensem episcopum Wichmannum*[n] *ad archiepiscopatum Magdeburgensem transtulimus. Et quanquam multae lites et controversiae inter nos et Romanam ecclesiam inde fuissent, ad ultimum tamen quod a nobis laudabiliter factum fuit, auctoritas apostolica confirmavit. Post*

a) incipiunt 3. b) *deest* 3. c) Attonem 3. d) Fredericus 2 4. e) Ottoni 1; O. 5. f) cronica que 1; Cronicam quam 5. g) nobis promissa et transmissa *editt.* h) *ita* 1. 2. 3. 6. i) *litterae re deletae in* 1. k) peticionem 5. l) Tamen quia tuum *editt.* m) *ita* 1. 2. 3. 6; Merseburc 5. n) *ita* 1. 3; Bichmannum 2; Wichm' 4.

91) Arch. X, 540. 92) l. c. p. 587. 93) Cfr. supra p. 112 et Schelhorn Amoenit. liter. III, 36. 94) Nunc exstat in bibliotheca Principis de Turre et Tassis. Vide Mone Anzeiger 1838. p. 346. 433. V. supra p. 114. 95) Adeas quae dixi Arch. XI, 64. 96) Biblioth. Cisterciens. p. 255. Cfr. supra p. 112. 97) V. Fabricius Bibl. med. aevi s. v. *Radevicus.* 98) Cfr. Chmel Geschichtsforscher II, 23. Notizenblatt. 99) Zapf p. 5. 6. 99*) Vide praefationem nostram in chronicon.

haec[a] *expeditionem Romam movimus, et in*[b] *valida manu Longobardiam*[c] *intravimus. Haec quia propter longam absentiam imperatorum ad insolentiam declinaverat, et suis confisa viribus aliquantum rebellare coeperat, nos animo indignati*[d] *omnia fere castella eorum furore debito et iusto non militum sed servientium destruximus. Mediolanenses versuti et superbi verba sine fide nobis dederunt, et ut nostra concessione super Cumas et Laudam dominium habere mererentur, multam pecuniam nobis promiserunt; sed cum nec prece nec precio flectere nos*[e] *possent, et cum ad terram eorum venissemus, a terra copiosa sua declinantes, tres dies in solitudine nos duxerunt, quousque tandem contra voluntatem eorum prope*[f] *iuxta Mediolanum ad miliare Teutonicum castra metati essemus. Ibi*[g] *dum ab eis mercatum quaereremus, et ipsi nobis eum negarent, nobilissimum castrum eorum Rosatum videlicet, quod quingentos milites armatos habebat, capi et incendio destrui fecimus. Ibi milites nostri usque ad portam Mediolanensium iverunt, et multos vulneraverunt et multos ceperunt. Hinc inde ortis inimicitiis inter nos et illos, fluvium Ticinum versus Novariam transeuntes, pontes duos, quos ipsi armaverant et incastellaverant, violenter occupavimus, quos post transitum totius exercitus nostri destruximus. Inde tria castra eorum fortissima*[h], *Mumma*[i] *videlicet, Galla et Trica*[k], *destruximus. Et*
1154. Dec. 25. *natali Domini cum maxima iocunditate celebrato*[l], *per Vercellas et Taurinum euntes, Padum transivimus. Inde Cheram maximam et munitissimam villam destruximus, et*[m] *civitatem Astam incendio vastavimus. Deinde Terdonam civitatem munitissimam natura et arte obsedimus. Et post tres dies burgo capto, ipsam arcem cepissemus, nisi nox et maxima tempestas nos cohibuisset. Tandem post multos assultus*[n], *multas caedes et miserabilem stragem illorum et non modicum dampnum nostrorum arcem per deditionem occupavimus, et*[o] *quendam principem Graecorum, qui a marchione Malaspina captus erat, liberavimus. Destructa Terdona, Papienses ut gloriosum*[p] *post victoriam triumphum nobis facerent, ad civitatem nos invitaverunt. Ibi in corona et maxima laeticia et ingenti servitio civitatis tres dies deduximus. Deinde directo tramite per Longobardiam, Romaniam, Tusciam euntes*[q], *Sutrium usque pervenimus; ibi domnus papa cum tota ecclesia Romana gaudenter nobis occurrit, et consecrationem nobis paterne obtulit, suaque gravamina quae a Romano populo passus erat, nobis conquestus est. Sic nos cottidie simul euntes et simul hospitantes dulciaque miscentes colloquia*[r], *Romam usque pervenimus. Romani nuncios suos ad nos miserunt, et maximam pecuniam pro fidelitate eorum ac servitio, tria quoque a nobis iuramenta exquisierunt. Inde cum domno papa et cardinalibus consilio inito, quia imperium emere noluimus, et sacramenta vulgo praestare non debuimus, ut omnes dolos et machinamenta eorum declinaremus, Octaviano cardinale conducente, maxima pars militiae nostrae nocte per portam parvulam iuxta Sanctum Petrum intravit, et sic monasterium sancti Petri praeoccupavit. Mane facto, domnus papa cum tota ecclesia ad basilicam sancti Petri nos praecessit, et ad gradus cum maxima processione nos*[s] *suscepit, et missa celebrata ad altare sanctorum*[t] *apostolorum Petri et Pauli, in honore sanctae Mariae virginis, quia sabbatum erat, benedictionem coronae Romani imperii largiter super caput nostrum effudit. Quo rite*[u] *facto et*[v] *peracto, dum omnes nimio labore et aestu confecti ad tentoria rediremus et cibum*[w] *caperemus, Romani de ponte Tyberino prosiluerunt et in monasterio sancti Petri, duobus servis nostris*[x] *occisis et cardinalibus spoliatis, papam capere intendebant. Nos vero de foris strepitum audientes, armati per muros irruimus, et tota die cum Romanis conflictum habentes, eorum pene mille occidimus et in Tyberi submersimus et*[y] *captivos deduximus, donec nox nos*[z] *et illos diremit. Mane facto, quia victualia nobis defecerant, assumpto papa et cardinalibus, cum triumpho victoriae laeti discessimus, et omnibus castris et munitionibus quae circa Urbem erant, in potestatem nostram deditis, usque Albam venimus, et per aliquot dies ibi cum papa morati sumus. Inde venimus*[*] *Spoletum, et quia rebellis erat et comitem Gwidonem*[a] *Werram*[b] *et caeteros nuncios nostros in captivitate tenebant, assultum ad civitatem fecimus. Mirabile et inscrutabile iudicium Dei. A tertia usque ad nonam munitissimam civitatem, quae pene centum turres habebat*[c], *vi cepimus, igne videlicet et gladio, et infinitis spoliis acceptis, pluribus igne consumptis, funditus eam destruximus. Inde euntes versus Anconam, Paliologum*

a) hoc 2. b) *addunt* 1. 2. 3. c) Lombardiam 4 *semper*. d) indignari 1. 2. 3. e) nos flect. 5. f) *addunt* 1—5. g) ibique 1. 2. 5. h) fortissime 1. 3. i) *ita* 1. 3. 5; minima 2; mīina 4; Minimam *edd*. k) Galla et Trica 1. 2. 3; gadُa et tricam 4; et Galla et Trica 5; gailardam et trecam *edd*. l) celebrata 3. m) *deest* 1. 5. n) assultos 1. 5. o) *add*. 1. 2. 3. 5. p) gloriosam 5. q) et simul hospitantes *primo addiderunt* 2. 3, *sed post deleverunt*. r) colloquia misc. 4. s) *deest* 5. t) *deest* 1. 3. 4. u) Quo rite — multiplicanda porrigimus *desunt* 5. v) facto et *desunt* 2. 3. w) cybum 1. x) *deest* 4. y) *deest* 2. 3. z) et nos 1. *) ivimus 2. 3. 4. a) Gbidonem 2. b) *ita* 1. 3. 4; berram 2. c) *superscript. manu coaeva* 1.

nobilissimum principem Graecorum et Maroducam socium eius cum caeteris nunciis Constantinopolitani[a] *obvios habuimus. Qui ut in Apuliam iremus, et hostem utriusque imperii Willehelmum*[b] *potentia virtutis nostrae*[c] *conterere vellemus, infinitam pecuniam nobis dare spoponderunt. Quia vero militia nostra propter multos labores et bella nimis attrita fuit, placuit magis principibus redire, quam in Apuliam descendere. Sicque nobis redeuntibus et Graecis cum superbia multitudinis suae et copiosa pecunia in Apuliam euntibus*[d]*, Paliologus post adeptum Barum et munitionem destructam obiit, et Willehelmus congregato exercitu repente in Graecos irruit, et paucis captis*[e] *et*[f] *caeteris occisis, omnem pecuniam absportavit. Nos vero cum maxima victoria a Deo nobis praestita, qualem cum mille octingentis militibus conquisitam prius nunquam audivimus, Veronam usque pervenimus. Qualiter illi in praecipitio cuiusdam montis nobis insidias posuerint, et qualiter a nobis occisi et duodecim suspensi sint, tu audisti. Scis etiam in ordine, quam inter fratrem tuum ducem Austriae et ducem Baioariae*[g] *concordiam fecerimus, et quam gloriose Fridericum in Coloniensi archiepiscopatu sublimaverimus. Haec pauca paucis comprehensa illustri ingenio tuo dilatanda et multiplicanda porrigimus*[e]*.*

INCIPIUNT CAPITULA IN LIBRUM PRIMUM[h].

1. *Qua occasione Hiltibrandus*[i] *ab imperatore abiectus et Gwibertus*[k] *in loco eius subrogatus sit.*

2. *Quod*[l] *imperator Italiam ingressus Gregorium*[m] *Urbe fugavit.*

3. *Quomodo Rŏbertus Gwiscardus*[n] *cum Nortmannis*[o] *Campaniam et Apuliam occupavit.*

4. *De rebellione Saxonum.*

5. *Excursus*[p] *philosophicus*[q] *vel pocius theologicus.*

6. *De Saxonibus bello gravi superatis et quod Gwelfo*[r] *dux Noricorum et Rŏdolfus*[s] *dux Suevorum rebellare ceperunt.*

7. *Quod idem Rŏdolfus*[t] *instinctu Gregorii a Saxonibus*[u] *rex creatur et paulo post in prelio occiditur.*

8. *De comite Friderico quod gener imperatoris factus ducatum Sueviae*[v] *obtinuit.*

9. *Quod post genitos sibi filios Fridericum*[w] *et Conradum*[x] *diem obiit.*

10. *De uxore eius Agnete quod Leopaldo*[y] *marchioni nupserit et quod defuncto imperatore filius eius Heinricus potenter regnum obtinuit.*

11. *Quomodo apud Barrum comitem Reginaldum*[z] *cepit et abduxit.*

12. *Quod in*[*] *nuptiis apud Magontiam*[a] *regnum scissum est, et de gestis Friderici ducis.*

13. *Quomodo Magontiam obsedit et quomodo de ipsis et suo archiepiscopo triumphavit.*

14. *Qualiter idem dux castrum Lindburc*[b] *ab obsidione liberavit et de eius coniugio.*

15. *Ubi imperator Heinricus mortuus et*[c] *sepultus.*

(15[a]. *Quod Albertus Mogontinus*[d] *astu regalia ab imperatrice obtinuit*[e]*.*)

16. *Lotharius dux Saxonum eligitur, qui mox heredes Heinrici persequitur*[f] *et Noricum castrum ab ipso obsidione cingitur.*

17. *Fridericus et Conradus fugato Lothario opidum*[g] *muniunt.*

18. *Quomodo idem duces Heinricum Noricorum ducem ex Alemannia fugaverunt.*

19. *Quomodo Fridericus insidias eiusdem ducis evasit.*

20. *De expeditione Lotharii in Boemiam.*

21. *Qui principes ibi occubuerint et de secundis nuptiis Friderici.*

22. *Quod mortuo*[h] *Lothario Conradus*[i] *rex creatur et*[k] *quis Alberto Maguntino in sede successerit.*

23. *Qualiter soror Gerdrudis reginae sociata est Manuel Grecorum imperatori*[l]*.*

24. *Exemplar*[m] *litterarum tunc temporis*[n] *hinc inde missarum.*

a) *ita* 1 — 4. b) *ita* 1. 3; Billeh. 2; Guill. 4. c) *deest* 1. 2. 3. d) *deest* 4. e) *supersc. manu coaeva* 1. f) *addunt* 2. 3. 4. g) bawarię 1. 3; Bauarie 2; Bawariae 4. h) *ita* 1. i) *ita* 4; Hiltiprandus 1. 2. 3. k) *ita* 1; Gbib. 2. 3; Guibertus 4. l) Quid 7 *saepissime in capitum inscriptionibus.* m) grecorum 3. n) Rodbertus Gwiscardus 1; R. Gbiscardus 2; Rŏb. Gwisc. 3; Robertus Guischardus 4. o) *ita* 1. 2. 4 7; Romanis *edd.* p) Excessus 7. q) phylos. 1. r) Guelfo 4; et q. G. *desunt* 1. 2. 3. s) Rvdolfus 1. 2; Rŏud. 3. t) Rodolfus 1. u) a Saxonibus *addunt* 1. 2. 3. 7. v) Sweuie 1. 3. w) Fredericum 2. 4. x) Cŏnradum 1 *semper*; Chunradum 2; Chŏnrad. 3. y) *ita* 1; Leopoldo 2. 7; Leopaudo 4. z) Reinaldum 4 *et editt.* *) *deest* 7. a) *ita* 1. 2. 3; Mogontiam 4. b) *ita* 4; Liudburch 1; liuerdburch 2; liūdburch 3; Lindwurck 7. c) et ubi 2. 3. d) Mogantinus 7. e) *caput decimum quintum haud magnum* 3. 4 *et* 7 *ita dividunt, ut tribus ultimis lineis* At imperatrix — induxit *hanc inscriptionem anteponant.* f) proseq. 2. g) oppidum 1. h) mortuo *bis datur in* 1. i) Chunradus 2. k) *deest* 7. l) imp. Grec. 2. m) exempla 3. n) imperatoris 1.

25. *De Friderico iuniore et de his que gessit apud Wolfratehusen*[a].

26. *Quomodo etiam*[b] *Bertholfum*[c] *ducem bello superavit.*

27. *Quomodo instinctu Arnaldi*[d] *Romani adversus suum pontificem concitantur et senatoriam dignitatem instaurare moliuntur.*

28. *Epistola Romanorum ad regem.*

29. *De diversis preliis per expeditionem Hierosolimitanam sopitis.*

30. *Qualiter castrum regis Ungariae Bosan vel Presburch*[e] *captum et requisitum sit, et de Boritio*[f].

31. *De situ Ungarie et more gentis.*

32. *De pugna habita inter regem Ungariae et ducem Heinricum.*

33. *De pugna Rogerii Siculi contra Grecos.*

34. *Quomodo auctoritate sedis apostolicae transmarina expeditio persuasa est.*

35. *Epistola papae Eugenii super hac re.*

36. *Quomodo predicatione Bernardi*[g] *Clarevallensis abbatis rex*[h] *Francie*[i] *cum suis principibus cruces acceperunt*[k].

37. *Quomodo ad predicationem cuiusdam Rodolfi*[l] *orientalis Francia*[m] *ex magna parte eandem militiam professa est; et de persecutione contra Iudeos.*

38. *Dehortatio Clarevallensis abbatis ab hac re.*

39. *Quomodo idem abbas regi Conrado et multis principibus crucem accipere persuasit, et de obitu senioris Friderici ducis*[n].

40. *Quod multi de principibus et*[o] *innumerabilis multitudo apud Ratisbonam*[p] *cruces acceperunt, et quod Saxones contra alios paganos expeditionem professi sunt.*

41. *Epistola Clarevallensis abbatis super hac re.*

42. *Quod huius rei occasione subito pax incredibilis facta est.*

43. *Quomodo Conradus rex filium suum Heinricum socium regni legit et coronari fecit, et de filio ducis Heinrici.*

44. *Quod rex Conradus in transmarinam expeditionem procinctum movit subsequente eum rege Francorum cum suis.*

45. *Brevis narratio de eventu huius expeditionis.*

46. *De Gisilberto*[q] *Pictavensi*[r] *episcopo quomodo a suis clericis super doctrina sua pulsatus est.*

47. *Quomodo abbas Clarevallensis contra eum inductus est et de Petro Abaiolardo*[s].

48. *Epistolae pro eius condempnatione hinc inde.*

49. *De apollogetico eiusdem Petri et super quibus capitulis pulsabatur*[t] *et obitu eius.*

50. *De studio Gisilberti et de quibus impeteretur capitulis.*

51. *Quibus testibus convinci putabatur posse.*

52. *Subtilis eiusdem responsio.*

53. *Theologicus excursus.*

54. *Qualiter causa episcopi usque ad generale concilium dilata*[u] *est et de heretico Pereum*[v].

55. *De condempnatione eiusdem et de gestis concilii.*

56. *Quomodo episcopus Gisilbertus*[w] *post concilium discussus est et responsio eiusdem. — Quod*[x] *Gallicani episcopi convenientes fidem suam in scripto digesserunt.*

57. *Quod cardinales Romanae ecclesiae de hoc indignati sunt et oratio eorum contra papam Eugenium. — Quomodo*[y] *tandem haec contentio tota finem habuerit et quomodo episcopus*[z] *Gisilbertus evaserit.*

58. *De exercitu nostro et rege Francorum ubi in transmarinis applicuerit et quando Hierosolimam*[*] *venerit. — De rege Conrado et de prefato rege Ludewico*[a] *qualiter et ubi se invicem viderint.*

a) *ita* 4; Wolfradeshusen 1. 3; Bolfradeshusen 2. b) *deest* 2. 3. c) *ita* 1; Berchtolfum 2; Berht. 3; Bertolf. 4. d) *ita* 1. 2. 3; Arnoldi 4. e) *ita* 1. 2. 3. 7; Bosan quod et Presbruc 4. f) Boricio 1; Poricio 3. g) Bernhardi 2. 3. h) rex — abba *primo omissa post supplevit manus coaeva in margine* 1. i) Frantie 4. k) acceperint 2. l) Rŏdolfi 1. 3; Rudolfi 2. m) Frantia 4. n) Dė obitu — ducis *in* 4*et 7 *inscriptio singularis capitis.* o) *deest* 1. 3. p) Ratisponam 1. 3. q) *ita* 1. 3; Giselb. 2; Gileberto 4. r) pictauiensi 1; pictauensi 3. s) *ita* 1. 2. 3; abailardo 4. 7; *addunt* 4. 7 Item de eodem. t) *ita codd.*; putabatur *editt.* u) delatum 2; delata 3; dilatum 4. v) „proprium nomen" *superscripsit alia manus in* 4. w) Giselbertus 1. 2. x) Quod — digesserunt *peculiaris capitis inscriptio in* 4 *et* 7. y) Quomodo — evaserit *itidem.* z) *deest* 1. 2. 3. *) Hierosolima 1. a) Ludebico 2.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT PROEMIUM[e] SEQUENTIS OPERIS[f].

Omnium qui ante nos res gestas scripserunt, haec, ut arbitror, fuit intentio, virorum fortium clara facinora ob movendos hominum ad virtutem animos extollere, ignavorum vero obscura facta vel silentio supprimere vel, si ad lucem trahantur, ad terrendas eorundem mortalium mentes promendo ponere. Unde hoc tempore scribentes quodammodo iudico beatos, dum post turbulentiam praeteritorum non solum pacis inaudita reluxit serenitas, sed et quod[g] *ob victoriosissimi principis virtutes tanta Romani imperii pollet auctoritas, ut et sub eius principatu gens vivens humiliter silendo conquiescat, et barbarus quique vel Graecus, extra terminos ipsius positus, auctoritatis eius pondere pressus, contremiscat*[1]. *Fateor, dum ante* 1 *aliquod annos priorem historiam terminassem, spiritusque peregrini Dei ad sumenda contra gentes quae Orientem inhabitant arma, totam pene Hesperiam afflasset, pro pacis iocunditate, quae orbi momentanee tunc arriserat, stylum vertere cogitaram, iamque scribere coeperam, sed quo instinctu nescio, tanquam animo futura praesagiente finemque inspiciente, coeptum proieci opus. Sic tanqaum a nolente seu nesciente praesenti tempori negocium propositi implendi reservatum fuisse aestimo, dum firma quies — si tamen rebus caducis aliqua fides adhibenda est — sub strennuissimo principe in Romano orbe expectatur. Quod autem dixi, illo in tempore spiritu peregrini Dei occidentales populos afflatos, nemo sic intelligat, ac si quisquam a nobis peregrinus Deus putetur, sed ab illo scripto*[2], *quod illis in diebus in multis Galliae locis lectitabatur, nos hoc dictum mutuasse*[h] *sciat, quod tale fuit:* Tibi dico L. pastor corporum primo elemento materiae tuae sylvae[i], quem inspiravit spiritus diei peregrini Dei. *In cuius scripturae tenore*[k] *quodam verborum involucro de expugnatione regiae urbis necnon*[l] *antiquae Babilonis, et ad instar Ciri regis Persarum vel Herculis totius Orientis triumphus praefato Ludewico*[m] *Francorum regi promittebatur. Unde talia ibidem dicta reperta sunt:* Cum perveneris ad costam tetragoni sedentis aeterni et ad costam tetragonorum stantium aeternorum et ad multiplicationem beati numeri per actualem primum cubum[n], surge ad eam quam promisit angelus matris tuae visitare, et non visitavit, et pertinges ad[o] ea usque ad penultimum primum, cuius[p] cum ascenderit[q] promissor, deficit promissio propter optimam mercem, et figantur vexilla tua rosea usque ad extremos labores Herculis, et aperietur tibi porta civitatis B. Nam erexit te sponsus Arthemonem, barcha cuius pene cecidit[r], in capite cuius triangulare velum, ut sequatur te qui praecessit te. Tuum ergo L. vertetur

a) *ita* 1. 2; Hardiênbi 3; Hardiebi 4. b) *deest* 3. c) reni 1. d) Bauuariam 1. e) prohemium 2. f) *ita* 1. 2; *horum loco* 4 Prologus sequentis libri. g) *addunt* 1. 2. 3. h) mutasse 1. 3. i) silvę tuę 2. 3. k) tenore sub 3. l) necnon et 3. m) ludebico 2. n) cybum 1. o) de 1. 2. 4. p) *superscript. manu coaeva* 1. q) ascendit 2. 3. r) cicidit 3.

1) Haec optime iis explicantur, quibus Friderici adversarius acerbissimus Iohannes Saresberiensis epistola 145 circa ann. 1166. data (ed. Giles I, 222) in ipsum invehitur: *Nonne Teutonicus tyrannus nominis sui fama nuper orbem perculerat et fere subegerat regna vicina et etiam imperium Graecorum terrore concusserat, ut magis deditionem quam confoederationem legationibus missis videretur offerre?* Imperatorem ex hoc potentiae culmine schismate post Hadriani IV. mortem exorto deiectum esse, notissimum est. Sententia autem quam Iohannes Saresberiensis hac de re iam anno 1166. tulit in epistola, non minus scitu digna esse videtur: *Sed ecce Domino auctore timetur minus et qui ante tam vicinos quam remotissimos solo nutu terrebat princeps, Teutonicos suos ab iniuriis cohibere non potest; qui solo verbo pacem gentibus ad arbitrium indicebat, nunc a suis et inter suos petitis et acceptis treugis gratulatur. Nam sicut ipsemet conqueritur, ex quo Latonam venit* (24. Iulii 1161.) *ut regem Francorum et Gallicanam ecclesiam separaret a fide et in suam heresim perverteret, ut adorarent idolum suum* (Victorem IV.), *successi eius relapsi sunt; et quae eum extulerat, in depressionem ipsius coepit fortuna fluctuare.* 2) Cfr. Annales Corbeienses hoc eodem fere tempore conscriptos SS. III, 14, qui scriptum hoc singulare minus recte decurtatum exhibent additis his verbis: *Hee litterae dicuntur divinitus missae Loudhwico regi Francorum.*

in C. qui dispersit aquas fluminis, donec pertransirent illud qui student in procuratione filiorum. *Quod scriptum tantae auctoritatis a probatissimis et*[a] *religiosissimis Galliarum personis tunc putabatur, ut a quibusdam in Sibyllinis*[b] *libris repertum, et ab aliis cuidam Armenio divinitus revelatum affirmaretur*[c]. *Sed quisquis fuit ille propheta seu trotannus*[3] *qui hoc promulgavit, videat si in futuro*[d] *adhuc aliqua expeditione implendum expectetur, aut tanquam iam non impletum conculcandum Gallicanae levitati, quod fidem aliquam habere potuit, imputetur. Hoc tantum sciens, quod non sine rationis proportione spiritus ille omnes pene occidentales in peregrinationem mittens, spiritus peregrini Dei tam a nobis, quam ab illo vocatus est. Sicut enim iuxta quorundam in logica notorum positionem, cum non formarum sed subsistentium proprium sit praedicari seu declarari, genera tamen et species praedicamento transsumpto ad causam praedicari dicuntur. Vel, ut communiori utar exemplo, sicut albedo clara, mors pallida, eo quod claritatis altera, palloris altera causa sit*[e], *appellatur*[f], *utque dicitur:* Eurus fundit aquas, *sic et causam dicti considerantes, spiritum peregrini Dei dicimus, qui, ut tot et tanti propter Deum peregrinandi habitum assumerent, causa fuit. Cum igitur rebus in melius mutatis, post tempus flendi tempus ridendi, post tempus belli tempus pacis modo*[g] *advenerit, indignum ratus sum, augustorum clarissime Friderice, caeterorum regum seu imperatorum gestis enumeratis, tua silentio*[h] *supprimere, imo, ut verius dicam, dignissimum putavi priorum virtutibus tuas*[i] *sicut auro gemmam superponere*[k]. *Inter omnes enim Romanorum principes tibi pene soli hoc reservatum est privilegium, ut quamvis a prima adolescentia bellicis desudasse cognoscaris officiis, obscoenum tibi nondum vultum fortuna verterit. Sic etiam temperans in prosperis, fortis in adversis, iustus in iudiciis, prudens et acutus in causis esse cognosceris, ut non solum ex convictu haec tecum coaluisse, sed tanquam divinitus inspirata et a Deo tibi ob universale totius orbis emolumentum concessa fuisse*[l] *videantur. Hanc ergo tuae nobilitati offero historiam, ab omnium bonorum datore Deo postulans et petens, ut tuo bono principio melior finis apponatur. Sed antequam tuorum gestorum seriem attingam, de avo, patre patruoque tuo quaedam summatim praelibare cogitavi, ut sic quasi quodam filo narrationis descendens, per clara, clariora quae de tua persona dicenda fuerint, appareant. Si qua vero ex aliis regnis ecclesiasticae secularisve personae gesta incidenter interserta fuerint, ab huius negocii materia aliena non putabuntur, dum omnium regnorum vel gentium ad Romanae rei publicae statum tanquam ad fontem recurrat narratio. Nec si a plana hystorica*[m] *dictione, ad evagandum opportunitate nacta, ad altiora velut*[n] *philosophica*[o] *acumina attollatur oratio, praeter rem eiusmodi aestimabuntur, dum et id ipsum*[p] *Romani imperii praerogativae non sit extraneum, rebus simplicioribus altiora interponere. Nam et Lucanus, Virgilius caeterique Urbis scriptores non solum res gestas sed etiam fabulosas, sive more pastorum vel colonorum*[q] *summissius, vel principum dominorumque orbis altius narrando, stylum tamen frequenter ad intima quaedam philosophiae secreta attingenda sustulerunt. Sic enim non solum hi, quibus rerum gestarum audiendi seriem inest voluptas, sed et illi, quos rationum amplius delectat subtilitatis sublimitas, ad eiusmodi legenda seu*[r] *cognoscenda trahuntur. Ac propositae historiae Deo auctore tale sumatur exordium.*

EXPLICIT[s] PROLOGUS.

INCIPIT CHRONICA OTTONIS FRISINGENSIS EPISCOPI ET EIUS ADBREVIATORIS RAHEWINI[t].

LIBER I.

1. Cum sub imperatore Heinrico, qui inter reges quartus, inter imperatores tertius huius nominis invenitur, imperium gravissime scissum fuisset, parteque[u] maxima optimatum[v] principi suo rebellante, tota pene regni latitudo ferro, flamma foedaretur[w], Gregorius septimus, qui tunc urbis Romae pontificatum tenebat, eundem imperatorem tanquam a suis destitutum, anathematis gladio feriendum decrevit[x]. Cuius rei novitatem eo vehementius indignatione motum suscepit imperium, quo nunquam ante haec tempora huiusmodi

a) *deest* 2. b) sybillinis 1. 3. c) affirmatur 2. 3. d) futura 3. e) sic 2. f) apell. 4. g) *addunt* 1. 2. 3. h) tuas si sil. 3. i) *ita* 3. k) *ita* 1. 2. 3; supponere *edd.* l) *add.* 1. 2. 3. m) *ita* 1. 3. n) velud 1. o) phyl. 1. p) et ipsum 2. 3. q) colonum 1—4. r) sui 2. s) Explicit — Rahewini 1. 2. 3. *In 4 vero initio codicis ante Friderici epistolam similis inscriptio invenitur:* Cronica Ottonis Frisingensis episcopi eiusque adbreviatoris Radewici. t) *ita* 1; Rahebini 2; PAHEWINI IXXXI 3. u) *superscr. manu coaeva* 1. v) obt. 1. w) fedaretur 1. 2. x) *ita* 1—4.

3) Idem ac *trutanus*, quod vocabulum poetas vagantes et auctores narrationum fictarum designasse videtur.

sententiam in principem Romanorum promulgatam cognoverat. Eapropter pluribus ex Italia, Gallia, Germania apud Baioariae[a] civitatem Brixinoram[b], in ipso Pyrenaeo[c] haud procul a valle Tridentina sitam, coadunatis episcopis, princeps curiam magnam celebravit. Ubi omnibus advenientibus iniurias sibi a Romana ecclesia irrogatas affectuose conqueritur, quod videlicet ipso inconsulto — qui tanquam rex et patricius primus in electione suae urbis episcopi esse deberet — Romani sibi pontificem praefecissent, cum a patre suo imperatore plures ibidem quasi sine electione intronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eo facilius contra Romanam ecclesiam[d] inclinari poterant, quo et laici secularis honoris consideratione accensi, et episcopi[d] consilio clericorum suorum, quibus recenter conubia ab eodem pontifice inhibita fuerant, inflammati, voluntati principis accedebant. Cunctis igitur acclamantibus, praefata electio ab eis cassanda iudicatur, Gwibertusque Ravennatensium archiepiscopus, Clemens[e] vocatus, assensu principis Urbis episcopus creatur, Gregoriusque VII. ab ipsis pseudomonachus vel nicromanticus appellatus exsufflatur. Unde communi consilio praenominato pontifici scriptum conviciis et detractionibus plenum dirigere praesumpserunt, inter caetera dicentes: *Sicut hactenus solebas dicere, quod nullus nostrum esset episcopus, ita scias, quod nulli nostrum deinceps eris apostolicus*[4].

2. Post haec[f] princeps militem copiosum colligens, Italiam ingreditur ad Urbemque usque progressus, Romani populi favore, pulso Gregorio, Gwibertum[g] ibidem ponens, imperatoris et augusti ab eo nomen[h] sortitur. Venerabilis autem sacerdos persecutionem fugiens, ad tutiora montana Tusciae in terram comitissae Mathildis[i], quae imperatoris consanguinea fuit, se contulit, ibique per aliquot[k] dies manens, sententiam anathematis renovans, epistolis, quae multis in locis habentur, principes regni adversum imperatorem suum concitavit. Deinde Campaniam seu Apuliam ingrediens, in municipio Nortmannorum[l], qui nuper Rŏberto[m] Gwiscardo[n] duce provincias illas, indigenis necatis vel eiectis seu servituti subactis, irruperant, se recepit, ibique diem mortis expectavit[o].

3. Rŏbertus iste[p] ex mediocri stirpe in Nortmannia[q], ex eorum militum ordine, quos vavassores vulgo ibi dicere solent, in plaga quam Constantiam indigenae dicunt editus, cum Rogerio[r] fratre tam patri famis tempore morem, ut aiunt, gerens, quam ob locorum sterilitatis molestiam a natali solo progressus, multo tempore multas per provincias opportunitatem ad inhabitandum terram quaerens oberravit, unde et ab oberrandi circuitu patria lingua Gwiscardus[s] tanquam oberrator vel girator appellatus est. Cum ergo non paucis, ut dictum est[t], diebus multarum regionum girator existeret, a citeriori Italia, quae modo Apulia seu Calabria dicitur, tandem excipitur. Quam dum a Longobardis possessam inertis plebis inhabitatione tanquam industriae defensionis vacuam inveniret, remissis in Galliam nunciis, expositaque locorum idoneitate[u] ac gentis inertia, ad expugnationem earum provinciarum et socios[v] invitavit. Et ne multis detinear, virtute, dolo, arte ignavi populi victor existens, Campaniae, Apuliae, Calabriae, Siciliae ad ultimum possessor inventus est[w]. Reliquit autem Rogerio fratri ex parte sui comitatum Siciliae[x] tenendum, ipse vero ducatum Apuliae cum Calabria sibi retinuit. Huius filius, qui multa postmodum tam in Graecia quam in caeteris Orientis partibus fortia et gloriosa gessit opera, Boimundus fuit. Fratris vero sui Rogerii Rogerius, qui postmodum regium nomen usurpavit, natus erat huius qui in praesentiarum est Willehelmi[y] pater. Sed haec actenus.

4. Circa idem tempus Saxonum gens inquietissima more suo principi rebellans, castrum quoddam Harzeburch[z] dictum, ob eiusdem gentis obpugnationem[*] ab imperatore in ingressu provinciae in loco munitissimo fundatum, cum ecclesia pariter, in qua congregatio canonicorum fuit, funditus delevit. Occasio tamen huius rebellionis non tantum ex praedictae gentis instabilitate sed ex principis lascivia ortum sumpserat. Dum enim prae-

a) Bauarię 1 *semper*. b) Brixionam 1. c) pyreneo 1. 4. d) *superscr. manu coaeva* 1. e) vel potius demens *addunt* 1. 2. 3. f) hoc 2. g) Gwibertus 3. h) nomine 2. i) Matheldis 4. k) aliquod 1. 2. l) Norm. 2. 3. m) *ita* 1; Rudberto 2; Rŏdberto 3. n) Gisc. 3. o) exspectavit 4. p) quidam 6. q) Norm. 3 *semper*. r) Rugerio 1. s) *ita* 1; Gbisehardus 2; Gwischardus 3. t) ut d. e. non paucis 6. u) ydon. 1. v) *ita* 1. 2. 3; prov. consocios *edit*. w) *addit* 6: Andrea et Alberto comitibus aliisque terrae illius principibus expulsis. x) Sycilise 1. y) *ita* 1. 3; Bilhelmi 2; Guillelmi 4; Gwillihelmi 6. z) *ita* 1. 2. 3; Harzeburc 4. *) *ita* 1. 2. 4.

4) Error Ottonis. Verba enim laudata non ex actis synodi Brixinensis die 25. Iunii 1085 habitae, sed ex epistola episcoporum in synodo Wormatiae anno 1076 congregatorum, Mon. LL. II, 46, desumpta sunt.

dictus princeps in iuvenili adhuc positus aetate, toto regno silente dominiumque[a] suum humiliter portante, praefatam terram ingressus fuisset, iuveniliter dixisse fertur: *Se mirari, nullum*[b] *per totum imperii ambitum inveniri, in quo vires suas exercere posset,* idque non virtuti, sed ignaviae deputabat. Quod dictum non secundum naturam generis sui percusso aere mox transiit, sed tam efficaciter in mentibus plurium radicem figens germinavit, ut tota in brevi provincia illa adversus ipsum commota et in unum corpus coadunata innumeris populis et gentibus letifera pocula ministraverit. Discant ergo principes orbis in summo positi, summum omnium creatorem suum prae mente habendo, moderantiam servare, ut iuxta Ciceronem, quanto maiores sunt, tanto se gerant[c] submissius. Optime enim a physicis[d] fallaciam complexionum considerantibus dictum cognoscitur: *Melius est ad summum, quam in summo.* Cum enim homo natus ad laborem, brevi vivens tempore, natura tanquam ex multis composita ad dissolutionem tendente, nunquam in eodem statu manere valeat, si in summo fuerit, mox eum declinare oportebit. Cuius rei causa paulisper philosophari liceat: etenim

Off. 1,26,40.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Virg. Georg. II, 490.

5. Quicquid est, aut[e] genuinum est aut nativum. Sicut autem genuinum non potest esse non simplex et, ut ita dixerim, non singulare, non solitarium, ita nativum non potest esse non compositum, non conforme, non concretum. Primo ergo videamus quid genuinum, quid nativum appelletur, ut ex hinc horum sensus verborum facilius appareat. Genuinum dicitur tanquam generans et non genitum, id est carens generatione; nativum velut[f] natum aut genitum, descendens a genuino. Unde Plato: *Est igitur, ut mihi videtur, in primis dividendum, quid sit quod semper est, carens generatione, quid item quod gignitur, nec est semper.* Et Boetius:

Timaeus p. 28.

qui tempus ab aevo Ire iubes.

Generationem vero large accipimus[g] pro ingressu in quamlibet proprietatem vel, ut[h] manifestius loquar, pro quolibet ingressu de non esse ad esse; unde Aristotiles: *Ex oppositis fiunt generationes.* In omni enim nativo negatio prior est affirmatione. Genuinum est igitur carens generatione, carens principio, quale apud nos unum tantum invenitur, aeternitas videlicet, soli divinitati accommoda[i]. Non enim tria apud nos, quae Plato posuit, inveniuntur principia, sed unum tantum, Deus Pater, ex quo omnia, Deus Filius, per quem omnia, Deus Spiritus sanctus, in quo omnia; et hi tres sicut nec tres dii, ita nec tria principia, nec tria aeterna, sed unum principium et unum aeternum. Sola ergo divinitas principio carens simplex esse necessariis probatur rationibus. Quicquid enim componitur, ab alio componi necessarium est; nulla enim res, sicut se non gignit, ita nec se componit; quod autem ab alio componitur, ab alio esse necesse est. Divinitas vero ab alio non est, ab alio ergo componi nequit; simplex igitur est. Unde Boetius in tertio libro de consolatione: *Quod si natura quidem inest, sed ratione diversum, cum de rerum principe loquamur Deo*[k], *fingat qui potest, quis haec diversa coniunxerit.* Haec eadem divina essentia, eo quod nec actu nec natura conformem habeat, singularis esse probatur. Quod ex intuitu naturalium facilius consideratur[l]. Cum enim ad contemplanda celsa divinitatis attollimur, eo quod intellectus noster in quo sedeat non habet, tanquam de re incerta palpitantes, melius negando quam affirmando, id est quid non sit quam quid sit, conspicimus. In nativis igitur omnem naturam seu formam, quae integrum esse subsistentis[m] sit, vel actu et natura, vel natura saltem conformem habere necesse est. Verbi gratia humanitas Socratis actu et natura conformis est humanitati Platonis, dum secundum omnes partes et omnimodum effectum, quod quidam formam substantiae et substantiam formae vocant, tam in isto quam in illo inveniatur. Unde quamvis Socrates et Plato ratione partiendi[n] in numerum veniant[o], ut duo dicantur homines, tamen ratione assimilandi unus possunt[p] dici homo. Substantialis namque similitudo non solum subiecta conformia, sed et eadem et unum dici facit, iuxta illud: *Participatione speciei plures homines unus,* et secundum quod soliti sumus dicere: *Idem vinum bibitur hic, quod Romae.* Partes autem hic voco eas formas, quae ad componendam speciem aut in capite ponuntur, ut generales, aut aggregantur, ut differentiales, aut eas comitantur, ut accidentales. Omnis quippe diffinitio alterius est, et alteri convenit, nam formae

a) *ita* 3; dominum *editt.* b) *superscr.* 1 *sec. manu.* c) ger. se 6. d) phisicis 4. e) *add.* 1. 3. 6. f) velud 1. 4. g) accepimus 4. h) velut 1. i) accomodo 6. k) *superscr. sec. manu* 1. l) consideratur — Socrate (*p.* 355 *lin.* 41) *excisa* 1. m) subsistens 3. n) pariendi 3. o) veniunt 2. 3. p) possum 2.

est, et subsistenti convenit. Iam ex his, ut arbitror, patet quod dixi, humanitatem Socratis secundum omnes partes et omnimodum effectum humanitati Platonis conformem esse, ac secundum hoc Socratem et Platonem eundem et unum in universali dici solere. Si enim altera rationalis[a], altera esset mortalis, nec tota esset in isto, nec tota in illo, sed aliam partem ista, aliam partem caperet[b] illa, de effectu[c] quoque clarum est, quod sicut haec[d] illum rationalem seu mortalem, ita illa hunc rationalem seu mortalem facit. Concretio[e] etiam in naturalibus non solum coadunatione[f] formae et subsistentis, sed ex multitudine accidentium, quae substantiale esse comitantur, considerari potest. Verbi causa humanitas quae est integrum esse hominis et ex multis, ut ostensum est, formis composita, ad hoc ut subiectum informet, risibilitatem caeteraque trahit accidentia. Sunt aliae formae subiectum integre[g] informantes, quae naturam tantum conformem habent. Esse quippe solis, etsi non actu, natura conformem habere noscitur. Quare quamvis plures soles non sint, sine repugnantia tamen naturae plures esse possunt. Patet igitur ex opposito per negationem, quod divina essentia nec conformis est, nec concretioni subiacet. Quare, ut verba naturalia in divinam vertantur praedicationem, sicut simplex, sic et singularis et solitaria dicatur, ut simplex contra compositionem, singularis contra conformitatem, solitaria dividat contra concretionem. Nec igitur actu nec natura conformis est, quia nec fuit, nec est, nec esse poterit alius Deus, alius Creator, alius Omnipotens. Unde psalmista: *Deus quis similis* Psal 85, 8.
tibi? Concretionem non recipit, cum nec subiectum, quod informet, habeat, nec aliquam comitantiam accidentium admittat. Quare nec substantia proprie dici potest. Substantia enim potest quodammodo subiectum vocari, forma vero nullo modo subiectum esse potest. Hoc vero cum iuxta philosophum nec passionibus nec motui subiciatur, ex hoc aut ex illo constans, sed quicquid est, unum est, et ideo vere est, et fortissimum, nullo nitens, multo melius forma dicitur. Omne namque esse ex forma est. Non est ergo hoc et hoc, sed hoc tantum pulcherrimum et fortissimum. Si enim conforme haberet, pulcherrimum dici non posset. Si subiecto nitens comitantia accidentium egeret[h], fortissimum non esset. Quare pulcherrimum et fortissimum est nullo nitens, et ut[i] optime a praedicto philosopho dictum est nec diffinitioni nec divisioni, multo minus demonstrationi vel resolutioni apta est. Vere[k]. Cum enim superveniens genus quo componatur non habeat, diffinitionem non admittit. Divisionis sectionem quomodo reciperet, quae omnibus in quas dividi posset speciebus caret? Demonstrationi quoque qualiter pateret, quae velut omnium principium et primum, primiora, veriora, notiora super se habere non potest? Unde necessario ex simplicitatis, singularitatis, solitaritatis, ut ita dicam, natura, resolutionis necessitudinem excludit, ut iure solum aeternum[l], invariabile, incommutabile et sit et naturaliter esse credatur. Caetera namque si qua sint[m], quae variationem non suscipiunt, ut angeli, non ex propria natura, sed ex opificis sui gratia, a cuius invariabilitate ipsi invariabiles denominantur, hoc habere probantur, ut secundum hoc, cum dico: *Deus est invariabilis, angelus est invariabilis*, non alia in secunda quam in prima propositione praedicetur invariabilitas, sed eadem. Verbi gratia, cum dico artificem humanum et opus humanum, non aliam et aliam praedico humanitatem; sed hoc quod de artifice substantive, de opere praedico denominative; velut cum dico: *Socrates ridet, pratum ridet,* non aliam de Socrate, aliam de prato[n] praedico proprietatem, sed eandem quam de Socrate proprie, de prato improprie[o] vel transsumptive enuncio. Quod considerans Boetius ait: *Tropus nullius est proprietatis.*

Ostenso de divina essentia, iuxta iudicium negationis, cum nec composita, conformis, concreta dici possit, simplicem, singularem, solitariam eam quoquo[p] modo comprehendi, nunc qualiter omne nativum compositum[q], conforme, concretum intelligatur, dicendum restat. Omne quippe quod natum est, ab alio sine dubio originem sumit. Nichil enim a se nasci potest. Quod autem ex alio est, principium non est; ergo est hoc et hoc; ergo simplex non est, compositum est igitur[r]. Non enim hic ad effandum de theologica et ineffabili generatione seu nativitate attollimur, sed tantum de ea, quae a philosophis genitura, a nobis factura seu creatura dici solet, disputationem instituimus. Sed notandum, quod compositio alia formarum, alia est subsistentium, formarum ex formis, subsistentium ex subsistentibus. Nulla enim forma subsistentium, nec subsistens formarum compositionem admittit.

a) rationali 3. b) carperet 2. 3. 6. c) affectu 3. d) hoc 2. e) congretio 4. f) coadunationem 3. g) *ita* 2. 3. 6. h) *ita* 2. i) *deest* 2. 3. k) *ita* 2. 3. 4; apta est vere *editt.* l) externum *editt.* m) sunt 2. 3. 4. n) *superscr.* 1 *sec. man.* o) inproprie 1. p) quo 2. q) compositivum 1. r) igitur est 1.

Nam tanta diversitate esse et id quod est seiunguntur, ut nec quod est esse sui, nec esse eius quod ipso est compositionem admittat; et cum sub nullo genere conveniant, compositionemque, ut dictum est, alterum alterius non admittat, alterum tamen sine altero esse nequit. Haecque talis diversissimorum, ut ita dixerim, compactio concretio potius oppositorum quam compositio similium vocatur. Compositio igitur alia, ut dictum est, formarum, alia est subsistentium. Formarum autem aliae compositae, aliae simplices; simplices, ut albedo[a], compositae, ut humanitas. At simplices in compositione compositae venire possunt. Nulla autem simplex per se in naturalibus subiectum informare valet, sed tantum compositam informantem comitatur[b]. Omnem igitur formam ad hoc ut integre subsistentem informet compositam esse necesse est, et esse hoc et hoc. Subsistentes quoque ex subsistentibus constare, nulli dubium est; omne enim corpus ex corporibus constat. Nec inconveniens arbitrantur philosophi, sicut quantitatem in immensas quantitates, sic et corpus in infinita secare corpora. Nullum itaque subsistens simplex, nulla forma[c] quae sit integrum esse potest esse non composita. Sed sciendum est, quod subsistens aliud[d] suscipit coniunctionem partium, aliud non. Corpus suscipit, spiritus non; quare et spiritus simplex esse videtur. At hoc videndum est, simplicitatem quandoque contra compositionem tantum, quandoque contra compositionem simul et concretionem dividere. Unde Boetius in octava regula libri ebdomade: *Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est.* Non enim in hac regula diversitas inter id quod est et quo est, quae in secunda regula, in qua dicitur: *Diversum est esse et id quod est,* assignata est, notatur, sed potius ea diversitas formarum, qua subiectum alio est et alio aliquid est. Verbi gratia, ut corpus[e] corporeitate esse, colore aliquid esse dicitur, sic et spiritus creatus, cum alio sit, alio sapiens sit, quamvis copulatione partium carens, simplex esse videatur, tamen quia formam ex formis compositam habet[f], ex concretione huiusmodi formae et subsistentis plenarie simplex dici non potest. Omne igitur nativum compositum. De conformitate et concretione supra probatum est, quod videlicet ex substantiali similitudine conforme, ex eo quod subiectum informet multitudinemque post se accidentium trahat[g], concretum dicatur. Inter omnia vero nativa nichil magis compositum invenitur quam homo, qui non solum ex esse compositum habet esse, vel subsistentem ex subsistentibus, sed et[h] ex oppositis compactus subsistentibus, oppositorum subsistentium iuncturam et eorundem diversarum subsistentiarum compositionem recipit. Quare haud mirandum, si ex tota et tanta compositione compactus facilius resolutioni subiacet. Item cum iuxta Boetii nonam regulam: *Omnis diversitas discors* similitudo appetenda sit, et quod[i] appetit aliud, tale ipsum esse naturaliter ostenditur, quale est illud hoc ipsum quod appetitur, tanto vehementius ad dissolutionem tendimus, quanto dissidentius ex oppositis partibus constamus. Verbi causa corpore ex quatuor elementis compacto, igne sursum, terra deorsum, aqua et aere quasi e regione distrahentibus sibique hoc modo partibus dissidentibus, quid inaequalius esse poterit? Id ipsum etsi non sensus, ratio tamen in compositione formae percipit. Accedit ad hoc, quod non solum forma quae[k] substantiale est esse ex formis est[l] composita, sed quod ipsae formae componentes, nunc nascentes, nunc occidentes, neque unquam in[m] existendi[n] conditione constanti et rata perseverantes, subiectum quiescere non permittunt. Unde decedentibus[o] aliis, aliae semper sine intervallo succedunt. Quem celerrimum fluxum formarum cum sequatur[p] fluxus morarum, tempus tam acutum emergit, ut eius instans vix vel nunquam conspici queat. Bene ergo a tam[q] mutabilitate[r] naturae quam morae considerantibus dictum est: *Melius est ad summum, quam in summo,* quia cum amplius quo crescat non habeat, decrescere necesse est. Sicut autem a medicis praecipitur, ut bonae habitudines cum in summo fuerint, solvantur, sic non immerito[s] a probatis animarum medicis suadetur, ut mens, quae rerum prosperitate in summo posita elevari assolet, malorum
Eccl. 11,27. intuitu reprimatur. Unde est illud: *In die bonorum ne immemor sis malorum.* Sed iam ad propositum redeamus.

6. Igitur Saxonibus a capite suo dissidentibus, ex omnibus regni visceribus princeps ad debellandos eos fortem et magnum militem cogens, instauransque exercitum, praedictam provinciam ingreditur. Fuerunt in comitatu eius quatuor magni duces, singuli cum singulis legionibus, Zuerdebaldus[t] dux Boemorum, Gwelfo[u] dux Noricorum, Radolfus[v] dux Suevorum,

a) albeldo 4. b) comittatur 1; conmittatur 4. c) forma forma 1. d) alius 1. 2. 3. e) *addunt* 1. 3. 6. f) habet et *edd.* g) trahet 4. h) *deest* 6. i) qui 6. k) *add.* 1. 2. 3. 6. l) *add.* 1 2. 3 6. m) *deest* 1. n) existenti 1. 2. 3. o) unde de accod. 3. p) sequuntur 2. q) tanta 1. 3. r) mutabilitatem 4. s) immer. 2. t) *ita* 1. 3; Zberdeb. 2. u) Gbelfo 2. v) *ita* 1. 2. 3 *semper*; Rŏdulfus 4.

Gotefridus dux Lotharingiorum, et alii principes, comites nobilesque innumerabiles. Ita iuxta fluvium Unstrôt[a] dictum publico bello commisso, cruenta rex potitus victoria rediit. Non multo post tempore duo praefati duces Welfo[b] et Radolfus, qua occasione dubium, principi rebellantes, Saxonibus iunguntur. Gotefridus autem Lotharingiae dux, orientalem expeditionem aggressus, Hierosolimis ducatum populi Dei tenens, ibidem in pace quievit.

7. At Romanus pontifex Gregorius, qui iam, ut dictum est, principes adversus imperatorem concitabat, omnibus, ut alium crearent, latenter et manifeste scribebat. Igitur Radolfus dux Suevorum ab eis rex factus, diadema a Romana ecclesia accepisse traditur, cum huiusmodi scripto:

Roma dedit Petro, Petrus diadema Radolfo.

Huius Radolfi filiam quidam ex nobilissimis regni optimatibus, Berhtolfus[c] nomine de castro Zaringen[d], habuit. Non multo post tempore Radolfus[e] in publico bello a fidelibus imperatoris necatur, et in ecclesia[f] Merseburch[g] cultu[h] regio sepelitur. Fertur de imperatore, quod cum, pacatis paulisper his seditionum motibus, ad praedictam ecclesiam Merseburch venisset, ibique praefatum Radolfum velut regem humatum vidisset, cuidam dicenti, cur eum qui rex non fuerat, velut regali honore sepultum iacere permitteret, dixit[i]: *Utinam omnes inimici mei tam honorifice iacerent.* Occiso Radolfo, gener eius Bertholfus ducatum Sueviae tanquam a socero sibi concessum usurpat.

8. Ea tempestate comes quidam, Fridericus[k] nomine, ex nobilissimis Sueviae comitibus originem trahens, in castro Stoiphe dicto coloniam posuerat. Hic cum esset consilio providus, armis strenuus[l], ad curiam imperatoris assumptus, per multos dies ibidem militarat[m], strenuissimique ac nobilissimi militis officium implens, in omnibus periculis suis viriliter imperatori astiterat. Videns ergo princeps rei publicae tam dubium statum, vocato[n] ad se secreto praefato comite, sic eum alloquitur: *Virorum optime, quem inter omnes in pace fidelissimum et in bello fortissimum expertus sum, cerne, qualiter Romanus orbis tenebris involutus, fide vacuus, iuxta quod dicitur:*

„Ultima coelicolum terras Astraea reliquit“, Ov. Met. I, 150.

ad ausus nefarios factaque nefandissima concitatur. Nec parentibus reverentia, nec dominis debita subiectio servatur, sacramenta, quae tam iure poli quam iure fori principi a milite publice exhiberi solent, contempnuntur, factiosaque iuramenta, quae contra leges divinas et humanas in angulis fiunt, diabolo instigante, pro sacrosanctis habentur, nullus legibus, nullus divinis sanctionibus honor impenditur. Cum enim omnis potestas a Deo sit, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Assurge igitur huic tam pessimo morbo, atque ad debellandos imperii hostes[o] *viriliter accingere. Neque enim priorum meritorum tuorum immemor existo, nec futurorum ingratus ero. Filiam quippe unicam quam habeo, tibi in matrimonio sortiendam tradam, ducatumque Sueviae, quem Berhtolfus invasit, concedam.*

Sic itaque praedictus Fridericus, dux simul Suevorum et gener regis factus, ad propria rediit, et ne multis morer, Berhtolfum tandem pacem petere coegit, quod tamen quidam sub filio suo Friderico factum tradunt. Conditio autem talis fuit pacis, ut Berhtolfus[p] ducatum[q] exfestucaret, sic tamen quod Turegum, nobilissimum Sueviae oppidum, a manu imperatoris ei tenendum remaneret. Hoc oppidum[o] in faucibus montium versus Italiam super lacum, unde Lemannus fluvius fluit, situm, imperatorum seu regum olim colonia fuit, tantaeque iuxta maiorum nostrorum traditionem auctoritatis, ut Mediolanenses, si quando ab imperatore ad Transalpina vocarentur iudicia, ibi discuti vel iudicari de iure deberent. Unde ex eiusdem tam in rebus quam honoribus habundantia in ipsius porta scriptum dicitur:

Nobile Turegum multarum copia rerum.

A praedicto etiam Lemanno fluvio, unde Lucanus: Phars. I,396.

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno,

tota illa provincia Alemannia vocatur. Quare quidam totam Teutonicam terram Alemanniam dictam putant, omnesque Teutonicos Alemannos vocare solent, cum illa tantum provincia, id est Suevia, a Lemanno fluvio vocetur Alemannia, populique eam inhabitantes solummodo vocentur Alemanni. Berhtolfus iste, quamvis in hoc negocio imperio simul et iustitiae cesserit, tamen strenuissimus ac fortissimus fuisse traditur. Unde et adhuc ab

a) *ita* 1. 2. 3; Unstrût 4. b) *ita* 1. 3; Belfo 2. c) *ita* 1. 2. 3. d) *ita* 2. 3. 4; Zaringe 1. e) Radulfus 1. f) ecclesiam 2. g) Merseburc 4. h) culto 1. 3. i) *ita* 1. 3. k) Fredericus 4. l) strennuus 1. 4. *constanter* m) militaret 1. 4. n) vocatum 4. o) *sec. manu add.* 1. p) Berhtoldus 1. 4. q) *deest* 2.

antiquioribus de ipso dicitur, quod si quando nuncius aliqua tristia ipsi apportans, secundum quod fieri assolet, haesitare[a] voluisset, dixerit: *Dic, dic; scio enim quod semper laeta tristia, vel tristia praecedunt laeta. Quare tantundem mihi est primo audire nubilosa, cum postmodum auditurus sim serena, quam primo auditis serenis, post*[b] *auditurus sim nubilosa.* Magnifica vox, et viro forti digna, qui nativorum volubilitatem sine litteris, naturali percipiens ingenio, nec in diebus bonorum immemor malorum elevatus, nec in diebus malorum immemor bonorum fuit fractus. Fridericus[d] autem ducatum Alemanniae ex hinc sine contraditione habuit, ac strenue diebus non paucis rexit.

9. Suscepit vero ex nobilissima compare sua Agnete duos filios, Fridericum et Conradum, et ipse post multa virtutum suarum insignia in senectute bona diem ultimum claudens, in monasterio Laureacensi in proprio fundo constructo[e] humatus est. At supra nominatus Berhtolfus, vacuum ex hinc nomen ducis gerens, id quasi haereditarium posteris reliquit. Omnes enim usque ad praesentem diem duces dicti sunt, nullum ducatum habentes, soloque nomine sine re participantes, nisi quis ducatum esse dicat comitatum inter Iurum et montem Iovis, quem post mortem Willehelmi[f] comitis filius suus Conradus ab imperatore Lothario suscepit, vel a ducatu Carentano, quem nunquam habuerunt, ducis eos nomine honorandos contendat, in aliis tamen rerum et honoris non parva pollentes magnificentia.

10. Mortuo Alemannorum[g] duce Friderico, Agnetem ab ipso viduatam frater suus Heinricus, imperatoris Heinrici filius, in sua suscepit, eamque Leopaldo Orientali marchioni, quod alias a nobis plenius dictum est, in uxorem dedit, filiis ipsius Friderico quindecim, Conrado duodecim annos habentibus. Porro Fridericus, qui maior natu erat, patri in ducatum successerat. Circa idem tempus imperator Heinricus apud Leodium Belgicae urbem diem obiit, sepultisque ibidem intestinis eius, corpus in Galliae civitatem Spiram deportatur, ibique in ecclesia beatae Dei genitricis Mariae[h], quam ipse miro et artificioso, sicut hodie cernitur, construxerat opere, iuxta patrem, avum imperatores cultu regio sepelitur, eique in regnum successit filius suus Heinricus, in ordine imperatorum quartus, regum vero quintus. Hic armis strenuissimus, totum imperium ita in brevi suae subiecit ditioni, ut et omnes in Romano orbe positi subiectionis iugum humiliter portarent, et vicini dominationem eius suspectam habentes metu obrigescerent.

11. Quot[i] ergo et quanta tam Romae quam in Italia fortia gesserit, quia in priori dicta sunt historia, supersedemus. Hoc tantum ad praesens ponere sufficiat, quod cum in summo statu positus, omnibus Gallicanis trepidantibus, castrum Barrum[k] contra opinionem multorum assultu cepisset, ibique comitem Reginaldum comprehensum captivum abduxisset, iuxta eiusdem comitis arcem Munzun dictam castra[l] posuit. Quam in altissimo monte sitam naturaque locorum munitissimam dum nulla arte vel vi capere valeret, patibulum erigi praecepit, dicens, quod, nisi velociter castrum redderetur, comitem ipsum suspendio perimeret. Oppidani usque in alterum diem inducias petunt. Illa in nocte comitissa filium genuit. Itaque oppidani convenientes, infantulo recenter genito sacramento fidelitatis astringuntur. Mane facto, cum imperator rursum ad deditionem castri oppidanos exposceret, dominoque illorum comite coram ducto suspendium interminaretur, ipsi responderunt, se propter mortem illius castrum reddere nolle, praesertim cum novum dominum, quem illa nocte uxor eius peperisset, haberent. Qua de re inflammatus princeps, praedictum comitem ad patibulum trahi iussit. Cumque a principibus qui aderant, ne id faceret, rogaretur, ipsoque in proposito perseverante, a quibusdam ut saltem divina animadversione a
Psal 113,16. coepto[m] desistere diceretur, turbato prae ira oculo, respondisse fertur: *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Tandem tamen irrationabili motu defervescente, cunctorum precibus augustus inclinatus a mortis sententia animum revocavit, praedictumque comitem secum captivum ducens, ad familiaria domicilia rediit.

1114. 12. Non multo post ipso in civitate Galliae Maguntia nuptias cum multorum principum adstipulatione[n] magnifice celebrante, imperium, ut alibi a nobis profusius dictum est, scinditur. Quae scissura illo tempore tam gravis fuit, ut praeter Fridericum ducem fratremque suum et Gotefridum[o] palatinum comitem Rheni vix aliqui ex principibus fuerint, qui prin-

a) ss. ne hes. 2. b) *deest* 2. d) *hic incipit c. IX in* 3. e) constructum 1. 2. 3. 4. f) Willelmi 4. g) Alamannorum 1; Alemannorum seu Suevorum 2. h) semperque virginis Mar. 4 *et edd.* i) quod 1 *semper; deest* 2. k) *ita* 1. 3. l) *ita* 1. 2. 3. m) accepto 3. n) astipulatione 1. 2. o) Gotfridum 3.

cipi suo non rebellarent. Quot et quanta ergo Fridericus Suevorum[a] dux nobilissimus vel imperatore praesente vel in Italia morante stilo digna tunc gesserit, quia in multorum adhuc habentur memoria, summatim dicemus. Ipse enim de Alemannia in Galliam transmisso Rheno se recipiens, totam provinciam a Basilea[b] usque Maguntiam[c], ubi maxima vis regni esse noscitur, paulatim ad suam inclinavit voluntatem. Nam semper secundum alveum Rheni descendens, nunc castrum in aliquo apto loco aedificans, vicina quaeque coegit, nunc iterum procedens, relicto priore, aliud munivit, ut de ipso in proverbio diceretur: *Dux Fridericus in cauda equi sui semper*[d] *trahit castrum.* Erat autem praedictus dux in bellis fortis, in negociis ingeniosus, vultu et animo serenus, in sermone urbanus donisque tam largus, ut ob hoc multitudo maxima militum ad eum conflueret seque ad serviendum illi ultro offerret.

13. Igitur omnibus circa Rhenum, ut supra dictum est, ad nutum suum inclinatis, Maguntino[e] archiepiscopo Alberto, omnium illius temporis regni principum versutissimo et locupletissimo, eo quod praedictae factionis caput et auctor fuerat, bellum indixit. Vastatisque cunctis in circuitu, tandem et[f] ipsam civitatem cum infinita multitudine militum ac plebis obsidione cinxit. Est autem praedicta civitas magna et fortis super Rhenum posita, et ea parte, qua Rhenum attingit, spissa et populosa, ex alio latere rarum habitatorem habens, vacua, muro tantum forti, non paucas turres habenti circumdata. Porrecta in immensum longitudine[g], in lato angustior, necessitas locum signavit. Nam ex ea parte, qua Galliae contigua est, monte mediocriter in altum sublato artatur, ex alio vero latere, qua Germaniam respicit, Rheno; unde fit, quod circa Rhenum nobilibus templis et aedificiis vestita sit, et versus montem vineis[h] aliisque usibus exposita. Vulgus quod cum duce in obsidione fuit, ex illa parte, qua rara est civitas, praedandi gratia eam assultu capere voluit. Timens autem nobilissimus dux, si irrationabili plebis furori talis daretur licentia, sanctorum forte loca direptioni et flammae exponi, ne voluntas illorum effectui manciparetur, summopere laboravit. At episcopus civitatis, fidei ducis non rectam recompensationem reddens, directis de civitate ad ipsum in dolo nunciis, treugam postulat, diem quando et ubi conveniant petit, se ad gratiam imperatoris velle venire promittit, sicque ducem exercitum dimittere, obsidionem solvere ac ita cum paucis ad propria redire persuadet. Episcopus solutam obsidionem, dimissum cernens exercitum, apertis portis, cum magna ducem insequens militia, ex improviso invasit. Dux cum suis, quos adhuc de tanto exercitu residuos[i] habebat, tunc primo dolum sentiendo, non, ut assolet arma ex improviso arripientibus[k] accidere, mente turbatus, sed ex praesentia hostium amplius ad virtutem animatus, arma sumit, in hostemque[l] ruit, viriliterque pugnantibus Alemannis, tandem ex parte Francorum comes Emicho[m] qui caeterorum primipilarius erat, letali sauciatus vulnere occubuit. Qua de re fracti animo Franci, terga verterunt, praesidioque fugae se committunt. Quos fortissimus dux insecutus, occisis plurimis et captis, reliquos usque ad portas civitatis cum episcopo suo triumpho potitus fugavit. Cives qui parentes et amicos in illa caede amiserant tanta cordis amaritudine affecti erant, ut pene in proprium episcopum, velut huius[n] concussionis auctorem, irruerent.

14. Idem etiam dux illustrissimus, alia vice dum praedictus Adilbertus episcopus cum Lothario Saxonum duce aliisque principibus in magna et valida militum manu castrum Linburch[o], in territorio Spirensi situm, obsidione clausisset, et iam oppidanis fame et inedia astrictis, castrum pene ad deditionem coegissent, militem colligens, supervenit, praedictosque principes obsidionem solvere fecit. Fertur praetaxatos oppidanos, dum fame laborarent, quid facto opus esset consilium iniisse. Dumque alii et alii sic et sic consulerent, Ǒdalricum quendam de Horningen, natione Alemannum, vi mentis corporisque proceritate insignem, dixisse, melius fore, ut pingues monachi — nam monachorum coenobium in eodem castro positum erat — ederentur, quam castrum propter ciborum inopiam hostibus traderetur. Quo dicto cognito, monachi perculsi cibaria quae reposita habebant, publicaverunt, cunctosque ibidem manentes milites usque ad liberationem castri in his quibus poterant[p] alimentis paverunt. Quid plura? Praetaxatus dux, ut breviter dicam, per omnia patrem induens, tam fidus principi miles, tam utilis avunculo amicus extitit, ut sua virtute honorem regni labe-

a) Swevorum 1. b) ab asilea 2. c) *ita* 1; Magontiam 3; Mogontiam 4. d) *sec. manu add.* 1. e) *ita* 4; Magontino 1. 3. f) *deest* 1. 3. g) immens. in long. 1. 2. h) *ita* 1. 2. i) *add.* 1. 2. 3. k) corrip. 1. 3. l) *ita* 1. 2. 3. m) Cinicho 2. n) *sec. manu add.* 1. o) *ita* 1. 2. 3; Lintburc 4. p) portant 2.

factatum viriliter contra hostes decertando tam diu sustentaret, donec membra a capite suo[a] dissidentia ad gratiam principis veniendo ad cor redirent. Accepit autem Heinrici Noricorum ducis filiam in uxorem, ex qua postmodum Fridericum gloriosissimum, qui in praesentiarum imperator est, et Iuditham[b], quae modo Matthaeo[c] Lotharingiorum duci copulata noscitur, genuit.

15. Imperator Heinricus, revocatis in pacem[d] qui ei oppositi erant principibus, libere
1125. Mai. 23. potitus imperio, apud inferius Traiectum, Fresiae[e] urbem, in pentecosten curiam celebravit, ubi morbo correptus, rebus humanis exemptus, sepultisque ibidem interioribus, per Rheni ripam ad superiora deportatus, in civitate Spira patribus suis appositus est. At[f] imperatrix Mathildis[g], Heinrici regis Anglorum filia, regalia in potestate sua habebat[5]. Quam praedictus Albertus Maguntinae[h] ecclesiae archiepiscopus ad se vocavit falsisque promissionibus ad sibi tradenda regalia induxit[6].

16. Igitur Albertus — nam id iuris, dum regnum vacat, Maguntini archiepiscopi ab anti-
Aug. 24. quioribus esse traditur — principes regni in ipsa civitate Maguntia[i] tempore autumpnali convocat[7], malorumque a duce Friderico sibi illatorum haud immemor, cum praedictus dux ad regnum a multis exposceretur, ipse Lotharium ducem Saxonum, virum tamen ex probitatis industria omni honore dignum, plus familiaris rei, quantum in ipso erat, quam communi[k] commodo consulens, in regem a cunctis qui aderant principibus eligi persuasit. Quae res laudabiliter facta, gravissimae tamen scissurae seminarium denuo fuit. Nam praedictus princeps consilio eiusdem Alberti[l] Maguntini[m] episcopi, iuxta quod dicitur:

Hor. A. P. 476 *Non missura cutem nisi plena cruoris hyrudo*[n],

nondum odio in haeredes imperatoris Heinrici satiati, Fridericum ducem fratremque suum
1127. Conradum persequitur[8]. Cuius rei gratia castrum Noricum, ubi ipsi praesidia posuerant et tanquam iure haereditario possidebant, adiuncto sibi Boemorum duce Ŏdelrico[o.9] et Baioa-
Iun. Iul. riorum[p] Heinrico[10], obsidione clausit. Dux autem Boemorum, eo quod barbari, qui cum ipso venerant, nec Deum timentes nec hominem reverentes omnia vicina depopulando nec etiam ecclesiis parcerent, a principe post aliquod tempus redire permissus est.

17. Itaque Fridericus dux fraterque suus Conradus militem colligunt, ac data oppidanis
Aug. die ac signo, ipsi quadam die cum militia sua castro appropinquant. Quod videntes oppidani, laeticiam cordis dissimulare non valentes, in voces magnas et cantus prorumpunt. Princeps tutius iudicans alio in tempore praefatum castrum obsidione cingere, quam infidae[q] fortunae fidei se incaute committere, obsidionem solvit, ac per Babenberch[r] transiens[11], in civitatem Herbipolim se contulit. Oppidani cum ingenti clamore descendentes, castra iam vacua irruunt, et si qua ibi remanserant diripiunt, dominosque suos cum magna laeticia suscipientes, in castrum ducunt, duces oppidum ipsum victualibus aliisque necessariis muniunt, sicque regem insequentes, et[s] illo in civitate manente, tyrocinium, quod vulgo nunc turneimentum[t] dicitur, cum militibus eius extra exercendo, usque ad[u] muros ipsos progrediuntur. Post haec Rhenum transeunt, in Spirensique civitate, cuius populus eos ob fidelitatem imperatorum, qui ibidem humati sunt, tanquam eiusdem sanguinis consortes devote susceperat, praesidia collocant. Quam princeps, iuncto sibi Alberto Maguntino, obsidione circundat, multosque ibi dies consumens, praevalere tunc non potuit[12].

18. Porro Heinricus Noricorum dux, supra nominati Heinrici ducis filius, ob gratiam principis, cuius filiam Gerdrudim noviter in uxorem duxerat[13], Friderico duci, haud memor affinitatis, quae ex copula sororis suae Iudithae inter ipsos erat, bellum indicit[14]. Coadunatoque ex Baioaria non parvo milite, Alemanniam ingressus, non longe a Danubio super fluvium Werenza[v 15] dictum castra posuit[w]. Quo comperto, saepe dicti duces et[x] ipsi mili-

a) *addunt* 1. 2. b) Iuditam 4. c) Matheo 1. 4. d) pace 3. e) *ita* 1. 3. 4. f) *ita* 1. 3; ac *corr.* at 4. g) Mahtildis 1. 3. h) Magontinę 1. i) *ita* 1. 3; Maguntina 4. k) *deest* 1. 2. 3. l) Adelberti 1. 3. m) *ita* 4; Magontini 1. n) hyrundo *codd. except.* 1. 3. o) *ita* 1. p) Bawar 1 *semper.* q) invide 2. r) *ita* 1. 3; Bavenberc 4. s) *add.* 1. 2. 3. t) *ita* 1. 2. 3; turnêmentum 4. u) *deest* 1 3. v) Berenza 2. w) *ita* 1. 2. 3; tabernacula locavit 4 *et edd.* x) etiam 1. 2.

5) Morabatur in castro Hammerstein; cf. Jaffé Lothar p. 23. 6) cf. Albert. Stad. 1126 (SS. XVI, 322.): *Albertus - complicibus coadunatis consilium concepit, quo regalia potestati Friderici eripiant* — ; cf. Jaffé p. 27. 7) Convocatoriam Adelberti epistolam ad Ottonem Bambergensem episcopum directam vide supra, LL. II, 79. 8) v. Jaffé p. 39. 41. 9) sive Sobezlao, de quo vide infra c. 20. 10) Superbo. 11) Hic erat die 18. Augusti 1127; v. Jaffé p. 61 n. 31. 12) Secessit Lotharius re infecta die 11. Novemb. 1128; Jaffé p. 77. 13) die 29. Mai. 1127; Jaffé l. c. p. 59. 14) circa autumnum 1127; Jaffé p. 65 n. 48. 15) hodie Wernitz.

tem colligunt, nec longe ab eo castra metantur. At dux Noricorum missis exploratoribus, quod hostium robur sit inquirit. Quibus redeuntibus et ea quae viderant enarrantibus, suos consuluit, quidque facto opus sit perquirit. Illi incautum fore si hostes expectentur[a] iudicantes, fugam consulunt. Tanta ergo cum festinatione Norici hostes tanquam sibi iam imminentes declinaverunt, ut pontis angustias suspectas habendo in[b] infidis praedicti amnis[c] procellis, qui ex multitudine imbrium[d] plus solito excreverat, incaute se committerent, ipsoque non tam transvadando[e] quam transnatando periculose transmisso, ad propria cum rubore remearent[f].

19. Alio[16] itidem[g] tempore praedictus dux Heinricus Alemanniam ingressus, ad propria ibi domicilia se contulit. Erat enim natione Alemannus, ex antiqua et nobilissima Gwelforum familia originem trahens, ac per hoc multas possessiones ex ea parte, qua Pyreneos[h] montes attingit Alemannia, iure haereditario habens, vir per omnia laudabilis, tam animi quam generis nobilitate insignis, in hoc solo facto tantum reprehensibilis. Missis itaque legatis ad Fridericum ducem Suevorum[i], eum amice tanquam sororis suae maritum monet, ut ad gratiam principis redeat, durum esse dicens[k], quempiam quantumcunque magnum vel probum principem totius imperii pondus solum sustinere. Addit etiam, huius negocii se, si monitis eius acquiescere vellet, fidum fore mediatorem. Ubi ergo et qua die simul conveniant oreque ad os de hoc familiarius conferant, monasterium quoddam Zwivelton[l] dictum constituitur. Dux Fridericus nil perperam expectans, ad praedictum locum cum paucis venit. Ille vero non simpliciter ambulans, quo loco nocte cubare vellet, latenter exploravit. Itaque sole ad inferius hemisperium[m] descendente, cum tenebrosis mentibus tenebrarum opportunitas se offerret, cubiculum in quo dux iacebat circundatur, et quod non amicus sed ut hostis advenerit, re et voce aperitur[n]. Quid faceret, quo se verteret? Arma corriperet? sed pene nullum quo iuvaretur habuit. Fugeret? sed nullum cubiculi meatum sciens, fugae praesidium non invenit. Dolum itaque cognoscens, ad divinae tantum gratiae se vertit adiutorium. Qua opitulante, per abdita quaedam cubiculi penetralia tunc sibi primo quasi coelitus ostensa ecclesiam introivit, turrim quae ecclesiae contigua erat ascendit. Hostes cubiculum irrumpunt, et non invento duce, claustra etiam monachorum ingrediuntur, cunctasque officinas ipsorum ferro perscrutantur. Phoebo ab inferis redeunte superiorem que aeris regionem illuminare incipiente, vicini quique fideles ducis, iam[o] teterrimo facto cognito, aggregatim[p] in adiutorium eius advolant. Hostibus adhuc secretiora claustri rimantibus ignemque minantibus, Fridericus suos de turre adventare prospiciens, iam securus factus, Heinricum ducem exposcit, eumque sic affatur: *Contra fas, bone dux, fecisti, qui me in pace vocatum, pacis non ferens signa, inimicum te potius quam amicum ostendisti. Nec te ab hoc facto propriae famae revocavit honestas, nec carnis, qua coniungimur, affinitas. Ne autem malum pro malo reddere videar, te tanquam amicum fideliter admoneo, ne fideles meos, quos undique adventare cerno, expectes.* Excusatur tamen a quibusdam hoc factum ducis, non solum ex hoc, quod eo in tempore inimici fuerunt, iuxta illud:

Dolus an virtus quis in hoste requirat? Virg. Aen. IV, 390.

sed et[q] ex eo, quod pro fidelitate regni et rei publicae quiete[r] principi eum tradere pacemque imperio instaurare volens hoc fecerit.

20. Dissensio igitur inter Fridericum ducem Lothariumque imperatorem pene per decem annos protracta[s], imperium quiescere non permisit. Qualiter autem ad ultimum pacatum fuerit, et quot et quanta virtutum insignia Lotharius reliquerit, in priore historia dictum sufficiat.

Verum silentio praeterire nolumus, quod praedictus princeps adversam nimis circa regni primordia fortunam sensit. Quidam enim Otto[t] Maraviae comes, ducatum Boemiae 1125.

a) exspectarent *corr.* 4 exspectentur. b) *deest* 1. 2. c) annis 4. d) ymbrium 1. 4. e) transvadanda 1. f) *quibus* 7 *addit:* Videns predictus Hainricus dux se hoc modo prevalere non posse, ad solum vertitur iuxta illud: Dolus an virtus, quis in hoste requirat, *ex Ottonis Frising. chronico, ni fallor, desumpta.* g) *ita* 1. 2. 3. h) *ita* 1; pireneos 2. i) Swevorum 1. k) *secunda manu add.* 1. l) *ita* 1. 3; Zbiuelton 2; Zwifelton 4. m) *ita* 1. 2. 4. n) *deest* 1. 2. 3. o) tam 1. 2. p) aggregati 3. q) *addunt* 1. 2. r) quietem 1. 2. 3. s) pertracta 4. t) Otho 3. 4.

16) Anno 1129 haec evenisse suspicatur Jaffé p. 81. 82; quae opinio quidem ex Annal. Zwifalt. SS. X. p. 55 confirmatur. Quae tamen Bertholdus Zwifaltensis l. c. p. 114. 115 anno 1132 adscribit. Utut sit, Luden X. p. 46 iniuria hanc narrationem in dubium vocat.

1125. affectans, principem adiit[17], eique magnam pecuniam promittens, ad hoc ut Boemiam secum intraret, ibique eum ducem crearet, inclinavit. Quod Oulricus, qui eundem ducatum tunc forte habebat, impedire volens, nullo principem obsequio a coepto[a] revocare potuit[18].
1126. Febr. Igitur rex Saxoniam intrans, militem instaurat, ducensque secum Ottonem[b], claustra sylvarum, quae Boemiam et Saxoniam seiungunt[c, 19], hiemali tempore ingreditur. Dux autem Boemiae Oulricus in ipsis silvarum abditis locis, septis undique silvis, super amniculum quendam castra posuit. Rex cum suis propter nimietatem nivium a recta via exorbitans ac per devia silvarum oberrans, ad praedictum amnem forte venit, suis viae labore nimio et inedia exhaustis quiescere volentibus. Barbari turbatum cernentes amnem, hostes in
Febr. 18. proximo esse praesentiunt. Ex improvisoque supervenientes[20], Saxones, qui in prima acie erant, iam per nives deambulando fatigatos invadunt, ac paucis per fugam elapsis, quibusdam captis, caeteros crudeliter occidunt. Videns hoc princeps suisque ex angustia viarum nullum praesidium ferre valens, saevissima mentis amaritudine perculsus, rerum tamen quas ab adolescentia gesserat ac antiquae virtutis memoria, quasi coelesti rore repletus, in collem quendam cum paucis, quos adhuc residuos habebat, se recepit. Quem praefatus dux, suis in circuitu positis magnarumque arborum iactu et clausura reditum negantibus, tanquam clausum tenuit. Tandem Heinrico[21] Saxoniae marchione, qui de sorore ducis natus cum rege advenerat, mediante, ad pedes imperatoris satisfactionem offerens, humiliter dux venit, hominiumque[d] sibi cum sacramento fidelitatis exhibens, ducatum ab eo suscepit, captivos reddidit, sicque princeps, portatis secum eorum qui nobiliores erant funeribus, cum multo moerore rediit.

21. Inter caeteros nobilissimus marchio Saxoniae Albertus captus fuerat[22]. Tanta vero strages Saxonum et praecipue nobilium et illustrium virorum ibi facta fuit, ut perpetui odii inter Saxones et Boemos fomes tunc accensus, nondum extinctus sit. Otto[e 23] quoque qui huius concussionis auctor fuerat, ambitionis suae poenas luens, ibidem necatus est. Sed ut dicitur:

Flebile principium melior fortuna sequetur,

sic et hunc principem melior fortuna secuta ad tantum apicem provexit, ut sedatis omnium tempestatum motibus, cum triumpho et victoria de Italia rediens, in ipsis montibus vivendi finem fecerit[f]. Verum Fridericus dux, mortua uxore sua Iuditha[24], dissensionis tempore, Friderici comitis de Sarburch[g], fratris Alberti episcopi, filiam Agnetem[25] in uxorem duxit, ab eaque Conradum, qui palatinus comes Rheni nunc[h] esse noscitur, et Clariciam, Ludewici[i] Thuringiae[k] comitis uxorem, accepit, generavit[l].

1137. Dec. 3. 22. Defuncto imperatore Lothario ac in monasterio Lutre[m, 26], quod in eius proprio fundo situm est, humato, principes regni apud Galliae oppidum Confluentiam, ubi Mosella Rhenum influit, conveniunt, et de eligendo principe consilium ineunt. Igitur Conradus, Friderici ducis frater, ab omnibus qui aderant expostitur, ad regnumque levatus in palatio Aquis coronatur. Quod eo facilius fieri potuit, quod imperatoris Heinrici odium in mentibus plurium[n] iam deferbuerat, Albertusque Maguntinus[o] archiepiscopus iam recenter vivendi finem fecerat. Accessit etiam ad huius negocii promotionem, quod Heinricus Noricorum dux pro nota superbiae pene omnium, qui in expeditione Italica cum Lothario imperatore fuerant, odium contraxerat[27]. Itaque Fridericus dux Maguntiam[p], quae tunc pastore suo orbata vacabat, venit, omnesque tam clericos quam laicos ad hoc ut Albertum iuniorem, uxoris suae, quam secundo acceperat, fratrem, eligerent induxit, principe ad hoc corroborandum ascito[q, 28]. Qui patruum suum seniorem Albertum non[r] exuens, non bene gratus beneficiorum extitit, nec plene fidum principi suo se exhibuit. Qualiter vero Heinricus dux

a) accepto 1. b) Otthonem 1. 3. 4. c) iungunt 2. d) hominumque 4. e) Otho 1. 2. f) uicerit 2. 3. g) *ita* 1. 3; Sarbur 2. 4. h) *ita* 1. 2. 3; nunc R. *corr.* 4 R. n. i) lodebici 2. k) Turingie 1; Turinge 2. 3. l) *addunt* 1. 2. 3; *deest edd.* m) lutrę 1. n) *ita* 1. 3; plurimum 2. 4. o) Magontinus 1. p) Magontiam 1. q) adscito1; asscito 4. r) *deest* 2.

17) Post mortem ducis Wladislai † April. 12. 1125) Lotharii auxilium circa finem Novembris 1125 Ratisbonae imploravit; v. Jaffé Lothar p. 46. 18) Saepius ad Lotharium legatos miserat; Jaffé l. c. p. 49 n. 25. 19) das Erzgebirge. 20) Vide Jaffé p. 50 n. 37. 21) filio Wicperti de Groitsch. 22) Cf. Ann. Sax. 1126. 23) comes Moraviae. 24) filia Heinrici Nigri ex sorore Heinrici Superbi; cf. supra c. 18. 25) Annus quo Agnetem duxerit non constat. 26) Königslutter. 27) Cf. Ott. Chron. VII, 23. 28) Cf. Ott. Chron. VII, 22 et quae ibi notavimus, Dodechin. a. 1141 et vitam Adelberti a nobis editam SS. XI.

Noricorum praedictae sublimationi principis contradixerit, et quem finem ipse sortitus fuerit, quomodo etiam princeps tam de ipso quam de multis aliis triumphaverit, in priori historia dictum sufficiat.

23. Circa idem tempus Iohannis regiae urbis imperatoris apocrisiarii, viri clarissimi, Romanorum[a] principem adeunt, tam confoederationis[b] vinculum[29] ob Rogerii Siculi insolentiam[c] inter duo imperia, Hesperiae[d] videlicet et Orientis, renovare cupientes, quam in huius rei argumentum aliquam regalis sanguinis puellam[30] filio suo Manueli[e] in uxorem dandam[f] postulantes. Princeps comparis suae sororem potius[g] illo destinavit, in huiusque rei confirmationem venerabilem Herbipolensem[h] episcopum Embriconem, virum prudentem et litteratum[i], in Graeciam[k] misit[31], Iohanne iam mortuo[32], sedenteque in urbe filio suo praedicto Manuel[l]. Qui omnia sapienter et solerter[m] ordinans, nuptias proxima post epiphaniam ebdomada[33] in urbe regia celebrari cum fastu et decore regio persuasit. Et ipse non paucis ibi diebus ad promotionem huius et aliorum regni negociorum manens, dum[n] remigando ad patriam redire cogitaret, multis Graecorum xeniis honoratus et oneratus, apud Aquilegiam[n] vita decessit[o, 34]. Super his autem negociis inter utrumque principem huiusmodi directae inveniuntur epistolae[35], quae ne omnes ponerentur, compendium in causa fuit:

Conradus Dei gratia Romanorum imperator augustus Iohanni eadem gratia Constantinopolitano imperatori[p] *salutem et fraternam dilectionem, amicitiam, honorem et gloriam*[36]. 1142. Febr. 12. *Ut parentes nostri, videlicet Romanorum imperatores antecessores nostri, ad antecessores vestros, scilicet et*[q] *regnum et populum Graecorum, constituerunt, constituo, et sicut servaverunt, conservabo. Non est gens, regnum aut populus, qui non noverit, nostrae Romanae rei publicae vestram novam Romam et dici et fore filiam, ex huius radice ramos et fructus eius processisse, propter quod haereditatem, quae a matre debetur filiae, constituimus aeternamque volumus, et eo amplius, quod quae matri debetur, filiam velle cernimus, scilicet ut auctoritas materna praecinat consilio, auxilio, respondeat autem gloria et honore filiastina dilectio. Sint ergo res utriusque communes, utriusque amicus idem, idem inimicus sive in terra sive in mari, et cognoscat ac timeat matris virtutem et valentiam, qui non honoraverit filiam, sive Northmannus*[r]*, sive Siculus, sive quis alter quicunque ubicunque. Neque enim obliti sumus vel ego vel principes imperii nostri quoscunque hostium nostrorum incursus vel invasiones in imperium et magnificentiam Romanam. Sed cum divina clementia subveniet, retribuemus unicuique ipsorum secundum multitudinem ipsorum*[s] *malitiae. Videbit ergo et audiet universa regnorum latitudo, quam facili manu prosternentur latrones, qui insurrexerunt in utriusque imperii nostri monarchiam, quia cooperante*[t] *Deo, si alas*[u] *excutiemus, hostem modo volitantem capiemus, et cordis eius eviscerabimus audaciam, quae modo extollitur contra utriusque imperii nostri honorem et gloriam. Conservamus igitur quae iusta et amicabilia sunt ad vos, eadem vos ad nos, et tanto studiosius, quanto per coniugium sororis, dilectissimae coniugis nostrae, imperatricis videlicet nobilissimae, et filii tui confoederati sumus propinquius. Verum quia de nostris hilarescere*[v] *successibus dilectionis et nobilitatis tuae credimus experientiam, quid post discessum prudentissimorum apocrisiariorum tuorum in generali et solempni curia cum universis imperii nostri principibus celebrata, cui eos interesse voluimus, Deo auxiliante actum sit, tibi sicut unico fratri nostro et amico dilectissimo dignum duximus intimare. Noveris igitur quod omnes qui imperium nostrum offendisse videbantur, cooperante Deo potenter*[w] *nostro imperiali iure inclinavimus, eosque in plenitudinem gratiae nostrae suscipientes, universas imperii nostri partes habundanti pace ditavimus. Ad hoc*[x] *Francia*[y] *et Hispania*[z]*, Anglia, Dania caeteraque regna imperio nostro adiacentia cottidiana legatione sua cum*

a) Romanum 5. b) confederationis *et sic porro* 1. 5. c) *sec. manu add.* 1. d) Hesperię 5. e) *addunt* 1. 2. 3. 5. f) *deest* 5. g) pocius 5. h) Erbip. 3. i) litteratum 1. 4. 5. k) in Graeciam *desunt* 5. l) Man. in urbe sedente pro Iohanne patre suo iam mortuo 5. m) sollerter 1. 4. n) multis xeniis honoratus in remigando Aquilegię 5. o) *huc usque excerpta ex cap. XXIII in* 5. p) *deest* 6. q) *add.* 1. 2. 3. r) *ita* 1; Norhtm. 3; Normannus 4. s) et ipsorum 4. t) operante 1. 3. u) alias 1. 3. v) hylarescere 1. w) in *add. cdd, quod deest* 1. 2. 3. 4. x) hec 1. 3. y) Frantia 6. z) hysp. 1; Ispania 4.

29) Iam enim inter imperatores Lotharium et Iohannem simile foedus ictum fuerat; cf. c. 24 versus finem et Jaffé Conrad III. p. 100. 30) sororem reginae, Bertham de Sulzbach; cf. Chron. VII, 28; Jaffé l. c. p. 102. 31) Embrico una cum Roberto principe Capuano versus medium annum 1145 Constantinopolim profectus est; Jaffé p. 103. 32) Obiit mense Aprili 1143. 33) inter dies 6. et 12. Ianuarii 1146. 34) Obiit die 10. Novembris 1146. 35) Cf. Jaffé p. 101 n. 52. 36) Hanc epistolam datam esse die 12. Febr. 1142 probavit Jaffé l. c.

debita reverentia et obsequio nos frequentant, ad ea quae imperii nostri mandata sunt se prompta esse tam obsidibus quam sacramentis affirmantes. Nolumus etiam latere discretionis tuae prudentiam, quod domnus papa totaque Apulia, Italia et Longobardia de die in diem adventum nostrum desiderant, et ut nostra eis imperiali subveniamus potentia, cum omni devotione postulant. Huius rei gratia dilectum[a] *et praecordialem imperii nostri principem Embriconem*[b]*, venerabilem Herbipolensem*[c] *episcopum, amicum tuum, ad exquirendam domni papae voluntatem Romam direximus*[38]*. Cognita vero ipsius circa nos voluntate, communicato principum nostrorum consilio, ea quae ad utriusque imperii nostri honorem spectant per karissimos et prudentes nuncios nostros, Robertum*[d] *scilicet principem Capuanum, illustrem utique virum ac nobilem nobisque fidelem, nec non Albertum*[e, 39]*, dilectum capellanum nostrum et in fide constantem, tuae significamus nobilitati. Hos igitur tanquam nos audias, et quae tibi dixerint, sicut decet excellentiam tuam et sicut de te speramus et credimus, ad effectum perducas, et honestos ac*[f] *idoneos apocrisiarios tuos una cum nunciis nostris sine dilatione ad nos remittas. Praeterea de Reutenis*[g]*, qui*[h] *ad contemptum imperii nostri, occisis hominibus nostris, pecuniam nostram sibi usurpaverunt, sicut convenit in causa amici et propinqui tui et sicut nobis scripsisti, ita facias. Militibus*[40] *quoque imperii nostri, Alemanis*[i] *scilicet, qui apud te sunt, sicut decet magnificentiam*[k] *tuam, benignus existas. Nichilominus etiam te rogamus, ut hominibus imperii nostri, Teutonicis videlicet, qui Constantinopoli*[l] *morantur, locum in quem ad honorem Dei ecclesiam aedificent concedas*[41]*, tum respectu divinae remunerationis, tum et interventu ac petitione nostrae dilectionis. Recordari quoque debet tua discretio, quod nos in litteris prioribus, per praefatum capellanum nostrum tuae nobilitati praesentatis, hoc idem a te pro Dei amore et honore petivimus, quia si ipse qui dat salutem regibus fuerit in medio nostri, certum est quod non gaudebunt inimici nostri. Datum 18. Kalendas Marcii Ratisponae, in Christo feliciter. Amen.*

24. *Iohannes in Christo Deo*[m] *fidelis rex Porphirogenitus, sublimis, fortis, augustus, Cominos*[n] *et imperator Romanorum, ad nobilissimum fratrem et amicum imperii mei. Nobilissime et dilecte amice imperii mei, rex, littera tuae nobilitatis fraterni affectus signum, ad nostram delata mansuetudinem per prudentissimum apocrisiarium nobilitatis tuae*[o]*, multa nos laetitia replevit. Nam bona tuae nobilitatis voluntas et cognationis et amicabilis affectio et dilectio, quam demonstrasti et per litteras et per*[p] *verba et per opera ipsa erga nostrum imperium, nostram consequenter pietatem totam toto animo ad tuum amorem pertraxit. Quare etiam diversos fidelissimorum et familiarissimorum hominum suorum ad tuam nobilitatem emisit, recommunicare per eos volens nobilitati tuae totis de causis, propter quas et mandasti et scripsisti ei. Vult enim cum*[q] *Deo in omnibus amice sapere et cognationabiliter et fraterne ad tuam voluntatem*[r]*, et omnia agere secundum quod videtur ei, quae ad honorem sunt nobilitatis tuae. Quia vero prudentissimus dux Venetiae Petrus Polanus mediator a nobilitate tua in his causis assumptus est, sicut vir bonus et fidelis ambabus partibus, et hoc nobis placere dignum visum est. De causa Apuliae et Longobardiae prudentissimis apocrisiariis nostris, quae nobis*[s] *visa sunt, iussimus. Nam et si quidam horum ad susceptionem magis nobilissimae cum Deo futurae nurus imperii mei missi sunt, tamen etiam communiter eis notum est*[t] *imperii mei velle. De causa quae facta sunt*[u] *in Rossia, sicut imperio meo scripsisti, sicut convenit imperio meo facere in causa amici et propinqui sui, sic et feci. Sed de caballariis nobilitatis tuae, quod scripta tua nominatim comprehendebant, et magis de eo qui defecit in viventibus ex eis, sic fecit imperium meum, ut scripsisti. Vale, nobilissime amice imperii mei, rex.*

Conradus[v] *Dei gratia vere*[w] *Romanorum imperator augustus karissimo fratri suo Manueli Porphirogenito Comiano, illustri et glorioso regi Graecorum, salutem et fraternam dilectionem. Nobilitatis tuae litteras, ut a tanto et tam karo amico nostro serenitati nostrae transmissas,*

a) *ita* 1. 2. 3. 6; dilectissimum *edd.* b) Embricconem 6. c) Erbip. 1. 6. d) Růbertum 6. e) A. 1. 3; Arnoldum 6 *male quidem, ut ex c. 24 patet.* f) *ita* 1. 3. 6; et *edd.* g) *ita* 1. 2. 3. 4. 6. h) quia 6. i) Alamannis 1. 6. k) *ita* 1. 2. 3. 6; excellentiam *edd.* l) Constantinopolim 1. 3. m) *deest* 1. 2. 3. n) *ita* 1. 2. 3. 4. 6. o) *deest* 6. p) *deest* 2. q) *ita* 1. 2. 3. 6; in *edd.* r) nobilitatem 1. 3. 6. s) *ita* 1. 2. 3. 6; quae a nobis *edd.* t) *add.* 1. 2. 3. u) *ita* 1. 2. 3. v) Chûnr. 3. w) *add.* 1. 2. 3. 6.

38) Iam anno 1139 Embrico Romam profectus est; v. Jaffé p. 101 n. 52. 39) De Roberto Capuano cf. Chron. VII, 23. 40) Hos milites, qui caballarii vocantur in epistola Manuelis (c. 24), Conradus in auxilium imperatoris Iohannis Constantinopolim miserat, quod ex ipsius verbis c. 24 coniicere licet: *Porro de quingentis militibus* etc. 41) Annuit Iohannes precibus Conradi; v. c. 24.

gratanter excepimus, et viso earundem tenore, de incolumitate[a] *et sublimitate tua admodum gavisi sumus. Sed auditis a Nikoforo*[b]*, tuae dilectionis prudenti apocrisiario, praeter illa quae in litteris continebantur quibusdam verbis duris et, ut verum fateamur, ab omni retro tempore inauditis, et nostrae maiestatis, ultra quam lingua explere valeat, perturbata est mansuetudo, et est admirata universa imperii nostri latitudo. Unde vel a quo hoc tam amarum verbum processerit, praesertim cum inter caetera huius mundi regna Graecorum regnum omni sapientia et discretione hactenus floruerit, admodum mirati sumus*[d]*. Si enim idem nuncius tuus Nikoforos unicum filium nostrum Heinricum in praesentia nostra morti dedisset, ad maiorem iram maiestatis nostrae animum provocare non poterat. Cumque iam per triduum in hoc acerbo*[e] *laborasset, et rigorem nostri animi*[f] *nullo ingenio nullaque sapientia ad suam voluntatem inflectere potuisset, vix tandem quarto die aliis verbis dulcioribus excellentiam nostram exhilaravit, nostraeque furore indignationis mitigato, nobilitatis tuae voluntatem nobis aperuit. Et quoniam ita nunc*[g] *est et esse debet, quod tu, amicorum amicissime, uxorem accipies dilectissimam filiam nostram, sororem videlicet nobilissimae contectalis*[h] *nostrae, volumus*[i] *ut insit aeternum foedus perennis amicitiae, quam videlicet amicitiam praesente*[k] *apocrisiario tuo ore et manuscripto firmari iussimus, ita videlicet, ut et amici amicorum tuorum et inimici simus inimicorum tuorum. Proinde certa sit prudentia tua, quod si tuae*[l] *nobilitati undecunque aliqua molestia vel iniuria fuerit illata, non hanc tibi tantum, sed etiam nobis factam iure dilectionis reputamus, quoniam virtutis tuae nobilitas et maxime generosi sanguinis, quo in pignus perpetuae dilectionis confoederati sumus, propinquitas nos invitat*[m]*, ut te tanquam filium karissimum totius ulnis caritatis amplectamur, et cuncta quae tibi placita sunt libenti animo faciamus. In qua re iustum arbitramur, ut eandem amicitiam nobis et imperio nostro firmari facias, ut completis omnibus honorifice utrique imperio debitus honor exinde deferatur et pax, et nomen Christi per universum mundum inde magnificetur. Porro de quingentis militibus, quos nobilitas tua petiit, hoc tibi respondemus, quod non solum quingentos, sed etiam duo vel tria milia, si necesse habueris, tibi mittemus, et quod maius*[n] *est, antequam detrimentum aliquod honoris tui pati videremus, elaborata totius imperii*[o] *nostri fortitudine*[p]*, in propria*[q] *persona tibi, sicut praecordiali filio et fratri karissimo, deficere et deesse non possemus. Praeterea scripsit nobis tua nobilitas, quod magnos et karos nuncios sinceritati tuae mitteremus, in quo voluntati tuae acquievimus, quoniam quos kariores habuimus, excellentiae tuae transmisimus, scilicet karissimum et*[r] *praecordialem nostrum Embriconem*[s]*, venerabilem Wirziburgensem*[t] *episcopum, illustrem et magnum imperii principem, qui est cor nostrum et anima nostra, necnon*[u] *dilectum nostrum Robertum*[v]*, illustrem et nobilem principem Capuanum. Misimus etiam quasi utrasque manus nostras germanos duos fratres, scilicet fratrem Bernonem, virum sapientem et religiosum, et fratrem ipsius Riwinum, qui nobis valde karus est et familiaris et nobilis, et honorandum principem imperii nostri Rogerium, illustrem comitem de Ariano*[w]*, cuius fidem et constantiam saepius experti sumus, et Gualterum*[x] *fidelem nostrum. Istis itaque ea quae in litteris non continentur industriae tuae referenda commisimus, quorum verbis fidem adhibeas, et quae tibi dixerint, tanquam a nobis dicta credas. De Ruthenis*[y] *vero, pro quibus patri tuo divae recordationis Iohanni imperatori per fidelissimum capellanum nostrum Adalbertum*[z] *et per comitem Alexandrum de Gravina scripsimus, et de loco in quo nostris Teutonicis ad honorem Dei ecclesiam aedificari*[*] *volumus, et de nobilibus baronibus Apuliae, Alexandro videlicet Clarimontis, Philippo*[a] *de Surre*[b] *et Heinrico comite et Senne Pustelli*[c]*, ille noster praecordialis Wirziburgensis episcopus et caeteri familiares nostri voluntatem nostram tibi referent, quibus tanquam nobis credas. Super his omnibus fidelem apocrisiarium tuum Nicoforum*[d]*, licet in principio legationis suae nos conturbaverit, tibi attentius commendamus, et quia constanter perduravit, ut eum remuneres, rogamus. Vale.* De hoc hactenus[e].

25. Creverat autem[f] Fridericus, Friderici strenuissimi ducis filius, militiaeque cingulum iam sumpserat, nobilis patris futurus haeres nobilior. Igitur bonae indolis virtutem non dissimulans, educatus, ut assolet, ludis militaribus, ad seria tandem tyrocinanda[g] accingitur

a) incolom. 1. b) Nykyforo 4. 6 *et sic deinceps.* d) admodum mirati sumus *add.* 1. 2. 3. 6. e) *ita edd.*; acervo 1. 3. 4. 6. f) animi nostri 6. g) nunc ita 6. h) *ita* 1. 3. 4; conthoralis *edd.* i) nolumus 1. 3. k) *ita* 6; presentiae 1. 2. 3; praesenti *edd.* l) si tuae *desunt* 1. 2. 3. m) invitant 1. 3. n) magis 1. 3. o) *deest* 6. p) fortitudinem 3. q) impropria 4. r) *addunt* 1. 3. 6. s) Embrikonem 4. t) *ita* 1. 6; Bircib. 2; Wircib. 3; Wirzeb. 4. u) necnon et 4. v) Rŏdb. 3; Rŏb. 6. w) *ita* 1. 2. 3. 6; Adriano *editt.* x) Gwalt. 1; Gualtēm. 6. y) Rŏth. 6. z) Adilb. 1. 3. *) edificare 1. 3; fabricare 6. a) Phillipi 2. b) Surr̄ 1. 2. 3. 6. c) *sic* 3; Pustell 1. 2. 4; Pustutt 6. d) *ita* 1. 2. 3; Nykyf. 4. 6. e) De h. h. *add.* 1. 2. 3. f) *add.* 1. 3. g) *ita* 1. 2.

negocia[41], patre adhuc vivente terramque suam plenarie tenente. Nam et comitem quendam nobilem Heinricum de Wolfrathusen[a] hostem denuncians, Baioariam cum magna militum copia ingreditur. Norici et maxime comites et nobiles, velut tyrocinium celebraturi, quod modo nundinas vocare solemus, in praedicti comitis castro se recipiunt. Itaque strenuissimus superveniens adolescens, Noricos ante murum stantes ipsumque armatos expectantes non ut iocando sed ut rem seriam agendo viriliter aggressus est, diuque[b] et fortiter utrisque pugnantibus, tandem ut hostes castro se reciperent, coegit. Versis in fugam Noricis ac ex angustia portarum artatis, comes quidam Conradus de Dachowe[42] tunc nobilis comes, postea dux factus Croatiae et Dalmatiae[43], qui incautius extra remanserat, ab hostibus circumdatus capitur. Sicque adolescens praefatum ducens comitem, ad propria cum victoria revertitur. Cumque a multis sibi suaderetur, ut pecuniam magnam ab eo extorqueret, ipse ex innata sibi nobilitate pravorum declinavit consilia. Nam sicut fortiter captum, sic eum liberaliter dimissum ad propria redire sine pecuniae exactione permisit.

26. Post haec Conrado duci, supradicti Bertholfi[c] ducis filio, bellum indicit[44], captoque supra memorato Alemanniae oppido Turego, praesidia ibidem posuit. Dehinc iunctis sibi etiam quibusdam de Baioaria nobilibus, praefati ducis terram cum magna manu militum introivit, atque ad ultima pene Alemanniae[d] procedens, ad Zaringen usque eiusdem ducis castrum pervenit, nullo sibi obviante vel resistere valente. Non multo post etiam arcem ipsius quandam, quae cunctis adhuc cernentibus inexpugnabilis esse videtur, cepit et expugnavit, ac contra multorum opinionem[e] fortissimum et ditissimum ducem tam acriter debellavit, ut ad patrem patruumque suum supplicem[f] eum venire ac pacem petere cogeret. Haec et alia tam ardua in ipsa puerili aetate gessit negocia, ut non immerito cum
Luc. 1, 66. multorum stupore de ipso dici posset illud euangelii: *Quis putas puer iste erit?*

27. His diebus Arnaldus[g] quidam religionis habitum habens, sed eum minime, ut ex doctrina eius patuit, servans, ex ecclesiastici honoris[h] invidia urbem Romam ingreditur, ac senatoriam[i] dignitatem equestremque[k] ordinem renovare ad instar antiquorum volens, totam pene Urbem ac praecipue populum adversus pontificem suum[l] concitavit. Unde[m] et[n] ad eorundem temeritatis vel potius fatuitatis corroborationem ab eis ad principem destinatum tale scriptum invenitur[m]:

28. *Excellentissimo*[45] *atque praeclaro Urbis et orbis totius domino, Conrado*[o], *Dei gratia Romano*[p] *regi semper augusto, senatus populusque Romanus salutem et Romani imperii felicem et inclitam gubernationem. Regali excellentiae per plurima iam scripta nostra facta et negocia diligenter exposuimus, quomodo in vestra fidelitate*[q] *permaneamus, ac pro vestra imperiali corona exaltanda et omni modo augenda cottidie decertamus. Ad quae quia regalis industria, ut postulavimus, rescribere dignata non fuit, plane tanquam filii et fideles de domino et patre satis miramur. Nos enim quicquid agimus, pro vestra fidelitate et honore facimus. Et quidem regnum et imperium Romanum*[r], *vestro a Deo regimini concessum, exaltare atque amplificare cupientes, in eum statum, quo fuit tempore Constantini et Iustiniani, qui totum orbem vigore senatus et populi Romani suis tenuerunt manibus, reducere, senatu pro his omnibus Dei gratia restituto, et eis qui vestro imperio semper rebelles erant, quique tantum honorem Romano imperio subripuerant, magna ex parte conculcatis*[s], *quatinus ea quae caesari et imperio pertinent*[t], *per omnia et in omnibus obtineatis, vehementer atque unanimiter satagimus atque studemus. Et ob huius rei effectum bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem et iusticiam omnibus eam volentibus observamus, fortitudines, id est turres et domos potentum Urbis, qui vestro imperio una cum Siculo et papa resistere parabant, cepimus, et quasdam in vestra fidelitate tenemus, quasdam vero subvertentes solo coaequavimus. Sed*

a) *ita* 1. 3; Bolfrath. 2; Wolfradesh. 4. b) diu et 1. 3. c) *ita* 1; Berhtolfi 2. d) Alem. pene 1. e) oppin. 1. f) suplicem 4. g) *ita* 1. 2. 4. 5. h) ordinis 5. i) Romam veniens senatoriam 5. k) et equest. 5. l) Apostolicum 5. m) Unde — invenitur *desunt* 5. *In margine vero haec manu aequali adscripta sunt:* qui non post multum tempus captus et suspensus est et corpus eius igni traditum. n) *deest* 1. 2. o) Cŏnrado 1; Chŏnrado 6. p) *ita* 1. 2; rom̃ 6. q) felicitate 1. 3. r) *ita* 1. 6. s) concultatis 2. t) *ita* 1. 2. 3. 6; deberentur *editt.*

41) Quae circa annum 1145 evenere; cfr. Huschberg p. 246. 42) Cf. Chronic. VII, 26. 43) Iam anno 1153 *dux Meranus* vocatur; sequenti demum anno *Chonradus de Dachave dux Croatie Dalmatieque* in diplomate Ottonis nostri Chiemseensi monasterio concesso occurrit. Mon. Boica II, 447. 438; Huschberg p. 248. 44) Haec demum anno 1146 gesta esse, ex c. 29 coniicere licet. 45) Sequens epistola etiam inter Wibaldinas exstat n. 211. A. C. II, 399.

pro his omnibus quae vestrae dilectionis fidelitate facimus, papa[a], *Fraiapanes*[b] *et filii Petri Leonis, homines et amici Siculi, excepto Iordano*[c] *nostro in vestra*[d] *fidelitate vexillifero et adiutore, Tolomeus quoque et alii plures undique nos*[e] *impugnant, ne libere, ut decet, imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos, quoniam amanti nullus labor gravis est, licet inde plurima dampna sustineamus, pro vestro amore et honore gratanter patimur. Scimus namque nos a vobis proinde praemium, sicut a patre, accepturos, vosque in eos sicut in*[f] *imperii hostes vindictam daturos. Cum tanta igitur nostra in vobis fidelitas sit, tantaque pro vobis sustineamus, precamur ne spes ista nobis deficiat, neu*[g] *regia dignitas nos vestros fideles et filios despiciat. Neque si in regalibus auribus aura sinistra de senatu et nobis flaverit, in eam intendat aut respiciat, quia qui de nobis vestrae altitudini mala suggerunt, de vestra et nostra, quod absit, dissensione laetari volunt, et utrosque, ut soliti sunt, callide opprimere moliuntur. Sed circa haec, ne fiant, regalis prudentia, ut decet, solicita*[h] *sit et provida, reminiscaturque vestra solertia*[i], *quot et quanta mala papalis curia et dicti quondam cives nostri imperatoribus, qui fuerunt ante vos*[k], *fecerint*[l], *et nunc deteriora vobis cum Siculo facere temptaverunt; sed nos Christi gratia in vestra fidelitate viriliter eis resistimus, ac plures ex illis ab Urbe, sicut pessimos hostes imperii, ut sunt, pepulimus. Appropinquet itaque nobis imperialis celeriter vigor, quoniam quicquid vultis in Urbe obtinere, poteritis, et ut*[l*] *breviter ac succincte loquamur, potenter in Urbe, quae caput mundi est, ut optamus, habitare, toti Italiae ac regno Teutonico, omni clericorum remoto obstaculo, liberius et melius quam omnes fere antecessores vestri dominari valebitis. Sine mora igitur*[m] *precamur, ut veniatis, et interim*[n] *de statu vestro, quem semper desideramus salubrem et prosperum, regalibus de his litteris aut nunciis nos laetificare dignemini, sumus enim per omnia vestrae voluntati semper obtemperare parati. Sciatis praeterea, quia pontem Mulvium*[o] *extra Urbem parum longe, per tempora multa pro imperatorum contrario destructum, nos, ut exercitus vester per eum transire queat, ne Petri Leonis*[p] *per castellum Sancti Angeli vobis nocere possint ut statuerant cum papa et Siculo, magno conamine restauramus, et in parvi temporis spacio muro fortissimo et silicibus, iuvante Deo, complebitur. Concordiam autem inter Siculum et papam huiusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo virgam et anulum, dalmaticam et mitram atque sandalia*[q], *et ne ullum mittat in terram suam*[r] *legatum, nisi quem Siculus petierit, et Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento vestro et Romani imperii, quod Dei gratia vestrum existit. Haec omnia solicite vestra animadvertat, optime rex, prudentia.*

Rex valeat, quidquid cupit obtineat, super hostes
Imperium teneat, Romae sedeat, regat orbem
Princeps terrarum, ceu fecit Iustinianus.
Caesaris accipiat caesar, quae sunt sua praesul,
Ut Christus iussit, Petro solvente tributum.

Nos de caetero legatos nostros, precamur, ut benigne recipiatis, et quod vobis dixerint credatis, quia scribere cuncta nequivimus; sunt enim nobiles viri, Gwido[s] *senator, Iacobus filius Sixti*[t] *procuratoris, et Nicolaus*[u] *eorum socius.*

At christianissimus princeps huiusmodi verbis sive naeniis praebere aures abnuit, quin imo venientes ad se ex parte Romanae ecclesiae viros magnos et claros, quorum unus Gwido[s] Pisanus, eiusdem curiae cardinalis et cancellarius erat, renovationemque antiquorum privilegiorum suorum postulantes honorifice suscepit et honeste dimisit.

29. Ea tempestate ubique terrarum bellorum turbine orbem replente[46] fermeque 1146.
totum imperium seditionum motibus involvente[v], nam et in Alemannia inter praedictum adolescentem Fridericum[w] et praenominatum[x] ducem Conradum hoc dissensionis malum agitabatur[y], in Baioaria[z] inter Heinricum, Leopaldi marchionis filium, eiusdem terrae ducem, et item[*] Heinricum Ratisponensem[a] episcopum gravissimum bellum excitatum in dies augmentabatur, in Belgica[b] Gallia viris magnis et egregiis[c] Alberone Treverorum

a) papae 6. b) *ita* 1. 2. 3. 4. c) Iordane 1. 3. d) *ita* 2. 6; nostro in nostra fid. 1. 3. e) nos undique 6. f) *deest* 1. g) *ita* 2. 3. 4. 6; neu 1, *post sec. manu corr.* neve. h) sollitita 4. i) sollertia 1. 4. k) nos 1. 3. 4. l) fecerunt 6. l*) ut et 1. 2. 3. m) *ita* 1. 2. 3; ergo *edd.* n) iterum 1. 3. o) *ita* 6; mubium 1. 3; mulnium 2. p) petrileonis 1. 2. 4. 6. q) scandalia 1. 3. 6. r) in terram suam mittat 6. s) Gwido 1. t) Syxti 1. u) Nycol. 1. v) orbe totoque pene imperio bellorum turbinibus involuto 5. w) inter Fredericum Frederici ducis filium 5. x) *deest* 5. y) dissensio agebatur 5. z) Bavwaria 1. *) *deest* 5. a) Ratisponę 5. b) bellica 1. 2. c) et egr. *desunt* 5.

46) Similem miserae conditionis Germaniae descriptionem deprehendes in Chron. VII, 34.

archiepiscopo et Heinrico Namucense[a] comite debellantibus[47] omniaque praeda et incendio commiscentibus, maximum rei publicae dispendium expectabatur; Polimia[b] quatuor fratribus, tribus cum quarto pro ducatu contendentibus, maximam effusionem sanguinis[c] minabatur, caeteris quoque imperii provinciis huius mali non extorribus, repente per dexteram Excelsi tanta facta est mutatio, ut sopitis omnibus his bellorum tempestatibus in brevi totam[d] terram quiescere et innumerabiles[e] ex Gallia et Germania contra inimicos crucis, crucibus acceptis, militiam profiteri cerneres. Sed antequam huius tam inauditae mutationis historiam attingamus, pauca de priori turbulentia praemittenda sunt.

30. Igitur eo tempore quo praedictus Heinricus Noricorum dux cum praenominato[f] Heinrico Ratisponensium episcopo civibusque suis[g] ac Styrensi[h] marchione Odoacro gravissimam guerram[i] agitabat, quidam milites de Orientali marchia egressi[k], Pannoniam latenter ingrediuntur, ac[l] noctu castrum Bosan, quod et Bresburc[m], quod olim imperator Heinricus obsidione cinxerat[n], ex improviso aggressi capiunt, quibusdam comprehensis, nonnullis occisis, aliis per[o] fugam[o] elapsis[48]. Quod audiens Ungariae[p] rex Geiza[q], Beli regis filius, praemissis quibusdam comitibus suis, qui quare vel qualiter hoc factum[r] fuerit inquirerent, ipse eosdem subsecutus, ad liberationem castri cum magna Ungarorum multitudine[s] properat. Comites qui praecesserant, ab oppidanis, cuius rei causa tam gravem regi[t] intulerint iniuriam, solerter[u] percunctantur. Qui responderunt, se[v] nec pro Romanorum principe, nec pro duce suo fecisse, sed pro domino suo Boritio[w]. Erat autem Boritius Colomanni[x] quondam regis Ungariae filius, praedictum regnum Ungariae, ut in prioribus cronicis dictum est, iure haereditario repetens, ac ob hoc adipiscendum utrosque principes, Romanorum scilicet ac Graecorum, frequenter sollicitans multosque ex militibus nostris ad favorem suum pecunia inducens. Igitur rex Ungariae superveniens castraque ponens, oppidum cinxit, diversis instrumentis tormentorumque generibus adhibitis ac sagittariis oppido circumfusis. Teutonici, eo quod dux in superioribus Baioariae partibus moraretur, princeps vero in remotis regni maneret locis, cum nullum liberationis suae solatium haberent, de facienda cum Ungaris pace pertractare incipiunt. Ita, ne multis morer, mutuo colloquentes, accepto a rege sub iureiurando promisso trium milium librarum in pondere, castrum sibi reddunt, ipsique ad propria redeunt. Rex autem Ungarorum dampnum sibi a Teutonicis illatum graviter ferens, ducem Noricum habens suspectum, hostem denunciat, exercitumque maximum per totam regni sui latitudinem colligit. Sed antequam de egressione huius gentis dicamus, breviter quaedam de ipsius terrae situ nationisque ritu praelibanda videntur.

31. Haec enim provincia, eo quod circumquaque sylvis et montibus et praecipue Appennino[y] clauditur, ex antiquo Pannonia dicta, intus planicie campi latissima, decursu fluminum et amnium conspicua, nemoribus diversarum ferarum generibus plenis conserta[z], tam innata amoenitate faciei laeta, quam agrorum fertilitate locuples esse cognoscitur, ut tanquam paradisus[*] Dei vel Aegyptus spectabilis esse videatur. Habet enim pulcherrimum, ut dixi, naturaliter spectaculum, sed ex barbarae[a] gentis ritu[b] moenium vel aedium rarum ornatum, terminosque non tam montium vel sylvarum quam cursu maximorum fluviorum[c] septos. Attingitur ab oriente, ubi Sawa[d] famosus fluvius Danubio recipitur, Bulgaria, ab occidente Maravia et Orientali Teutonicorum marchia, ad austrum Croatia, Dalmatia, Hystria vel Carinthia, ad septentrionem Boemia, Polimia, Ruthenia. Inter austrum et orientem Rama[e], inter aquilonem et item orientem Pecenatorum et Falonum[49], maximam venationum copiam habente, sed vomere ac rastro pene experte campania. Crebras vero barbarorum irruptiones passa, haud mirum, si moribus aut lingua agrestis manet et insulsa. Nam primo, quod alibi latius a nobis dictum est, Hunorum, qui iuxta Iordanum[f]

a) *ita omn. codd.* b) *ita omn. codd. loco* Polonia. *Verisimiliter auctor scripserat* Polunia. c) sanguinis effus. 5. d) repente dei nutu sopitis his tempestatibus totam 5. e) invariabiles 4. f) *deest* 5. g) civibus suisque 2; civ. suis *desunt* 5. h) Stir. 1. 5. i) gwerram 1. k) *deest* 5. l) *deest* 5. m) q. et B. *desunt* 1. 2. 3; quod et Bresburc 4. n) bosan castrum ab H. imp. olim obsessum 5. o) fuga 5. p) Hungarię 2 *semper.* q) *ita* 1. 2; Gezza 3. 4. *editt.*; Gǒscho rex 5. r) *suppletum in* 1 *manu secunda.* s) i. eosd. cum U. mult. ad lib. castri subsecutus 5. t) rei 3. u) sollerter 1. v) illos invasores 5. w) Boricio 1. 3 *et ita deinceps.* x) Cholomanni 1. 2. 5. y) *ita* 1. 3. 4; a pennino 2. z) *ita* 1. 3. 4; conferta *edd.* *) paradysus 1. a) *ita* 1. 3. b) *add.* 1. 2. 3; barbarie gentis moenium *edd.* c) *ita* 1. 2. 3. d) *ita* 1. 3; Saua 2. e) *ita* 1—4; Roma *edd.* f) Sorbanum *corr.* Sordanum 1; Sordanum 2.

47) Jaffé Conrad III. p. 69. 116. 48) anno 1146. Cfr. Chron. VII, 34 et quae ibidem notavimus. 49) Cfr. Chr. VI, 10 et ea, quae V. Cl. Müllenhof ad hunc locum notavit in Haupt Zeitschr. X, p. 165.

ex incubis et meretricibus orti fuerant, direptioni patuit, postmodum Avarorum crudis et immundis carnibus vescentium conculcationi, ad ultimum Ungarorum a Scythia[a] egressorum, qui et adhuc eam incolunt, relicta est possessioni. Sunt autem praedicti Ungari facie tetri, profundis oculis, statura humiles, moribus et lingua barbari et feroces, ut iure fortuna culpanda vel potius divina patientia admiranda sit, quae, ne dicam hominibus, sed talibus hominum monstris tam delectabilem exposuit terram. In hoc tamen Graecorum imitantur solertiam, quod nullam rem magnam sine crebra et longa consultatione aggrediuntur. Denique cum vilisima in vicis vel oppidis ibi, id est ex cannis tantum, rara ex lignis, rarissima ex lapidibus habeantur habitacula, toto aestatis vel autumpni tempore papiliones inhabitant. Ad curiam regis sui singulis ex primoribus sellam secum portantibus conveniunt, ac de suae rei publicae statu pertractare et discutere non negligunt, hyemis algore in domiciliis, quae[b] habent, id ipsum facientes. At omnes sic principi suo obsequuntur[c], ut unusquisque, ne dicam manifestis illum contradictionibus exasperare, sed et occultis susurris[d] lacerare nefas arbitretur. Hinc est, ut, cum praedictum regnum per 70 vel amplius divisum sit comitatus, de omni iusticia ad fiscum regium duae lucri partes cedant, tertia tantum comiti remaneat, nullusque in tam spacioso ambitu, rege excepto, monetam vel theloneum habere audeat. Quod si aliquis ex comitum ordine regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quandoque non iuste infamatus fuerit, quilibet infimae conditionis lixa, a curia missus, eum, licet satellitibus suis stipatum, solus comprehendit, in vinculis ponit, ad diversa tormentorum genera trahit. Nulla sententia a principe, sicut apud nos moris est, per pares suos exposcitur, nulla accusato excusandi licentia datur, sed sola principis voluntas apud omnes pro ratione habetur. Si quando vero exercitum rex ducere voluerit, cuncti sine contradictione quasi in unum corpus adunantur. Coloni quidem, qui in vicis morantur, novem decimum, vel etiam septem octavum, vel infra, si necesse fuerit, cum supellectili ad bellum necessaria instruunt, caeteris pro cultura terrae domi relictis. Qui vero de militum ordine sunt, nulla occasione nisi gravissima domi remanere audebunt. At in ipsa regis acie hospites, quorum ibi magna copia est, et qui apud eos principes dicuntur, latus principis ad muniendum ambiunt. Omnes pene tetri tetris in armis procedunt, nisi quod iam ab hospitibus, quos nunc solidarios dicimus, educati, vel ab eisdem etiam geniti, quandam non innatam sed quasi extrinsecus affixam virtutem trahentes, principes tantum et hospites nostros in pugnandi peritia armorumque splendore imitantur. Sed de praedictae gentis ritu haec dicta sufficiant.

32. Igitur rex ad portam Mesiam 70 pugnatorum milia vel amplius habens erupit, in campoque inter praefatam portam et fluvium Lithahe[e], qui Teutonica[f] lingua Virvelt[g], quod nos vacantem campum dicere possumus, castra posuit. Dux etiam cum suis non longe ex altera parte eiusdem fluvii, qui imperii Romani et regni illius ex uno Danubii latere, nam ex altero Maraha[h] fluvius, limes est, suos convocans, itidem castra metatur, missis exploratoribus, qui statum hostium diligenter inquirendo ediscerent. Altera die rex in praedicto campo ad quandam ligneam ecclesiam accedit, ibique ab episcopis, nam eo usque in puerilibus annis positus nondum militem induerat, accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta, armis accingitur. Post haec acies ordinat[50], militem instaurat, positis in capite duabus alis, in quibus sagittarii, quatenus vim hostium[i] eminus repellerent, erant, et e regione una magna acie, cui avunculus suus Bela dux praeerat, in propria legione, ut aiunt, plus quam 12 milia equitum retinens. Dehinc fluvium Lithahe[k] ex improviso, exploratoribus ducis non bene, propter quod missi erant, observantibus, transvadando permeat, apposito mox in vicinis igne. Dux itidem acies instituerat, et iam quid facto opus esset consultabat, frustra exploratores, qui aut dolo aut pigritia tardabant, expectans. Cumque alii pugnandum, nonnulli ex alio latere amnis Vischae[l], super quem residebat a termino ad duo tantum Teutonica miliaria distantem, expectandum, atque robur hostium[i] melius explorandum consulerent[m], subito fumus apparens ignis et hostium certum signum dedit, quibusdam ex nostris putantibus ac dicentibus, ab hostibus in fugam versis propria castra ignibus data esse. Itaque dux, est enim manu fortis, mente audax,

a) Scithia 4. b) *ita* 1. 2. 3; qui *edd.* c) obsecuntur 1. 4. d) susurriis 1. 3. 4. e) *ita* 1. 2. 3; Leytach *adscr. margine* 5 *manu saec. XIV.* f) Theut. 1. 4. g) *ita* 1—4; et Lervelt *addunt edd.* h) March *adscr. manu saec. XV. in* 5. i) ostium 4. k) Litha 1. 2. 3. l) *ita* 1. 2. 3, Vischach *adscr. manu saec. XV. in* 5. m) *ita* 1. 3.

50) Die 11. Septembris, uti ostendit Jaffé Conrad III. p. 85 n. 51. Cfr. Cont. Claustroneob. SS. IX, 614.

sed morae impatiens, subito arma corripit, et secus quam disciplina militaris et ordo exposcit, non pedetemptim[a] incedens, sed praecipitanter advolans, in hostem ruit, suis gregatim adventantibus et dirupto legionum ordine confuse venientibus. Denique ex praepetis cursus nimia velocitate sagittariorum impetum, qui in duabus praecedentibus alis positi erant, praevenit, ac illas cum duobus comitibus, qui eisdem praeerant, ferme funditus delevit. Post haec illas duas magnas acies, regis scilicet et avunculi sui ducis, impegit, ex regis legione nullo egrediente, sed tanquam in modum sylvae fixa immobiliter manente. Iamiam Ungari de fuga cogitabant, dorsaque vertere volebant, et ecce Teutonici, qui in posterioribus alis ducem suum sequebantur, fugam ineunt, duce ignorante vel ea quae fiebant ex pulveris multitudine, qui illis in partibus[b] siccitatis tempore maximus esse solet, conspicere non valente. Barbari tunc primo vires sumunt, ducique tanquam a suis destituto circumfunduntur. Dux tunc demum terga hosti dare compellitur, ac tam pugnacis dextrae[c] quam pulveris aerem obducentis beneficio belli periculis exemptus, in vicinum oppidum Vienis[d], quod olim a Romanis inhabitatum Favianis dicebatur, declinavit. Ungari usque ad praedictum fluvium tantum Viscahe[e] hostes persequentes, ad propria redeunt. Cecidit in hoc praelio virorum nobilium et illustrium pars magna, vulgi vero multitudo innumerabilis, maior tamen, ut dicitur, de[f] Ungaris. Cuius rei et tam dedecorosi[g] facinoris ultio nondum facta, Deo opitulante, a victrice praesentis imperatoris dextra[h] futura expectatur.

33. Circa idem tempus Rogerius Siculus, aptatis in Apulia, Calabria, Sicilia triremibus et biremibus, quas modo galeas seu sagitteas[i] vulgo dicere solent, aliisque navibus bellicis onerariis, classem in Graeciam destinat, praefectis eis ducibus strenuis et in navali praelio gnaris. Armatis itaque navibus, Graeciae fines ingrediuntur, ac Mutino[k] sine impedimento gravique negocio capto, ad Gurfol[k] usque fortissimum Graeciae castrum procedunt[l]. Quod dum nulla capere vi[m] praevalerent[n], ad[o] dolos[p] et ingenia se vertunt. Igitur praemissis quibusdam, ut dicitur, qui se quempiam mortuum humandi gratia deferre simularent, est enim in praedicta arce castri, sicut Graecis mos est, congregatio clericorum seu monachorum, idem castrum irruunt, arcem occupant, Graecis eiectis praesidiisque suis ibidem locatis. Inde ad interiora Graeciae progressi, Corinthum, Thebas, Athenas, antiqua nobilitate celebres expugnant, ac maxima ibidem praeda direpta, opifices etiam, qui[q] sericos pannos texere solent, ob ignominiam imperatoris illius suique principis gloriam captivos deducunt. Quos Rogerius in Palermo[r] Siciliae metropoli collocans, artem illam texendi suos edocere praecepit, et ex hinc praedicta ars illa, prius a Graecis tantum inter christianos habita, Romanis patere coepit ingeniis. Sed ut ad id, unde paulisper digressi fuimus, stylus redeat, de pacis serenitate, quae post hanc orbis conflictationem contra multorum opinionem subito reluxit, breviter aliqua dicenda erunt[s].

34. Eugenio in urbe Roma sedente, Conrado[t] in eadem, Ludewico[u] in occidentali Francia regnantibus, imperante in urbe regia Manuel, Hierosolymis Folkone[v], Ludewicus[w] dum occulte[x] Hierusalem[y] eundi desiderium haberet, eo quod frater suus Philippus eodem voto astrictus morte praeventus fuerat, diutius protelare[z] nolens propositum, quibusdam ex principibus suis vocatis, quid in mente volveret, aperuit. Erat illo in tempore in Gallia coenobii Clarevallensis abbas quidam, Bernhardus dictus, vita et moribus venerabilis, religionis[*] ordine conspicuus, sapientia litterarumque scientia praeditus, signis et miraculis clarus. Hunc principes vocandum ab eoque quid de hac re fieri oporteret tanquam a divino oraculo consulendum decernunt. Vocatur praefatus abbas, consiliumque ipsius super praedicti exposcitur principis voluntate. Ille de tam grandi negocio ex propriae auctoritatis arbitrio responsum dare frivolum iudicans, ut ad Romani pontificis audientiam et examen deferatur, optimum esse respondit. Itaque missa ad Eugenium legatione, totum illi negocium aperitur. Qui antecessorum suorum exempla revolvens, quod videlicet

a) *ita* 1. 4; pededemptim 2. b) in illis p. 2. c) dextere 1. 3. d) hyenis 1. 3. 4. 5; bieñ 2. e) Vischahe 1. f) *ita* 1. 2. 3 g) *ita* 1. 2. 3. h) dextera 1. 2. 3. i) *ita* 1. 5; sagiteas 2. 3. 4. k) *ita* 1—5. l) praeced. 1. 3. m) *deest* 3. n) praevalent 1. o) etiam ad 2. p) dolosi 3. q) *deest* 2. r) Palerno 1. s) *ita* 1. 3. t) Cônrado 4. u) *ita* 1. 3. 4. v) *ita* 1. 2. 3. 6; Folcone 5. *Sequentia ita in epitomen redegit* 6: Facta est maxima expeditio Ierosolimitana, quae bonum et optatum habuit principium, sed malum et periculosum habens exitum. Fuerunt autem in eadem expeditione Chônradus Romanorum imperator, fratrisque sui filius dux Fridericus qui inpresentiarum est imperator. *Quibus alia ex c. 40 desumpta addit.* w) Loduuicus 5. x) occultum 1. 3. y) Ierusalem 1. z) procelare 2. *) relligionis 1.

Urbanus huiusmodi occasione transmarinam ecclesiam duasque patriarchales sedes, id est Antiochiam[a] et Hierosolymam, ab obedientia Romanae sedis scissas, in pacis unitatem receperit, votis praedicti regis pro dilatando christianae religionis ritu annuit, auctoritate[b] praedicandi animosque cunctorum ad hoc commovendi praenominato abbati, qui apud omnes Galliae ac Germaniae populos ut propheta vel apostolus habebatur, concessa. Unde eius scriptum tale ad regem principesque suos directum invenitur:

35. *Eugenius episcopus, servus servorum Dei, karissimo filio in Christo[c] Ludewico illustri et glorioso Francorum regi et dilectis filiis principibus et universis Dei fidelibus per Galliam constitutis salutem et apostolicam benedictionem.*

Quantum praedecessores[d] nostri Romani pontifices pro liberatione orientalis ecclesiae laboraverint[e], antiquorum relatione[f] didicimus, et in gestis eorum scriptum reperimus[g]. Praedecessor etenim noster felicis memoriae papa Urbanus, tamquam tuba coelestis[h] intonuit, et ad ipsius liberationem[i] sanctae Romanae ecclesiae filios de diversis mundi partibus sollicitare curavit. Ad ipsius siquidem vocem ultramontani et praecipue Francorum regni fortissimi et strenui bellatores et illi etiam de Italia karitatis ardore succensi convenerunt, et maximo congregato exercitu, non sine magna proprii sanguinis effusione, divino eos auxilio comitante, civitatem illam, in qua Salvator noster pro nobis pati voluit et gloriosum ipsius sepulchrum[k] passionis suae memoriale nobis dimisit, et quam plures alias, quas prolixitatem vitantes memorare supersedimus, a paganorum spurcitia liberarunt[l]. Quae per gratiam Dei et patrum vestrorum studium, qui[m] per intervalla temporum eas defendere et christianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus studuerunt, usque ad nostra tempora a christianis detentae sunt, et aliae urbes infidelium ab ipsis viriliter expugnatae. Nunc autem nostris et ipsius populi peccatis exigentibus, quod sine magno dolore et gemitu proferre non possumus, Edissa[n] civitas, quae nostra lingua Rohais dicitur, quae etiam, ut fertur, cum quondam in Oriente tota terra a paganis detineretur[o], ipsa sola sub christianorum potestate Domino serviebat, ab inimicis crucis Christi capta est, et multa christianorum castella ab ipsis occupata, ipsius quoque civitatis archiepiscopus cum clericis suis et multi alii christiani ibidem interfecti sunt, et sanctorum reliquiae in infidelium conculcationes[p] datae sunt et dispersae. In quo quantum ecclesiae Dei et toti christianitati periculum immineat, et nos cognoscimus, et prudentiam vestram latere non credimus. Maximum namque nobilitatis et probitatis indicium fore cognoscitur, si ea quae patrum strenuitas acquisivit, a vobis[q] filiis strenue defendantur. Veruntamen si, quod absit, secus contigerit, patrum fortitudo in filiis imminuta[r] probatur. Universitatem itaque vestram in Domino commonemus, rogamus atque praecipimus, et in peccatorum remissionem iniungimus, ut qui Dei sunt, et maxime potentiores et nobiles, viriliter accingantur, et infidelium multitudini, quae se tempus victoriae super nos adeptam[s] laetatur, sic occurrere, et ecclesiam orientalem, tanta patrum vestrorum, ut praediximus, sanguinis effusione ab eorum tyrannide liberatam, ita defendere, et multa captivorum milia confratrum nostrorum de ipsorum manibus eripere studeatis, ut christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur, et vestra fortitudo, quae per universum mundum laudatur, integra et illibata servetur. Sit vobis etiam in exemplum bonus ille Matathias[t], qui pro paternis legibus conservandis se ipsum cum filiis et parentibus suis morti exponere et quidquid in mundo possidebat relinquere nullatenus dubitavit, atque tandem, divino cooperante auxilio, per multos tamen labores tam ipse quam sua progenies de inimicis viriliter triumphavit. Nos autem vestrorum quieti et eiusdem ecclesiae destitutioni paterna sollicitudine providentes, illis, qui tam sanctum tamque pernecessarium opus et laborem devotionis intuitu suscipere et perficere decreverint, illam peccatorum remissionem, quam praefatus[u] praedecessor noster papa Urbanus instituit, auctoritate nobis a Deo concessa concedimus et confirmamus, atque uxores et filios eorum, bona quoque et possessiones sub sanctae ecclesiae, nostra etiam et archiepiscoporum, episcoporum et aliorum praelatorum ecclesiae Dei protectione manere decernimus. Auctoritate etiam apostolica[v] prohibemus, ut de omnibus, quae, cum crucem acceperint, quiete possederint, nulla deinceps quaestio moveatur, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur. Praeterea, quoniam illi

a) Anthiochiam 1. b) auctoritatem 1. 2. 3. c) in Chr. *add.* 1. 2. 3. 6 *et cod. Scladstat. coaevus.* d) decessores 4. e) *ita* 1. 3. 4. 6. f) relaxatione 1. 3. g) repperimus 1. 3. 6. h) *add.* 1. 2. 3. 6 *et S.* i) *ita* 1. 3. 6; delib. *editt. et S.* k) sepulcrum 4. l) *ita* 1. 3. 6; liberarent *editt.* m) quod 1. 2. 3. n) Edessa *S.* o) detinetur 4. p) *ita* 1. 2. 3; conculcatione *S.* q) nobis 1. 6; bonis *S.* r) inminuta 4; i. esse *S.* s) adeptam 1. 3. 4. 6. *S.*; adeptum *ed.* t) Mathatias 1; Mathias 3; Mathathias *S.* u) *deest* 6. v) Apostolica etiam auct. 6; Auctoritate — cognoscatur *desunt in S.*

qui Domino militant, nequaquam in vestibus preciosis, nec cultu formae, nec canibus vel accipitribus vel aliis quae portendant lasciviam debent intendere, prudentiam vestram in Domino commonemus, ut qui tam sanctum opus incipere decreverint[a], *ad haec non*[a*] *intendant, sed in armis*[b], *equis et caeteris, quibus*[b*] *infideles expugnent, totis viribus studium et diligentiam adhibeant. Quicumque vero aere premuntur alieno, et tam sanctum iter puro corde inceperint, de praeterito usuras non solvant, et si ipsi vel alii pro eis occasione usurarum astricti sunt sacramento vel fide, apostolica eos auctoritate absolvimus. Liceat eis etiam terras sive caeteras possessiones suas, postquam commoniti propinqui sive domini, ad quorum feudum pertinent, pecuniam commodare aut noluerint aut non valuerint, ecclesiis vel personis ecclesiasticis vel aliis quoque fidelibus libere et sine ulla reclamatione inpignerare*[c]. *Peccatorum remissionem et absolutionem iuxta praefati praedecessoris nostri institutionem omnipotentis Dei et beati Petri apostolorum principis auctoritate nobis*[d] *a Deo concessa talem concedimus, ut qui tam sanctum iter devote inceperit et perfecerit sive ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis suis, quibus corde*[d*] *contrito et humiliato confessionem susceperit, absolutionem obtineat, et sempiternae retributionis fructum ab omnium remuneratore*[e] *percipiat. Data*[f] *Vetrallae, Kalendis Decembris.*

36. Igitur ut ad narrationis seriem redeamus, Bernhardus abbas venerabilis, concessa sibi apostolicae sedis auctoritate non abusus, gladio verbi Dei fortiter accingitur, ac excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis, tandem curia generalis apud Verzelacum Galliae oppidum, ubi beatae Mariae Magdalenae ossa recondita sunt, indicitur, convocatis ex diversis Galliae provinciis optimatibus[g] virisque illustribus. Ibi Ludewicus Francorum rex crucem a praetaxato abbate cum multa mentis alacritate sumens, militiam transmarinam professus est, cum Theoderico Flandrensi et Heinrico Theobaldi Blesensis filio, comitibus, aliisque[h] de regno suo baronibus virisque nobilibus.

37. Inter haec Radolfus[i] monachus, vir quidem religionis habitum habens, religionisque severitatem solerter imitans, sed litterarum notitia sobrie imbutus, eas partes
1146. Aug. Galliae, quae Rhenum attingunt, ingreditur, multaque populorum milia ex Agrippina, Maguntia, Warmatia[k], Spira, Argentina aliisque vicinis civitatibus, oppidis seu vicis, ad accipiendam crucem accendit. Hoc tamen doctrinae suae non vigilanter interserens, quod Iudaei in civitatibus oppidisque passim manentes tanquam christianae religionis hostes trucidarentur. Quod doctrinae semen in multis Galliae Germaniaeque civitatibus vel oppidis tam firmiter radicem figens germinavit, ut plurimis ex Iudaeis hac tumultuosa seditione necatis, multi sub principis Romanorum alas tuitionis causa confugerent. Unde factum est, ut non pauci ex ipsis huiusmodi immanitatem fugientes, in oppido principis, quod Nourenberk[l] appellatur, aliisque municipiis eius ad conservandam vitam se reciperent.

38. At praefatus Clarevallensis abbas huiusmodi doctrinam praecavendam docens, ad Galliae Germaniaeque populos nuncios seu litteras destinavit, in quibus ex auctoritate sacrae paginae[m] luculenter ostendit Iudaeos ob scelerum suorum excessus non occidendos
Psal 58, 12. sed dispergendos fore. Unde et psalmigraphi[n] testimonium induxit, in 57. psalmo dicentis: *Deus ostendit mihi super inimicos meos*[m], *ne occidas eos.* Et[o] item: *Disperge illos in virtute sua.*

39. Igitur innumerabilibus in occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernhardus praedicationis vomere[p] movendum orientale Francorum regnum aggredi disponit, tam ob hoc, ut animum principis Romanorum sacrae exhortationis verbo ad accipiendam crucem emolliret, quam ut Radolfo[q], occasione Iudaeorum crebras in civitatibus seditiones populo[r] contra dominos suos moventi, silentium imponeret. Audiens hoc princeps, generalem curiam in nativitate Domini apud Spiram civitatem[s] celebrandam indixit. Quo veniens praedictus abbas principi cum Friderico fratris sui filio aliisque
1146. Dec. principibus et viris illustribus crucem accipere persuasit, plurima in publico vel occulto[t]

a) d. nullatenus in vestibus variis aut grisiis, sive in armis aureis vel argenteis intrudant, sed in talibus armis *S.* a*) *deest* 1. 3. b) q. vehementius i. *S.* b*) arinis 2. c) *ita* 1. 3; impignerare 4. 6. d) *secunda manu add.* 1. d*) *hucusque c. S.* e) *ita* 4 6; remuneratione 2. 3; *correctum in* 6 remuneratore. f) *ita* 1. 3. g) obtim. 4. h) *ita* 1. 3 4; aliis *edd.* i) *ita* 1. 3. 4. k) *ita* 1; Warmazia 3; Barmazia 2. l) *ita* 1. 3; Nūrenberc 2; Norenberc 4; Noricum seu, *quae in edd. praecedunt, omittunt omnes codd.* m) *sec. manu add.* 1. n) *ita* 1. 3. 4. o) quod 2. p) *ita* 1. 2. 3; nomine 4 *et editt.* q) *ita* 4; Radulfo 1. 3. r) populi *proponit Jaffé p.* 110 *n.* 16, *quae lectio nusquam reperitur.* s) civ. Sp. 1. 3. 4. t) oculto 4.

faciendo miracula. Maguntiam quoque veniens, Radolfum[a] in maximo favore populi morantem invenit. Quo accersito praemonitoque, ne contra monachorum regulam per orbem vagando propria auctoritate verbum praedicationis assumeret, tandem ad hoc eum, ut sibi promissa obedientia in coenobium suum[54] transiret, induxit, populo[a*] graviter 54 indignante et, nisi ipsius sanctitatis consideratione revocaretur, etiam seditionem movere volente.

Inter haec Fridericus dux nobilissimus in Gallia manens, gravi infirmitate detine- 1147. batur[55], acrem in mente contra dominum et fratrem suum Conradum regem indignationem gerens, quod filium suum Fridericum, quem ipse tanquam primogenitum ac nobilissimae prioris comparis suae filium unicum committendo ipsius gratiae cum filio suo parvulo ex secunda uxore[b] totius terrae suae haeredem fecerat, crucem permiserat accipere. Quem praedictus abbas visitandi gratia adiit, et benedicens ei, in orationes recepit. Ipse tamen vim doloris non sustinens, non multis post diebus vivendi finem fecit[56], ac in monasterio quod sanctae Waltpurge[c] vocatur, in terminis Alsatiae sito, humatus est, successitque ei in ducatu filius suus Fridericus.

40. Post haec princeps Baioariam ingreditur, ibique mense Februario generalem curiam celebravit[57], ducens secum vice Clarevallensis abbatis Eberacensem abbatem Adam, virum religiosum[d] et honeste eruditum. Qui missarum ex more solempnia[e] celebrans, invocataque sancti spiritus gratia, ambonem ascendit, ac lectis apostolicae sedis et Clarevallensis abbatis litteris, brevi exhortatione facta, pene[f] omnibus qui aderant praefatam militiam profiteri persuasit. Neque enim persuasibilibus humanae sapientiae verbis vel artificiosae iuxta praecepta rhetorum orationis circuitus insinuatione egebat, cunctis qui aderant, ex priori rumore excitatis, ad accipiendam crucem ultro accurrentibus. Acceperunt eadem hora crucem tres episcopi, videlicet Heinricus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Reginbertus[g] Pataviensis, et dux Noricorum Heinricus, frater regis, de ordineque comitum, nobilium, virorum illustrium innumerabiles. Tanta etiam, mirum dictu, praedonum et latronum advolabat multitudo, ut nullus sani capitis hanc tam subitam quam insolitam mutationem ex dextra[h] Excelsi provenire non cognosceret, cognoscendo attonita mente non obstupesceret. Gwelfo[i] quoque, Heinrici prioris ducis frater, de nobilissimis regni optimatibus[k] in ipsa nativitatis dominicae nocte in propria villa Bitengou[l] eandem militiam cum multis professus fuerat. Sed et dux Boemorum Labezlaus[m] et Stirensis[n] marchio Odoacerus[o] et Carinthiae illustris comes Bernhardus non multo post cum magno suorum comitatu cruces accepere. Saxones vero, quia quasdam gentes spurcitiis idolorum[p] deditas vicinas habent, ad Orientem proficisci abnuentes, cruces itidem easdem gentes bello attemptaturi assumpserunt, a[58] nostris in hoc distantes, quod non simpliciter vestibus assutae, sed a rota subterposita in altum protendebatur.

41. Exemplar autem epistolae Clarevallensis abbatis in orientale Francorum regnum destinatae, tale est:

Dominis et patribus karissimis, archiepiscopis, episcopis et universo clero et populo orientalis Franciae et Baioariae[q] Bernhardus Clarevallensis vocatus abbas spiritu fortitudinis abundare[r].

Sermo mihi ad vos de negocio Christi, in quo est utique[s] salus vestra. Haec[t] dico ut excuset indignitatem personae loquentis auctoritas Domini, excuset et consideratio propriae utilitatis. Modicus quidem sum, sed non modice cupio vos in visceribus Christi Iesu. Ea mihi nunc ratio scribendi ad vos, ea causa, ut universitatem vestram litteris audeam convenire. Agerem id libentius viva voce, si, ut voluntas non deest, suppeteret et facultas. Ecce nunc,

a) Raduifum 1. 4. a*) populoque 1. b) parvulo secundam uxorem 1. 2. 3. c) *ita* 1. 3; Baltp. 2; Walpurgę 4. d) rellig. 1. e) *ita* 1. 2. 3. f) *deest* 1. 3. g) Reinbertus 5. h) dextera 3. i) Guuelfo 5. k) obtimatibus 4. l) Bittengov 1. m) *ita* 1. 3. 5. 6; Ladeslaus 2; labeslaus 4. n) Stirensis 5. o) *ita* 1. 2; Othakker 1. p) *deest* 1. 2. 3. q) Baioriae 6. r) habundare 1. s) utique est 1. 3. t) *ita* 1. 2. 3. 6; nec *edd.*

54) i. e. Claramvallem. 55) in urbe Alzeia; v. Jaffé p. 112. 56) in urbe Hagenau; v. Jaffé Conrad III. p. 115. n. 34. Notatur eius dies obitualis 8. *Idus April.* in Necrol. Zwifaltensi, quod tamen non omni dubio caret. V. Jaffé l. c. p. 115 n. 33 et p. 117. 57) Diploma Conradi III. datum est die 24. Februar. 1147. *Ratisponae in curia celebri*; Jaffé l. c. p. 117. 58) De hac expeditione, quam praedicante sancto Bernhardo et confirmante Eugenio III. Saxones contra Slavos susceperunt a. 1147, v. Jaffé p. 120. 121. 145 sq.

fratres, acceptabile tempus[a], *ecce nunc dies salutis*[b] *copiosae. Commota est siquidem et contremuit terra, quia coepit Deus coeli perdere terram suam. Suam*[c], *in qua visus est, et annis plus quam triginta homo cum hominibus conversatus est. Suam utique, quam illustravit miraculis, quam dedicavit sanguine proprio, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt*[d]. *Et nunc peccatis nostris exigentibus*[e] *crucis adversarii caput extulere sacrilegum, depopulantes in ore gladii terram benedictam, terram promissionis. Prope est, si non fuerit qui resistat, ut in ipsam Dei viventis irruant civitatem, ut officinas nostrae redemptionis evertant, ut polluant loca sancta agni immaculati purpurata cruore. Ad ipsum, proh dolor, religionis christianae sacrarium inhiant ore sacrilego*[e], *lectumque ipsum invadere et conculcare conantur, in quo propter nos vita nostra obdormivit in morte. Quid facitis viri fortes? quid facitis servi crucis? Itane dabitis sanctum canibus et margaritas porcis? Quam multi illic peccatores confitentes peccata cum lacrimis veniam obtinuerunt*[f], *postquam patrum*[g] *gladiis eliminata est spurcitia paganorum? Videt*[h] *hoc malignus, et invidet; dentibus frendet, et tabescit. Excitat vasa iniquitatis suae, ne ulla quidem iam pietatis signa aut vestigia relicturus, si quando forte, quod Deus avertat, obtinere valuerit. Verum id quidem omnibus seculis deinceps inconsolabilis dolor, quia irrecuperabile dampnum, specialiter autem generationi huic pessimae infinita confusio et opprobrium sempiternum. Quid tamen arbitramur fratres? Nunquid abbreviata est manus Domini, aut impotens facta est ad salvandum, quod ad tuendam et restituendam*[i] *sibi haereditatem suam exiguos vermiculos vocat? Nunquid non potest mittere angelorum plus quam 12 legiones, aut certe tantum dicere verbo, et liberabitur terra? Omnino subest ei, cum voluerit, posse. Sed dico vobis, temptat vos dominus Deus vester. Respicit super filios hominum, ut si forte sit qui intelligat, et requirat, et doleat vicem eius. Miseratur*[k] *enim populum suum Deus, et lapsis graviter providet remedium salutis. Considerate quanto ad solvendos vos*[l] *artificio utitur, et obstupescite. Intuemini pietatis abyssum, et confidite peccatores. Non vult mortem vestram, sed ut convertamini, et vivatis, quia sic quaerit occasionem non adversum vos, sed pro vobis* etc. In quibus et circa eandem oratorum more vel ordine versatur materiam. Et quod Iudaei non sint occidendi, ratione probat et auctoritate. Unde est illud: *Beatam dixerim*[m] *generationem, quam apprehendet*[n] *tam uberis*[o] *indulgentiae tempus, quam invenit superstitem annus iste placabilis Domino et vere iubileus. Diffunditur enim haec benedictio in universum mundum, et ad signum vitae convolant universi. Quia ergo foecunda est terra vestra virorum fortium, et robusta noscitur iuventute referta, sicut laus est vestra in universo mundo, et virtutis vestrae fama replevit orbem, accingimini et vos viriliter, et felicia arma corripite.* Et de Iudaeis sic: *Deus, inquit ecclesia*[p], *ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, vivi quidam apices nobis sunt, repraesentantes iugiter dominicam passionem:* et plura alia in hunc modum[q].

42. Igitur non solum ex Romano imperio, sed etiam ex vicinis regnis, id est occidentali[r] Francia, Anglia, Pannonia, innumeris[s] populis ac nationibus hac expeditionis fama ad sumendam crucem commotis, repente sic[t] totus[u] pene Occidens siluit, ut non solum bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur.

1147. 43. At[v] Conradus Romanorum rex principes convocans, in oppido orientalis Franciae Franconfurde[w], quod latine vadum Francorum dici potest, eo quod Karolus ad debellandos Saxones cum Francis proficiscens vadum illo Mogi fluminis, qui Maguntiae[x] Rheno illabitur, 59 invenisse dicitur, generalem curiam[y, 59] celebrat, ibique filio suo Heinrico adhuc puero[60] Mart. 30. rege per electionem principum constituto, in palatio Aquis eum dominica medianae quadragesimae regem inungi ac coronari iubens, regni participem legit. Ad praedictam curiam[61] Heinricus, Heinrici, de quo supra dictum est[y], Noricorum ducis filius, qui iam adoleverat[z], venit, ducatum Noricum, quem patri suo non iuste abiudicatum asserebat, iure haereditario reposcens. Quem princeps multa prudentia et ingenio inductum usque ad reditum suum suspendens, quiete expectare persuasit.

a) *ita* 1. 2. 3; t. ac. *edd.* b) dies salutis, copiosae salutis *edd.* c) *deest* 1. 3. d) aparuerunt 4. e) sacrilegum 6. f) *ita* 1. 3. 6. g) *ita edd.;* parum 1—4. h) videt *corr.* vidit 1. i) et rest. *desunt* 1. 2. 3. k) miseretur 2. l) nos 1. 3. m) dixerunt 6. n) apprehendit 1. 3. 6. o) verbis 1. p) ęcclesia 1. q) *addit* 6: De hoc hactenus. r) ex or. Fr. 2. s) *ita edd.;* in universis 1. 2. 3. t) *deest* 6. u) illo tempore *add.* 6. v) Et 1. 2. w) *ita* 1. 2. 3; Franconefurde 4; Franconuurt 5; in op. Franconf. or. Fr. 1. 3. x) Magontine 1. 3; MaguntEae 4. y) *sec. manu add.* 1. z) aboleverat 1. 2. 4.

59) mense Martio 1147. 60) decem annos nato. 61) In eadem curia *communem per omnes regni partes solidam pacem* ordinavit Conradus. Wibaldi ep. 20. A. C. II. p. 205.

44. Itaque hyemalis algoris austeritate detersa, cum veris benigna humiditate ex telluris partu flores et herbae procrearentur, camporumque viriditas laetam terrae faciem monstrans orbi arrideret, Conradus rex a Norico castro[62] cum suis procinctum movens, per Danubium iturus, Ratisponae naves ingreditur, ac in ascensione Domini in Orientali Mai. 29. marchia, iuxta burgum, qui Ardacher[63] vocatur, castra ponens, suos qui iam adventabant duobus seu tribus diebus expectavit. Inde usque ad terminos ferme[a] regni sui procedens, non longe a fluvio Vischahe[b] mansionem locavit, celebratoque ibi sancto pentecoste, cum universis pene copiis suis Litahe[c] transiens, in Pannonia tentoria fixit, aliis per Danubium navigantibus, aliis per terram euntibus. Tantam autem post se multitudinem traxit, ut et flumina ad navigandum camporumque latitudo ad ambulandum vix sufficere videretur; quem Francorum rex Ludewicus[d] non multo post cum suis subsecutus est, ducens secum ex nostris Lotharingos, quorum principes seu primores[e] erant Stephanus Metensis, Heinricus Tollensis[f] episcopi, Reginaldus Munzunensis[g], Hugo Waidemorensis[h] comes, et de Italia Amodeum[i] Taurinensem fratremque eius Willehelmum[k] marchionem de Monteferrato, avunculos suos[l], et alios quam plures. Verum quia, peccatis nostris exigentibus quem finem praedicta expeditio sortita fuerit, omnibus notum est, nos qui non hac vice tragoediam sed iocundam scribere proposuimus historiam, aliis vel alias hoc dicendum relinquimus. Qualiter etiam Saxones vicinas, ut dixi, gentes aggressi, principibus inter se discordantibus, ad propria remeaverint[64], a memoria eorum qui adhuc supersunt non- 64 dum excidit. Attamen[m] ne Friderici principis, qui in praesentiarum est, fortuna, quae ei ab adolescentia etiam in periculis gravibus usque ad praesentem diem nunquam ad plenum nubilosum vultum ostendit, silentio tegatur, unum de omnibus et pro omnibus, quae nobis in eadem via acciderunt, casum ponere volui.

45. Permeata[n] magno labore viarumque difficultatis dispendio post Pannoniam Bulgaria, emensaque transmisso Hebro superiore Thracia[o], cum iam per aliquot[p] dies in locis fertilissimis per inferiorem Thraciam cum multa mentis laeticia ambulantes, urbi regiae accederemus, 7. Idus Septembris, id est proxima ante nativitatem beatae Mariae feria, Sept. 7. vallem quandam iuxta oppidulum Cherevach[q, 65] dictum, campi viriditate laetam, amniculi cuiusdam medio decursu conspicuam attingimus. Cuius loci amoenitate capti omnes, illic[r] tentoria figere iocundumque Dei genitricis semperque virginis ortum cum magna iocunditate celebraturi ibidem ea die[s] pausare disponimus, solo cum suis duce Friderico avunculoque eius Welfone[t], nam Lotharingiorum legio nondum se nobis iunxerat, in latere cuiusdam montis e regione[u] iuxta nos castra metante. Erat in vicino mare Proponticum, quod modo Brachium sancti Georgii[v] ab indigenis dicitur, duoque super litus eius, unde mercatum expectabamus, oppida parva et natura salubria[w]. Hoc mare olim Ellesponticum[x] a nota Frixis et Helles fabula, vel Proponticum velut ante Ponticum[y] dicebatur, eo quod a Pontico mari duorum maximorum fluviorum Tanais[z] et Danubii impetu propulsum, quasi tenuiter fluens, ut volunt, in Adriatico seu Tyrreno[*] mari iuxta Troiam antiquam recipiatur. Fateor, toto expeditionis tempore nunquam laetiora habuimus[a] tabernacula, nunquam, quantum ad sensus iudicium maiorem ambitum occupaverant tentoria. Et ecce circa vigiliam matutinam nubecula quaedam parva exorta imbrem mitem produxit, quem subito tantus pluviarum ventorumque impetuosus turbo subsecutus est, ut concussis et solutis seu ad terram deiectis tabernaculis, gravissime qui post matutinorum laudes lectis nos receperamus[b], excitaret. Clamor totum vicinum replens aerem attollitur; amniculus enim, an ex refluxione proximi maris imbriumve multitudine, an ex cataractis ruptis in coelo ex supernae maiestatis[c] ultione incertum[d], tantum intumuerat ex tumoreque praeter morem inundaverat, ut totum cooperiret exercitum. Quid ageremus? Divinam id animadversionem

a) *sec. manu add.* 1. b) *ita* 1. 3; Vischae 5. c) Lithahe 1. 3. d) Lodewicus 1. e) primates 6. f) *ita* 1. 2. 3. 5; Tŏllensis 4. g) Reinaldus Munzinensis 5; Regin. Muncinensis 6. h) Waidemorensis 1. 5. 6; Waidemorensis 3; Waidemotensis 4; baide morensis 2. i) *ita* 1. 2. 3. 5; amadeum 4. k) *ita* 1; Gwillehelmum 3; Guillelmum 4; Guuillehelmus 5; Gwillih. 6. l) *addit* 6: cum Theoderico Flandrense et Heinrico Theobaldi Blesensis filio comitibus aliisque de regno suo baronibus virisque nobilibus. m) Et tamen 1. 3. n) permeato 1. 3. o) tracia 1. p) aliquod 1. q) Gherevach 1. r) illo 1. 3. 4. s) *ita* 1. 2. 3. t) Belfone 2. u) reglore 3. v) Georii 3. w) parva. Salumbria et natura 1. 2. 3. x) *ita* 1. 2. 3; Ellespontiacum 4. y) pontificum 2. z) Tanays 2. 3. *) *ita* 1. 2; thirreno 4. a) *loco* habuimus *scribunt* huius modi 1. 2. 3. b) reciperamus 4. c) magestatis 2. d) *add.* 1. 2. 3.

62) Hic mense Aprili 1147. morabatur. V. Jaffé 123. 63) *Ardacker*, in dextra Danubii infra fluvium Ensam situm. 64) Cfr. Jaffé p. 150. 65) in planitie Choroebachica, unde haec corrupta nominis forma.

potius quam naturalem inundationem esse considerantes, amplius attoniti fuimus. Ad equorum tamen robur convolamus, unusquisque, prout poterat, amnem transire gestiens. Videres alios natantes, alios equis adhaerentes, alios, ut periculum effugerent, per funes miserabiliter trahi, alios in flumen inordinate ruentes ex eo, quod aliis impraemeditate implicarentur[a], demergi[b], plurimosque[c] quod possent praetergredi aestimantes, fluminis ictu abripi, cautibus[d] opprimi, vique gurgitum absorptos animam reddere in flumine. Nonnullos natandi indoctos, ubi natantes apprehendissent ut evaderent, tenere sicque astrictos defatigare, donec resupini, cessantibus brachiorum remigiis, utrique submersi suffocarentur. Aliqui ergo de nobis in tentoria Friderici ducis, quae sola ab hac tam[e] perniciosa clade penitus illaesa manebant, nos transtulimus, ibique sacra missarum solempnia audientes[f], non cum gaudio, sed cum multa amaritudine cordis[g], nostrorum luctum et gemitum audientes, *Gaudeamus* cecinimus. Denique alii amnem cum magno timore ac labore transmeabant, alii adunatis rhedis aliisque quae habere poterant instrumentis adhibitis, contra impetum aquae quasi desperati repagulum ponebant, transitum inundationis praestolantes. Quantum vero dampnum tam in personis quam in rebus et utensilibus ad tam longam viam necessariis exercitus noster ibi acceperit, dicere non oportet. Cerneres[h] sequenti die, cum, mitigatis aquis, terrarum facies appareret[i], omnibus nobis hac et illac dispersis tam tristissimum tabernaculorum nostrorum aspectum, quam perendie poteras videre laetissimum, ut non immerito quanta divinae celsitudinis esset potentia, quamque humanae iocunditatis nihil firmi habens velox momentum, luce clarius appareret. Sed de his hactenus[k].

46. Fuit illis in diebus in Aquitania Galliae, civitate Pictavis, episcopus Gisilbertus[l] nomine; hic ex eadem civitate oriundus, ab adolescentia usque ad ultimam senectutem in diversis[m] Galliae locis[n] philosophiae studium colens, re et nomine magistri officium administrarat[o], noviterque[p] ante hos dies[q] ad culmen pontificale in praefata civitate sublimatus fuerat, consuetus ex ingenii subtilis magnitudine ac rationum acumine multa praeter communem hominum morem dicere[r]. Is igitur cum quadam vice, conventum de sua dioecesi[s] clericorum magnum celebrans, sermoni, quem forte gratia exhortandi habebat, quaedam de fide sanctae Trinitatis intersereret, a duobus archidiaconis suis, id est Arnaldo et Kalone, tanquam contra catholicae normam ecclesiae doctrinam instituens, ad summi pontificis Romanaeque sedis examen, interposita appellatione, vocatur. Sic utrique viam carpunt, Romanoque pontifici Eugenio ab Urbe in Gallias tendenti, Senis civitate Tusciae occurrunt. Quibus Romanus antistes auditis, causaque viae cognita[t], breviter respondit: se Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod propter litteratorum virorum copiam ibidem manentium oportuniorem examinandi facultatem haberet, plenius velle cognoscere. Archidiacones[u] in Gallias redeunt, ac consulto Bernhardo supra memorato abbate, eum in commodum causae suae adversus episcopum inclinant.

47. Erat enim[v] praedictus abbas tam ex christianae religionis fervore zelotypus[w] quam ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus, ut et magistros, qui humanis rationibus seculari sapientia confisi nimium inhaerebant, abhorreret, et si quidquam ei christianae fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem praeberet. Ex quo factum est, ut non multo ante hos dies ipso auctore primo ab episcopis Galliae, post a Romano pontifice[x] Petro Abaiolardo silentium impositum fuerit. Petrus iste ex ea Galliae provincia, quae nunc ab incolis Brittannia dicitur, originem trahens — est enim praedicta terra clericorum acuta ingenia et artibus applicata habentium sed ad alia negocia pene stolidorum ferax, quales fuerunt duo fratres Bernhardus et Theodericus, viri doctissimi — is, inquam, litterarum studiis aliisque[y] facetiis[z] ab ineunte aetate deditus fuit, sed tam arrogans suoque tantum ingenio confidens, ut vix ad audiendos magistros ab altitudine mentis suae humiliatus descenderet. Habuit tamen primo praeceptorem[66] Rozelinum quendam, qui

a) implicarent 1. 2. 3. b) dimergi 3. c) *ita* 1. 2. 3; populosque *edd.* d) caudicibus 1. 2. e) *add.* 1. 3. f) audiendo 1. 3. g) cord. am. 1. 3. h) cernere 1. 3. i) apparet 1. 3. k) actenus 4 *semper.* l) Gilebertus 4. m) adversis 1. 3. n) partibus 6. o) administrat 1. 3. 6. p) noviter 1. 3. q) ante inpulsationem 6. r) Sed unde orta sit predicta altercatio breviter intimamus *inserit* 6. s) diocesi 1; dioccsy 2. t) cognita viae 6. u) *ita* 1. 2. 6. v) *ita* 1. 4. 6. w) zelotipus 1. x) supra memorato *addit* 6. y) aliis 1; aliusque 2. z) facet[9] 1. 3; faceciis 4.

66) Quod olim in dubium vocaverunt viri docti; nunc vero dialectica Abaelardi in lucem edita, verbis ipsius egregie confirmatur. Cfr. Cousin: Ouvrages inédits d'Abélard. Paris 1836. (Documens inédits pour servir à l'histoire de France) p. XLII. et 471.

primus nostris temporibus in logica sententiam vocum instituit, et post ad gravissimos viros Anshelmum Laudunensem, Gwilhelmum[a] Campellensem Catalauni episcopum migrans, ipsorumque dictorum pondus, tanquam subtilitatis acumine vacuum iudicans, non diu sustinuit. Inde magistrum induens[b], Parisius venit, plurimum in inventionum subtilitate non solum ad philosophiam[c] necessariarum, sed et pro commovendis ad iocos hominum animis utilium valens. Ubi occasione quadam satis nota non bene tractatus, monachus in monasterio sancti Dionysii[d] effectus est. Ibi die noctuque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de litterato[e] efficitur litteratior, in tantum, ut post aliquod tempus ab obedientia abbatis sui solutus, ad publicum prodiret, docendique rursus officium assumeret. Sententiam ergo vocum seu nominum in naturali tenens facultate, non caute theologiae admiscuit. Quare de sancta Trinitate docens[f] et scribens, tres personas, quas sancta ecclesia non vacua nomina tantum, sed res distinctas suisque proprietatibus discretas[g], hactenus et pie credidit et fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis usus exemplis, inter caetera dixit: *Sicut eadem oratio est propositio, assumptio et conclusio, ita eadem essentia est Pater, et Filius et Spiritus sanctus.* Ob hoc Suessionis provinciali contra eum synodo sub praesentia Romanae sedis legati congregata, ab egregiis viris et nominatis magistris Alberico Remense[67] et Letaldo[h] Novariense Sabellianus haereticus iudicatus, libros quos ediderat, propria manu ab episcopis igni dare coactus est, nulla sibi respondendi facultate, eo quod disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, concessa. Haec sub Ludewico seniore Francorum rege facta sunt.

48. Post haec dum rursus pluribus diebus legeret, maximamque post se sociorum multitudinem traheret, sedente in urbe Roma Innocentio, in Francia vero Ludewico[i] superioris Ludewici[i] filio regnante, ab episcopis abbateque Bernhardo denuo ad audientiam apud Senonas evocatur, praesentibus Ludewico rege Theobaldoque palatino comite[k] et aliis nobilibus de[l] populoque innumeris. Ubi dum de fide sua discuteretur, seditionem[m] populi timens, apostolicae sedis praesentiam appellavit. Episcopi vero, simul et abbas, missa ad Romanam ecclesiam legatione[n], ac eis[o] pro quibus impetebatur capitulis, dampnationis eius sententiam in litteris expetiverunt[p], quarum exemplar hoc est: *Reverentissimo domino et dilectissimo patri, Dei gratia summo pontifici Innocentio, S. Remensis archiepiscopus, Iohelinus*[q] *Swessionis*[r], *Gau.*[s] *Catalaunensis*[t], *A. Anebanensis*[u] *episcopi*[v] *debitae subiectionis voluntarium obsequium. Auribus occupatis ad plurima, verbum facimus breve de prolixo negocio, pro eo maxime, quod id ipsum plenius et diffusius continetur in litteris domni Senonensis. Petrus Abaielardus*[x] *christianae fidei meritum evacuare nititur, dum totum, quod Deus est*[y], *humana ratione arbitratus*[z] *comprehendere, ascendit usque ad coelos et descendit usque ad abyssos. Nichil est quod lateat eum, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis et in*[*] *mirabilibus super se. Scrutator maiestatis, haeresum fabricator, iam dudum fecerat librum de sancta Trinitate, sed sub legato Romanae ecclesiae igne*[a] *examinatus est, quia inventa est in eo iniquitas. Maledictus qui reaedificat ruinas Iericho. Surrexit a mortuis liber ille, et cum eo multorum haereses qui dormierant surrexerunt et apparuerunt multis. Denique iam extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad*[b] *Romam propagines eius. Haec*[c] *gloriatio hominis illius, quod liber suus in curia Romana habet, ubi caput suum*[d] *reclinet*[e]*; hinc confortatus et confirmatus est error eius. Proinde cum fiducia praedicat verbum iniquitatis usquequaque. Propterea cum in conspectu episcoporum super his eum argueret abbas Clarevallensis, zelo iusticiae et fidei armatus, ille nec confessus est, nec negavit, sed a die, a*[f] *loco et iudice, quem ipse sibi elegerat, sine laesione, sine gravamine, ut prolongaret iniquitatem, sedem apostolicam appellavit. Episcopi qui propter hoc unum convenerant, vestrae reverentiae deferentes, nichil in personam eius egerunt, sed tantummodo capitula a sanctis olim patribus condempnata medicinali necessitate,*

a) *ita* 1. 3; Guillelmum 4; Gvillelmum 6. b) indicens 6. c) phylos. 1. d) Dyonisii 1. e) litt. 1. f) *deest* 3. g) *ita* 1. 2. 3; discretis 4 *et editt.* h) *ita* 1. 2. 3. 6. Leutaldo *edd.* i) Lodew. 1. k) com. pal. 6. l) *deest* 3. m) seditione 3. n) legationem 1. o) eius 2. p) *ita* 1. 2; expetierunt 3; reportaverunt *edd.* q) i. e. Ioslinus. r) Swessionis 1. 3. 6. s) *ita* 1. 2. 3. 4. 6; Guilhel. *edd.* t) Çautalaunensis 1. 2. 3. u) *ita* 1. 3. 4. 6; anaban. 2; Abanensis *edd.* v) Bernhardus Clarevallensis *add.* 6. x) *ita* 6; Abaïelardus 1. 2. 3; Bailardus 4. y) *deest* 1. 2. 3. z) *ita* 1. 2. 3. 6. *) *add.* 1. 2. 3. a) *deest* 1. 2. 3. b) *deest* 1. 2. 3. 4. 6. c) Hoc 6. d) *deest* 6. e) Haec gloriatio — reclinet *desunt* 1. 2. 3. f) et 1. 3. 6; et a 4.

67) De Alberico Remensi et de Theoderico Armorico fusius egimus ad vitam Adelberti II. archiepiscopi Moguntini.

ne morbus serperet, adiudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, et populum qui sibi credat habet, necesse est ut huic morbo celeri medicina occurratis;

— — sero enim medicina operatur[a]*,*
Cum mala per longas invaluere[b] *moras.*

Processimus nos in hoc negocio, quousque ausi sumus. Tuum est, beatissime pater, de caetero providere, ne aliqua haereticae pravitatis macula decor ecclesiae contaminetur. Tibi commissa est sponsa Christi, o amice sponsi. Tuum est eandem uni viro virginem castam exhibere Christo.

Rescriptum vero Innocentii tale: *Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Heinrico Senonensi et S.*[c] *Remensi archiepiscopis eorumque suffraganeis et karissimo in Christo filio B. Clarevallensi abbati salutem et apostolicam benedictionem. Testante apostolo, sicut unus Dominus*[d]*, una fides esse dinoscitur, in qua tanquam immobili fundamento, praeterquam nemo potest aliud*[e] *ponere, firmitas catholicae ecclesiae inviolata consistit. Inde est, quod beatus*[f] *Petrus apostolorum princeps, pro eximia huius fidei confessione audire meruit:* Tu es, *inquam,* beatus[g] Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. *Petram utique firmitatem fidei et catholicae unitatis soliditatem manifeste designans. Haec siquidem est inconsutilis tunica redemptoris nostri, super quam milites sortiti sunt, sed eam dividere minime*[h] *potuerunt. Contra quam in*[i] *initio fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum. Verum apostoli duces dominici gregis et eorum successores apostolici viri, ardore karitatis*[k] *et zelo rectitudinis succensi, fidem defendere et eam in cordibus populorum proprii sanguinis effusione plantare non dubitaverunt. Demum cessante persecutorum rabie, imperavit Dominus*[l] *ventis, et facta est in ecclesia tranquillitas magna. Sed quia hostis humani generis semper circuit, quaerens quem devoret, ad inpugnandam*[m] *sinceritatem fidei, fraudulentam haereticorum fallaciam subinduxit. Contra quas veri ecclesiarum rectores viriliter insurgentes, eorum prava dogmata cum ipsorum auctoribus condempnarunt. In magna namque Nicaena synodo Arrius haereticus est dampnatus. Constantinopolitana synodus Manichaeum haereticum debita sententia condempnavit. In Ephesina synodo Nestorius condignam sui erroris condempnationem recepit. Chalcedonensis*[n] *quoque synodus Nestorianam haeresin et Euthicianam cum Dioscoro et eius complicibus iustissima sententia confutavit. Martianus praeterea licet laicus, christianissimus tamen imperator, catholicae fidei amore succensus, praedecessori nostro sanctissimo papae Iohanni scribens, adversus eos qui sacra mysteria profanare contendunt, inter caetera sic loquitur, dicens:* Nemo clericus vel militaris vel alterius cuiuslibet conditionis de fide christiana publice conetur in posterum tractare. Nam iniuriam facit iudicio reverentissimae synodi, si quis semel iudicata et recte disposita revolvere et iterum disputare contendit, et in contemptores huius legis tanquam in sacrilegos poena non deerit. Igitur si quis clericus erit, qui publice tractare de religione ausus fuerit, a consortio clericorum removebitur. *Dolemus autem, quoniam sicut litterarum vestrarum inspectione et missis a fraternitate vestra nobis errorum capitulis cognovimus, in novissimis diebus quando instant periculosa tempora, magistri Petri Abaiolardi*[o] *perniciosa doctrina et praedictorum haereses et alia perversa dogmata catholicae fidei obviantia pullulare coeperunt. Verum in hoc maxime consolamur, et omnipotenti Deo gratias agimus, quod in partibus vestris pro patribus tales filios suscitavit, et in tempore apostolatus nostri*[p] *in ecclesia sua tam praeclaros voluit esse pastores, qui novi haeretici studeant calumpniis obviare, et immaculatam sponsam uni viro virginem castam exhibere Christo. Nos itaque qui in cathedra sancti Petri, cui a Domino dictum est:* Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, *licet indigni residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum episcoporum cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula et universa ipsius Petri perversa*[q] *dogmata sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore dampnavimus, eique tanquam haeretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui*[r] *sectatores et defensores a fidelium consortio sequestrandos et excommunicationis vinculo innodandos esse censemus. Datum*[s] *Laterani 12. Kalendas Augusti.*

49. Petrus dampnationem sui dogmatis a Romana ecclesia confirmatam cognoscens, ad Cluniacense coenobium se contulit, apologeticum[t] scribens et[u] praedictorum capitu-

a) *ita* 1. 2. 3. 6; paratur *edd.* b) *ita* 1. 2. 3. 6; conval. *edd.* c) *ita* 1. 2. 3. 6; Reinaldo *edd.* d) *ita* 1. 3. 4. 6. e) *ita* 1. 2. 3. 6. f) *deest* 2. 3. 4. g) *deest* 6. h) minime dividere 6. i) *deest* 3. k) caritatis 1. l) *add.* 2. 3. 6. m) *ita* 3. 6; impugn. 1. n) Calcedon. 1. 2. 4. o) *ita* 1. 3. 6. p) ūri 3; nrī 1 *ex corr.* q) *recepimus ex* 1. 3. 6. r) sui err. 6. s) Daī 3; dať 1; dat. — Augusti *desunt* 6. t) appollog. 1; apollog. 3. 4. u) *add.* 1. 2. 3. 6.

lorum partim verba ex toto autem sensum negans, qui sic incipit: *Ne iuxta Boetianum illud prooemiis nihil afferentibus tempus teratur, ad rem ipsam veniendum est, ut innocentiam meam ipsa rerum veritas potius quam verborum excuset prolixitas.* Haec autem pauca de multis contra eum posita sufficiant capitula[a]:

Quod Pater sit plena potentia, Filius quaedam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia.
Quod Spiritus sanctus non sit de substantia Patris.
Quod Spiritus sanctus sit anima mundi.
Quod Christus non assumpsit carnem, ut nos a iugo diaboli liberaret.
Quod non peccaverunt qui Christum ignoranter crucifixerunt.

Ipse vero non multis post diebus, coram fratribus suis fidem suam humiliter exponens, in eodem[b] vitam finivit coenobio.

50. Igitur ut ad id a quo digressa fuit, redeat oratio, praetaxati archidiacones[c] ascito sibi tantae auctoritatis et aestimationis viro, abbate Bernhardo, episcopum Gisilbertum[d] eadem qua praedictum Petrum via dampnare attemptabant. Sed nec eadem causa nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum virorum disciplinae se subiciens, magisque illorum ponderi quam suo credens ingenio, qualis primo fuit Hilarius Pictaviensis, post Bernhardus Carnotensis, ad ultimum Anshelmus[e] et Radulfus[f] Laudunenses germani fratres[68], non levem ab eis, sed gravem doctrinam hauserat, manu non subito ferulae subducta, a scientia aut[g] censura morum vitaeque gravitate discordante, non iocis vel ludicris, sed seriis rebus mentem applicarat. Hinc erat, ut tam gestu quam voce pondus servans, sicut in factis gravem[h], sic in dictis se ostenderet difficilem, ut nunquam puerilibus, vix autem eruditis et exercitatis quae ab eo dicebantur paterent animis. Is itaque primo Autissiodorum[i], post Parisius[k] vocatus est. Erant inter caetera quae illi obiciebantur, de divina maiestate quatuor capitula:

Quod videlicet assereret divinam essentiam non esse Deum.
Quod proprietates personarum non essent ipsae personae.
Quod theologicae personae in nulla praedicarentur propositione.
Quod divina natura non esset incarnata.

Et praeter haec alia minora, id est:

Quod meritum humanum attenuando nullum mereri diceret praeter Christum.
Quod ecclesiae sacramenta evacuando diceret[l] *nullum baptizari, nisi salvandum,* et caetera in hunc modum.

51. Itaque praesidente cum cardinalibus episcopis aliisque viris venerabilibus et eruditis in iam dicta civitate Parisius summo pontifice Eugenio, praedictus episcopus Gisilbertus[m] consistorio praesentatur, de his capitulis responsurus. Producuntur contra eum duo magistri, Adam de Parvo Ponte, vir subtilis et Parisiensis ecclesiae canonicus recenter factus, Hugo de Campo Florido, cancellarius regis, asserentibus eis et quasi sub sacramento pollicentibus, se aliqua ex his de proprio eius ore audisse, non sine multorum qui aderant admiratione, viros magnos et in ratione disserendi exercitatos pro argumento iuramentum afferre.

52. Ibidem dum hinc inde multa sibi obicerentur, pluriumque impulsationibus[n] ad responsionem de re tam ineffabili cogeretur, intra caetera dixisse traditur: *Audacter confiteor Patrem alio esse patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc et hoc.* Cuius dicti obscuritatem tanquam verborum prophanam novitatem tam impatienter magister Iohelinus Suessionensium episcopus excepit, ut iuxta proverbium medium vitando incurreret ripam. Nondum enim auctoritatem illam Augustini legerat vel fortassis lectam[o] intellexerat, qua de eodem altissimo loqui gestiens secreto inter caetera dicit: *Sic aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud patrem esse, vel dominum esse. Quod enim est, ad se dicitur, pater autem ad filium, et dominus ad servientem creaturam.* Ait ergo praedictus episcopus: *Quid est quod dicis, esse Deum nihil est?* Erat quippe quorundam in logica sententia, cum quis

a) cap. pos. suff. 6. b) pretaxato 6. c) Arnoldus et Kalonus *add.* 6. d) Giselbertum 1; Gileb. 3. e) Anselmus 4. 6. f) Radolfus 1. 3. 6; Radulfus 4. g) *ita* 1. 2. 3; haud *edd.* h) *recepi ex* 1. 2. 3. 6. i) *ita* 3. 4. 6; Autisiodorim 1; Antissiodorius 2. k) examinandi causa *add.* 6. l) *deest* 3. m) *ita* 1. 4. 6, *qui etiam addit:* Pictaviensis episcopus. n) inpulsionibus 1; impulsionibus 2. o) non *add.* 6.

68) Cfr. Vita S. Norberti SS. XII, 678: *Florebant tunc Lauduni studium magistrorum Anselmi et Rodolfi fratris eius,* et quae ad hunc locum notavimus. Anselmus iam anno 1117 obierat, teste Roberto de Monte ad h. a. Consulendus praeter hos scriptores etiam Helmoldus I. c. 50.

diceret, Socratem esse, nihil diceret. Quos praefatus episcopus sectans, talem dicti usum[a] haud praemeditate ad theologiam verterat. Quo verbo omnium[b] pene auditorum ab illo in se retorsit spicula. Post hoc[c] sedato clamore, cum a circumstantibus rogaretur episcopus Gisilbertus[d], ut quare in theologia personas in tantum distingueret, aperire vellet, breviter respondit: *Quia omnis persona est[e] per se una.* Et ita non sine magno multorum qui aderant stupore conventus ea die solvitur.

Alia rursus die in causam ductus pulsatusque de novitate dictionis, eo quod in prosa de sancta Trinitate tres personas tria singularia vocaverit, N. Rothomagensis[f] archiepiscopus causam aggravavit[g], dicens, Deum potius debere dici unum singulare, quam tria singularia, non tamen sine multorum scandalo, cum Hilarius in libro de synodis dicat: *Sicut duos Deos dicere profanum est, ita singularem et solitarium dicere sacrilegium est;* et idem[h] in eodem: *Nihil solitarium ex divinis sacramentis ad suspicionem audientium et ad occasionem blasphemantium proferamus.*

53. Episcopus vero Pictaviensis[i] in praefatis dictis suis simplicem se habuisse[k] sensum testabatur, affirmans per singularia non theologicas personas sed ipsarum excellentiam[l] intellexisse, secundum quod antonomasice Paulum solemus vocare apostolum, vel gloriosam Dei genitricem Virginem singularem, eo quod nec est, nec fuit, nec erit talis virgo, quae videlicet simul sit mater et virgo. Ea rationis proportione trium personarum excellentiam se considerasse, cum tria singularia diceret, asserebat, cum nec sit, nec fuerit, nec futurus sit talis Pater, qui scilicet sit pater et Deus, atque in eundem modum talis Filius, talis Spiritus sanctus. Quia vero personam in theologia tanquam rem per se unam praenominatum virum intellexisse diximus, in ipsius sensum paulisper introire libet, quatenus eiusdem iudicium dictionis facilius posteris pateat. Ad cuius intelligentiam haec divisio praemittenda videtur. In naturis proprietas substantialis alia universalis, alia est singularis, vel individualis, vel particularis; individualis alia personalis, alia non. Personam autem a personalitate quasi denominative sumptam voco, non quam[m] Graeci ab anteponendo prosopon, Latini a personando dicunt, sed eam quam Boetius in libro de persona et natura, contra Euticen et Nestorium disputans, a Graecis ypostasin, non etymologiam[n] vocis[o], sed rei rationem secutus, personam vocavit, secundum hoc et sic eam diffiniens: *Persona est rationalis naturae individua substantia.* Universalem vero dico non ex eo, quod una in pluribus sit, quod est impossibile, sed ex hoc, quod plura in similitudine[p] uniendo[q], ab assimilandi unione universalis, quasi in unum versalis dicatur. Qualis est a plurium similitudine maior corporeitas, minor animalitas, minima vel ultima humanitas significata. Unde Boetius: *Species est forma individuorum et ultima similitudo; post hanc enim non similitudo, sed dissimilitudo potius occurrit.* Ex quo patet alterum membrum, quare videlicet singularem, individualem vel particularem dixerim proprietatem, eam nimirum, quae suum subiectum non assimilat aliis, ut humanitas, sed ab aliis dividit, discernit, partitur, ut ea quam ficto nomine solemus dicere Platonitas, a dividendo[r] individua, a partiendo particularis, a dissimilando singularis dicta. Nec opponas, quod potius a dividendo dividuam, quam individuam dici oporteat. Nam cum suum subiectum non solum ab aliis dividat vel dissimilet, sed etiam in sua individualitate et dissimilitudine tam firmiter manere faciat, ut nec sit, nec fuerit, nec futurum sit aliud subiectum, quod secundum eiusmodi proprietatem illi assimilari queat, melius individuum privando[s] quam dividuum ponendo vocatur, eiusque oppositum quod[t] dividendo pluribus communicat, et communicando dividit, rectius dividuum dici debet. Sed notandum, quod individuum et singulare non sunt ad se convertentia; nam omne individuum singulare, sed non omne singulare individuum; haec enim albedo singulare est, sed non individuum. Denique in naturis nullum simplex individuum esse potest. Item non omne individuum personale est[u], sed omne personale individuum, secundum praemissam subdivisionem, qua dictum est individuum aliud personale, aliud non, quod ex anteposita personae diffinitione facilius patebit. Cum enim omne esse ex forma sit[v], quodlibet[w] subsistens rem et nomen a sua capit forma, item cum omnis diffinitio alterius sit, et alteri conveniat, non sine rationis via altero pro altero uti licet. Persona igitur[x] a suo esse,

a) ausum 1. 3. b) pene omnium 6. c) haec 6. d) *ita* 1. 2. 4. 6; Gileb. 4. e) res est 1. 4. 6. f) Rotom. 1. 6. g) adgravit 4. h) item 2. i) Pictauinus 1. 6; Pictauînus 3. k) *ita* 1. 3. 4. 6; se h. simpl. *edd.* l) exc. ips. 1. 3. m) nunquam 1. 2. 3. n) ethim. 1. 4. o) *deest* 1. 2. 3. p) similitudinem 1. q) *recepi ex* 6; vivendo *caett.* r) ad uidendo 3. s) predicando 1. 2. 3. t) quod se 1. 2. 3. 6. u) *add.* 1. 3. v) est 2. w) quilibet 3. 6. x) *ita* 1. 3. 4. 6; ergo *edd.*

quod ficto nomine personalitas dici potest, vocabulum trahit, sed in diffinitione individua substantia tantum persona non dicitur, nisi cum adiunctione rationalis naturae. Cuius rei causa videndum est apud Graecos, qui dicendi inopes non sunt, aliud usyan, aliud usyon, aliud ypostasin vocari. At nos usian essentiam, usyosin[a] subsistentiam dicere possumus, ypostasin[b] ex Latini eloquii penuria uno non valentes verbo exprimere. Nam cum tam apud nos quam apud illos substantia vel ypostasis a substando notetur, in hoc est differentia, quod nostra substantia ad cuncta quae substant, est vaga, eorum vero ypostasis ad ea tantum, quae in rationali substant natura, est accommoda. Quare Latinus interpres, cum verbum ex verbo non posset exprimere, maluit sensum ex sensu retinendo personam potius quam substantiam transferre. Unde et[c] personae praedicta adhibetur diffinitio: persona est rationalis naturae individua substantia. Patet igitur quod non omne[d] individuum est persona, quia non omnis individua substantia est rationalis natura, sicut esse huius Berilli singularis, vel, ut consortio rationis utar, ipse Berillus vel est individuum vel individua substantia, non tamen rationalis natura, quamvis etiam si rationalis naturae esset, tamen nondum plenarie Berillus individua substantia dici posset. Neque enim individuam substantiam dicere solemus eam rem singularem, quae cum alia itidem re singulari ad aliquod totum constituendum convenire valens, non est per se una. Nam per se unum est, quod nec actu nec natura potest, potuit, poterit cum alio ad constituendum aliquod totum concurrere. Ex quo fit, ut haec anima quae substantia est et rationalis naturae, tamen quia hoc modo non est per se una vel individua, eo quod cum hoc corpore ad constituendum hunc hominem conveniat, non videatur dici persona[e], cum, secundum quod ostensum est, ab ea removeatur diffinitio haec, persona est rationalis naturae individua substantia[f]. Quare et diffinitum, iuxta logicorum regulam[g], a quocunque diffinitio et diffinitum. Hic leo etiam, quanquam praefato modo res sit[h] per se una et individua, tamen quia rationalis natura non est, secundum strictam personae acceptionem, persona dici nequit. Restat ut hic angelus et hic homo tantum plenarie in naturalibus personae[i] vocentur. Praedictus ergo episcopus duas in naturalibus regulas[k] ponens, quae tales sunt: *Diversorum subsistentium diversas esse subsistentias. Diversarum personarum diversas esse personales proprietates*, unam a theologia exclusit, alteram admisit. Priorem enim, qua totidem dicuntur subsistentiae quot subsistentes, cum ab orthodoxis[l] inter Arrium et Sabellium dividentibus, tres personae et una credatur essentia, penitus amovit, alteram admittens, cum nulla personalis proprietas in sancta Trinitate Patris sit quae Filii, vel e converso. Ex quo personam a praemisso naturalium usu, non ab eo quod prosopon vocatur[m], ad theologiam transsumptam asserebat, illud Hilarii frequenter inducens: *Absit ut idem nunc se patrem, nunc se filium larvali similitudine mentiatur*, inde eas personas etiam per se unas dicebat. Quod autem alio patrem dixit, alio Deum esse, nec tamen esse[n] hoc et hoc, hunc sensum habet[o]: Deus in substantia praedicatur, pater ad[p] aliquid, quae diversa praedicamenta esse etiam[q] in theologia, ex libro Boetii, quem de sancta Trinitate scripsit, probatur, nec propter hoc recte concludi, si est alio pater, alio Deus, ergo est hoc et hoc, cum hoc non recte concludatur, nisi prius concesso, quod utraque de Deo praedicentur in substantiam, ut cum dicimus: *Deus*[r] *est bonus, sapiens, omnipotens.* Haec enim cum praedicentur in substantiam, si diversa essent, procul dubio Deus esset hoc et hoc. Cum vero idem sit[s], Deum esse sapientem, quod bonum, ut bene contra usum naturalium liceat dicere: *Est sapientia bonus, bonitate sapiens*, ac si ita in naturalibus procederem: *Haec margarita est albedine candida, candore alba*, non est hoc et hoc, sed est hoc. Quid senserit posui, quid sentiendum sit, iudicent alii. Sed haec hactenus[t]; nunc ad historiae[u] seriem revertamur[v].

54. Cum[w] ita per aliquot[x] dies iam saepe dictus episcopus coram summo pontifice de fide sua in civitate Parisius discuteretur, sentiens papa, utpote vir cautus et religiosus, causae difficultatem, protelandam eam usque ad universale concilium adiudicavit. Erat enim in proxima medianae quadragesimae dominica apud illius Galliae metropolim Remis generale indictum[y] concilium, tam ex eo, quod praetaxatus papa persecutionem populi sui

a) *ita* 6; usyo syn 1; usyosyn 2. 3. b) ypostasyn 1. 2. c) *deest* 6. d) *deest* 1. 2. 3. e) persone 3. f) substantie 3. g) *deest* 1. 2. 3. h) *deest* 1. 3. i) in persona 1. 3; in nat. persona 6. k) *deest* 1. 2. 3. l) ortod. 4. m) devocatur 6. n) *add.* 1. 2. 3. 6. o) *ita* 1. 2. 3; habuit *edd.* p) subs. pater pater ad 1. 3. 6. q) et 6. r) dominus 2. s) sit idem 6. t) actenus 4 *semper;* De his hactenus 6. u) hystorię 1. v) *ita* 1. 2. 3; redeamus *edd.* w) *ita* 1. 3. 6. x) aliquod 1 *semper.* y) *deest* 6.

declinando in Galliis morabatur, quam ob hoc, quod quidam pene[a] laicus, haeretici honorem[b] in vaccis populorum affectans, examini ecclesiae reservandus in vinculis tenebatur. Iste in angulis Galliae, id est[c] circa Britanniam[d] et Guasconiam, eo quod remotis ibi a corde Franciae populis simplicitas vel potius, ut ita dixerim, stulticitas, cui facile error obrepere solet, abundat[e], verbum praedicationis assumpserat, Eumque tanquam Dei filium se nominans, multam post se rudis populi traxit multitudinem, dicens, quod ipse esset per quem omnis oratio concluditur, cum dicimus: *Per eum* etc.

1148. Mart. 17. 55. Igitur volvente tempore, cum eadem mediana quadragesima adveniret, dumque nos[f] a Turcis dispersi Ierusalem tendentes per altum navigaremus aequor[g], in basilica beatae Dei genitricis semperque virginis Mariae Remis, praesidente summo pontifice Eugenio, sedit concilium, productus fuit ibi, ut fingere liceat, cum scriptulis suis praedictus Eum[h], vir rusticanus et illitteratus, nec haeretici nomine dignus, ac pro contumaci fatuitate vel fatua contumacia sua puniendus, Sigerio abbati Sancti Dionysii, qui regni[i] negocia ob absentiam regis in occidentali Francia iuxta illius coenobii praerogativam administrabat, commissus, ab eoque arctae[k] custodiae mancipatus, vitam in brevi finivit. Venerunt ad praedictum concilium cum bulla aurea nuncii iunioris Romanorum regis Heinrici, tam de sublimatione sua ad imperium Romano pontifici significantes, quam de tribus fratribus Polimiae, qui eiecto quarto et seniore, ducatum intra se diviserant, ac de episcopis illius provinciae, qui super hoc patri ipsorum iuramentum praestiterant, querimoniam facientes. Famae quoque malum, omnibus motabilibus velocius, iuxta illud:

Virg. Aen. IV, 174 sq.

Fama malum, quo[l] *non aliud*[m] *velocius ullum,*
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo[n],

immensitatem soli[o] ex naturae suae celeritate transvolans, de expeditionis nostrae eventu certa promens indicia, in auribus oreve omnium ibi versabatur.

56. Itaque finita synodo salutiferisque ad innovationem seu confirmationem antiquorum ibidem promulgatis decretorum capitulis, prudentiores et viciniores ad causam episcopi Gisilberti terminandam reservantur. Decursa medianae quadragesimae hebdomada sacroque dominicae passionis tempore inchoante, episcopus Pictavinus, manente adhuc summo pontifice Remis, rursus ad iudicium trahitur[p]; in cubiculo ubi urbis episcopus cum senioribus sedit, vocatur, et ab eo quid de fide sanctae Trinitatis sentiat, subtiliter interrogatur. Ille orthodoxorum patrum, quas non in scedulis decisas[q] sed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens auctoritates, eandem se quam illi fidem tenere asserebat. Cumque huiuscemodi sermone[r] seu legendi prolixitate dies detineretur, tanquam taedio affectus Romanus inquit antistes: *Multa, frater, dicis, multa, et ea fortassis quae a nobis non intelliguntur, legi facis. Sed simpliciter a te cognoscere velim, anne illam summam essentiam, qua tres personas profiteris unum Deum*[s]*, credas esse Deum?* Qui diutina collatione fatigatus minus praemeditate respondit: *Non.* Quod dictum mox ab eius ore raptum notarius excepit, scribens in hunc modum: *Episcopus Pictaviensis scripsit et dixit, quod divina essentia non est Deus.* In commentario enim super Boetium de Trinitate, ubi auctor theologica a naturalibus praedicamenta discernens, inter caetera posuit: *Substantia qua Deus est,* iste apposuit: *non quae*[t] *Deus est,* id est, ut non ad subsistentem, sed ad subsistentiam referatur. Sicque in haec verba conventus ea die dimittitur. Episcopus totum quod superfuit illius diei spacium cum nocte sequente amicos suos ex cardinalibus, quos habuit non paucos, circuit.

In crastino[u] ipso denuo coram summo pontifice in causa posito recitatur scriptum, cuius ut ab eo reddatur ratio exposcitur. Ipse se hoc non simpliciter concessisse asserebat. Dicebat enim hoc nomen Deus quandoque in designatione naturae, quandoque in designatione personae unius etiam poni. In designatione naturae, ut cum dicitur: *Deus*[v] *tuus unus est,* personae, ut cum dicitur[v]: *Pater est Deus, Filius est Deus,* personae[w] et unius tantum de tribus, ut ibi: *Ascendit Deus in iubilatione,* quod de persona Filii dictum esse nemo ambigit. Quare et aiebat se, divinitatem esse Deum, in illo tantum sensu concedere, quo Deus

a) *deest* 1. 2. 3. b) honore 3. c) id est *desunt* 1. 3. d) Brittanniam 4 *semper.* e) habundat 4. f) *deest edd., quae post* Turcis *addunt* populi. g) dumque — aequor *desunt* 6. h) *deest* 6. i) reni 1. 3. k) arte 1. 2. 4. 6. l) que 4. m) *deest* 1. 2. 3. 4. n) v. a. e. *desunt* 1. 2. 3. 4. o) sali 1. 2. 3. 4. p) trahitur Remis 6. q) *add.* 1. 2. 3. 6. r) sermonem 1. 3. s) *deest* 2. 3. 6. t) qua 6. u) crastinum 1. 3. 6. v) Deus — dicitur *desunt* 1. 2. 3. 6. w) *add.* 1. 2. 3. 6: deus tamen unus est personae.

ponitur pro natura. In eo vero absolute concedere non audere, quo pro qualibet[a] personarum hoc nomen Deus accommodatur[b], ne videlicet si indeterminate profiteretur divinitatem esse Deum, id est quamlibet personarum, cogeretur sine[c] determinatione concedere quicquid de qualibet personarum et de essentia, sicque in hanc incideret absurditatem, ut sicut personam[d] filii ita divinam essentiam indeterminate incarnatam passam confiteretur. Ex qua absurditate facile sensus haereticus iuxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur et generans et genita, et eadem se ipsam genuisse. Quod autem inter naturam et personam non mathematica abstractione sed theologica consideratione quoquo modo divideret ratio, et ratione et auctoritate probare nitebatur. Ratione, ne videlicet iuxta Arrium sicut personarum ita et pluralitatem admitteret essentiarum, vel secundum Sabellium ad essentiae singularitatem christianae fidei religio pluralitatem restringeret personarum, hac Theodereti[e] contra Sabellium utens auctoritate: *Oportet igitur desiderantem spirituales divitias et volentem christianorum dogmata vendicare, rerum non ignorare proprietatem, ne forte aliud pro aliis intelligens, circa dogmata peccet. Qui enim naturam et personam idem esse intelligit, aut in divisionem Arrii incidit, aut in confusionem Sabellii.* Et illa Hilarii: *Discerne igitur, o haeretice, spiritum Christi ab spiritu Dei, et excitati a mortuis spiritum Christi a spiritu Dei Christum a mortuis excitantis. Et quaero[f] nunc, in spiritu Dei utrum naturam, an[g] rem naturae significatam existimes. Non idem est enim natura, quod naturae res est, sicuti non idem est homo, et quod hominis est, nec idem est[h] ignis, et quod est ignis ipsius[i], et secundum hoc non idem est Deus, et quod Dei est.* Item quod non natura, sed Filii persona carnem suscepisse credenda sit, hac auctoritate Toletani concilii ostendit: *Solum[k] verbum caro factum est et habitavit[l] in nobis. Et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen accepit hominem in singularitate personae, non unitate divinae naturae[m], id est id quod est proprium filii, non quod commune Trinitati.* Quam auctoritatem cum determinare vellet Clarevallensis abbas, aliqua verba quae cardinalibus displicerent, protulit, episcopo Pictavino dicente: *Et hoc scribatur.* Ad quod ille respondit: *Scribatur stylo ferreo, ungue adamantino.* Moxque ad publicum progressus, omnes quos poterat convocavit. Ibi cum archiepiscopis, episcopis[n] virisque religiosis et eruditis contra quatuor praedicta[o], quae Pictavino[p] episcopo imponebantur capitula[q], fidem suam in hunc modum ipse cum aliis et alii cum ipso exposuerunt: *Credimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas. Si vero dicitur, sapientia sapientem, magnitudine magnum, aeternitate aeternum, unitate unum, divinitate Deum esse, et alia huiusmodi, credamus non nisi ea sapientia quae[r] est ipse Deus sapientem esse[s], non nisi magnitudine quae[r] est ipse Deus magnum esse, non nisi ea aeternitate quae est ipse Deus[t] aeternum esse, non nisi ea unitate qua[u] ipse est unum esse, non nisi ea divinitate Deum quae est ipse, id est se ipso, sapientem, magnum, aeternum, unum Deum. Cum de tribus personis, Patre, Filio, Spiritu sancto loquimur, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam fatemur esse, et e converso, cum de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas profitemur. Credimus solum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur[v], et huiusmodi alia adesse Deo[w], quae sint ab aeterno, et non sint Deus. Credimus ipsam divinitatem, sive substantiam divinam, sive naturam divinam dicas, incarnatam, sed in Filio esse.*

57. Quod Gallicanae ecclesiae factum tam graviter[x] sacer cardinalium senatus accepit, ut cum magna mentis indignatione curiam intraret[y] ac tanquam unum corpus effecti, una omnes voce pontifici suo dicerent: *Scire debes, quod a nobis, per quos tanquam per cardines[z] universalis ecclesiae volvitur axis, ad regnum[*] totius ecclesiae promotus, a privato universalis pater effectus, iam deinceps te non tuum, sed nostrum potius esse[a] oportere, nec privatas et modernas amicitias antiquis et[a] communibus praeponere[b], sed omnium utilitati[c] con-*

a) quolibet 4. b) acomodatur 4. c) cogeret et sine 1. 2. 3. d) persona 1. 2. 6. e) Theodorici 1; Theodoriti 2. 6. f) quaere 6. g) *ita* 1. 4. 6; aut *edd.* h) *addunt* 1. 2. 3. 6. i) ig. est ips. 1. 2. 3. 6. k) solus 6. l) habitabit 1. 2. 3. m) *deest* 1. 2. 3. n) *add.* 1. 2. 3. o) quatuor capitula 6. p) Pictaviensi 1. 3. q) *deest* 6. r) qua 6. s) sap. esse *desunt* 1. t) non nisi — Deus *addit secunda manus in margine* 1. u) quae 1. 2. 4. v) dicuntur 6. w) *ita* 1. 2. 3. 6; alia a Deo esse *edd.* x) graviter factum 6. y) intrarent 6. z) cardinas *corr.* 1 cardines; cardinales 4. *) *ita* 1. 2. 3. a) *deest* 6. b) imponere 2. c) utilitate 6.

sulere Romanaeque curiae culmen ex officii tui necessitudine curare et observare debere. Sed quid fecit abbas tuus et cum eo[a] *Gallicana ecclesia? qua fronte, quo ausu*[b] *cervicem contra Romanae sedis primatum et apicem erexit? Haec est enim sola quae claudit, et nemo aperit, aperit, et nemo claudit. Ipsa sola de fide catholica discutere habens, a nullo, etiam absens, in hoc singulari honore praeiudicium pati potest. Sed ecce Galli isti, etiam*[c] *faciem nostram contempnentes, super capitulis quae his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquam finiturae*[d] *sententiae ultimam manum*[e] *apponendo nobis inconsultis fidem suam scribere praesumpserunt. Certe si in Oriente, utpote Alexandria vel Antiochia, coram omnibus patriarchis huiusmodi tractaretur negocium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra diffiniri valeret*[f] *auctoritate, quin imo iuxta antiquorum patrum instituta vel exempla Romano servaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra praesentia usurpare audent, quod etiam remotioribus et maioribus nobis absentibus*[g] *non licet? Volumus ergo ut huic*[h] *tam temerariae novitati celeriter assurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas.* Quos Romanus pontifex blando mitigans eloquio, abbate ad se vocato, de hoc facto qualitateve facti soleter inquirit. Cui ille humiliter et cum reverentia respondit: se vel dominos episcopos nihil de praefatis capitulis diffinisse, sed quia ab episcopo[i] Pictavino audierat, ut fides sua scriberetur, idcirco[k] quia solus nollet, illorum auctoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret exposuisse. Hocque tam humili quam modesto ipsius responso praedicta cardinalium indignatio conquievit, ita tamen, ut praefatum scriptum tanquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro symbolo[l] in ecclesia, quod in conciliis contra haereses congregatis fieri solet, non haberetur[m]. Benedictus per omnia Deus, qui sic ecclesiae suae, sponsae suae praevidit[n], ne vel summa membra a capite suo dissiderent, vel tantus religiosarum et discretarum personarum numerus Gallicanae ecclesiae aliquod iudicii pondus a sede Romana reportans[o], scismatis non parvi occasio esset.

Haec pauca[p] ex multis de illius[q] concilii agenda dixisse sufficiat, hoc tamen apposito, quod de tribus capitulis propter praemissam tumultuationem nihil[r] diffiniri potuit. Nec mirum. In quarto enim non multum ab aliis discordabat[s] episcopus Gisilbertus, cum illi profiterentur naturam incarnatam, sed in Filio, iste personam Filii incarnatam[t], non sine sua natura. De praedicatione personarum quid diffinirent, cum eius usum quidem, quid scilicet[u] proprie praedicari diceret, ab aliis magistris etiam in naturalibus alienum non haberent. De proprietatibus, an personae essent, tam ob praedictam causam quam ob theologicas rationes, quae hinc inde habentur, suppressum est. De primo tantum Romanus pontifex diffinivit, ne aliqua ratio in theologia inter naturam et personam divideret, neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi. Unde adhuc a probatioribus eiusdem episcopi auditoribus tenetur, ne ratio ibi discernat in intelligendo sed in dicendo. Episcopus vero praemissam summi pontificis sententiam reverenter excipiens, archidiaconibus suis in gratiam receptis, cum ordinis integritate et honoris plenitudine ad propriam diocesim[v] remeavit.

Utrum autem praedictus abbas Claravallensis in hoc negocio ex humanae infirmitatis fragilitate tanquam homo deceptus fuerit, vel episcopus tanquam vir litteratissimus[w] propositum astute celando ecclesiae iudicium evaserit, discutere vel iudicare nostrum non est. Quod enim sancti et sapientes viri, corruptibili carne circundati, frequenter in talibus fallantur, et novis et antiquis probatur testimoniis. Nam ut de illo taceam, quod beatus Gregorius sancto David, in quem spiritus Domini directus asseritur, ad patriam, a qua a[x] filio propulsus fuerat, revertenti, a servo Mifiboset cum xeniis occurrenti surreptum inducit, exemplo, christianis temporibus beatus Epiphanius, Salaminae Cypri episcopus tam eximiae, ut mortuum quoque suscitaret, sanctitatis, adversus[y] Iohannem Crisostomum, cuius hodie in ecclesia viget memoria, tam acriter ab aemulis eius[z] induci potuit, ut eum in propria civitate declinans nec communicare volens[*], et populum sibi commissum, quantum in ipso fuit, contra illum concitaret. Quod in priori nostra ex Tripartita sumptum historia[a] plenius dictum est. Hactenus ista[b].

a) ea 1. 2. 3. b) usu 1. 2. 3. c) et 1. 3. d) finitē 1; finite 2. 6; finitere 3. e) *deest* 3. f) valent 1. 2. 3. g) *addunt* 1. 2. 3. 6. h) *ita* 1. 2. 3; igitur ut h. 6; igitur huic *edd.* i) ipso 1. 2. 3. k) iccirco 4. l) simbulo 4. m) habetur 1. 2. 3. n) *ita* 1. 2. 3. 4. 6; providit *edd.* o) reportarent 1. 2. 3. 4. p) parva 1. 2. 3. q) illis 3. r) nil 6. s) discordat 2. t) fil. inc. *desunt* 3. u) s. 1; sit 3. v) ad praedictam Pictaviensem civitatem quae est in Aquitania Galliae 6. w) liliteralissimus 6. x) *deest* 1. 2. 3. y) adversum 6. z) *add.* 1. 2. 3. 6. *) *ita* 1. 2. 3. 6. a) hystoria 1. b) hactenus ista *desunt* 1. 3.

58. Cum[a] haec et huiusmodi aguntur in Gallia, exercitus noster, ut supra dictum est, navigandi labore dispersus, pelagus operiebat, quolibet, prout poterat et quando, diversa per loca litus attingere conante. Nam Ludewicus[b] Francorum rex iuxta Antiochiam, patrui comparis suae principis terram, circa mediam quadragesimam applicuit, in eo loco qui portus Sancti Simeonis[c] vocatur, aliis ex nostris apud Ptolemaidam[d], quae et Achon, aliis apud Tyrum, aliis inter Tyrum et[e] Sydonem, in Sarepta oppido Sydoniorum, non sine naufragii metu optatum portum capientibus, nonnullis ipsum naufragium passis, quibusdam aquis[f] absorptis, caeteris seminudis evadentibus. Illi ergo qui tam mature applicuerant, circa Palmas civitatem sanctam[g] intravere, dominicam passionem sanctamque resurrectionem, singula loca ubi haec facta sunt circumeundo[h] ac, ut dicitur, oculo ad oculum videndo cum multa[i] cordis devotione celebrantes.

At Conradus Romanorum princeps, habens adhuc in comitatu suo ex principibus Ortlibum[k] Basiliensem[l] episcopum, Arnaldum cancellarium suum, Fridericum ducem Suevorum[m], Heinricum ducem Baioariorum, Gwelfonem[n] ducem aliosque comites virosque illustres et nobiles, in ipsa paschali hebdomada Ptolemaidae[o] applicans ac post paucos 1148.
dies Hierosolimam[69] veniens, in magna cleri et populi iocunditate cum ingenti honore 69
suscipitur. Mortuus tunc fuit in comitatu regis vir clarissimus Fridericus Ratisponensis ecclesiae advocatus, ac ad urbem sanctam deportatus et in cimiterio militum Templi[p] non longe ab antiquo templo Domini sepultus. Rex per aliquot ibi dies in palatio Templariorum[q], ubi olim regia domus, quae[r] templum Salomonis[s], constructa fuit, manens, et sancta ubique loca peragrans, per Samariam et Galilaeam Ptolemaidam[t] rediit, omnes adventantes quos poterat milites pecunia ad remanendum inducens. Convenerat enim cum rege illius terrae et patriarcha militibusque Templi, circa proximum Iulium in Syriam ad expugnationem Damasci exercitum ducere. Qua de re multa large dispersa pecunia, militem quem tunc poterat collegit. Rex etiam Franciae Ludewicus idem pro posse suo sectans, de Antiochia reuersus, apud Tyrum manebat. Ambo itaque inter Tyrum et Ptolemaidam[t] in loco qui Palma[u] nomen a re sortitus appellatur, mense Iunio circa natale[v] sancti Iohannis baptistae Iun. 24.
conveniunt de die, loco, ubi et quando exercitus instauraretur, ordinantes. Nondum[w] tamen ex tot et tantis attritionibus fastus inter eos regalis decoctus conquieverat. Unde quem et proventum et eventum haec quoque Damascena sortita fuerit expeditio, alias et fortassis ab aliis dicenda erunt.

59. Expleta vero et[x] hac expeditione, principes ad propria redire disponunt, Romanus quidem per Graeciam, alter vero per Calabriam et Apuliam. Itaque Conradus Romanorum princeps naves apud Ptolemaidam ingressus[70] ac per aequor navigans, fratrem et amicum suum Manuel, regiae urbis principem, in Achaiae seu Thessaliae finibus[71] inveniens adiit, cum eoque tanquam ex longa via fatigatus laboribusque[y] fractus et non modica infirmitate correptus, per aliquot temporis spacium quievit. Ibi de reditu ordinans, Fridericum ducem fratris sui filium ad cognoscendum vel potius ad corroborandum imperii statum praemisit. Qui per Bulgariam Pannoniamque iter faciens, mense Aprili 1149.
ad propria rediit, illoque[z] quosdam ex propriis ministerialibus suis pro bono pacis, boni[*] iudicis exercens officium, suspendio peremit. Porro patruus suus[*] rex, transactis aliquot quibus in Graecia quieverat diebus[72], habens[a] secum praedictum Basiliensem episcopum et cancellarium Arnaldum[b] fratremque suum Noricorum ducem Heinricum, nam Gwelfo dux per Calabriam[c] et Apuliam reversus fuerat, per Illyricum[d] Dalmaticumque remigans aequor, in propriis imperii sui finibus apud Polam[e] Histriae[f] civitatem applicuit, ibique sonipede[g] insidens ac per Aquilegiam transiens, in Iuvavia, quae nunc Saltzburga[h] dicta Baioariae metropolitana sedes esse noscitur, pentecosten celebravit, expletis ab eo, quo Mai. 22.


a) *ita* 1. 2. 3; Dum 4 *et edd.* b) Lodewicus 1. 4. c) Symeonis 1. 3. d) Tholomaidam 1. 2; Tholomaydam 3. e) *ita* 1. 2. 3. f) quoque 1. 3; *deest* 2. g) suam 1. 3. h) circumveniendo 1. 3; circucundo 4. i) multo 1. 2. 3. k) Ordelebum 1; Ordeliebum 2. 3; Ordelebum 4, *corr.* Ortlibum. l) Basiensem 1. 2. 3. m) Swevorum 1. n) Gwefonem 3. o) Ptholomaida 1; Ptholomeide 2; Pthomaide 3. p) *deest* 1. 2. 3. q) Templanorum 1. 2. 3. r) *ita* 1 4; qua et *editt.* s) Salemonis 3. 4. t) Ptolomaidam 1; Ptholomidam 4. u) spalma 1. 2. 3. v) *ita* 1. 2. 3; nativitatem 4 *et edd.* w) enim *add.* 1. 3. x) *add.* 1. 2. 3. y) laboribus 1. 3. z) *ita* 1. 2. 3; et illic *edd.* *) *deest* 3. a) ducens 1. 3. b) Arnoldum 3. c) Galabriam 3. d) Ilbricum 1. 4. e) Polan 1. 2. 3. f) Hystriae 1. 3. g sonipedes 1. 3. h) *ita* 1. 3; Saltzeburga *edd.*

69) mense Aprili 1148. 70) die 8. Septembris 1148. Cfr. Jaffé p. 143. n. 74. 71) Thesalonicae; ib. l. c. n. 76. 72 Constantinopoli moratus est a die 25. Decembris 1148. usque ad diem 2. Februarii 1149.

idem festum in Pannoniae finibus egerat, duobus annis. Inde Ratisponae cum magna principum frequentia curiam celebravit.

60. Porro quia[a] nonnulli ex pusillis ecclesiae fratribus scandalizati mirantur, mirando scandalizantur de praetaxatae nostrae expeditionis[b] labore, quod tam arduo et bono inchoata principio, tam humilem et non bonum exitum acceperit, ipsis hoc modo respondendum videtur. Nichil vere[c] dici bonum potest[d], illo solo excepto, qui non aliunde sed ex se habens quod est, (Luc. 18, 19.) et verissime esse et verissime bonus esse dicitur, iuxta illud: *Nemo bonus nisi solus Deus.* Caetera vero ab eo non ex ipsius essentiae[e] sectione sed ex eiusdem bonitatis denominatione bona dicuntur. Quicquid autem in naturalibus bonum vocatur, aut id fit simpliciter, aut secundum quid. Sed si simpliciter fit, tunc datum naturae dicitur, sicut concessum gratiae (Iac. 1, 17.) donum, iuxta illud: *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est.* Ipsum vero datum naturae, quod simpliciter bonum diximus, velut in civili facultate generalissimum, per donum gratiae, tanquam per differentiam, ad constituendam quodammodo speciem informatur, secundum quod aliqua dicimus iusta, sobria. Cum ergo aliqua simpliciter in nativis bona dicuntur, procul dubio bonum naturae intelligitur. Unde dictum est: (Gen. 1, 31.) *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona;* quomodo lapis et lignum erit bonum. Cum autem ad eius proximam speciem descendimus, universalitate generis per specificam differentiam, quam donum gratiae diximus, ad rationalem restricta[f] naturam, illam tantum solemus dicere iustam vel sobriam, nunquam vero lapidem, sicut bonum, sic vocamus sobrium vel iustum. Denique ut verbis Boetii in libro Regularum utar, qui bonum generale iustum speciale ponens adnectit: *Nec species descendit in omnia,* id est ut de omnibus quae supponuntur gratia[g] generi praedicetur, ita ex opposito dicere licet, quod genus ad ea tantum ad quae species praedicatione sua non contrahatur; iuxta logicorum enim regulam methodus a genere[h] ad destruendum[i], a specie valet ad astruendum[k]. Sicut ergo, cum simpliciter* aliquid bonum dico, naturae datum quod velut univoce de suis speciebus praedicatur intelligo, sic cum secundum quid aliquid bonum esse[l] assero, utilitatem potius quam naturae fontem intueor. Quo usu eius acceptio ad infinita aequivocatur. Hinc dicimus equum bonum ex usu vectigandi, vestem bonam ex utilitate induendi, alimentum bonum ex emolumento nutriendi. Item eadem ratione quod alteri speciei bonum, alteri asseritur malum. Verbi gratia iusquiamum alit passerem, necat hominem. Eadem quoque res alia et alia[m] consideratione eiusdem speciei contentis, vel etiam eidem singulari erit bona et erit non bona. Unde et solemus dicere: *Bonum est isti calorem febrilem sentienti bibere aquam, bonum est illi propter infirmitatem stomachi, iuxta apostolum, modico vino uti.* Nec ex hoc sequitur, si secundum quid bonum[n], isti vel illi simpliciter esse bonum; sicut non sequitur, si Aethiops est[o] albus dente, ergo est albus, vel e converso, non est niger dente, ergo non est niger. Quod[p] etiam ex divinae paginae usu patet. Velut cum dicimus: *Non erat bonum Iudaeis vel Iudae Christum tradere, vel crucifigere,* etsi nobis esset bonum.

*) *Sequentia in 4 tabula addita in margine illustrantur hoc modo.*



a) *deest* 6. b) de ipsius exp. 6. c) vere ab eo 3. d) preter 1. 3. e) essentia 3. f) restrictam 6. g) *add.* 1. 3. h) agere 3. i) destruendam 1. 3. 6. k) *ita* 1—4. l) *add.* 1. 3. 6. m) et alia *add.* 1. 2. 3. n) est *add.* 6. o) est aethiops 6. p) Quid 1. 3.

Sicut vero in humana philosophia album[a] habere dentem non aufert Aethiopi esse nigrum, sic in divina pagina malum Iudaeorum non demit universitati passionem Christi non esse bonam.

Ex quo fit a simili propter eandem causam de praedicta nostra expeditione, quod, etsi[b] non fuit bona pro dilatatione[c] terminorum vel commoditate corporum, bona tamen fuit ad multarum salutem[d] animarum, sic tamen ut bonum non pro dato naturae, sed pro utili semper accipias, et ex eo usu haec emergat subdivisio, ut, sicut supra diximus, bonum quandoque simpliciter dici, quandoque secundum quid, et quando secundum quid dicitur, ad diversum usum utile[e] aequivocari, ita hoc modo[f] bonum, id est[g] utile, quandoque simpliciter[h], quandoque secundum[i] quid vocari. Quamvis si dicamus, sanctum illum abbatem spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria mandata non observantes merito rerum personarumve dispendium deportasse, non sit a rationibus vel antiquis exemplis dissonum, quanquam et spiritus prophetarum non semper subsit prophetis. Qualiter vero praedictus bonus vir ei libro, quem Eugenio papae de Consideratione scribens super hac re ad excusationem sui apologeticum interseruerit, curiosus rerum indagator invenire potest.

61. Quomodo autem Eugenius papa Romanorum principem de tam gravi tribulatione redeuntem paternis consolationum verbis exceperit, subter annotatum est:

1149 Iun. 24.

Eugenius[73] *episcopus, servus servorum Dei, karissimo in Christo filio Conrado*[k], *Dei gratia Romanorum regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Cum in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat, sicut nec prosperis elevari, ita nec frangi adversis, confidentes de divina miseratione, debemus, quia Dei et hominum mediator admiranda*[l] *dispensatione consuevit omnem filium*[m], *quem recipit, adversitatibus flagellare, ut, dum ipsum per amorem ad aeterna praemia vocat, praesens mundus eius animum perturbationes quas ingerit a se ipso repellat, tantoque facilius ab huius saeculi amore recedat, quanto magis impellitur, dum vocatur. Quod in Israelitico populo*[n] *Moyse vocante et Pharaone signatur. Moyses namque tunc ad vocandum missus est, cum Pharao duris eum operibus perurgebat, quatenus alter vocando pertraheret, alter impelleret saeviendo, ut plebs in servitio turpiter fixa vel provocata bonis vel impulsa molestiis moveretur. Hoc itaque rationis debito incitati, discretionem tuam commonemus et exhortamur in Domino, quatenus tribulationes, quas tibi et exercitui tuo omnipotens Deus irrogavit, patienter supportes, et in eo spem tuam constituas, qui quem vult permittit affligi, et confidentes in se misericorditer liberare consuevit. Si enim patientiam et humilitatem in adversis perfecte tenueris, per desertum huius vitae sub protectione columnae nubis et ignis, id est patientiae solatio*[o] *et karitatis ardore, intrepidus perduceris. Quia igitur personam tuam vera karitate diligimus, et de te valde confidimus, si post tuum reditum sine dilatione*[p] *de his quae ad honorem sanctae ecclesiae et regni spectare noscuntur tecum mutuis potuissemus tractare colloquiis, nobis utique gratum fuisset. Verum quia id nobis temporis qualitas denegavit et de tua salute sumus solliciti, quosdam de fratribus nostris, postquam te ad Longobardiae partes, auctore Domino, incolumem*[q] *pervenisse accepimus, sicut per venerabiles fratres nostros, Artwicum Bremensem archiepiscopum et Anshelmum*[r] *Havelbergensem*[s] *episcopum, tibi significavimus, ad tuam serenitatem duximus destinandos, ut affectum et benevolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent, et quod de te audire cupimus ipsorum relatione nosceremus. Quibus dedimus in mandatis, ut tibi, tanquam karissimo filio nostro et catholico principi atque speciali Romanae sanctae ecclesiae defensori, ipsius ecclesiae statum et nostrum exponerent. Qui siquidem in Tusciam usque progressi, ex quo te ad Teutonicas partes pertransisse noverunt, longitudinem viae et difficultatem itineris propter aestatis intemperiem metuentes, ad nostram praesentiam redierunt. Caeterum quia statum tuum et dilecti filii nostri Heinrici iunioris regis, quem post discessum tuum paterno affectu dileximus*[t], *et in posterum actiones eius prosperari in Domino praeoptamus, cognoscere cupimus, cum fratres nostri propter aestatis fervorem laborem tanti itineris perficere non valerent, per fidelem nostrum Franconem latorem praesentium et apostolica scripta tuam*

a) albus 3. b) *ita* 1. 2. 3. 6; si *edd.* c) dilatione 3. d) sal. multarum 6. e) *ita* 1. 2. 3; utilis *edd* f) *add.* 1. 2. 3. 6; idem *edd.* g) *ita* 1. 2. 3; item *edd.* h) qu. simp. *addita secunda manu* 3. i) *sec. manus corr.* sapienter *in* 3; *deest* 2. k) Chunrado 6. l) ammiranda 1. m) *sec. manu add.* 1. n) populo. Caetera in hunc modum 1. 2. 3. 6, *quibus desunt* Moyse — VIII. Kal. Iul. o) solatium 4. p) delatione 4. q) incolomem 4. r) A. 4. s) haudbg 4. t) dilexerimus 4.

73) Eadem epistola reperitur inter Wibaldinas n. 164. A. C. II. p. 357. et Jaffé Bibl. I. p. 304 sqq. N. 185.

excellentiam visitantes, nobilitatem tuam monemus et exhortamur in Domino, quatinus[a] *ea quae circa te et ipsum geruntur et statum regni per eundem Franconem nobis studeas intimare, et hoc tempore devotionem quam erga matrem tuam sanctam Romanam ecclesiam geris ostendas, ut nostro respondere affectui congrue videaris, et beati Petri apostolorum principis intercessionibus, cui te totum debes exponere, creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Datum in*[b] *Tusculano* 8. *Kal. Iulii*[c].

1150. 62. Circa idem tempus filius regis Heinricus, quem ipse, ut supra dictum est, per electionem principum regem ordinaverat, diem obiit[74], habens adhuc alium fratrem parvulum nomine Fridericum.

Ea quoque tempestate in inferiori Traiecto Frisiae urbe Hardeliebo[d. 75] eiusdem ecclesiae pontifice obeunte, grave scisma ibidem oritur, quibusdam Fridericum Adulfi comitis[76]
77 filium, aliis[77] Herimannum, ecclesiae sancti Gereonis in suburbio Coloniensi sitae praepositum, in illius ecclesiae praesulem eligentibus. Illi vero qui Herimannum elegerant,
1151. alios praeoccupantes, principem apud Noricum castrum[78] adeunt, ab eoque investituram regalium suscipiunt. Quos altera pars in civitatem Galliae Spiram[e. 79] subsecuta, inducias
Mai. 13. ab eo usque ad proximos dies rogationum in palatium Noviomagense accepit. Inter haec Arnoldus quoque Coloniensis archiepiscopus, vir ad ecclesiastica omnia et secularia negocia inutilis[f. 80], vitam finivit.

Igitur Conradus rex tam de subrogatione Coloniensis[g], quam super determinatione illius controversiae, quae in Traiectensi ecclesia agitabatur[h], examen laturus, inferiores Rheni partes adiit, habens secum ex Baioaria Ottonem Frisingensem et[i] ex[k] Saxonia Albertum[l] Misinensem[m] episcopos. Cumque ad Bobardiam[81] villam regalem, in territorium Treverorum, super Rhenum positam venisset, legatos obvios[n] habuit, nunciantes, Arnaldum[o] cancellarium suum in praefata Coloniensi ecclesia electum esse, sed eum huius[p] rei assensum usque ad adventum ipsius distulisse. Quod verbum gratanter rex accepit, ac inde extra viam paulisper digrediens, duas arces fortissimas, quarum altera super Mosellam
82 Chohina[q], altera super Rheni litus posita Rinekka[82] dicebatur, expugnavit, in Chohina[r] praesidia ponens, alteram ignibus[s] tradens. Ibi praenominatum Coloniensem electum excipiens, cum eoque ad inferiora descendens, capellam operosam[83], quam ille non longe a Colonia in proprio fundo construxerat, a praedictis quos secum duxerat episcopis consecrari fecit. Inde naves ingressus ac per Rhenum remigans, Coloniam Agrippinam venit, cum maximo cleri ac populi tripudio susceptus. Igitur finita, ut assolet, processionis solempnitate, rex in principali beati Petri ecclesia sedens, Arnaldum renitentem valde et reclamantem pontificatus simul et ducatus regalibus investit, sicque ad Noviomagense palatium Traiectensium causam iudicaturus venit[84].

Traiectenses Fridericum in civitate non sine fastu habebant, Herimanno eiecto. Itaque conductum primo de personarum incolumitate[t] petentes, cum magna multitudine navium a Rheno per Gual[u] fluvium, qui ab eo scissus ipsius brachium esse noscitur, veniunt. Quos rex in causa[v] ponens ad pacemque cum adversariis suis sine litis contestatione revocare volens, cum hoc modo procedere non posset[w], tandem eis[x] iuris districtionem obtulit. Illi viaticum redeundi postulaverunt, dicentes, se, eo quod causa ipsa tanquam ecclesiastica ad ecclesiasticum iudicem, id est ad aures summi pontificis, translata esset,

a) quatenus *edd.* b) *deest* 4. c) 9. Kal. Iul. *ep. Wib.* d) *sic* 2; Hardieliebo 1; Hardolicmbo 3; Hardelebo 4. e) Spyram 4. f) utilis 2. g) Coloniensi 1. 2. 3. h) Tr. ag. eccl. 1. 3. i) *add.* 1. 3. 4. k) ex *deest* 4. l) Abertum 4. m) *ita* 1. 2. 4; Mifinensem 3. n) obviam 1. 3. o) Arnoldum 1. 3. p) *deest* 1. q) *deest* 1. 2. 3. r) *ita* 1. 2. 3. s) *ita* 1. 2. 3. t) incolomitate 1. 4. u) *ita* 1—4; Wal *edd.* v) causam 1. 3. w) possent 1. 2. 3. x) eius 2.

74) Quo die defunctus sit, non constat. 75) Episcopus Ultraiectinus, quem plerique auctorum Hartbertum vocitant, obiit mense Novembri 1150. Vide Jaffé p. 195 et 286. 76) de Hovele, vide Jaffé p. 195 n. 16. 77) scilicet Theoderico Hollandiae et Heinrico Geldriae comitibus. 78) die 14. Martii 1151; Jaffé l. c. 79) circa diem 8. Aprilis. 80) Ipsum absentem in concilio Remensi mense Martio 1148. Eugenius III. ab officio suspenderat. V. Jaffé p. 163 n. 40. 196. 197. Obiit die 3. April. 1151. 81) Ibi morabatur Conradus die 15. April. 1151. 82) Cochem, Rheineck. 83) Rheindorf, cuius dedicationi anno 1151. die 9. Mai. celebratae etiam Otto episcopus Frisingensis interfuit, ut Jaffé p. 198 ex documento Rheindorpensi apud Binterim Suffraganei Colon. p. 23 probavit. 84) Conradum III. die 17. Maii 1151. Noviomagi fuisse, probat eiusdem charta A. C. II. p. 458 n. 276, inter cuius testes etiam: *Otto frater noster Frisingensis episcopus* laudatur.

respondere coram cincto iudice non posse. Contra quos, utpote adversus Romanum principem agentes maiestatis[a] contemptores[b], quia in continenti propter praestitum commeatum[c] ulcisci non valuit, acerba rex usus conquestione, mox etiam pro huius temeritatis debita vindicta sumenda, ad civitatem ipsorum processisset, nisi quod propter quorundam Noricorum comitum insolentiam in eandem revocabatur provinciam.

63. Igitur proximam[d] pentecosten in Confluentia, ubi et nuncios regis Hispanorum[e] Mai. 27.
iam diu secum moratos dimisit, sub corona incedendo celebrans, Baioariam ingreditur, Ratisponaeque curiam habens[85], duos ex cardinalibus Romanae sedis legatos, Iordanum[f] 85
scilicet et Octavianum, obvios excepit. Post haec palatino comite Ottone ob filiorum suorum excessus proscripto, vicinum eius castrum Cheleheim[g, 86] dictum, rapido Danubii fluminis ambitu clausum, obsidione cingit, eumque ad hoc ut unum filiorum suorum obsidem daret coegit. Inde in Gallias rediens, Traiectensium negotium, revocatis omnibus ad subiectionem Herimanni, cum imperii honore terminavit[87], ac ne aliquis in posterum eius facti scrupulus haberetur, a Romana sede ratihabitionem obtinuit[h]. Ipse vero non multo post omnibus bene in Gallia et Germania compositis, cum etiam iurata expeditione in proximo imperii coronam accepturus esset, non sine suspicione quorundam quos ex Italia habuit medicorum, quasi[i] ex Rogerii Siculi metu submissorum, morbo corripitur, sicque tamen tanto[k] non fractus infirmitatis dolore, curiam celebraturus Babenberg venit[88]; ubi cum multorum planctu raptus, prioris fortitudinis in ultimo discrimine retinens animum, proxima a capite ieiunii sexta[l] feria, id est 15. Kal. Martii, vitam finivit, regalia duci 1152. Febr. 16.
Friderico cum unico suo item Friderico commendans. Erat enim tanquam vir prudens de filio suo adhuc parvulo, ne in regem sublimaretur, quasi desperatus, idcirco et privatae et rei publicae melius profuturum iudicabat, si is potius qui fratris sui filius erat ob multa virtutum suarum clara facinora sibi succederet[89]. Volentibus vero familiaribus suis iuxta eius, ut asserebant, petitionem eum ad Laureacense monasterium deferre, ibique in proprio fundo iuxta patrem humare, Babenbergensis[m] ecclesia hoc contumeliosum[n] sibi fore iudicans, non permisit, quin imo convenientissimum et honestissimum et ecclesiae illi et imperio decernens, iuxta tumbam imperatoris Heinrici, eius loci fundatoris, qui nuper auctoritate Romanae ecclesiae in loca sancta levatus pro sancto habetur, regio cultu eum sepelivit[90].

Haec et alia, augustorum invictissime, excellentiae tuae scribuntur, quaedam tibi ut tibi, quaedam tibi, sed non ut tibi, quae acutus clericorum tuorum discernere debebit oculus. Verum quia iuxta quod proposui, decursis summatim avi, patris patruique tui non sine aliqua tui mentione factis, ad tua principaliter gesta venimus, huic primo volumini quiescendi paulisper causa finem imponere liceat, ut ad ea quae de tua dicenda erunt magnificentia facilius[o] resumatur spiritus.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIUNT CAPITULA IN LIBRUM SECUNDUM[p].

1. *De electione Friderici[q] ad imperium.*
2. *Ratio quare in eum tam facile consenserit universitas principum.*
3. *Quod post acceptam fidelitatem a principibus Aquisgrani consecratur secumque Fredericus Monasteriensis episcopus.*
4. *Qui legati ad Urbem et in Italiam destinati sint[r], et quo rex diverterit.*
5. *Quomodo litem duorum consanguineorum de regno Daciae[s] deciderit.*
6. *Quomodo[t] controversiam[u] quae in Magdeburgensi ecclesia orta fuit[v] terminaverit, et quod Ungaris bellum indicere voluerit.*
7. *Quod propter litem duorum ducum terminandam apud Herbipolim curiam celebravit et ibidem expeditionem in Italiam iurari fecit.*

a) magestatis 1. 2. b) *ita* 1. 2. 3; reos *edd.* c) comeatum 1. d) proximum 1. 3. e) Hyspanorum 1. 4. f) Iordanem 1. 3. g) Chelehim 2; Cheleheū 4. h) optinuit 1. i) quos 1. 2. 3. k) tanto tamen 1. 2. 3. l) *secunda manu add.* 1. m) Babinb. 4. n) cont. hoc 1. 3. 4. o) forcior 1. 2. p) *ita* 1. q) Frederici 4. r) sunt 1. 3. s) Datie 4. t) rex *add. edd.* u) controversia 3. v) fuerat 1. 3.

85) circa diem 11. Iunii 1151. 86) Kellheim. 87) In urbe Leodiensi exeunte mense Iulio vel ineunte Augusto 1151. 88) circa initium Februarii 1152. 89) Cfr. epist. Wibaldi n. 387. 90) V. Jaffé p. 210 n. 67.

8. *Quod Gerardus Magdeburgensis praepositus Gwichmannum*[a] *Romae accusavit, et epistola papae super hoc.*

9. *Quomodo per duos cardinales assensu principis quidam episcopi depositi sunt, et de duobus ducibus.*

10. *Quod mortuo Eugenio Anastasius subrogatur et quod cardinalis Girardus*[b] *insolenter agere volens prohibitus et in via mortuus est et Gwichmannus*[a] *in episcopatu confirmatus*[c].

11. *Quos*[d] *legatos in Graeciam*[e] *destinaverit*[f]. *Quod Heinrico*[g] *Saxonum duci ducatus Baioariae adiudicatur, et quod rex in Italiam procinctum movit*[h].

12. *Quomodo apud Roncalias quibusdam episcopis regalia abiudicata sint.*

13. *De situ Italiae et more gentis in Italia. De situ et superbia Mediolani. De consuetudine et iusticia regni in Italia*[i]. *De diversis querimoniis ad principem delatis.*

13[b]. *Quibus occasionibus rex in Mediolanenses arma converterit.*

14. *Quaedam castra Mediolanensium evertuntur, et de Novaria suoque comite.*

15. *De subversione Kayrae*[k] *et Hastae et de treuga militum.*

16. *De Terdona et quare obsessa sit. De situ Terdonae et eius presidiis. Quomodo obsessa et quomodo inpugnata qualiterve a suis defensata fuerit.*

17. *De invasione cuiusdam castri.*

18. *De audatia cuiusdam scutiferi*[l]. *De miserabili conquestione Terdonensium.*

19. *Quod multis malis*[m] *attriti Terdonenses de pace cogitant.*

20. *De eversione civitatis. Rex apud Papiam*[n] *triumphum agens coronatur et inde in Tusciam iter agit*[o]. *Rex ad Urbem tendens Romanum pontificem obvium habuit, et de Arnoldo scismatico.*

21. *De legatis Romanorum et eorum legatione. Quale responsum a principe acceperint. Qualiter hortatu summi pontificis Leoninam urbem et ecclesiam sancti Petri princeps occupari fecerit.*

22. *Quomodo in eadem ecclesia coronam imperii acceperit. De excursu Romanorum et clade*[p], *ac victoria imperatoris.*

23. *Princeps regressus ab Urbe quo diverterit et quid fecerit. De eversione Spoleti quare et qualiter. De legatis et muneribus Graecorum et quos imperator remiserit.*

24. *Quomodo exules Apuliae terram suam receperint, et quod imperator invitus redire disponit. Quibus viis singuli principum redierunt.*

25. *De dolo Veronensium ad pontem super Athesam*[q]. *Item de insidiis eorum in arto montis et quomodo victi et capti.*

26. *De felici exitu*[r] *principis in Baioariam.*

27. *Imperator patruum suum hortatur ad transigendum*[s] *cum duce Saxoniae.*

28. *Quomodo apud Ratisponam Heinricus in possessionem Bawarici ducatus mittitur, et de controversia inter Maguntinum archiepiscopum et Hermannum*[t] *palatinum comitem de Rheno. Qualiter ibidem Ratisponensis episcopus in gratiam principis redierit. De legatis et excusatione Veronensium ac eorumdem reconciliatione. Qua satisfactione Maguntinus*[u] *archiepiscopus et palatinus comes in pacem redierint.*

29. *De obitu Arnoldi*[v] *Coloniensis archiepiscopi*[w], *et quod princeps praenominatos duces ad concordiam revocare satagebat. De nuptiis imperatoris ubi et quare. De legatis a Graecia reversis et quare Graecorum legati ad praesentiam imperatoris non admitterentur.*

30. *Quare expeditionem contra Mediolanenses*[x] *indixerit et exemplar litterarum de hoc. De guerra*[y] *Papiensium et Mediolanensium.*

31. *De scismate Coloniensis aecclesiae propter electionem Friderici et Gerardi. De morte Boritii et legatis Graecorum. De contentione Coloniensis cleri coram principe.*

32. *De transactione duorum ducum. De pace facta*[z] *in Baioaria et decisione litis inter Colonienses.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

a) *ita* 1. 3; Gwicm. 4. b) *ita* 1. 3; Gerardus 4. c) confirmatur 1. 3. d) *ita* 1. 3. 7; quod 4 *et edd.* e) Gretiam 4. f) distinaverit 1. 3. g) Hainrico 7. h) movet 1. i) in Italia *add.* 1. 3. 7. k) Kayros 1. 3; Kayre 4. l) scuttiferi 1. m) *deest* 1. 3. n) Papyam 1. o) agens. Rex ad urb. 7. p) et clade Roman. 1. 3. q) Athasam 4. r) reditu 7. s) transsignandum 4. t) *deest* 1. 3. u) Magont. 1; Mogont. 4 *semper.* v) Arnaldi 4. w) *deest* 1. 3. x) Mediolanum 1. 3. y) gwerra 1. z) *add. sec. manu* 1.

INCIPIT PROLOGUS[a].

Non sum nescius, imperatorum seu regum decus, dum gestorum tuorum magnificentiam prosequi conor, crebrescentibus victoriis stylum materiae succubiturum[b]. *Inter duo tamen, ut ita dixerim, mala melius fore iudicavi, minus dicendo a materia opus superari, quam cuncta tacendo gloriosa facta silentio tecta deperire. Verum quia priorem libellum usque ad regni seu imperii tui ortum in obitu gloriosissimi patrui tui Conradi regis terminavi, huic secundo operi de tui principatus gloria contenturo tale Deo favente imponatur initium.*

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS[c].

1. Anno ab Urbe condita 1800.[d], ab incarnatione vero Domini 1152, decedente ab hac 1152.
luce, vernali tempore 15. Kal. Martii[e], id est sexta feria proxima[f] post caput ieiunii, in
civitate Babenbergensi[g] piissimo rege Conrado, 3. Nonas Martii, id est tertia[91] feria post 91
Oculi mei[h], in oppido Franconfurde[i] de tam immensa Transalpini regni latitudine universum, mirum dictu, principum robur non sine quibusdam ex Italia baronibus tanquam in unum corpus coadunari potuit. Ubi cum de eligendo principe primates consultarent — nam id iuris Romani imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere sed per principum electionem reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat praerogativa —, tandem ab omnibus Fridericus Suevorum[k] dux, Friderici ducis filius, petitur cunctorumque favore in regem sublimatur.

2. Huius consultationis summa in illamque personam tam unanimis assensus ratio[l] haec, ut recolo, fuit. Duae in Romano orbe apud Galliae Germaniaeve fines famosae familiae hacterus fuere, una Heinricorum de Gweibelinga[m], alia Gwelforum de Altorf[n], altera imperatores, altera magnos duces producere solita. Istae, ut inter viros magnos gloriaeque avidos assolet fieri, frequenter sese invicem aemulantes, rei publicae quietem multotiens perturbarant. Nutu vero Dei, ut creditur, paci populi sui in posterum providentis[o], sub Heinrico quinto factum est, ut Fridericus dux pater huius, qui de altera, id est de regum familia, descenderat, de altera Heinrici scilicet Noricorum ducis filiam in uxorem acciperet, ex eaque Fridericum, qui in praesentiarum est et regnat[p], generaret. Principes ergo[q] non solum industriam ac virtutem iam saepe dicti iuvenis, sed etiam hoc quod utriusque sanguinis consors, tamquam angularis lapis, utrorumque horum parietum dissidentiam unire posset, considerantes, caput regni eum constituere adiudicaverunt, plurimum rei publicae profuturum praecogitantes, si tam gravis et diutina inter maximos imperii viros ob privatum emolumentum simultas hac demum occasione, Deo cooperante, sopiretur. Ita non regis Conradi zelo sed universitatis, ut dictum est, boni intuitu hunc Fridericum eius filio item[r] Friderico adhuc parvulo praeponere maluerunt. Hac consideratione et ordine electio Friderici celebrata est.

3. Astrictis igitur omnibus qui illo confluxerant fidelitate et hominio principibus, cum 1152
paucis, quos ad hoc idoneos[s] iudicavit, caeteris in pace dimissis, rex cum multa iocunditate quinta feria naves ingreditur, ac per Mogum[t] et Rhenum navigans, in villa regali Sinciche[u, 92] applicuit, ibi equos ascendens, in proximo sabbato Aquisgrani venit. Sequenti
die, id est ea dominica qua *Laetare Hierusalem* canitur, ab episcopis a palatio in ecclesiam Mart. 9.
beatae Mariae semper virginis deductus, cum omnium qui aderant applausu[v] ab Arnoldo[w] Coloniensi archiepiscopo, aliis cooperantibus, coronatus, in sede regni Francorum, quae in eadem ecclesia a Karolo Magno posita est, collocatur, non sine multorum stupore, quod in tam parvo temporis spacio non solum tanta principum seu de regno nobilium confluxerat multitudo, sed et quod de occidentali Gallia, ad quam nondum huius facti rumor pervenisse putabatur, nonnulli advenerant. Nec praetereundum aestimo, quod dum, finito unctionis sacramento, diadema sibi imponeretur, quidam de ministris eius, qui pro quibusdam excessibus gravibus a gratia sua adhuc privati sequestratus fuerat, circa mediam ecclesiam ad pedes ipsius se proiecit, sperans ob praesentis diei alacritatem eius se animum a rigore iusticiae emollire posse. Ipse vero mentem in priori severitate retinens et

a) *ita* 1. b) subc. 4. c) *ita* 1; Explicit prefatio. Incipit liber ... 2. d) MCLIIII. 1. 2. 3. e) 15. Kal. Marcii *desunt in edd.* f) ut dictum est *add. edd.* g) Babenburg. 2. h) semper *add.* 1—4. i) *ita* 1. 2. 3; Franconefurt *edd.* k) Swevorum 1. l) ros 3. m) *ita* 1. 3. n) *ita* 1. 2. 3; Aldorfio 4. o) providentes *corr.* 1 providentis; providentes 2. p) et regnat *desunt* 1. 2. 3. q) igitur 1. 4. r) idem 2. s) ydoneos 1. t) Moguntı 1. u) Sincichel 1. 2. 3. v) applauso 1. 3. w) Arnaldo 4

91) Legendum est *quarta* feria. 92) Sinzig.

tanquam fixus manens, constantiae suae omnibus nobis non parvum dedit indicium, dicens, non ex odio sed iusticiae intuitu illum a gratia sua exclusum fuisse. Nec hoc etiam sine admiratione plurium, quod virum iuvenem, tanquam senis indutum animo, tanta flectere a rigoris virtute ad remissionis vitium non potuit gloria. Quid multa? Non illi misero intercessio principum, non arridentis fortunae blandimentum, non tantae festivitatis instans gaudium suppeditare poterant, ab inexorabili inexauditus abiit. Sed et hoc silentio tegendum non erit, quod eadem die in eadem ecclesia Monasteriensis electus, item
93 Fridericus[93], ab eisdem a quibus et rex episcopis in episcopum consecratur, ut re vera summus rex et sacerdos praesenti iocunditati hoc quasi prognostico interesse crederetur, quia in una ecclesia una dies duarum personarum, quae solae novi ac veteris instrumenti institutione sacramentaliter unguntur et Christi domini rite dicuntur, vidit unctionem.

4. Peractis omnibus quae ad coronae decorem spectabant, princeps in palatii secreta se recipit[a], vocatisque prudentioribus seu maioribus ex numero principum, de statu rei publicae consultans, legatos ad Romanum pontificem Eugenium, Urbem ac totam Italiam destinandos disponit, de promotione sua in regnum significaturos. Mittuntur[94] itaque Hillinus Treverensis electus et Eberhardus[b] Babenbergensis[c] episcopus, viri prudentes et litterati. Dehinc Traiectensium contumaciam, qua, ut superius dictum est[d], in patruum suum Conradum regem usi fuerant, ulturus, inferiores Rheni partes adiit, ipsisque pecuniaria poena multatis, ac Herimanno episcopo confirmato, ad superiora remeando sanctum
30. pascha Coloniae Agrippinae celebravit. Inde per Gwestfaliam[95] transiens, Saxoniam intravit.

5. Erat illo tempore in regno Danorum inter duos consanguineos, Petrum scilicet qui et Suevus et Gwotonem[e], de regno gravis controversia. Quos rex ad se venire praecipiens, curiam magnam in civitate Saxoniae Martinopoli, quae et Merseburch[96], cum multa principum frequentia habuit. Eo praefati iuvenes veniunt, eius se mandato humiliter supponentes[f], eorumque ad ultimum causa iudicio seu consilio primatum sic decisa fuisse dicitur, ut Gwoto[g], relictis sibi quibusdam provinciis, regium nomen per porrectum gladium abdicaret, — est enim consuetudo curiae, ut regna per gladium, provinciae per vexillum a principe tradantur vel recipiantur, — Petrus[h] vero, accepto a manu ipsius[i] regno, fidelitate et hominio ei obligaretur. Ita corona regni sibi[k] per manum principis imposita, in die
18. sancto pentecostes[l] ipse coronatus, gladium regis sub corona incedentis portavit. Gualdemarus[m] etiam, qui eiusdem sanguinis particeps fuit, ducatum quendam Daniae accepit.

6. Circa idem tempus Magdeburgensis[n] ecclesia, quae Saxoniae metropolis esse dinoscitur, pastore suo viduata, ad electionem faciendam resedit. Dumque alii eiusdem ecclesiae praepositum Gerhardum, alii decanum eligerent, divisis hinc inde personis, regem adhuc in Saxonia morantem adire disponunt. Quos dum multis modis ad unitatem et vinculum pacis princeps reducere satageret, ac proficere non valeret, alteri parti, id est decano cum suis, persuasit, ut Gwichmannum[o] Cicensem episcopum, virum adhuc iuvenem sed nobilem, eligerent, eique accersito regalia eiusdem ecclesiae concessit. Tradit[p] enim curia et ab ecclesia eo tempore quo sub Heinrico quinto de investitura episcoporum decisa fuit inter regnum et sacerdotium controversia, sibi concessum

a) recepit 1. 3. b) Everb. 2. 4. c) Babinb. 4. d) *deest* 1. 3. e) Gwittonem 1. 3; Gbittonem 2. f) *ita* 1. 2. 3; supposuerunt *edd.* g) Gvuoto 1; Gwoto 3; Quvto 4. h) Petro 2. i) *ita* 1. 2. 3; ab ipsius manu *edd.* k) *add.* 1. 2. 4. l) pentecosten 1. 2. 3. m) Gwal. 1. n) Magdeburchgensis 1; Madeburgensis 3. 4. o) *ita* 1. 3; Gbichm. 2. p) *ita* 6 *et edd.*; tandem 1. 2. 3.

93) Episcopus Monasteriensis eadem die in privilegio Friderici I. monasterio Stabulensi concesso testis laudatur. V. Erhard Reg. Westph. II. n. 1774. 94) De hac legatione Iohannes Saresberiensis ep. 59, ed. Giles I. p. 64, plura scitu digna refert: *Scio quid Teutonicus moliatur. Eram enim Romae praesidente b. Eugenio, quando prima legatione missa in regni sui initio tanti ausi impudentiam tumor intolerabilis et lingua incauta detexit. Promittebat enim se totius orbis reformaturum imperium, Urbi subiciendum orbem, eventuque facili omnia subacturum, si ei ad hoc solius Romani pontificis favor adesset. Id enim agebat, ut in quemcunque demutatis inimicitiis materialem gladium imperator, in eundem Romanus pontifex spiritualem gladium exereret. Non invenit adhuc qui tantae consentiret iniquitati.* Epistolam a legatis Friderici allatam habes Legg. II, 89, Eugeniique responsum ibidem p. 90. 95) Inter dies 20. Aprilis et 18. Mai. 1152. Fridericus erat Tremoniae, Sosatiae et Paderburne, testibus chartis apud Erhardum II. Reg. 1776–1778. 96) die 18. Mai. 1152. Vide privilegium monasterio Corbeiensi concessum apud Erhard II. C. 283, cui subscripserunt: *Sveno rex Danorum qui ibidem regnum suscepit de manu domini regis. Knut alter Danus qui ibidem regnum in manu domini regis refutavit.*

autumpnat, quod obeuntibus episcopis[a], si forte in eligendo partes fiant, principis arbitrii[b] esse, episcopum[c] quem voluerit ex primatum suorum consilio ponere, nec electum aliquem[d] ante consecrandum, quam ab ipsius manu regalia per sceptrum suscipiat. Rex omnibus in Saxonia bene ordinatis cunctisque principibus illius provinciae ad nutum suum inclinatis, Baioariam ingreditur, ac Ratisponae Norici ducatus metropoli in festivitate Iul. 15. apostolorum in monasterio sancti Emmerammi[e], — nam maior ecclesia cum quibusdam civitatis vicis conflagraverat — coronatur. Ad eandem curiam legati ad Eugenium papam, Urbem ac caeteras civitates[f] Italiae directi, laeta reportantes redeunt. Ibi etiam princeps, eo quod omnibus in proprii imperii finibus ad eius voluntatem compositis, virtutem animi quam intus gerebat, extra ferri disponeret, Ungaris bellum indicere[97] ipsosque ad monarchiae apicem reducere volebat. 97 Sed cum assensum super hoc principum quibusdam de causis latentibus habere non posset, ad effectum tunc perducere ea quae mente volvebat[g], non valens, ad opportuniora[h] tempora distulit.

7. Erat vero multa serenissimi principis anxietas, cum omnia prospere in regno agerentur, qualiter controversia quae inter eius carnem et sanguinem, id est Heinricum patruum suum et itidem Heinricum avunculi sui filium, duces, de Norico ducatu agitabatur, sine sanguinis effusione terminari posset. Fuit namque Heinricus iste Heinrici quondam Norici ducis filius, quem, ut alibi dictum est, Conradus[i] rex a Baioaria eiectum in Saxonia manere compulerat, ducatumque ipsius primum Leopaldo[k] marchionis Leopaldi filio, ac deinde fratri ipsius huic Heinrico concesserat. Rex ergo praedictam litem iudicio vel consilio decisurus, utrique autumpnali tempore mense Octobre in civitate Herbipoli curiam[98] praefigit, quo dum alter, id est Heinrici ducis filius, veniret, alter se absentaret, iterum et iterum vocatur. In eadem curia exulibus Apuliae, quos Rogerius de solo natali propulerat, lacrimabiliter conquerentibus ac ad pedes principis miserabiliter se proicientibus, expeditio Italica tam pro afflictione horum quam pro corona imperii accipienda paulo minus quam ad duos annos iurata est.

8. Porro Gerhardus praepositus Romam pergens, Eugenium papam adiit, eique causam 1152. Magdeburgensis ecclesiae aperiens, Gwichmannum, ut supra dictum est, a principe per electionem alterius partis ibi locatum, multis modis de intrusione accusavit. Hanc rem quam gravissime Romanus pontifex exceperit, tam ex litteris, in quibus nonnullis episcopis, qui pro eo ob amorem regis Romanae ecclesiae scripserant, respondit, quam ex cardinalium, qui postmodum ad Transalpina directi sunt, viva voce percepimus. Litterarum autem talis tenor fuit: *Eugenius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Eberhardo[l] Salzburgensi[m], Artwico[n] Bremensi et Hillino[o] Treverensi archiepiscopis, Eberhardo[p] Babenbergensi[q], Hermanno Constantiensi, Heinrico Ratisponensi, Ottoni Frisingensi[r], Conrado Pataviensi, Danieli Pragensi[s], Anselmo Havelbergensi[t] et Burchardo Eistadensi[u] episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Litteras quas pro causa Magdeburgensis[v] ecclesiae vestra nobis prudentia delegavit, debita benignitate suscepimus[w]. In lectione[x] autem et cognitione ipsarum[y] stupore nimio et ammiratione repleti sumus, eo quod longe aliud in eis quam vobis ex officio pontificatus immineat, perspeximus contineri. Cum enim in ecclesiae vertice sitis ex divina providentia constituti, ut de medio eius quae fuerint[z] nociva propellere, quae utilia debeatis attento studio conservare, in causa ista, sicut ex[*] suggestione litterarum vestrarum nobis innotuit, non quod expediat ecclesiae Dei, quod sacrorum[a] canonum sanctioni concordet, quod exinde a coelesti arbitrio approbetur[b], sed quod terrenis principibus placeat, attendistis, et qui eorum animos a sua minus recta debuistis intentione deflectere, atque ubi esset via Domini demonstrare, non persuasistis quod rectum est, nec stetistis murus pro domo Israhel,*

a) vel abbatibus *add.* 6. b) arbitrium 6. c) vel abbatem *add.* 6. d) al. el. 1. 3. 6. e) Emmeranni 2. f) cum ceteris civitatibus 1. 2. 3. g) quae mente volebat 1. 2. 3. h) oport. 1. i) Cōnr. 3. k) Leopoldo 2. l) E. 1. 2; C. 3. 11; Aeberardo 4; Chounrado 6. m) *ita* 1. 3. 4; Salzeb. 2. n) A. 1. 2. 3. 6. 11. o) Hi. 1. 3. 6; H. 11. p) Everardo 4; E. 11, *qui ubique litteris tantum initialibus hic utitur.* q) Babering 2; *sequitur in* 1. 3 Otto Frising. *quem excipit in* 3 Conradus Patav., *in* 1 *vero* Herm. Constant. r) Vrising. 6. s) Brag. 3. t) Havelberg. 1; Avelburg. 2; Auelberg. 3. 4. 6. 11. u) Aiegestad. 1; Aigestad. 2. 3; Agistadensi 4. 11. v) Madeb. 3. w) suscipimus 6. x) electione 2. y) *ita* 1. 2. 6. 11; earum *edd.* z) fuerit 6. *) *deest* 1. 2. 3. a) sacrarum 4. b) approbatur 6; conprobetur 11.

97) Huc referendum est, quod Fridericus I. Conrado comiti de Dachowe, de quo supra I, 25 Otto locutus est, anno 1154. ducatum Croatiae et Dalmatiae contulit. V. Huschberg p. 248. 98) Fridericus a die 16. usque ad 24. Wirceburgae moratus est. V. Böhmer 2311 2315.

quin imo ipsis, ut ait propheta, parietem aedificantibus, vos, quod sine grandi animi rancore vix dicimus, linivistis illum luto sine[a] *paleis. Non ita*[b] *sentiebat princeps apostolorum, qui ex fidei suae confessione, ut totius ecclesiae fundamentum esset*[c], *accepit, sed comminantibus saeculi filiis et apostolis, si praedicarent in nomine Iesu, mortis exterminium intentantibus, confisus de Domini virtute respondit:* Oportet obedire Deo magis quam hominibus. *Vos autem ne a terrenis videamini principibus dissentire, illi causae favorem vestrum impenditis, cui et ecclesiasticae auctoritas constitutionis et supernae voluntatis examen pro certo creditur obviare. Cum enim translationes episcoporum sine manifestae utilitatis et necessitatis indicio divinae legis oraculum*[d] *non*[e] *permittat, cum etiam multo amplior quam in aliis electionibus cleri et populi eas debeat praevenire concordia, in facienda translatione de venerabili fratre nostro G. Cicensi episcopo nichil horum est, sed solus favor principis exspectatus*[f], *et*[g] *nec inspecta necessitate illius ecclesiae, nec considerata utilitate personae, clero nolente, imo, ut dicitur, ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensem*[h] *eum dicitis ecclesiam*[i] *supplantandum. Super quo tanto amplius admiramur*[k], *quanto persona illa, cuius gravitatis sit atque scientiae, ab anteactis agnovimus*[l]*, ac perinde quantum ecclesiae illi*[m] *sit utilis, non penitus ignoramus. Quoniam igitur quicunque temporalis aurae flatibus agitentur, nos in illius petrae soliditate fundati, quae in fundamento meruit ecclesiae*[n] *collocari, sicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinae, aut a sacrorum canonum rectitudine impulsu aliquo deviare, per praesentia vobis scripta mandamus, quatenus causae isti*[o] *favorem ulterius non praestetis, et apud karissimum filium nostrum Fridericum*[p], *quem Deus hoc tempore pro servanda libertate ecclesiae in eminentiam regni evexit, efficere vestris exhortationibus studeatis, ut et ipse a sua super hoc intentione desistat et contra Deum, contra sacros canones, contra regiae dignitatis officium eidem causae favorem suum ulterius non impendat, sed ecclesiae Magdeburgensi sicut et aliis ecclesiis regni a Deo sibi commissi, liberam facultatem quem voluerit secundum Deum eligendi relinquat et electionem ipsam postmodum favore suo, sicut decet maiestatem regiam, prosequatur. Nos enim, si quod de*[q] *supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati eius, nec postulationi vestrae duceremus aliquatenus obviandum. Contra Deum autem et sacrorum*[r] *canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus praebere consensum. Datum Signiae* 16. *Kalendas Septembris*[1].

1153. 9. At[s] rex in proximo pascha Babenberg[t. 2] coronam gestans, duos cardinales, vide-
Apr. 19. licet Bernhardum presbyterum et Gregorium diaconum, ad depositionem quorundam epi-
Iun. 7. scoporum ab apostolica sede destinatos, secum habuit. Proximum[u] dehinc pentecosten Wormatiae[v] ferians, Heinricum Maguntinae sedis archiepiscopum, virum pro distractione ecclesiae suae frequenter correptum[3] nec correctum, per eosdem cardinales deposuit, ac Arnaldum[w] cancellarium suum per quorundam ex clero et populo, qui illuc venerant, electionem ei subrogavit. Ad praedictam curiam praenominati duces ambo Heinrici pro ducatu Norico, ut dictum est, contendentes venerunt, sed altero quod legitime vocatus non fuerit praetendente, debitum finem negocium ibi habere non potuit. Iidem[x] etiam cardinales permissu principis Burckardum[y] Eistetensem senio gravem, de inutilitate causantes, itidem submovere[z]. Dumque post haec in Magdeburgensem et quosdam alios sententiam ferre cogitarent, a principe inhibiti et ad propria redire iussi sunt.

Iul. 6. 10. Ea tempestate Eugenius papa, vir iustus et religione[*] insignis, ab hac luce transiens, Anastasio, homini veterano et in consuetudine illius curiae exercitato, sedem reliquit. A quo dum cardinalis quidam Girardus[a] nomine[b] ad terminandam Magdeburgensis electi
Dec. 25. causam missus fuisset, ac principem in eadem civitate natale Domini celebrantem adiisset, cum quaedam ibi secus ipsius[c] nutum tractare vellet, indignationem eius incurrens, infectis negociis pro quibus venerat, mandatis[d] saevioribus, inglorie redire coactus, in via etiam vita decessit. Verum princeps missis ad Anastasium cum Gwichmanno nunciis, non

a) absque 11 *et edd.* b) sic 11. c) ess. fund. 11. d) maculam 6. e) fieri non 11. f) *ita* 1. 2. 3. 6. 11; expectatur *edd.* g) quia 11. h) Magdeburḡ 1; Magdeburgeñ 3. i) *ita* 1. 3. k) anmiramur 11. l) cognovimus 11. m) illae 11. n) eccl. mer. 11. o) istae causae 1; causae istae *rell.* p) Fred. 6; F. 11. q) *deest* 11. r) sanctorum 1. 2. s) Et 1. 2. t) Babenburch 2; Babeuberch 3. u) proximam 2. *edd.* v) Borm. 2. w) Arnoldum 3. x) Idem 1. y) Burchardum 1. 3. z) submoverunt 1. 3. *) rellig. 1. a) *ita* 1; Gerardus 3. 4. b) nomine qui dum 1. c) illius 2. *edd.* d) mundatis 2. 4. *edd.*

1) a. 1152. 2) Ibidem Fridericum adhuc die 24. April. invenimus. Vide Böhmer 2325 et sq. 3) Iam regnante Conrado III. magna inter archiepiscopum et Eugenium obtinuerat discordia. Wormatiae erat Fridericus usque ad diem 14. Iunii 1153. Böhmer 2529.

solum facti sui ratihabitionem, sed etiam pallium obtinere eum fecit, non sine quorundam scandalo, qui ne unquam id fieret, immobiliter fixum Romanos tenere a proprio ipsorum ore audierant. Ex hinc non solum in secularibus, sed et in ecclesiasticis negociis disponendis auctoritas principis plurimum crevit.

11. Circa idem tempus, mense Septembri, principes maioresque Baioariae a rege Ratisponae convocantur, sed nichil ibi de bono pacis in illa provincia propter duorum ducum litem terminari poterat. 1153 Sept. Rex tamen quia non multo ante haec per apostolicae sedis legatos ab uxore sua ob vinculum consanguinitatis separatus fuerat, pro ducenda alia pertractans, ad Manuel Graecorum imperatorem tam pro hoc negocio quam pro Gwillehelmo[a] Siculo, qui patri[b] suo Rogerio noviter defuncto successerat, utriusque imperii invasore debellando in Graeciam legatos destinandos ordinat, sicque primatum suorum consilio Anselmus Havelbergensis[c] episcopus[d] et Alexander Apuliae quondam comes, sed a Rogerio cum caeteris eiusdem provinciae nobilibus ob suspicionem dominandi propulsus, eandem legationem suscipiunt.

Proximo dehinc mense Decembri[e] utrique[f] dux[g], Heinricus itidem et[h] Heinricus, 1153. Dec. iudicio principis in civitate Spira adsistunt[i]; sed iterum altero de legitima vocatione se[k] excusante, res protelatur. Itaque Fridericus dum iam fere per biennium ad decidendam litem duorum principum, sibi, ut dictum est, ex propinquitate sanguinis tam affinium laborasset, tandem alterius instantia, qui in paternam hereditatem, a qua diu propulsus fuerat, redire cupiebat, flexus, imminente etiam sibi expeditionis labore, in qua eundem iuvenem militem sociumque viae habere debuit, finem negocio imponere cogebatur. Proinde in oppido Saxoniae Goslaria curiam celebrans, utrumque ducem[l] datis edictis evocavit. Ubi dum altero veniente, alter se absentaret, iudicio principum alteri, id est Heinrico Saxoniae duci, Baioariae ducatus adiudicatur.

Post haec princeps de Saxonia in Baioariam se recipiens, ac inde per Alemaniam transiens, anno regni sui tertio in campania[m] Lici fluminis termino Baioariae, contra civitatem Augustensem circa principium mensis Octobris militem in Italiam iturus collegit, finitis ex quo iurata fuerat primo expeditio pene[n] duobus annis. Nec illustrem animum a tam illustri facto ex recenter prolata in tam magnum imperii principem sententia et ex hinc obortum non parvum aliorum principum murmur revocare poterat, quin omnia quae retro erant, tanquam flocci pendens, Deo se committendo in anteriora extenderetur. Per Brixinoram itaque et vallem Tridentinam transiens, emensis Alpium angustiis, in campestribus Veronensium iuxta stagnum Gardae grande[o] castra metatur. Ubi dum de processu ad ulteriora cum principibus consilium[p] iniret, primo coeli principem conciliandum decrevit. Denique miles per claustra montium transiens, ob difficultatem locorum victui necessaria invenire nequiens, dum penuriam magnam, quod in exercitibus molestum esse solet, pateretur, nonnulla sacra loca violarat. Ad haec, quamvis praedictam necessitudinis excusationem habere viderentur, expianda, rex a toto exercitu collectam fieri iubet; et sic non modicam coadunatam pecuniam per quosdam religiosos viros duobus episcopis, Tridentino scilicet et Brixinorensi, remittendam ac per[q] singula sanctorum loca, quae dampnum passa fuerant, dividendam statuit, pulchre[r] communi utilitati consulens, pulchre[r] rectoris officium implens, ut maxima adorsurus negocia ante omnia rectorem et plasmatorem omnium, sine quo nichil bene inchoatur, nihil prospere consummatur, placandum, eiusque offensam a populo suo avertendam[s] intenderet.

12. Inde castra movens in campo Roncaliae[t] super Padum, non longe a Placentia, mense Novembri[u] resedit. Est autem consuetudinis regum Francorum, qui[v] et Teutonicorum, ut quotienscunque ad sumendam Romani imperii coronam militem ad transalpizandum coegerint, in praedicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, universorumque equitum agmen feuda[w] habentium, ad excubias proxima nocte principi faciendas per curiae praeconem exposcitur, quod sectantes qui in eius comitatu fuerunt[x] principes[y], singuli singulos beneficiatos suos[z] per praecones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprehensus fuerat[*], denuo

a) *ita* 1. 3; Guillelm. 4. b) patre 1. 3. c) *ita* 1; Hamelbergensis 3; Hamelburg. 2 *et edd.* d) *add.* 1. 2. 3. e) Decembrio 1. 3. 4. f) uterque 1. g) *ita* 1. 2. 3. h) et item 1. 3. i) *ita* 1. 2. 3. k) se vocatione se 1; se vocatione 2. 3. l) *ita* 1. 2. 3. m) campo 2. n) *add.* 1. 3. o) *add.* 1. 2. 3. p) *deest* 1. 3. q) *deest* 3. r) pulchrę 1; pulcre 4. s) advertendam 1. t) Rancalie 2; Rancoliae 4. u) Novembrio 1. 3. v) *ita* 1. 2. 3; quae *edd.* w) feoda 4. x) fuerint 1. 3. y) *addunt* 1. 3. z) *deest* 1. 2. 3. *) fuerit 1. 3.

ad praesentiam regis aliorumque principum vel virorum illustrium evocatur, sicque omnes omnium[a] beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum suorum domi remanserunt, in feudis[b] condempnantur. Hunc morem principe secuto, non solum laicorum feuda[c] sed et quorundam episcoporum, id est Hartwici Bremensis et Oudalrici[d] Halberstadensis[e], regalia personis tantum, quia nec personis sed ecclesiis perpetualiter a principibus tradita sunt, abiudicata fuere. Sed quoniam huius terrae mentio habita est, de ipsius situ ac ritu, et a quibus prius inhabitata, quove nomine dicta, a quibus postmodum possessa, quo censeatur vocabulo, paucis absolvam.

13. Haec Pyrenaeo seu Apennino altissimis et scopulosissimis[f] alpibus in oblongum ductis hinc inde septa, tanquam eorundem vel potius eiusdem montis umbilicus, utve[g] deliciarum hortus, a Tyrreno mari usque ad Adriatici aequoris oram[h] protenditur, habens ad septentrionem Pyrenaeas, ut dictum est, alpes, ab austro Apenninum, qui modo mutato nomine mons Bardonis vulgo dicitur, ab occidente Tyrrenum, ab oriente Adriaticum aequor. Padi vel Eridani fluminis, quem unum inter tria Europae flumina famosissima topographi ponunt, caeterorumque amnium decursu irrigua, soli dulcedine coelique temperie frumenti, vini et olei ferax, in tantum ut arbores fructiferas, praecipue castaneas[i], ficeta et oliveta instar nemorum educet. Romanorum colonia ulterior Italia olim dicebatur, tribus distincta provinciis, Venetia, Aemilia, Liguria, quarum primae Aquilegia, secundae Ravenna, tertiae[k] Mediolanum metropoles fuere. At in ipso Apennino, ubi[l] et urbs Roma sita noscitur, quae modo Tuscia vocatur, eo quod Apennino inclusa[m] Urbem quoque ipsam in sinu suo contineat, interior Italia iure dicta est. Illa vero quae post emensionem montium campania excipitur, unde et a re nomen trahens, Campania adhuc dici solet, ac usque ad Farum[n], brachium maris, navibus[o] ob syrtes[p] importunum, Siciliam[q] a solido[r] seiungens, producitur — nam Sicilia Europam terminans Sardiniae caeterisque Italiae insulis adnumeratur —, olim citerior Italia vel maior Graecia vocabatur, nunc Apulia vel Calabria dicta. Quamvis aliqui hanc et mediam pro una reputantes Italia, citeriorem seu maiorem Graeciam dicere maluerint Italiam, non tres, sicut praemissum est, sed duas tantum, ulteriorem et citeriorem, ponentes Italias. Nonnulli tamen praedictas alpes Apenninum et Pyrenaeum eadem montana esse volunt, eo quod circa eas partes, qua Ianua civitas in navalibus praeliis satis exercitata, super Tyrrenum aequor sita est, conveniendo, praedictam claudant provinciam, in argumentum suae assertionis inducentes, quod Pannonia iuxta Isidorum[s] tanquam Apennino clausa nomen accepit, quam non Apenninus, qui mons Bardonis, sed Pyrenaeae attingunt alpes. Patet, ut arbitror, cur hanc terram duorum montium vel eiusdem supra umbilicum dixerim. Barbarorum[t] vero incursionibus ac dominationi, qui a Scanzia insula cum Alboyn[u] duce venientes, Pannonias[v] primo inhabitarunt, subiacere incipiens, ab eisdem, eo quod ad augendum exercitum foeminis reflexis ad mentum crinibus, sicque virilem et barbatam faciem imitantibus, et idcirco[w] Longobardis a longis barbis[x] vocitatis, et ipsa Longobardia appellari consuevit. Ex quo contingit, ut circa exarchatum Ravennatensem artatis antiquis eiusdem provinciae incolis, ea pars Italiae quae antea Aemilia dicebatur, nunc Romaniola, quod diminutivum a Roma tractum noscitur[y], vulgo usque hodie dici soleat. Verumtamen barbaricae deposito feritatis rancore, ex eo forsan quod indigenis per connubia iuncti, filios ex materno sanguine ac terrae aerisve[z] proprietate aliquid Romanae mansuetudinis et sagacitatis trahentes, genuerint, Latini sermonis elegantiam morumque retinent urbanitatem. In civitatum quoque dispositione ac rei publicae conservatione antiquorum adhuc Romanorum imitantur solertiam[*]. Denique libertatem tantopere affectant, ut potestatis insolentiam fugiendo, consulum potius quam imperantium regantur arbitrio. Cumque tres inter eos ordines, id est capitaneorum, vavassorum[a], plebis esse noscantur, ad reprimendam superbiam non de uno sed de singulis praedicti consules eliguntur, neve ad dominandi libidinem prorumpant, singulis pene annis variantur. Ex quo fit, ut tota illa[b] terra intra[c] civitates ferme divisa, singulae ad commanendum secum diocesanos[d] compulerint, vixque

a) *deest* 1. 2. 3. b) feodis 1. 2. 4. c) feoda 1. 2. d) *ita* 1. 3. e) Alberst. 3. f) scrup. *corr.* 1 scup. g) utve *corr.* 3 ut vere. h) horam 1. i) castanea 2. k) tercia 1. l) ubi — Apennino *eadem manu post add.* 1. m) inclausa 2. n) Faraum 1. 3. o) naribus 1. 2. p) sirtes 1. 2. q) Syciliam 1. r) solide 2. s) Ysidorum 1. 4. t) Barbatorum 1. 3. u) Alboin 4. v) Pannonia 2. w) icc. 4. x) bardis 1. 2. 3. y) cognoscitur 1. z) aeri sue 1. 2. *) sollertiam 1. a) *ita* 1. 2. 3. b) illa tota 2. c) inter 2. d) *ita* 4; dioceseanos 1.

aliquis nobilis vel vir magnus tam magno ambitu inveniri queat, qui civitatis suae non sequatur imperium. Consueverunt autem singuli singula territoria ex hac comminandi potestate comitatus suos appellare. Ut etiam ad comprimendos vicinos materia non careat, inferioris conditionis iuvenes vel quoslibet contemptibilium etiam mechanicarum artium opifices, quos caeterae gentes ab honestioribus et liberioribus studiis tanquam pestem propellunt, ad militiae cingulum vel dignitatum gradus assumere non dedignantur. Ex quo factum est, ut caeteris orbis civitatibus divitiis et potentia praeemineant[a]. Iuvantur ad hoc non solum, ut dictum est, morum suorum industria sed et principum in Transalpinis manere assuetorum absentia. In hoc tamen antiquae nobilitatis immemores barbaricae fecis retinent vestigia, quod cum legibus se vivere glorientur, legibus non obsequuntur[b]. Nam principem, cui voluntariam exhibere deberent subiectionis reverentiam, vix aut nunquam reverenter suscipiunt, vel ea quae secundum legum integritatem sanciverit[c], obedienter excipiunt, nisi eius multi militis astipulatione coacti sentiant auctoritatem. Ob ea frequenter contingit, ut quamvis civis lege flectendus, adversarius armis cogendus secundum leges sit, ipsum tamen, quem ut proprium principem mitem suscipere oportebat, saepius iura propria exposcentem hostiliter excipiant. Ex quo duplex rei publicae nascitur detrimentum, ut et[d] princeps ad subiugationem civis in colligendo exercitu distrahatur, et civis non sine magno rerum suarum dispendio ad obedientiam principis compellatur. Quare eadem ratione qua populum super hoc incusat[e] temeritas, sic principem apud Deum et homines excusare debebit necessitas.

Inter caeteras eiusdem gentis civitates Mediolanum primatum nunc obtinet, inter Padum et Pyrenaeum sita. Ticino et Addua ab eodem Pyrenaeo nascentibus ac in Pado se recipientibus et ob hoc sinum quendam fertilissimum in modum insulae facientibus media posita rite Mediolanum vocatur, quamvis nonnulli ex quodam portentuoso sue, unam medietatem setas et alteram lanam habente, a[f] fundatoribus Mediolanum dictam putent. Haec ergo non solum ex sui magnitudine virorumve fortium copia, verum etiam ex hoc, quod duas vicinas civitates in eodem sinu positas, id est Cumam et Laudam, ditioni suae adiecit, aliis, ut dictum est, civitatibus celebrior habetur. Porro, ut in rebus caducis ex arridentis fortunae blandimento fieri solet, secundis rebus elata in tantam[g] elationis extumuit audaciam, ut non solum vicinos quosque infestare non refugiat, sed et ipsius principis maiestatem non reformidando eius ausa fuerit incurrere recenter offensam. Quod quibus de causis exordium sumpserit, postmodum[h] breviter aperiam. Interea quaedam de iusticia regni dicenda videntur.

Mos enim antiquus[i], ex quo imperium Romanum ad Francos derivatum est, ad nostra usque deductus[k] est tempora, ut quotiescunque[l] reges Italiam ingredi destinaverint, gnaros quoslibet de familiaribus suis praemittant, qui singulas civitates seu oppida peragrando, ea quae ad fiscum regalem spectant, quae ab accolis fodrum dicuntur, exquirant. Ex quo fit, ut principe adveniente plurimae civitates, oppida, castella, quae huic iusticiae vel omnino contradicendo vel integraliter non persolvendo reniti conantur, ad solum usque prostrata, proterviae suae documentum posteris ostendant. Alia itidem ex antiqua consuetudine manasse traditur iusticia, ut principe Italiam intrante cunctae vacare[m] debeant dignitates et magistratus, ac ad ipsius nutum secundum scita legum iurisque peritorum iudicium universa tractari. Tantam ei quoque iudices terrae recognoscere[n] dicuntur iurisdictionem[o], ut ex omnibus quae terra producere solet usui necessariis, exceptis vix bubus et seminibus ad excolendam terram idoneis, de caeteris quantum necesse fuerit militi profuturis, ad regios usus suppeditare aequum arbitrentur.

Igitur rege apud Roncalias per quinque, ut aiunt, dies sedente[4], et ex principum ac de universis pene civitatibus consulum seu maiorum conventu curiam celebrante, diversa hinc inde diversis ex querimoniis emersere negocia. Inter quae Gwillehelmus marchio de Monte Ferrato, vir nobilis et magnus, et qui pene solus ex Italiae baronibus civitatum effugere potuit imperium, simul et Astensis episcopus, gravem uterque super

a) premineant 1. 4. b) obsecuntur 1. 4. c) sancciverit 1. d) *add.* 1. 2. 3. e) accusat *corr.* 1 inc. f) *ita* 1. 3; e 2. 4. *ed.* g) *ita* 1. 2; in tantum *edd.* h) *add.* 1. 2. i) *ita* 1. 6; antiquis *rell.* k) deductus — destinaverunt *secunda manu add.* 1. *in margine.* l) quociensc. 1. 6; quotiensc. 4. m) *sec. manu add.* 1. n) *deest* 1. 3. o) iurisditionem 6.

4) Duae exstant chartae datae Runcaliae diebus 3. et 5. Decembris 1154. Vide Böhmer 2340. 2341.

Astensium, alter, id est marchio, super oppidanorum Kairae[a][5] conquestionem facientes insolentia. Neque enim multum ad principis triumphi titulum respectu aliorum ipsius gestorum fortium facere arbitramur, si de castellis, rupibus, oppidis villisque magnis, quae ab ingressu suo non solum militari ordine, sed etiam armigerorum tumultuationis assultu subversa sunt, diceremus, ad maiora festinantes. Aderant etiam Cumanorum seu Laudensium consules, de attritionis suae diutina miseria lacrimabilem super Mediolanensium superbia facientes querimoniam, praesentibus duobus consulibus eiusdem civitatis, Oberto de Orto et Girardo[b] Nigro. Princeps igitur his de causis superiores Italiae partes aditurus, per Mediolanensium fines transire volens, praedictos consules tanquam viae duces futuros et de idoneis tabernaculorum locis dispposituros secum retinuit. Venerunt
6 etiam ad eandem curiam legati Ianuensium[6], qui non longe ante haec tempora[c], captis in Hispania[d] inclytis civitatibus et in sericorum pannorum opificio praenobilissimis Almaria et Ulyxibona[e], Sarracenorum spoliis onusti redierant, leones, struthiones, psitacos cum caeteris preciosis muneribus principi praesentantes.

13b. Fridericus ergo ad superiora, ut dictum est, ulterioris Italiae profecturus, a Roncaliis[f] copias ducens, in territorio Mediolanensium castra posuit. Dumque a praenominatis consulibus per arida, ubi nec stipendia inveniri nec ex mercatu haberi possent, circumduceretur[g] loca, indignatione motus, iussis primo ut ad propria redirent consulibus, in Mediolanenses arma convertit. Accessit ad huius indignationis cumulum, quod ex maxima imbrium[h] infusione[i] totus exacerbatus fuisse dicitur exercitus, ut ex hac duplici inediae videlicet et coeli inclementiae molestia cuncti, prout poterant, principem adversus eos concitarent. Alia itidem huius commotionis non parva causa[k] fuit, quod princeps temeritatis illorum in hoc tumorem praesenserat, quod non solum civitates quas destruxerant reaedificari pati nollent, quin etiam ad iniquitatis illorum assensum ipsius nobilem et incorruptum hactenus[l] animum pecunia inclinare ac corrumpere satagebant. Rex castra de aridis locis movens, ad fertilia ipsius territorii habitacula non longe a civitate se transferens, militem lassatum refecit.

14. Erat in vicinio[m] oppidum quoddam satis populosum Rosatum[7], ubi Mediolanenses circiter quingentorum equitum armatorum praesidia locaverant. Iubentur ergo equites ad civitatem redire, direptisque omnibus usui necessariis, ipsum oppidum flammae datur. Ibi quidam ex equitibus principis usque ad portas Mediolanensium progressi, quibusdam vulneratis, quosdam cepere. Mediolanenses non solum dampno praesentium sed et metu futurorum stupefacti, Girardi[n] consulis, tanquam huius mali auctoris, domum principis iram mitigaturi diruunt[o]. At princeps huius rei nichil pensi habens, ad Ticinum usque amnem maiores his clades irrogaturus procedit. Is amnis a Pyrenaeo, ut supra ostensum est, surgens et Padum seu Eridanum iuxta Papiam[p], quae ex hinc Ticinum[q] vocatur, influens, insulam Mediolanensium ab occidentali latere cingit. Ibi duos pontes ligneos, quos ipsi ob incursum in Papienses[r] et Novarienses construxerant ac ob illorum impetum reprimendum propugnaculis munierant, occupat, transmissoque per eos milite, ignibus tradit. Denique tria ipsorum castra[s] munita et decora, id est Mummam[8], Gailardam[t], Tricam[9], quae ad expugnationem Novariensium in ipsorum territorio firmaverant, expugnata cremantur. Est autem Novaria civitas non magna sed, ex quo ab imperatore Heinrico olim eversa reaedificari coepit, muro novo et vallo non modico munita, comitem habens in sua diocesi Gwidonem Blanderatensem, qui praeter morem Italicum totum ipsius civitatis territorium, vix ipsa civitate excepta, Mediolanensium possidet auctoritate, inhiantibus adhuc Mediolanensibus, ut et hanc simul et Papiam[p] sicut alias absorbeant civitates. Facta
1154. est haec victoria mense Decembri[u], nataleque Domini circa praedictorum excidium castro-
Dec. 25. rum a principe cum magna celebratur alacritate.

a) Kire 1. 2; Kyre 3; Karye 7. b) Gerhardo 1. c) *ita* 1. 3; ipsa *edd.* d) hyspania 1. e) Ylixbona 1; Ylixib. 3. f) Roncalis 3. g) circumducentur 1. 3. h) ymbr. 1. i) *ita* 1. 2. 3; effusione *edd.* k) *ita* 1. 3. l) actenus 4. m) vicino 1. 4. n) *ita* 3; Girh. 1. o) *ita* 1—4; diriment *edd.* p) Papyam 1. q) Tycinum 1. r) Papyenses 1 *plerumque.* s) *deest* 1. 2. 3. t) Gaylardam 1. 3. u) Decembrio 1. 2. 3.

5) Chieri in oriente urbis Taurinorum. 6) Cfr. Cafari Annales Ianuenses Mon. G. SS. XVIII. p. 39. 7) Rosate in occidente Mediolani. 8) alias Turris de Momo dictum. Vide Murat. Ann. ad hunc annum. 9) Galiate et Trecate in oriente Novarae Ticinum versus. Charta Friderici I. apud Böhmer 2343 data est die 22. Decembris 1154 *in obsidione castri Gallan.*

15. Post haec princeps per Vercellum et Taurinum transiens, transvadato ibi Pado, 1155. ad inferiora versus Papiam[a] iter reflectit. Verum oppidani Kairae[b] simul et Astenses cives, eo quod praecepta principis de exhibenda marchioni suo Gwillehelmo de Monte Ferrato iusticia minime paruissent, tanquam rebellionis rei, hostes iudicati proscribuntur. Ad quorum puniendam contumaciam dum rex exercitum ducit, illi relictis munitionibus velut viribus suis diffidentes, ad vicina montana diffugiunt. Rex primo Kairam veniens, inventis sufficienter victualibus, per aliquot ibi dies mansit. Turres, quae non paucae ibidem fuere, destruxit, oppidumque succendit. Inde Astam procedens, vacuamque non opibus sed habitatore reperiens civitatem, non paucis ibi diebus manens, igni eam et direptioni dedit. Ante vero quam ab inde castra moverentur, consilio sapientum[c] rex habito, propter crebras quae in exercitu ortae fuerant seditiones, aliqua militi in posterum profutura ordinare disponit. Non solum enim[d] edicto dato, sed et a singulis maioribus et minoribus sacramento praestito, legem dedit, ne quis infra castrorum ambitum gladium ad quodlibet commilitonis nocumentum portare auderet, adiciens poenam, ut quicunque hanc treugam violando quempiam de sociis vulneraret, manu mutilaretur vel etiam capite obtruncaretur. Hacque tam sapienti quam necessaria lege data, de caetero iuvenilium irrationabilis impetus animorum conquievit.

16. Fuit non longe ab eo loco civitas Terdona, natura et arte munita, Mediolanensibus amica, ipsis quoque[e] contra Papienses foedere iuncta. Igitur Papiensibus conquerentibus plus a Terdona se quam a Mediolano molestari, eo quod quamvis civitas Papia in sinu quidem Mediolanensium posita, robur tamen comitatus sui ultra Ticinum[f] fluvium habeat, isti nullo montis seu fluminis obiectu[g] expositum, iussa est a principe a Mediolani contubernio recedere Papiaeque sociari. Quod dum facere recusaret, dumque magis seditiose et inimice quam pacifice et amice regibus civitati adhaerere delegisset, tanquam maiestatis rea et ipsa inter hostes imperii adnumerata proscribitur. Princeps Terdonensium sicut et Astensium vindicaturus insolentiam, ab Asta castra movens, in marchia quadam, quae Busca[10] dicitur, tentoria fixit. Ibi per aliquot dies moram faciens, quosdam ex militibus 10 cum fratre suo Conrado[h], Bertholfo Burgundionum duce, Ottone vexillifero suo, ex Baioaria palatino comite, praemittendos situmque civitatis exploraturos decrevit. Qui transmisso amne, qui[i] Tanera vulgo dicitur, usque ad ipsam civitatem decurrentes ac omnia circumspicientes, non longe ab ea super praedictum amnem metantur castra. Tertia dehinc luce rex suos insecutus, altera fluminis ripa tabernacula fixit, suis ex praedicti amnis inundatione, qui ex subita imbrium multitudine plus solito excreverat, iungi non valens. Attamen non multo post fluviolo aliquantisper mitigato, transvadandi labore suis adiunctus, ad civitatem properavit. Primoque assultu[11] suburbia muro, turribus suffulta cepit et expugnavit, civibus vix ad superiorem civitatis arcem se recipiendi ex noctis, quae iam incumbebat, et supervenientis tempestatis beneficio facultatem habentibus. Est autem Terdona pene in pede Apennini montis, ex ea qua Apenninus et Pyrenaeus, ut supra dictum est, iunguntur, parte sita, campaniam Papiae seu Mediolani tanquam e specula prospiciens. In monte terete, scopulosam faciem in praerupto[k] laterum praetendente, posita, turribus et praecipue una lateritia, a Tarquinio Superbo olim facta, quae et Rubea nunc ab indigenis dicebatur superba, in declivo montis suburbio, ex murorum ambitu ac turrium celsarum populique multitudine cuiusdam amniculi per medium transeuntis nobili[l] insignis.

Princeps capto, ut dictum est, suburbio, arcem ipsam seu civitatem obsidione clausit. Erat autem praedicta arx non solum suis viribus sed etiam Mediolanensium fortitudine et vicinorum baronum, quorum unus marchio Opitius[m], cognomento Malaspina fuit, praesidiis munita, obque tantae opis confidentiam ad propellendam principis iram instrui ausa. Initiata est haec celebris Terdonae obsidio mense Februario incipiente post caput ieiunii Febr. 13. proxima[n] quadragesimae ebdomada. Receptis igitur ad angustias arcis Terdonensibus, tantaque multitudine velut uno carcere inclusis, mons ipse circumquaque a principe, ne ullus effugiendi pateret miseris aditus, obsidione vallatur, principe ipso ex occidentali

a) Papyam 1. b) Kayre 1; Kaire 2. 3; Karye 7. c) sapientium 1. d) *ita* 1. 2. 3; ergo *ed.* e) *ita* 1. 2. 3; ipsisque *ed.* f) Tycinum 1. g) obiectu — Mediolani *desunt* 1. 2. 3. h) Chonr. 4. i) qui T. v. d. *desunt* 1. 2. 3. k) ex inpr. 1. 3. l) *ita* 1. 2; nobilis 3; *deest edd. quae post* princeps *inserunt* nobilis. m) Opificius 3. n) prima 1. 2.

10) Bosco in meridie Alexandriae. 11) Urbs obsessa est inde a die 13. Febr. 1155.

parte, Heinrico duce Saxoniae in suburbio, quod meridiem versus Apenninum respicit, Papiensibus in campania, quae contra Papiam seu Mediolanum ad orientem vel aquilonem extenditur, residentibus. Nec mora, machinae diversorumque tormentorum genera fabricantur, sagittarii, balistarii, fundibularii arcem circumseptam observant. Temptabat omnia virtus principis, et ubi infirmiora arcis videbat loca, valentiori[a] urgebat manu. At Terdonenses artissimis septi claustris effugii locum non habentes, ex desperatione audaciam sumunt. Nulla enim, ut ait ille historiographus, promptiorem bello militem reddit, quam necessitas praeliandi ex praerupto periculorum. Urgentur iaculis, urgentur balistis, quodque his gravius est, propria remordentur conscientia, eo quod proprio principi rebellando, quicunque ex eis deprehensi fuissent, patibuli, quod in praesentiarum erectum cernebant, expectabant supplicium. Sicut enim est magna miseris tyrannicae obviantibus immanitati consolatio conscientiae spes, sic e converso tali principi, qui non solum legitimus[b] iudex sed et pius[c] praesul dici potest, reluctari conantibus miseriae miseriam cumulat contra conscientiam debitae sententiae metus. Crebris tamen excursionibus, quasi nullo timoris periculo urgerentur, militem in castris manentem lacessebant, iuvenilesque animi, laudis, ut assolet, avidi, virium suarum experientiam utrobique capessebant, illis pro salute, istis pro triumpho dimicantibus, nec hoc sine utriusque partis dampno. Nam et ex nostris duo nobiles iuvenes, Kadolus ex Baioaria et Iohannes de Saxonia, pluribus sauciatis, necantur; ex illis vero, exceptis his quos occisos vel vulneratos intus celabant, nonnulli vivi deprehensi, ligni supplicio in oculis omnium poenas meritas luebant. Ferunt quadam die lapidem vi tormenti ex balista, quam modo mangam[d] vulgo dicere solent, propulsum ad superiora moeniorum loca conscendisse, ex collisione parietum tribus factis[e] frustis, tres simul milites armatos inter maiores civitatis iuxta principalem ecclesiam de suae rei publicae statu consultantibus stantes uno ictu percussisse necique dedisse.

Quia vero castra Papiensium maiorem incursum[f] caeteris sustinebant, iunguntur eis ex imperio principis Gwillehelmus marchio de Monte Ferrato et quidam alii ex Italicis baronibus. Erat enim ex ea parte puteus seu fons, quo solo poterant oppidani uti, et idcirco Papiensibus prohibentibus, illisque suprema[g] necessitudine, cuius proprium est periculorum discriminis immemorem esse[h], audacter decertantibus, maior, imo[i] quasi cottidiana instabat conflictatio. Nam amniculus, qui medius, ut supra ostensum est, percurrebat suburbium, ex ruina turrium caeterorumve moenium a proprio alveo excussus, ne in ipsorum usum etiam feculentus provenire posset, a duce Saxoniae suisque acriter servabatur. Videns princeps plus cupito obsidionem produci — anhelabat enim ad accipiendam Orbis et Urbis monarchiae coronam —, non solum turres machinis quati, sed etiam inusitato satis utens artificio, cuniculos versus turrim Tarquinii, quae Rubea dicebatur, fieri iubet, ut sic ad turrim ipsam per ipsos subterraneos meatus procedentes, fundamento laeso, eam ruinae darent. Nam cum praedicta civitas non in modum aliarum civitatum vallo seu fossa sed praeruptis undique prope interclusa rupibus, naturali praesidio muniatur, ex illa tantum parte aliquantisper remissior hispidaeque rupis firmamento carens, praedictae turris munimentum magnique fossati robur, tanquam huius suae imbecillitatis adiumentum, artificialiter admisit. Oppidani, non sine quorundam ex nostris proditionis suspicione, ingenium praesentiunt, commentisque usi, iuxta fundamentum turris et ipsi cuniculos faciunt, sicque quibusdam ad eversionem turris procedentibus suffocatis, caeteri a coepto desistunt. Post haec rex naturam naturae ope vincere volens, id est ut naturae praesidiis septos per inopiam cogeret potus, praedictum fontem humanis usibus inutilem facere disponit. Iniciuntur ibi hominum, pecorum foetida et putrescentia[k] cadavera. Sed nec sic repelli poterat misera oppidanorum aviditas. Aliud itidem invenitur ingenium. Incutiuntur praedicto fonti ardentes faculae, sulphureas[l] et piceas flammas ferentes, sicque aquae ipsae, humanis usibus deinceps inutiles, amaricantur.

17. Erat in vicinio[m] castrum quoddam Mediolanensium N. vocitatum[n], natura et ingenio munitum. Fiunt in castris, cernentibus Terdonensibus, scalae caeteraque pro ascendendis[o] muris instrumenta utilia, oppidanis arbitrantibus ad ipsorum haec fieri nocumentum. Deliguntur gnari quique et fortes de equitum ordine viri, praefectisque[p] sibi

a) ardentiori 1, *cui superscr. eadem manu* vel valentiori. b) legittim. 1. 4. c) *ita* 1. 3. 4; primus *edd.* d) *ita* 1—4; margam *editt.* e) *recepi ex* 1. 3; fractis *edd.* f) incursioni 1. 3. g) supprema 1. h) *deest* 1—4. i) immo 1. k) putentia 1. 3. l) sulfur. 1. m) vicino 1. n) N. voc. *desunt* 1. 2. 3. o) ascendentis 1. p) praefectis 1. 3.

duobus ducibus, Bertholfo[a] duce et Ottone palatino comite, ad praedictumque castrum eo 1155.
tempore quo noctis beneficio propositum celari poterat, diriguntur[b]. Nec mora, iactis ad murum scalis, ad superioris arcis[c] convexa tendunt, castrum ingrediuntur, ac sine dubio, cunctis sopore depressis, voto potiti fuissent, nisi ex praematurata clamoris concitatione oppidani excitati ad fugamque parati, vix tandem fiducia sumpta, ad arma convolassent.

18. Nec praetereundum erit de cuiusdam praeruptae audaciae stratoris virtute, qui, dum taedio longae obsidionis affectus caeteris assiliendi arcem exemplum dare vellet, gladio tantum et clypeo[d] parvaque, ut id genus hominum solet, securi, quae sellae ab eis alligatae portantur, usus, aggerem qui turri Rubeae praeiacet aggreditur, viamque securi, qua pedem figeret, faciens, montem ascendit. Non illum crebri lapidum ictus, qui a machinis principis contra turrim vi tormentorum propellebantur, deterrere, non eum iaculorum seu saxorum ab arce ad modum imbrium, non interpolati iactus revocare poterant, ad turrim usque iam semidirutam[e] processit, ibique viriliter dimicando, militem etiam[f] armatum ad terram ictibus deiecit, atque inter tot periculorum discrimina illaesus ad castra redire potuit. Quem rex ad se vocatum militari cingulo ob tam praeclarum facinus honorandum decrevit. At ille, cum se plebeium[g] diceret in eodemque ordine velle remanere, sufficere sibi conditionem suam, honeste donatum ad propria redire permisit contubernia.

Sed ut ad id unde digressi sumus redeamus. Urgentur aquis amaricatis oppidani, intolerabili potus[g*] inedia, gravi sitis molestia. Appropinquabat paschale festum, et princeps religionis intuitu quatuor diebus, id est a quinta coenae Domini feria usque ad proximam[h] paschalis hebdomadae secundam feriam, ab arcis impugnatione cessandum statuit. Itaque proxima dehinc feria, id est ea die qua passio Domini in paresceue a cunctis christicolis celebratur, clerici et monachi cum oppidanis[i] inclusi, vestibus sacris induti, cum crucibus, turibulis caeterisque christiani ritus ornamentis portis apertis egressi, ad tentoria principis venire cupiebant. Quos rex de longe aspiciens[k], missis in occursum eorum[l] episcopis virisque litteratis, cur et ad quid venirent, inquisivit. At illi: *Terdonae nos*, aiunt, *infelix portio ad pedes regalis excellentiae venire desiderabamus, calamitates deploraturi, quas sustinemus non merito nostro*[m] *sed perditae civitatis perditissimorumque civium contagio. Nunc autem quia ad praesentiam non admittimur principis, liceat interim pedibus vestrae provolvi benignitatis, obnixe postulantes, ut humanitatis gratia nos homines animadvertendo, humanae miseriae tanquam vestram sortem in nobis recognoscatis. Neque pro condempnata civitate nec pro civibus maiestate*[n] *reis preces afferimus. Quos o utinam nunquam nostri vidissent oculi, nunquam eis sors iunxisset, quorum nobis sors tam futura fuerat obnoxia. Nunquid insons cum sonte, cum nocente innocens, innoxius cum reo pari poena ab aequo iudice plectendus erit? Vallamur claustrorum diuturnitate, quatimur tormentorum acerbitate, sitis infesta ariditate, piceas ac sulfureas*[o] *usibusque humanis ineptas aquas haurire cogimur; unumque*[p] *magis dolendum est, non nobis hoc sacrosancto dominicae passionis tempore Deo servire licet, quia nec libet. Astantes enim sacris altaribus sagittarum terremur spiculis, saxorum percellimur ictibus, sicque semper ad omnem etiam naturalem motum pavidi, a mentis tranquillitate tanquam amentes circumferimur. Non securi in lectulis, non in oratorio imperculsi, animum ex periculorum instantia distractum ad offerendum Deo sacrificium pacis colligere pacificum non valemus. Quid fecimus? quid luimus? Nunquid Mediolano associati, rea contra Papiam arma tulimus? Nunquid ex foedere seditiosae civitatis iram principis incurrimus? At nos hactenus armorum ignari, ne dicam cum factiosis sed nec ullis mortalibus confoederati, soli Deo*[q] *armis spiritalibus non carnalibus instructi militare consuevimus. Sine nostro consilio miles armatur, nobis inconsultis, imo ignorantibus in praelio concertatur*[r]*; consulum maiorumque civitatis haec est dispositio, illorum nutu haec geruntur; procerum motus, ut dicitur, haec cuncta sequuntur*[s]*. Ad nos nichil*[t] *spectat nisi ecclesiasticarum excubiarum sollicitudo, pro regum caeterorumve in sublimitate positorum tranquillitate ad regem regum Deum cottidiana efflagitatio*[u]. *At dicet*[v] *aliquis:* Ex hostis contubernio et tu iudicaris hostis; sis eius in poena socius, cuius fuisti in malefactis amicus[w], *nam tangens picem coinquinatur, cum perverso manens pervertitur. Dicit enim et*[x] *psalmista:* Cum sancto sanctus eris, et cum Psal 17, 26 sq

a) Berht. 3. b) *ita* 1. 2. 3; properatur 4 *et editt.* c) *add.* 1. 2. 3. d) clippeo 1; clipeo 4. e) semidirupta 3. f) etiam mil. 1. g) pleb. se 1. 3. g*) potu? h) *ita* 1. 3; proximae *edd.* i) a cunctis — opidanis *margine adscripta* 4. k) *ita* 1. 2. 3; prosp. *edd.* l) *add.* 1. 2. 3. m) nost. mer. 1. 3. n) magest. 1. o) sulphur. 1. p) *ita* 1. 2. 3. 4; unde quod *edd.* q) deo soli 1. r) *ita* 1. 2. 3; certatur 4. *edd.* s) secuntur 1. 4. t) nil 4. u) *ita* 1. 2. 3; afflag. 4. *edd.* v) dicit 1. 2. 3. w) *ita* 1. 2. 3. 4; socius *edd.* x) *add.* 1. 3.

1155. perverso perverteris. *Nunquid nostro magis arbitrio, quam divina providentia civibus his ex*[a] *commanendi necessitudine, non ex malefaciendi assensione adiuncti sumus? Nunquid non cum Babylonicis, qui affectu non loco fugiendi sunt, nos non Babylonici in uno septo esse possumus? Possum cum malefactore esse, nec tamen malefactoris socius vel amicus iure dici. Possum necessitatis lege sic personae iungi, ut personae non iungar vitio iure naturae in homine, naturam sic hominis diligere, ut naturae abhorream casum. Nam qui ex inducto sapientis vel psalmigraphi*[b] *testimonio, scilicet quod ex contubernio bonorum bonus, ex consortio malorum malus fiat, probare nititur, non sic auctoritatem notabit, quasi non de quodam sic, et de quodam non sic, sed de omni sic et semper accipiatur, verum et si*[c] *de quodam sic, et de quodam non sic, non tamen*[d] *de omni sic vel semper, sed ut frequentius dictum*[e] *putet. Quem usum in naturalibus non mathematicorum sed physicorum sequuntur artes. Nec rite pix*[f] *tangi ex commanendi sed consentiendi dicetur ratione. Quamvis et alium*[g] *praedictae auctoritati, prophetiae*[h] *praecedentia et consequentia generent sensum, ut non de nobis sed de Creatore haec asserantur, qui scilicet*[i]*, sicut*[k] *sancto sanctus apparet, misericorditer eum iustificando, sic perverso perversus putatur, iuste illum*[l] *puniendo, ea locutione vel proportionis ratione, qua linea recta curvo parieti apposita irrationali sensus opinione non recta videtur.*
Psal. 72, 1. *Unde et alibi ab eodem propheta dicitur:* Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde;
Psal. 17, 28. *et hic subsequenter adnectitur:* Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis. *Imitetur princeps terrae principem coeli*[m]*, et si in eadem civitate cum superbo humilis inveniatur, non tamen cum superbo humilis puniatur. Miseremini ergo, domini et patres, conditionis nostrae, respicite in nobis quae gestamus stigmata Christi, et quos ad pietatem non flectit nostrae calamitatis acerbitas, inclinet saltem caracter Domini. Sed heu*[n] *mortalium sortem. Commenta Papiae luis Terdona, non tua delicta. Accusas de malefactis Papia Terdonam*[o]*, cum tu si comparationem dissimilitudo*[p] *qualitatum admittit, peius feceris. At inquies, improbae civitati suaque contumaci superbia vicinos quosque prementi foedere nexa, ab aequo principe iure poenas subire debes. Esto: Mediolano associata est Terdona. Quare? Non illius gratia, sed tuo metu, non ut per illius potentiam imperaret, sed ut per eius vires a tua excuteretur violentia. Sensi rem meam, inquit Terdona, agi, dum paries proximus, Limellum*[q. 12] *dico, arderet, sub Mediolani confugi alas. Mediolanum iudicas, quod Cumas legitima occasione destruxerit. Te ipsam non respicis, quae Limellum*[q]*, imperiale oppidum magna et robusta equitum manu stipatum, palatini comitis tui habitatione inclytum, oppidanis ipsis ad colloquium pacis dolo vocatis fraudulenterque*[r] *captis, ad solum usque sine causa prosternere non timueris. Factus est ille, inter Italiae proceres nobilissimus, inquilinus tuus, qui debuit esse dominus. Reddit tibi nunc vectigal, cui tu principis vicem gerenti vectigal persolvere solebas. Videat princeps et animadvertat, qua honestate sui imperiive honore ipsius lateri iudicium de Italis laturus assideat. Vectigalis tuus consideret, quo decore securis, quo*[s] *rei in Italia iure plectendi sunt, ante ipsum deferatur, qui sub tuis modo militat signis. Iudicetur igitur*[t] *a iusto rerum arbitrio aequa lance primo*[u] *Ticinum*[v]*, eiusque exemplo caeterarum Italiae urbium corrigantur excessus. Sed quid ad nos de talibus?*

Hor. Epist. II, 1, 116. *Tractent fabrilia fabri.*

Nos miserum vulgus, nos Dei tantum servitio mancipati, nostram intueamur sortem, nichil ad nos de tyrannis terrae. Atque o utinam felix nimium prior aetas atque aurea Saturni redirent secula, ut colonus terrae sarculo ligoneque et[w] *rastro, non cum naturae consorte sed cum terra pugnaret, sicque ordo Deo sacratus orationibus ac*[x] *obsecrationibus libere invigilare posset. Pereat qui ad cruentandum hominum genus arma extulit, qui beluina feritate hominem se non recognoscens, humanum sanguinem primo fudit. Ad nos redeamus. Nichil fecimus, alienas ob culpas plectimur. Nobis quaesumus pietas parcat principis, et si miserae*[y] *non vult ignoscere civitati, nos saltem inermes iam ex foetore pestilentiae morbidos et iam morti proximos*[z]*, libertati datos, de tam gravibus claustris exire permittat.* Haec dicunt, et manus ad coelos tendentes lacrymisque obortis rigantes genas, cum magno eiulatu ad pedes eorum qui missi fuerant, se prosternunt.

a) *add.* 1. 2. 3. b) *ita* 1. 3. 4. c) etsi ut 1. 3. d) n. t. *sec. manu add.* 3. e) dictam 1. 2. 3. f) *ita* 1. 2. 3; pice 4. *edd.* g) alii 1. 2. 3. h) prophetae 1. 2. 3. i) *bis scribitur* 1. k) *deest* 2. 3. l) *deest* 1. 2. 3. m) celi princ. 1. 3. n) eheu 2. o) Terdona 2. p) *ita* 1. 2. 3. 4; dissimulando *edd.* q) *ita* 1. 2. 3; Lunellum *edd.* r) que *deest* 1. 3. s) securius qua 1. 3. t) itaque 1. 3. u) primum 1. 2. 3. v) Tyc. 1. w) *deest* 1. 2. 3. x) *add.* 1. 2. 3. y) *ita* 1. 3. 4; miserrimae *edd.* z) *ita* 1. 3. 4; propinquis *edd.*

12) hodie Lomello in septentrione Terdonae situm.

19. Cognitis his princeps animum quidem intus ad misericordiam flexum praesensit, 1155. sed dissolutionis suspicionem vitans extra eum in prioris severitatis constantia servavit, illis ut ad[a] arcem redeant iussis. Condescendebat miserae cleri[b] sorti, sed subridebat superbi populi fortunae, quem hoc indicio quasi desperatum et desolationi proximum animadvertebat. At oppidani nondum tot malis victos se fingentes, infra quatuor dies, quibus pro christiani cultus devotione principem hostibus pacem dedisse diximus, baleare tormentum instruunt, ignorante principe ac eos treugam datam observare aestimante. Finito, ut dictum est, quatriduo, oppidani rursus[c] machinis pulsantur. Illi suo quod fecerant vim tormenti propellentes, unum etiam quo magis infestabantur quatiendo frangunt. Quo sine mora reparato, acrius solito urgentur. Tot impulsionum ac maxime sitis defatigatione fracti, ultimaque desperatione correpti Terdonenses tandem de reddenda per deditionis praesidium pertractant arce.

20. Igitur tertia post paschalem[13] solempnitatem ebdomada, mense Aprili, animabus Apr. solum ex miseratione et mansuetudine principis saluti et libertati datis, civitas[d] primo direptioni exposita, excidio et flammae mox traditur. Eripitur ibi de gravi qua tenebatur captivitate, quidam ex Graecorum proceribus, quem Opicius cognomento Malaspina, male propter pecuniae exactionem ceperat, asperisque locis inclusum in ipsa arce tenebat. Videres miseros oppidanos, cum iam securitate concessa de miseris claustrorum ergastulis ad liberam prodirent aeris temperiem, funebri facie tanquam de bustis egredientes mutari[e], in semet praetendentes, quod dicitur omnium miserabilius esse, claudi obsidione.

Peracta victoria, rex a Papiensibus ad ipsorum civitatem triumphum sibi exhibituris invitatur, ibique ea dominica qua *Iubilate* canitur, in ecclesia sancti Michahelis, ubi anti- Apr. 17. quum regum Longobardorum palatium fuit, cum multo civium tripudio coronatur. Deductis ibi cum magna civitatis laeticia et impensa tribus diebus, inde per Placentiam transiens, iuxta Bononiam pentecosten celebrat, ac ibidem transcenso Apennino[f] citeriorem Italiam, quae modo Tuscia vocari solet, perlustrat. Illic Pisanos[g], viros in insulis et transmarinis regionibus[h] potentes, obvios habuit, eisque ut naves contra Gwillehelmum Siculum armarent in mandatis dedit. Circa idem tempus Anshelmus Havelbergensis episcopus[i] a Graecia reversus, Ravennatensem archiepiscopatum per cleri et populi electionem, simul et eiusdem provinciae[k] exarchatum laboris sui magnificam recompensationem a principe accepit.

Igitur rex ad Urbem tendens, circa Viterbium[l] castra metatur. Quo Romanus antistes Adrianus cum cardinalibus suis veniens, ex debito officii sui honorifice[m] suscipitur[14], gravi- Iun. 9. que adversus populum suum conquestione utens, reverenter auditus est. Praedictus enim populus, ex quo senatorum ordinem renovare studuit, multis malis pontifices suos affligere temeritatis ausu non formidavit.

Accessit ad huius seditiosi facinoris augmentum[n], quod Arnoldus[o] quidam Brixiensis[p], de quo supra dictum est[15], sub typo religionis et, ut euangelicis verbis utar, sub ovina pelle lupum gerens, Urbem ingressus, ad factionem istam rudis populi animis praemolli dogmate ad animositatem accensis, innumeram post se duxit imo seduxit[q] multitudinem. Arnoldus[16] iste ex Italia civitate Brixia oriundus eiusdemque ecclesiae clericus ac lector tantum ordinatus, Petrum Abailardum olim praeceptorem habuerat. Vir quidem naturae non hebetis, plus tamen illorum[r] verborum profluvio quam sententiarum pondere copiosus. Singularitatis amator, novitatis cupidus, cuiusmodi hominum ingenia ad fabricandas haereses scismatumque perturbationes sunt prona. Is a studio a Galliis in Italiam revertens, religiosum habitum, quo amplius decipere posset, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens. Clericorum ac episcoporum derogator, monachorum persecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim, nec clericos proprietatem, nec episcopos regalia, nec monachos possessiones habentes, aliqua ratione salvari posse: cuncta haec principis esse, ab eiusque

a) *deest* 1. 2. 3. b) miserculae forti 2. c) rursum 1. 4. d) civitati 3. e) *recepi ex* 1; imitari *rell. et edd.* f) Appennino 1. g) Pys. 4. h) *ita* 1. 2. 3; civitatibus *edd.* i) *deest* 1. 3. k) providentię 1. 3. l) Biterbium 1. 3. m) honeste 1. n) *ita* 1. 3. 4; argumentum *caett.* o) *ita* 1. 2. 3. p) Brixensis 4. q) imo sed. *des.* 1. 3. r) *add.* 1. 2. 3.

13) Anno 1155. pascha incidit in diem 27. Martii. 14) Die 9. Iunii 1155. occurrit ei papa apud Sutrium; vide Jaffé R. P. p. 663. Cum hic primum Otto Hadriani IV. mentionem faciat, monendum est, quod papa paulo post electionem die 4. Decembris factam cardinales Cencium, Bernardum et Octavianum legatos ad Fridericum miserat; Jaffé 6827. 15) libr. I. c. 27. 16) Cfr. S. Bernhardi epistolae 195. 196 et 243.

1155. beneficientia[a] in usum tantum laicorum cedere oportere. Praeter haec de sacramento altaris, baptismo[b] parvulorum non sane dicitur sensisse. His aliisque modis, quos longum est enumerare, dum Brixiensem ecclesiam perturbaret, laicisque terrae[c] illius prurientes erga clerum aures habentibus ecclesiasticas malitiose exponeret personas[d], in magno concilio Romae sub Innocentio habito ab episcopo civitatis illius virisque religiosis accusatur. Romanus ergo pontifex, ne perniciosum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit, sicque factum est. Ita homo ille de Italia fugiens ad Transalpina se contulit, ibique in oppido Alemaniae Turego officium doctoris assumens, perniciosum dogma aliquot diebus seminavit. Comperta vero morte Innocentii[17], circa principia pontificatus Eugenii Urbem ingressus, cum eam contra[e] pontificem suum in seditionem excitatam[f] invenisset,
Eccli 8, 4. viri sapientis haud sectatus consilium, de huiusmodi dicentis: — *Ne in eius ignem ligna struas,* amplius eam in seditionem concitavit, proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex senatus maturitatis consulto et ex iuvenilium animorum fortitudinis ordine et integritate totum orbem terrae suum fecerint[g]. Quare reaedificandum Capitolium, renovandam senatoriam dignitatem, reformandum equestrem ordinem docuit. Nichil in dispositione[h] Urbis ad Romanum pontificem spectare, sufficere sibi ecclesiasticum iudicium debere. In tantum vero huius venenosae doctrinae coepit invalescere malum, ut non solum nobilium Romanorum seu cardinalium diruerentur domus et splendida palatia, verum etiam quaedam[i] de cardinalibus reverendae personae, inhoneste sautiatis quibusdam, a furenti plebe[k] tractarentur. Haec et his similia cum multis diebus, id est a morte Celestini[18] usque ad haec ab eo incessanter et irreverenter agerentur tempora, cumque sententia pastorum iuste in eum et canonice prolata, eius iudicio tanquam omnino[l] auctoritatis vacua, ab illo[m] contempneretur, tandem in manus quorundam incidens in Tusciae finibus captus, principis examini reservatus est, et ad ultimum a praefecto Urbis ligno adactus ac rogo in pulverem redacto funere, ne a stolida[n] plebe corpus eius venerationi haberetur, in Tyberim sparsus.

Sed ut ad id, unde digressus est stilus, redeat, iunctis[o] sibi in comitatu rerum apicibus ac[p] per aliquot[q] dies una procedentibus, quasi inter spiritalem patrem et filium dulcia miscentur colloquia[19], et tanquam ex duabus principalibus curiis una re publica effecta, ecclesiastica simul et secularia tractantur negocia.

21. At Romanorum cives de principis adventu cognoscentes, praetemptandum ipsius legatione animum adiudicarunt. Ordinatis ergo legatis industriis[r] et litteratis, qui eum inter Sutrium et Romam adirent, accepto prius de securitate viatico, sicque praesentatis regalis excellentiae consistorio viris, taliter adorsi sunt:

Urbis[s] legati nos, Urbis non parvum momentum, rex optime, ad tuam a senatu populoque Romano destinati sumus excellentiam. Audi serena mente, benignis auribus, quae tibi ab alma Orbis domina deferuntur Urbe, cuius in proximo, adiuvante Deo, futurus es princeps, imperator et dominus. Pacificus si venisti, imo quia, ut arbitror, venisti, gaudeo. Orbis imperium affectas, coronam praebitura gratanter assurgo, iocanter occurro. Cur enim suum visitaturus populum non pacifice adveniret, non gloriosa munificentia respiceret, qui indebitum clericorum excussurus iugum, ipsius magna ac diutina expectatione praestolatus est adventum? Revertantur opto pristina tempora, redeant rogo inclitae Urbis privilegia, Orbis Urbs sub hoc principe recipiat gubernacula, refrenetur hoc imperatore, ac ad Urbis reducatur monarchiam Orbis insolentia. Talis[t] rector Augusti sicut nomine, sic induatur et gloria. Scis quod urbs Roma ex senatoriae dignitatis sapientia ac equestris ordinis virtute et disciplina a mari usque ad mare palmites extendens, non solum ad terminos Orbis imperium[u] dilatavit, quin etiam insulas extra Orbem positas Orbi adiciens, principatus eo[v] propagines propagavit. Non illos procellosi fluctus aequorum, non hos scopulosae et inaccessibiles rupes Alpium tueri poterant, Romana

a) *ita* 1. 3; beneficiciencia 2. b) et de bapt. 1. c) *deest* 1. 2. 3. d) *ita* 1. 2. 3; paginas *edd.* e) erga 1. 3. f) excitata 1. g) fecerunt 3. h) dispositionem 1. 3. i) *addunt* 1. 2. 3. k) *deest* 3. l) omnino et 1. m) a. i. *add.* 1. 3. n) furente 1. 3. o) iunctus 2. p) *deest* 1. 3. q) aliquos 1. 2. 3. r) industribus 1. 2. 3. s) Orbis 2. t) *ita* 1. 4; tali *edd.* u) *addunt* 1. 2. 3. 4. v) *ita* 1. 2. 3. 4; illic *editt.*

17) Obiit die 24. Sept. 1144. 18) Cfr. Chron. VII, 31. Haec iis repugnant, quae supra tradit, sc. Arnaldum circa initium pontificatus Eugenii III. Romam ingressum esse. Inter Coelestinum enim et Eugenium Lucius II. sedem apostolorum occupavit a die 12. Martii 1144 usque ad 15. Februarii 1145. 19) Quae colloquia non omnino dulcia fuisse possunt, cum Fridericus demum post altercationem trium dierum die 11. Iunii papae stratoris officium exhibuit; v. Jaffé l. c.

virtus indomita cuncta perdomuit. Sed exigentibus peccatis, longe positis a nobis principibus nostris, nobili illo antiquitatis insigni, senatum loquor, ex inerti quorundam desidia neglectui dato, dormitante prudentia, vires quoque minui necesse fuit. Assurrexi tuae ac divae rei publicae profuturum gloriae, ad sacrum sanctae[a] *Urbis senatum equestremque ordinem instaurandum, quatenus huius consiliis, illius armis Romano imperio tuaeque personae antiqua redeat magnificentia. Nunquid hoc placere tuae non debebit nobilitati? Nonne etiam remunerabile iudicabitur tam insigne facinus tamque tuae competens auctoritati? Audi ergo, princeps, patienter et clementer pauca de tua ac de mea iusticia, prius tamen de tua quam de mea. Etenim „ab*[b] *Iove principium". Hospes eras, civem feci. Advena fuisti ex Transalpinis partibus, principem constitui. Quod meum iure fuit, hoc*[c] *tibi dedi. Debes itaque primo ad observandas meas bonas consuetudines legesque antiquas, mihi ab antecessoribus tuis imperatoribus idoneis instrumentis firmatas, ne barbarorum violentur rabie, securitatem praebere, officialibus meis, a quibus tibi in Capitolio adclamandum erit, usque ad quinque milia librarum expensam dare, iniuriam a re publica etiam usque ad effusionem sanguinis propellere, et haec omnia privilegiis munire, sacramentique interpositione*[d] *propria manu confirmare.*

1155.

Virg. Aen. VII, 219.

Ad haec rex, tam superbo quam inusitato orationis tenore iusta indignatione inflammatus, cursum verborum illorum de suae rei publicae ac imperii iusticia[e] more Italico longa continuatione periodorumque circuitibus sermonem producturum[f] interrupit, et cum corporis modestia orisque venustate regalem servans animum, ex improviso non improvise respondit:

Multa de Romanorum sapientia seu fortitudine hactenus[g] *audivimus, magis tamen de sapientia. Quare satis mirari non possumus, quod verba vestra plus arrogantiae tumore insipida, quam sale sapientiae condita sentimus. Antiquam tuae proponis urbis nobilitatem, divae tuae rei publicae veterem statum ad sydera sustollis. Agnosco, agnosco, ut et*[h] *tui scriptoris verbis utar, fuit, fuit quondam in hac re publica virtus. „Quondam" dico, atque o utinam tam veraciter quam libenter „nunc" dicere possemus. Sensit Roma tua, imo et nostra, vicissitudines rerum. Sola evadere non potuit aeterna lege ab auctore omnium sancitam*[i] *cunctis sub lunari globo degentibus sortem. Quid dicam? Clarum est, qualiter primo nobilitatis tuae robur ab hac nostra urbe translatum sit ad Orientis urbem regiam, et per quot*[k] *annorum curricula ubera deliciarum tuarum Graeculus esuriens suxerit. Supervenit Francus, vere nomine et re nobilis, et eam*[l] *quae adhuc in te residua fuit ingenuitatem fortiter eripuit. Vis cognoscere antiquam tuae Romae gloriam, senatoriae dignitatis gravitatem, tabernaculorum dispositionem, equestris ordinis virtutem et disciplinam, ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Nostram intuere rem publicam. Penes nos cuncta haec sunt. Ad nos simul omnia haec cum imperio demanarunt*[m]*. Non cessit nobis nudum imperium, virtute sua amictum venit, ornamenta sua secum traxit. Penes nos sunt consules tui, penes nos est senatus tuus, penes nos est miles tuus. Proceres Francorum ipsi te consilio regere, equites Francorum ipsi tuam ferro iniuriam propellere debebunt. Gloriaris, me per te vocatum esse, me per te primo civem post principem factum, quod tuum erat a te suscepisse. Quae dicti novitas quam ratione absona, quam veritate vacua sit, aestimationi tuae*[n] *prudentumque relinquatur arbitrio. Revolvamus modernorum imperatorum gesta, si non divi nostri principes Karolus et Otto, nullius beneficio traditam sed virtute expugnatam Graecis seu Longobardis Urbem cum Italia eripuerint Francorumque apposuerint*[o] *terminis. Docet haec*[p] *Desiderius et Beringarius, tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus tanquam principibus innitebaris. Eos a Francis nostris non solum subactos et captos fuisse, sed et in servitute ipsorum consenuisse, vitam finisse, vera relatione didicimus. Cineres ipsorum apud nos reconditi evidentissimum huius rei repraesentant indicium. Sed dicis:* Vocatione mea venisti. *Fateor, vocatus fui. Redde causam, quare vocatus fuerim. Ab hostibus pulsabaris, nec propria manu Graecorumve mollitie liberari poteras. Francorum virtus invitatione adscita est. Implorationem potius quam vocationem hanc dixerim. Implorasti misera felicem, debilis fortem, invalida validum, anxia securum. Eo tenore vocatus, si vocatio dicenda est, veni. Principem tuum militem meum feci, teque deinceps usque in praesentiarum in meam ditionem transfudi. Legitimus possessor sum. Eripiat quis si potest clavam de manu Herculis. Siculus, in quo confidis, forte haec faciet? Ad*

a) *ita* 1. 3. 4; sanctum *edd.* b) a 1. 3. c) *addunt* 1. 2. 3. d) sacramentisque interponere 1. 2. 3. e) iusticiae 1. 3; *deest* 2. f) producturis 1. 3; producturus 4. g) actenus 1. h) et ut 1. 3. i) sancritam 1. k) *add.* 1. 2. 3. l) *ita* 1. 2. 3; eamque *edd.* m) *ita* 1. 3. 4; dim. *edd.* n) vestrae 1. 2. 3. o) eripuerunt . . . apposuerunt 1. 3. p) hoc 2. 3.

1155. *priora respiciat exempla. Nondum facta est Francorum sive Teutonicorum manus invalida. Deo largiente vitaque comite, et ipse temeritatis suae quandoque capere poterit experimenta. Iusticiam tuam, quam tibi debeam, exquiris. Taceo quod principem populo, non populum principi leges praescribere oporteat. Praetermitto quod quilibet possessor possessionem suam ingressurus nullum conditionis praeiudicium pati debeat. Ratione contendamus. Proponis, ut mihi videtur, trium sacramentorum exactionem. De singulis respondeo. Dicis, me debere iurare, ut leges antecessorum meorum imperatorum, eorum privilegiis tibi firmatas, et bonas consuetudines tuas observem. Apponis etiam, quod patriae usque ad periculum capitis tuitionem iurem. Ad ista duo simul respondeo. Ea quae postulas, aut iusta sunt, aut iniusta. Si iniusta sunt, nec tuum erit postulare, nec meum concedere. Si iusta, recognosco, me haec et debendo velle et volendo debere. Quare superfluum erit voluntario debito et debitae voluntati sacramentum apponere. Quomodo enim tibi tuam iusticiam infringerem, qui quibuslibet infimis etiam quod suum est servare cupio? Quomodo patriam et praecipue imperii mei sedem usque ad periculum capitis non defenderem, qui et ipsius terminos non sine eiusdem periculi aestimatione, quantum est in me, restaurare cogitaverim? Experta est hoc Dania nuper subacta Romanoque reddita orbi, et fortasse plures provinciae pluraque sensissent regna, si praesens negocium non impedisset. Ad tertium venio capitulum. Affirmas, pro pecunia quadam iuramentum tibi*[a] *praeberi a mea deberi persona. Proh nefas! A tuo, Roma, exigis principe, quod quilibet lixa potius petere deberet ab institore. A captivis haec penes nos exiguntur. Num in captivitate detineor? Num vinculis hostium urgeor? Nonne multo et forti stipatus milite inclytus*[b] *sedeo? Cogetur princeps Romanus contra suam voluntatem cuiuslibet praebitor esse, non largitor? Regaliter et magnifice hactenus mea, cui libuit et quantum decuit, et praecipue bene de me meritis dare consuevi. Sicut enim a minoribus debitum rite expetitur obsequium, sic a maioribus meritum iuste rependitur beneficium: hunc quem alibi a divis parentibus meis acceptum servavi morem, civibus cur negarem? Urbemque meo introitu laetam non facerem? Sed merito non iusta*[c] *iniuste*[d] *petenti cuncta iuste negantur.*

Haec dicens, et non sine condigna mentis indignatione orationem terminans conticuit. Porro quibusdam ex circumstantibus inquirentibus ab his qui missi fuerant, an plura dicere vellent, paulisper deliberantes in dolo responderunt, se prius ea quae audierant concivibus suis referre, et tunc demum ex consilio ad principem redire velle. Sic accepto commeatu, a curia egredientes ad Urbem cum festinatione revertuntur. Rex dolum praesentiens, consulendum super hoc negocio patrem suum Romanum pontificem decernit. Cui ille: *Romanae plebis, fili, adhuc melius experieris versutiam. Cognosces enim in dolo eos venisse et in dolo* 1. Cor 3, 19. *redisse. Sed Dei nos adiuvante clementia, dicentis:* Comprehendam sapientes in astutia sua, *praevenire eorum poterimus versutas insidias. Maturato igitur praemittantur fortes et gnari de exercitu iuvenes, qui ecclesiam beati Petri Leoninumque occupent castrum. In praesidiis equites nostri ibi sunt, qui eos cognita voluntate nostra statim admittent. Praeterea Octavianum cardinalem presbyterum, qui de nobilissimo Romanorum descendit sanguine, fidelissimum tuum, eis adiungemus.* Sicque factum est. Eliguntur proxima nocte pene usque ad mille armatorum equitum lectissimi iuvenes, summoque diluculo Leoninam intrantes urbem, ecclesiam beati Petri, vestibulum et gradus occupaturi, observant. Redeunt ad castra nuncii haec laeta reportantes.

22. Sole orto, transacta iam prima hora, praecedente cum cardinalibus et clericis summo pontifice Adriano, eiusque adventum in gradibus praestolante, rex castra movens, armatus cum suis per declivum montis Gaudii descendens, ea porta, quam auream vocant, Leoninam urbem, in qua beati Petri ecclesia sita noscitur, intravit. Videres militem tam armorum splendore fulgentem, tam ordinis integritate decenter incedentem, ut recte de illo Cant. 6, 3 dici posset: *Terribilis ut castrorum acies ordinata,* et illud Machabaeorum: *Refulsit sol in* 1 Macc. 6, 39. *clypeos aureos et aereos, et resplenduerunt montes ab eis.* Mox princeps ad gradus ecclesiae beati Petri veniens, a summo pontifice honorifice susceptus ac usque ad confessionem beati Petri deductus est. Dehinc celebratis ab ipso papa missarum sollempniis, armato stipatus rex milite cum benedictione debita imperii coronam accepit, anno regni sui Iun. 18. 4. mense Iunio, 14. Kalendis Iulii, cunctis qui aderant, cum magna laeticia acclamantibus Deumque super tam[e] glorioso facto glorificantibus. Interim a suis pons, qui iuxta castrum Crescentii[f] ab urbe Leonina usque ad ingressum ipsius extenditur Urbis, ne a furente populo

a) *add.* 1. 3. b) inclitus 4. c) iusto 3. d) non iusto iniusta iniuste 1. 2. e) tam super 4. f) Chrescentii 3.

celebritatis huius iocunditas interrumpi posset, servabatur. Peractis omnibus, imperator 1155. cum corona solus equum faleratum insidens, caeteris pedes euntibus, per eandem qua introierat portam egressus[a], ad tabernacula quae ipsis muris adhaerebant revertitur, Romano pontifice in palatio, quod iuxta ecclesiam habebat, remanente.

Dum haec agerentur, Romanus populus cum senatoribus suis in Capitolio convenerant. Audientes autem, imperatorem sine sua adstipulatione[b] coronam imperii accepisse, in furorem versi, cum impetu magno Tyberim transeunt, ac iuxta ecclesiam beati Petri procurrentes, quosdam ex stratoribus, qui remanserant, in ipsa sacrosancta ecclesia necare non timuerunt. Clamor attollitur. Audiens haec[c] imperator, militem ex aestus magnitudine sitisque ac laboris defatigatione recreari cupientem armari iubet. Festinabat eo amplius, quo timebat, furentem plebem in Romanum pontificem cardinalesque irruisse. Pugna conseritur ex una parte iuxta castrum Crescentii cum Romanis, ex altero latere iuxta Piscinam cum Transtyberinis. Videres nunc hos istos versus castra propellere, nunc[d] hos illos ad pontem usque repellere[d]. Adiuvabantur nostri, quod a castro Crescentii saxorum ictibus seu iaculorum non laedebantur spiculis, mulieribus etiam quae in spectaculis stabant, suos, ut aiunt, adhortantibus, ne propter inertis plebis temeritatem tam ordinatum equitum decus ab his qui in arce erant praedictis modis sauciaretur. Dubia itaque sorte dum diu ab utrisque decertaretur, Romani tandem atrocitatem nostrorum non ferentes, coguntur cedere. Cerneres nostros tam immaniter quam audacter Romanos caedendo sternere, sternendo caedere, ac si dicerent: *Accipe nunc, Roma, pro auro Arabico Teutonicum ferrum*[20]*; haec est pecunia, quam tibi princeps tuus pro tua offert corona; sic emitur a Francis imperium; talia tibi a principe tuo redduntur commercia, talia praestantur iuramenta.* Praelium hoc a decima pene diei hora usque ad noctem protractum est. Caesi fuerunt ibi vel in Tyberi mersi pene mille, capti ferme ducenti, sautiati innumeri, caeteri in fugam versi, uno tantum ex nostris, mirum dictu, occiso, uno capto. Plus enim nostros intemperies coeli aestusque illo in tempore maxime circa Urbem immoderatior, quam Romanorum laedere poterant arma.

23. Finito tam magnifico triumpho, imperator ad castra rediit, ibique et se et suis, fessa lectulis recipientibus membra, nocte illa conquievit. Altera die cum mercatum a civibus Iun. 19. amaricatis habere non posset[e], laborantem ciborum[f] inedia militem ad superiora duxit, ac paulisper ad campi planitiem procedens, tentoria locavit. Dehinc iuxta montem Soractem, in quo beatum Silvestrum olim persecutionem fugientem tradunt latuisse, Tyberim trans vadans, in quadam valle[21] campi viriditate amoena, cuiusdam amnis cursu conspicua, non longe a civitate Tiburto militem tam crebris laboribus defatigatum aliquantum quiescere permisit. Adventabat toti ecclesiae et praecipue Romanae urbis pontifici et imperatori venerabile festum apostolorum[g] Petri et Pauli. Ea ergo die missam papa Adriano cele- Iun. 29. brante, imperator coronatur[22]. Tradunt Romanorum ibi pontificem inter missarum sollempnia cunctos, qui fortasse in conflictu cum Romanis habito sanguinem fuderant, absolvisse, allegationibus usum, eo quod miles proprio principi militans eiusque obedientiae astrictus contra hostes imperii dimicans, sanguinem fundens, iure tam poli quam fori, non homicida sed vindex affirmetur. Inde castra movens, inter Urbem et Tusculanum resedit.

Iam tempus imminebat, quo Canis, ad morbidum pedem Orionis micans, exurgere Iul. 24. deberet, et[h] vicinis stagnis cavernosisque ac ruinosis circa Urbem locis tristibus erumpentibus et exhalantibus nebulis, totus vicinus crassatur aer, ad hauriendum mortalibus letifer ac pestilens[i]. Urgebatur hoc incommodo in Urbe civis, hoc tempore ad montana consuetus fugere, in castris miles, tanta desuetus aeris intemperie. Nec dubium quin cives ad obedientiam pontifici, ad deditionem principi suo venisset, si miles extra tantum incommodum pati potuisset. Verum innumeris hac coeli corruptione in morbos gravissimos incidentibus, princeps dolens ac nolens suisque tantum morem gerens, ad vicina montana transferre cogitur tabernacula. Itaque proximum ascendens Appenninum, super Nar fluvium, de quo Lucanus[22*]: *Sulphureas Nar albus aquas,* tentoria fixit, circa Tyburtum a Romano pontifice, relictis sibi captivis[k], divisus. Ibi per aliquot dies manens, acceptoque prudentum

a) *add.* 1. 3. b) astip. 1. 2. c) hoc 1. d) nunc — repellere *desunt* 1. 2. 3. e) possent 1. f) cyborum 1. g) *add.* 1. 3. h) cum 1. 2. 3; e 4. i) pestifer 1. 2. 4. k) capti[9] 1. 3.

20) V. viri rever. Tostii Itali Leg. Lomb. p. 115. 116. 21) ad pontem Lucanum. 22) id est *coronatus incedit.* 22*) immo Virgilius Aen. VII, 517. GR.

1155. consilio, corruptum quem biberant aerem farmatiis[a] propellendum, exercitum quantum poterat[b] recreavit.

Peractis ibi aliquot diebus, cum fodrum[c] a vicinis civitatibus et castellis et oppidis exquireretur, Spoletani indignationem principis incurrunt. Dupliciter enim peccaverant, cum 800 librarum facti essent obnoxii, partim defraudando, partim falsam monetam dando. Adauxit huius indignationis cumulum, quod Gwidonem comitem, cognomento Gwerram, inter omnes Tusciae proceres opulentiorem, de Apulia in legatione imperatoris ad ipsum redire volentem, in sua civitate hospitatum, comprehendere captumque tenere ausi sint. Quodque his peius erat, praeceptum principis, eum relaxari iubentis, contempserunt. Imperator ergo plus de captivitate proceris sui quam de fraudatione pecuniae motus, in Spoletanos transtulit arma. Illi murorum ambitu altissimarumque turrium muniminis multitudine non contenti[d], extra muros cum fundibulariis et sagittariis egressi, occurrendum principi putantes, quos poterant percutiebant, et quos poterant figebant. Videns hoc princeps: *Ludus*, ait, *hic puerorum, non virorum videtur concertatio*. Dixit, suosque fortiter in adversarios ruere iubet. Quo sine mora facto vallorumque obstaculis tanquam plano ex ferventium animorum fortitudine transmissis, caeduntur Spoletani, ac aliquandiu viriliter resistentes cedere coguntur. Urbis refugio se recipere volentibus, miles qui a tergo imminebat simul recipitur, fortuna iuvante virtutem. Civitas direptioni datur, et antequam asportari usui hominum profutura possent, a quodam apposito igne concremantur[e]. Cives, qui ferrum flammamque effugere poterant, in vicinum montem seminudi, vitam tantum servantes, se recipiunt. Protendebatur conflictus iste a tertia usque ad nonam. Nullus in illa concertatione privatus principe strenuior[f], nullus nec gregarius miles ad sumenda arma promptior, nullus ad periculorum exceptionem nec conductitius eo paratior. Denique ea ex parte, qua maioris ecclesiae pontificalem sedem versus ex convexo montis inaccessibilior civitas videbatur, ipse non solum suos ad assultum adhortatione[g] urgebat, minis cogebat, verum etiam aliis exempla praebebat, et non sine maximo periculo montem in propria persona ascendens, eamque[h] irrupit. Transacto Spoletanorum excidio, princeps ea nocte ibi victor remansit. Postera die, eo quod ex adustione cadaverum totus in vicino corruptus aer intolerabilem generaret nidorem, ad proxima exercitum transtulit loca, duobus diebus ibi manens, donec igni residua in usus exercitus non miserorum Spoletanorum cederent spolia.

Post haec ad maritima Adriatici aequoris loca procedit exercitus. Ibi in confiniis Anchonae[i] imperator castra ponens, Palologum, quod nos veterem sermonem dicere possumus, nobilissimum Graecorum regalisque sanguinis procerem, et Marodocum egregium virum, ex parte principis sui Constantinopolitani venientes muneraque non parva deferentes, obvios habuit. Quibus auditis causaque viae cognita, per aliquot dies secum detinuit. Dehinc accepto principum qui cum ipso erant consilio, Gwibaldum Corbeiensem simul et Stabulensem abbatem regalem, virum prudentem ac in curia magnum, in Graeciam[k], legatione ipsius ad regiae urbis principem functurum, destinavit[23].

24. Inter haec princeps Capuae, Andreas Apuliae comes caeterique eiusdem provinciae exules, Campaniam et Apuliam cum legatione imperatoris ingredientes, civitates, castella caeteraque quae olim habebant municipia sine contradictione recipiunt, accolis terrae putantibus imperatorem e vestigio ipsos subsecuturum. At[l] princeps diu cum proceribus maioribusque de exercitu consultans, plurimum ad inclinandos eorum animos, ut in Apuliam descenderent, laboravit. Verum excandescente amplius in exercitum Canis rabie, vixque aliquibus residuis qui aestus fervore et aeris intemperie corruptionem non sentirent, sauciatis quoque de civitatum, castellorum, oppidorum expugnatione pluribus nonnullisque extinctis, non sine cordis amaritudine ad Transalpina redire cogitur. Igitur signo dato, cunctis ad patriam licentia repedandi conceditur. Intrabant alii naves per Adriaticum aequor ac insulam, quae modo Venetia dicitur, ad propria reversuri. Inter quos primates fuere, Peregrinus[m] Aquilegensis patriarcha, Eberhardus[n] Babenbergensis episcopus, Berhtolfus

a) *ita* 1. 2. 3. 4. b) qu. pot. *desunt* 1. 2. 3. c) forum 1. 2. 3. d) conterriti 1. 3. e) *ita* 1; concrematur *rell.* f) strennuor 1. 3. g) adhortationem 1. h) eam 1. 3. i) Ibimus finis Anchone 7. k) Grecia 1. 3. l) *ita* 1. 3. 4; ac *edd.* m) Piligrinus 1. n) Everh. 4.

23) Haec est prima Wibaldi ad Manuelem imperatorem legatio, forsitan, ut V. D. Iansen in libro Wibald von Stablo und Corvey p. 199 opinatur, ineunte mense Augusto 1155 suscepta; altera incidit in annum 1157; vide quae notavimus infra ad IV, 22.

comes, Heinricus Carentanorum[a] dux, Odoacer[b] Stirensis marchio. Alii ad occidentales partes Longobardiae, nonnulli per montem Iovis, alii per[c] vallem Moriannae transituri carpebant iter. Complures adhuc imperatori adhaerebant. Fridericus itaque victor inclitus, triumphator, ab Anconensium territorio castra movens, per Senegalliam[d], ubi Senones Gallos olim Romani mansisse autumant, Fanum et Imolam[e] transiens, Appennino transmenso[f], in plano ulterioris Italiae iuxta Bononiam super Rhenum resedit. Inde per planam Italiam transmisso iuxta beati Benedicti coenobium ponte de[g] navibus Eridano, ad campestria Veronensium revertitur, circa principia mensis Septembris.

1155. Sept. 1.

25. Est autem antiqua Veronensium consuetudo, et quasi longinquo imperatorum utuntur privilegio, ut principes[h] Romanorum seu ad Urbem ex Transalpinis partibus venientes seu inde redeuntes, ne per ipsorum civitatem veniendo depopulationi subiaceant, paulisper sursum a civitate per pontem navibus ab eis factum Adesam[i] transeant. Hunc morem Veronenses fraudulenter secuti, pontem quidem ex navibus fecerant, sed ex ligamentorum tenaculis tam debilem, ut potius muscipulam quam pontem diceres. Alio itidem commento pernicioso usi fuerant. Ex superioribus amnis partibus validas lignorum strues in plures congesserant fasces, quatenus[k] per hoc huius rei ignarum deciperent militem, id est, ut postquam altera pars transiret, altera ponte per haec diabolica machinamenta dirupto remaneret, ipsi in alteros irruerent. Inciderunt iniqui in foveam, iuxta scripturam, quam fecerunt. Denique nutu Dei saluti principis exercitusque sui praevidentis factum est, ut et miles sine dampno tamen periculose transiret, et praedictae strues supervenientes ponte diruto quosdam ex hostibus, qui exercitum subsecuti fuerant, eodem quo venerant meatu reverti se putantes, interciperent. Qui mox omnes sicut traditores trucidati sunt. Ea nocte fessus laboribus in vicino resedit miles.

cf. Psal. 7, 16.

Erant in imminenti fauces montium, saxumque fortissimum prope in declivo rupis inaccessibilem observans[l] viam. Oportebat per de subtus exercitum transire. Talis est enim ibi natura locorum. Ex una parte labitur Athesa[m] fluvius invadabilis, ex altera praerupta montis praecipitia viam stringunt, et vix semitam artissimam faciunt. In hac arce, quodam Alberico nobili Veronensium equite auctore, latrunculorum praedandi causa convolaverat multitudo. Igitur adventante exercitu, quidam ex eis, qui ea die qua Athesa transmissa est, transire cupiebant, pacifice ex industri dolo angustias a latronibus transpedare permittuntur. Venientibus sequenti luce aliis, latrones ad saxorum moles currunt, transmeandi facultatem praepediunt. Principem ea latere non poterant. Erant adhuc in comitatu suo[n] duo Veronensium civium illustres equites, qui eum ad Urbem prosecuti ac inde usque ad praesentem locum secuti fuerant, Garzabanus et Isaac[o]. Hos princeps ad praedictos latrones destinandos putavit, ut ita communicato concivium suorum consilio a coepta facilius desisterent malitia. Illi eos nec audire sed ictibus propellere, imperator, rursum aliis eo destinatis, illos ab incepto desistere iubet. At illi in pertinaci obstinatione sua remanentes, lapides itidem iactare coeperunt, dicentes, imperatorem ibi[p] nunquam transiturum, nisi a singulis equitibus loricam vel equum haberent et insuper non modicam pecuniam a principe. Audiens haec[q] imperator: *Dura est*, inquit, *haec conditio, durum est latroni principem tributa persolvere.* Quid faceret? quo se verteret? Flumen transvadaret? at[r] ad transvadandum aptum[s] natura renitente non erat. Ingenio transiret? pons dirutus fuit. Civitatem versus descenderet? sed et ibi mons ad flumen se stringens clausuram fecerat, quam Veronensium praesidia observabant. Ad consueta priorum virtutum se vertit insignia. Oportebat enim qualicunque praedictam arcem expugnari ingenio. Iubet sarcinas deponi, tentoria quasi erigi, ac si eadem ibidem nocte figenda forent tabernacula. *Hic*, inquit, *tanquam patriae nobis arridente vestibulo, tot decursis periculis laborum nostrorum consummationem hic habebimus.* Sic suos alloquens, ac si illo Virgiliano uteretur:

Aen. I, 198. 199. 203.

O socii, neque inexpertes sumus ante laborum,
O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.
— Forsan et haec olim meminisse iuvabit,

omnes armari iubet. Deinde vocato Garzabano et Isaac[o], de situ locorum quove aperiri possit via ingenio, inquirendo solerter edoceri petit. At illi: *Cernis eam quae super arcem*

a) Carint. 3. b) Othakker 1; Odakere 3. c) alii per *desunt* 1. 2. 3. d) Senegallam 1. 3; Senegaliam 4. e) Ymulam 1. 3. f) transmerso 1. 2. g) ponte de *desunt edd.* h) princeps 1. 2. 3. i) *ita* 1. 3; Adesim 2; Addesam 4. k) quatinus 1. l) *ita* 1. 2. 3; servans *edd.* m) *ita* 1. 2. 3. 4; Athesis *edd.* n) eius 1. 2. 3. o) Ysaac 1. 4. p) sibi 2. q) hoc 1. 3. r) *add.* 1. 2. 3. s) *ita* 1. 3; aptus *edd.*

1155. *dependet rupem, eminentia sua terribilem, confragosis*[a] *locis saxorumque asperitate quasi inaccessibilem? Illam, nisi forte ab eis observetur, si incautis praeripere*[b] *poteris, propositum tenebis.* Nec mora, mittuntur cum Ottone[c] vexillifero quasi ducenti lectissimi iuvenes armati. Illi per devia sylvarum et montium, per concava et confragosa Alpium oberrando loca, tandem cum multo sudore ad praedictam perveniunt rupem. Quae[d] dum quasi ferro abscissa[e] nullum ascendendi aditum militi offerret, curvatur alius, ut socium dorso levet, alius ad erigendum commilitonem suum[f] humeros praebet, post haec de hastis facientes scalam — nam gravabatur admodum hac naturali ut ita dicam scala armatus eques — cuncti ad summitatem perveniunt rupis. Exeritur ab Ottone[g] imperatoris vexillum, quod ab eo prius latenter gestabatur. Hoc signo tanquam victoriam praesagiente, clamor et cantus attollitur, exercitus qui in valle manebat, ad assultum properat. Latrunculi huius rei incauti — putabant enim praedictam rupem cunctis mortalibus inpermeabilem solis avibus perviam fore — viso quod ex infernis et supernis urgerentur locis, desperatione corripiuntur, fugamque moliuntur; sed fugae locus non erat. Quicunque enim ex eis praecipitii praesidio se committeret, ex collisione hinc inde saxorum confractus membratimque discerptus, ante quam ad solum perveniret, animam in inani ponebat. Tanta erat saxi eminentia, tanta fuit hispidae rupis scabrosa malitia. Quid plura? Uno ut aiunt excepto[h] solo, qui cavernosis locis absconsus delitescens mortem evasit, caeteri omnes obtruncantur, duodecim cum Alberico captis ac ad supplicium reservatis. Erant pene omnes, qui deprehensi in vinculis tenebantur, equestris ordinis.

Praesentatis igitur praedictis viris principi ad patibulique supplicia adiudicatis, unus ex eis inquit: *Audi, imperator nobilissime, miserrimi hominis sortem. Gallus ego natione sum, non Longobardus*[i], *ordine quamvis pauper eques, conditione liber, casu non industria his*[k] *latronibus adiunctus pro resarcienda familiaris rei penuria. Promiserunt se ducturos me ad loca talia, ubi mea posset relevari inopia. Credidi miser, consensi credulus, ductus sum ab iniquis et seductus ad haec infortunia. Quis enim in quolibet mortalium tam praecipitatae mentis speraret insaniam, tam furentis animi expectaret audaciam? Quis*[l] *a proprio cliente has suo principi Urbis et Orbis dominatori necti crederet insidias? Parce, princeps, parce misero, parce miserabiliter seducto.* Hunc solum imperator gloriosus de caeteris sententia mortis[m] eripiendum decrevit, hoc ei tantum pro poena imposito, ut, funibus cervicibus singulorum appositis, ligni supplicio commilitones plecteret. Sicque factum est. Non illis miserrimis profuit multa, quam pro vita redimenda promittebant, pecunia. A districto iudice patibulo appensi sunt. Caeteri omnes, qui per declivia[n] montium dispersi iacebant, ut cunctis transeuntibus temeritatis suae praeberent documenta, in ipsa via in cumulos acti. Fuerunt autem, ut dicebatur[o], quasi quingenti.

26. Princeps, transitis locorum angustiis, iam cunctis emensis periculis, nocte illa in
2. Tridentinorum[p] territorio[24] castra laetus locavit. Dehinc per Tridentum vallemque[q] Tridentinam transiens, ad Bauzanum[25] usque pervenit. Haec villa in termino Italiae Baioariaeque posita dulce vinum atque ad vehendum in exteras regiones naturale Noricis mittit. Inde multis se ad propria dispergentibus domicilia, per Brixinoram iter agens, ad Baioariae planitiem eodem ferme quo inde egressus fuerat tempore vertente anno rediit. Haec de expeditionis illius[r] processu et proventu pauca de multis enarrasse sufficiat. Neque enim cuncta ibi fortiter gesta a nobis ea ordinis integritate stylique urbanitate dici poterant, ac si oculis nostris illa vidissemus. Nam antiquorum mos fuisse traditur, ut illi qui res ipsas prout gestae fuerunt sensibus perceperant, earundem scriptores existerent. Unde et historia ab histereon[s, 26], quod in Graeco videre sonat, appellari consuevit. Tanto enim quisque ea quae vidit et audivit, plenius edicere poterit, quanto nullius gratia egens, hac illacque ad inquisitionem veritatis non circunfertur dubie anxius et anxie dubius. Durum siquidem est scriptoris animum tanquam proprii extorrem examinis ad alienum pendere arbitrium.

27. Igitur consummato feliciter viae labore, princeps ad familiaria remeans domicilia, alloquitur in confinio Ratisponensium patruum suum Heinricum ducem, ut ei de transactione

a) et fragosis *edd.* b) *ita* 1. 2. 4; praecidere *edd.* c) Othone 3. d) quem 1. 3. e) abscisa 1. 3. 4. f) *deest* 1. 3. g) Othone 3. h) uno autem solo *edd.* i) *ita* 1. 3; Lombardus *edd.* k) bis 3. l) qui 1. 3. m) mortis sent. 1. 3. n) decliva 1. 2. 3. o) dicitur 4 *et edd.* p) Tred. 1. 3. q) vallem 1. 3. r) *add.* 1. 2. 3. s) *ita* 1. 3; histeron 4.

24) Privilegium a Friderico I. ecclesiae Leodiensi concessum datum est die 7. Septembris 1155. *apud civitatem Tridentinam.* Böhmer 2350. 25) Botzen. 26) loco ἱστορεῖν.

facienda cum altero Heinrico, qui iam, ut dictum est, ducatum Baioariae iudicio principum obtinuerat, persuaderet. Cui dum ille tunc non acquiesceret, iterum diem alium, quo eum super eodem negocio per internuncios conveniret, in Baioaria versus confinium Boemorum constituit. Quo princeps veniens, Labezlaum[a] ducem Boemiae, Albertum marchionem Saxoniae, Herimannum palatinum comitem Rheni cum aliis viris magnis obvios habuit. Tantus etenim eos qui remanserant ob ipsius gestorum magnificentiam invaserat metus, ut omnes ultro[b] venirent, et quilibet familiaritatis eius gratiam obsequio contenderet invenire. Quantum etiam Italis timorem incusserit factorum eius memoria, ex legatis Veronensium perpendi potest, quod in proximo, Deo largiente, plenius dicendum erit. At cum multis modis ad transigendum nos, qui mediatorum ibi vice fungebamur, operam daremus, infecto adhuc negocio, insalutati ab invicem separati sunt. 1155.

28. Post haec mediante Octobre, imperator Ratisponam Norici ducatus metropolim, curiam celebraturus ingreditur, habens secum Heinricum, Heinrici ducis filium, in possessionem eiusdem ducatus mittendum. Haec civitas super Danubium, qui unus trium famosissimorum fluminum in Europa a topografis dicitur, ex ea parte qua praedicto amni duo navigabilia, Reginus scilicet et Naba, illabuntur flumina posita, eo quod ratibus opportuna bonaque sit vel a ponendo[c] ibi[d] rates Ratisbona vel Ratispona vocatur, Baioariorum[e] quondam regum modo ducum sedes. Venerunt ad eam curiam Arnaldus[f] Maguntinus[g] archiepiscopus et praedictus Herimannus Rheni palatinus comes, uterque alter de altero querimoniam facientes. Denique manente in Italia principe, totum pene Transalpinum imperium seditionibus motum, ferro flamma publicisque congressionibus turbatum[h], absentiam sui sensit praesulis[i]. Inter quos hi duo magnates[k], tanto ad nocendum efficaciores quanto fortiores, totam pene Rheni provinciam et praecipue Maguntinae[l] civitatis nobile territorium praeda caede et incendiis commacularant. Igitur sedente ibi in publico consistorio imperatore, iam saepe nominatus Heinricus dux possessionem suam patrumque suorum recipit sedem. Nam et proceres Baioariae[m] hominio et sacramento sibi obligantur, et cives non solum iuramento sed etiam, ne ullam vacillandi potestatem haberent, vadibus obfirmantur. Oct. 15.

Impetitur ibi Hardewicus, qui noviter per electionem cleri et populi et metropolitani sui consecrationem pontificatum eiusdem civitatis acceperat. Regalia siquidem, quae iuxta rationes curiae nulli episcoporum militi, antequam de manu principis suscipiantur, tradere licet, ipse huius rei nescius impraemeditate, morante adhuc in Italia principe, tradiderat; ob ea in causa positus, dum et factum inficiari qualitatemve facti defendere nequit, compositionis incurrit noxam[n]. Caeteri quoque qui ab eo susceperant, quique iuxta suam conditionem et sortem in plusve minusve consimili poena dampnantur. Est enim lex curiae, quod quisquis de ordine principum principis sui iram incurrens compositionem persolvere cogatur, centum librarum debitor existat, caeteri minoris ordinis viri, sive liberi vel ministri, decem.

Ad eandem curiam episcopus Veronensis[o] a populo suo ad imperatorem destinatus venit, habens secum praedictos duos[p] equites, Garzabanum et Isaac. Qui cum praesentiae principis admissus fuisset, inquit: *Princeps gloriosissime, fidelissimi tui Veronenses ad tuam destinaverunt nos magnificentiam. Neque enim ego, qui eiusdem civitatis quamvis indignus episcopus vocor, prius hanc legationem suscipere volui, donec omnibus in maiore ecclesia congregatis, tanquam Deo teste, ea quae ore proferebantur[q], corde se tenere unanimiter assererent. Denique credendum non est, populum animi virtute praestantem, rerum abundantia[r] pollentem, pastorem animarum suarum deceptionis baiulum[s] facere. Alium invenire poterant fraudis idoneiorem[t] ministrum. Praeterea hi mihi collegae iuncti sunt, quorum tu fidem in negociis, fortitudinem in praeliis, proxima tua expertus es expeditione. Crede ergo, domine, crede quod dicimus. Populus tuus Veronensis tuus peculiaris est populus, tibi tanquam domino et imperatori suo[u] fideliter devotissimus et devote fidelissimus. Audierunt, dum per eorum fines transires, quosdam latrunculos angustias viarum observare ausos fuisse; cognoverunt etiam te eosdem debita animadversione punisse. Audivit haec[v] Verona et laetata est. Non reputat suos*

a) Labezlavit 3; Labezalaum 4. b) ut ultro 3. c) apponendo 1. 2. d) *deest* 1. 3. e) Bawar. 1. f) Arnolduss 1. g) Magont. 1. 3; Mogont. 4. h) tubatum 4. i) principis 1. k) *ita* 1. 3; duo hi principes *edd.* l) Magont. 1; Mogont. 3. m) Bawar. 1. n) noxiam 3. o) Veron. ep. 1. p) duos praed. 1. 4. q) proferebant 1. 4. r) hab. 1. 4. s) baiolum 1. 4. t) ydoneiorem 1; idoniorem 4. u) *add.* 1. 3. v) hoc 1. 3.

1155. *cives maiestatis*[a] *tuae insidiatores. Absit ut suos cives putet, qui latrocinio inserviunt. Audivit rursum, unde non mediocriter indoluit, huius te rei suspicionem de tua habere civitate. Ad hoc missi sumus. Quicunque hoc tuae insinuavit serenitati, criminator fuit, aliena felicitate lividus. Delatorem eum scias, non cognitorem. Nunquid non sacramento fidelitatis tibi obligata est Verona? Nunquid, cum ab ea recederes, in tua non remansit gratia? Offenderetne sub bonae fidei pallio perfide*[b] *Verona principem, quae hoc modo laedere non solet aequalem? Visne amplius? Sed si his credere non placet allegationum rationibus, excusat se super hoc facto Verona. Famam purgare, innocentiam probare iudicio curiae parata est coram tuae maiestatis excellentia. Recipiat ergo bonus princeps devoti populi sui purgationem innocentiae, et convertat indignationis suae aculeos contra Mediolanensium et Romanorum superbiam.* Hac legatione accepta, imperator cum principibus consilium capit. Postea, sicut cognovimus, in gratiam recepta est Verona Nam et magnam pecuniam dedit, ac militiam quam[c] habere posset contra Mediolanenses ducere sacramento firmavit.

Dec. 25. Inde ad partes Rheni se conferens, proximum natale Domini Wormaciae[d] celebravit Ea namque regio, quam Rhenus nobilissimus fluvius, ex trium Europae nominatissimorum fluviorum unus, intersecat, ex una ripa Galliae, ex altera Germaniae limes, in frumento et vino opima, venationibus et piscationibus copiosa — habet enim ex parte Galliae vicinum Vosagum et Ardennam[e], ex parte Germaniae sylvas non mediocres, barbara adhuc nomina retinentes — in Transalpinis manentes principes diutissime servare potest. Ad hanc curiam Arnaldus[f] Maguntinus archiepiscopus et Herimannus palatinus comes venientes, de hoc quod absente principe terram illam, ut supra dictum est, praeda et incendio perturbarant, in causam ponuntur, ambobusque cum complicibus suis reis inventis, alteri ob senii morumque gravitatem et pontificalis ordinis reverentiam parcitur, alter poena debita[g] plectitur. Denique vetus consuetudo pro lege apud Francos et Suevos[h] inolevit, ut si quis nobilis, ministerialis[i] vel colonus coram suo iudice pro huiusmodi excessibus[k] reus inventus fuerit, antequam mortis sententia puniatur, ad confusionis suae ignominiam nobilis canem, ministerialis sellam, rusticus aratri rotam[l] de comitatu in proximum comitatum gestare cogatur. Hunc morem imperator servans, palatinum istum comitem, magnum imperii principem, cum decem comitibus complicibus suis canes per Teutonicum miliare portare coegit. Hoc tam districto iudicio per totam Transalpini imperii latitudinem promulgato, tantus omnes terror invasit, ut universi magis quiescere quam bellorum turbini inservire vellent. Accessit ad huius tam magni boni augmentum, quod princeps circumquaque non impigre discurrens, nonnullorum raptorum castra, munitiones et[m] receptacula diruit, quosdam comprehensos capitali sententia plectendo, alios patibuli tormento torquendo; sola Baioaria[n] propter praenominatam litem huius gratiae particeps nondum fieri[o] meruit.

1156. 29. Eodem anno inter pascha et pentecosten Arnaldus[p] Coloniensis archiepiscopus, vir honestus suaeque ecclesiae reparator, diem obiit[27]. Imperator ad Baioariam[q] rediit et
Iun. 3. dies[r] pentecostes in quodam castro Ottonis[s] palatini comitis privatus erat. Proxima dehinc
Iun. 5. feria tertia[t], non longe a civitate Ratispona[28] patruum suum Heinricum ducem alloquens, ad transactionem cum altero itidem Heinrico faciendam tunc demum inclinavit. Praeponebat hoc princeps omnibus eventuum suorum successibus, si tam magnos sibique tam affines imperii sui principes sine sanguinis effusione in concordiam revocare posset.
Iun. 10–17. Sequenti[u] dehinc ebdomada in civitate orientalis Franciae Herbipoli regio apparatu, multa principum astipulatione, iuncta sibi Beatrice Reinaldi[v] comitis filia, nuptias celebrat. Reinaldus[w] iste de antiqua et illustri Burgundionum[x] prosapia originem trahens, illius Burgundiae comes dicebatur[y], quae olim a Rodolfo[z] rege imperatori Heinrico Conradi filio cum testamento relicta, regnum erat. Haec eadem provincia est, a qua Conradus dux[29]

a) mag. 1 *fere semper.* b) *ita* 1. 2. 3; per fidem *edd.* c) quantam 1. d) *ita* 4; Warmatie 1; Barmacie 2; Warmatię 3. e) Ardemiam 1. 2. f) Arnoldus 1. 3. g) deb. p. 1. 3. h) Vetus con. apud Teutonicos et Swevos 6. i) nob. vel min. 6. k) pro praeda et incendio 6. l) rust. ar. rot. *desunt* 1. 2. 3. 4. 6. m) *add.* 1. 3. n) Bawaria 1. o) *deest* 1. 2. 3. p) Arnoldus 1. 4. q) Bawariam 1. r) rediens dies 4 *et edd.* s) Othonis 1. t) tercia feria 1. 3. u) proxima 1. 3; sequente 4. v) Reginoldi 1. w) Reginoldus 1; Reginaldus 2. x) burgundiorum 1. 2. 3; Burgundionum 4 *et edd.* y) dicebatur peruer 2, *quod non intelligo quid sibi velit.* z) *ita* 1. 2. 3; Radulfo 4.

27) die 14. Maii 1156. 28) in Kelheim prope Danubium, suspicatur Huschberg p. 297. 29) de Zeringa.

eiusque filius Bertholfus[a] duces vocari consueverunt. Quae vero huius disceptationis causa fuerit, paucis absolvam. Mos in illa, qui pene in omnibus Galliae provinciis servatur, remansit, quod semper seniori fratri eiusque liberis, seu maribus[b] seu foeminis, paternae haereditatis cedat auctoritas, caeteris ad illum tanquam ad dominum respicientibus. Ex qua consuetudine factum est, ut Gwillehelmus qui dicebatur puer, huius ex parte patris consanguineus, Conradi vero ducis sororis filius, rerum summam, dum adhuc viveret[c], illa in[d] provincia haberet. Quo fraude suorum rebus humanis exempto[30], Reinaldo[e] comiti iure haereditario dominium cessit. Actum est hoc sub Heinrico V. seu Lothario II.[31] Verum praedictus comes nimis iustitiae suae confisus — erat enim homo lenis et ex lenitate sua nimia remissus — curias principis adire neglexit. Ex quo factum est, ut indignatione motus princeps praedictam terram Conrado duci concederet[32], sicque uterque vicina[f] sibi vendicaret loca. Longa itaque concertatione, in tantum ut etiam in campo congressu publico ab eis pugnaretur, pene usque in praesentiarum deducta est haec controversia, donec recenter ab imperatore, sicut cognovimus, eo tenore decisa est[33], quod Bertholfus[g] praedicti Conradi filius in negocii transactionem[h] tres civitates inter Iurum[i] et montem Iovis, Losannam, Gebennam et N. accepit, caeteris omnibus imperatrici relictis. Protenditur etenim haec provincia pene a Basilea, id est a castro quod Mons Biliardi[k] vocatur, usque ad Isaram[l] fluvium, de quo Lucanus: 1156.

Hi vada liquerunt Isarae, Phars. I,399.

iunctam habens dominatui suo eam terram, quae proprie Provincia vocatur, et ab eo flumine porrigitur usque ad ea loca, qua Rhodanus mari recipitur et Arelatum civitas sita est. At Reinaldus[m] iste Simonis[n] Lotharingiorum ducis filiam ducens, ab ea tantum hanc puellam suscepit, ipsamque non multo post moriens secundum praedictum morem totius terrae suae haeredem reliquit. Quam imperator, ut ostensum est, in matrimonio sortitus, non solum Burgundiam sed et Provinciam imperio iam diu alienatas sub uxoris titulo, ut postmodum plenius dicetur, familiariter possidere coepit.

Ad eam curiam Gwibaldus Corbeiensis[o] abbas, a Graecia rediens, venit[34]. Nam legati Graecorum, qui cum eo ad imperatorem destinati fuerant, apud Iuvaviam[p] relicti, praesentiae principis non admittebantur. Cuius rei ratio haec fuit. Cum ab eo circa Anconam recessissent, litteras quasdam sigillo suo clausas per surreptionem acceperant. Igitur redeunte ad Transalpina[q] principe, Graeci Campaniam simul et Apuliam ingrediuntur, ostensisque imperialibus litteris, maritima sibi a[r] principe concessa fuisse loca[s] mentiuntur, sicque indigenas quosque non solum auctoritate imperatoris terrendo sed et auro corrumpendo totam provinciam ad suam ditionem inclinant[t]. Inde Barrum usque procedentes, arcem ubi Gwillehelmi praesidia posita erant expugnant. Mortuus fuit ibi Palologus et ad terram suam deportatus. Adiuvabantur non solum exulum, videlicet principis Capuani, Andreae comitis aliorumque qui noviter terras suas receperant auxilio, sed et Roberti[u] Cavillensis cuiusdam comitis, magni de terra illa viri, quem[v] per pecuniam[w] sibi allexerant. Praeterea totus pene populus in civitatibus oppidisque manens, eo quod iam diu Gwillehelmi huius ut pridem[x] patris sui Rogerii tyrannide premeretur, tanquam de iugo tam gravi liberari optans, illis adhaerebat. Diffamabatur non solum per vicinas[y] regiones, sed et[z] ad nos usque pervenit, Gwillehelmum[*] vel vitam finisse, vel ex vi morborum sensum amisisse, Graecos iam omnes illas provincias possidere. Audivit hoc princeps,

a) *ita* 1; Berhtolfus 2. 3. b) maioribus 1. 2. 3. c) dum aduiveret 3. d) in illa 1. e) *ita* 3. 4; Reinoldo 1. f) vinc. 4. g) Bertholdus 1; Berhtoldus 3. h) transactione 3. i) Iuram *edd.* k) Baliardi 3. l) Ys. 1. m) Reinoldus 1. n) Symonis 1. 4. o) Corbagensis 2. 3. 4. p) Iuaviam 4. q) transalpinam 3. r) *deest* 3. s) *add.* 1. 3. t) inclinavit 2. u) Rŏb. 1. 3. v) quam 3. w) pecunia 1. 2. 3. x) ut prid. *add.* 1. 2. 3. y) provincias 2. z) *deest* 1. 3. *) Gwillehelmus 3.

30) Obiit die 1. Martii 1127. Cfr. Jaffé Lothar p. 63. 31) Lothario regnante, uti ex obituali ducis Wilhelmi anno apparet. 32) in conventu mense Septembri 1127. Spirae habito. Cfr. Jaffé Lothar p. 65. 33) Cfr. *Conventio inter Fridericum regem et Bertolfum ducem* inter epist. Wibaldi n. 253. A. C. II. p. 523. 34) Hic Noster erroris arguitur a V. Cl. Jansen in libro laudato p. 206 not. 2, qui ib. p. 200 Wibaldum iam exeunte anno 1155. ex Graecia rediisse opinatur. At valde obscuri sunt ultimi Wibaldi anni, neque charta ipsius, quam Iansen p. 203. n. 12 (Erhard R. W. 1821. C. 300.) in partes vocat, id indubie probatur, quod abbas iam die 10. Febr. 1156. Corbeiae redux erat. Wibaldum autem conventui Wirzeburgensi interfuisse ostendit Iansen l. c. p. 232 ex charta Friderici I. data Wirceburg die 13. Iun. 1156. (Mon. Boica 29 a, p. 321.), cui testis subscripsit.

1156. indignationeque motus consultabat diutissime, an praedicti legati, qui ex parte principis sui Manuel advenerant, praesentiae suae admittendi, vel tanquam traditores puniendi, vel contemptibiliter facultatem redeundi accepturi forent. Tandem inclinatus quorundam precibus, audientiam eis praestare disponit, et ob hoc dies eis in Norico castro mense Iulio praescribitur.

30. Ipse vero quamvis Gwillehelmum odiret, nolens tamen imperii sui limites tyrannica Rogerii rabie usurpatos, ab exteris eripi, expeditionem illo iurare fecit. Non multo tamen post, ex quo cognovit Gwillehelmum, fusis[a] Graecis, Apuliam et Calabriam[b] recepisse, consilium mutavit, et ad compescendam Mediolanensium contumaciam iram convertit. Iul. Unde eius tale scriptum ad principes destinatum invenitur: *Fridericus*[35] *Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus dilecto patruo suo Ottoni*[c] *Frisingensi episcopo gratiam suam et omne bonum. Quia divina providente clementia, Urbis et Orbis gubernacula tenemus, iuxta diversos*[d] *eventus rerum et successiones temporum sacro imperio et divae rei publicae consulere debemus. Cum enim ea, quae necessitatis causa instituta fuerint, cessante necessitate cessare* Iun. *debeant, expeditionem, quam proxime Wirzeburch*[e] *propter invasionem Graecorum in Apuliam iurari praecepimus, post fugam eorum tibi caeterisque principibus relaxamus, ut ad alia imperii negocia promptiores eos invenire possimus. Verum quia Mediolanensium superbia iam diu caput contra Romanum erexit imperium*[f]*, et modo sua fortitudine totam Italiam subvertere vel suo nititur subiugare dominio, ne tanta praesumptio nostro tempore praevaleat, vel gloriam nostram plebs improba usurpare vel conculcare valeat, futuris casibus viriliter occurrere et ad destructionem eorum omne robur imperii excitare intendimus. Ex iudicio igitur principum expeditionem contra Mediolanum a proximo pentecosten*[g] *ad annum iuratam*[h] *tibi indicimus, quam intime rogantes et praecipientes, quatenus ad eam nobiscum peragendam a vigilia pentecosten ad annum Ulmae nobis*[i] *indubitanter occurras, certus, quod nec te nec aliquem principum nostrorum montem Appenninum transire cogemus.*

Denique princeps ad Transalpina rediens, sicut Francis praesentia sua pacem reddidit, sic Italis absentia subtraxit. Nam non solum Apulia et Campania huius mali, ut ostensum est, particeps fuit, sed etiam ulterior Italia, absentiam sui sentiens principis, immunis ab hoc turbine esse non potuit. Mediolanenses siquidem, mox reaedificata Terdona, Papiensium renovant bellum, duobus super Ticinum[k] fabricatis pontibus, fines eorum irrumpunt, oppidum quoddam Vigevenum[l], ubi multi ex ipsis simul cum marchione Gwillehelmo fuerunt, obsidione vallant, ac tandem artificiose ad deditionem[m] coactos[n] pacem petere, obsides dare compellunt Sed cum duras nimium pacis conditiones audissent, rursus rebellare temptabant Papienses. Igitur Mediolanenses per pontes quos fecerant transmeantes, Limellum[o] reaedificant, totumque pene territorium Papiensium crudeliter depopulantur.

31. Ea tempestate defuncto, ut dictum est, Arnaldo[p] Coloniensi archiepiscopo, ecclesia illa ad electionem faciendam conveniens, gravissime scissa est, praepositis et abbatibus Gerhardum Bunnensem praepositum, maioris ecclesiae autem canonicis, qui tunc temporis praeposito et decano carebant, Fridericum[q] Adolfi comitis filium eligentibus. Iul. Itaque imperatore mense Iulio in Norico castro, ubi Graeci eius maiestati praesentandi erant, morante[r], utraeque istae partes causam suam principi ostensurae veniunt. Non longe ante haec tempora Graecorum princeps cum Boricio contra Ungaros copias mittens, magnum sui detrimentum accepit exercitus, in tantum, ut et Boricius a quodam qui secum venerat Cumano, qui et Schitha[s], sagitta transfixus necaretur. Eapropter praedicti nuncii non solum ob firmandum connubium ad imperatorem venerant, sed etiam ad vindicandam[t] suam de Ungaris auctoritate principis iniuriam; in utroque frustrati sunt. Nam et imperator aliam sibi, ut praedictum est, in matrimonio iunxerat, et expeditio contra Ungaros — postulabant enim in proximo eam Septembri fieri — tam celeriter fieri vel[u] ordinari non poterat. Admittuntur tamen eius conspectui, scripta recipiuntur. Remittitur cum eis Stephanus capellanus imperatoris, per quem princeps de illius principis voluntate amplius

a) *corr. 3 m. saec. XV.* fugalis. b) Gal. 3. c) O. 1. d) diversus 6. e) *ita* 1. 3; Birzeburch 2; Wirzeburc 4; Wirziburch 6. f) contra nomen erexit imperium 1; cont. Rom. er. imp. 2. 3. 6. g) *ita* 1. 2. 3. h) iuratam — annum *secunda manu suppleta in* 1. i) nobis Ulmae 6. k) Tyc. 1. l) Uingeuum 1. 2. 4; Vingeuv̄ 3. m) additionem 3 n) eo actos 3. o) *ita* 1. 3; Lunellum *edd.* p) Arnoldo 1. q) Fred. 1. r) manente 2. s) *ita* 1. 2. 3; Scitha 4. t) *ita* 1. 2. 3; iudic. 4; indic. *edd.* u) fieri vel *desunt* 1. 2. 3; *in marg. adscr.* 4.

35) Cfr. Legg. II. p. 99.

cognoscat. Sed de Graecis dicta hunc teneant locum. Procedunt Colonienses, advocatos 1156.
exposcunt, de sua utrique electione per triduum coram principe decertant et conrixantur. Tandem princeps utrorumque auditis legationibus[a], consilio et iudicio quos secum habebat episcoporum aliorumque principum praedictam causam ad curiam Ratisponensem[b], ubi consilium pro terminanda duorum ducum lite publicari debuit, producendam decrevit.

32. Igitur mediante iam Septembre, principes Ratisponae conveniunt, ac per aliquot Sept. 17.
dies praesentiam imperatoris praestolabantur[c]. Dehinc principe patruo suo in campum occurrente — manebat enim ille ad duo Teutonica miliaria in papilionibus — cunctisque proceribus virisque magnis accurrentibus, consilium, quod iam diu secreto retentum celabatur,
publicatum est. Erat autem haec summa, ut recolo[36], concordiae. Heinricus maior natu 36
ducatum Baioariae[d] septem per vexilla imperatori[e] resignavit. Quibus minori[f] traditis, ille duobus vexillis marchiam Orientalem cum comitatibus ad eam ex antiquo pertinentibus reddidit. Exinde de eadem marchia cum praedictis comitatibus, quos tres dicunt, iudicio principum ducatum fecit, eumque non solum sibi sed et uxori cum duobus vexillis tradidit, neve in posterum ab aliquo successorum suorum mutari posset aut infringi, privilegio confirmavit. Acta sunt haec anno regni eius 5, imperii 2. Itaque[g] ad civitatem, iuxta quod praeoptaverat, inter patruum et avunculi sui filium terminata sine sanguinis effusione
controversia, laetus rediit, ac statim sequenti die in publico residens consistorio, ne Sept. 18.
Baioaria ulterius totius regni quietis immunis esset, treugam a proximo pentecosten ad annum iurari fecit. Porro tanta ab ea die usque in praesentiarum toti Transalpino pacis iocunditas arrisit imperio, ut non solum imperator et augustus, sed et pater patriae iure dicatur Fridericus. Enimvero antequam haec curia terminaretur, praesentata sibi iterum de Coloniensi ecclesia utraque parte alteram electionem, eam videlicet quae a canonicis maioris ecclesiae facta fuit, validiorem iudicans, Fridericum Adolfi comitis filium de regalibus investit, sicque eum a Romano pontifice consecrandum ad Urbem misit.

Tanta sunt quae de tuae maiestatis virtutibus dici possent, augustorum optime, quod, si simul sine interpolatione insipienter effundantur, scribentis praefocare possent animum. Quare huic secundo operi terminus detur, ut ad ea quae dicenda restant tertio locus servetur volumini[h].

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS.

Viris prudentissimis, pace et militia exercitatis, Oulrico[i, 37] et Heinrico[38], sacri palatii uni cancellario, alteri protonotario[k], Radewinus[l] sanctae Frisingensis ecclesiae professione canonicus, ordine diaconus, dignitate praepositus[m] licet indignus, simul cum intellectu spiritu pietatis abundare.

Interrogans generationem pristinam, et diligenter investigans patrum memoriam, multis experimentis invenio, humanarum rerum nichil firmum, nichil perpetuum, sed dies hominis velocius transire, quam a texente tela succiditur, et vitam eius velocius umbra aut vento declinare. Quod cum multis et magnis clarum sit experimentis, etiam praesentis operis pagina suum nobis ex inde praebet documentum, quae ab auctore suo felicis memoriae venusti sermonis inchoata principio[n], ipso[o], proh dolor! infausta morte praevento, nostrae parvitati, velut abortiva et quasi de sinu[p] domini sui funere rapta, eius iussu pariterque serenissimi et

a) *ita* 1. 2. 3; allegationibus *edd.* b) Ratisponensium 2. c) praestolantur 1. 2. d) Baw 1. e) *add.* 1. 3. f) iuniori 1. 2. g) ita 1. 4. h) Huc usque Otto episcopus. Deinceps Radewinus 1; Incipit Prologus sequentis operis 1. 2; Liber hystoriarum Ottonis Frisingensis secundus de Friderico imp. primo explicit Incipit prologus in tercium de eodem principe 3 *man. saec. XV. add.*, Huc usque Otto episcopus cronica sua a Magistro R. 4. i) *ita* 1. 3. k) pronotario 1. 2. 3. 6; notario *edd.* l) *ita* 1. 3. 6; Radebinus 2; R. 4. 8. 9. m) d. p. *add.* 1. 2. 3. 6. n) *add.* 1. 2. 3. 4. 6. o) ipso *corr.* 3. *man. saec. XV:* ipsoque. p) *add.* 1. 2. 3.

36) Otto ipse inter testes privilegii Heinrico duci Austriae in conventu Ratisponensi die 17. Sept. 1156. concessi laudatur. 37) Udalrici sacri palatii cancellarii epistola exstat apud Teugnagel Veter. mon. p. 404. 38) Iam Conradi III. chartis subscripsit. Vide Jaffé Conrad III. p. 185. n. 57. Friderici I. vero summam gratiam obtinuisse videtur, teste eiusdem epistola a. 1158. ad Eberhardum archiepisc. Salzburgensem data apud Sudendorf Reg. I. p. 61. n. 21: *Quod ab ore legatorum nostrorum, magistri videlicet H. sacri palatii nostri prothonotarii, qui de omnibus consiliis nostris magis est secretarius et familiaris, et comitis H. de Dietz, plenius cognoscere poteris.*

divi imperatoris Friderici[a] *nutu fovenda et promovenda committitur. Parendum ergo tam magnis praeceptoribus deliberavi, malens potius de rudis informitate sermonis subire iudicium, quam de perfida desidia seu deside perfidia*[b] *notari, si tam clari ac magni viri michique karissimi domini tam praeclarae materiae coeptum opus et memoriale pariter cum illo in interitum atque oblivionem passus fuissem venire. Et vestrae quidem prudentiae potissimum labor iste debebatur, apud quos exacta fides historiae reperitur; sed praeiudicantibus vobis in hac parte diversarum occupationum curis, non tam vacat ad scribendum distractos animos applicare, quam scriptis aliorum accusationem vel debitam accommodare laudationem*[c]. *Quidam enim, ut ait Iosephus, non quod rebus interfuerint, sed incertos et incongruos narrantium sermones auribus colligentes oratorum more perscribere solent. Qui vero praesto fuerunt, aut vincentis principis obsequio, aut odio eorum, qui victi sunt, contra fidem rerum falsa confirmant. A quorum parte utrinque me beatum aestimo, qui in his quae audivi non passim quorumlibet relatorum rumusculis sum me perpessus abrumpi, nec in his quae per me cognovi gratia principis seu favore meae gentis falsum quippiam addidi. Si autem superioris operis facundiam habita collatione cum arido nostri ingenii eloquio contulerit, veniam placatus tribuat. Fateor equidem, quod tenuis mihi spiritus est ad excitandam vel minutam tybiam, nedum*[d] *ad implendam superioris auctoris venerabilis praesulis tam magnificam et copiosam scribendi et dicendi tubam. Sed ubi eloquentiae et styli me superat pondus, sensus et integra veritas rerum gestarum, Deo propitiante, exaequabit. Vos itaque ambos in hoc opere praeceptores, testes et iudices eligo, rogans, ut exactum a me laborem sine contumelia suscipiatis, et qui rebus ipsis tanquam familiares et conscii secretorum interfuistis, si quid corrigendum est, ad regulam veritatis emendare, si quid parum aut superflue dictum est, vel radere vel superaddere, quantum satis est, non pigritemini. Ego etenim revera, nisi vestra fretus ope ac studio, sub hoc fasce succumberem, frustra per me conatus tanti imperatoris gesta attingere, cuius si quis magnitudinem animi et imperii cum annis conferat, aetatem ultra putet. Ita enim late et magnifice per orbem terrarum arma circumtulit, tantum opere*[e] *pace belloque gessit, ut qui res eius legerit, non unius sed multorum facta regum seu imperatorum arbitretur.*

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERCII[f].

a) Fred. 6. b) seu de fide perfida 1. c) *ita* 1. 3. 6; laud. acc. *edd.* d) *ita* 1. 2. 3; necdum *edd.* e) *ita* 1. 2; operum *edd.* f) *ita* 1 *et* 2 *omissis verbis* libri tercii. g) *add.* 1. 3. h) *ita* 4; Polimiam 1. 3. i) Bisunzium 1. k) *ita codd.*, negociis *edd.* l) Bolizaus 4; Bolilaus 7. m) *deest* 1.

[19. Quomodo praecursores imperatoris in Italia castrum Rivola in deditionem accipiunt, et iuramentum quale imperatori facere promiserint episcopi atque civitates[a].]

20. *Quomodo ab Italis recepti et quid patraverint.*

21. *Qualiter se erga nuntios Romani pontificis habuerint et quid eisdem Romanis acciderit.*

22. *Excusatoriae litterae Adriani papae.*

23. *Quod imperator tunc Romanis reconciliatus est.*

24. *De nuntiis regis Datiae.*

25. *Quot et quibus viis exercitus montana transivit. Quomodo Brissenses[b] primo impetu attriti.*

26. *Quomodo pacem in exercitu princeps iurari fecerit, et de legibus pacis.*

27. *Adhortatio principis post adunatum exercitum.*

28. *De nuntiis Mediolanensium et inmutatione atque commotione, quae in civitate fit.*

29. *Quomodo Fredericus ad obsidionem Mediolani properans Adduam transivit.*

30. *Quomodo castrum Tretium ab imperatore expugnatum sit.*

31. *De morte comitis Ekkeberti[c] et aliorum. Quod imperator ab hoc iratus et quomodo placatus.*

32. *Quo ordine et quot legionibus contra civitatem properat. De adventu principis Mediolanum.*

33. *De situ civitatis et moribus civium.*

34. *De excursu Mediolanensium et quomodo et a quibus excepti seu repulsi.*

35. *De assultu nostrorum in portam.*

36. *Item de eruptione Mediolanensium contra ducem Austriae et clade[d] eorum.*

37. *De temeritate cuiusdam Mediolanensis et probitate comitis Alberti.*

38. *Quomodo imperator civitatem giraverit. De turre quae vocabatur arcus Romanus.*

39. *De crudelitate Cremonensium[e] et Papiensium contra Mediolanenses.*

40. *Quod Mediolanenses variis modis attriti suadente Gwidone comite tractant de pace. Oratio eiusdem exhortatoria[f].*

41. *Quomodo Mediolanenses in gratiam sint recepti, et de[g] conditionibus pacis.*

42. *Ubi Mediolanenses ad conspectum principis admissi sint et qualiter recepti.*

43. *De reconciliatione eorum quanta utrimque leticia.*

44. *Quod post actum triumphum plures ex principibus Fredericus redire permisit.*

45. *Qua de causa Fridericus quosdam Veronensium hostes iudicaverit, et de dampno eis illato. De Ferraria et eius obsidibus.*

46. *De aedificatione novae Laudae[h]. De curia apud Roncalias celebranda.*

47. *De Constantinopolitano imperatore quomodo insidias suorum invaserit.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER TERCIUS[i].

1. Ordinato in Alemanniae partibus summa prudentia imperio, tota terra illa iam[k] inusitatam et diu incognitam tranquillitatem agebat. Ea denique pax in Germania erat, ut mutati homines, terra alia, coelum ipsum mitius molliusque[l] videretur; imperator autem tanta quiete non ad ocium, non ad voluptatum illecebras abutebatur. Indignum siquidem ratus est, si exercitatum bellicis negociis animum sine utilitatibus imperii per desidiam dissolvi pateretur. Anno itaque ab incarnatione Domini 1157. mense Augusto contra Polanos procinctum movet[39]. 1157. Aug. Est autem Polimia, quam modo Sclavi inhabitant, sicut placet his qui situs terrarum descriptionibus notant, in finibus Germaniae superioris, habens ab occidente Odderam fluvium, ab oriente Vistulam, a septentrione Ruthenos et mare Sciticum, a meridie sylvas Boemorum. Terra utique naturalibus firmamentis munitissima, natio tam propria feritate quam vicinarum contiguitate gentium pene barbara et ad pugnandum promptissima. Aiunt enim eius maris, quod illius terrae litus alluit, tales esse provinciarum habitatores, qui famis tempore semet devorent, et cum perpetuis rigeant

a) Quomodo — civitates *ex editionibus supplevi.* b) Brissienses 1. c) Ekeb. 4. d) cladis 1. 3. e) Chrem. 1. f) O. e. exh. *desunt* 1. 3. g) de *deest* 4. h) et leticia *addit* 4. i) *ita* 1; Liber terc. de primi Friderici imperatoris gesta incipit 3. k) *deest* 1. 2. 3. l) mollius 3.

39) De hac expeditione cfr. Friderici I. epistola ad Wibaldum, A. C. II. p. 596. n. 434, quam Ragewinus ante oculos habuisse videtur.

1157. algoribus, ideoque nullam possint agriculturam in quibusdam locis exercere, venationibus et mortibus[a] dediti sunt. Omnes autem piraticam exercent, et insulas oceani, Hyberniam et Britanniam, Daciam quoque inquietant, licet in alio litore reperiantur. Talium, ut assolet, nationum vicinia[b] non nichil atrocitatis tanquam de rubiginoso ferro cariem sibi Polani affricuere, unde nec principibus suis fidem, nec natura propinquis debitam inveniuntur gratiam conservare.

2. Et[c] huius expeditionis haec ratio fuit. Bolizlaus[d], Gazimerus et tertius item Bilizlaus[e], qui Gertrudem[f] neptem[g] imperatoris, filiam Leopaldi marchionis Austriae sortitus fuerat uxorem, totam terram funiculo haereditatis tenere debebant, maiore[h] natu, quem ultimo posuimus loco, nomen et honorem ducis habente. Quo a fratribus per vim cum regalis sanguinis uxore eiecto[i] et ad Conradum Romani imperii tunc principem per fugam[k] profecto et clementer recepto, missa ad praenominatos tyrannos crebra legatione, ut in pristinos status fratrem reciperent, rex spretus est, ducisque exilium usque ad obitum regis duravit. Divo autem principe Friderico rerum summam gubernante, pari modo mandatum eius flocci pendere sibi impune arbitrantur. Cessit vero his secus ac rati sunt. Nam et altioris spiritus et acrioris ingenii principem multiplicatae iniuriae ulterius dissimulare facinus non sinebant. Accessit siquidem ad haec[l], quod vel debitum fidelitatis sacramentum offerre, vel solitum singulis annis tributum quingentarum marcarum[m] publico aerario inferre iam desueverant, talibusque indiciis aperte se ab imperio descivisse et non clanculam sed evidentem se rebellionem moliri[n] protestabantur.

3. Imperator ergo cum magnis copiis Polimiam, quamvis arte et natura admodum munita sit, ita[o] ut priores reges seu imperatores vix magna difficultate ad fluvium Odderam pervenissent, fretus ope divina, quae visibiliter exercitum praecessit, clausuras illorum, quas in angustis[p] locis praecisa[q] densitate sylvarum fecerant et magna mole ingeniose
Aug. 22. obstruxerant, penetravit, et 11. Kalendas Septembris praenominatum amnem, qui ex illa parte totam Polimiam quasi murus ambit, et profunditate sui gurgitis omnes excludit aditus, praeter opinionem incolarum cum magno[r] exercitu transvadavit. Tantum enim omnes tenebat transeundi desiderium, ut alii natando[s], alii quodlibet instrumentum fors[t] obtulisset, eo pro navicula utendo transirent. Quo viso, Polani de tam improviso malo perculsi et vehementer exterriti, cum iam nichil praeter exitium sui et destructionem terrae superesse viderent, quamvis auxilio vicinarum gentium, Ruthenorum videlicet, Parthorum, Pruscorum et Pomeranorum, maximum collegissent exercitum, in sola fuga spem vitae constituunt, adeo desperatione correpti, ut proprium solum, propriam patriam suis manibus incendendo vastarent, insuper et arces ac munitiones destruerent. Inter quas munitissima castra, Glogowa[u] videlicet et Bitum[40], quae prius ab hoste capta non fuerant, ne a nostris ibidem praesidia ponerentur, cremaverunt. Imperator fugientes insecutus et territorium episcopii, quod vocatur Frodezlav[v], transcurrens, in episcopatum Poznan pervenit[w], totamque terram etiam ipse igne et gladio depopulatus est, indignum aestimans eis parcere, qui in se ipsos tam crudeles hostes inventi fuissent.

4. Bolizlaus dux rebus suis ultimum fatum cernens imminere, cum totam terram populumque suum periclitari et prope esse ad interitum cerneret, barones et principes nostros tum per nuncios tum in propria persona conveniens, multis precibus, multis lacrymis, multis quoque promissionibus, ut sub iugum Romanae ditionis et in gratiam principis recipi mereretur, postulavit, salutare secutus consilium, ante intolerabilem calamitatem rebellionis mutare sententiam, debere autem dedignari dominos humiliores, non eum cuius in potestate sit Romanum imperium. Imperator iam dudum edoctus hanc nobilitatem,

Virg. Aen VI, 854. *Parcere prostratis et debellare superbos,*

praematuram, subitam et a Deo datam nolens cruentare victoriam, ducem ad deditionem recipiendum decrevit.

5. Itaque in praedicto territorio episcopatus Poznan[x], circa partes Crisgowe[y, 41], praefatus dux pedibus imperatoris provolutus, interventu principum hoc tenore in gratiam receptus

a) *ita* 1; motibus 3. b) vicina 3. c) *ita* 1. 3; at *edd.* d) Bozizlaus 4. e) *ita* 1. 2. 3; Lolizlaus 4. f) Gerdrudem 1. 3. 4. g) *deest* 1. 2. 3. h) maiori 1. 3. 4. i) *ita* 1. 2. 3; proiecto *edd.* k) *ita* 1. 2. 3; perfuga *edd.* l) hoc 1. m) marcharum 1. n) melieri *corr.* 1 moliri; maiori 4 o) *deest* 1. 3. p) angustiis 1. q) prescisa 4. r) omni 1. 3. 4. s) *ita* 1. 3. 4; natandi *edd.* t) sors 2. 3. u) *ita* 1. 3. 4; Glogoba 2. v) *ita* 1. 2. 3. 4; Vratislavia *edd.* w) *ita* 1. 2. 3. 4; Posnaniensem *edd.* x) Boznan 4. y) *ita* 1. 3; Erisgobe 2.

40) Glogau et Beuthen. 41) verisimiliter Krzeszowice prope Cracoviam. Nescio an idem sit locus, quem Roepell de his rebus agens, Gesch. Polens I, 359, Kryszkowo appellat, situ non indicato.

est. Primo iuravit pro se et pro omnibus Polanis, quod frater suus exul ad ignominiam 1157. Romani imperii non fuerit expulsus. Deinde pollicitatus est dare duo milia marcarum imperatori, et principibus mille, imperatrici 20 marcas auri, curiae 200 marcas argenti ob eam negligentiam, quod ad curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem. Iuravit quoque Italicam expeditionem. Deinde iuravit, ut in proxima nativitate Domini ad curiam Magdeburg[a] celebrandam venire deberet, iuxta iudicium et sententiam Polanorum et Boemorum super querimonia fratris sui expulsi plenarie responsurus. Sicque iurata principi fidelitate, sicut mos est, et de supradictis omnibus fideliter adimplendis acceptis obsidibus, Gazimero videlicet fratre ducis et aliis nobilibus, gloriosam adeptus victoriam, Deo duce feliciter augustus revertitur. Ipse tamen dux dolis plenus et acerbam dominationis cupidinem mente gerens, iamiam suis promissionibus, ut postmodum patuit, moliebatur insidias. Nam nec ad curiam venit, nec sufficientes pro se procuratores misit, Italicam quoque expeditionem, violato sacramento, mentitus est.

6. Non multo post apud Herbipolim[42] civitatem Constantinopolitani imperatoris legati Sept. 28. coram principe cum muneribus suam peragunt legationem; quia tamen verba eorum in quibusdam fastum regalem et Graecum in subornato sermone videbantur sapere tumorem, imperator eos despexit, et nisi in melius commutata sententia commodius sibi prospexissent, si fieri poterat salvo nunciorum privilegio, dissimulationem agente principe, prope fuit, ut a quibusdam ignominiosum et erumpnosum accepissent responsum. Placatus tamen multis eorum precibus et lacrymis imperator, veniam super his[b] donavit, accepta sponsione, quod deinceps spernentes ampullosa, non nisi eam quam deceret Romanum principem et Urbis ac Orbis[c] dominatorem, reverentiam suis salutationibus apportarent, indulgentiam et gratiam consecuti, Fridericum ducem Sueviae[d], filium Conradi regis, adhuc adolescentulum, in praesentia sua gladio accingi et militem profiteri postulant et impetrant. Amita siquidem sua Herena[e] imperatrix Constantinopolitana et antea et nunc multis et magnificis eundem puerum visitaverat largitionum muneribus, idque legatis in mandatis dedisse traditur, ne quando nisi completo hoc negocio in Graeciam reverterentur, astipulante[f] sibi cum magno favore proprio marito ob gratiam et antiquam amicitiam cum patre pueri rege Conrado habitam.

7. Ibidem tunc affuere etiam Heinrici regis Angliae missi, varia et preciosa donaria, multo lepore verborum adornata, praesentantes. Inter quae papilionem unum quantitate maximum, qualitate bonissimum perspeximus. Cuius si quantitatem requiris, non nisi machinis et instrumentorum genere et amminiculo levari poterat; si qualitatem, nec materia nec opere ipsum putem aliquando ab aliquo huiuscemodi apparatu superatum iri. Litteras quoque mellito sermone plenas pariter direxerat, quarum hic tenor fuit:

Praecordiali amico suo Friderico, Dei gratia Romanorum imperatori invictissimo, Heinricus[g] rex Angliae, dux Normanniae et Aquitaniae et comes Andegavensis, salutem et verae et unicae[h] dilectionis concordiam. Excellentiae vestrae quantas possumus referimus grates, dominantium optime, quod nos nunciis vestris visitare, salutare litteris, muneribus praevenire, et quod his carius amplectimur, pacis et amoris invicem dignatus estis foedera inchoare. Exultavimus et quodammodo animum nobis crescere et in maius sensimus evehi, dum vestra promissio, in qua nobis spem dedistis in disponendis regni nostri negociis, alacriores[i] nos reddidit et promptiores. Exultavimus, inquam, et tota mente magnificentiae vestrae assurreximus, id vobis in sincero cordis affectu respondentes, quod quidquid ad honorem vestrum[k] spectare noverimus, pro posse nostro effectui mancipare parati sumus. Regnum nostrum et quidquid ubique nostrae subicitur ditioni, vobis exponimus, et vestrae committimus potestati, ut ad vestrum nutum omnia disponantur, et in omnibus vestri fiat voluntas imperii. Sit igitur inter nos et populos nostros dilectionis et pacis unitas indivisa, commercia tuta, ita tamen ut vobis, qui dignitate praeeminetis[l], imperandi cedat auctoritas, nobis non deerit voluntas obsequendi. Et sicut vestrae serenitatis memoriam vestrorum excitat in nobis munerum largitio, sic vos nostri quoque reminisci praeoptamus[m], mittentes quae pulchriora penes nos erant et vobis magis placitura. Attendite itaque dantis affectum, non data, et eo animo quo dantur excipite. De

a) Magdeburḡ 3; Magdeburgensem 2. b) *ita* 4; superbis 1. 2. 3; insuper his *edd.* c) et orbis ac urbis 1. 3. d) Swevię 1. e) *ita* 4; *deest* 1. 2. 3. f) astipulanti 2. g) Hainr. 6. h) *add.* 1. 2. 3. 6. i) alacriorem 6. k) Dei 6. l) praeminetis 1. 4. 6, preminentis 2. m) optamus 1. 3.

42) Curia apud Herbipolim habita est die 28. Septemb. 1157; vide Wib. ep. 434.

1157. *manu beati Iacobi, super qua nobis scripsistis, in ore magistri Heriberti et Willihelmi clerici nostri verbum posuimus, teste Thoma cancellario*[43] *apud Northant*[a] [44].

8. Aderant[b] praeterea diversarum nationum, utpote de Dacia, Pannonia, Italia, seu de Burgundia, diversae legationes, quarum portitores se mutuo videntes atque certatim munera et supplicationes afferentes, singuli singulis stuporem pariter et admirationem addi-

Octob. dere. Mense Octobri[c] mediante[45] imperator apud Bisuntium[d] curiam celebraturus, in Burgundiam iter aggreditur. Est autem Bisuntium una[e] metropoleos eius tertiae partis, in quas imperator gloriosus Karolus Magnus suum inter tres filios suos, omnes regio nomine gaudentes, divisit imperium, sita super amnem Tuba[f]. In qua civitate pene omnibus proceribus terrae illius adunatis, multis quoque exterarum gentium hominibus[g], utpote Romanis, Apulis, Tuscis, Venetis, Italis, Francis, Anglis et Hispanis, per legatos suos imperatoris adventum praestolantibus, festivissimo apparatu et solempni favore excipitur. Tota siquidem terra eundem fortissimum cognoscens et clementissimum, amore pariter et timore permixto, novis illum fascibus honorare, novis[h] laudibus attollere satagebat.

At priusquam ad eius provinciae negocia seu ordinationem stilus se porrigat, de legatis Romani pontificis Adriani, ad quid venerint, et quomodo recesserint, quia et auctoritas eius partis maior et causa gravior, dicendum nobis erit. Prolixitatem huius narrationis non causabitur, qui materiae pondus, ac temporis, quo haec tempestas protracta est et protrahitur, diuturnitatem diligenter consideraverit. Personae nunciorum erant Rolandus tituli Sancti Marci presbyter cardinalis et cancellarius sanctae Romanae ecclesiae[46], et Bernhardus tituli Sancti Clementis presbyter cardinalis, ambo divitiis, maturitate et gravitate insignes et pene omnibus aliis in Romana ecclesia auctoritate maiores. Causa vero adventus eorum speciem sinceritatis videbatur habere, sed fermentum et occasionem malorum intus[i] latuisse, postmodum evidenter deprehensum est. Principe ergo die[k] quodam a strepitu et populi tumultu declinante, in cuiusdam oratorii privatiore recessu praedicti nuncii in conspectu eius deducti ab eoque, ut oportebat, sicut qui boni se nuncii baiulos[l] assererent, benigne et honeste recepti sunt. Exordium autem sermonis illorum in fronte ipsa notabile comparuit, quod tale fuisse dicitur: *Salutat vos beatissimus pater noster papa Adrianus et universitas cardinalium sanctae Romanae ecclesiae, ille ut pater, illi ut fratres.* Paucisque interpositis, litteras quas ferebant protulere. Quas et aliarum quae in hac turbulentia hinc inde discurrebant, rescripta litterarum, idcirco huic operi interserere curavi, ut quivis lector, qui in partem declinare voluerit, non meis verbis vel assertionibus sed ipsarum partium propriis scriptis tractus et vocatus, libere eligat, utri parti suum velit accommodare favorem. Tenor denique litterarum talis erat:

1157. Sept. 20. 9. *Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Friderico*[m], *illustri Romanorum imperatori, salutem et apostolicam benedictionem. Imperatoriae maiestati*[n] *paucis retroactis diebus recolimus nos*[o] *scripsisse, illud horrendum et execrabile facinus et piaculare flagitium tempore nostro commissum, in Teutonicis partibus, sicut credimus, aliquando intemptatum, excellentiae tuae*[p] *ad memoriam revocantes, non*[q] *sine grandi admiratione ferentes, quod absque digna severitate vindictae usque nunc transire passus sis tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noster E.*[47] *Lundenensis*[r] *archiepiscopus, dum a sede apostolica remearet, a quibusdam impiis et scelestis, quod sine grandi animi moerore non dicimus, in partibus illis*[s] *captus fuerit, et adhuc in custodia teneatur, qualiter etiam in ipsa captione praedicta viri impietatis, semen nequam, filii scelerati, in eum et in suos evaginatis gladiis violenter exarserint, et eos ablatis omnibus, quam turpiter atque inhoneste tractaverint, et tua*[t] *serenissima celsitudo cognoscit, atque ad longinquas et remotissimas regiones fama tanti*[u] *sceleris iam pervenit. Ad cuius*[v] *utique vehementissimi facinoris ultionem, sicut is*[w] *cui bona pla-*

a) Northãt 1. 2. 3; Norhãt. 6. b) *huic capiti superscripsit in 6 manus paulo posterior:* Inicium scismatis inter sacerdotium et regnum. c) Octobre 6. d) Bisunzium 1; Bisuntium 2. e) curiam — una *desunt* 2. f) *ita* 1. 2. 3. 6; Tŏba 4. *hodie* Doubs. g) *add.* 1. 3. 6. h) illum — novis *secunda fere coaeva manu add.* 1. i) *add.* 1. 2. 3. 6. k) de 4. l) baiolos 1. 3. 6. m) Fred. 6. n) mag. 1. o) *add.* 1. 2. 3. 6. 10. p) *ita* 1. 2. 3. 4; vestrae 10. q) nec 10. r) *ita* 2. 3. 4; Lundunensis 1. 6; Tunden. 10. s) istis 10. t) *ita hic etiam* 10, *et sic deinceps.* u) tanta 10. v) eius 10. w) his 4.

43) post Cantuariensi archiepiscopo, qui martyrium subiit a. 1170. 44) i. e. Northamptonae. 45) Chartas Friderici I. datas Bisuntii diebus 24. 27. et 28. Octobris recenset Boehmerus n. 2376—2378. 46) Extat hac de re ipsius Rolandi post Alexandri III. epistola ap. Teng. Mon. vet. p. 397 et ad Arnulfum ep. Lexoviensem epp. ed. Giles p. 112. 116. 47) Eskilli.

cere, mala vero displicere credimus, constantius exurgere debuisti, et gladium, qui tibi[a] *ad vindictam malorum*[b]*, laudem vero bonorum est ex divina provisione concessus, in cervicem desaevire oportuit impiorum, et gravissime conterere praesumptores. Tu*[c] *vero id*[d] *ipsum ita dissimulasse diceris, seu etiam*[e] *neglexisse, quod eosdem*[f] *non est quare poeniteat commisisse reatum, quia impunitatem*[g] *sacrilegii quod gesserunt, iamiam sentiunt invenisse. Cuius quidem dissimulationis et negligentiae causam penitus ignoramus, quoniam nos in aliquo serenitatis tuae gloriam offendisse, conscientiae scrupulus nostrum animum non accusat, sed personam tuam sicut karissimi et specialis filii nostri et principis christianissimi, quem in apostolicae confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum sine causa*[h] *sincera semper dileximus caritate*[i] *et debitae tractavimus benignitatis affectu. Debes enim, gloriosissime fili, ante oculos mentis*[k] *reducere, quam gratanter et*[k] *quam iocunde alio anno mater tua sacrosancta Romana ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit et honoris, et qualiter imperialis insigne coronae libentissime conferens, benignissimo gremio suo tuae*[l] *sublimitatis apicem studuerit confovere, nichil prorsus efficiens quod regiae voluntati vel in minimo cognosceret obviare. Neque tamen poeniteret*[m] *nos tuae desideria*[n] *voluntatis in omnibus implevisse, sed si*[o] *maiora beneficia excellentia tua de manu nostra*[p] *suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta ecclesiae Dei et nobis per te incrementa possint et commoda provenire, non immerito gauderemus. Nunc autem quia tam immensum facinus*[q]*, quod in contumeliam universalis ecclesiae et imperii tui noscitur etiam commissum, negligere ac dissimulare videris, suspicamur utique ac veremur, ne forte in hanc dissimulationem et negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestione perversi hominis zizania seminantis, adversus clementissimam matrem tuam sacrosanctam Romanam ecclesiam et nos ipsos indignationem, quod absit, aliquam conceperis vel rancorem. Ob*[r] *hoc igitur et ob alia*[s] *omnia negocia quae cognoscimus imminere, duos de melioribus et carioribus quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros, Bernhardum Sancti Clementis presbyterum cardinalem et*[t] *Rolandum Sancti Marci presbyterum cardinalem et cancellarium nostrum, viros utique religione, prudentia*[u] *et honestate conspicuos, serenitati tuae de latere nostro ad praesens duximus destinandos, excellentiam tuam rogantes attentius, quatenus eos tam honorifice quam benigne recipias, honeste tractes, et ea quae ipsi super hoc et super aliis ad honorem Dei et sacrosanctae Romanae ecclesiae, ad decus etiam et exaltationem imperii pertinentia ex parte nostra imperatoriae proposuerint dignitati, sicut si*[v] *ab ore nostro procedant, absque ulla haesitatione suscipias, et ipsorum verbis, tanquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere. Dat. Anagniae 12. Kal. Octobris*[w] [48].

1157. Sept. 20.

10. Talibus litteris lectis et per Reinaldum cancellarium fida nimis[x] interpretatione diligenter expositis, magna principes qui aderant indignatione commoti sunt, quia tota litterarum continentia non parum acredinis[y] habere et occasionem futuri mali iamiam fronte sua praeferre videbatur. Praecipue tamen universos accenderat, quod in praemissis litteris inter caetera dictum fuisse acceperant, dignitatis et honoris plenitudinem sibi a Romano pontifice collatam, et insigne imperialis coronae de manu eius imperatorem suscepisse, nec ipsum poenitere, si maiora beneficia de manu eius suscepisset, habita consideratione, quanta ecclesiae Romanae per ipsum possent incrementa et commoda provenire. Atque ad horum verborum strictam expositionem ac praefatae interpretationis fidem auditores induxerat, quod a nonnullis Romanorum temere affirmari noverant, imperium Urbis et regnum Italicum donatione pontificum reges nostros hactenus possedisse, idque non solum dictis sed[z] et scriptis atque picturis repraesentare et ad posteros transmittere. Unde de imperatore Lothario in palatio Lateranensi super huiusmodi[*] picturam scriptum est[49]:

a) tibi *inseritur in* 10 *post* bonorum. b) *ita* 1. 2. 3; malefactorum 6. 10; maledictorum *edd.* c) *ita hic etiam* 10, *et sic deinceps.* d) *ita* 1. 2. 3. 4. 10; ad *edd.* e) *ita* 10; saevitiam *codd.* f) eosdem malefactores 10. g) se imp. 10. h) sine causa *add.* 1. 2. 3. 6; *desunt* 10 *et edd.* i) karitate 4. 10. k) *deest* 6. l) *deest* 3. m) *ita* 1. 2. 3. 6; penitet 10 *et edd.* n) *ita* 1. 3. 6. 10; des. tuae *edd.* o) *deest* 3. p) sed si maiora excellentia tua, si fieri posset, de manibus nostris beneficia 10. q) *deest* 10. r) Ab 6. s) alia quaedam 10. t) card. et *add.* 1. 2.3. 6. 10. u) et prud. 1. v) *deest* 1. 2. 3; velut si 10. w) Datum — Octobris *recepi ex* 10. x) *ita* 1. 2. 3. 6; satis *editt.* y) *ita* 1. 2. 3. 4. 6; acedinis *edd.* z) *deest* 1. 2. 3. *) eiusmodi 1. 3.

48) Iam die 11. Septembr. 1157 morabatur Hadrianus Anagniae; v. Jaffé 6989. qui hanc epistolam hucusque notis chronologicis non insignitam circa Octobrem datam coniecerat n. 6991.

49) Anno 1133. Innocentius II. Lothario imperatori allodium comitissae Mathildae in feudum concesserat, quod

1157. *Rex venit ante fores, iurans prius Urbis honores,*
Post homo fit papae, sumit quo dante coronam.

Talis pictura talisque superscriptio principi, quando alio anno circa Urbem fuerat, per fideles imperii delata, cum vehementer displicuisset, amica prius invectione praecedente, laudamentum a papa Adriano[a] accepisse memoratur[b], ut et scriptura pariter atque pictura talis de medio tolleretur, ne tam vana res summis in orbe viris litigandi et discordandi praebere posset materiam.

His omnibus in unum collatis, cum strepitus et turba inter optimates regni de tam insolita legatione magis ac magis invalesceret, quasi gladium igni adderet, dixisse ferunt unum de legatis: *A quo ergo habet, si a domno*[c] *papa non habet imperium?* Ob hoc dictum eo processit iracundia, ut unus eorum, videlicet Otto palatinus comes de Baioaria, ut dicebatur, prope[d] exerto gladio cervici illius mortem intentaret. At Fridericus auctoritate praesentiae suae interposita[e], tumultum quidem compescuit, ipsos autem legatos securitate donatos ad habitacula deduci ac primo mane via sua proficisci praecepit, addens in mandatis, ne hac vel illac in territoriis episcoporum seu abbatum vagarentur, sed recta via, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes, reverterentur ad Urbem. Ipsis itaque sine efficacia revertentibus, id quod factum fuerat ab imperatore per universum regni ambitum provide litteris declaratur, quarum hic tenor fuit:

Cum divina potentia, a qua omnis potestas in coelo et in terra nobis christo eius regnum et imperium regendum commiserit, et pacem ecclesiarum imperialibus armis conservandam ordinaverit, non sine maximo dolore cordis conqueri cogimur dilectioni vestrae, quod a capite sanctae ecclesiae, cui Christus[f] *pacis ac dilectionis suae caracterem impressit, causae dissensionum, seminarium malorum, pestiferi morbi venenum manare videntur. De quibus, nisi Deus avertat, totum corpus ecclesiae commaculari, unitatem scindi, inter regnum et sacerdotium scisma fieri pertimescimus. Cum enim nuper in curia Bisuntii*[g] *essemus, et de honore imperii et salute ecclesiarum debita sollicitudine tractaremus, venerunt legati apostolici asserentes, se talem legationem nostrae maiestati afferre deberet, unde honor imperii non parvum accipere deberet incrementum. Quos cum prima die adventus sui honorifice suscepissemus, et secunda, ut mos est, ad audiendam legationem eorum cum principibus nostris consedissemus, ipsi quasi de mammona iniquitatis inflati, de altitudine superbiae, de fastu arrogantiae, de execrabili tumidi*[h] *cordis elatione, legationem apostolicis litteris conscriptam nobis praesentaverunt, quarum tenor talis erat, quod prae oculis mentis semper deberemus habere, qualiter domnus*[i] *papa insigne imperialis coronae nobis contulerit, neque tamen poenitentia*[k] *moveretur, si maiora excellentia nostra ab eo beneficia suscepisset. Haec erat illa paternae dulcedinis legatio, quae unitatem ecclesiae et imperii confovere debuit, quae vinculo pacis utrumque colligare studuit, quae ad utriusque concordiam et obedientiam animos audientium allexit. Certe ad vocem illam nefandam et omni veritate vacuam, non solum imperialis maiestas debitam indignationem concepit, verum omnes principes qui aderant tanto furore et ira sunt repleti, quod sine dubio illos duos iniquos presbyteros mortis sententia dampnassent, nisi*[l] *hoc nostra intercepisset praesentia. Porro quia multa paria litterarum apud eos reperta sunt, et scedulae sigillatae, ad arbitrium eorum adhuc scribendae, quibus, sicut hactenus consuetudinis eorum fuit, per singulas ecclesias Teutonici regni conceptum iniquitatis suae virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad Urbem eos*[m] *redire fecimus. Cumque per electionem principum a solo Deo regnum et imperium nostrum sit*[n], *qui in passione Christi filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subiecit, cumque Petrus apostolus hac doctrina mundum informaverit: „Deum timete, regem honorificate", quicunque nos imperialem coronam pro beneficio a domno papa suscepisse dixerit, divinae*[o] *institutioni et doctrinae Petri contrarius est, et mendacii reus erit. Quia vero hactenus honorem ac libertatem ecclesiarum, quae iamdiu indebitae servitutis iugo*

a) *deest* 1. 2. 3. b) dicitur accepisse 1. 3. c) *illa* 6. d) *deest* 1. 2. 3. 6. e) iposita 2. f) Christo 6. g) Bisunzii 1. h) *deest* 1. 2. 3. 6. i) *illa* 1. 3. 4. k) penitentie 3. l) non nisi 1. 2. m) *deest* 6. n) fit 1. 3. o) divini 1. 6.

factum postea Romae ita deformatum est, ac si coronam imperialem a pontifice maximo in feudum accepisset. Cfr. chartam Legg. II, 82 et Ann. Colon. max. a. 1133. SS. XVII. Quae de Lateranensis palatii picturis Arnulfus ep. Lexoviensis ep. 21, et Iohannes Saresberiensis ep. 59, ed. Giles I. p. 65 litteris mandant, non imperatorem Lotharium, sed schismaticos respiciunt.

depressa est, a manu Aegyptiorum studuimus eripere, et omnia eis dignitatum suarum iura 1157. *conservare intendimus, universitatem vestram super tanta ignominia nobis et imperio condolere rogamus, sperantes ne honorem imperii, qui a constitutione Urbis et christianae religionis institutione ad vestra usque tempora gloriosus et imminutus extitit, fidei vestrae indivisa sinceritas tam inaudita novitate, tam praesumptuosa elatione imminui patiatur, sciens*[a] *omni ambiguitate remota, quod mortis periculum ante vellemus incurrere, quam nostris temporibus tantae confusionis opprobrium sustinere.*

11. His ita gestis, Fridericus ad ordinanda imperii negocia in regno Burgundiae animum intendit. Cumque Burgundia aliquando per se fortes reges habuisset, et per eos suis gentibus praecepta dare solita fuisset, ex appetitu libertatis, quae, ut dicitur, res inaestimabilis est, iam dudum insolentiam et desuetudinem induerat obsequendi. Ea itaque terra, quae non nisi multo labore ac bellico sudore subigenda putabatur, ita Deo ordinante, paruit, quod nisi alia in regno disponenda inevitabiliter imperatorem retraxissent, familiariter et cum paucis usque Arelatum sedem regni Burgundiae procedere[b] potuisset. Denique, quod modo viventium excedit memoriam hominum aliquando contigisse, Stephanus Viennensis archiepiscopus et archicancellarius de Burgundia, et Eraclius archiepiscopus et primas Lugdunensis, et Odo Valentinus[c] episcopus, et Gaufredus Avinionensis, et Silvio magnus princeps et praepotens de Claria, tunc ad curiam venientes, Friderico fidelitatem fecerunt atque hominium, et beneficia sua de manu illius reverenter susceperunt. Arelatensis autem archiepiscopus[d] et alii omnes archiepiscopi, episcopi, primates et nobiles venissent, idemque fecissent, nisi mora principem adeundi compendio suae brevitatis praestitisset impedimentum. Missis tamen per honestos valde et industrios nuncios litteris, omnimodam subiectionem et debitam fidelitatem imperio Romano compromiserunt. Ludewicus[e] quoque rex Francorum usque Diunum[f. 50] occurrerat ad colloquium imperatoris, sed eo versus Alemaniam[g] iter agente, coeptum non processit. Directis autem uterque principum nunciis, imperator quidem cancellario suo praenominato Reinaldo[h] et comite Oudalrico de Lenzeburch, rex vero etiam suo cancellario magistro Alderico, sese per illos mutuo salutarunt. Reliquum relationis[i], ut videbatur quidem utilitati, re autem vera regali potius fastui studere utrinque videbatur. Nam sicut egomet, referente venerabili viro Heinrico Trecense[k] episcopo, cognovi, Ludewicus, audito quam[l] strenue partibus illis Fridericus praevaluisset, pertimuit, nec iam ad colloquium, quod suspectum habebat, sed ad bellum se ratus proficisci, clanculo non parvas copias collegerat, adeo quod 9 episcopos cum sua militia una nocte in Trecensi civitate tunc hospitatos memoratus praesul memoraret. Cumque tota terra illa non minimo metu nutaret, ipsa trepidatio nobis pro victoria putabatur.

12. Reversus de Burgundia imperator, rebus feliciter gestis praediisque coniugis[m] suae imperatricis, de qua supra dictum est, ad arbitrium suum dispositis, in Saxoniam iter flectit, diesque nativitatis Domini in civitate Magdeburg[n] celebravit[51], experimentum accipiens de Dec. 25. Polanis, qui, ut[o] praefati sumus, suis negociis tunc[p] finem facere debuerant, quod ipsi ava- 1158. ricia pariter et ambitione caecati, de promissis fidem et sacramenta vile quid iudicarent. Deinde in Baioariam tendens, Ratisponae curiam magna[q] cum frequentia principum in octava epiphaniae agit. Ibi inter caeteros qui tunc crebri aderant, etiam regis Ungariae Ian. 13. Gaisae[r] legati affuere[s]. Siquidem frater eius nomine Stephanus[t] quorundam criminationibus regi delatus fuerat, quasi ad regnum aspiraret, atque in ea re avunculum amborum, Belum virum valde prudentem ac ad innovandas res idoneum, suasorem habere putabatur, pro eo quod honorificentius habito adolescenti per studia colendi ferociae visus est nutrimenta suggerere. Rex autem suspectum habens tantum fratris honorem, et peiora re ipsa de illo veritus, non tam ipsum quam amicos et familiares eius iam[u] aperte insimulans, omnia facta seu dicta eorum in crimina vertebat, multisque adversus fratrem vulgatis, pluribus ad contestandum subornatis[v], per insidias necem fratris dicebatur adoptare. Is antehac compertum habens, quod Romanum imperium totius orbis esset asylum, fugiens ad imperatorem evasit, aerumpnasque suas ac erga se germani crudelem acerbitatem lacry-

a) *ita* 1. 2. 4. 6; scientes *edd.* b) *deest* 1. 3. c) Valenĩ 1. d) episcopus 4. e) Lŏd. 1; Lod. 4. f) *ita* 1; Duunum 3; Duinum *edd.* g) Adelemanniam 3. h) Reinoldo 1. i) *ita* 1. 2. 3; legationis *edd.* k) Tec. 2. l) *ita* 1. 3; quod *edd.* m) coniugiis 1. n) Magdeburḡ 1; Magdeburgensi 2. o) *deest* 3. p) tunc et 2. q) magnam 1. 3. 8. r) N. 1. 2. 3; Gaizę 4; *deest* 8. 9. s) affuere legati 1. 2. 3. t) N. 1. 2. 3; H. 8. 9. u) *deest* 1. 3. v) *ita* 1. 2. 4; subordinatis *edd.*

50) Dijon. 51) die 1. Ianuarii 1158 imperator Goslariae erat; Böhmer 2384.

1158. mabili conquestione deploravit, criminationumque suarum invidiam diluendo ficta quae adversum se dicebantur asserere et purgationis suae fidem omnibus constare, nunquam calumpniatores defore, dum extet cui persuadeatur, iniquissimum esse quod fratri non sufficeret paterno eum regno expulisse, nisi de capite quoque suo[a] et vita innocentissima supplicium sumeretur.

Tali deprecatione permotus Fridericus, missis in Ungariam legatis[52], de restitutione iuvenis cogitabat, imperialem precibus adiungens dignitatem et auctoritatem. Rex itaque adversus fratrem[b] duos de optimatibus regni sui dirigit ad curiam, episcopum Gervasium de Castro ferreo[52*] et comitem Heidenricum, viros opulentos et copia dicendi satis instructos, per quos et obiecta diluere, et de fratris eiectione invidiam in eum qui passus erat retorquere satagere, prosequens iniurias et[c] peccata plurima in se admissa, regni consortio secum illum participasse, solo nomine se illo priorem tantum fuisse, quam diu germanitatis iura inter se inviolata mansissent; deinde pravorum consilia secutum, quae ad pessima studia lubricam in adolescente aetatem impellebant, ita factum, quemadmodum in corpore, ubi semper, dum aliqua pars tumescit suaque corruptione totum corpus debilitat et inficit, ex quo curari desperatur, recidi oportere. Bellum ultro inferentem, postquam superatus sit, queri quod iniuriam facere nequivisset, fugam ipsum simulasse, in regno manere licuisse, donec odia omnium et inimicitias adeo contra se firmaverit, ut velut crudelem hostem et regni insidiatorem pellendum arbitrarentur, antequam facinoribus suis illud cruentari et principatus eius monarchiam scindi ac dilacerari contigisset.

Imperator partibus auditis, cum videret rem eo venturam, quod aut in communi dividendo, aut in uniuscuiusvis condempnatione litem opus esset terminari, conferens quoque in corde suo plurium negociorum occupationes, ad opportuniora tempora decisionem huius litis placuit protelandam. Itaque rogatus ab adolescente, per Venetias illum transmittit in Graeciam. Legatos quoque regis, acceptis ab eis muneribus ferme ad mille talenta, simulque eos sua liberalitate honoratos ad principem suum cum pacis legatione remeare concessit.

13. In eadem curia dux Boemorum Bolislaus[d], vir ingenio validus, viribus praepollens, consilio, manu audaciaque magnus, cuius antehac industriae, obsequii[e] multa praecesserant experimenta, maximeque nuper in expeditione Polunica[f] magna[g] virtus claruerat, adeo ut ob merita sua omnibus carus esset, ab imperatore ac imperii primis ex duce rex creatur, anno ab incarnatione Domini 1158[h]. Suscepto itaque privilegio de usu diadematis aliisque regni insignibus, laetus revertitur, et ad Italicam expeditionem rex pariter cum imperatore fastu regali profecturus accingitur. Ibidem etiam patruos suos, Ottonem Frisingensem episcopum et Heinricum ducem Austriae, dissidentes, eo quod praefatus antistes germano fratri, praedia ecclesiae illicite sibi usurpare volenti, omnino contradiceret, in pristinam pacem et fraternam concordiam revocavit.

14. His in Baioaria[i] peractis, Fridericus[k] Ribuariorum fines ingreditur, inferioresque Rheni partes peragrans, nullos sibi dies ociosos transire passus est, eos se ratus perdidisse, in quibus non aliquid de utilitatibus imperii, de iure et iusticia inter omnes gentes conservanda disposuisset. Inde fuit, quod tam valido cis Alpes imperio ita provide consuluisset, ferocitatem tantarum gentium tanto consilio ac sine armis delinisset, ut, quod dictu mirum est, iam non regni rector, sed unius domus, unius rei publicae paterfamilias haberetur. Post[l]
Apr. 20. celebratum apud ecclesiam sancti Guiberti[m. 53] pascha, rursus ad superiores Vangionum

a) suo quoque 1. 3. b) fratres 1. 3. c) *deest* 3. d) *ita* 4. 8 *et inscriptio capitis in omn. codd.;* N. 1. 2. 3 9; Labezlaus *edd.* e) obsequium 1. 2. 3. f) Polimica 1. 2. 9; Polimita 8. g) maximica 1. 2. 3. 8. 9. h) MCLXIII 1. 2. 3. 8, 9. i) Bauwaria 1. 9; Bauaria 2; Baiovaria 8. k) *deest* 1. 3. l) Post celebratum — animarunt *desunt* 8. 9. m) apud Quitilinburch 1. 3; apud Quitilenburch 2.

52) Heinricus notarius, cui librum hunc Ragewinus dicavit, et comes Heinricus de Dietz; vide Friderici I. litteras hac de legatione ad Eberhardum archiep. Salzburg. et marchionem Othacarum de Styria datas ap. Sudend. Reg. I. p. 61 n. 21 et 22; ex quibus haec notatu digna esse videntur, ep. 21: *Inde est quia de regno eodem iam tres legationes accepimus, pueri videlicet illius qui expulso patruo regnum sibi usurpavit, et illius etiam Stephani patrui huius, et multorum dominorum et baronum terrae Hungaricae, qui libenter sub iugo nostrae dominationis esse desiderant et nobis ac toti imperio nostro magnum honorem offerunt* etc. 52*) Eisenstedt. 53) id est Swiberti, hodie Kaiserswerth, quam quidem priorum editionum lectionem rectam, eam vero, quae in codicibus reperitur, scilicet *Quitilenburch*, erroneam esse ostendunt duo archiepiscopatui Hamburgensi concessa privilegia Friderici I. data die 22. April. 1158 in Werda Sancti Swiberti, Lappenberg Hamburgisches Urkundenbuch n. 195. 196.

partes iter reflexit[a], ac in domum regalem, quam apud Lutra aedificaverat, divertens, domui suae et familiaribus negociis ordinandis aliquot dies indulget. Instabat iam tempus quo reges ad bella proficisci solent, ipseque in proximo ad Transalpina exercitum ducturus, primo omnium in Deo spem suam reponens, adscitis religiosis et probatis in sanctitate viris, tanquam divinum eos oraculum consultabat, atque illorum persuasionibus ecclesiis Dei multa donaria imperiali largitate dispergebat. Quibus in negociis specialem habebat praeceptorem et salutis animae suae fidum secretarium Hartmannum Brixinorensem episcopum, virum qui tunc inter Germaniae episcopos singularis sanctitatis opinione et austerioris vitae conversatione praeeminebat. Hoc ad se adscito, de secretis suis pii se pontificis submisit devote consiliis, religiosi ac christianissimi principis officium exercens, quatenus iturus ad bellum spiritalibus armis ante muniret animam quam corpus, ante se coelestibus disciplinis praestrueret, quam ad pugnam iturum militem militaribus instruere praeceptis curaret. Causas autem belli exponens, dum eas iustas tam memoratus antistes quam reliqui sacerdotes cognovissent, ne dignitas imperialis ab indignis imminueretur, et sic pax et tranquillitas ecclesiarum turbaretur, salutaribus mandatis praemonitum et praemunitum ad proficiscendum contra rebelles animarunt. 1158.

15. Cum haec agerentur, legati sedis apostolicae Rolandus et Bernhardus reversi, quantas iniurias sustinuerint, in quo periculo fuerint, exponunt, gravibus graviora adicientes, ut in ultionem eorum quae se pertulisse dixerunt, Romanae urbis episcopum provocarent. In hoc negocio clerus Romanus ita inter se divisus est[b], ut pars eorum partibus faveret imperatoris, et eorum qui missi fuerant incuriam seu imperitiam causarentur, quaedam vero pars votis sui pontificis adhaereret. Unde de hac tempestate dicturi, sicut supra diximus[54], lectorem non nostris verbis niti volumus[c], sed ponentes epistolas hinc inde directas, 54 ex eis colligat, quam partem tueatur, cuive fidus velit permanere. Nobis autem indulgentiam petimus, qui potius utramque personam, sacerdotalem scilicet et regalem, reverentia debita veneramur, quam temere de altera iudicare praesumamus. Exemplar[d] itaque litterarum a summo pontifice ad archiepiscopos et episcopos super his directarum tale fuit:

Quotiens[e, 55] *aliquid in ecclesia contra honorem Dei et salutem fidelium attemptatur, fratrum et coepiscoporum nostrorum et eorum praecipue qui spiritu Dei aguntur cura debet existere, ut ea*[f] *quae male gesta sunt*[g] *gratam Deo correctionem*[h] *debeant*[i] *invenire. Hoc autem tempore, quod absque nimio moerore non dicimus, karissimus filius noster, Fridericus Romanorum imperator, tale quid egit, quale temporibus antecessorum suorum non legimus perpetratum. Cum enim nos duos de melioribus fratribus nostris, Bernhardum tituli*[k] *Sancti Clementis et Rolandum*[l] *cancellarium nostrum tituli Sancti Marci presbiteros cardinales, ad ipsius praesentiam misissemus, ipse, cum primum ad eius praesentiam pervenerunt*[m], *alacriter visus est eos recepisse. Sequenti vero die cum redirent ad eum, et litterae nostrae in eius auribus legerentur, accepta occasione cuiusdam verbi, quod ipsarum litterarum series continebat, „insigne videlicet*[n] *coronae beneficium*[o] *tibi contulimus“, in tantam animi commotionem exarsit, ut convitia quae in nos et legatos nostros dicitur coniecisse, et quam inhoneste ipsos a praesentia sua*[p] *recedere ac de terra sua velociter exire compulerit, et audire opprobrium, et lamentabile sit referre. Eis autem ab ipsius*[q] *praesentia excedentibus, facto edicto, ne aliquis de regno vestro ad apostolicam sedem accedat, per omnes fines eiusdem regni custodes dicitur posuisse, qui eos qui ad sedem apostolicam*[r] *venire voluerint, violenter*[s] *debeant*[t] *revocare. Super quo facto licet aliquantulum perturbemur*[u], *ex hoc tamen in nobis ipsis*[v] *maiorem consolationem accipimus*[w], *quod ad id de vestro et principum consilio non processit. Unde confidimus, eum*[x] *a sui animi motu, consilio et persuasione vestra facile revocandum. Quocirca, fratres, quoniam in hoc facto non solum nostra sed vestra et omnium ecclesiarum res agi dinoscitur, karitatem vestram monemus et exhortamur in Domino, quatenus opponatis*[y] *vos*[z] *murum pro domo Domini, et praefatum filium nostrum ad viam rectam quam citius reducere studeatis, atten-*

a) reflectit 1. 3. b) divisus est inter se 6. c) n. volumus verbis 6. d) Exempla 3. e) *ita* 1. 10; quociens 4. f) ea — sunt *desunt* 10. g) *deest* 3. h) debeant corr. 6. i) debeat 10. k) B. scilicet t. 1. 3. 4. 9. 10; Bn. sc. t. 8. l) R. 1. 9. 10; Rol' 8. m) advenerunt 10. n) vid. insigne 10. o) beneficium imperialis coronae 10. p) *deest* 1. 3. q) illius 1. 3. 8. 9. 10. r) ap. sed. 1. 3. 10. s) violentius 10. t) debeat 10. u) cont. 1. 3. 8. 9. 10. v) nobismet ipsis 10. w) accepimus 1. 2. 3; accipimus 8. 9; recipimus 10. x) *deest* 10. y) app. 2. z) vos oppon. 10.

54) III, 8. 55) Sequentem epistolam exeunte anno 1157. conscriptam esse putat Jaffé 7001.

1158. *tissimam sollicitudinem adhibentes, ut a Reinaldo*[a] *cancellario suo, et palatino*[b] *comite, qui magnas blasphemias in praefatos legatos nostros et matrem vestram sacrosanctam*[c] *Romanam ecclesiam evomere praesumpserunt*[55], *talem et tam evidentem satisfactionem faciat exhiberi, ut, sicut multorum aures amaritudo sermonis eorum offendit, ita etiam*[d] *satisfactio multos ad viam rectam debeat revocare. Non acquiescat idem filius noster consiliis iniquorum, consideret*[e] *novissima et antiqua, et per illam viam incedat, per quam Iustinianus et alii catholici imperatores*[f] *incessisse noscuntur. Exemplo siquidem et imitatione illorum et honorem in terris et felicitatem in coelis sibi poterit cumulare. Vos etiam, si eum ad rectam semitam reduxeritis, et beato Petro apostolorum principi gratum dependetis*[g] *obsequium, et vobis et ecclesiis vestris suam*[h] *conservabitis libertatem. Alioquin noverit antedictus filius noster ex admonitione vestra*[i], *noverit ex promissionis euangelicae veritate, quod sacrosancta Romana ecclesia super firmissimam petram, Deo collocante, fundata, quantocumque ventorum*[k] *turbine quatiatur*[l], *in sua firmitate, protegente Domino, in seculum seculi permanebit. Nec autem, sicut nostis, deceret eum tam arduam viam absque vestro consilio attemptasse. Unde credimus, quod auditis admonitionibus vestris facillime poterit ad frugem sanioris studii, sicut vir discretus et imperator catholicus, revocari*[m].

16. His litteris talique legatione percepta, praesules Alemanniae communicato in unum assensu et consilio sedi apostolicae in haec verba rescribunt: *Quamvis sciamus et certi simus, quod ecclesiam Dei fundatam supra firmam petram*[n] *neque venti neque flumina tempestatum possint deicere, nos tamen infirmiores et pusillanimes, si quando huiusmodi contigerint*[o] *impetus, concutimur et contremiscimus*[p]. *Inde nimirum graviter conturbati sumus et conterriti super his, quae inter vestram sanctitatem et filium vestrum devotissimum dominum nostrum imperatorem, magni mali, nisi Deus avertat, seminarium praebitura videntur. Equidem a verbis illis quae in litteris vestris continebantur, quas per nuncios vestros prudentissimos et honestissimos, dominum Bernhardum*[q] *et dominum Rolandum*[r] *cancellarium, venerabiles presbiteros cardinales, misistis, commota est universa res publica imperii nostri, aures imperialis potentiae ea patienter audire non potuerunt, neque aures principum sustinere, omnes ita continuerunt aures suas, quod nos, salva gratia vestrae sanctissimae paternitatis, ea tueri*[s] *propter sinistram ambiguitatis interpretationem vel consensu aliquo approbare nec audemus, nec possumus, eo quod insolita et inaudita fuerunt usque ad haec tempora. Litteras autem, quas nobis misistis, debita cum reverentia suscipientes et amplectentes, commonuimus filium vestrum dominum nostrum imperatorem, sicut iussistis, et ab eo responsum, Deo gratias, accepimus tale, quale decebat catholicum principem, in hunc modum: „Duo sunt quibus nostrum „regi oportet imperium, leges sanctae imperatorum et usus bonus praedecessorum et patrum „nostrorum. Istos limites ecclesiae. nec*[t] *volumus praeterire, nec possumus; quicquid ab his „discordat, non recipimus. Debitam patri nostro reverentiam libenter*[u] *exhibemus, liberam „imperii nostri coronam divino tantum beneficio ascribimus, electionis primam vocem Magun„tino archiepiscopo, deinde quod superest caeteris secundum ordinem principibus recognosci„mus*[v], *regalem unctionem Coloniensi, supremam*[w] *vero, quae imperialis est, summo pontifici; „quicquid*[x] *praeter haec est, ex abundanti est, a malo est. Cardinales in contemptum dilectis„simi et reverentissimi patris nostri et consecratoris a finibus terrae nostrae exire non coegimus. „Sed cum his et pro his quae et scripta et scribenda ferebant in dedecus et scandalum imperii „nostri ultra eos prodire pati noluimus*[y]. *Introitum et exitum Italiae nec clausimus edicto, „nec claudere aliquo modo volumus peregrinantibus vel pro suis necessitatibus rationabiliter „cum testimonio episcoporum et*[z] *praelatorum suorum Romanam sedem adeuntibus. Sed illis „abusionibus, quibus omnes ecclesiae regni nostri*[*] *gravatae et attenuatae sunt et omnes pene „claustrales disciplinae emortuae et sepultae, obviare intendimus. In capite orbis Deus per „imperium exaltavit ecclesiam, in capite orbis ecclesia, non per Deum, ut credimus, nunc demo„litur imperium. A pictura coepit, ad scripturam pictura processit, scriptura in auctoritatem „prodire conatur. Non patiemur, non sustinebimus, coronam ante ponemus, quam imperii*

a) Reinoldo 1; R. 2. 8. 9. 10. b) O. palatino 10. c) sanctam mat. v. 10. d) *deest* 10. e) considerans 10. f) *deest* 10. g) dependitis 3. h) *add.* 1. 2. 3. 6. 8. 9. 10. i) nostra 10. k) verborum 1. 2. 3. 4. 8. 9. l) quantocumque — quatiatur *desunt* 10. m) possit revocari 10. n) s. petram petram 10. o) contingerint 1. 4. p) *ita* 10; tremiscimus 1. 2. 6. 8. 9. q) B. 1. 10; Bernh. 6. r) R. 1. 10. s) tuere 1. 2. 3. t) *deest* 1. 2. 3; *adest* 8. 9. 10. u) *deest* 1. 2. v) recognoscemus 6. w) suppremam 1. x) quid 1. 2; quidquid 8. 9. y) *ita* 1. 2. 3. 4. 6. 10; nolumus *edd.* z) *deest* 3. *) nostri regni 6.

55) Cf. Hadriani IV. papae epist. ad Wibaldum, apud Martene A. C. II. n. 439, p. 598.

„coronam una nobiscum sic deponi consentiamus. Picturae deleantur, scripturae[a] *retractentur,* 1158.
„ut inter regnum et sacerdotium aeterna inimicitiarum monumenta[b] *non remaneant.“ Haec et alia, utpote de concordia Rogerii*[c] *et Willelmi*[d] *Siculi et aliis quae in Italia facta sunt conventionibus, quae ad plenum prosequi non audemus, ab ore domini nostri imperatoris audivimus. Absente autem palatino comite*[e] *et in*[e] *praeparatione expeditionis in Italiam iam*[f] *praemisso, a cancellario ibidem adhuc*[g] *praesente aliud non audivimus, nisi quod humilitatis erat et pacis*[h], *praeter quod eis pro periculo vitae, quod a populo imminebat, pro viribus suis astiterit, cunctis qui ibi aderant, testimonium huius rei*[i] *ei*[k] *perhibentibus. De caetero sanctitatem vestram suppliciter rogamus et obsecramus, nostrae ut*[l] *parcatis infirmitati, ut magnanimitatem filii vestri, sicut bonus pastor, leniatis scriptis vestris scripta priora suavitate mellita dulcorantibus, quatenus et ecclesia Dei tranquilla devotione laetetur, et imperium in suae sublimitatis statu glorietur, ipso mediante et adiuvante, qui mediator Dei et hominum factus est homo, Christus Iesus.*

17. Feliciter[m] ergo procinctum movens ac apud Augustam[56] Rhetiae[n] civitatem super 56
ripam Lici fluminis castra ponens, confluentem ex diversis partibus militem per septem dies operitur. Interea Romanus antistes de adventu principis certior effectus — nam[o] legati eius, videlicet Reinaldus cancellarius et Otto palatinus comes, quorum supra meminimus, iam dudum Italiam intraverant[p, 57] — in melius mutato consilio, ad leniendum eius animum nuncios mittit, Heinricum videlicet cardinalem presbyterum tituli Sanctorum Nerei et Achillei et Iacinctum cardinalem diaconum[q] Sanctae Mariae in schola[r] Graeca, viros prudentes in secularibus et ad curialia negocia pertractanda prioribus missis multo aptiores.

18. Verum antequam horum iter et negocia prosequamur, non ab re est de praefatis regalium nunciorum personis et gestis pauca de multis praelibare. Inerat utique his praeclaris viris personarum spectabilitas gratiosa, generis nobilitas, ingenium sapientia validum, animi imperterriti, quippe, ut[s] alias de quibusdam dicitur, quibus nullus labor insolitus, non locus ullus asper, non armatus hostis fomidolosus. Nullius sibi delicti, nullius libidinis gratiam faciebant. Laudis avidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Aetas iuvenilis, eloquentia mirabilis, prope moribus aequales, praeter quod uni ex officio et ordine clericali necessaria inerat mansuetudo et misericordia[t], alteri, quem non sine causa portabat, gladii severitas dignitatem addiderat. His moribus talibusque studiis sibi laudem, imperio gloriam et utilitates non modicas domi militiaeque peperere, adeo quod tunc temporis pene nihil ingens, nullum exquisitum virtutis facinus in ea expeditione gestum est, in quo hos heroas[u] aut primos aut de primis non compererim extitisse.

19. Itaque in primo suo ingressu in Italiam castrum quod Rivola[58] vocatur, super Clausuram[v] Veronensium situm, natura loci inexpugnabile, in deditionem accipiunt, existimantes praesidio eiusdem in tam strictis locorum faucibus nostros clementiorem aditum veniendi et redeundi invenire. Excepti cum magna frequentia et honorificentia episcopi civiumque Veronensium, tam illic quam in aliis civitatibus fidelitatem imperatori et adminiculum expeditionis tactis sacrosanctis[w] promitti fecerunt, viamque venturo imperatori praeparantes, eius adventus fidi et utiles praecursores[x] extitere. Sane haec est forma sacramenti, in qua omnes iuraverunt[59]:

Ego iuro quod amodo in antea ero fidelis domino meo Friderico[y] *Romanorum imperatori contra omnes homines, sicut iure debeo domino et imperatori, et adiuvabo eum retinere coronam*

a) *deest* 3. b) monimenta 6. 10. c) Ro. 1. 2. 3; Rolandi 6. d) *ita* 4; W. 1. 3; B. 2; Willihelmi 6. e) *deest* 10. f) *addunt* 1. 2. 3. 10. g) *deest* 6. h) pacis, videlicet quod nullis iniuriis, facto aut dicto, pro sua conscientia domnos cardinales offenderit, preter 10. i) h. rei testim. 10 *et edd.* k) *deest* 1. 3; eis 4. 6. l) ut nostrae 10 *et edd.* m) Fredericus Romanorum imperator volens intrare Italiam feliciter 6. n) Retię 1; Retie 2. o) nam — intraverant *desunt* 6. p) intraverat 3. q) Iacinctus cardinalis diaconus 1. 2. r) scola 1. 4. 6. s) ut — dicitur *desunt* 1. 2. 3. 8. 9. t) *loco* necessaria — misericordia 1. 2. 3 *ita:* paulo mitior animus, 8. 9 *vero:* mansuetudo et misericordia. u) viros 1. 2. 3. 8. 9. v) clusuram 1. w) euangeliis *addunt edd. quod omnibus codicibus deest.* x) percussores 2; percussoris 3; praecussores *corr. ead. m.* praecursores 1; *ita* 8. 9. y) F. 1.

56) Charta data Augustae die 14. Iun. 1158. diremit Fridericus quandam controversiam inter Ottonem ep. Frisingensem et Heinricum Leonem exortam. Böhmer 2402. 57) Quorum narrationem rerum a se gestarum cf. in V. Cl. Sudendorfii Reg. I, 54. p. 131. 58) Rivoli ad Athesim. 59) Legg. II, 106.

1158. *imperii et omnem honorem eius in Italia, nominatim et specialiter civitatem illam*[a], *et quicquid in ea iuris habere debet, vel in omni virtute comitatus vel episcopatus N. Regalia sua ei non auferam ibidem nec alibi, et si fuerint ablata, bona fide recuperare et retinere adiuvabo. Neque in consilio ero neque*[b] *in facto, quod vitam vel membrum vel honorem suum perdat, vel mala captione teneatur. Omne mandatum eius, quod ipse mihi fecerit per se vel per epistolam suam aut per legatum suum de facienda iustitia, fideliter observabo, et illud audire vel recipere vel complere nullo malo ingenio evitabo. Haec omnia observabo fide bona sine fraude. Sic me Deus adiuvet et haec sancta quatuor euangelia.*

20. A[c] Verona per Mantuam iter agunt, et venientes Cremonam, celebre colloquium et[d] si mavis curiam tenuere, occurrentibus eis ad eam civitatem archiepiscopis Ravennate et Mediolanense et de suffraganeis eorum 15 episcopis, nec non comitibus, marchionibus, consulibus et primis omnium circa iacentium civitatum, idque veraciter asserere potero, multis ante haec regibus denegatam eam quam tunc probitate sua evicerunt isti legati principis magnificentiam et gloriam. Inde per Romaniolam et Aemiliam iter agentes, exarchatum Ravennatem visitant, nusquam segnes, nusquam incauti peragere, quae negociis principis ac regni utilitatibus profutura novissent. Inde per Ariminum versus Anconam tendunt. Compererant enim logothetam[e] seu[f] Paleologum cum aliis nunciis Constantinopolitani imperatoris ibidem morari, specie quidem, quo adversus Willehelmum Siculum largitione pecuniae milites, qui solidarii vocantur, colligerent, re autem vera, ut civitates maritimas, quod saepius antehac attentatum novimus, seu vi seu[g] dolo sub Graecorum redigerent ditionem. Cumque[h] Ravenna exeuntes non longe adhuc a civitate processissent, obvios habuere non paucos de melioribus terrae, qui ad praefatos Graecorum legatos ierant, et cum ipsis colloquium familiare tenuerant. Qua de re commoti et in iram versi, pro eo quod se despexisse et Graecos spe lucri[i] sibi praeposuisse viderentur, Otto palatii comes, nec suorum paucitate nec illorum remoratus numerositate, gladio exerto in meliorem et nobiliorem omnium Ravennatensium, nomine Willehelmum[k], cognomento Maltraversar, manum misit, seque eum captivum abducturum comminatus est, omnibus aliis prae timore et pavore silentibus et non contradicentibus. Magna et miranda praefati comitis animositas, quem nec copiosus eiusdem nobilis viri comitatus terruit, nec vicinae civitatis metus permovit, quin ut legatus imperii, ubi ratio postulabat, auctoritate imperiali uteretur. Tandem lenioribus verbis et multa supplicatione mitigatus et placatus, cöeptum iter peregit, ac contra Graecos, qui, ut diximus, apud Anconam tunc morabantur, profecturus, non parvam militiam collegit, et prope civitatem castra posuit. Evocatos itaque ad se verbis minantibus et valde gravibus adorsi sunt, qua temeritate sine principis conscientia talia praesumpsissent, non se ignorare Danaum insidias et Graecam astutiam, simulata humanitate maleficia voluisse, callidissima fraude composita in amicos deputasse, quod contra inimicos struxisse putabantur. Cumque manifestis indiciis hostes Romani imperii convincantur, non aliud superesse, quam ut pro crimine laesae maiestatis de ipsis omnibus supplicium sumatur.

Talibus invectionibus perterriti Graeci atque animo consternati, multa supplicatione verba excusationis depromunt, partemque suam quibus possunt argumentis purgare conantur. Nequaquam se ignorare legem[l] Iuliam maiestatis, quae in eos qui contra imperatorem vel rem publicam aliquid moliti sunt[m], suum vigorem extendit. Verum ab hoc suam ipsorum conscientiam sese beatos facere, ficta pro veris non recipienda. Magis eos[n] credere debere benignitatibus et obsequiis saepissime a Graecis in nostros experimento probatis. Testis horum sit Alemania tota, testis pietatis sit ipse imperator, nunc princeps orbis terrarum, qui haec aliquando viderit et re ipsa expertus fuerit. Aequitas in vivos, misericordia in mortuos, honor in principem, munificentia in optimates, haec esse affectus sui erga nostros, probationes certissimas fictisque criminationibus veriores. His et similibus se cum magna mentium contritione Graecis de obiectis excusantibus, dum nulla fraudis deprehendi potuissent indicia, acceptis ab eis magnificis muneribus, in Graeciam[o] eos pacifice remigare concedunt, ipsique Mutinum revertuntur.

a) illam — episcopatus *desunt* 1. 2. 3; N. et quidq. i. e. i. h. d. v. i. o. v. c. vel episcopatus N. 8. 9. b) nec 1. 3. c) A Verona — gloriam *desunt* 8. 9. d) vel maius 1. 2. 3. e) logotheram 1—4; logothecam 8. 9. f) se 1. 2. 3; sew 8. 9. g) se 3. h) Cumque — posuit *desunt* 8. 9. i) spe lucri *desunt* 1. 2. 3. k) Willelmum 4. l) *deest* 1. m) *add.* 1. 3. 4. 8. 9. n) *deest* 3. o) Grecia 1. 2.

21. Hisdem diebus Heinricus[60] et Iacinctus, supra dicti nuncii Adriani papae, Ferrariam[a] venerant, auditoque quod legati imperatoris Mutinum redissent, non sperantes ipsos sibi occurrere, humilitatis formam praebentes, quod insolitum antea fuerat, ad eos pergunt, expositaque causa legationis[b], quod scilicet ea quae pacis essent et honor imperio in mandatis haberent, dimittuntur. Iam vero adventum illorum per omnes partes illas, ubi arta montium transituri erant, fama nuntiaverat, multosque mortalium rerum alienarum[c] cupidos id contra eos animaverat, quod pene neminem latebat, maiestatem imperialem Romanis infensam existere, quodque vitio aviditatis quisque ardebat, ac si regiae voluntati obsequeretur, temerarius intendebat, sperans, in hoc casu latrocinium honestiori nomine posse palliari. A Ferraria itaque Veronam, a Verona per vallem Tridentinam iter agunt, habentes secum gratia maioris securitatis venerabilem episcopum Tridentinum Albertum. Sed praevaluit auri sacra fames, quae quos arripuit, nil unquam[d] honestum, nil moderatum sentire vel appetere permittit. Nam Fridericus et Heinricus comites[61], quorum in illis partibus non parum poterat violentia, tam cardinales quam episcopum captos, spoliatos in vinculis ponunt, donec Romanos[d*] quidam datus in obsidem, nobilis vir[e], germanus Iacincti, episcopum autem evidenter divina potentia liberavit. Hanc tamen immanitatem nobilissimus dux Baioariae et Saxoniae ob amorem sanctae Romanae ecclesiae et honorem imperii non multo post probe vindicavit. Namque et vadem eripuit, et comites multis malis attritos ad deditionem et satisfactionem coegit. 1158.

22. Friderico igitur, ut iam dictum est, castra in campestribus Augustae[63] civitatis metato, ad suam eosdem legatos admittit praesentiam, eisque clementer receptis, causam adventus exquirit. Illi reverenter ac demisso vultu, voce[f] modesta tale suae legationis assumunt principium: Iun. 14.[62]

Praesul sanctae Romanae ecclesiae, vestrae excellentiae devotissimus in Christo pater salutat vos, sicut karissimum et spiritalem[g] sancti Petri filium. Salutant etiam vos venerabiles fratres nostri, clerici autem vestri, universi cardinales, tamquam dominum et imperatorem Urbis et Orbis. Quanta dilectione sancta Romana ecclesia amplitudinem et honorem imperii vestri amplectatur, quam sine conscientia peccati vestram satis invita sustinuerit indignationem, et scripta praesentia et in ore nostro positae vivae vocis officium declarabit.

Post haec verba litteras efferunt, quae venerabili Ottoni Frisingensi[h, 64] episcopo ad legendum simul et interpretandum datae sunt, viro utique qui singularem habebat dolorem de controversia inter regnum et sacerdotium. Exemplar litterarum hoc est: 64

Ex quo[65] universalis ecclesiae curam, Deo, prout ipsi placuit, disponente, suscepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curavimus, ut de die in diem animus tuus magis ac magis in amore nostro et veneratione sedis apostolicae debuisset accendi. Unde sine grandi admiratione non ferimus, quod cum, audito ex suggestione quorundam animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus et maioribus fratribus nostris, Rolandum scilicet cancellarium tituli Sancti Marci et Bernhardum tituli Sancti Clementis presbiteros cardinales, qui pro tuae maiestatis honore in Romana ecclesia soliciti semper extiterant, pro voluntatis tuae cognitione ad tuam praesentiam direximus, aliter quam imperialem decuerit honorificentiam, sunt tractati. Occasione siquidem cuiusdam verbi, quod est Beneficium, *tuus animus, sicut dicitur, est commotus, quod utique nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animum merito commovisset. Licet enim hoc nomen, quod est* Beneficium,

a) Ferariam 1. 3. b) *ita* 8. 9; relationis 1. 2. 3. c) esse *addunt* 1. 2. 3. d) *ita* 8. 9; numquam 1. 2. 3. d*) romanus *codd.? et edd.* e) vir N. 1. 2. 8. 9. f) *deest* 3. g) *ita* 1. 3. 4; specialem 8. 9. h) Frisig. 6.

60) cognomine Moricotti ex Pisa oriundus. Vide v. Raumer Hohenst. II, 81. 61) de Eppan. Cfr. v. Raumer l. c. 62) Vide quae supra ad c. 17 notavimus. 63) Hic V. Cl. Ficker in libro Reinald von Dassel p. 25. n. 5. Ragewinum in errorem incidisse putat ac negat legatos pontificios imperatorem adhuc in civitate Augusta morantem adire potuisse. At iniuria, ut mihi quidem videtur. 64) Qui legatorum apostolicorum ita mentionem facit in charta Alberto praeposito S. Mariae Frisingensis concessa, quae in Cunradi Gestis episcop. Fris. extat, typis mandata ap. Meichelbeck I, 1. 340: *Consultis itaque venerabilibus dominis Henrico et Iacincto — S. Romane ecclesie cardinalibus et legatis, qui hoc tempore in regno Teutonico legatione fungebantur et eorum adhibita auctoritate antiquas — ecclesie vestre consuetudines — volumus a fraternitate vestra diligenter observari. Data per manum Rahuvini notarii* (nostri auctoris, qui ergo rebus a se hic relatis ipse interfuit) *anno* 1158. — In hoc conventu Augustensi etiam Ottonem ab expeditione Italica absolvit Fridericus. Vide infra IV. c. 11. 65) Sequens epistola exeunte Ianuario vel ineunte Febr. 1158. scripta videtur Jaffeo 7037. Cfr. Legg. II, 106.

1158. *apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumatur, tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, et quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono et facto*[a] *est editum, et dicitur beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in*[b] *universo sacrae scripturae corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione et bono facto ipsius gubernari dicimur*[c] *et nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene et honorifice imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus iudicari. Unde quod quidam verbum hoc et illud, scilicet:* Contulimus tibi insigne imperialis coronae, *a sensu suo nisi sunt ad alium retorquere, non ex merito causae, sed de voluntate propria et illorum suggestione, qui pacem regni et ecclesiae nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum:* Contulimus *nil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est:* imposuimus. *Sane quod postmodum personas ecclesiasticas a debita sacrosanctae Romanae ecclesiae visitatione, ut dicitur, revocare*[d] *iussisti, si ita est, quam inconvenienter actum sit, tua, fili in Christo karissime, discretio, ut credimus, recognoscit. Nam si aliquid apud nos*[e] *amaritudinis habebas, per nuntios et litteras tuas nobis fuerat intimandum, et nos honori tuo curavissemus, sicut filii karissimi, providere. Nunc igitur*[f] *ad commonitionem dilecti filii nostri Heinrici*[g] *Bawariae et Saxoniae*[h] *ducis duos de fratribus nostris, Heinricum tituli Sanctorum Nerei et Achillei*[i] *et Iacinctum Sanctae Mariae in Cosmidin diaconos cardinales*[k], *prudentes siquidem et honestos viros, ad tuam praesentiam destinamus*[l], *celsitudinem tuam monentes et hortantes in Domino, quatenus eos honeste ac*[m] *benigne recipias, et quod ab eis ex parte nostra tuae magnificentiae fuerit intimatum, a sinceritate cordis nostri noverit tua excellentia processisse, ac per hoc cum eisdem filiis nostris, mediante iam dicto filio nostro duce, ita celsitudo tua studeat convenire, ut inter te ac matrem tuam sacrosanctam Romanam ecclesiam nullius discordiae seminarium debeat remanere.*

23. Lectis et benigna interpretatione expositis litteris, imperator mitigatus est clementiorque factus, quasdam causas alio loco memorandas, quae seminarium discordiae praestarent, si non[n] congrua emendatio interveniret, legatis per capitula distinxit. Quibus ad nutum principis et per omnia bene[o] respondentibus, praesulemque Romanum in nullo regiae dignitati derogare, sed honorem ac iustitiam imperii semper illibatam conservare pollicentibus, pacem et amicitiam tam summo pontifici quam omni clero Romano reddidit, eamque signo pacis et osculo absentibus per praesentes destinavit. Sicque hilariores facti legati donatique regalibus muneribus, divertunt in civitatem.

24. Eodem loco hisdemque diebus nuntii regis Daciae N.[p] nuper electi principis adeunt praesentiam, postulantes quatenus investituram de regno suo regi mittere ac electionem de ipso factam ratihabitione[q] confirmare dignaretur. Exaudivit eos imperator, praebito et accepto ab eis sacramento iurisiurandi, post reditum suum de Italia, infra 40 dies regem ad curiam venturum, et regni administrationem de manu principis, debitae fidelitatis interposita securitate, suscepturum.

25. Interea confluente ad ipsum undiqueversus copioso exercitu, nuntii diversorum principum aulam replevere, quibus locis singuli eorum cum singulis exercitibus per arctiora montium loca transirent, imperatorem consultantes. Tantae siquidem erant auxiliariorum copiae, quod plurium viarum meatus vix eos prae multitudine sustinere potuissent, videlicet Francorum, Saxonum, Ribuariorum, Burgundionum, Suevorum, Baioariorum, Lotharingiorum[r], Boemorum[s], Ungarorum, Carentanorum, et cum his aliae nonnullae Celticae seu Germaniae nationes, viri fortes, bellatores infinitae multitudinis, vario armorum apparatu, iuventus valida et ad bellorum motus imperterrita. Fridericus habito consilio et provida circumspectione usus, hoc modo eis vias et Alpium transitus censuit distribuendos[t]: dux Austriae Heinricus, et item[u] Heinricus dux Carentanus et simul cum eis copiae Ungarorum, ferme 600 sagittarii electi, pariterque comites et barones illarum terrarum per Canalem et Forum Iulii atque marchiam Veronensem; dux Bertholfus[v] de Zaringen vel potius Burgundiae cum Lotharingis per viam Iulii Caesaris, quae modo

a) ex bonofactum 6. b) *deest* 3, *ead. manu add.* 1. c) dicuntur 1. 2. d) revocari 6. e) ap. n. aliq. 1. 6. f) quoniam *add.* 8. 9 *et edd.* g) H. 1. 3. h) *ita* 6; Baioariorum et Saxonum 1. 3; Bauwarie et Saxonie 8. 9. i) presbiterum *add.* 8. 9. k) diaconum cardinalem 1. 3. l) *ita* 1. 3. 6. 8. 9; destinavimus *edd.* m) *ita* 1. 3. 6. 8. 9; et *edd.* n) si non *corr. ead. m.* 1 sine, *ita et* 3; si non 8. 9. o) bene per o. 6. p) *ita* 1. 2. 3. 8. 9. q) *ita* 8. 9; rati exhibitione 1. 2. 3. r) Lotharingorum 1. 3. s) Boemiorum 1. 3. t) distribuendas 1. 3. u) iterum 1. 3. v) Bertoldus 3.

mons Iovis vocatur; multa pars Francorum, Ripariolorum ac Suevorum per Clavennam et lacum Cumanum; princeps ipse habens in comitatu suo regem Boemiae, ducem Sueviae, videlicet Fridericum filium regis Conradi[a], fratrem suum Conradum palatinum comitem de Rheno, Fridericum Coloniensem, Arnaldum Maguntinum, Hellinum Treverensem archiepiscopos cum episcopis Conrado Eistetensi[b], Daniele[c] Pragensi[d], Hermanno[e] Ferdensi[f], Gebehardo Herbipolensi[g] et abbatibus regalium coenobiorum, videlicet Fuldensi[h], Augiensi. Taceo marchiones, comites clarissimos et valde potentes, quorum nomina si coner perstringere, delicato seu pigro lectori onerosus existam. His omnibus stipatus agminibus, imo divino comitatus praesidio, divus augustus Alpium fauces felici procinctu cepit urgere. Iam angustias montium laetus exierat exercitus, iam in planis Italiae campestribus castra metati fuerant, primaque venientium impetum Brissia[66] temere in locis munitis et militum suorum fortitudine confisa, armis ausa fuit excipere. Sed momento temporis laceratis eius viribus, subacta est. Primo a rege Boemorum graviter attrita, deinde in adventu principis, datis 60 vadibus simulque non modica pecunia, in deditionis pactionem[i] recepta. 1158. 66

26. Residente augusto et ex diversis civitatibus Italiae[k] venientem militem praestolante, consilio inito, commode et religiose satis prius[l] de pacis quam de belli tractat negociis. Conventum ergo principum cogens, leges pacis in exercitu conservandas tales constituit[67]:

Statuimus et firmiter observari volumus, ut nec miles, nec serviens litem audeat movere. Quod si alter cum altero rixatus[m] fuerit, neuter debet vociferari signa castrorum, ne inde sui concitentur ad pugnam. Quod si lis mota fuerit, nemo debet accurrere cum armis, gladio scilicet, lancea vel sagittis; sed indutus lorica, scuto, galea, ad litem non portet nisi fustem, quo dirimat litem. Nemo vociferabitur signa castrorum, nisi quaerendo hospitium suum. Sed si miles vociferatione signi litem commoverit, auferetur ei omne suum harnascha, et eicietur de exercitu. Si servus fecerit, tondebitur, verberabitur et in maxilla comburetur, vel dominus suus redimet eum cum omni suo harnascha[n].

Qui aliquem vulneraverit et hoc se fecisse negaverit, tunc, si vulneratus per duos veraces testes non consanguineos suos[o] illum convincere potest, manus ei abscidatur[p]. Quod si testes defuerint et ille iuramento se expurgare voluerit, accusator, si vult, potest[q] iuramentum refutare et illum duello impetere.

Si quis homicidium fecerit et a propinquo occisi vel amico vel socio per duos veraces testes non consanguineos occisi convictus fuerit, capitalem sententiam subibit. Verum si testes defuerint et homicida se iuramento[r] expurgare voluerit, amicus[s] propinquus occisi duello eum potest impetere.

Si extraneus miles pacifice ad castra accesserit, sedens in palefrido sine scuto et armis, si quis eum laeserit, pacis violator iudicabitur. Si autem sedens in dextrario et habens scutum in collo, lanceam in manu, ad castra accesserit, si quis eum laeserit, pacem non violavit.

Miles qui mercatorem spoliaverit, dupliciter reddet ablata, et iurabit quod nescivit illum mercatorem. Si servus, tondebitur et in maxilla comburetur, vel dominus reddet pro eo rapinam.

Quicunque aliquem spoliare ecclesiam vel forum viderit, prohibere debet, tamen sine lite; si prohibere non potest, reum accusare debet in curia.

Nemo aliquam mulierem habeat in hospitio; qui vero habere praesumpserit, auferetur ei omne suum harnasch[t], et excommunicatus habebitur, et mulieri nasus abscidetur.

Nemo impugnabit castrum, quod a curia defensionem habet.

Si servus furtum fecerit et in furto fuerit deprehensus, si prius fur non erat, non ideo suspendetur, sed tondebitur, verberabitur et in maxilla comburetur et eicietur de exercitu, nisi dominus[u] redimat eum cum omni suo harnasch[t]. Si prius fur erat, suspendetur.

Si servus aliquis culpatus et non in furto fuerit deprehensus, sequenti die expurgabit se

a) Chŏnradi 3. b) Eistetense 4. c) Daniel 1. 3. d) Brag̃ 3. 4. e) Herimanno 4. f) Ferdense 1. 2. 3. g) Herbipolense 3. h) Fuldense 3. i) *ita* 1—4; in deditionem pactionis *edd.* k) Italiae civ. 1. 3. l) priusquam 8. 9. m) rixatus — *pag.* 432 *lin.* 33. occiderit, eius erit *desunt* 8. 9; *in utroque codice spatium dimidiae paginae vacuum relictum est.* n) harnasch 4. o) consanguineis suis 1. 3. 4. p) *ita* 1. 3. 4; abscidetur 2. q) pot. si vult 1. 3. r) iuram. se 1. 3. s) amicus et 1. t) harnash 4. u) dominus eius 1. 3.

66) ineunte mense Iulio, teste Muratorio s. a. 67) Legg. II, 107.

1158. *iudicio igniti ferri, vel dominus eius iuramentum pro eo praestabit. Actor vero iurabit, quod aliam ob causam non interpellat eum de furto, nisi quod putat eum culpabilem.*

Si quis invenerit equum alterius, non tondebit[a] *eum, nec ignotum faciet, sed dicet marschalcho*[b]*, et tenebit eum*[c] *non furtive, et imponet ei onus suum. Quod si ille qui amisit equum in via deprehenderit oneratum, non deiciet onus eius, sed sequens ad hospitium recipiet equum suum.*

Si quis vero villam vel domum incenderit, tondebitur et in maxillis comburetur et verberabitur.

Faber non comburet carbones in villa, sed portabit ligna ad hospitium suum[d] *et ibi comburet; quod si in villa fecerit, tondebitur, verberabitur et in maxillis comburetur.*

Si quis aliquem laeserit, imponens ei quod pacem non iuraverit, non erit reus violatae pacis, nisi ille probare possit duobus idoneis testibus, quod pacem iuraverit.

Nemo recipiet hospicio servum qui sine domino est; quod si fecerit, reddet in duplo quicquid ille abstulerit.

Quicunque foveam invenerit, libere fruatur ea. Quod si ablata fuerit, non reddet malum pro malo, non ulciscetur iniuriam suam, sed conqueretur marschalcho iustitiam accepturus.

Si[e] *mercator Teutonicus civitatem intraverit, et emerit mercatum et portaverit ad exercitum et carius vendiderit in exercitu, camerarius auferet ei omne forum suum, et verberabit eum et tondebit et comburet in maxillam.*

Nullus Teutonicus habeat socium Latinum, nisi sciat Teutonicum; sed si habuerit, auferetur ei quicquid habet.

Si miles militi convitia dixerit, negare potest iuramento; si non negaverit, componet ei 10 libras monetae, quae tunc erit in exercitu.

Si quis invenerit vasa plena vini, vinum inde extrahat ita caute, ne vasa confringat vel ligamina incidat vasorum, ne ad dampnum exercitus totum vinum effundatur.

Si castrum aliquod captum fuerit, bona quae intus sunt auferantur, sed non incendatur, nisi forte hoc marschalchus[f] *faciat.*

Si quis venatus fuerit cum canibus venaticis, feram quam invenerit et canibus agitaverit, sine alicuius impedimento habebit.

Si quis per canes leporarios feram fugaverit, non erit necessario sua, sed erit occupantis.

Si quis lancea vel gladio feram percusserit, et antequam manu[g] *levaverit, alter occupaverit, non*[h] *occupantis erit, sed qui occiderit eam sine contradictione obtinebit.*

Si quis birsando[i. 68] *feram balista vel arcu occiderit, eius erit.*

Hanc treugam archiepiscopi, episcopi, abbates datis pro se dextris firmaverunt, et violatores pacis pontificalis officii severitate coercendos[k] promiserunt.

27. Iam totus exercitus tam Cisalpinus quam Transalpinus convenerat, iam multitudo prudentium et in lege doctissimorum in unum coierat[l], omniumque aures intentae erant, quas ad partes vel in quas nationes in primis eos bellicus labor et voluntas principis invitaret. Tunc imperator, coniuncta cum hilaritate iuvenili regia severitate, ut et timeri pariter et amari mereretur, unde exaudiri posset constitisse et pro concione pariter[m] huiuscemodi usus oratione memoratur:

Regi regum magnas nos et ingentes debere gratias cognoscimus[n]*, cuius dum complacuit ordinationi, ut quasi minister eius et vestri regni gubernacula regeremus, tantam nobis in vestra probitate atque prudentia fiduciam donavit, quod in multis experimentum vestri habentes, salvo nobis benignitatis vestrae praesidio simul et consilio, quaecunque occurrerint, quaecunque rem publicam Romani imperii turbare ausa fuerint, facile reprimenda putemus, imperii inquam Romani, cuius apud nos ministerium, auctoritatem penes vos, qui optimates regni estis, recognoscimus. Nemo nos*[o] *pro libitu nostro bella gerere putaverit, quorum et eventus varius est, et quae comitum suorum videlicet fame, siti, vigiliis, denique diversis mortibus horrenda et formidolosa non ignoramus. Non ad praelium nos accendit libido dominandi, sed feritas rebellandi. Mediolanum est, quod patriis vos laribus excivit, quod caris liberorum et coniugum vos amplexibus abstraxit, quod hos omnes labores sua irreverentia et temeritate capitibus vestris induxit. Iustam vobis belli causam fecerunt, qui legitimo imperio rebelles inveniuntur.*

a) tondet 1. 3. b) *ita* 1. 2. 3; marscalsco 4. c) *addunt* 1. 3. d) *deest* 1. 3. e) *ita* 1. 3; Sed si *edd.* f) marsalcus 4. g) manum 1. 3. h) *deest* 1. 3. i) Birsando 2. k) coherc. 1. 4 *semper.* l) *ita* 1. 3. 8. 9; coigerat 4; coierant *edd.* m) *add.* 1. 2. 3. n) recog. 1. 3. o) vos 1. 3.

68) germanice *pürschen.*

Suscipietis itaque bella ipsa non cupiditate vel crudelitate, sed pacis studio, ut malorum audacia coerceatur, et boni disciplinae suae[a] *debitum fructum inveniant. Quod si per desidiam aut ignaviam dedecus a Mediolano vobis illatum*[b] *vindice gladio non prosequeremur, iam indubitanter eum sine causa portaremus, nec tam esset in hoc nostra laudanda patientia, quam negligentia vituperanda. Ministri ergo iusticiae suffragium vestrum iuste postulamus, ut temeritas adversariorum careat effectu, et imperii status ad nostra deductus tempora nostro ministerio debitum sortiatur honorem. Non inferimus, sed depellimus iniuriam. Cumque iustum bellum sit, quod ex edicto superioris potestatis geritur, agite nunc universi, summam militiae laudem consecuturi, de meritis et laboribus fructum congruo tempore recepturi*[c], *obedientiam rei publicae utilitatibus exhibete, quicquid vobis utiliter imperatum fuerit, pro viribus obtemperate; divina siquidem opitulante misericordia, non segnes, non degeneres invenire nos debet inimica civitas in conservando, quod antecessores nostri Carolus et Otto titulis imperii addidere, primique de ultramontanis, ille inter occidentales, hic inter orientales Francos, ad*[d] *regni terminos dilatandos adicere curaverunt.* 1158.

Dixerat, verbumque augusti strepitus, clamor favorque totius exercitus prosequitur, et divina quaedam alacritas militibus incidit, salutis datori vota, ac Friderico imperatori fausta quisque patria voce adclamantes. At sapientes et legum periti persuadent, Mediolanenses licet improbos et infames, iudicis tamen officio[e] per legitimas inducias citandos esse, ne violentia eis illata, vel contra ius in absentes prolata sententia videretur. Legitimas vero inducias dicunt iudicis edictum unum, mox alterum et tertium, seu unum pro omnibus, quod peremptorium nominatur; quod et factum est.

28. Itaque Mediolanenses cum viderent universam vim belli suis imminere capitibus, eligunt quos ad curiam mittant legatos, viros eruditos et in dicendo acerrimos. Qui cum se poenalibus et stricti iuris actionibus conveniri viderent, neque principem pactione multae pecuniae posse deliniri, suffragio optimatum frustra quaesito pacisque infecto negocio, ad suos revertuntur. Imperator astipulantibus iudicibus et primis de Italia, contra Mediolanenses condempnationis proferens sententiam, hostes eos iudicat, omnique apparatu ad obsidionem civitatis accingitur.

Quibus rebus apud Mediolanum compertis, permota civitas atque immutata urbis facies erat, ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna requies[f] pepererat, repente omnes[g] tristitia invasit. Festinare, trepidare, suo quisque modo et metu pericula metiri. Ad haec mulieres quibus suae rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad coelum tendere, miserari parvos pueros, omnia pavere. Fuere tamen plerique, sicut alibi de quibusdam dicitur[h], qui se et rem publicam obstinatis animis perditum irent. Nam semper in civitatibus, quibus opes nullae sunt, qui aes alienum solvere non possunt, bonis aliorum et quieti invident, nova exoptant, odio suarum rerum omnia mutari student, seditionibus sine cura aluntur, quoniam, ut dicitur, egestas facile habetur sine dampno. Praeterea iuventus, quae magis[i] manuum labore victum quaerens inopiam tolerabat, publicis largitionibus excita, urbanum ocium ingrato labori praetulerat. Unde factum est, ut multitudine huius vulgi praevalente, rei publicae iuxta ac sibi consulerent, ac libentibus animis belli eventum expectarent, nobilioribus et melioribus metu talium silentio addictis. Et haec quidem in civitate.

29. Fridericus autem per aliquot dies operiens, expectabat, si forte Mediolanenses poenitudo salubris ab incepto rebellionis revocaret, si forte cladis et periculorum consideratio eos propositum mutare persuaderet. Paratus etenim erat serenus principis animus potius correctis veniam praestare, quam post destructionem provinciae cum dampno multorum de perdito populo triumphare. Illis[k] ergo[l] in priori pertinacia permanentibus, cunctis comitatus agminibus incipere obsidionem acriter statuit, castraque movens usque ad flumen Adduam[m] processit. Is fluvius Cremonensium ac Mediolanensium fines medius dirimens, saepissime atroces eorum contra sese incursus inhibuit, et tunc quidem propter liquentes in Alpibus nives non mediocri inundatione excreverat[n], ruptisque pontibus omnino transvadandi opportunitatem exercitui denegare videbatur. Aderant quoque in ulteriore

a) *deest* 1. 3. b) v. i. *add.* 1. 3. 8. 9. c) f. cognoscite rec. 1. 2. 3, *omissis:* congruo tempore. d) *ita* 1. 3. 4; et ad *edd.* e) officium 1. 2. 3. f) *ita* 1. 2. 3. 8. 9; eis requies *edd.* g) *ita* 1. 2. 3. 8. 9; omnis *edd.* h) sicut — dicitur *desunt* 1. 2. 3. 8. 9. i) magnis 1. 2. k) Illius 2. l) *ita* 1—4; igitur *edd.* m) Aduam 8. 9. n) creverat 3.

11 8. fluminis ripa pugnacissimi de Mediolanensibus circiter mille equites armati, qui se ope et adminiculo inundantis fluminis facile vados pontesque defendere posse arbitrati sunt. cf Ovid.Met. X, 544. Verum contra audaces non est audacia tuta. Nempe frustrati sunt, cum ex improviso rex Boemiae et Conradus dux Dalmatiae, cum suis parvi pendentes periculum, aquis se dederint, et quamvis difficillime et non sine clade suorum, imperterriti tamen alveum furentis amnis transvadaverint vel potius transnataverint. Numerus eorum quos aquarum vehementia involvit, involvendo submersit, circiter 60[a] aestimabatur. Mediolanenses postquam regem praeter spem et opinionem suam transisse cognoverunt, ante pugnam fuga disiecti et ad civitatem reversi sunt, sarcinae relictae, et praeda universa a nostris direpta. Has primitias belli primosque conatus infaustos Mediolanensibus nonnulli asperius auspicati sunt, rerum exitus ex principio metientes. Boemos reliquus[b] exercitus secutus, pars refectis pontibus, pars insano gurgiti se immittentes, tam se quam sarcinas transposuere.

69 30. Erat non longe ab eo loco castrum quoddam Mediolanensium, Tretium[c 69] appellatum, in planitie campestri, mediocri eminentia paululum in altum sublatum, quod una parte iam dictus fluvius Addua[d] alluebat, altera muri fortissimi ambitu turrisque fortitudine muniebatur, pontem firmum et ad transmeandum copiosae militiae habilem suis continuans suburbiis. Augustus commodum ratus ad transitum suorum, si praefatum castrum suae subigeret potestati, obsidione cingit, oppugnat et in brevi expugnat. Castellani enim disciplina militum et ingenio conterriti, paulisper quidem primos sustinuere impetus, deinde cum nullum locum fugae, nullum de civitate praesidium sperarent, scientes quod pro vita res illis erat, dextras postulant, accipiunt, munitionem dedunt; plurimi pendentes, quod in tam adversa fortuna personarum salutem lucrati fuissent. Fridericus ibidem locatis praesidiis, ad obsidionem civitatis acies instruxit.

31. Progrediente autem eo in hostilem terram, quidam de exercitu malae affectatae laudis avidi, praevenire alios et de virtute certando alter alteri superior inveniri desiderabant. Inter quos erat comes Ekkebertus[e] de Putene[f 70], vir nobilitate, divitiis et virtute animi ac corporis insignis, cum quibusdam aliis nobilibus et regalis familiae militibus. Isti coeuntes in unum, circiter mille equites armati, sperantes se aliquid memorabile facturos, ad civitatem properant, et pene usque ad portam[g] assultum faciunt, viri digni pro fortitudine, qui meliore fortuna usi fuissent. Nam etsi coeptum casus invidit, tamen non qualiter cesserit, sed quid decreverint attendendum. Excipiuntur siquidem valida hostium multitudine, certatur hastis primo, deinde strictis ensibus dimicatur, vixque in conflictu discerni poterat ex qua parte quisque pugnaret, permixtis viris et propter angustias permutatis, visum pulvis obortus et excitatus ad instar noctis excaecabat, vocis autem intellectum magnitudo et diversitas confundebat. Neque enim[h] fugae vel persecutioni locus erat, sed qui inter primos stetissent, aut cadendi aut occidendi necessitatem habebant, quia refugere non dabatur. Nam et posteriores utriusque partis in fronte suos urgebant, nullumque inter dimicantes bello vacuum intervallum reliquerant. Cum autem hostium multitudo nostrorum animos et peritiam vinceret, iamque tota acies pelleretur, praedictus comes Ekkebertus, uni suorum qui deiectus fuerat, opem ferre cupiens, subito equo prosilit, militem liberat, iamque vincentes hostes pene solus perturbat et ad vallum usque civitatis persecutus est. Fugiebant enim[i] eum universi, neque vim hominis neque audaciam sustinentes. Verum profecto fata virum persequebantur, quae ab homine vitari non possunt. Multitudine quippe adversariorum undique circumfusus, ad terram lancea prostratus est, et detracta galea atque thorace, capite caesus, nemine succurrente, quod locus intercludebat auxilium ferre cupientem. Aegre itaque nobilissimus comes et vir regalis sanguinis perimitur, magnam de se querelam non tantum apud suos, verum[k] apud exteros relinquens. Dictum tamen memini a quibusdam, vivum eum captum et intra civitatem atrociter decollatam. Occisi sunt ibi quidam alii nobiles, quorum[l] unus erat Iohannes dux

a) *ita* 1. 2. 3. 8. 9; ducentos *edd.* b) reliqus 1; reliquis 3. c) Tercium 1. 2, *sed male cfr. IV*, 32; Trecium 4. d) Addue 1. 3; Adduae 4. e) *ita* 1. 2. 3 *semper;* Egkebertus 8. 9. f) *ita* 1; Boten 2; Bŏtene 3; Bůtene 4. 8. 9. g) portas 1. 3. h) autem 1. 2. 4. i) *addunt* 1. 2. 3. k) *ita* 1. 2. 3. 8. 9; sed etiam *edd.* l) quorum — Ravennatensium *desunt* 1. 2. 3. 8. 9.

69) Trezzo in oriente Modoetiae. 70) comes de Pütten et Vormbach. Hoschberg p. 305. Pütten situm est in finibus Hungariae; consulas scriptores a V. Cl. Raumer laudatos II, 92.

et maior de exarchatu Ravennatensium, et regii milites N. et N. capti quidam, caeteri ad 1158. castra revertuntur.

Revertentes autem milites interminatio principum et imperator iratus huiusmodi oratione corripuit: *Mediolanenses omnia cum deliberatione faciunt atque prudentia, fraudes et insidias componendo, eorumque dolos fortuna persequitur. Nostri vero, quibus ob disciplinam et consuetudinem obediendi rectoribus fortuna famulatur, nunc contrario peccant. Non immerito itaque vincuntur, depelluntur; quia omnium pessimum est praesente imperatore sine rectore dimicare, cum etiam vincere sine praecepto ducis infamiae sit.* Scituros esse, ait[a], omnes qui de caetero arroganter egerint, vel minimum quid praeter ordinem moverint, legum severitate se in eos vindicaturum. Circumfusa vero agmina principem pro commilitionibus obsecrabant, paucorumque temeritatem condonari cunctorum obedientiae precabantur, emendaturos esse peccatum praesens futurae compensatione virtutis. Placatus imperator est precibus, simul et utilitate multitudinis, facto indulgendum putans, multa monens, ut post haec prudentius agerent. Ipse vero quemadmodum se in adversarios ulcisceretur, iam provocatus arctius[b] cogitabat.

32. Itaque postera die[c] quae lucescit in 8. Kalend. Augusti, Fridericus ad obsidionem Iul. 25. civitatis ducens exercitum, omnes copias suas in 7 legiones partitur, praeficiens[d] singulis[e] de principibus rectores ordinum, quos antiqui centuriones, hecatontarchos[f] seu chiliarchos appellare consueverunt, cum signiferis aliisque disciplinae et ordinis custodibus. Praemissi autem milites cum stratoribus viarum ibant, qui aggerum maligna corrigerent, ac devia complanarent, obstacula praeciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Circum aquilam et signa alia tubicines et cornicines. Servi singulorum agminum cum peditibus erant, mulis aliisque iumentis advehentes militum sarcinas. Hos sequebantur qui expugnandis civitatibus machinas et caetera tormenta portarent. Omnium vero agminum postrema erat mercenaria multitudo. Ordinato taliter militum itinere, praemonitisque diligenter ne quis ordinem deserat, Martio quodam spiritu repleti, cum valido clamore divinum implorant auxilium. Deinde ociose et cum omni decore progredientes ambulant, suum quisque ordinem velut in bello custodiens. Quemcumque huic negotio liberum[g] spectatorem contigit affuisse, hunc ego experientius intelligere puto, quod dicitur: *Pulchra ut* Cant. 6, 9. *luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Peracto itinere Fridericus cum omni exercitu, circiter 100 milia armatorum vel amplius, Mediolanum pervenit, ibique positis castris, quamvis promptos ad bellum milites continebat, ne quid ea die attemptarent[h] praecepit[i]. Illi vero qui de civitate fuerant egressi, stabant armati super vallum, nichil omnino strepentes, dubium, principis advenientis aspectus utrum hanc reverentiam et huius silentii disciplinam, an metum universis incusserit. In gyrum[k] ergo e regione portarum distribuens exercitum, instruebat obsidionem.

33. De civitatis ipsius situ ac moribus cum superiore libro mentio fuerit, id adiciendum videtur, quod campi planitie undique conspicua, natura loci latissima, ambitus eius super[l] centena stadia circumvenitur. Muro circumdatur, fossa extrinsecus late patens aquis plena, vice amnis circumfluit, quam priori anno primitus ob metum futuri belli, multis invitis et indignantibus, consul eorum provide fecerat. Turrium proceritati[m] non tam ut aliae civitates student. Nam in multitudine atque fortitudine tam sua quam sibi confoederatarum civitatum confidentes, impossibile arbitrati sunt, a quoquam regum seu imperatorum suam civitatem posse claudi obsidione. Unde factum est, ut civitas haec inimica regibus ab antiquo fuisse dicatur, hac usa temeritate, ut semper rebellionem principibus suis moliens, scismate regni gauderet, et geminorum potius dominorum quam unius super se iuste regnantis affectaret principatum, ipsa levis et utriusque ridens fortunam, nec in hac nec in illa parte fidem haberet. Huius rei si quis expempla desiderat, ad Leoprandum, qui gesta Longobardorum[n] subnotavit, recurrat.

34. Divisis, ut dictum est, inter principes exercitus portis civitatis, singuli eorum festinare, parare vallo, sudibus, palis aliisque propugnaculis castra munire propter improvisos hostium excursus decertabant. Neque enim vineis, turribus, arietibus aliorumque

a) *deest* 1. 2. 3. b) artius 1; arcius 4. c) vespere 1. 2. 3; die 4. 8. 9. d) p̄sciens 3. e) singulos 1. 3. f) tecatont. 1. 3. 4; pentatecatont. 2; ecatont. 8. 9. g) *ita* 1. 2. 3. 4; veluti liberum *edd.* h) attemptaretur 8. 9. i) *deest editt. et* 4. 8. 9, *superscr. ead. manu* 1. k) girum 4. l) supra 1. 3. m) proceritate 1. 3. n) *ita* 1; Langobardorum 3

1158. generum machinis tantam civitatem attemptandam putabant, sed longa potius obsidione fatigatos ad deditionem cogi, vel si foras propter fiduciam multitudinis erupissent, praelio superatum iri. Oppidani non segnius ea quae sibi usui[a] forent procurare, munimenta castrorum disturbare, crebris excursibus exercitum attemptare, sagittariis et fundibulariis plerosque sauciare. Erat in extrema parte exercitus[b] Conradus[c] palatinus comes de Rheno, germanus imperatoris, et dux Suevorum Fridericus cum Suevis caeterisque ipsorum commilitonibus obsidionis agentes negocia circa portam sibi destinatam. Mediolanenses opportunum rati, vel pro eo quod pauciores aliis agminibus et iuniores aetate, vel quod sequestrati a fortitudine exercitus auxilium invenire non possent, eos invadere statuunt, sperantes facile se aut plenum de illis triumphum reportare, aut forti aliquo patrato facinore vitam pacisci[d] pro laude. Itaque post occasum solis, cum praeter vigiles tantum totus miles fessa labore corpora somni quiete recreanda speraret, apertis portis cum pugnacissimis egressi, disiectis custodibus, usque ad iam dictorum heroum castra excurrunt, oppugnant, sauciant. Alemanni ubi hostes adventare senserant, inopinata re ac improvisa primo percussi, alter apud alterum formidinem simul et tumultum facere, deinde alius alium appellare, hortari, arma capessere[e], venientes excipere, instantes propulsare, clamor permixtus hortatione, strepitus armorum ad coelum ferri, tela utrinque volare, pro ingenio quisque, pars cominus gladiis, pars pugnare lapidibus, seu alterius generis missilibus. Non procul ab hinc rex Boemorum castra fixerat. Is ex quo bellicum clamorem accepit, decernit laborantibus sociis auxilio fore debere. Quanta ergo poterat velocitate, suos[f] arma capere, equos ascendere iubet; ipse cum militibus electis et sagittariis et tubicinis ac tympanistris praeire. Non eos morabantur vinearum aggeres seu maceriae, non asperitas et insolentia loci retinebat. Ea vero consueti Sclavorum equi facile evadere. Nostri ubi ex sono tubarum et tympanorum amici regis adventum cognovere, animosiores et laetiores effecti, resistere, hortari se invicem ne deficerent neu paterentur hostes iam iam fugituros vincere. Aderant Boemi, tum demum maxima vi certatur, maximo clamore cum infestis signis concurritur. Rex ipse cominus acriter instare, laborantibus succurrere, hostem ferire, strenui militis et boni regis officia simul exequebatur. Oppidani ubi vident contra ac rati erant, se in medios hostes devenisse, nec impetum regis sustinere posse, terga vertunt. Nostri fugientibus instant, et usque ad angustias portarum persecuti, in reliquum tempus pacem sibi de incursionibus illorum peperere. Hostium quidam occisi, plurimi capti, magna pars vulneribus confecti.

35. Quia vero tam superbae civitatis tam famosam obsidionem se non meminit aetas nostra vidisse, pro eo quod non solum Alemanici sed et Italici regni vires ibi adunatae fuerant, quisque gloriosus ac laudis avidus alius alium in aliquo egregio facto, unde sibi nomen faceret, praevenire satagebat. Igitur Otto palatinus comes de Baioaria, cuius saepe 71 iam mentio habita est, cum duobus fratribus suis, Friderico et Ottone iuniore[71], aliaque sibi coniuncta militia ad portam quam ipsi vallaverant, diligentius hostium conamina observabant. Quadam ergo die dum ociose ipsos agere rarosque circa portam custodes aspexissent, visum est eis temptandam fortunam. Ergo propinquante vespera, clanculo milites armari iubent, servosque ignem cum aridae materiae fasce praeparatum habere, quatenus dato signo pariter ex improviso procurrerent, et pontem ac portam ipsam, si fieri posset, exurerent. Parent dicto, atque ad nutum praecipientium subito prosilientes, usque ad propugnacula pontis super aggerem disposita venerunt, ignemque, sicut praecepti fuerant, haud segniter iniecerunt. Populus civitatis tumultu excitatus, improviso metu, incerti quid potissimum facerent, trepidare, cum erumpentibus flammis propugnacula et aggeres concremari cernerent, timere ne aridum nactae fomitem citius volitando non solum pontes et portam, verum ipsam civitatem pessundarent. Clamor ergo ac tumultus per civitatem varius agitatur, curruntque permixti inermes et armati, prohibituri incendium. Concurritur infesto Marte, certatur magnis viribus ab utrisque, obscuram noctem incendium et faculae taedaeque ardentes illuminabant, fragor percutientium,

a) *ita* 1. 2. 3. 8. 9; quae necessaria *edd.* b) Extrema in p. exerc. erat 1. 3. c) Chûnr. 3. d) uitam uitam pacifici 3. e) capessare 1. 3. f) suis 1. 3. 4.

71) Fridericus obiit a. 1198; acta eius collegit Huschb. p. 357. Otto iunior, pater istius Ottonis de Wittelspach qui Philippum I. regem occidit, paulo post a. 1189. e vivis excessit. Palatinus vero comes Otto idem est, qui a. 1180. ducatum Bawariae adeptus est.

gemitus percussorum, voces adhortantium hinc inde varie resonabant. Hi, ut coeptum 1158. eorum efficaciam obtineret, illi, ut ignem restinguerent nostrosque a porta propellerent, summa[a] vi conabantur. Comites ipsi duces praelii in hoc certamine, sicut et in aliis multis, omnibus se periculis prostituentes, sicut optimi bellatores fortitudinem corporis ac animi magnitudinem adeo sub oculis omnium clarere fecerunt, ut de eorum virtute etiam hostis iudicaret, et quivis spectator testis fieret. Multo autem labore consumpto liteque in horam noctis protracta miles ad castra revertitur. Sauciati utrimque plurimi, verum atrocitatem cladis beneficium noctis imminuebat[b].

36. Nec minus populares Mediolanenses turpe habentes, si remissius in nostros agerent, ubi tempus et locum invenerunt, non cum valida quidam manu, sed perpaucos sive sagittarios sive fundibularios incautos sauciando, temeritatis atque audaciae suae magnitudinem ostentare conabantur. Et illi quidem, qui ad superiores conflictus venerant, moderatius agere, alii vero tanquam non experti, per singula momenta excursiones moliri. Ad portam itaque quam observabat Heinricus dux Austriae, vir nobilitate generis et animi clarissimus patruusque imperatoris, dum saepius hanc exercerent iniquitatem, non dignum ratus facinus hoc sine ultione praeterire, ad correctionem eius et vindictam accepta opportunitate accingitur. Igitur universis, quos secum habebat, armatis, auxiliariis Ungarorum copiis in sagittando optimis cum caetera heroum, qui sibi sociati fuerant, cohorte assumptis, omni conamine oppugnationem portae disponebat. Non hoc latere poterat Mediolanenses, quippe molitiones nostrorum praesentientes, ignominiam iudicabant, si pares, imo plures multitudine, minori animo, venientibus non occurrerent. Per turmas ergo et cohortes suas egressi, committunt se, seque mutuo maxima vi caedunt, sauciant, capiunt, fugant. Tum spectaculum horribile, sequi, fugere, occidi, capi, equi atque viri afflicti, ac multi vulneribus acceptis neque fugere posse, neque quietem pati, niti modo, ac statim concidere. Postremo[c] omnia constrata telis, armis, cadaveribus, et infecta sanguine tellus. Ex parte oppidanorum iterum male pugnatum est, ipseque dux, cuius ibi probitas mirifice probata est, haud dubie victor, eos intra moenia fugavit, et a solita in posterum eruptione compescuit. Inter alios qui de Mediolanensibus eo praelio ceciderunt, occisus est quidam de nobilissimis illorum, nomine Statius[d], quem, ut tunc fama fuerat, regulum super se creare cogitaverant, auditaque morte eius, tota civitas luctum assumpsit, corpusque mortui cum vivis, quos de nostris habebant, et copiosa pecunia commutantes redemerunt et regalibus exequiis honorando sepelierunt.

37. Illud[e] etiam non ab re est memorare, quod quidam ex oppidanis vir in oculis suis sibi placitus, progressus versus castra imperatoris, velut equitandi imperitiam nostris exprobrans, quaedam superba[f] prolocutus est, et quemlibet fortissimum ac equitandi peritissimum ad singulare certamen provocavit, cepitque vertibilem equum modo impetu vehementi dimittere, modo strictis habenis in gyrum, ut huic negocio mos est, revocare, moxque varios perplexosque per anfractus[g] discurrere. At qui contra steterunt, multi quidem dedignabantur. Erat[h] autem inter eos, ut assolet, etiam qui timeret[i]. Quosdam vero non inconsulta movebat ratio, cum mortis cupido non debere confligere, et cum his in discrimen venire, quos neque vincere magnum sit et vinci cum[k] dehonestamento periculosum, non fortitudinis, sed insipientiae videri. Cum autem diu nemo procederet, multaque ille nostrorum timiditati illuderet, nobilis comes Albertus[l] de Tyrol, ad omnem virtutis commendationem idoneus, inermis et palefrido sedens, solo clypeo accepto et hasta, praefato Liguri obviam venit, eumque tripudiantem et vana iactantem deiecit, cadentemque dedignatur occidere, contentus ad laudem, quia visus est potuisse. Ita nostros ultus comes Albertus[l], nil glorians, ad suos revertitur, vir minimae iactantiae et qui semper manu quam lingua promptior inveniri volebat. Ita inter nostros principes contra Ligures varium pro virtute et gloria certamen in dies habebatur.

38. Inter haec princeps ipse impiger omnia quae ad cladem et eversionem civitatis erant providere, muros modo cum paucis modo cum multis et lectis militibus circuire, ubi muros aggrederetur explorare, omni modo temptare, si posset inclusos ad congressionem

a) summa illi summa vi 3. b) *editiones addunt:* Alii asserunt, hoc negotium clara die consummatum, *quae in codicibus* 1. 2. 3. *(4?)* 8. 9, *non reperiuntur et scholion cuiusdam scribae posterioris esse videntur.* c) Postrema 1. 2. d) nom. Statius *desunt* 1. 2. 3. 8. 9. e) illuc 8. 9. f) superbia 3. g) amfractus 2. h) erant 1. 3. 8. 9. i) timeret 1; timerent 2. 3. k) eum 1. 3. l) Adilbertus 1. 3.

1158. et pugnam provocare. His circuitionibus alteram partem civitatis, quae necdum obsidione adeo fuerat subacta et artata, quin pecora[a] eorum extra pascerentur civibusque intrandi et exeundi pateret aditus, ita compescuit et[b] cohibuit, ut tum[c] demum cervicem dimitterent[d], et quale esset obsidione claudi experimento addiscerent. Euntem in gyro imperatorem arbitrantes ad assultum faciendum venire, in civitate tumultus exoritur, ingens trepidatio, signorum[e] crepitus tubarum[f] sonitus, fortes ad arma, mulieres et invalidi senes ad lamenta. Nemo tamen extra progredi ausus, ad defensionem tantum civitatis armata iuventus[g] et imperterrita ad modum coronae consistebat[h], sed nec ad portam, ubi militia principis obsidionem celebrabat, excursiones facere, dubium an metu, an reverentia imperatoris cohiberentur. Erat non longe a vallo, id est quantum arcus iacere potest, quasi turris quaedam fortissima, ex quadris lapidibus solido opere compacta. Mirabilis autem fuit lapidum magnitudo. Nec enim ex vulgaribus saxis, aut quae homines ferre posse crederentur, sic autem manibus artificum formata, ut quatuor columnis sustentata, ad similitudinem Romani operis, vix aut nusquam in ea iunctura compaginis appareret, unde et Arcus Romanus appellatus[i] est, sive ab antiquo aliquo Romanorum imperatore ob decorem et memoriam in fornicem triumphalem erecta, sive, ut in gestis Longobardorum reperitur, ad expugnationem et cladem civitatis ab uno rege[k] nostrorum fuerit fabricata. Erant in ea virorum receptacula et coenacula 40 lectorum vel amplius capacia, collectis ibi tam in armis quam in[l] victualibus quae ratio necessitudinis ad obsidionis[m] tempus desiderabat. Ibi Ligures sua praesidia locaverant duplici ratione, ut et hostibus usui non esset, cum exinde quicquid in civitate ageretur velut e specula facile videri, itemque quid[n] in castris fieret quidque exercitus strueret ipsis continuo denunciari posset. Fridericus, versis[o] in contrarium rationibus, hanc expugnare statuit, verum cum nec instrumentis sive machinis aut aliquo tormentorum genere pro firmitudine sua pulsanda videretur, triplici ordine iaculatorum et sagittariorum eam vallat, tantaque illorum erat et multitudo[p] et in feriendo peritia, quod non dubie mortem appeteret, quisquis in propugnaculis appareret. Summa ergo necessitate coacti, dextras petunt, et ut sibi parceretur rogabant, acceptaque fide publica, munitionem tradunt et recedunt. Ex inde nostris arx illa usui.

39. Nemo in hac obsidione maiori studio maiorique atrocitate quam Cremonensium et Papiensium desaevit exercitus, nullisque obsidentium obsessi se magis ac illis offensos et infensos praebuere. Longissimis siquidem simultatibus et discordiis inter Mediolanum atque has civitates agitatis, multis milibus hominum hinc inde vel occisis vel dura captivitate afflictis, territoriis praeda et incendio vastatis, cum se in Mediolano, quod propriis viribus et auxiliariis civitatibus praevalebat, ad plenum vindicare non potuissent, opportunum tempus adepti, iniurias suas ultum iri decernunt. Itaque non ut cognatus populus, non ut domesticus inimicus, sed velut in externos hostes, in alienigenas[q], tanta in sese invicem sui gentiles crudelitate saeviunt, quanta nec in barbaros deceret. Vineta, ficeta, oliveta Mediolanensium pars radicitus evellunt, pars excidunt, alii corticibus abrasis ignibus idoneam praeparare materiam. Quando gladiis inter se res ageretur, et mutuo casu vel illac vel hac quispiam infelix caperetur, hi qui extra in conspectu hostium, aut mucronem iugulo condere aut spiculo configere, qui vero intus, ne crudelitate inferiores invenirentur, captum per membra dividere forasque suis miserabile spectaculum proicere. Et tale quidem conlatinorum inter se commercium fuit.

40. Iamque malis plurimis[r] attriti Mediolanenses. Crescebat autem in civitate cum fame desperatio, et in dies singulos utrumque malum amplius accendebatur. Erat nempe collectum ex toto territorio infinitum vulgus, diversusque erat victus, cum potentiores quidem amplius haberent, infirmiores autem penuriam deplorarent. Quippe fames super omnes clades habetur; nam, ut ait quidam[s]: *Quod reverentia dignum est, in fame negligitur.* Huc accessit ultio divinae animadversionis, totamque pene civitatem morbus ac[t] pestilentia vexabat. Urgentibus itaque pariter fame, ferro, peste, populus ad deditionem commotus est, iamque illorum multitudo profugere cogitabat[u]. Qui vero acrioris[v] ingenii[w],

a) peccora 1. 4. b) atque 1. 3. 4. c) dum 1. 3. d) dem. 3. e) *ita* 1—4; tympanorum *edd.* f) turbarum 2. g) ĩuentus 3. h) consistebant 1. 3. 4. i) appellata 1. 2. 3. k) regum 1. 3. l) *deest* 1. 2. 3. m) obsidione 3. n) quod 2. 3. o) versus 1. 3. p) *ita* 1. 3. 8. 9; magnitudo *edd.* q) aligenigenas 4. r) plur. m. 8. 9 *et edd.* s) ut ait q. *desunt* 1. 2. 3. 8. 9. t) *recepi ex* 1. 3. 4; aut *edd.* u) cogitabant 1. 3. v) acriores 3. w) erant *addunt edd. quod deest* 1—4.

seditionibus operam dabant, dicentes, pro liberate patriae et honore civitatis vitam se morte velle commutare. His inter se dissidentibus, quidam ex illis, quibus sanior mens erat, qui pacem malebant quam bellum, decrevere, ut concione habita populum ad considerationem communis utilitatis provocarent et magnitudine periculorum a rebellione deterrerent. Huius[a] auctor negocii dicitur fuisse Gwido comes Blanderatensis, vir prudens, dicendi peritus et ad persuadendum idoneus. Is cum esset naturalis in Mediolano civis, hac tempestate tali se prudentia et moderamine gesserat, ut simul, quod in tali re difficillimum fuit, et curiae carus et civibus suis[b] non esset suspiciosus. Aptus ergo qui ad transigendum fidus mediator haberetur, et pro concione huiuscemodi usus sermone commemoratur: 1158.

Si vestrae rei publicae hactenus fidem servavi, si statum et honorem Mediolani stare incolumem ac inconcussum optavi, feci quod debui. Tanta mihi gratia ab ineunte aetate, tanta mihi a vestra benevolentia exhibita sunt beneficia, quod ad gratiarum actiones imparem et insufficientem me cognosco, nisi forte bonae conscientiae, bonae voluntatis obsequium aliquod mihi apud vos meritum pepererit. Harum rerum vestra fretus probitate, fiducialiter vos testes exhibeo. Unde non vereor in tali rerum articulo a quoquam bono notari, etiam si praeter libitum suum ac secus quam suo[c] rapitur desiderio quippiam a nobis audierit. Beatum enim me aestimo ab his, a quibus vacuos esse decet, qui de rebus dubiis consultant. Haec sunt, ut ait quidam, odium, amicitia, ira atque misericordia; ubi illa officiunt, haud facile animus verum providet. Vestra dignitas, fama atque fortuna hucusque non in obscuro, sed in excelso fuit, vestraque facta cuncti mortales novere. Sed decebat in maxima fortuna minimam[d] esse licentiam. Novimus quos et quot reges Mediolanum sua constituerit auctoritate, novimus quos et quot[e] adepto regno propulerit. Sed profecto in omni re fortuna dominatur[f], ea, ut dicitur, cunctas res pro libitu magis quam pro vero celebrat obscuratque. Paululum[g] haec fortuna immutata est; mobilis enim est, eiusque constantia volubilem esse ac minime permanentem. Tendamus cum rota, forsitan qui modo infimus axe teritur, elevatus rursus ad astra feretur. Sensit mecum qui dixit: „Heus, omnium rerum vicissitudo est". Scio qui dicant: „Libertas res inaestimabilis est, pulchrum pro libertate pugnare". Fateor attamen id in principio decere fieri, semel autem subditum, et qui multo tempore paruisset imperio, iugum excutere, malae mortis cupidum, non libertatis amatorem videri. Validissima lex est tam feris bestiis quam hominibus praefinita, potentioribus cedere, quique armis vigent, his obedire victoriam. Divinae quoque ordinationi resistit, qui potestati resistit. Timendum ergo non solum vos imperatori sed etiam Deo resistere. Grave quidem confiteor, post longum ocium, post longam libertatis consuetudinem iugum frenumque portare; sed consoletur ignominiam subiectionis dignitas imperii ac nobilitas imperantis. Meliores nobis fuerunt patres nostri et maiores, fide, probitate caeterisque bonis aeque vel amplius nobis gloriam, honorem libertatemque affectarunt, imperio tamen Transalpino resistere non potuerunt. Subeant vobis[h] pro exemplo Karolus Magnus et Otto primus ex Teutonicis imperator. Eapropter tametsi varia belli discrimina iam in parte sitis experti, optimum tamen est ante intolerabilem calamitatem mutare sententiam, dumque licet, salutare sequi consilium. In clementia principis magna spes nobis sita est[i], qui non in finem irascetur, nisi ad finem usque insolentes ipsi fueritis. Brevi autem quamvis armis perrumpi claustra murorum non possint, fames atque pestilentia pro illis pugnabit. Versentur obsecro in conspectu cuiusque filii, coniuges et parentes, quos paulo post, nisi mutata sententia, aut bellum aut fames absumet. Non ignavia, sed consideratione periculorum me quisquam haec suadere crediderit. Ipse ego pro populo meo, pro civitate mea mori paratus sum, impendamque libenter mercedem salutis vestrae sanguinem meum[k].

41. Postquam dicendi finem fecit, alius voce, alius nutu aut assentire, aut contradicere; vicit tamen imprudentiam consilium saniorum. Unanimes itaque facti per consules et primos civitatis, primo regem Boemiae ducemque Austriae conveniunt, dehinc mediantibus illis alios principes, eosque ad imperatorem de pace supplicaturos dirigunt. Princeps pro regali mansuetudine, pro humanitate naturali cives civitati, civitatem civibus servare cupiens, gratum habebat cognito populum de pace sentire, consilioque habito, cum videret

a) Cuius 3. b) eius 1. 3. c) secundo 1. 3. d) *deest* 3. e) quod 1. f) dominatur — fortuna *desunt* 1. 2. 3; *adsunt* 8. 9, *qui hunc locum ita exhibent:* fortuna dominatur. Ea cunctas res pro libitu magni quam pro vero celebrat obscuratque. Paululum hoc fortuna immutata est. g) Paulolum 4. h) *ita* 1. 2. 3; nobis *edd.* i) *deest* 1. 4. k) *ita* 1. 3. 8. 9; libenter mercedem pro salute vestra s. m. 2; lib. incedere salutis vestrae s. m. 4; libenter in caedem pro salute vestra sanguinem meum *edd.*

1158. omnium animos summa alacritate id appetere, de pacis pacto et conditione pertractat. Quod tale fuisse, scriptura exinde facta declarat, cuius hoc exemplar est[72]:

In nomine domini nostri Iesu Christi. Haec est conventio[73]*, per quam Mediolanenses in gratiam imperatoris redituri sunt et permansuri.*

Cumas et Laudam civitates ad[a] *honorem imperii relevari non prohibebunt, et amodo nec*[b] *impugnabunt nec destruent, et a fodro et in*[c] *viatico et ab omnimoda exactione se ibidem per omnem eorum ditionem continebunt, et ultro se non intromittent, ut sint liberae illae civitates, sicut Mediolanenses ab ipsis sunt liberi, excepto respectu iuris ecclesiastici, quod habent ad archiepiscopum et ecclesiam Mediolanensem*[d]*.*

Omnes Mediolanenses communiter a minoribus usque ad maiores, ab annis 14 et supra usque ad annos 70, fidelitatem domino imperatori iurabunt sine malo ingenio et observabunt.

Palatium imperiale ad honorem domini[e] *imperatoris arbitratu bonorum elevabunt et cum debito honore bona fide observabunt.*

Pecuniam pro emendatione iniuriarum domino imperatori vel dominae[f] *imperatrici sive curiae promissam statutis temporibus persolvent, hoc est tertiam partem infra 30 dies, ex quo haec pactio confirmata fuerit, aliam vero tertiam partem infra octavam beati Martini, tertiam autem residuam partem infra octavam*[g] *epiphaniae. Hisque sic persolutis, nullis privatis teneantur promissionibus. Pecuniae promissae summa haec est: Novem milia marcarum argenti sive auri vel monetae eiusdem aestimationis et precii.*

Pro his tantum praetaxatis capitulis bona fide complendis et conservandis 300 obsides dabunt capitaneos, valvasores[h]*, populares, quales approbati fuerint a domino archiepiscopo Mediolanensi et comite Blandratensi*[i] *et marchione Guillelmo*[k] *Montisferrati et tribus consulibus, si haec domino imperatori placuerint, iuramento astrictis ad hanc electionem fideliter faciendam. Obsides vero in partibus Italiae omnes serventur, praeter 50 vel pauciores per interventum regis Boemorum Labezlai et aliorum principum ultra montes, si domino imperatori placuerit, deferendos. Quibus autem commissi fuerint obsides in Italia, iurent in praesentia Mediolanensium ad haec praedestinatorum, quod praefixo tempore transacto, infra octo dies ex quo requisiti fuerint a Mediolanensibus, eos eis*[l] *libere reddant, ut illi secure eos habeant, si praetaxata capitula ab eis observata fuerint. Tres vero principes Alemaniae dextras dabunt, quod obsides illi qui ultra montes deferentur, si qui erunt, eodem pacto fideliter reddentur.*

Consules vero, qui nunc sunt ex auctoritate et concessione domini[m] *imperatoris, usque ad Kalendas Februarii proxime venturas perseverent, et pro consulatu suo domino imperatori iurent. Venturi vero consules a populo eligantur, et ab ipso imperatore confirmentur, quorum medietas ad ipsum veniat, dum in Longobardia fuerit, alias autem eo existente, duo ad eum ex consulibus veniant, et iuramento facto, officium consulatus sui a domino imperatore recipiant, pro se et sociis suis facturis idem iuramentum domino imperatori coram communi suae civitatis. Si autem legatus a domino imperatore destinatus fuerit in Italiae partes, eadem coram ipso et per ipsum fiant.*

Legati vero domini imperatoris in Italiam directi si civitatem adierint, in palatio sedeant, et placita ad eos delata ad honorem imperii diffiniant.

Antequam castra ab obsidione moveantur, captivi omnes reddantur in potestatem regis Boemi, qui et securitatem per se et honestos principes eis faciat, quod captivos illos domino imperatori reddet[n]*, si eis dominus imperator pacem fecerit cum Cremonensibus, Papiensibus, Novariensibus, Cumanis, Laudensibus, Vercellensibus, non solum autem Mediolanensibus verum etiam confoederatis eorum, Terdonensibus, Cremonensibus et Insulanis, salvo honore domini imperatoris et illibatis amicitiis Mediolanensium et in suo statu permanentibus. Si vero pax ei cum praedictis civitatibus facta non fuerit, captivi veteres eis reddantur, nec ob id gratia domini imperatoris ipsi et amici eorum priventur.*

Regalia, veluti monetam, thelonium[o]*, pedaticum, portus, comitatus et alia similia, si qua sunt, commune Mediolanensium*[p] *dimittet, et ultra se non intromittet, et si quis*[q] *per*

a) ad honorem — Mediolanensem *desunt* 8. 9. b) *ita* 1. 3; non *edd.* c) *deest* 3. 4. d) Mediolanensium 1; Mediolanum 3. e) domni 3 *semper.* f) domne 1. 3. g) octavum 2. h) vavass. 3. 4. i) Blanderat. 1. 3; Brandrat. 4. k) *ita* 4; *deest* 1. 2. 3. 8. 9. l) eis eos 1. 3. m) domni 3 *et ita deinceps.* n) *ita* 1. 3; reddat *edd.* o) *ita* 2; theloneum 1; theoloneum 3. p) Mediolañ 1. 3. q) quas 1. 3; quis *corr.* 4 qui; quis 8. 9.

72) Legg. II, 109. 73) quam die 7. Septembris Fridericus et Mediolanenses pacti sunt. Vide Murat. Annal. Ital. s. h. anno.

divisum[a] *haec obtinere voluerit*[b], *et iusticiam inde coram domino imperatore vel nuncio eius* 1158. *facere noluerit, Mediolanenses vindictam de eo pro sua possibilitate sument in persona et possessione, et regalia domino imperatori restituent sine fraude et malo ingenio.*

Hoc pacto et ordine dominus imperator Mediolanenses Cremenses[c] *cum 120 marcarum emendatione in gratiam suam*[d] *recipiet, et eos et amicos eorum in plena curia publice a banno absolvet, et captivos eorum omnes, veteres et novos, eis reddet, statim postquam obsides imperatori dederint, et captivos tam veteres quam novos*[e] *in manum regis Boemorum reddiderint.*

Datis autem obsidibus et captivis, altera die vel tertia exercitus ab obsidione recedet[f], *et dominus imperator Mediolanenses et eorum res clementer tractabit.*

Commune Mediolani praefatas conditiones servabit plenarie, bona fide, sine fraude et malo ingenio, quantum non permanserit per iustum impedimentum et per parabolam Friderici Romani imperatoris vel nuncii eius aut eius successoris.

Collectam praedictae pecuniae liceat modo facere Mediolanenses ab his, quos in sua societate habere consueverant, praeter Cumanos, Laudenses et eos qui de comitatu Sifriensi[g] *fidelitatem domino imperatori nuper iuraverunt.*

42. Talibus pacis conditionibus utrinque receptis, Mediolanum in gratiam reditura, hoc ordine talique specie, fide publica accepta, cum suis ad curiam venit. In primis clerus omnis et quique fuerant ecclesiastici ordinis ministri cum archiepiscopo suo, praelatis crucibus, nudis pedibus, humili habitu; deinde consules et maiores civitatis item abiecta veste, pedibus nudis, exertos super cervices gladios ferentes. Erat autem ingens spectaculum, validissima constipatio multorumque qui mitioris ingenii erant commiseratio, cum viderent[h] paulo ante superbos et de factis impiis arrogantes ita nunc humiles esse ac tremere, ut miseranda esset, quanquam in hoste, tanta mutatio. Omnis denique militia loca ubi tantum stare possent praevenerant, imperatori et principibus quantus ad spectaculum[i] locus sufficeret et venientibus vix concesso necessario transitu.

Divus ergo augustus placido eos vultu intuens, ait laetum se esse, cum tam claram civitatem tantumque populum Deus commonuerit, uti aliquando pacem malint[k] quam bellum, quodque sibi dempserint acerbam eos persequendi necessitatem, seque malle devotis et volentibus quam coactis imperitare[l]. Atque hoc, si a[m] principio illis placuisset, mali nihil[n] perpessos, plurima vero accepisse bona[o]. Quoniam autem divinae placuerit[p] ordinationi, vim et gratiam imperii eos experiri, studendum illis esse, quo facilius errata superent, poenitudinem eos facti habere, vinci se posse citius obsequio quam bello, praelium incipere quemvis etiam ignavum posse, caeterum finem penes victores esse.

Ad haec illi summisso vultu, supplici voce pauca pro delicto suo verba faciunt, se non hostili animo nec ad oppugnandum imperium arma cepisse, sed terminos patrum suorum, iure[q] belli omni modo suos factos, vastari a suis gentilibus pati nequivisse. De caetero si modo sibi parcatur, velle eniti, ut malorum metu liberi, propensius[r] erga se benevolentia imperialis et gratia conservetur.

43. Recitatis mox quae in scriptum redactae fuerant conditionibus pacis, cum assensus ac favor omnium accessisset, pacem dextrasque accipiunt, signumque imperialis vexilli in civitate receptum pro indicio victoriae erigitur. Immensa laeticia continuo in castris, gaudium in civitate, gratulatio circa captivos, quos ad pedes imperatoris magno ac longo ordine venientes, noti et propinqui prae gaudio multis lachrymis obortis excipiunt, miserantes in eis vultus pallidos, sordidum habitum, foedam macilentiam, eos quos imberbes et iuvenes noverant, modo senio, canicie et carcerali squalore ignotos. Quanta laeticia quantusque concursus, dum pater filium, fratrem frater, generum socer, affinis cognatum diu perditum invenit, inventum gratulabunda voce salutat, amplexatur, alius alium[s] laetus appellans, familiari secum alloquio confabulatur. Quod si de regum antiquorum fastu quicquam in mansueto ac pio fuisset[t] principe, huius diei laeticiam inter solempnitates

a) *ita* 1. 2. 3; per usum 8. 9; per violentiam *edd.* b) voluerunt 1. 2. 3. c) Mediolañ Crem̃ 1. 3; Mediolanenses Cremenses 8. 9. d) i. g. s. *desunt* 1. 2. 3, *adsunt in* 4. 8. 9. e) *ita* 8. 9; veteres et novos 1; veteres novos 2; vestes novos 3. f) recedit 1. 3. g) *ita* 1. 2. 3. 8. 9; Sefrensi *edd.* h) videret 1. 3. i) ad spectandum 2. k) mali^s^t 3. l) *ita* 9; impertire 1. 3; imperare 2. 8. m) in 8. 9. n) nil 1. 3. o) bona acc. 1. 3. 8. 9. p) placuit 2. q) *deest* 1. 2. 3. r) *ita* 2. 4. 8. 9; propensis 1. 3. s) alterum 1. 3. t) quicquam imperio ac mansueto f. 1; q. impio ac mansueto f. 3.

1158. Sept. 8. reliquas semper celebrem apud Italos constituisset. Actus est hic triumphus 6. Idus Septembris[74].

44. Princeps Romanus a Mediolano castra movens, apud Modoicium, sedem regni Italici, coronatur[75]. Quam ecclesiam iam dudum a Mediolanensibus subactam ac fere destructam pristinae libertati reddidit, sedemque propriis expensis magnifice reparari praecepit. Cumque in subactione tantae civitatis ex maxima parte motus Italorum repressos speraret, magnam partem exercitus cum suis optimatibus ad propria redire permittit. Inter quos primus erat rex Boemorum, dux quoque Austriae cum copiis Ungarorum, Arnoldus praesul Maguntinus[a], dux Bertholfus[b] Burgundiae, comites et marchiones magnaque pars nobilium. His cum summa alacritate dimissis, ipse ad ordinanda caetera Italiae negocia animum intendit.

45. Iam vero tantus pavor totam terram occupaverat atque formido, ut palam quidem nemo rebellaret, occulte autem concepta corde malicia plerique illorum non carerent. Quidam enim de Veronensibus, dum castrum regale Garda vocatum Turisindus civis eorum cum suis fautoribus occupasset[c], id imperatori reddere iussi, cum[d] omnimodis detrectarent, hostes iudicati sunt, suaeque temeritatis nonnullos civium Veronensium socios et consentaneos habuerunt. Quocirca imperator eo versus descendens, infra Veronam fluvium Athesam[e] inopinato transvadavit, eorumque territorium, quod longo tempore inviolatum nullum hostem metuerat, pervagatus, aliquantisper militem agros vastare, castella diripere atque inflammare permisit. Recte quidem, quo et hostibus rebellandi metum incuteret, ac eorum qui in hac parte immunes essent, saluti consuleret. Denuo revertens[f], sicut et antea Athesam vado transivit, nullo pontis vel navigii egens adminiculo. Tanta siquidem coeli clementia, tanta erat terrae fertilitas, tanta maximorum fluviorum ariditas et contracta violentia, ut elementa ipsa fortitudini[g] divi imperatoris famulari eiusque favere votis dicerentur. Unde factum est, ut hisdem diebus cum de civitatibus universis obsides exhiberentur, ac Otto palatinus comes de Baioaria Ferariam ad id negocium promovendum destinatus fuisset, alveum, quo se Padus ad munimentum civitatis partitur, absque navibus transmeans, improvisus ac inopinatus supervenit, ordinatisque ad votum omnibus rebus, 40 vadibus acceptis, rediit. Ea res finitimos plurimos exterrens, incredibilis visa est pro[h] eo quod Feraria Pado ibidem instagnante et paludes impermeabiles faciente, munimento locorum fidens, omnem viciniam suam intrepida ac superba rideret atque despiceret. Dehinc cum Eridani fluenta ad disponenda regalia praedia domus Mahtildis[i] transmearet, turbam calonum, meretricum et lixarum, quae se exercitui plurima immiscuerat militumque animos effoeminare poterat, antiquorum imperatorum exemplo propellendam ac deterrendam decernit.

46. Inter haec cum tota Italia sub silentio ageret et bellorum inquietudinem pacis tranquillitate commutasse videretur, Fridericus deperisse sibi ratus tempus, in quo non aliquod magnificentiae suae[k] monimentum praestitisset, novam civitatem Laudensibus fabricare adorsus est[76], ubi si forte Mediolanenses pristinas inimicitias refricando clades suas inciderent, ab eorum incursu securiores existerent. Maxima ergo providentia, maximo pietatis obsequio, iuxta fluvium Adduam locum elegit[l], ex omni parte fluminis ambitu munitum, uno tantum aditu muro et vallo sepiendo. In cuius civitatis fabrica ingentes sumptus expendens, liberalitatis suae singulare praebuit argumentum. Deinde generalem curiam
Nov. 11. omnibus Italis civitatibus et primoribus apud Roncalias in festo beati Martini celebrandam indicit, ubi et leges pacis promulgaret, et de iusticia regni, quae multo iam tempore apud illos obumbrata in desuetudinem abierat, pernecessaria sapientum collatione dissereret, diuque obsoletam elucubraret.

47. Circa idem tempus, Manuele Constantinopolitano[m] imperatore circa partes Antiochiae contra Turcos cum exercitu morante, unus de servis palatii, caniclinus videlicet, quem

a) Magont. 1. 3. 4. b) Berhtolfus 3. c) dum castrum r. G. voc. quoddam occupassent 8. 9. d) *deest* 1. 2. 3. 8. 9. e) Atesam 4. f) revertentes 1. 3. g) fortunae 1. 4. 8. 9. h) *add.* 1. 2. 8. 9. i) *ita* 1. 3. k) *ita* 1. 2, *omisso* non; 3. 4 *omisso* suae. l) eligit 1. 3. m) Constantinopoli 3.

74) Conferendi Ann. Colon. max. SS. T. XVII, 769: *Facta est conditio huius victoriae in nativitate Dei genitricis Mariae. Ipso die caesar coronatus Mediolanum intravit.* 75) id est *coronatus incedit;* vide Murat. Annales ad h. ann. 76) Lodi in meridie Mediolani. Privilegium urbi a Friderico concessum datum est die 3. Decembr. 1158 *in Vigueria.* Böhmer 2411.

nos cancellarium dicere possumus, principi suo fraudem molitus est. Tres siquidem auda- 1158. cissimae temeritatis iuvenes infinita corruptos pecunia ad occidendum imperatorem pellexerat[a], ipseque statuta die quando id facinus patrari debuerat, ad occupandum apud urbem simul cum imperiali palatio imperium magnis instructus copiis praestolabatur. Tantum regis periculum cum imperatrici per occultum indicem revelatum fuisset, illa magnitudine sceleris perterrita quam velocissime marito proditionem significat; sicque detecto dolo, comprehensis sicariis[b], praevento criminis auctore et capto, de omnibus condigna sumuntur supplicia. Caniclinus etenim primo effossis oculis, lingua perforato gutturi transmissa, sine miseratione miserabili morte vitam finivit.

EXPLICIT LIRER TERTIUS.

INCIPIUNT CAPITULA QUARTI LIBRI[c].

1. *Quod Fredericus ad celebrandam curiam in campestribus Roncaliae[d] castra[e] metatus est.*
2. *De dispositione tabernaculorum.*
3. *Qui principes affuerint et de triduana consultatione[f] principis[g]. Oratio[h] eiusdem exhortatoria.*
4. *Subsequens favor episcoporum et eorum responsio.*
5. *Quomodo singulis diocesanis singulos iudices praefecerit. Quomodo regalia sua ab Italis receperit. Quibus ea denuo habere concesserit.*
6. *Quod princeps magistratus civitatum ordinare debeat et quod obsides accepit ab omnibus.*
7. *De legibus ibi promulgatis.*
8. *De controversia Cremonensium et Placentinorum. — Item[i] de contraversia pro Modoicio.*
9. *De nuntiis in Sardiniam et Corsicam directis et de Ianuensibus.*
10. *Quod imperator natale Domini apud Albam celebrans nuntios pro colligendo fodro undique direxit, et de terra Mahtildis[k].*
11. *De morte Ottonis episcopi.*
12. *De conflagratione[l] Frisingensis ecclesiae.*
13. *Quae prodigia hanc cladem praecesserint, et quod Albertus Ottoni[m] successerit.*
14. *De exustione Spirensis ecclesiae et morte aliorum principum.*
15. *Quod Romanus pontifex iterum occasiones quaesivit adversus Fredericum.*
16. *Rescriptum imperatoris ad papam pro confirmatione electi Ravennensis[n].*
17. *Item[o] epistola et responsum papae ad ipsum.*
18. *Item de simultate orta inter principem et urbis Romae episcopum.*
19. 20. *Epistolae de hoc a diversis transmissae.*
21. *Qua occasione Mediolanenses iterum tumultuari coeperunt et ab imperio deficere[p].*
22. *De nuntiis Graecorum et regis[q] Franciae regisque Angliae, regis[q] quoque Ungariae.*
23. *Conquestio Frederici de Mediolanensibus.*
24. *Responsio principum et invectiva oratio.*
25. *Mediolanenses in causam ponuntur, et insipiens eorum responsio[r].*
26. *Fredericus denuo transmontanos asscivit.*
27. *Qualiter se ad futurum bellum praeparavit[s].*
28. *De insulanis in foedus receptis. Quomodo Placentiam ingressus fuerit.*
29. *Quomodo exercitum revisit, et de episcopo Babenbergense.*
30. *Quod ex sententia iudicum Mediolanenses hostes pronuntiantur. De legatis Romani pontificis[t] et[u] responsum principis.*
31. *Quorum consilio contentio haec decidenda fuerat, et rescriptum principis de hoc.*
32. *Quomodo Mediolanenses castrum Tretium expugnaverint et funditus destruxerint.*
33. *Quomodo Fridericus ad vindicandam regni iniuriam animum intendit. Quomodo variis eos modis afflixit.*
34. *De clade Mediolanensium. Item de eodem.*
35. *De clade Brixiensium.*

a) plexerat 3. b) ficariis 1; uicariis 3. c) *ita* 1; Incipiunt capitula in librum quartum 2. d) Rocanlię 1. e) *deest* 3. f) terditonia consultore 7. g) *add.* 1. 3. h) Ratio 3. i) Item — Mod. *desunt* 1. 3. k) *ita* 1. 3; Mehtildis 4. l) flagratione 7. m) Othoni 3. n) Ravennatis 1. 3. o) Item — ipsum *desunt* 1. 3. p) Qua — deficere *desunt* 3. q) rege Fr. regeque A. rege 1. 3. r) oratio 1. 3. s) praeparaverit 3; preparat 7. t) De legatis Romani pontificis et causa itineris 1; de Romani pontificis causa itineris 3. 4. u) *deest* 1. 3.

36. *Quomodo Mediolanenses contra vitam principis cum quodam consilium inierint.*

37. *Quomodo novam Laudam nocte per quosdam incenderint. De insidiis cuiusdam per toxicum.*

38. *De adventu imperatricis et ducis Baioariae*[a] *in Italiam, ducis quoque Welfonis*[b].

39. *Hortatu Cremonensium Cremenses hostes iudicantur.*

40. *Crema obsidione cingitur, et quomodo ibidem pugnatum sit.*

41. *De legatis senatus populique Romani et de his qui ad eos missi.*

42. *De his quae ibidem et circa Urbem patraverint. Quomodo a Mediolanensibus contra principem male pugnatum est.*

43. *De obitu Adriani papae et scismate Romanae aecclesiae.*

44. *Quod imperator in propria persona ad obsidionem Cremae venit, et quod diversis modis ibi pugnatum sit.*

45. *Iterum absente imperatore graviter certatum est. Item de eodem*[c].

46. *De poena quam princeps in captivos eorum exercuit, et de insania Cremensium.*

47. *Iterum de varia illorum miseria et miserabili eorum*[d] *conquestione.*

48. *Quomodo Mediolanenses de obsidione cuiusdam castri fugati sunt.*

49. *Quod Placentini pro perfidia sua hostes pronuntiati sunt.*

50. *Recapitulatio*[e] *de scismate*[f] *Romanae aecclesiae. Quando hic vel ille consecratus sit, et de hoc epistola unius.*

51. *Item epistola alterius pro sua parte.*

52. *Epistola cardinalium unius partis*[g].

53. *Item epistola cardinalium*[h] *alterius partis*[i].

54. *Quod pro terminando scismate*[k] *princeps ad se utrasque partes invitat.*

55. *Epistola imperatoris de hoc.*

56. *Item epistola eiusdem ad transmontanos.*

57. *De calliditate Cremensium contra nostros.*

58. *Item*[l] *de expugnatione Cremae per machinas.*

59. *De ultimo et atrocissimo certamine ibidem patrato.*

60. *Quod imperator propter excidium Cremae concilii diem prolongavit, et quorum consilio Cremenses de pace tractant.*

61. *Exhortatio Aquilegensis patriarchae et responsio Cremensium*[m].

62. *De conditionibus pacis et triumpho principis.*

63. *Epistola imperatoris de victa Crema*[n].

64. *De concilio apud Papiam et exhortatione principis ad episcopos.*

65. *Quod concilium pro Victoris parte sententiam dedit.*

66. *Epistola canonicorum Sancti Petri Romae pro parte Victoris.*

67. *Item actio concilii verbis simplicibus composita.*

68. *Quod Fredericus ratihabitione confirmavit electionem Victoris eumque intronizavit.*

69. *Epistola imperatoris directa super his.*

70. *Epistola praesidentium concilio.*

71. *Epistola Babinbergensis episcopi.*

72. *Item epistola cuiusdam religiosi viri*[o].

73. *De archiepiscopo Iuvavense quare tam crebras litteras accepit.*

74. *De legatis in Graeciam destinatis.*

75. *Quod imperator iterum principes redire permisit.*

76. *De forma et moribus Frederici et eius variis aedificiis.*

FINIS LIBRI[p].

EXPLICIUNT CAPITULA. INCIPIT LIBER QUARTUS[q].

1158. Nov. 11. 1. Iam dies placiti affuit, quae Romanum principem ad campestria Roncaliae[77], sicut fuerat condictum, invitabat. Veniens ergo cum multo comitatu super litus Eridani tentoria

a) Baw. 1. b) *ita* 1; Welf 3; Guelfonis 4; Belfonis 7. c) *desunt* 1. d) *deest* 1. 3. e) et re cap. 4. 7. f) d. s. *desunt* 1. 3. g) ex parte Victoris pape 6. h) *deest* 1. 3. i) ex parte Alexandri 6. k) terminanda lite 1. 3. l) *deest* 1. 7. m) Exhortatio — Cremensium *desunt* 1. n) Chrema 1. o) cuiusdam sapientis 6. p) *ita* 4. q) *ita* 1. 2; Incipit liber quartus a curia Roncaliae, terminans in concilio Papiensi 4.

77) in oriente urbis Placentinae, in quo loco Fridericum imperatorem usque ad 25. Novembr. moratum esse, ostendunt chartae apud Böhmer 2406. 2407.

ponit, Mediolanensibus, Brixiensibus et compluribus aliis in altera parte fluminis e regione 1158. castra metantibus. Confluunt ex omnis regni partibus cum magna frequentia archiepiscopi Nov. 11 episcopi multique alii ecclesiastici ordinis viri, duces, marchiones, comites et proceres, consules et civitatum iudices. In quibus quanta fuerit diversitas et linguarum et nationum, varietas tabernaculorum demonstravit. Quorum quidem dispositionem, quia non casus sed ordo rationis et ratio ordinis omni licet tempore designare consueverit, hoc tamen loco negligenter transeundam non putavimus.

2. Nempe antiquam Romanae militiae consuetudinem Romani miles imperii adhuc observare solet, ut videlicet, quotiescunque in hostilem terram intraverint, castrorum primo munitioni studeant. Quae quidem neque iniquo loco erigunt, neque inordinate describunt, sed in plano et campestri, et si quidem inaequale solum fuerit, quoad fieri potest complanatur. Dimensio autem saepissime vel in orbem vel in quatuor angulos designatur. Nam et fabrorum et opificum multitudo et mercatorum copia, quae quantum usus poscit sequitur exercitum, cum suis papilionibus ac ergasteriis[a], aut suburbiorum, si in quadro, aut si in gyro, ambitus eorum extrinsecus muri faciem praefert. Intus autem castra vicis apte distinctis dirimunt, plateasque et portas assimilant, tam iumentis aditu faciles quam ipsis, si quis urgeat, intro currentibus sufficienter latas, ut quasi repentina quaedam civitas existat. Medio autem ducis vel principis tabernaculum templo simillimum, circaque rectorum[b] et primatum, ut quemque decet suo ordine, armisque septi milites per contubernia cum decore et laeticia in tentoriis agunt, et militiae disciplina pacis ocio velut in procinctu positi exercentur. His ita dispositis, castra Ligurum et eorum Italorum, qui aliud litus Padi insederant, pons medius infra biduum iussu principis confectus cum castris nostrorum continuavit.

3. Porro qui principes et optimates eidem[c] curiae interfuisse a nobis visi sunt, ut meminimus, isti fuerunt: de cismontanis Fridericus[d] Coloniensis archiepiscopus, Eberhardus[e] Babenbergensis episcopus, Conradus[f] Eistetensis, Daniel Bragensis, Gebehardus Erbipolensis, Herimannus Ferdensis[g], Conradus[f] Augustudunensis[h]; de ultramontanis Gwido Cremensis cardinalis diaconus, sedis apostolicae legatus, Peregrinus[i] Aquilegiensis[k] patriarcha, N.[l, 78] Mediolanensis archiepiscopus; episcopi Taurinensis, Albanensis[79], Eporeigensis[m], Hastensis, Novariensis, Vercellensis, Terdonensis, Papiensis, Cumanus, Laudensis, Cremonensis, Placentinus, — Parmensem infirmitas mortalis domi tenebat, — Regiensis, Mutinensis[n], Bononiensis, Mantuanus Garsendonius[o], Veronensis Omnebonum[p], Brixiensis[q, 80], Pergamensis, Concordiensis. Ravennas exarchatus eo tempore metropolitano carebat, archiepiscopo suo Anshelmo nuper in obsidione Mediolani defuncto[r].

His omnibus cum frequentia laicorum principum, ducum videlicet, marchionum, comitum, et universarum in Italia civitatum consulibus atque iudicibus Fridericum circumstantibus, solis episcopis cum paucis admodum principibus consilii sui participibus iniungit, quatenus divini timoris consideratione de salubri consilio in Italiae rebus ordinandis ita secum deliberent, ut ecclesiae Dei pacis tranquillitate gaudeant, et ius regale decusque imperii debito provehatur honore. Totum triduum haec consultatio absumpsit. Quarta demum die serenissimus imperator in concionem venit, sedensque in eminentiori, unde ab omnibus videri poterat et audiri, circumsedente eum corona venerandorum, quos praenominavimus, heroum[s], per interpretem elocutus est:

Cum[81] *placitum sit ordinationi divinae, ex qua omnis potestas in coelo et in terra, Romani nos imperii gubernacula tenere, non immerito quae ad statum eius dignitatis pertinere noscuntur, quantum Deo propitio valemus, prosequimur. Cumque imperialis maiestatis hoc esse non ignoremus officium, ut studio nostrae vigilantiae ac*[t] *poenarum metu improbi et inquieti coherceantur, boni subleventur atque in pacis tranquillitate foveantur, ita novimus quid iuris, quid*

a) 1 *initio scripserat* ergastariis, *post correxit* ergasteriis, *quod* 2. 3. 4 *exhibent.* b) traiectorum 2. c) eiusdem 1. 2. 3. d) F. 1. 2. 3. e) Everh. 4. f) Chŏnr. 3. g) Fird. 4. h) C. A. *addunt* 1. 3. 8. 9. i) *ita* 1. 3; Piligr. 4. k) Aquileig. 1. 2. 3. l) *ita* 1. m) *ita* 1. 2. 3; Eporegiensis *edd.* n) Nunnensis 8. 9. o) *deest* 1. 2. 3. 8. 9. p) omne bonum 4; *deest* 1. 2. 3. 8. 9. q) Prixensis 4. r) *ita* 1. 2. 3; archiep. — defuncto *desunt* 8. 9. s) *deest* 1. 2. 3; *adest* 8. 9. t) *deest* 1. 3.

78) Obertus, cuius nomen ignorasse videtur Ragewinus. 79) Legendum esse *Albensem* monuit Muratorius SS. VI, 632. 80) Ita hunc locum corruptissimum restitui, qui qualis in editionibus huc usque reperiebatur: *episcopi Taurinensis .... Mantuanus, Carsidonius, Veronensis, Omnebonensis, Brixiensis* Muratorium l. c. p. 632 iure offenderat, cum episcopos Cârsidonium et Omnebonensem, ut ipse ait, *neque coelum neque tellus* umquam noverit. 81) Legg. II, 110.

1158. *honoris tam divinarum quam humanarum legum sanctio culmini regalis excellentiae accommodaverit. Nos tamen regium nomen habentes, desideramus potius legitimum tenere imperium et pro conservanda cuique sua libertate et iure, quam, ut dicitur, omnia impune facere, hoc est regem esse, per licentiam insolescere et imperandi officium in superbiam dominationemque convertere. Deo favente, mores non mutabimus cum fortuna; quibus initio partum est, his artibus retinere curabimus imperium. Nec per nostram desidiam quenquam eius gloriam et excellentiam imminuere patiemur. Quia ergo vel bello vel pace clarum fieri licet, nec refert utrum melius sit patriam armis tutare seu legibus gubernare, altero alterius auxilio indigente, bellorum motibus propitia divinitate sedatis, ad leges pacis negocia transferamus. Nostis autem, quod iura civilia nostris beneficiis in summum provecta, firmata ac moribus utentium approbata satis habent roboris, regnorum vero*[a] *leges, in quibus quod ante obtinebat, postea desuetudine inumbratum est, ab imperiali remedio vestraque providentia necesse habent illuminari. Sive ergo ius nostrum sive vestrum in scriptum redigatur, in eius constitutione considerandum est, ut honestum, iustum, possibile, necessarium, utile, loco temporique conveniens. Ideoque tam nobis quam vobis, dum ius condimus, cautius praevidendum est; quia cum leges institutae fuerint, non erit liberum iudicari de eis, sed oportebit iudicare secundum ipsas.*

4. His dictis, magnus favor omnium prosequitur admirantium et stupentium, quod qui litteras non nosset, quique parum adhuc supra adolescentem ageret[b] aetatem, in oratione sua tantae prudentiae tantaeque facundiae gratiam accepisset, surgentesque unus post unum, sicut eius gentis mos est, seu ut principi suum quisque manifestaret affectum et propensiorem circa eum devotionem, seu ut suam in dicendo peritiam, qua gloriari solent, declararet, primo episcopi, deinde proceres terrae, post consules et missi singularum civitatum totam diem illam facundissimis sermonibus in noctem[c] usque produxerunt. Porro una omnium sententia haec erat, a Mediolanensi archiepiscopo prolata:

Haec[82] *est dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea. Vere dies haec dies gratiae, dies est laeticiae, qua in*[d] *medio populi sui victor inclitus, triumphator pacificus, non belli minas intentans, non crudele aliquid vel tyrannicum intonans, sed pacis leges disquirens, in medio populi sui mitissimus residere dignatur. Felix tandem Italia post multa secula inventa, quae modo principem invenire meruisti, qui nos homines, imo proximos ac fratres recognoscat. Tu nimirum es, o clarissime princeps et singularis Orbis et Urbis imperator, qui licentiam primo homini indultam iamque diu abrogatam rursus*[e] *in usum ac in verae sentent-*
Gen. I, 28. *tiae consuetudinem revocasti, ubi dictum est:* Crescite et multiplicamini, et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli. *Peccatis exigentibus homo homini dominatur, divina vero institutione homo piscibus maris et volatilibus coeli*[f]. *Quantos, o Italia, passa es reges, imo tyrannos, qui hoc tibi mandatum per contrapositionem interpretarentur, versa vice dominantes hominibus, imo prementes quosque bonos et sapientes, rationeque utpote rationales uti cupientes, pisces maris, lubricos scilicet, rapaces et coeno voluptatis deditos, et altum inaneque sapientes demulcerent, et iniqui iniquos in suis impietatibus contra ius fasque confoverent. Novimus qualia aliquando simus*[g] *passi imperia iniusta, superba, crudelia. Novimus iniqua dominatione nihilominus insontes sicuti sontes circumventos. Meminimus sine extanti crimine factas proscriptiones locupletium, magistratus, sacerdotia nefaria turpique conventione commutata, et alia multa, quae libido dominantium imperaret, nostris sub oculis irreverenter perpetrata. Gaudeamus ergo et exultemus, et demus gloriam Deo, post tam turbidi temporis tempestatem serenum nobis pacis diem illuxisse, dum tibi, serenissimo domino nostro, placet imperium tuum per innocentiam servare potius atque tueri, quam per scelus crescere et per sanguinem subiectorum incrustari. Domineris, o augustissime imperator, piscibus maris et volatilibus coeli. Nam et divinum iudicium superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. De nobis fidelibus tuis, de populo tuo consultare placuit prudentiae*[h] *tuae super legibus et iusticia atque honore imperii. Scias itaque omne ius populi in condendis legibus*[i] *tibi concessum. Tua voluntas ius*
Inst. I, 2, 6. *est, sicut dicitur:* Quod principi placuit, legis habet vigorem, cum populus ei, et in eum omne suum imperium et potestatem concesserit[k]. *Quodcunque enim imperator per epistolam constituerit, vel cognoscens decreverit, vel edicto praeceperit, legem esse constat. Profecto secundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi quem sequuntur*[l] *incommoda, ut videlicet omnibus debeas imperare, qui omnium nostrum sustines onera tutelae.*

a) *deest* 1. 3. 4. b) agere 1. 3. c) nocte 1. 3. d) i. m. p. s. *desunt* 1. 2. 3; *adsunt* 8. 9. e) rursum 1. 3. f) Peccatis — coeli *addunt* 1. 3. 8. 9. g) simus aliq. 1. 3. 8. 9. h) *ita* 1. 3; tuae prud. 8. 9; tuae potentiae *edd.* i) *deest* 1. 2. 3. k) concessit 1. 3. l) secuntur 4.

82) Legg. II, 111.

His finitis, ea die in vesperam protracta curia solvitur. Fuere etiam qui ibidem in publico facta imperatoris carminibus favorabilibus celebrarent. 1158.

5. Sequentibus diebus plena atque solempni curia iudicio et iusticiae[a] a mane usque ad vesperam intentus, querimonias et proclamationes tam divitum quam pauperum diligenter audiebat. Habensque quatuor iudices, videlicet Bulgarum, Martinum, Iacobum, Hugonem, viros disertos, religiosos et in lege doctissimos, legumque in civitate Bononiensi doctores et multorum auditorum praeceptores, cum his aliisque legis peritis, qui diversi ex diversis civitatibus aderant, audiebat, discutiebat et terminabat negocia. Videns autem multitudinem eorum qui cruces baiularent[b] — is enim Italorum mos est, ut habentes querelas crucem manibus praeferant —, misertus illorum, ait mirari se prudentiam Latinorum, qui cum praecipue de scientia[c] legum glorientur, maxime legum invenirentur transgressores, quamque sint tenaces iusticiae sectatores, in tot esurientibus et sitientibus iusticiam evidenter apparere. Divino itaque usus consilio, singulis dioecesanis[d] singulos iudices praeposuit, non tamen de sua civitate, sed vel de curia vel de aliis civitatibus, hac eos[e] commutans[f] ratione, ne si civis civibus praeficeretur, aut gratia aut odio leviter a vero posset averti. Sicque factum est, ut de tanta querulorum multitudine vix ullus superfuisset, qui non aut plenam de lite victoriam sive iusticiam, aut competentem cum adversario transactionem se gauderet reportare.

Deinde super iusticia regni et de regalibus, quae longo iam tempore seu temeritate pervadentium seu neglectu regum imperio deperierant, studiose disserens, cum nullam possent invenire defensionem excusationis, tam episcopi quam primates et civitates uno ore, uno assensu, in manum principis regalia reddidere, primique resignantium Mediolanenses extitere. Requisitique de hoc ipso iure quid esset, adiudicaverunt[83] ducatus, marchias, comitatus, consulatus, monetas, telonia[g], fodrum, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piscarias, pontes[h] omnemque utilitatem ex decursu fluminum provenientem, nec de terra tantum, verum etiam de suis propriis capitibus census annui redditionem. Hisque[i] omnibus in fiscum adnumeratis, tanta circa pristinos possessores usus est liberalitate, ut quicunque donatione regum aliquid horum se possidere instrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc imperiali beneficio et regni nomine id ipsum perpetuo possideret. Ex his tamen, qui nullo iure sed sola praesumptione de regalibus se intromiserant, 30 milia talentorum plus minusve reditibus publicis per singulos annos accessere.

6. Praeterea et hoc sibi ab omnibus adiudicatum atque recognitum est, in singulis civitatibus potestates, consules caeterosve magistratus assensu populi per ipsum creari[k] debere, qui fideles simul et prudentes et principi honorem et civibus patriaeque debitam iusticiam nossent conservare. De his autem omnibus fideliter et sine fraude recipiendis et observandis ab omnibus civitatibus et sacramenta praestita et vades pro libitu imperatoris exhibiti sunt. Consequenter pax in communi[l] iuratur eo tenore, ut nec civitas civitatem, nec homo hominem impugnaret, nisi hoc a principe sibi[m] foret imperatum.

7. Ad ultimum de iure feudorum, quod apud Latinos scripto nondum sufficienter expressum fuerat, et pene omnes eam beneficiorum iusticiam in iniusticiam converterant[n], leges promulgavit, quarum capitula praesenti annotatione subiecimus:

Fridericus[o,84] *Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus. Imperialem decet solertiam*[p] *ita rei publicae curam gerere et subiectorum commoda investigare, ut regni utilitas incorrupta permaneat, et singulorum status iugiter servetur illaesus. Quapropter cum*[q] *ex praedecessorum more universali curiae Roncaliae pro tribunali sederemus, a principibus Italicis, tam rectoribus ecclesiarum quam aliis fidelibus regni, non modicas accepimus querelas, quod beneficia eorum et feuda, quae vasalli*[r] *ab eis tenebant*[s], *sine dominorum licentia pignori obligaverant, et quadam collusione nomine libelli*[t] *vendiderant, unde debita servitia amittebant, et honorem*[u] *imperii nostraeque*[v] *felicis expeditionis complementum minuebant*[w].

a) iusticia 1. 3. 8. 9. b) baiolarent 1. c) dese iā 3. d) dioc. 1. 3. e) eas 1. 2. 3. f) comminans 1. 2. 3; eos commutans. 8. 9. g) thelonea 1. 3. h) *ita* 1. 2. 3. 8; portus 9. i) eisque 3. k) *ita* 1. 3; creare *edd.* l) commune 1. 3. m) a princ. hoc sibi 1. 3. n) converterat 2. o) Fridericus — Cremonenses *p.* 449, *l.* 36, *desunt* 8 9. p) sollert. 6. q) dum 6 *et Lex Feud.* r) vassalli 1. 3. s) retinebant *Lex Feud.* t) *ita restitui*; nomine belli 1. 2. 3; belli nomine 6; nom. vel libelli *edit.*; nom. lib. *Lex Feud.* u) *ita conniciendum est*; bonorum *codd. et edd.*; et honor imperii et nostrae felicis expeditionis complementum minuebatur *Lex Feud.* v) *ita* 1. 3. 6. w) minuebantur *corr.* 1. minuebatur, *ita etiam* 3.

83) Ampliorem huius legis textum habes in libro feud. II, tit. 56, et apud Pertzium Legg. II, 111.
84) Exstat etiam in libri feudorum II, tit. 55. et Legg. II, 113.

1158. *Habito igitur consilio episcoporum, ducum, marchionum et comitum, simul etiam palatinorum iudicum et aliorum procerum, hac edictali[a] lege Deo propitio perpetuo valitura sancimus, ut nulli liceat feudum totum vel partem aliquam[b] vendere vel pignorare vel quomodolibet alienare[c] vel pro anima iudicare sine permissione maioris[d] domini ad quem feudum spectare dinoscitur. Unde imperator Lotharius tantum in futurum[e] cavens, ne fieret, legem[f] promulgavit; nos autem ad pleniorem[g] regni utilitatem providentes, non solum in posterum sed etiam huiusmodi prius illicitas alienationes perpetratas hac praesenti sanctione cassamus et in irritum deducimus; nullius temporis praescriptione impediente, emptor bonae fidei de precio actionem habeat contra venditorem competentem. Callidis insuper quorundam machinationibus obviantes, qui precio accepto, quasi sub colore investiturae, quam sibi licere dicunt, feuda vendunt et[h] in alios transferunt, ne tale figmentum vel aliud ulterius in fraudem huius nostrae constitutionis excogitetur, omnibus modis prohibemus, plena auctoritate nostra statuentes[i], ut venditor et emptor, qui tam illicita contraxisse repertus fuerit, feudum amittat, et ad dominum libere[k] revertatur, scriba vero qui super hoc instrumentum sciens conscripserit, post amissionem officii cum infamiae periculo manum amittat.*

Praeterea si quis infeudatus, maior quatuordecim annis, sua incuria vel sua negligentia per annum et diem[l] steterit, quod feudi investituram a primo domino non petierit, transacto hoc spacio, feudum amittat, et ad dominum redeat.

Firmiter etiam statuimus, tam in Italia quam Alemannia[m], ut quicunque indicta publice expeditione vocatus a domino suo ad eandem expeditionem spacio competenti venire supersederit, vel alium pro se domino acceptabilem mittere contempserit, vel[n] dimidium reditus feudi unius anni domino non ministraverit, feudum quod ab episcopo aut ab alio domino habet, amittat, et dominus feudi in usus suos illud redigendi omnibus modis habeat potestatem.

Praeterea ducatus, marchia, comitatus de caetero non dividatur; aliud autem feudum, si consortes voluerint, dividatur, ita ut omnes qui partem feudi habent iam divisi vel dividendi, fidelitatem domino faciant, ita tamen ut vasallus plures dominos non compellatur habere, nec dominus feudum[o] sine voluntate vasallorum ad alium transferat.

Insuper si filius vasalli dominum offenderit, pater a domino requisitus, adducat filium ad satisfaciendum domino, vel a se filium separet; alioquin feudo privetur. Si vero pater vult eum deducere ut satisfaciat, filius autem contempnit, patre mortuo in feudum non succedat, nisi prius domino satisfecerit; parique modo vasallus[p] pro omnibus suis domesticis[q] faciat[r].

Illud quoque praecipimus, ut si vasallus de feudo alium vasallum habuerit, et vasallus vasalli dominum domini sui offenderit, nisi pro servitio alterius domini sui hoc fecerit, quem sine fraude antea habuit, feudo privetur, et ad dominum suum a quo ipse tenebat, revertatur, nisi requisitus ab eo paratus fuerit satisfacere maiori domino quem offendit, et nisi vasallus, idemque dominus a suo domino[s] requisitus, eum qui maiorem dominum offendit[t], requisierit ut satisfaciat, feudum amittat.

Praeterea si de feudo inter duos vasallos sit controversia, domini sit cognitio, et per eum controversia terminetur. Si vero inter dominum et vasallum lis oriatur, per pares[u] curiae a domino sub debito fidelitatis coniuratos[v] terminetur.

Illud[w] quoque sancimus, ut in omni sacramento fidelitatis imperator nominatim excipiatur.

Fridericus[x, 85] Dei gratia Romanorum imperator semper[y] augustus universis suo subiectis imperio hac edictali lege in perpetuum valitura iubemus, ut omnes nostro subiecti imperio veram et perpetuam pacem inter se observent, et[z] ut inviolata[*] inter omnes[a] perpetuo servetur.

Duces, marchiones, comites, capitanei[b], vavassores, omnium[c] locorum rectores cum omnium locorum primatibus et plebegiis[d] a 18. anno usque ad 70. iureiurando obstringantur, ut pacem teneant, et rectores locorum adiuvent in pace tuenda atque vindicanda, et in fine uniuscuiusque quinquennii omnium sacramenta de praedicta pace tenenda renoventur.

a) editali 1. 2. b) aliquam partem 6. c) vel quocunque modo distrahere seu alienare *Lib. Feud.* d) illius *L. F.* e) futuro 1. 4. 6. f) *deest omnibus codd.* g) Nos ad plen. autem 1. 2. 3. h) vend. et *desunt* 4. i) *male hunc locum Liber Feud. ita exhibet:* poena auctoritate nostra imminente. k) lib. ad dom. 6. l) *deest* 3. m) Alam. 6. n) *deest* 1. 2. 3. 4. 6. o) *ita edd. et Lib. Feud.*; feudi *codd.* p) vassallus 1. 3. 4. 6 *semper.* q) suis bonis domest. 4. r) *ita* 1. 2. 3. 4. 6 *et Lib. F.*; satisfaciat *edd.* s) a domino suo 1. 3. t) offenderit 1. 3. u) *ita edd. et Lib. Feud.*; partes 1. 4. 6. v) *ita* 6; coniuratus 4; coniuratio *rell.* w) Illuc 2. 3. x) Fred. 6. y) et semper 6. z) *deest* 3; et — renoventur *desunt* 6. *) *ita coniciendum;* inviolatum 1. 2. 3. a) foedus *addunt edd. quod deest* 1. 2. 3. b) capit. et 3. c) et omnium 4. d) *ita* 1. 2. 3; plebeis 4. 85) Legg. II, 112.

Si quis vero[a] *aliquod ius de quacunque causa vel facto contra aliquem se habere putaverit*[b], *ad*[c] *iudicialem redeat*[d] *potestatem, et per eam sibi competens ius assequatur.* 1158.

Si quis vero temerario ausu praedictam pacem violare[e] *praesumpserit, si civitas est, poena 100 librarum auri camerae nostrae inferenda puniatur; oppidum vero 20 libris auri multetur; duces autem et marchiones et comites 50 libras praestent; capitanei vero et maiores vavassores 20 libris auri puniantur; minores autem vavassores et omnes alii praedictae*[f] *pacis violatores 6 libras auri inferre compellantur, et dampnum pacis*[g] *secundum leges resarciant.*

Iniuria seu furtum legitime puniatur.

Homicidium et membrorum diminutio vel aliud quodlibet delictum legaliter vindicetur.

Iudices vero et locorum defensores vel quicunque magistratus ab imperatore vel eius potestate constituti seu confirmati, qui iusticiam facere neglexerint et pacem violatam vindicare legitime supersederint[h], *dampnum omne*[i] *et iniuriam pacis*[k] *resarcire compellantur, et insuper, si maior iudex est, sacro aerario poenam 10 librarum auri praestet, minor autem poena trium librarum auri multetur. Qui vero ad praedictam poenam persolvendam inopia dignoscitur*[l] *laborare, sui corporis cohertionem cum verberibus patiatur, et procul ab eo loco quem inhabitat, quinquaginta miliaria per quinquennium vitam agat.*

Conventicula quoque et omnes coniurationes in civitatibus et extra, etiam occasione parentelae, inter[m] *civitatem et civitatem et inter personam et personam, sive inter*[m] *civitatem et personam, omnibus modis fieri prohibemus, et in praeteritum factas cassamus, singulis coniuratorum poena unius librae auri percellendis.*

Episcopos quoque locorum ecclesiastica censura violatores huius sanctionis, donec ad satisfactionem veniant[n], *cohercere volumus.*

Receptores[o] *etiam malefactorum, qui praedictam pacem violaverint*[p], *nostrae indignationi subiciendi*[q] *et*[r] *eadem poena feriendi sunt*[s].

Praeterea eius bona publicentur, et domus destruantur, qui pacem iurare et tenere noluerit, et leges pacis non servat.

Illicitas etiam exactiones, maxime ab ecclesia, quarum abusio iam per longa tempora inolevit, per civitates et castella omnimodis condempnamus et prohibemus[t], *et si factae fuerint, in duplum reddantur.*

Item sacramenta pupillorum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur. Per vim autem vel iniustum metum sacramenta extorta[u], *etiam a maioribus, maxime ne querimoniam maleficiorum commissorum faciant*[v], *ex toto*[w] *nullius esse momenti iubemus.*

Ad haec qui allodium suum vendiderit distractum[x], *et*[y] *iurisdictionem imperatoris vendere non praesumat, et si fecerit, non valeat.*

8. Cremonenses et Placentini inter eos qui sibi coram principe litem commovebant[z], acrius caeteris adversus[*] sese experiebantur. Nam cum inter has duas civitates non longe a se positas, nisi quod Pado interfluente separantur, propter contubernium Mediolanensium antiquae ac diutinae manserint discordiae, accesserat tunc, quod Cremonenses cum imperatore ad curiam venientes, Placentinorum militia egressa eos[**] ad certamen provocaverat, quod modo vulgo turneimentum[a] vocant. Ibique hinc inde aliqui sauciati, alii capti, quidam occisi sunt. Ob hanc rem dum[b] adversus se invicem accusationem proponerent, Cremonensibus se, dum essent in obsequio et in comitatu principis, hostiliter invasos, nec tam se quam regiam fuisse laesam maiestatem, suam iniuriam magnitudini[c] principum curae esse debere, penes imperium esse, ut Placentini velut hostes rei publicae pro impietatibus in ipsos, pro perfidia et temeritate in imperatorem graves poenas reddant; Placentinis autem non adversus principem, sed contra infestissimos hostes se venisse, qui dum[d] in terminis ipsorum multa iniqua fecerint, rapinis et incendiis omnia permiscuerint, querimoniae modo[e] calumpniosae, quod iniuriam passi sint, allegantibus; Fridericus partibus

a) *ita* 1. 3. 4. 6; si vero quis *edd.* b) putauerint 3. c) *deest* 1. 3. d) adeat 1. 3. 4. 6. e) Siquis vero coniuratam pacem a principibus et iudicibus aliquando temerario ausu violare 6. f) *deest* 6. g) passis 6. h) neglexerit .. supersederit 1. 3. 6. i) o. d. 6. k) passis 6. l) dinoscitur 1. 4. m) intra 1. 3. 4. n) veniat 1. 3. 6. o) *ita coniicio;* receptori 1. 3; receptoribus *edd.* p) et emendibus *addunt edd. quae desunt* 1. 2. 3. 6. q) *ita* 1. 3; subiciendis 4 *et edd.* r) *deest* 4. s) *ita* 1. 2. 3. 6; feriendis *edd.* t) et proh. *desunt* 3. u) sacram. ext. *addunt* 1. 2. 3. 6. v) *hic desinit* 3. w) *ita* 1. 2. 6; extorta sacramenta *edd.* x) *ita* 1. 2. 4. 6; districtum *edd.* y) extra 1. 2. 6. z) *corrigendum videtur:* litem intendebant, acrius caeteris adversus sese commovebantur. PERTZ. *) *addunt* 1. 8. 9. **) *add.* 1. 2. 4. 8. 9. a) tŏrnoimentum 4; tornam. 8. 9. b) *deest* 1. 2. c) *ita* 1. 4. 8. 9; magnitudine *edd.* d) *ita* 1. 2. 8. 9; cum *edd.* e) q̊ri m̊ 1. 2; queri mō 8. 9.

1158. prosequendi copiam dedit, sufficienterque auditis, quae ab utrisque dicerentur, animadvertit Placentinos minus idonee obiecta purgare, praesertim cum in plurimis rebus dolus eorum et perfidia in regnum iam antea foret deprehensa. Itaque contra ipsos sententia iudicum procedit, tandemque hac mulcta in gratiam recipiuntur, ut praeter non parvae pecuniae donationem vallum civitatis egregium, quod hisdem[a] annis pro defectione ab imperatore fecisse insimulabantur, replendo aequarent, turresque universas destruerent. Quod et factum est, dignaque in Placentiam seditiosam civitatem pro modo delicti ultio exerta rebellionis metum reliquis civitatibus incussit. Ibi[b] quoque Fridericus[c] augustus de proprietate Modoyci, ubi sedes regni Italici, ut dictum est, esse dinoscitur, contra Mediolanenses causam assumens, selectis[d] arbitris gloriose iustitia media de lite triumphavit.

9. Apud Roncalias rebus bene gestis et utilitatibus imperii sapienter ordinatis, Fridericus conventum dimisit, atque proximioribus ordinatis, ad ulteriores terras et in insulas maris regium regiae procurationis animum protendit. Itaque electos nuncios, episcopum videlicet Conradum Eistetensem[e] et comitem Emichonem, in Sardiniam et Corsicam dirigit, commendans eos Pisanis et Ianuensibus conducendos, pro eo quod hae duae civitates maximum in Tyrreno mari viderentur habere principatum. Verum quamobrem eadem legatio sine efficacia remanserit, conicient hi, quibus notum est, in quantis emolumentis Pisanis atque Ianuensibus insula Sardinia prostituta sit. Unde non incongrue putatur, illorum astu et falsis occasionibus iter nunciorum fuisse impeditum. Nam et Ianuensibus vicem redditurus, adventum suum augustus comminans, finibusque eorum accedens, mira celeritate ac facilitate eos deterruit et ad pacis pacta confugere compulit, quae fuere
86 huiusmodi: 1000 marcas[f, 86] argenti publico aerario persolvere, et a muri, quem orsi fuerant, fabrica cessare. Non autem ab re putatur hunc illis coelitus incussum fuisse terrorem atque formidinem, ne multos sua temeritate ad defectionem invitarent. Nam salutis spem Ianuensibus certam et contra venientibus haesitationem natura loci praestare maxime poterat, quae civitatem ita ex omni parte vallaverat, ut vel propter eminentium Alpium praerupta et invia, vel Tyrreni maris, quo litus ipsum alluitur, fluctibus ad eam nec perveniri facile fuerit. Augustus autem[g] nullo horum motus, etiam cum natura certare non diffidebat, ut, quod illa situ loci inexpugnabile fecerat, ipse magnitudine animi ac virtute superandum putaret.

Dec. 25. 10. His gestis, Fridericus pro recreando milite in opimis et nondum bello tactis Italiae locis hyemare[h] statuit, proximumque natalem Domini apud Albam civitatem[87] celebrans, nuncios pro colligendo fodro per totam Tusciam et Maritimam atque Campaniam direxit. De principibus quoque ad ordinandos in civitatibus consules seu potestates alium alio dimittit, adiunctis eis cartulariis, qui de regalibus, quae fisco accesserant, certam summam et plenam noticiam reportarent. Reditus[i] quoque imperiales, quae dicuntur domus Mathildis[k], a duce Gwelfone[l] seu ab aliis distractos et dispersos, congregavit, quos postmodum eidem nobilissimo principi adunatos et melioratos liberali restitutione noscitur reddidisse. Quorum praediorum magnitudinem eiusque terrae copiosam opulentiam, qui ripas Eridani pervagati sunt, non ignorant[m].

11. Romanus imperator, etsi in aliis omnibus secunda fortuna usus fuerit[n], in morte tamen nonnullorum principum per idem tempus eius saevitiam et caecitatem[o] expertus est, quorum ut apud posteros nulla celebretur memoria, nobilitas generis, mentis prudentia et egregiae tam animi quam corporis virtutes non permittunt. In numero quorum primus fuit Otto Frisingensis ecclesiae antistes venerabilis[p], istius operis[q] auctor et feliciori fine futurus consummator, nisi, ut quidam incusant, fata virtutibus invidissent. Et quia tam in huius praeclari viri nece quam in conflagratione Frisingensis ecclesiae patria mea duplici contricione attrita est, nemo me accuset, si vel patriae miserias, vel amantissimi domini et nutritoris mei flebilem interitum prolixiore narratione prosequar, sed dolori

a) *ita* 4; isdem 1. 3; hysdem 8. 9. b) Ibi — triumphavit *desunt* 8. 9. c) *deest* 1. 2. d) electis 2. e) Eihst. 1. f) *ita* 8. 9; mille milia 1. 2. g) annno 4 *(ita!)* h) hiem 4. i) redditus 4. k) Mahtildis 1; Mcht. 4. l) Welf. 1. 8. 9; Belf. 4. m) ignoratur 1. 2. 8. 9. n) est 1. 8. 9. o) et caec. *desunt* 1. 2. 8. 9. p) *ita* 1. 2; Otto Fris. eccl. ven. praesul 8. 9. q) *ita* 1. 2. 8. 9; huius istius auctor 4.

86) Mille et ducentas marcas persolutas esse perhibet Cafarus Ann. Ianu. Mon. SS. XVIII, p. 27, qui hanc pacem *apud Boscum, ubi cum exercitu venerat* (imperator) ictam esse tradit p. 26. 87) in meridie urbis Taurinorum.

veniam tribuat, considerantibus nobis civitatem nostram ad tantum felicitatis gaudium 1158. processisse, eandemque fere ad ultimos casus inclinatam. Si quis autem, ut ait quidam, durior misericordiae sit iudex, res quidem tribuat historiae, lamenta vero scriptori.

Anno ergo ab incarnatione Domini 1159.[88], indictione 7, regnante serenissimo impe- 88 ratore Friderico, anno imperii eius 3, regni 5, memoratus antistes ab hac luce, Deo vocante, migravit. Is primo velut coelitus et a Deo missus, cum eandem ecclesiam reperisset omnibus fere bonis destitutam, distractas facultates, collapsa palatia, familiam attritam, religionis monasteriorum nullam vel parvam memoriam, ope divina tandem ipsam in eum locum reduxerat, ut clero religionem, familiae libertatem, facultatibus copiam, aedificiis decorem ab hac luce subtractus restituisset, eiusque cura, labor, meritum circa sedem et gentem suam perinde fuerat, ac si non tam instaurator quam fundator illius extitisset. Huic negocio praestabat adminiculum et opem tum genus viri, tum probitas, tum conversationis aestimatio. Nempe imperatorum Heinrici quarti nepos, sororius quinti Heinrici, Conradi regis frater uterinus, Friderici imperatoris augustissimi huius, qui iam feliciter regnat, patruus, ex clarissimo regni principe Leopaldo[a] marchione patre et matre Agnete, filia quarti Heinrici imperatoris, pariter cum fratribus suis germanis, Conrado Pataviensi episcopo, Leopaldo duce Baioariae et Heinrico duce Austriae, nec non et sororibus, Gertruda[b] ducissa Boemiae et Berhta[c] ducissa Polanorum ac Ita marchionissa de Monteferrato[d], consobrina[e] imperatrice Hispaniae Gertrude[f]; de tanta, inquam, tamque illustri parentela proles ipsa nobilissima traxit originem. Litterali scientia non mediocriter aut vulgariter instructus, inter episcopos Alemaniae vel primus vel inter primos habebatur, in tantum, ut praeter sacrae paginae cognitionem, cuius secretis et sententiarum abditis praepollebat, philosophicorum et Aristotelicorum librorum subtilitatem in topicis, analyticis[g] atque[h] elencis fere primus nostris finibus apportaverit. Ob ea et aliarum multarum privilegia gratiarum, fiducia quoque tam secularis prudentiae quam eloquio fretus facundissimae linguae, cum saepius in causis ecclesiae coram regibus et principibus constantissime ageret, et exinde sibi gloria laudem, laus invidiam, ut assolet, non modicam peperisset, laqueos adversantium imperterritus declinavit, et obloquentium ora sine laesione probe probus evasit. Sane vivendi modum iuxta Cisterciensis ordinis religionem instituerat, ibique in monasterio Morimundensi primo abbas, eo usque[i] probatus et electus inventus est, ut merito sibi diceretur: *Amice, ascende superius.* Episcopus factus, trans- Luc 14,10. curso iuventutis fervore ac sopito lubricae aetatis incentivo, oleum peccatoris declinans, et iustitiam suam in conspectu hominum et favore facere parvi pendens, Deo potius, quem conscientiae et corda non fallunt, placere satagebat, attendens illud euangelicum: *Nesciat* Math 6,3. *sinistra tua quid faciat dextera tua.* Unde factum est, ut si quid ex conversatione mundana pulverulentiae contraxisset, in praesenti lingua detrahentium, quae ut gladius acutus, raderetur atque purgaretur; siquidem supradicto principe Friderico[k] patruo suo in Italicam expeditionem iter agente, cum et ipse sicut necessarius et perutilis imperii negociis ire debuisset, nutu divino contigit ipsum iter retractare[l], ut vir religiosus inter manus fratrum orantium potius quam inter strepitum[m] praeliantium expirans, dicere posset: *Domine, suscipe me, ut cum fratribus meis sim, cum quibus* etc. Benigne vero ab imperatore dimissus[89], multis gemitibus commissam sibi suae benignitati commendavit ecclesiam, ac quodam spiritu prophetico de fine suo praescius, ne post mortem suam ipsam aliquo modo gravaret, et libertate[n] electionis, ut iam saepius anteactis temporibus[o] in aliis ecclesiis factum dicebatur, eam nullo modo privaret, .postulavit. Accepto de hac probabili petitione fideli laudamento, ad propria reversus est. At[p] cum aliquibus de morte sua seu per visiones seu per somnia revelatum fuisse referentibus et commonentibus quibusdam religiosis, cognovisset, salutatis fraterna karitate media quam intime fratribus et vale dicto[q], occasione visitandi Cisterciense capitulum viam carpit et iam dudum languore ac debilitate corporis

a) Leopaldus 2. b) Gerdruda 1. c) *ita* 1. 2. 4; Berta 8. 9. d) Monte ferreo 8. 9. e) *ita* 1. 2; N. 4. 8. 9 *et editi.* f) *ita* 2; Gerdrude 1; genitrice 4. 8 *et edd., quod etiam 9 iam pridem exhibuit, sed post correxit:* Gertrude. g) analeticis 1. 4. 8. 9. h) *deest* 2. i) eoque usque 1. k) F. 1. l) *ita* 1. 2. 4. 8. 9; detrectare *edd.* m) strepitus 1. 2. n) libertatem 1. 2. 4. o) ant. temp. *desunt* 1. 2. 8. 9. p) Et 1. q) *hic, signo* + *praefixo in* 8 *secunda manus addit:* magna cordis contritione et lacrimarum effusione nobis astantibus et contuentibus hanc sedem deseruit, *quae ex Chunradi Gestis epp. Fris. desumta sunt.*

88) Legendum est 1158, quod in praefatione probavimus. Cfr. supra III, 22. 89) circa diem 14. Augusti, anno 1158.

1158. invalidus, laborioso itinere, nichil tamen adhuc suis, qui secum erant, metuentibus, ad praenominatum Morimundense[a] monasterium pervenit. Ibi per aliquot dies lecto cubans et iam de obitu suo nequaquam dubius, dum sacro liquore olei, sicut moris est, perunctus fuisset, et de pecunia sua laudabili testamento ordinasset, inter caetera quae sollicitus de salute sua praevidebat, etiam hunc codicem manibus suis offerri praecepit, eumque litteratis et religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia magistri Gileberti[b], ut patet in prioribus, dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque catholicae fidei assertorem iuxta sanctae Romanae, imo et universalis ecclesiae regulam professus est. Deinde multa prius cordis contritione et humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis sacrosanctis mysteriis[c], in medio multitudinis sanctorum tam episcoporum quam abbatum Domino spiritum reddidit. Felix utique et pro meritis suis divino munere donatus, ut antea raptus sit, quam unicam suam, dilectam suam, ecclesiam videlicet, cui ipse spiritali[d] et intimo amore connexus erat, in favillam et cinerem conversam vidisset et subversam. Cum autem adhuc vivens locum sepulturae suae fratribus digito praemonstrasset extra ecclesiam in loco humili, ubi scilicet ab omnibus fratribus calcari debuisset, huic eius ultimae voluntati obviandum putabatur, et intra septa ecclesiae iuxta maius altare honorifice tumulatus est, eiusque sepulchrum a cunctis fratribus honore ac veneratione dignum habetur. Ego autem qui huius operis principium eius ex ore adnotavi, finemque eius de principis[e] iussu perficiendum suscepi, et manu mea ipsius extrema lumina clausi, hoc epitaphium[f] composui, et tumulo seu cenotaphio[g] eius inscribi feci:

Libram Phoebus subiit cum falcitenente,
Luci nox praevaluit die decrescente,
Vita minus habuit morte praevalente,
Otto quando corruit raptus, heu repente.
Hic, si gradum consulis, praesul dignitate;
Formam: decens[h], habilis, iuvenis aetate;
Genus: alta nobilis regum maiestate;
Mores: commendabilis mira probitate.
Monachum se praebuit, si religionem;
Ydeas[i] asseruit, si positionem.
Virgo, cuius meruit intercessionem,
Eius ad quem genuit agat mentionem.
Huius[k] frequens otium in philosophia[l],
Maius exercitium in theologia,
Foedus[m] sibi mutuum cum philologia,
Nunc sit ei speculum summa theoria.
Plangat hunc Germania planctu generali,
Magis tu, Frisingia, orba viro tali,
Cui tot privilegia dono speciali
Iugi querimonia debes lamentari[n].
Huius[o] in te[p] studio studium vigebat:
Grata disceptatio plures acuebat.
Quid mos, aut quid ratio nemo non videbat[q]:
Fraus, et cavillatio[r] latens non latebat.
Hic sacrum ecclesiae sublimavit cultum.
Ipse dedit strepere logicum tumultum:
Hoc in eius cinere totum est sepultum:
Talem nemo plangere potest satis multum.
Quis nunc tantam gratiam formis affirmabit?[s]
Quis ad consequentiam tropos revocabit?[t]
Aut[u] quis elegantiam dictis assignabit?[v]
Heu qualem sententiam schola[w] vento dabit?
Quid rerum[x] compactio sagax, dum rimatur,
Mathesis abstractio[y] quid, dum contemplatur,
Quod nichil privatio[z] per hunc dum probatur,
Quid ambarum actio morte scire[*] datur?
Huius[a] necem patria iuste dedignata[b],
Clara dolens atria rectore[c] privata[b]:
De se bene meritum cernens in favilla,
Ivit in interitum pariter et illa.
Tantas[d] ad exequias turba populorum
Pias fundat lachrymas, moestum ducens chorum.
Ad preces continuas et lamenta quorum
Illum salvet, animas qui beat iustorum. Amen.

Aliud metrum[e]:

Quicquid in orbe beat praeclaros et meliores,
Praesulis Ottonis mire[f] cumulavit honores.
Si proavi vel avi probitas, sacer ordo, potestas
Deberent mortis furias cohibere molestas,
Non moriturus erat praeclare praeditus illis.
Heu talem communibus accessisse favillis,
Quam facunda viri vox, qualis philosophia,
Hortatu regum docet edita chronographia[g].
Luxit eum patria propria comitata ruina[h].
Propitietur ei Deus et pia virgo Maria. Amen[i].

a) Morimond. 1. b) Giliberti 1. c) mist. 1; ministeriis 2. d) *ita* 1. 4. 8. 9; spirituali 2; speciali *edd.* e) *deest* 9; *suppletum secunda manu* 8. f) epytaphium 4. g) seu cen. *desunt* 1. 2. 8 9. h) recens 1. 2. i) *ita* 1. 4. 6. 7. 12. k) *ita* 1. 2. 7. 8. 9; eius 12; cuius *edd.* l) phyl. 1. m) Phedus 7. n) lamentariali 1. 2. o) *ita* 7. 12; cuius 1. 8. 9. p) *ita* 7. 11; vite 1. 8. 9. q) sciebat 11; *superscripsit* 6: Id est moralia et logica predicamenta. r) *superscr.* 6: id est sophistica. s) *superscr.* 6: omne esse ex forma est. t) *deest tota linea* 2. u) Haut 1. 2. v) *superscr.* 6 id est quid sit elegans vel inelegans subpositio. w) scola 1. 6. 7. 12. x) *superscr.* 6: id est res in concretione forme et subiecti. y) *superscr.* 6: forme a subiecto separatio. z) probatio 12. *) amborum actio sciri morte 12. a) Eius 12. b) dediguilla — priuilla 1. 2. c) dolent atria presule 12. d) *ab hoc inde vocabulo confunduntur versus in* 8. 9. e) Aliter idem 4; Item aliud 6. f) iure 1. 2. g) chonogr. 1. 2. h) comita ruina 1. 2. i) *add.* 1. 2. 6.

12. Ottone episcopo 10. Kalendas Octobris, quod est circa solstitium brumale, defuncto, paucis post mensibus Nonis Aprilis, quae tunc fuit dominica palmarum et est circa solstitium aestivale, hora matutina civitas Frisingensis penitus et penitus incendio conflagravit, adeo quod, ut[a] taceam de maioribus ecclesiis, quae cum ornamentis suis perierunt, sedeque ipsa[b] et palatio, nec una quidem de minoribus capellis et oratoriis superfuit. Domus etiam et officinae canonicorum et domus militum, exceptis valde paucis, crematae sunt. Haec ecclesia eo tempore in tali statu erat, quod rebus, aedificiis et divitiis omnibus pene conlateralibus et vicinis episcopatibus aut maior erat aut aequalis, cleri probitate tam insignis, ut in eius honestate et disciplina, in liberalitate, in litterarum scientia rari pares, meliores et superiores in orbe Romano nulli haberentur. 1158. Sept. 22. 1159 Apr. 5.

13. Hanc Frisingensis civitatis multiplicem cladem et aerumpnosi eventus casum nonnulla prodigiorum indicia praecesserant. Quadam enim vice in die circumcisionis Domini, dum ad missam solempnem presbyter altari maiori assisteret et iam sacri secreti ultimum resolvisset silentium, calix cum sanguine ita prorsus eversus et super altare in conspectu omnium effusus est, ut nec stilla superfuisset. Sed prudentissimus episcopus omine tali nichil prosperum auguriatum esse praesciens, ieiuniis et litaniis divinam animadversionem praeveniri atque placari persuasit. Per idem quoque tempus monstra quaedam quadrupedia aliaque fantasmata de nocte visa sunt tam a clericis veracibus quam a laicis hinc inde volare. Ferae bestiae, utpote vulpes et lepores, pastoforia ecclesiae ac officinas canonicorum ingressae velut domesticae, laqueum sibi captionis imponi non abnuebant. Pueri ac puellae per mediam civitatem saepius processionem agentes verasque letanias[c] imitantes, iocis suis gravia seria portenderunt. Nam et sequenti anno locus ipse, ubi maior ecclesia et cathedralis sedes fabricanda erat, fulmine ictus coelesti igne conflagravit. Ululae, upupae[d], bubones toto anno in tectis funebria personantes, lugubri voce aures omnium repleverunt. Pilosi, quos satyros vocant, in domibus plerumque auditi. Huius ruinae ac desolationis talibus indiciis prophetatae praefata Frisingensis ecclesia divina opitulatione et[e] per subrogationem piissimi pastoris Adelberti[f], qui ipsam in praesentiarum gubernat et regit[90], restaurationem expectat, eiusque industria sublevari sperat et respirare. Ian. 1.

14. Eodem etiam anno insignis illa ecclesia et regium opus apud Spiram civitatem similiter igne consumpta est, et desuper continuitate muri[g] rupta, ruina molesta plerosque, sicut tunc fama fuit, involvit.

Hisdem diebus Fridericus[91] Coloniensis archiepiscopus, cuius superiore libro mentio habita est, tertio pontificatus sui anno cum multorum luctu diem clausit[h] extremum, carnesque eius et viscera apud Papiam posita, ossa vero ad civitatem Coloniensem deportata sunt. Vir nobilis et litteratus, quique mansuetudine ac benignitate sua longe lateque multorum in se provocarat affectum.

Anselmus[i] Ravennae metropolitanus, qui multis diebus in imperii obsequiis et fidelitate probatus fuerat, vir prudens et litteratus, ante Mediolanum defunctus est.

Herbipolensis[k] quoque antistes Gebehardus[l] [92], revisendae[m] patriae amore illectus, dum benigne ab augusto dimitteretur, paulo post septimum diem reditus sui ad civitatem suam morbo correptus obiit, exemplo suo docens, quod longas manus mortis nec terra securior nec convictus delicatior faciet declinare.

Tunc etiam Conradus[n] Croatiae atque Dalmatiae dux, natione Noricus, de castro Dachowa[o] oriundus, apud Pergamum finem vivendi fecit, eiusque corpus in terram suam deportatum, in monasterio Schirensi sepultum est. Cuius liberalitas et in multis probata

a) ut quod 1. b) sua 1. 2. c) *ita* 1. 8. 9; letaniis 2. d) upulae 1. e) *deest* 1. 2. 8. 9. f) *ita* 4; Adilb. 1; Alberti 8; Ablati 9. g) ut audivimus *add.* 1. 2. h) *deest* 2, *recentiore manu suppletum* 1. i) Anselmus — defunctus est *desunt* 1. 2. 8. 9. k) Erbip. 1. l) Heinricus 1. 2; eum N. 8. 9; *in* 8 *vero sec. manus add. in margine* Heinricus. m) praeuisende 1; prouisende 2. n) Cŏnradus 1. o) Dachŏwa 1.

90) 1158—1184. 91) 1158. cf. Annales Colonienses maximi, Mon. SS. XVII. pag. 770: *Eodem tempore Fridericus Coloniensis archiepiscopus, qui erat in eadem expeditione, casu de equo corruens, ruptis interioribus, post paucos dies apud Papiam vitam finivit, corpusque eius exossatum ad sedem propriam relatum est.* Cum vero Fridericus imp. die 12. Ianuar. 1159. Paviae esset, Böhmer 2412, mortem archiepiscopi circa hoc tempus evenisse, iure statuit Fickerus. Reinald v. Dassel p. 119. 92) Recte quidem in prioribus Gestorum editionibus Gebehardus, qui obiit die 17. Martii 1159; Heinricus, qui eius loco a codicibus nominatur, erat eiusdem successor.

1159. periculis animi magnitudo meruit, ut subtractus ex hac luce, memoria illius longo tempore apud posteros non deleatur. Nobiles quoque complures et milites strenuissimos, quorum nomina mihi scribenti non occurrunt, aut varius belli eventus, aut morborum vis per id tempus idem tempestatis turbo involvit.

15. Friderico in hybernis[a] agente, Adrianus Romanae urbis antistes quorundam
93 instinctu ea quae iam inter ipsum et imperatorem apud Augustam sopita fuerant[b. 93] refricare coepit, et denuo meminisse, modo nunciorum suorum iniuriam, modo eorum[c], qui pro colligendo fodro directi fuerant insolentiam, et castellanorum suorum gravamen incusans, se pro bonis mala suscepisse[d], imperatorem beneficiis suis ingratum existere. Proinde occasionem quaerens, cum audisset, quod regalia principi tam ab episcopis et abbatibus quam a civitatibus et proceribus recognita fuere, litteras in fronte quidem leniores[e], diligentius vero consideratae acriori commonitione plenas super hoc negotio dirigit, easque quidam indignus et vilis nuncius praesentans, antequam recitatae fuissent disparuit. Qua de re commotus caloreque iuvenili ad vicem rependendam accensus Fridericus[e*], meditationem concipit, non quidem per abiectam, sed per honoratam illi respondere personam. Iam antea missus fuerat ad sedem apostolicam episcopus Vercellensis, amicam deferens petitionem, quatenus Gwidonem nobilem iuvenem, filium comitis Gwidonis[f] Blanderatensis[94], cuius supra mentionem fecimus, quem loco Anselmi[g] princeps in Ravennate ecclesia subrogari fecerat, ibidem confirmaret et ordinaret. Nam idem iuvenis infra sacros ordines adhuc existebat, et clericus[h] Romanae ecclesiae pridem factus ac in subdiaconum a papa Adriano consecratus, non nisi eius conniventia et assensu in aliam ecclesiam transferendus putabatur. Cum autem hoc a Romano pontifice, volente in irritum revocare quod factum fuerat, negaretur, mittitur denuo Hermannus[i] Ferdensis episcopus in id ipsum, eiusque negotium item effectu caruit. Quod si[k] quis plenius scire desiderat, epistolas utrinque directas consulat, quorum talia scripta[l] inveniuntur:

16. *Fridericus*[m] *Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus Adriano Romanae ecclesiae venerabili pontifici. Dilecto et fideli nostro Anselmo*[n]*, bonae memoriae Ravennensis*[o] *ecclesiae venerabili archiepiscopo defuncto, ne curia nostra diutius tanto careret principe, operam dare curavimus, loco eius talem subrogari personam, quae pro tempore ad resarcienda ecclesiae illius dampna et ad nostrum peragendum servitium apta videretur. Ante omnia autem prae oculis mentis habentes et aure non surda audientes, quod scriptum est:*
Rom. 12,10. Honore invicem praevenientes, *filium comitis Blanderatensis, quem vos in clericum*[p] *Romanae ecclesiae et filium nostra petitione assumpsisse recordati sumus, vicissim ad honorem vestrum et sanctae Romanae ecclesiae altius sublimari intendimus, in ea praesertim ecclesia, quam post sanctam Romanam ecclesiam aut maximam, aut unam de maximis habemus, nostraeque voluntatis proposito, divina favente clementia, in electione illius personae concorditer et voluntarie universa Ravennas convenit ecclesia, praesentibus viris honestissimis, legato nostro et vestro, hinc Iacincto cardinali, inde Hermanno*[q] *Ferdensi*[r] *episcopo. Scientia autem et moribus in personam praefati electi una cum genere convenientibus, propter reverendum vestrae paternitatis testimonium commendabilior et acceptior eadem persona nobis iam facta est, quam utique etiam diligi a vobis*[s] *et honorari gaudemus et volumus, ea tamen ratione et ordine, qua patres filios suos solent diligere, quos suo tempore et*[t] *manumittunt*[u]*, et domui suae providere permittunt*[v]*. Et quidem decentissimum est, sanctam Romanam ecclesiam, tanquam matrem omnium ecclesiarum*[w]*, filios, qui sunt fructus ventris, aggregare, et aggregatos ad decorem domus Dei, per domos*[x] *et familias distribuere, quibus etiam*[y] *nostrum imperium, tanquam ab utero et gremio matris nostrae progredientibus, debeat et velit congruum honorem impendere. Proinde altiori consideratione vestra perpendat discretio, quid in hac causa tam vestrae quam nostrae maiestati*[z] *et honestati conveniat.*

17. *Adrianus episcopus, servus servorum Dei, carissimo*[*] *in Christo filio Friderico*[a]*, illustri*

a) hib. 4. 6. 8. 9. b) fuerant sop. 6. c) illorum 6. d) recepisse 6. e) *deest* 1. 2. e*) *vocem inserui; littera F. excidisse videtur.* P. f) Widonis 1. g) Anshelmi 1. h) clericos 1. i) Herim. 2. 4. 6. k) Quod si — commendabis *pag.* 455. *lin.* 27. *desunt* 8. 9. l) rescripta 6. m) Fred. 6. n) Ansh. 1 *semper.* o) Ravennatensis 6. p) clerum 2. q) Herim. 1. 6. r) Fard. 4. s) a vobis *desunt* 1. 2. 6. t) etiam 6. u) manumittant 1. 2. 6. v) promittunt 6. w) o. e. matrem 6. x) domus 6 y) et 1. 6. z) magestati 1. *) kar. 1. a) Fred. 6.

93) Cfr. III, 22. 94) Biandrate in septentrione urbis Vercellensis.

Romanorum imperatori, salutem et apostolicam benedictionem. Qualiter[95] *superni conditoris* 1159. *intuitu et tam excellentiae tuae quam dilecti filii nostri Gwidonis Blanderatensis comitis interventu dilectum filium Gwidonem*[a], *subdiaconum nostrum, eiusdem comitis filium, olim in familiaritatem et in nostrum consortium receperimus*[b], *qualiter etiam intuitu probitatis eiusdem atque pro honore et utilitate sacrosanctae Romanae ecclesiae, tanquam si in diaconum iam fuerit ordinatus, ecclesiam ei*[c] *specialiter assignaverimus, et nos profecto memores, et a serenitatis tuae memoria non credimus excidisse. Nunc autem honestatem ipsius considerantes et provectum scientiae, si ei vita comes fuerit, attendentes, intelligentes etiam quanta per eum ac per nobiles et potentes*[d] *parentes ipsius sacrosanctae Romanae ecclesiae adhuc potuerint*[e] *commoda provenire, et ad quantum dignitatis apicem in eadem Romana ecclesia ipse valeat, vita generi concordante, conscendere, cum a sede apostolica in subdiaconatus officium sit promotus, et ei tanquam si iam diaconus esset, sicut superius dictum est, a nobis sit ecclesia specialiter assignata, communicato fratrum nostrorum consilio, a nostro latere tam preciosum pignus iuxta petitionem excellentiae tuae non potuimus removere, sed ipsum, opportunitate accepta, Deo auctore, in Romana ecclesia ad honorem eiusdem ecclesiae et imperii intendimus*[f] *ordinare, ut vel in ea, prout divina gratia proposuerit, quandoque ad sublimiora conscendat, vel exinde ad alterius ecclesiasticae fastigium dignitatis ipsum contingat, auxiliante Domino, pervenire. Convenientius siquidem est, ut, qui filius et clericus est Romanae ecclesiae, ab eius gremio non recedat, et ipsa ei circa se locum dignitatis conferens, eidem inde provideat altiora. Ipsa etenim scientia et moribus viros*[g] *adornatos, praeditos honestate et sanguinis nobilitate praeclaros, ad se libenter evocat, et eos aliunde consuevit admittere, non se talibus, cum ipsos in gremio suo habeat, facile spoliare. Quia igitur hoc decentius esse conspicimus, et honorabilius existere arbitramur, confidentes etiam imperatoriae maiestati hoc potius debere placere et gratum atque acceptum esse, postulationem tuam in hac parte non duximus admittendam, credentes atque sperantes, quod, ex quo nostram super hoc cognoveris voluntatem, tu ipse nostram intentionem et propositum commendabis.*

18. Princeps ergo et ipse accepta occasione suam hoc modo solatur indignationem. Iubet notario, ut in scribendis cartis nomen suum praeferens, Romani episcopi subsecundet, et dictionibus singularis numeri ipsum alloquatur. Qui mos scribendi cum antiquitus in usu esset communi, a modernis ob quandam personarum reverentiam et honorem putatur immutatus. Aiebat siquidem imperator, aut papam debere servare suorum antecessorum ad personam imperialem scribendi consuetudinem, aut se ipsum[h] antiquorum principum morem in suis epistolis oportere observare. Haec itaque causa sermonum et nunciorum maiorem inter eos simultatis fomitem ministravit, in tantum, ut quaedam litterae deprehensae dicerentur, a sede apostolica directae, quae Mediolanenses et quasdam alias civitates rursus ad defectionem hortarentur. Huius negocii[i] veritatem tenor subiectarum epistolarum declarabit, quae a diversis personis hinc inde missae sunt:

19. *Venerabili patri et fratri et amico karissimo Eberhardo*[k], *Dei gratia Babenbergensi*[l] *episcopo, Heinricus*[m], *eadem gratia sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis tituli*[n] *Sanctorum Nerei et Achillei, salutem in Domino. Sicut virtus imperatoria ex eorum qui sibi assistunt discretione monstratur, ita et ipsi quorum munitur consilio propriae conscientiae et honestati debent attendere, quia et ipsorum honor sic ad dominos spectare videtur, sicut et domini detrimentum in eos procul dubio refunditur et redundat. Eapropter, dilecte frater*[o] *et venerande frater et amice karissime, vestram non tam docemus, quam monemus prudentiam, ut imperialis dignitatis excellentiam, quantum in vobis est, in ea quae ad pacem sunt et honestatem spectant iugiter suadeatis. Subtilius enim et sincerius in his quae ad Deum pertinent et iustitiae libertatem, ratio et discretio vestra intelligit et cognoscit, quam alii principes, quantumcunque nobiles sint, qui*[p] *tamen sacros canones et ea quae olim a patribus disposita*

a) G. 1. b) recepimus 6. c) *deest* 1. 2. 6. d) et p. n. ac potentes 6. e) poterunt 1. 2. f) tend. 1. g) *ita* 1. 2; mor. et sc. viros 6; viros et mor. et sc. *edd.* h) *deest* 1. 2. i) Huius negocii — devotione laetetur *in fine cap.* 20 *desunt* 8. 9. k) E. 11. l) Babinberg. 1; Babing' 4. m) Hen. 11. n) in titulo 11. o) *ita* 1. 2. 6. 11; pater *edd.* p) si 11.

95) Sequentem epistolam Jaffé R. P. 7058 exeunti anno 1158. tribuit. Sed ex cap. 15 collato cum cap. 10 id constare videtur, quod controversia inter imperatorem et papam demum post diem 25. Decembris denuo exorta est.

1159. *et ordinata sunt, non noverunt. Interfuistis ipse, sicut unus ex nobis, sicut*[a] *fidelissimus mediator, eis, quae*[b] *cum domino imperatore de pace ecclesiae et ipsius ordinata sunt in Alemannia, et eis, quae*[c] *altera die nos secum fidelissime et ipse nobiscum benignissime*[d] *de eadem pace tractavimus. Nunc autem ex litteris illis quas celsitudini suae post reditum meum domino meo placuerit*[e] *destinare, quae videlicet nec stylum nec antiquam consuetudinem imperialium litterarum obtinebant, timemus multum, ne sit in diversa mutatus, et alia modo sibi sit facies sensusque diversus. Replevit cor meum amaritudine et faciem meam confusione mutatio haec; quicquid honoris et iucunditatis*[f] *et gloriae apportaveram mecum, ex litteris illis*[g] *videtur esse sepultum atque obnubilatum. Ideo, dilectissime frater et amice karissime, episcopalis dignitas et sacerdotii ordo, in quo vos providentia divina constituit, moveant discretionem vestram et instruant, ut ad honorem Dei stetis et vestrum, pro honestate et libertate ecclesiae, ut in antiquis limitibus ecclesiae integritas conservetur, ne temporibus vestris novis consiliis honestas usque modo turbata turbetur. Satis turbatum est, quicquid secundum consilium vestrum putabamus efficere, et dicimus vobis, quam diu per homines rerum divinarum ignaros negocia portabuntur, stabiliri pax incepta non poterit. Sed si praesentia vestra et domini praepositi Magdeburgensis consummandae pacis laborem*[h] *susceperit, zelus Dei et scientia, qua praeeminetis*[i] *uterque, finem pacificum ad honorem Dei et ecclesiae et imperatoris nostri gloriam per industriam vestram et studium vestrum facillime poterit obtinere. Alioquin si tempore iracundiae repertus non fuerit, qui reconciliationi intendat, et in cuius verbis possint ista scandala complanari, res ipsa forsan aliud exiget, et quod hodie integrum est, maior vehementia necessitatis disrumpet*[k].

Eidem Heinrico[l] *Eberhardus*[m], *Babenbergensis ecclesiae eadem gratia episcopus*[n], *si quid est, orationis et servitii omnimodam devotionem. Litteris vestrae paternitatis lectis et relectis*[o], *admirari satis non potui, quod esset illud verbum, imo quod esset illud vae*[p], *de quo scripseratis mihi, cum adhuc a me prorsus esset absconditum. Quaeritans autem inveni quod nolui*[q], *et unde multum dolui, teste Deo, et multum doleo. Audivi, et conturbatus et contristatus*[r] *sum. Contremuerunt omnia ossa mea, adhaesit cutis ossibus meis. Et quidem*[s] *intellexi et cognovi, quod bono semini, non meo, sed vestro pacis et concordiae consilio, inimicus homo superseminaverit*[t] *zizania. Omnia mala a bonis principiis orta sunt. Sicut in sacro elo-*
Psal. 7,14. *quio:* Paravit Dominus vasa mortis, et sagittas ardentes effecit, *ita et in imperialibus gestis ac dictis simul ac scriptis pleraque reperiuntur, quae alios seducunt, alios aedificant. Annales quandoque revolvuntur, apices imperiales recitantur, forte in ea forma, quae illi aetati et tam bonitati quam simplicitati temporum illorum competebat, hominibus tunc*[u] *in directum loquentibus, neque numerum numero commutantibus, neque personas personis*[v] *praeposterantibus. Nunc vero mutata sunt omnia. Sed non expallescat aurum, nec mutetur color optimus, nec dispergantur lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Si qua exorbitatio consuetudinis modernae facta est, his exemplis facta est et hac occasione, quia flamma sopita denuo quodam*
96 *vento resuscitata est per litteras*[96], *quas dominus papa nuper direxit domino imperatori super ea quaestione, quae vertitur inter Brixienses*[w] *et Pergamenses*[x] *de contentione duorum castrorum, quas quidam pannosus et velut hostis et insidiator domino imperatori despective quodammodo obtrusit, et ultra non comparuit, quae videbantur duriores et quasi interdicti vim in se continentes, ne dominus imperator causae illius iudicium sibi assumeret. Haec autem scribo vobis, non ut quaeram palliare quae pallianda non sunt, sed ut vos et alii prudentes et timentes Deum facilius morbo subveniatis, causa morbi cognita. Hinc inde dicimus et scribimus cottidie: „Venite, venite; veniemus, veniemus". Sedemus, salva multa vestrae sanctitatis reverentia dictum sit*[y], *sedemus et oscitamus. Sedemus, inquam, ut ait quidam in Romana re publica nocte diem, die noctem expectantes, et iam prudentes et scientes perimus. De me dico vobis, ut tutis*[z] *loquar auribus: Nolo mali nuncii esse baiulus*[*], *neque veniam ut audiam vel referam amaras historias. Verba verbis obviant quasi pila minantia pilis. Ubi est sapientia? ubi*
Psal 106,27. *prudentia in regno et sacerdotio? Separet nos Deus ab his de quibus dicitur:* Omnis sapientia

a) *add.* 1. 2. 6; *deest* 11 *et edd.* b) qui 6. c) qui 1. 2. d) *deest* 11. e) placuerit *edd. et* 4 *ex corr.*; placuit 1. 2. 6. 11. f) iocund. 6. 11. g) ex illis litt. 6. h) *ita* 1. 2. 6. 11*; summam de p. labore *edd.* i) praeminetis 1. 4. 6. k) dirumpet 6. 11. l) Hen. 11. m) E. 11. n) *deest* 1. 2. 4. 6. 11. o) et rel. *desunt* 1. p) ve 11. q) *ita* 1. 2. 11; volui *edd.* r) *ita* 1. 2. 6. 11; tristatus *edd.* s) Equidem 11. t) superseminavit 11. u) autem 1. 2. 4. 6. 11. v) *recepi ex* 11. w) *ita* 1. 4. 6; Brixinensem 11. x) Pergamenos 1; Pergamensem 11. y) est 6. z) tutius 2. *) baiolus 1. 4; baiolus esse 6. a) de verbis 11.

96) Quae quidem litterae deperditae sunt.

eorum devorata[a] est. *Non dicatis nobis ultra: „Venite"; sed potius vos claves habentes scientiae*[b] *nos praevenite, non invitati venite, et docete filios vestros non in amaritudine spiritus, sed in lenitate et multa mansuetudine. Parcat illis Deus, qui oleum quasi camino addentes, inter patrem et filium, inter regnum et sacerdotium, seminant discordias. Insipiens factus sum, vos coegistis me. Veniant pro Deo nuncii boni, portantes pacem, tanquam scientes et docentes nos instare opportune, importune*[c]. *More solito scribantur litterae, adiuvante Domino. Flebile principium melior fortuna sequetur, et tristitia*[d] *vertetur in gaudium. Dominus imperator superveniente nuncio vestro propter quaedam secreta negocia subito a castris discessit. Ideoque nec*[e] *ego meis insinuationibus certum responsum ab eo elicere, neque vos litteras eius in continenti habere potuistis. Qualis sit, vos scitis. Diligentes se diligit, aliis alienum se facit, quia nondum perfecte didicit etiam inimicos diligere. Valete*[f]. 1159.

20. Epistola eiusdem ad Romanum pontificem. *Cum et tacendi et loquendi tempus sit, quando commune instat periculum, desperationis potius quam religionis est servare silentium, omnium est conclamare, in unum concurrere ac ferre praesidium. Quando autem impetus hostilis aut incendium ingruerit civitati, praesertim eorum interest, qui vigiles civitatis sunt, eos qui in arce sunt, ipsum quoque patrem familias expergefacere ad subveniendum in necessitatis articulo. Hac officii mei consideratione et specialis debiti, quo teneor multis rationibus sanctae*[g] *Romanae ecclesiae, ego licet minimus episcoporum, qui nec sum dignus vocari episcopus, tam impudenter quam imprudenter exclamo ad vos, reverentissime pater et domine, hoc in tempore quo nobis infirmioribus videtur imminere, quod multum pertimescimus, periculum. Et quidem ab illa olla, quam succensam ab aquilone vidit olim propheta*[97], *ignis quidam per scintillas occultas coepit erumpere, sed adhuc in fumo est, et Deo gratias nondum in flammam eluxit. Inter vos, domine, et filium vestrum, dominum nostrum imperatorem, verbotenus adhuc aliquid perturbationis est. Timendum valde et metuendum, ne verba verbis obviantia sua collisione flammam tandem excutiant, quae se latius diffundat in sacerdotio et regno, quod Deus avertat. Ipse filius vester, sicut nostis, dominus noster*[h] *est, vos autem, quomodo Christus, magister et dominus. Nemo nostrum audet dicere hinc vel inde, cur hoc facitis aut dicitis. Optamus tantum et rogamus ea quae ad pacem sunt. Quodsi liceret salva reverentia verba singula trutinare et rationem singulorum exigere, in insipientia dico, non, ut arbitror, expediret, quia potius ignis sine mora discutiendus est, quam de igne qua de parte venerit disceptandum. Supra me esse scio, quae loquor, sed in simplicitate cordis mei coram eo qui super omnes et secretorum est conscius haec loquor, et ex quo coepi semel, loquar adhuc vobis confidenter tanquam patri et domino. Omissis illis quae aliter et aliter secundum varias auditorum et interpretum mentes possunt accipi, dignetur ex integro scribere vestra paternitas placide ac benigne filio vestro, domino nostro imperatori, et ad se paterno affectu eum revocare promptum ad exhibendam vobis omnem reverentiam. Samuel*[i] *David suum amplectatur, nec dimittat a se separari, ut nulla scissura chlamydis*[k] *fiat, quatenus Deus honoretur et ecclesia catholica tranquilla devotione laetetur.*

21. Interea cum de curia optimatum ad singulas civitates bini vel plures pro constituendis potestatibus et consulibus a principe destinati fuissent, contigit Reinaldum[l] cancellarium et Ottonem palatinum comitem de Baioaria, saepe iam memoratos, comitemque Gozwinum ad civitatem[m] Mediolanum[n] devenisse[98], id negocium in ea civitate, sicut et in caeteris, iussos promovere. Populus ergo in seditionem conversus, ad domos ubi legatos manere suspicabantur mox procurrere, contumeliosa et superba perstrepere, lapidibus aliisque missilibus crepitare. Nec ab eo tumultu vel comes Blanderatensis, qui et ipse affuit, vel reliqui nobiles eos avertere poterant. Nam et in ea civitate et pene in aliis Italiae urbibus non procerum sed vulgi[o] motus haec cuncta sequuntur[p]. Id ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum novarum rerum, quieti et ocio adversum. Aliquantae etiam nobilitatis parti, studio talium rerum incitatae, tumultus ipse et res novae satis placebant. Legati ergo, quorum quidam intra muros urbis erant, improviso[q] metu

a) de verbis 11. b) sapientiae 11. c) inport. oportune 11. d) *ita* 1. 2. 4. 6. 11; *edd. vero:* principium, medium finis scilicet vertetur. e) *ita* 1. 2; Ideo neque 6; Ideo ego neque 11. f) Valete *recepi ex* 11. g) scilicet 1. h) noster dominus 6. i) Samuhel 1. k) clamidis 4. l) Reinoldum 1. m) a. c. *add.* 1. 2. 8. 9. n) Mediolanensem 1. 8. 9. o) vulgi — discordiosum *desunt* 8. 9. p) secuntur 1. 2. q) inpr. 1.

97) Ierem. I, 13. 98) ineunte mense Ianuario 1159, ut Ficker, Reinald von Dassel p. 27, ex Ann. Mediol. M. G. SS. XVIII, 367 et chartis probavit.

1159. incerti ignarique quid potissimum facerent, trepidare, cum nec resistere armatis et multis ipsi pauci et inermes possent, et portae ante clausae fugam prohiberent. Comites autem, quos et ipsi magis infensos habebant, extra hospitatos ea res minus terruit, qui sine mora comperto tumultu illaesi intactique recessere. Altero die tam episcopus quam cancellarius, infecto negocio, eos e vestigio subsequuntur[a]. Ita Mediolanenses violata pace, ruptis sacramentis, contaminato foedere, quod etiam apud barbaros legatos ius gentium constituit, defectionis iteratae venenum, quod corde conceperant, quod occultis machinationibus conflaverant, hac temeritate discooperire non verentur.

22. Eodem tempore vel potius hisdem diebus[1] legati[b] Constantinopolitani imperatoris ad curiam venturi fidem publicam expetebant. Namque pro morte Wibaldi[c] abbatis Stabulensis, qui in Graeciam missus ibi vita decesserat[2], sese suspectos haberi metuebant. Nuncii quoque Ludewici[d] regis Francorum et Heinrici regis Angliae, cum post unos mox alii supervenissent, uterque Fridericum in partem ac favorem sui principis inclinare multis verborum delinimentis atque muneribus concertabant. Inter hos siquidem reges ex eo tempore, quo inter Ludewicum et thori sui sociam factum est divortium, eaque praefato Anglorum principi superbis adhaesit nuptiis, sive occasione dirimendorum inter se finium, sive quodam alio latentiore zelo continuae simultates et dissensiones ortae sunt, magnumque sibi credidit auxilium accessisse, quisquis eorum sibi Romani principis conciliare potuisset auctoritatem. Rex quoque Ungarorum fama sola Mediolanensium comperiens temeritatem, honorabiles nuncios et litteratos, magistrum Matthaeum[e] et magistrum Primogenitum, ad curiam destinavit, suos denuo auxiliarios plures quam prius sponte sua principi promittens. Hos singulos et responso prudenti exhilaratos et regalibus donatos muneribus augustus expedivit et ad suos principes remeare concessit.

1159. Febr. 2. 23. Friderico in villa quae vocatur Autimiacum[f] festivitatem luminum[3] celebrante, cum multi ad eum Hesperiae proceres confluxissent, dolos atque crudam Mediolanensium superbiam omnibus notissimam in medium commemorat, exhibens vultum iusti doloris simul et regalis indignationis indicem.

Exclamare, inquit, *cogimur, o proceres, in auribus vestris contra crimen perduellionis, contra scelus laesae maiestatis, in quo civitas impia, gens nequam, populus sceleratus, Mediolanenses dico, iam non semel sed saepenumero deprehensi inveniuntur. Factum ipsum vobis adhuc recens exponerem, si tamen non exinde non solum vestrae verum etiam omnium qui in orbe Romano sunt, aures tinnirent. Iniuria quam nobis, imo vobis et imperio superbia et praesumptio perversissimorum hominum inique ingessit, occulto Dei iudicio eo tendere videtur, ut hi qui in suam et multorum perniciem debacchantur, multorum quoque condempnatione et imperiali auctoritate legumque vigore competenter debeant compesci. Ubi fides illa, quam se Mediolanenses adhuc inviolatam et inter caeteras civitates virginali quadam castimonia inlibatam habere gloriati sunt? Ubi iustitia, quam in conservandis legibus specialiter se hactenus habuisse iactaverunt? Convenient eos modo non nos, sed fides fracta, experientur adversus ipsos sacramenta irrita facta, foedus ruptum, leges legatorum, non solum nobis et vobis, verum etiam barbaris debita integritate et sanctissima reverentia conservandae. Quocirca, si vere ego de vobis audeo praedicare[g] fidem, iustitiam, fortitudinem, abhominationem desolationis, stantem in medio vestrae terrae, quae hactenus larvali quodam terrore omnes concutere sole-*

a) subsecuntur 1. 4. b) legatis 2. c) *ita* 4; Ubaldi 1. 2; Hubaldi 8. d) Lodew. 1. 4. e) Matheum 1; Mattheum 4. f) *ita* 1. 4; Ant. *edd.* g) praedicari 1. 2. 8. 9.

1) Ex iis, quae ad cap. praecedens notavimus, constat, etiam haec initio Ianuarii 1159 evenisse; unde coniiciendum est, Wibaldum tunc temporis iam mortuum, diem supremum anno 1158 obiisse, non 1159, ut epitaphium eius apud Martène Voyage littér. II, 152 verbis *indictione septima* indicare videtur. Qui ibidem adnotatur dies obitualis 19. Iulii etiam a viris doctissimis Erhard, Reg. 1860, et Iansen, Wibald von Stablo und Corvey p. 208, recipitur (cfr. Ampl. Coll. II, 179). Qui l. c. a V. Cl. Erhard laudantur *annales monasterii Stabulenses manuscripti,* exstare deberent inter codices manuscriptos Tabularii Regii Monaster. numero VI, 131, quos tamen ego ibi non repperi. 2) Butelliae in Paphlagonia obiit Wibaldus, secunda functus legatione, quam ipsum post diem 28. Sept. 1157 suscepisse, ex epist. 434. A. C. II. p. 595 evincitur. De prima Wibaldi legatione vide II, 23. 3) Fridericus I, qui die 12. Ianuarii 1159 *apud Ticinum,* i. e. Papiae, fuerat, Böhmer 2412, die 26. Iannarii *apud castrum Aucimianum in territorio Vercellensi* episcopo Taurinensi privilegium concessit, Böhmer 2413, qui locus aperte idem est atque *Autimiacum* Ragewini; num hodie Asigliano in meridie urbis Vercellensis?

bat, respicite, atque communibus viribus communem hostem non tam nostrum quam vestrum 1159. *proterendum assurgite. Consulite Romano imperio, cuius etsi nos caput, vos membra, nobis in hoc negocio, ut libet, vel milite vel imperatore utimini. Deo propitiante, illorum praesumptionem reiteratam*[a] *iterata vindicta eo usque prosequetur, ut*[b], *quod*[c] *in nostram iniuriam et Romani gloriam imperii commiserunt, ea cohertione reprimatur, ne pravis et seditiosis crescat spes, et ne crimen eorum inultum maneat, qui nec vobis veritatem, nec nobis reverentiam et fidem servavere, abusi clementia nostra, abusi patientia, qui pro poenitentia pertinaciam, pro simplicitate duplicitatis confusionem induere non erubuerunt.*

Talia perorantem omnes excepere, ac velut impetu quodam divino incitati alius alium in respondendo ante capere cupiebat, hoc recti consilii arbitrantes, ne quis extremus remanere videretur. Erant ibi absque laicis optimatibus[d] episcopi Eberhardus[e] Babenbergensis[f], Albertus Frisingensis, Conradus Eihstetensis[g], Hermannus[h] Ferdensis, Daniel Pragensis. De ultramontanis Papiensis, Vercellensis, Hastensis, Tertonensis[i], Placentinus, Cremonensis, Novariensis. Qui omnes, dum singuli in perorando[k] singulari favoris studio diverso modo placere voluissent, hanc tamen sententiae unius identitatem per os et facundiam Placentini episcopi proferebant:

24. *Excellentiae vestrae, princeps post Deum nobis karissime, super iniuria Mediolanensium qua decet gravitate et animi indignatione condolemus. Sed quia scimus sinceritatem vestram et animam vestram in hac parte a culpa custoditam, omnipotenti Deo gratias agimus, qui de malis Mediolanensium multa vobis ad gloriam operari poterit, et ex illorum superba crudelitate ac crudeli superbia vestram mansuetudinem, vestram dignissimam humilitatem amplius enitescere procurabit. O cruda superbia, o infelix arrogantia, quae de coelo angelum, de paradiso hominem praecipitasti. Timeo quod et Mediolanensibus haec pestis fatale debeat exitium praeparare. Parum se cavit ab hoc vitio tumoris*[l], *de quo dictum est:* Tu signaculum Ezech. 28, 12. similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore in delitiis paradisi Dei fuisti. *Parum et ille, cui concessum est ex omni ligno paradisi comedere. Tu quoque non magis ac illi, cui et haec et multa alia de illis dicta quadam proportione similitudinis possunt assignari. Ille inter angelos primus et Lucifer appellatus, tu inter urbes Italiae prima, inter orbis una de primis. Ille in delitiis paradisi, tu in delitiis huius mundi nullius indiga fuisti. Ille plenus sapientia et perfectus decore, tu cum multos habeas et sapientes et philosophos, timeo ne illis competenter dicatur:* Et omnis sapientia eorum devorata est. *Novimus maximas civitates et antiquas, Ba-* Psal. 106, 27. *bylonem*[m], *Niniven, bello subactas, factas ad ultimum delubra draconum, habitacula struthionum*[n]. *Tibi certe cras quoque fiet idem, ut nisi resipueris*[o], *in aedibus tuis lugubri voce respondeant ululae, saltent pilosi. Absit tamen hoc, avertat hoc a te Deus. Cupio equidem ego in hac parte potius loqui mendacium, quam verus propheta inveniri. Tibi, serenissimo domino nostro, fideliter suggerendum putamus, ut pro iniuria Mediolanensium officium*[p] *vindictae bonus iudex bono animo studeas adimplere. Nec enim frustra sunt instituta potestas regis, arma militis et ungula carnificis, disciplina dominantis et severitas boni patris. Habent, ut ait quidam, ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. Haec cum timentur, et mali coercentur, et boni quiete inter malos vivunt. Falluntur Mediolanenses, si putant modo in te falli, quod dicitur:*

An nescis longas regibus esse manus? Ov. Her. XVII, 166.

Venisti, et vicisti; nec minus tibi facile est[q] *victos vincere, quam prima fronte rebellantes sine difficultate superasse. Idem tibi imperium, idem corporis et animi robur, eadem militiae virtus, eadem devotio militantium. Solum tibi restat disquirere, qua vindicta, qua poena percellendi sint, qui totiens legibus ac legitimo imperio contradicunt. Quamvis autem extraordinaria poena iure coercendi essent, imperialis clementia hanc moderationem decenter tenebit, ut non sicut illi meruerunt, sed sicut te decet, iniuriam persequaris. Non plus apud te valeat Mediolanensium scelus quam tua dignitas, ne magis irae tuae quam famae, quam iustitiae consuluisse videaris. Nam si digna poena pro factis eorum quaeritur, si magnitudo sceleris ventilatur, novo consilio hoc eget, et ut verum fatear, nostra ingenia exuperat. Quare his adversus eos utendum censeo, quae legibus comparata sunt, bonumque imperatorem et iustum iudicem declarabit cum inimicis ante legibus quam armis decertare.*

Dixerat, eiusque sententiam et augustus ipse et optimates universi commendant.

a) praesumptio reiterata 1. 2. 8. 9. b) *deest* 8. 9. c) *deest* 1. 2. d) obt. 1. 9. e) Everh. 4. f) Babinb. 4; bambergensis 8. 9. g) Eistensis 8. 9. h) Herim. 1. i) *ita* 4; Tortonensis 1. k) *ita* 1. 2. 4. 8. 9; imperatori *editt.* l) timoris 1. 2. m) Babilonem 4. n) strutionum 1. 8. 9. o) respueris 2. p) officia 1. 2. 8. 9. q) *deest* 1. 2.

1159. 25. Itaque proponuntur edicta, iterumque Mediolanenses in ius per legitimas citantur inducias. Die statuta Friderico apud villam regiam quae vocatur Marinca[a.4] commorante, per legatos suos Mediolanenses se praesentant, videlicet per archiepiscopum suae civitatis et per alios quosdam multae quidem eloquentiae sed[b] parvae sapientiae. Unde et archiepiscopus sive vera sive simulata infirmitate societati illorum se subtraxit. Illi autem dum arctius de praestitis sacramentis deque aliis pacis pactionibus, de foedere violato conveniuntur, cum aliud non potuissent, responderunt: *Iuravimus quidem, sed iuramentum attendere non promisimus.* Digna responsio, ut moribus oratio consonaret, et qui prave ac perfide vivere et facere consueverant, aliter ac perfide et prave loqui non potuissent, ut vitam flagitiosam sermo inlotus comitaretur. Cumque haec et alia multa vitio procacitatis verba protulissent, infecto pacis negocio discedunt, aliusque illis dies praefigitur.

26. Inter haec videns imperator Mediolanensium superbiam non nisi in manu gravi et forti posse compesci, cum, ut supra memoravimus, dimisso exercitu ipse cum paucis remansisset, auxilia ultramontanorum contra reprobam civitatem accienda reputavit. Itaque missis nunciis imperatricem advocat, et ducem Baioriae Heinricum aliosque tam episcopos quam proceres imperii, commonens eos fidelitatis suae, ne desertores regni pro tanta temeritate de impunitate laetentur, velle se probare ipsorum benevolentiam circa statum imperii conservandum impetumque inimicorum cohibendum. Illi accepta legatione, alacri animo se ad novam in proximo vere accingunt expeditionem.

27. Inter haec Fridericus nichil apud se remissum, nichil apud hostes tutum pati. Impigre prudenterque suorum et hostium res pariter attendere, explorare, quid boni utrinque aut contra esset. Itaque dimisso exercitu, cum paucis territoria provinciae circuit, militem novum et auxiliarios[c] percensuit, castella et munitiones, utpote Verrucam[d], Serra longa, Lou[e] et caetera quae in terra illa magis inexpugnabilia nec aggressione facile capi videbantur, suscepta, in discrimen hostium et ad suorum praesidium sapienter providit. Novam
Febr. 25.– April. 11. Laudam toto tempore quadragesimae summo studio communit[5], vallum immensum extruit, portas et propugnacula disponit. Opportunum ratus futuri belli negociis, si in tam vicina civitate, utpote 20 miliaribus a Mediolano distante, magnam multitudinem bellatorum subito et locare posset et invenire. Deinde usque Cumam progrediens, honorificentissime recipitur, foedus et auxilium poscit et accipit.

28. Est tamen in lacu Cumano insula divitiis abundans, hominibus bellicosis referta, quae nisi valde cruenta victoria a quoquam capi difficile putabatur. Erat autem amica Mediolanensibus et multo tempore per foedus coniuncta. Princeps propter commeatum venientium ad se ac redeuntium optimum ratus eo membro corpus insidiosae civitatis mutilare, concepta spe atque fiducia, insulam se vel sicut hostem infestum contra hostes vel, si hoc elegerint, tanquam benignum imperatorem ad socios et amicos intraturum comminatur. Nec mora, cum paucis quos secum habebat naves ingressus, coepit remigare. Insulani dum principis spiritum simul et audaciam cognovissent, divino quodam timore concussi obviam navigio pergunt, pacem petunt, cum magno plausu et alacritate venientem excipiunt, fidelitatem iurant, muneribus honorant. Satisque fidelis in posterum nobis gens illa reperta est. Idque prospectum singulari consilio principis, ut homines illi insulani feri ac piratica[f] rabie assueti, in tam strictis viarum faucibus usui et opportunitati nostrorum recuperarentur. Quid amplius mirandum in hac victoria? An principis magnanimitas? quod tantam rem hoc modo attemptare non metuit, an felicitas? quod rem[g] adeo periculosam sine periculo devicit. Sed utrumque mirabile, quod et aggredi ausus, et quod tanta felicitate ac facilitate[h] gloriosum complevit triumphum. Simili modo apud Placentiam factum est, quae et ipsa Mediolanensibus confoederata, propter diversas causas invisa videbatur, et defectionis opinionem dudum incurrerat. Unde etiam, ut supra memoravimus, iure possessionis iussi fuerant vallum replere turresque deponere, ut minitando magis quam puniendo

a) *ita* 1. 4. 8. 9; Marnica *edd.* b) *add.* 1. 2; *deest* 8. 9 *et edd.* c) auxiliaros 1. d) Uerucam 8. 9. e) *deest* 1. 2. 8. 9. f) pyrat. 4. g) *add.* 1. 2. 8. 9. h) ac facil. *desunt* 1. 2. 8. 9.

4) hodie Marengo, in meridie Alexandriae, vicus pugna illa die 14. Iunii a. 1800 commissa celeberrimus. Erat ibi imperator Fridericus diebus 15. et 22. Februarii 1159. testibus duabus chartis datis *apud Maringhum,* Böhmer 2415. 2416. — Etiam Muratorii editio Gestorum SS. VI, 807 loco *Marinca* falsam hucusque receptam lectionem *Marnica* exhibuerat. 5) Haec confirmantur Friderici charta data *Laude* die 23. Martii 1159, Böhmer 2418.

reprimerentur perturbandae çivitatis auctores. Eodem quoque tempore egressi fuerant de 1159. Placentia latrunculi, et nuncios principis, qui de Genua promissam ferebant pecuniam, circiter 500 talenta, ex insidiis circumvenerunt, et memoratam pecuniae quantitatem deripuerunt. Ob haec et alia fraudis experimenta cum eos, sicut indubitanter rerum novarum cupidos, augustus suspectos haberet, cum paucis tamen sine pavore civitatem[6] ingreditur. Dominicam palmarum debito festo peragit, caeteraque quae ibidem agenda[a] fuerant con- April. 5. grue ordinavit, pecuniamque direptam vix a civibus exoratus, recepit.

29. Anno dominicae incarnationis 1159. Fridericus pascha apud Mutinam celebravit, April. 12. festoque terminato, in territorium Bononiense, ubi tunc manebat exercitus, demigrans, adventu suo universos laetificavit. Nempe a die quo cinis super capita fidelium poni solet, Febr. 25. usque tunc semel tantum ad exercitum venerat, supradictis negociis occupatus. Dimiserat tamen loco suo venerabilem virum Eberhardum Babenbergensem episcopum, qui venientes et negocia habentes audiret, causasque eorum diligenti examinatione terminaret. Erat enim idem episcopus religione et scientia praeditus vitaeque purioris institutionibus instructus. Cumque ad fidem imperii et honorem prae caeteris diligentiam habere[b] cognitus esset, apud quam plurimas terras opinio de eo celeberrima pervulgata est. Eiusque studium circa scripturae sensus ac quaestionum discussionem tam attente versabatur, ut inter praelia commanens diversas emergentes[c] curas earum sedula meditatione solaretur. Cum autem omnes episcopos seu cuiuslibet ordinis ecclesiastici viros imperator diligeret eosque ampliori honore dignos duceret, specialiter tamen memorati viri, sicut prudentissimi, nitebatur[d] consilio, eumque dignum aestimavit, in cuius arbitratu et discretione operas suas locaret et onus simul ac honorem communicaret.

30. Iam dies aderat, quae Mediolanensibus tertio vel quarto praefixa fuerat. Tum imperator convocatis iudicibus et legis peritis, qui in ea civitate frequentes aderant, citari iubet Mediolanenses. Cum autem nemo compareret qui absentiae illorum causam rationabilem ederet, tanquam contumaces, rebelles et imperii desertores severitatis sententiam excipiunt, hostes pronunciantur, res eorum direptioni, personae servituti adiudicantur[7]. Eiusque rei occasione in audientia principis satis disputatum est luculenterque expressum, quae poena excipere debeat, qui defectionis aut laesae maiestatis rei forent deprehensi. Praeter alios principes, nobiles atque sapientes interfuere huic collationi et negocio sedis apostolicae legati, videlicet Octavianus tituli[e] sanctae Ceciliae presbyter cardinalis, Heinricus tituli[e] sanctorum Nerei et Achillei, Willehelmus[f] cardinalis diaconus, antea Papiensis archidiaconus, et Gwido Cremensis diaconus cardinalis, missi a papa Adriano, quorum itineris causas simulque nunciorum senatus populique Romani rescriptum litterarum venerabilis viri Eberhardi Babenbergensis[g] episcopi subter annotatum continet, quod tale est:

Reverentissimo patri et domino Eberhardo, Salzburgensis ecclesiae archiepiscopo, Eberhardus Babenbergensis[h] gratia Dei si quid est, cum oratione qualicunque servitium devotissimum. Scio, pater sanctissime, sacrae pietatis affectu vos compati meis[i] laboribus et animae mihi salutem et corpori quietem concupiscere. Ut autem noveritis, quoad compati vos mihi oporteat, dico vobis, quod iam taedet animam meam vitae meae, duo ferens onera in animo meo mihi[k] gravissima, quod et cinctus ducor quo nolo, et quamdiu durare debeat ignoro, vestris et aliorum fidelium orationibus adiuvari desiderans, ut ab illis separer quibus iuravit Dominus in ira sua: Si introibunt in requiem meam. *Super haec tempora periculosa instare* Psal. 94, 11. *videntur, et[l] prope est, ut inter regnum et sacerdotium moveatur discordia. Et quidem cardinalibus a domno papa ad domnum imperatorem transmissis, domno videlicet Octaviano et domno Willehelmo[m] quondam Papiensi archidiacono, post lene principium et ingressum quasi pacificum capitula durissima proposita sunt, verbi gratia:* Nuncios ad Urbem ignorante apostolico ab imperatore non esse mittendos, cum omnis magistratus inibi beati Petri sit cum universis regalibus. De dominicalibus apostolici fodrum non esse[n] colligendum, nisi tempore suscipiendae coronae. Episcopos Italiae solum sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere domno imperatori, neque nuncios imperatoris in palatiis episcoporum[o] recipiendos. De possessionibus ecclesiae Romanae restituendis, et tributis[p] Ferrariae[q], Massae,

a) *ita* 1. 2. 8. 9; perag. *edd.* b) *deest* 1. c) *ita* 1. 2. 8. 9; et ingentes *edd.* d) utebatur 2. e) *deest* 6. f) Willib. 6 *semper.* g) Babinb. 4 *semper.* h) Babinb. 1. i) meis comp. 6. k) *recepi ex* 1. 2. 6; *deest* 8. 9. l) *deest* 6. m) Willelmo 4. n) non esse fod. 6. o) *deest* 6. p) restituendis tributa 1. 6; restituendis tiburci 8. 9; *omisso vocabulo* et. q) Ferariae 1.

6) Placentiam. 7) die 16. April. 1159, v. Raumer II, 118.

1159. Ficorolii[a. 8], totius terrae comitissae[b] Mathildis[c], totius terrae quae ab Aquapendente est usque Romam, ducatus Spoletani, insularum Sardiniae, Corsicae. *Domno autem imperatore super his iusticiam et consilium constanter[d] offerente, si et ipsi iusticiam vellent facere et[e] recipere, illis vero recipere tantum volentibus et non facere[e], hac ratione, quod domnum apostolicum causae[f] subicere ac iudicio sistere non possent, et e contrario domno imperatore multa proponente[g] de rupta concordia, quae in verbo veritatis sibi compromissa fuerat, de Graecis, de[h] Siculo, de Romanis sine communi consensu non recipiendis, de cardinalibus quoque sine permissione imperiali libere per regnum transeuntibus et regalia episcoporum palatia ingredientibus et ecclesias Dei gravantibus, de iniustis appellationibus et caeteris quam pluribus brevitatem superantibus, cum apostolicus per nuncium et litteras cardinalium praedictorum ex consensu imperatoris submonitus, cardinales alios ad haec omnia complananda requisitus, his qui aderant nunciis suis et curiae principibus nollet adiungere, unitatis et concordiae verbum diu[i] desideratum, peccatis nostris exigentibus, evacuatum est. Et dum haec agerentur, nuncii Romanorum supervenientes et ea quae pacis sunt rogantes, bene recepti ac dimissi sunt. Rogatu tamen cardinalium domnus imperator nuncios ad domnum papam et ad Urbem missurus est, ut cum apostolico, si ipse[k] voluerit, primo loco pax fiet, sin autem, cum senatu et populo Romano. Domnus[l] imperator in magna est gloria, domnam imperatricem et ducem Baioariae[m] et Saxoniae cum aliis superventuris principibus et copiis exercitus expectans, et quosdam ex melioribus de Mediolano et Brixia in vinculis retinens. Valete[n].*

Imperator[o] ad haec verba cardinalium tale dedit responsum[9]: *Quamvis non ignorem, ad tanta negocia non ex animi mei sententia sed ex consilio principum me respondere debere, sine praeiudicio tamen sapientum hoc absque consultatione respondeo. Episcoporum Italiae ego quidem non affecto hominium, si tamen et eos de nostris regalibus nichil delectat habere. Qui si gratanter audierint a Romano praesule: „Quid tibi et regi"? consequenter quoque eos ab imperatore non pigeat audire: „Quid tibi et possessioni"[10]? Nuncios nostros non esse recipiendos in palatiis episcoporum asserit. Concedo, si forte aliquis episcoporum habet in suo proprio solo et non in nostro palatium. Si autem in nostro solo et allodio sunt palatia[p] episcoporum, cum profecto omne quod inaedificatur[q] solo cedat[11], nostra sunt et palatia. Iniuria ergo esset, si quis nuncios nostros a regiis palatiis prohiberet. Legatos ab imperatore ad Urbem non esse mittendos affirmat, cum omnis magistratus inibi beati Petri sit cum universis regalibus. Haec res, fateor, magna est et gravis graviorique et maturiori egens consilio; nam cum divina ordinatione ego Romanus imperator et dicar et sim, speciem tantum dominantis effingo, et inane utique porto nomen ac sine re, si urbis Romae de manu nostra potestas fuerit excussa.*

31. Haec augusto et his similia praefatis capitulis argute respondente, consilium initur, ut ex parte summi pontificis cardinales sex et ex parte principis sex episcopi religiosi, prudentes et qui Deum timeant, eligantur, tantorum negociorum hinc inde cognitionem accepturi tantamque litem congruo fine decisuri. Verum, ut supra taxatum est[r], ex parte Romanorum etiam hoc consilium[s] dicitur fuisse evacuatum. Super hoc quoque[r] capitulo audi epistolam imperatoris directam Eberhardo Salzburgensi archiepiscopo in hunc modum[12]:

Quandoquidem[t] fidelitatis tuae constantiam, quam pro consuetudine exhibere soles imperio, frequenter experti sumus, quae apud nos sunt, discretioni tuae significamus, et prudentiae tuae consilium advocamus. Venerunt siquidem ad nos duo cardinales a papa missi ad hoc, ut inter nos et illum fieret concordia. Dixerunt igitur, quod papa[u] illam requireret pacem atque concordiam, quae inter papam Eugenium et nos facta fuerat et scripta[13]. Nos respondimus, quod pacem quidem inviolabiliter huc usque tenuissemus, de caetero autem neque eam tenere, neque ea teneri vellemus, quoniam[v] ipse prior eam violasset[w] in Siculo, cui ipse sine nobis reconciliari[x] non debuisset. Adiecimus tamen, quod omnem iusticiam dare et accipere parati essemus sive secundum humana sive secundum scripta divina. Si vero iusticia gravis videretur,

a) *ita* 1. 2. 6. 8. 9; Ficorolu 4. b) cometissae 1. 8. c) Mahtildis 1. d) const. et consilium 6. e) et — facere *desunt* 1. 2. f) *deest* 1. 2. 6. 8. 9. g) preponente 6. h) et de 1. 2. i) đus 4. k) subse 1. l) Dominus — retinens *desunt* 6. m) Bawarię 1. n) *deest* 2. o) Imperator — differas *p.* 463 *l.* 13 *desunt* 8. 9. p) palatia sunt 6. q) *ita* 1. 2. 6; aedif. *edd.* r) *deest* 6. s) consilio *corr.* 1 *eadem manu* consilium. t) Quoniam quidem 6. u) propter 1. 2. v) *ita* 1. 4. 6; quomodo *edd.* w) viol. eam 6. x) reconciliare 6.

8) Figheruolo. 9) Legg. II, 115. 10) Gieseler Kirchengesch. II, 2. p. 85 in hoc loco provocat ad Augustini in Iohannem tractatum apud Gratianum dist. VIII. c. 1. 11) Monente Gieseler l. c. haec referenda sunt ad Digest. lib. XLI. tit. I. leg. 7, 10. 12) Legg. II, 115. 13) die 23. Martii 1153. Constantiae, Böhmer 2322. Legg. II. p. 92.

1159. *consilio principum et religiosorum virorum[a] pro amore Dei et ecclesiae libenter nos supponeremus. Placuit verbum nostrum cardinalibus. Dixerunt tamen, nisi[b] prius cognita papae voluntate super hoc se nihil[c] posse vel audere. Missis nunciis verbum nostrum cognovit papa, mandavitque sicut prius, aliam se nolle concordiam quam illam quae inter papam Eugenium et nos facta fuisset. Nos supradicto modo hoc recusavimus, et in praesentia et testimonio[d] omnium Teutonicorum et Longobardorum episcoporum et laicorum principum et baronum et vavassorum omnem iusticiam atque[e] consilium obtulimus, ut et[f] nos acciperemus iusticiam. Praesentes ibidem fuere Romanorum civium legati, qui cum indignatione mirabantur super his quae audierunt. Mandavit enim papa[g] nova et gravia et nunquam prius audita, quae sine consilio tuo et aliorum fidelium imperii pertractari non possunt. Haec discretioni tuae communicavimus, ut, si qua tibi super his occurrerint, nosse veritatem non sit inutile. Rogamus etiam, ut, si necesse fuerit et nos tibi mandaverimus, ad nos pro tanto negocio venire non differas.*

32. At Mediolanenses novarum turbarum non iam in occulto sed apertissime tale sumunt principium. Nondum finita solennitate paschali, omnibus copiis suis adunatis, egressi Apr. 12. sunt, oppidum Tretium[h], ubi Fridericum iam in priori adventu milites suos locasse memoravimus[14], vi capere properantes, quoniam perniciosa videbatur obsidio, principe intra provinciam existente. Iam enim intra civitatem cupidine castri potiundi machinas aliaque quae incepto usui forent praeparaverant. Ita conatus eorum et delicta occultiora fuere. Quae postquam ex sententia instruunt, de improviso[i] cum magna multitudine oppidum circumveniunt, ac quidam eorum murum modo suffodere, modo scalis aggredi cupere, pars eminus glande aut lapidibus seu iaculis pugnare. Milites Romani tumultu perculsi, arma alii capere[k], pars territos confirmare, quidam in proximos saxa devolvere, tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati, si Ligures propius accessissent. Omnia aspera, omnia foeda, atrocitate utrinque praeliantium periculum anceps, victoria primo in incerto erat; per totum enim[l] triduum continue pugnatum est. Verum enim vero castellani die nocteque[m] vigiliis, ieiuniis laboreque fatigati, impetum hostium diutius sustinere non poterant, cum hi per vices et successiones alter alteri laboranti succurreret, istorum vero nullus loco, quem uti defenderet acceperat, cedere potuisset. Defessis itaque omnibus et exhaustis atque languidis, ubi locum hostibus introeundi dederunt, Ligures cuncti irrupere[n], oppidani universi vel occisi vel capti. Porro in suos proprios gentiles, quos ibidem reperere, ante quam in nostros insaniebant, nec ulla fuit eis in conlatinos miseratio. Nostri autem ob imperatoris reverentiam seu metum captivati servati sunt circiter octoginta milites de regia clientela. Sed nec hosti triumphanti usquequaque laeta cessit victoria, quam pluribus ex illis caesis et lethali[o] vulnere sauciatis. Ita Tretium, Mediolanensium prius municipium, ab ipsis captum, crematum et funditus destructum est.

33. Haec audiens Fridericus, paulisper moestus iram cohibuit, indignationem dissimulavit, impetum militum continuit. Curiam autem ante indictam[p] apud Roncaliam gloriose celebravit, et ibidem copiosam multitudinem bellatorum collegit. Deinde cum maxima cura ultum ire iniurias festinat, et toto apparatu, toto[q] exercitu in Liguriam irruit, agros inflammat, vastat, vineas demolitur, ficus exterminat, omnesque fructiferas arbores aut succidi aut decorticari praecepit, totamque regionem depopulatur, statuens non ante obsidere civitatem, quam penuria necessariorum affligerentur. Aut enim tunc inopia victualium coactos ultro[r] supplicaturos, aut si ad finem usque in eadem pertinacia duravissent, obsidione inclusos fame consumendos vel ad deditionem cogendos arbitrabatur, multoque faciliores ad affligendum fore, si post intervallum temporis iterum atque iterum anxius incubuisset. Itaque omnes eorum exitus asservari praecepit, frumenti aliarumque rerum eis auferens commercium, edictumque proposuit, qua poena ferirentur transgressores, quove praemio donari debuissent, qui venditores harum rerum proderent. Mediolanenses autem omnium rerum tametsi copiam intus habebant, metu tamen futurae obsidionis vehementius afficiebantur, et cum iam cibaria ipsa ad modicam mensuram venderentur, ampliorem eis cupiditatem movebat, quod ius edendi liberum non haberent, ac velut omnia defecissent, aegre

a) *recepi ex* 1. 2. b) ne 6. c) nil 1. 4. 6. d) et sub test. 6. e) sive 1. 6. f) *ita* 1. 2. 6; et ut *edd.* g) *deest* 6. h) Trecium 4. i) inprovisu 1; improvisu 2. k) cupere 1. 2. l) vero 1. 2. 8. 9. m) *ita* 1. 4. 8. 9; noctuque *edd.* n) erumpere 3. 4—7. o) letali 1. 4. p) *ita* 1. 4; antedictam 8. 9 *et edd.* q) *deest* 1. 2. r) *ita* 1. 2. 8. 9; ultra *edd.*

14) supra III, 30.

1159. ferebant. Interdum quoque assumptis secum bellatoribus, imperator usque ad civitatem profectus est, aestimans eos aliquid ausuros, quo vel publico congressu eos protereret, si contra venissent, vel si excurrere attemptarent, item a calamitate alieni non remanerent. Quod et factum est; nam inconsulte ad ostentationem suarum virium egressos facto in eos impetu praevenit, compluresque ex eis cepit et occidit.

34. Cumque super tali negocio imperator cum exercitu ultra Mediolanum processisset, Mai. 31. Mediolanenses cum 500 equitibus occulte ad novam Laudam in die sancto pentecostes venientes, praedam pecorum abegere[a]. Episcopo vero Mantuano Carsidonio et marchione Garnerio de Ancona cum sufficiente militia eos insecutis, cum audissent voces clamosas paucissimorum Alemannorum, Mediolanenses territi et in fugam versi, quosdam occisos, 16 captos de suis melioribus ibidem perdiderunt. Iuste autem eos divina[b] ultio persecuta est, ut qui sanctissimo diei debitam reverentiam et honorem exhibere contempserunt, ipsi cum dispendio atque dedecore reverti cogerentur. Quadraginta continuis diebus terram hostium vastatio tenuit, interque caeteras arces, turres[c] et munitiones, quae vel opere vel natura munitae erant, quoddam castrum, quod Mons sancti Iohannis vocabatur, usque ad id tempus inexpugnabile habitum, obsessum et brevi tempore captum est. Paulatim igitur reprobo capiti propria membra in tantum mutilata sunt et praecisa, ut inter multa oppida et plurima castella vix duo tunc ipsis residua remanserint.

35. Hisdem diebus Brixienses, et ipsi quoque novis rebus studentes, comitatum Cremonensium depraedationis et latrocinandi causa ingrediuntur. Erant quippe Mediolanensibus amicitia et societate coniuncti. Iam autem antea Cremonenses praemoniti a suis exploratoribus non imparati inveniuntur, sed ex insidiis erumpentes improvisos invadunt. Resistentes paulisper mox in fugam vertunt, praedam eripiunt, equites 67, pedites fere 300 partim occidunt, partim captivos abducunt. Imperator post vastationem hostium Laudam pergit, ibique[15] Italicum exercitum dimittit, copias militum, qui de transmontanis expectabantur, ibidem praestolaturus.

36. At[d] clades quidem Mediolanensium in peius quotidie procedebant, cum in facinus magis accenderentur adversis, et populum in urbe fames iam acrior possideret. Non enim spe victoriae maior pars eorum[e] sed desperatione salutis ferocius movebantur, nec eos videntes tot mala coepti poenitebat, sed caeci et amentes facti, etiam in personam christianissimi principis ausi sunt conspirare, obliti, quod iuxta legem eius facti poena animae amissionem sustinet et memoria rei post mortem dampnatur. Itaque quendam, qui se stultum et mente captum simularet, inveniunt, eumque ad castra Friderici dirigunt, qui tunc apud Laudam morabatur, ut quovis modo violentas manus imperatori iniceret. Erat autem hic homo tam magnus corpore tantusque viribus, ut non sine causa tantam audaciam concepisse videretur. Animatus itaque multis blandimentis multisque promissionibus ad novum facinus, ad scelus maximum accingitur. Laudam pergit, castra ingreditur, et stultitiam seu furiam maniae simulans, ut id genus hominum solet, potius iocis et ludicris celebratur, quam a tentoriis excludatur. Porro tentoria Friderici tunc vicina fuerant et pene super litus Aduae locata, cuius loci ea facies isque situs erat, ut labentem inevitabiliter aut convexum obrueret praecipitium, aut subter labentis fluminis vorago esset exceptura. Praefatus ergo diem aptum et horam servans, quando imperatorem solum posset invenire, ut conceptum[f] facinus ad effectum perduceret, quodam mane primo diluculo egredientem de cubiculo tentorii, ut more suo coram sanctorum reliquiis orationum suarum Deo munia persolveret, conspicatur, seque optatum tempus ratus adeptum accurrit, scelestas manus inicit, et modo trahendo, modo portando versus praecipitium contendere coepit, potitusque esset forsitan nefario proposito, nisi divina miseratio ad defensionem divi principis manum extendisset. Namque dum hoc modo ille trahendo, iste renitendo, uterque pro viribus conaretur, accidit ut funibus quibus tabernacula suspenduntur implicati ambo caderent ad terram. Iamque vociferantis principis clamor auditus cubicularios exciverat, qui accurrentes sceleratum monstrum comprehendunt, et multis plagis[g] affectum eodem loco praecipitatum dimergunt. Talis[h] de illo tunc opinio fuerat. Nos tamen audivimus, eundem vere furiosum fuisse et innocenter vitam perdidisse.

a) abigere 1. 2. 8. 9. b) divina eos 2. 4. 8. 9. c) *deest* 1. 2. d) Et 1. 4. 8. 9. e) *deest* 1. 2. f) concepto 1. 2. g) *ita* 1. 2. 8. 9; malis *edd.* h) Talis — perdidisse *desunt* 8. 9.

15) Die 30. Iunii 1159 *apud novam Laudam* erat, teste charta ap. Böhmer 2421.

37. Mediolanenses tantum se facinus frustra suscepisse dolentes, subsequenter aliud 1159. intendunt. Octo de suis precio ad cremandam Laudam conducunt. Quorum unus dum nocte intempesta promissum implere vellet, ac aedibus ignem iniecisset, invenerunt eum vigiles, et comprehensum, dum propositum confessus fuisset, mane facto eum patibulo contra Mediolanum erecto suspenderunt. Quidam etiam se mentitus monachum, explorator et eorundem criminum obnoxius, simili modo vitam finivit. Non multo post a quodam divino monitore litteras imperatori allatas accepimus, quendam venisse in Italiam sive Hispanum sive Arabem Saracenum, aetate senem, facie deformem et luscum, discipulos vel socios pene 20 habentem, malis consiliis et arte veneficia prioribus multo potentiorem, eumque mortis contemptorem, pariter cum suis sequacibus magnum se munus consecutos arbitrantes, si gloriam et nomen sibi perpetuum principis sanguine comparassent. Preciosa ipsum quasi munuscula laturum, medicinas, anulos, gemmas, frena, calcaria, venenatis furfuribus circumlita, adeo violenter et efficaciter toxicata, ut mortem non evaderet imperator, si vel manu nuda ea attigisset. Sicam quoque latentem iuxta femur gestare, ut si quo impedimento veneni facinus non procederet, ea ad peragendum nefarium propositum uteretur. Talibus acceptis, cum perpaucis communicato consilio, venturum magum iubet observari. Venientem ergo, ubi certis indiciis quae delata erant princeps vera esse cognovit, hominem asservari praecepit, et perquirens cuius hortatu ad tantum facinus esset praecipitatus, promisit quod vera dicenti remitteret omne supplicium, sin falsa promere maluisset, corpus eius tormentis absumeret. Ille et verbera et quaestiones deridens, insuper comminatus est, si quid ipse mortale pateretur, imperatorem continuo sine dubitatione secum moriturum. Sed deceptus valde est. Nam princeps minas eius contempnens, cum de sociis et auctoribus sceleris nullum ab eo potuisset extorquere documentum, tantam pestem tantique sceleris fabricatorem, sicut meritus erat, crucis patibulo donavit. Deoque salutis conservatori uberes gratias egit, quod tam validi malefici virus et insidias declinasset.

38. Interea[a] Beatrix imperatrix, dux Baioariae[b] et Saxoniae Heinricus et[c] Conradus Augustensis episcopus, uti decretum erat, milites scribere, propere commeatu, stipendio, armis aliisque utilibus iter incipere. Profectique cum magno exercitu paucis diebus in Italiam veniunt, suoque adventu nostris laetitiam, hostibus metum incutiunt. Erat enim idem[d] princeps filius, ut supra dictum est, Heinrici ducis et Gertrudis[e] filiae Lotharii imperatoris. Qui a primis cunabulis patre et matre orbatus, ubi primum[16] adolevit, pollens 16 viribus, decora facie, sed multo maxime ingenio validus, non se luxui neque inertiae corrumpendum, sed, uti mos Saxonum[17] est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare, et cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus esset[18], eius studium, ut de quodam dicitur, modestiae, decoris, sed maximae severitatis erat. Cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. Esse quam videri bonus malebat. Ita quo minus appetebat gloriam, eo magis illam assequebatur. In omnibus gloriosis plurimum facere, et minimum ipse de se loqui. Is recepto[f] ab imperatore, ut supra dictum est, ducatu Baioariae[g], ubi naturam et mores hominum cognovit, multa cura, multo consilio in totam claritudinem brevi pervenerat, ut treuga per totam Baioariam firmata, bonis vehementer carus, malis maximo terrori esset, adeo ut absentem velut praesentem timendo, leges pacis quas sanxerat, nemo sine poena capitis auderet infringere. Qui cum suos milites regiis coniunxisset, in brevi spacio novi veteresque coaluere, virtusque omnium aequalis facta est. Nam et non multo post avunculus imperatoris, Gwelfo princeps Sardiniae, dux Spoleti, marchio Tusciae et ipse novum adducens exercitum, cum multo apparatu advenit, suoque adventu nostris spem triumphi, adversariis fiduciam paciscendi donavit. Ita duo viri sanguine coniunctissimi, utpote unus eorum alterius fratris filius, diversis inter se virtutibus certabant. Gwelfo dando[18*], sublevando, ignoscendo, dux Heinricus severitate et malorum pernicie gloriam adeptus est. Illius facilitas, huius constantia laudabatur. Gwelfo negociis amicorum intentus, sua negligere, nihil denegare quod dono dignum esset, magnas potentias affectabat, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus

a) Interea enim 8. 9. b) Bauwarie 9. c) *add.* 1. 2. d) isdem 1. 4. e) Gerdrudis 1. 4. f) decepto *corr.* 1 recepto. g) Bawariae 1.

16) Sequentia a *primum* adolevit usque *severitatis erat* fere verbotenus ex Sallustii Bell. Iugurth. c. 6. transscripta sunt. 17) *gentis illius* Sall. l. c. 18) Cf. Sallust. Catilina c. 54. 18*) Cf. ibid.

1159. enitescere posset. At dux Heinricus, studium modestiae decoris praetendens, non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed pro pacis negociis absens simul praesensque 19 pugnabat. Ita memoria[19] nostra ingenti virtute, diversis moribus fuere hi viri duo, dux Heinricus et dux Gwelfo, quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem, valdeque iocundum, ut in his duobus clarissimis viris nostra tempora suum Catonem in uno, in altero suum Caesarem invenissent. Redeo autem unde digressus sum.

39. Cremonensium cum Mediolano discordia perpetua utrosque adeo urgebat, ut hostiliter sibi invicem incubantes, non ante manus ab armis reducendas putarent, quam vel una alteram prorsus absumeret, vel superior saltem inventa superaret. Freti ergo tunc opportunitate temporis Fridericum ad destructionem Cremae civitatis hortantur, promissis 11 milibus talentorum. Huius rei tali occasione sumunt exordium. Crema cum esset de comitatu et diocesi[a] Cremonensium eiusque ecclesiae tam in spiritalibus quam in secularibus regenda foret arbitrio, spontanea se temeritate a suo capite abruperat, et, quod nefas erat, hostibus sociata, cum Mediolanensibus filia matri rebellare coeperat. Super hoc scismate conventa coram principe, nec citatione legitima[b], nec vadibus quos dudum dederat, cogi poterat, ut adversum se experientibus iudicio sisti curarent. Qua de re pro absentiae contumacia ac contumaci absentia contra se sententiam tristem excipiunt, hostesque iudicantur.

40. Collecta ergo valida manu augustus, ita quod exercitus eius eas copias, quas in obsidione Mediolani habuerat, superare videretur, partem unam cum Cremonensibus contra Cremam dirigit, ipse cum reliquis iterum ad depopulandos Ligures agrum Mediolanensium ingreditur, et cum militia Alemannorum terram totam pervagatur hostilem, completumque est et ibi illud quod dicitur: *Residuum locustae comedit brucus, et residuum bruci comedit eruca.* At Cremonenses cum auxiliariis et magnis copiis ad oppugnandam Cremam venientes, acriter civitatem obsidione vallant[19*], summis viribus impugnant. Oppidani fortiter resistunt de muris, et ante muros equis, et ad terram valide certatur. Ibi Garnherus[c] marchio Anconae[d] magnam viri fortis in ea pugna gloriam consecutus, de nostris occiditur. Alii quoque quam plures tam de nostris quam de illis ibidem aut occiduntur aut graviter sauciantur. Erat autem Cremae situs in loco plano et campestri, opere et manu satis liberaliter accuratus, naturae beneficio in quadam sui parte paludoso se defendens ambitu. Caeterum praeter fossata ingentia et profunda, aquis plena, duplici muro excelso circumdata, omnes aditus et assultus facile arcere valuit. Cives civitatis bellatores audacissimi, et quia cum suis contubernalibus, videlicet Mediolanensibus et Brixiensibus[e], secundis rebus propensius usi, in atrocitatem, insolentiam ac arrogantiam irritati. Circumvallata itaque civitate, hostium excursus diligenter custodiebantur, et machinae aliaque ad oppugnationem profutura sedula praeparatione disponuntur.

Ioel 1, 4. (margin note at "pletumque est et ibi illud quod dicitur")

41. Cumque haec apud Cremam agerentur, nuncii de nobilioribus Romanae urbis ex parte senatus populique Romani ad curiam veniunt, omni devotione omnique reverentia suum promittentes obsequium. Rogare ne pro iniquitate paucorum malorum et de plebe multos bonos et nobiles velit pessumdare; se esse quorum occasione acceperit, ut imperator Urbis et Orbis nominetur. Fridericus[f], pro eo[g] quod in priori expeditione severius cum illis egerat, indulgentius eorum accepta legatione, benignum illis dedit responsum, et per aliquot[h] dies secum commoratos, regaliter donavit et absolvit, mittens cum eis legatos Ottonem saepe iam dictum palatii comitem[i] et magistrum Haribertum Aquensem praepositum, virum prudentem et in negociis regni longa eruditione exercitatum, dans hoc in mandatis, ut et ea, quae cum populo Romano seu de stabiliendo senatu seu de recipiendo praefecto agenda forent, terminarent, et cum Romano pontifice, si is[k] hoc eligeret, de praenotatis capitulis finem facerent et concordiam stabilirent. Qui venientes ad Urbem, cum honorifice tam a populo quam a senatu recepti essent, interque ipsos et summum pontificem crebri nuncii mediatores dirigerentur, molientibus illis more suo antiquum Romanae urbis fastum[l], regales se in nullo passi sunt inferiores inveniri, imo et ad se saepius veniri, quam ut illis occurrerent, obtinuerunt.

a) dyocesi 8. b) legittima 1. c) Werherus 8. 9. d) Anchonę 1. e) Brixinensibus 4. f) Fredericus 1; princeps 6. g) *ita* 1. 2. 8. 9; *desunt* 6. h) aliquod 1 *semper.* i) *ita* 9 *et edd.*; palatinum 1. k) *add.* 1. 2. 6. 8. 9; *deest edd.* l) factum 6.

19) Cf. Sall. Catilina c. 53. 19*) ineunte mense Iulio 1159. Vide Murat. Ann. s. a. et v. Raumer II, 121.

42. Fridericus[a] interim in Liguria degens ordinabat, ut aliquam cladem Mediola- 1159. nensibus qui omnes ad civitatem confugerant seque intus communierant, inferret. Itaque cum Papiensium pugnacissimis consilium init, ut ad civitatem impetum faciant, seque ab hostibus fugari patiantur, ipsum vero[b] ex insidiis circumventurum persequentes. Nec multum tunc opinione deceptus est. Mediolanenses enim cum eorum impetum sensissent, iam enim praedam abigere coeperant, strenue eos persequuntur, eosque resistentes acrius caedunt. Iam parum aberat a vera fuga his qui simulato metu cessuri erant, declinaverant enim paulisper a loco insidiarum. Tum Fridericus cohortatus suos, a[c] tergo et ex improviso iam alacres et pene victores hostes invadit, auxilioque suis, quos iam pelli acceperat, optatus advenit. Mediolanenses qui prope iam se victoriam adeptos putabant, videntes se circumventos undique a regiis equitibus, nec ullum sibi fugae praesidium superesse, adversus omnia imparati, occidi[20], capi, equi atque viri afflicti. Tum spectaculum horribile campis patentibus, cum medii hostium, nec pugnare nec fugam inire permissi, sine misericordia caederentur. Postremo omnia qua visus erat, constrata sunt telis, armis, cadaveribus aut mortuorum aut ad mortem sauciatorum. Verum qui numerus occisorum aut eo praelio captivorum fuerit, augustus ipse suis litteris declarat, scribens ad Albertum Frisingensem episcopum. Ait autem inter caetera: *Praeterea ad consolationem tuam de praesenti statu nostro aliqua tibi scribimus, quia honorem imperii et nostram prosperitatem te diligere non dubitamus. Inter alia igitur magnificavit Dominus facere nobiscum, et fecit; unde facti sumus laetantes et maximas Deo gratias agentes. Maximam enim multitudinem Mediolanensium tradidit Deus in manus nostras, ita quod in Idus Iulii*[d]*, qua data divisio apo-* Iul. 15. *stolorum celebrari solet,* 600 *de fortioribus civitatis captivos in vinculis abduximus, centum et fere quinquaginta per campos et itinera viarum interfecti sunt. De submersis vero et de vulneratis modus non fuit neque numerus. Sic cum victoria ad novam civitatem*[e] *Laudam reversi fuimus.*

43. Ea tempestate Adrianus papa in Kalendis Septembris apud Anagniam diem clausit Sept. 1. extremum, et 2. Nonas Septembris in ecclesia beati Petri, praesentibus clero, senatu Sept. 4. populoque Romano, honorifice tumulatus est, regalibus nunciis adhuc ibidem existentibus. Post cuius obitum cardinales in seditionem conversi, gemina electione scindunt unitatem, quibusdam eligentibus[f] Octavianum tituli Sanctae Ceciliae presbyterum cardinalem, cui nomen dederunt Victor, aliis Rolandum[g] tituli Sancti Marci presbyterum cardinalem et Romanae ecclesiae cancellarium, cui nomen imposuerunt Alexander. Verum ut huius negocii tractatus perpetua seu continua decurrat oratione, paulisper alia interim prosequemur pro magnitudine causae, suo loco his diutius immoraturi.

44. Imperator aliam parans profectionem ad devastandos[h] fines Mediolanensium, cum in partem processisset et pabulatores in toto territorio nec equis annonam invenire potuissent, reversus cum toto exercitu, ad obsidionem Cremae pergit. Tum demum perituram civitatem metus invasit, magnaque tristicia habitatores eius occupavit. Erant autem et intus et foris universa plena tumultus, multaque bellica instrumenta et in oppido et contra oppidum fabricabantur. Erantque deinceps cottidiana eorum officia, hi quidem excursus, isti vero assultus moliri, magnaque vi omnibus ibi diebus certatur. Nam ad portas ubi quisque principum curabat, eo acerrime niti, neque alius in alio magis quam in se spem habere, pariterque oppidani similiter agere, omniaque ad defensanda moenia utilia vario ingenio praeparare, diffidentiam rei dissimulare, interdumque prospera fortuna, interdum dolor eorum ad multa facinora incitavit audaciam.

45. Quadam denique die dum exploratum fuisset, Fridericum pro visenda consorte regni imperatrice, quae in vicino castro nomine Sanbassan morabatur, e castris exisse, ad portam quam regalis familia servabat, pene cum sexcentis erumpunt equitibus; magnoque praelio inito, cum diu Marte pari utrinque nihil aliud quam occiderent, tellus cruore manaret[i], nostrique quamvis tam pudore quam virtute summa vi resistere conarentur, illud tamen efficere non potuerunt, ut hostium manus ea die gradum retro dedisset, graviter fortiterque illa die pugnatum est. Nam si credere fas est, rivuli campestres peremptorum et sauciatorum vulneribus sanguine infecti ac provecti, imbre cruoris augmentum acce-

a) *totum caput XLII deest* 6. b) *add.* 1. 2. 8. 9. c) ab 1. 4. d) *ita* 1. 2. 4; quod Kal. Aug. 8. 9; *quod falsum est, cum divisio apostolorum semper incidat in Idus Iulii.* e) *deest* 1. 2. f) elegentibus 6. g) Rŏlandum 6. h) defastandos 2. i) manavit 1. 2. 8. 9.

20) Cf. Sall. Iug. 101.

1159. perunt. Vespere facto utrinque disceditur, illis intra septa, istis intra munimina muralis aggeris se recipientibus.

Rediens augustus, cum de pertinaci hostium audacia comperisset, indignatione simul et ira permotus est, ut, qui iam pene in supremis se potius humiles ac supplices exhibere deberent, incursiones facerent et victores suos ipsi turbare non metuerent aerumpnosa obsidione inclusi. Iam enim saepenumero in eruptionibus suis aut machinis flammas inicere aut turres destruere aut letali vulnere aliquos de nostris sauciare moliti sunt, nullumque specimen audaciae aut ostentationis fuit, quod illi futurorum ignari praetermitterent, et dum iam inclinata putaretur eorum superbia, de patratis facinoribus tumidi gloriabantur. Erat autem videre miseriam, quando hi qui foris, occisorum amputatis capitibus, eis quasi pila ludebant, et a dextra in laevam reiectis crudeli ostentui et ludibrio habebant, qui vero in oppido, inhonestum arbitrantes si quid minus auderent, captivos nostrorum sine misericordia super muros membratim discerpendo, miserabile praebebant spectaculum.

46. Ea calamitas paulisper Friderico tristitiam et dignam indignationem comparavit. Qui ubi impetum insanientium continere non poterat, ac saevientium furorem reverentia principis non cohibebat, placuit in contumaces vindictae severitatem exercere, ut quos non correxit lenitatis patientia, saltem indubitati supplicii poena coherceret. Iubet ergo de captivis eorum vindictam accipere, eosque pro muris patibulo[a] iussit appendi. Contumax autem populus nimis de pari volens contendere, etiam ipse quosdam de nostris in vinculis positos, eodem modo traxit ad supplicium, eosque cruce suspendit.

Tum Fridericus: *Etiamne perituros contra nos ipsa vos*[b] *nostra excitavit humanitas, et lenitate nostra vobis aluistis audaciam? Iam quidem vobis pugnantibus aliquamdiu pepercimus, captivos vestros miserati fuimus, vadibus nostris*[c] *fidem servavimus, invidi muris vestris machinas admovimus, semper caedis vestrae cupidos milites continuimus. Ista omnia spernitis, et nefaria temeritate nos ad excidium vestrum, ad interitum filiorum seu nepotum vestrorum provocatis. Utar ergo iam deinceps belli legibus, contendam cum pertinacia vestra minime parcens, qui vobis ipsis parcere noluistis.*

Haec dicens vehementer iratus, quod in sorte captivorum constituti aequales cum victoribus conditiones sibi ponerent, voce praeconis declarari iussit, ne ulterius ad se profugerent, neve fidem sperarent, nulli enim esse parcendum, cunctis autem viribus dimicarent, quantum possent saluti suae consulerent, iam enim se omnia iure belli gesturum. Itaque obsides eorum numero 40 adduci iubet ut suspendantur. Tum interim adducuntur captivi quidam de nobilibus Mediolanensium sex milites, qui deprehensi fuerant, ubi cum Placentinis perfida miscebant colloquia; nam, ut supra dictum est, Placentia principi etiam tunc ficta devotione et simulata adhaerebat obedientia. Erat autem unus de captivis, qui ducebantur, nepos praesulis Mediolanensis, vir dives et cuius consilio Ligures universi plurimum niterentur. Hos quoque, contempta multa pollicitatione pecuniae, duci iubet ad supplicium, similisque his qui et prioribus vitae finis extitit.

47. Iamque ad civitatis perniciem machinae plurimae admovebantur[d], iam turres in altum extructae applicari coeperant. Tum illi summa vi atque pertinacia resistere atque a muris turres arcere suisque instrumentis, validis saxorum ictibus nostras machinas impellere. Effrenatis vero animis princeps obsistendum putans, obsides eorum machinis alligatos ad
21 eorum tormenta, quae vulgo mangas[21] vocant, et intra civitatem novem habebantur, decrevit obiciendos. Seditiosi, quod etiam apud barbaros incognitum et dictu quidem horrendum, auditu vero incredibile, non minus crebris ictibus turres impellebant, neque eos sanguinis et naturalis vinculi communio, neque[e] aetatis movebat miseratio. Sicque aliquot ex pueris lapidibus icti miserabiliter interierunt; alii miserabilius adhuc vivi superstites, crudelissimam necem et dirae calamitatis horrorem penduli expectabant. O facinus! Videres illinc liberos machinis annexos parentes implorare, crudelitatem eis[f] et immanitatem aut verbis aut nutibus obiectare, econtra infelices patres pro infausta prole lamentari, sese miserrimos clamare, nec tamen ab impulsionibus cessare. Consolatus est autem eos etiam aliquis eorum, ita dicens:

a) *add.* 1. 2. 8. 9; *deest edd.* b) nos 1. 2; vos 8. 9. c) vestris 1. 2; nostris 8. 9. d) amov. 1; admov. pl. 1. 2. e) nec 1. 2. 8. 9. f) *add.* 1. 2; *deest* 8. 9 *et edd.*

21) Ita omnes codices legunt, non *mangana* ut Muratorius SS. VI, 632 suspicatus est.

O beati, quibus mori bene, quam male vivere continget: ne timeatis mori, qui magna mala morte effugituri estis. Si viri fortes pro libertate certantes essemus, non oporteret nos quoque super hoc aut cunctari aut expectare monitorem. Nam mors quidem libertatem animis praestat, valdeque beati qui pro patria mortui immortalitatis ordinem iam receperunt. Quam multi nostrorum antecessorum hac lege talique conditione alii torti tamque igne quam verberibus excruciati obierunt, alii vero semesi a bestiis ad secundum eorum cibum vivi servati sunt. Miseriores nos vobis sumus, qui adhuc vivimus, qui saepe mortem optantes non accipimus. Dum enim quisque nostrorum secum reputans crudelem seu barbarorum seu gentilium suorum servitutem, videre coniuges ad turpitudinem duci, alius revinctis[a] *manibus vocem filii patrem implorantis exaudiet, alius vero infelices senes ad cineres patriae videbit assidere. Haec, inquam, quisque nostrorum considerans, aspicere solem durabit, etiamsi vivere absque*[b] *periculo possit? O utinam omnes fuissemus mortui, priusquam civitatem nostram Cremonensium manibus videremus excindi, priusquam patriam sanctam Papiensium impietate funditus erui conspiceremus.* 1159.

Adhuc eum orare cupientem omnes interpellebant, et effrenato quodam impetu ad iaciendum incitabantur, hoc speciem esse fortitudinis, rectique consilii existimantes, hostibus stuporem mentis admirationemque audaciae relinquere. Pauci quidem rationi cedentes, filiis consulere voluissent, alios autem liberorum caedis amor invasit, malorum quae subditi hostibus passuri fuerant, cogitationem habentes pro solatio necessitatis accedere. Et Crema tunc temporis taliter affecta seu potius afflicta fuerat.

48. At Mediolanenses arbitrantes Fridericum circa obsidionem Cremae sollicitum, aliis laborantibus non posse succurrere, egressi cum turmis suis pene 20[c] milia hominum, oppidum quoddam versus lacum Cumanum, Manerbe vocatum, obsidione cingunt, aggeres instruunt, machinas admovent, omnibusque modis eversionem castri accelerare nituntur. Verum comes Goswinus[d], qui tunc comitatum Sefrensem[e] et Martusanum[f, 22] iussus a 22 principe satis provide administrabat, missos suos ad curiam dirigit, hostiumque conamen denunciavit, quid facto sit opus, consulit; se quoque[g] copias quantas possit collecturum, si ab exercitu aliquod sibi militiae supplementum destinetur. Imperator continuo quingentos equites armatos eo dirigere decernit. Comes etiam de suis colligens auxilia, non modicum coadunavit exercitum. Iamque compositis rebus, Mediolanensibus se ostendere, minitari, neque praelium facere, neque otium pati, tantummodo hostem ab incepto retinere, neque copiam pugnandi facere, donec qui e castris expectabatur miles superveniret. Rati Ligures, id quod negocium poscebat, imperatorem laborantibus suis auxilio venturum, et indubitatum praelium futurum, obsidionem dimittunt, fugamque ineuntes ad civitatem evadere festinant. Comes ut videt eos iam fugam cepisse, magna illos vi a[h] tergo urget, fugientibus instat, caedit, capit, copiosam praedam diripit; reliqui amissis omnibus profugi, multique saucii, vix intra civitatem revertuntur.

49. Inter haec Placentini multis argumentis detecti sunt studio[i] rerum novandarum niti cum Mediolanensibus, crebra[k] inire conciliabula, frumentum aliaque usui necessaria clanculo illis providere, quin etiam aliquos de suis Cremensibus in auxilium destinasse. Imperator satius existimans habere directos[l] inimicos quam fictos amicos, pro eo quod ut dicitur: *Nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus,* eosdem pro perfidia sua, ut levissimos nec in hac nec in illa parte fidem debitam habentes, hostes pronunciat.

Verum res exigit, ut ad scisma Romanae ecclesiae, unde digressi sumus, scribendo redeamus. Porro in hoc negocio lectorem admonitum esse cupimus, ut non de nostro dicto vel scripto veritatem huius rei metiatur, sed quid rectius sit, quisve, ut ita dixerim[m], iustius induit arma, ex collatione omnium scriptorum, quae undique media discurrere[n], proprio disquirat iudicio. Nos enim si alterutrius partis res vel attolleremus vel extenuaremus, a proposito decidere videremur. Nec utique sanum esset corpus reliquum historiae, si hanc partem velut principale membrum domestici favoris morbus haberet.

a) reiunctus 2. b) sine 1. 2. 8. 9. c) *ita* 1. 2. 8. 9; XXX *edd.* d) Gozw. 1; Gosuinus 2. e) *ita* 1. 2. 8. 9; Seprenensem *edd.* f) Alartusanum 2. g) seque 1. 2; se quoque 8. 9. h) ab 1. 4. 8. 9. i) *deest* 1. 2. k) *add.* 1. 2. 8. 9. l) *ita* 1. 2; detectos 8. 9 *et edd.* m) ut ita d. *desunt* 1. n) discurrerunt 1. 8. 9.

22) *Sepriensem et Martesanum* legendum esse vult Muratorius SS. VI, 632.

1159. 50. Divisis, ut supra dictum est, in electione Romani pontificis cardinalibus clero ac populo Romano, cum a suis consentaneis et sequacibus alter, id est Octavianus, in prima
Oct. 4. Sept. 18. dominica mensis Octobris[23], alter, id est Rolandus, in 18.[a-24] die mensis Septembris in episcopum consecratus fuisset, uterque litteras, quarum tenor subiectus est, ad declarandam rem per mundi partes destinavit.

Victor[25] *episcopus*[b], *servus servorum Dei, venerabilibus fratribus patriarchis*[c], *archiepiscopis et karissimis filiis abbatibus, ducibus, marchionibus, comitibus et caeteris principibus, et egregiae familiae imperiali, in sacratissima curia domni*[d] *Friderici serenissimi ac*[e] *invictissimi Romanorum imperatoris commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem. Quam et in quantum et ecclesiastici status decorem et honorem Romani imperii*[f] *et nobilitatem omnium bonorum*[g] *hactenus sincere dilexerimus, et quae*[h] *mutuae caritatis*[i] *sint invicem frequenter exhibita*[k], *nequaquam credimus a vestrae magnitudinis excidisse memoria. Nunc autem tanto propensioris dilectionis efficaciam vobis et imperio cupimus exhibere, quanto Deo auctore ad maiorem conscendimus dignitatem. Quapropter universitatem vestram, de qua plene confidimus, plurimum deprecamur, ut pro beati Petri apostolorum principis reverentia et antiquae dilectionis constantia, quae inter nos inviolabiliter perseverare dinoscitur, domnum imperatorem invictissimum commonendo rogetis, quatenus*[m] *imperio sibi a divina clementia commisso et ecclesiae Dei, sponsae Iesu Christi, cuius advocatus et defensor divinitus est constitutus, providere et subvenire non tardet, ne in tanta discordia adversariorum malitia nequiter praevalere, navicula*[n] *beati Petri procellis et tempestatibus suo tempore quassari, et decus imperiale valeat aliquatenus*[o] *obnubilari*[p]. *Insuper universitati vestrae dignum duximus intimandum, qualiter ad apostolatus officium Domino concedente vocati fuerimus. Felicis memoriae papa Adriano praedecessore nostro viam universae carnis ingresso et*[q] *in beati Petri basilica tumulato, convenimus omnes de electione summi pontificis tractaturi*[r]. *Post longam vero collationem et diutinam deliberationem, divina tandem inspirante clementia, electione venerabilium fratrum nostrorum episcoporum, presbyterorum*[s] *sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, cleri quoque*[t] *Romani petitione, eiusdem populi assensu, etiam senatoriae dignitatis*[u] *honoratorum insuper*[v] *capitaneorum, ad summum pontificatum, annuente Deo, canonice sumus electi,*
Oct. 4. *et in sede apostolica collocati, ac deinde prima dominica mensis Octobris benedictionis consecrationem et nostri officii accepimus plenitudinem. Quocirca universitatem vestram humiliter deprecamur, quatenus apud ipsum nos*[w] *precibus adiuvetis, a quo omnis est potestas et honor dignitatum. Si autem ex parte illius Rolandi*[x] *quondam cancellarii, per conspirationem et coniurationem contra ecclesiam Dei et imperium Willehelmo*[y] *Siculo astricti, qui die* 12. *post electionem nostram*[z] *se fecit intrudi, quod a seculis non est auditum, ad vos scripta pervenerint, tanquam mendacio plena et a scismatico et haeretico destinata respuatis, et aures vestras nequaquam illis ullatenus praebeatis. Data Signiae*[*], 5. *Kalend. Novembris*[a].

51. *Alexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gerhardo*[b] *episcopo et dilectis filiis canonicis*[c] *Bononiensis ecclesiae et legis doctoribus caeterisque magistris Bononiae commorantibus salutem et apostolicam benedictionem. Aeterna*[26] *et incommutabilis providentia*[d] *conditoris sanctam et immaculatam ecclesiam a suae fundationis exordio ea ratione voluit et ordine*[e] *gubernari, ut unus ei*[f] *pastor et institutor existeret, cui universi ecclesiarum praelati absque repugnantia subiacerent, et membra tanquam suo capiti cohaerentia ei se mirabili quadam unitate coniungerent, et ab ipso nullatenus dissiderent. Qui vero apostolis suis pro*
Matth. 28,20. *eorum fidei firmitate promisit dicens:* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad[g] consummationem seculi, *ille procul dubio ecclesiam suam, cuius ipsi apostoli magisterium*

a) X[a] VIII[a] 6. b) *addunt* 1. 2. 6. 8. 9. 10. c) patriarchae Aquilegensi 10. d) domni 6. e) et 6. 10. f) imp. Rom. 2. g) benedictionem. Quantum honorem imperii et nobilitatem vestram et omnium Teutonicorum et etiam universos ad sacratissimum imperium pertinentes 10, *caeteris omissis.* h) et quae — Novembris *desunt* 8. 9. i) *ita* 10; caritates *rell.* k) *ita* 1. 2. 4. 6. 10; exhibitae *edd.* m) quatinus 1. 10. n) et nav. 6. o) aliquatinus 1. p) quasare — obnubilare 6. q) *add.* 10. r) tractari 1. s) presbit. diaconorum 10. t) clerique 1. u) *punctum post* dignitatis *ponit* 6. v) insuper et 10. w) *ita* 1. 4. 6. 10; quat. n. a. i. *edd.* x) Rñ. 10. y) Willih. 6 *semper;* Willelmo 10. z) qui XII[o] p. elect. nostr. die extra Urbem in loco non celebri, qui Cisterna dicitur, inter Ariciam et Terracinam 10. *) Segñ 1. 4. 10; Data — Novembris *desunt* 6. a) Epistola alterius *add.* 1. 2. b) G. 10. c) canoñ 1. 8. 9. d) providentia — condempnavimus p. 472 *lin.* 40 *desunt* 8. 9. e) et ordine voluit 10. f) eiusdem 10. g) in 1. 2; ad 10.

23) Consentiunt caeteri scriptores a Jaffeo R. P. pag. 828 laudati. 24) Potius 20. die consecratum esse Alexandrum ostendit Jaffé l. c. pag. 679. 25) Jaffé n. 9374. 26) Sequens epistola data est die 5. Octobris 1159. Jaffé 7129.

assumpserunt, sua promissione fraudari nullo modo patietur, sed eam in suo statu et ordine, 1159.
licet ad instar naviculae Petri fluctuare aliquando[a] *videatur, perpetuo faciet permanere. Unde*
et quamvis hoc tempore tres falsi fratres, qui a nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis,
transfigurantes se in angelos lucis, cum sint satanae[b], *inconsutilem Christi tunicam, quam*
utique ipse quidem[c], *ex persona psalmigraphi*[d], *a leonibus petit et a framea erui, et de manu*
canis orat ac postulat liberari, scindere et laniare[e] *laborent, Christus tamen auctor et caput*
ecclesiae, eam velut unicam sponsam suam[f] *provida gubernatione tuetur, et navem egregii*
piscatoris, licet saepius quatiatur, a fluctibus non permittit naufragium sustinere. Porro cum
antecessor noster bonae memoriae Adrianus[g] *papa Kal. Septembris, dum essemus*[h] *Anagniae,* Sept. 1.
debitum naturae solvisset, et de terris ad coelum, de imis migrasset, Domino vocante, ad superna,
eo Romam adducto, et 2. Non. Septembris in ecclesia beati Petri[i], *praesentibus fere omnibus* Sept. 4.
fratribus, satis honeste, sicut moris est, tumulato, coeperunt omnes[k] *fratres et nos cum eis*
secundum ecclesiae consuetudinem de substituendo pontifice in eadem ecclesia studiosius cogi-
tare, et tribus diebus de ipsa electione tractantes, tandem in personam nostram, insufficientem Sept. 7.
huic oneri et tantae dignitatis fastigio minime congruentem, omnes[l] *quotquot fuerint, tribus*
tantum exceptis, Octaviano scilicet, Iohanne de Sancto Martino et Gwidone Cremense[m], *Deo*
teste, quia mendacium non fingimus, sed meram sicut est[n] *loquimur veritatem, concorditer*
atque unanimiter convenerunt[o], *et nos assentiente clero ac populo in Romanum pontificem*
elegerunt. Duo vero, Iohannes videlicet et Gwido, quos praenotavimus, tertium Octavianum
nominantes, ad eius electionem pertinaciter intendebant. Unde et ipse Octavianus in tantam
audaciam vesaniamque[p] *prorupit, quod mantum, quo nos reluctantes et renitentes, quia*
nostram insufficientiam videbamus, iuxta morem ecclesiae Odo[q] *prior diaconorum induerat,*
tanquam arreptitius a collo nostro propriis manibus violenter excussit, et secum inter tumul-
tuosos fremitus asportavit. Caeterum cum quidam de senatoribus tantum facinus inspexissent,
unus ex eis spiritu divino succensus, mantum ipsum de manu eripuit[r] *saevientis. Ipse vero ad*
quendam capellanum suum, qui ad hoc instructus venerat et paratus, ilico[s] *flammeos oculos*
fremebundus inflexit, clamans et innuens, ut mantum, quem fraudulenter secum portaverat,
festinanter afferret. Quo utique sine mora delato, idem Octavianus abstracto pileo[t] *et capite*
inclinato, cunctis fratribus aut loco inde aut voluntate remotis, mantum per manus eiusdem
capellani et cuiusdam clerici sui ambitiosus assumpsit[u], *et ipse idem, quia non erat alius, in*
hoc opere capellano et clerico extitit coadiutor[v]. *Verum ex divino credimus iudicio contigisse,*
quod ea pars manti quae tegere anteriora debuerat, multis videntibus et ridentibus posteriora
tegebat. Et cum ipse idem hoc emendare studiosius voluisset, quia capitium[w] *manti extra se*
raptus non poterat invenire, collo fimbrias circumduxit, ut saltem mantus ipse appensus ei
quodammodo videretur. Sicque factum est, ut sicut tortae mentis erat et intentionis obliquae,
ita ex transverso et obliquo mantum fuerit in testimonium suae dampnationis indutus. Quo
facto, portae ecclesiae, quae firmatae fuerant, reserantur, et armatorum cunei, quos, sicut
ex re apparuit, pecuniae largitione conduxerat, evaginatis gladiis cum immenso strepitu cucur-
rerunt, et pestis illa mortifera[27], *quia cardinales et*[x] *episcopos non habebat, armatorum* 27
caterva militum vallabatur. Fratres vero facinus tam immensum et a seculis non auditum[y]
ex insperato videntes, et formidantes, ne a conductitiis militibus truncarentur[z], *sese in muni-*
tionem ecclesiae nobiscum pariter[*] *receperunt, ibique novem diebus continuis, ne exinde libere*
exiremus, fecit nos quorundam senatorum assensu, quos pecunia oblata corruperat, die noctu-
que armata manu cum omni diligentia custodiri. Sane populo incessanter et iugiter acclamante
et in senatores pro tanta impietate multa immanitate fremente, de custodia fuimus illius muni-
tionis erepti, sed in artiori et tutiori loco apud Transtyberim nos idem senatores, recepta inde
pecunia, posuerunt. Cumque moram ibidem ferme per triduum fecissemus, universo populo
tantam proditionem atque malitiam de caetero nullatenus sustinente, senatores cum nobilibus
et populo venientes, nos et fratres nostros per Urbem magnifice et honorifice cum immensis
laudibus et praeconiis, campanis etiam in transitu nostro ubique[a] *pulsantibus, conduxerunt,*

a) *deest* 10. b) sathanę 1. 10. c) ipse idem 6; idem ipse 10. d) spalmigraphi 4. e) *ita* 10; dilaniare 1; laniari 2. f) suam sp. 1. 4. 6; sp. suam 10. g) A. 10. h) dum e. *add.* 1. 2. 6. 10. i) apostoli *add.* 1. k) *add.* 1. 2; *deest* 10. l) omnes fratres 10. m) *ita* 10; Oct. sc. et Gw. Crem. et Ioh. de S. M. 1. n) sed sicut est meram 1. o) conveniunt 1. 6. 10. p) *ita* 1. 2. 6. 10; insan. *edd.* q) Otto 6; Odd. *(sic)* 10. r) eripuit de manu 6. s) venerat, paratus dico 10. t) pilleo 1. 6. 10. u) ass. amb. 6. v) coadunator 6. w) caputium 1. x) et *add.* 1. 2. 10. y) inauditum 1. 6. 10. z) *ita* 1. 2. 4. 6. 10; trucidarentur *edd.* *) partim 6. a) *add.* 1. 6. 10.

27) scil. Octavianus.

1159. Sept. 20. et sic tandem a violentia persequentis erepti et nostrae redditi libertati, sequenti die dominico venerabilibus fratribus nostris Gregorio[a] Sabinensi[b], Hubaldo[c] Hostiensi[b], Bernhardo[c], Walthero[c], Iulio[c] et B. episcopis, cardinalibus quoque, abbatibus, prioribus, iudicibus, advocatis, scriniariis, primicerio et scola cantorum, nobilibus etiam et quadam parte de populo Urbis apud Nimpham non longe ab Urbe insimul congregatis, munus consecrationis accepimus, et sicut in Romana ecclesia moris est, ibidem pontificali regno magnifice fuimus ac solempniter coronati. Caeterum praedictus Octavianus cum pro consecratione imo execratione sua, dum et[d] in Urbe esset, et postquam latenter Urbem exivit, multos episcopos convocasset, nullum[e] prorsus praeter unum, Ferentinatem videlicet episcopum, habere potuit pro sua temeritate et vesania confirmanda. Quosdam tamen episcopos imperialibus minis, quosdam violentia laicali, quosdam vero pecuniis et blanditiis allicere voluit; sed nil, Domino impediente, profecit. Unde nec adhuc invenire potest[f], licet omnibus modis enitatur, qui ei manus execrationis imponat, et se tantae faciat praesumptionis et impietatis auctorem. Verum memorati Iohannes et Gwido, caecitatis tenebris
Prov 18, 3. obvoluti, quoniam scriptum est: Peccator cum venerit in profundum malorum[g], contempnet[h], nec sic a sua praesumptione dampnabili resipiscunt, sed eundem Octavianum, quem sibi in statuam erexerunt, obstinata perfidia venerantur, et eum relicta unitate ecclesiae praesumunt usque adhuc tanquam idolum[i] aut simulachrum adorare. Ipse autem Antichristi tempora praefigurans, usque adeo erectus est supra se, ut etiam in templo Dei sederit, ostendens se tanquam sit Deus, et multi abominationem[k] desolationis stantem in loco sancto non sine multa lacrimarum effusione corporeis oculis inspexerunt. Sane nos infirmitatem nostram et virtutum indigentiam cognoscentes, nostrum in Dominum iactamus cogitatum, sperantes et de Christi misericordia plenius confidentes, quod ecclesiam sanctam suam, pro qua ipse idem in substantia nostrae mortalitatis apparuit, ut eam sibi non habentem rugam aut maculam exhiberet, optata faciet in[l] tranquillitate laetari, et procellarum omnium inundatione sedata, nihil[m] erit quod iam ei possit obsistere, ubi unicus eius sponsus voluerit nubilosa quaeque et noxia propulsare. Nunc igitur, quia nos de nostrorum meritorum qualitate diffidimus, et de honestate et religione vestra plenam habemus fiduciam[n], vestris et universalis ecclesiae precibus infirmitatem nostram petimus adiuvari, karitatem vestram per apostolica scripta rogantes et commonentes attentius, ut sicut viri catholici vos pro Domini domo[o] muros[p] inexpugnabiles opponatis, et in devotione ac fidelitate matris vestrae sacrosanctae Romanae ecclesiae immobiliter persistentes ab eius unitate nullatenus recedatis. Quod si praefatus vir impietatis ad partes vestras aliqua dampnationis suae scripta transmiserit, ea, sicut respuenda sunt, respuatis, et tanquam vana ac sacrilega contempnere et abicere studeatis. Noverit insuper discretio vestra, quod nos supranominatum Octavianum, apostaticum et scismaticum, in octavo die a consecratione nostra — hunc[q] enim terminum ei resipiscendi et ad unitatem matris ecclesiae redeundi[r] praefiximus — tanquam inobedientem et contumacem, et illos qui ei manus praesumerent, non dicimus consecrationis sed execrationis imponere, et de communi fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium voluntate atque consilio, accensis candelis et coetu clericorum in ecclesia congregato, vinculo anathematis et excommunicationis astrinximus, et eos cum suo auctore diabolo condempnavimus. [Duos[s] quoque iam dictos fautores eius, Iohannem de Sancto Martino et Gwidonem Cremensem et Ferentinatem episcopum, quia scienter ei communicaverunt, eidem excommunicationi et condempnationi decrevimus subiacere.]

52. Venerabilibus in Christo fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ducibus, principibus, praepositis, prioribus et caeteris ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint[t], Ymarus Tusculanus episcopus prior[u] episcoporum, Iohannes tituli Sanctorum Sylvestri et Martini, Gwido Cremensis tituli Sancti[v] Calisti[w], sanctae Romanae ecclesiae presbyteri cardinales, Reimundus[x] diaconus cardinalis Sanctae Mariae[y] in via lata, et Sy.[z] Sanctae Mariae in Dominica[*] et Sublacensis[a] abbas, perpetuam in Domino salutem. Ex quo contra honorem ecclesiae Dei et imperii amicitia inter domnum papam Adrianum et

a) Gregorius 2. 6. b) Sabinensis — Ostiensis 1. 2. c) Hubaldus — Bernardus — Waltherus — Iulius 1. 2. 6; Bernardo 4; Iulio *omissum in* 10. d) etiam 10. e) nullus 2. f) adhuc habere potest nec invenire 6. g) *deest* 6. h) contempnit 10. i) ydolum 1. 10. k) abhom. 1. 10. l) *deest* 1. 2. 6. 10. m) nil 6; nihil 10. n) plenam fiduciam optinemus 10. o) *ita* 1. 2; pro domo Domini 10 *et edd.* p) *deest* 10. q) tunc 1. 2. 6. 10. r) *deest* 6. s) Duos — subiacere *addunt* 10 *et cod. S. Petri Salzb. v. An. X,* 25. t) perveniunt 6. u) prior — permanentis *desunt* 8. 9. v) *deest* 6. 10. w) Calixti 1. 10. x) *ita* 1. 2; Rulmundus 10. y) Sanctae Mariae — Dominica *desunt* 1. 2. 6. z) *ita* 10. *) dōpnica 4. 10. a) Sublac⁹ 4.

Willehelmum[a] *Siculum*[b] *apud Beneventum facta est, dissensio et discordia non modica inter* 1159. *cardinales sacrosanctae Romanae ecclesiae non sine causa oborta est, nobis scilicet, qui honorem et dignitatem sanctae Dei ecclesiae et imperii nullatenus diminui volebamus, amicitiae, quae facta fuerat in detrimentum ecclesiae et imperii, nequaquam consentientibus, aliis vero qui pecunia et multis promissionibus obcoecati, iam dicto Siculo tenebantur astricti, conventionem ipsam taliter, ut diximus, fabricatam nequiter defendentibus et quam plures in partem*[c] *sui erroris attrahentibus, nostro conatui*[d] *et voluntati totis viribus pertinaciter resistentibus. Proinde procedente tempore cum iam fama ferret imperatorem Italiam intrasse et plurimam eius partem suae potestati subiugasse, praedicti fratres Siculo astricti, domnum papam solicitare*[e] *ac circumvenire omni sagacitate coeperunt, qualiter aliqua occasione assumpta domnus imperator et omnes sequaces eius excommunicationi subderentur, et nos ad id faciendum una cum eis iuramento astringeremur. Nos autem econtra diximus, potius Siculum excommunicandum*[f], *qui omnia iura ecclesiae tam spiritalia quam temporalia violenter abstulerat, quam imperatorem, qui ecclesiae Romanae et imperii iura fideliter laborabat recuperare et ecclesiam de servitute ad libertatem reducere. Hoc audientes fautores Siculi, a iam dicto consilio cum rubore siluerunt. Eo igitur consilio nostro studio et exacta diligentia taliter cassato, et exinde venerabili fratre nostro Octaviano, tunc sanctae Romanae ecclesiae presbitero cardinali*[g], *nunc apostolicae sedis pontifice, una cum fratre Willehelmo*[h], *presbitero cardinali Sancti Petri ad vincula, ad imperialem celsitudinem legationem fungente, domnus papa cum sibi consentientibus et*[i] *supradicti Willehelmi fautoribus Urbem egressus, Anagniam venit. Ubi tunc demum manifesta conspiratione omnes praefati Willehelmi fautores in praesentia domni papae sacramento firmaverunt, personam imperatoris excommunicationi subiciendam, et ex tunc in antea eius honori et voluntati usque ad mortem immutabiliter contraire, et si contingeret domnum papam vita decedere, neminem se nisi de illis qui coniuraverant in pontificem eligere. Circumpositos insuper episcopos, ne alicui electo nisi*[k] *in quem Siculi secta*[l] *consentiret*[m], *in consecratione manus imponerent, iuramento nichilominus constrinxerunt. Postmodum iam saepedicto patre nostro Adriano Anagniae Kalendis*[n] *Septembris defuncto, omnes illuc convenimus, et cum de corpore sive ibidem tumulando sive Romam deferendo non parva contentio*[o] *oriretur, tandem Romam corpore deportato, prius*[p] *in verbo veritatis tale pactum unanimiter fecimus et scripto mandavimus, quale nunc sequitur:* In nomine Domini amen. Convenerunt episcopi, presbiteri[q], diaconi cardinales sanctae Romanae ecclesiae, et promiserunt sibi invicem in verbo veritatis, quod de electione futuri pontificis tractabunt secundum consuetudinem[r] istius ecclesiae, scilicet quod segregentur aliquae personae de eisdem fratribus, qui audiant[s] voluntatem singulorum et diligenter inquirant et fideliter describant, et si Deus dederit quod concorditer possint[t] convenire[u] de aliqua persona eorundem fratrum, fiat cum bono. Sin autem, tractetur tunc de extranea persona, et si concorditer poterimus[u] convenire, bene, sin autem, nullus procedat sine communi consensu, et hoc observetur sine fraude et malo ingenio. *Tali pacto in verbo veritatis firmato, post humatum corpus in ecclesia beati Petri, ad eligendum*[v] *pontificem convenimus, et iuxta praedictam consuetudinem personas, quae singulorum voluntates diligenter inquirerent et audirent ac describerent, segregavimus. Sed cum propter conspirationem adversae partis electio lente procederet, tertia die fere transacta, ad hoc tandem deventum*[w] *est, quod 14 cardinales ex adverso, qui sacramento constricti tenebantur, Rolandum*[x] *cancellarium nominaverunt. Nos autem 9 numero, qui nefandi iuramenti exortes*[y] *eramus, venerabilem fratrem nostrum Octavianum*[z] *presbiterum cardinalem, virum utique honestum et religiosum, ad regimen apostolicae sedis et ad concordiae et pacis unitatem inter ecclesiam et imperium reformandam ac conservandam dignum et utilem esse cognoscentes*[*] *elegimus. Cum res taliter ageretur, et partem contrariam pactum quod in verbo veritatis firmatum fuerat, penitus transgredi volentem sentiremus, pactum supradictum illis ad memoriam reducentes, auctoritate Dei omnipotentis et omnium sanctorum atque nostra eis penitus interdiximus, ne absque communi consensu omnium, sicut in pactione continetur, ullatenus aliquem inmantarent, et Rolandum cancellarium eadem auctoritate, ne susciperet, nichilominus pro-*

a) Willih. 6 *semper;* Will. 10. b) Syculum 10 *saepius.* c) parte 10. d) *ita* 10; conatus 1; conatis 2; conatu 6. e) sollic. 1. 10. f) excom. Siculum 6. g) card. presb. 1. h) Willelmo 1; W. 10. i) *add* 1. 6. 10. k) *add.* 1. 2. 6. 10. l) secta Siculi 10. m) consentiret ut 2. n) in Kal. 10. o) altercatio 6. p) primo 6. q) pr. et 6. r) suetudinem — mundo *c.* 66 *fin. desunt* 1, *deficiente quaternione XVI.* s) audiunt 2. t) *ita* 2. 6. 10. u) convenire — poterimus *add.* 2. 6. 10; *desunt edd.* v) elegendum 6. w) ventum 10. x) Rŏ. 10. y) exsortes 10. z) Oct. 10. *) iudicantes 10.

1159. *hibuimus. Qui dum verba et ammonitiones nostras vilipenderent et Rolandum cancellarium manto induere festinarent, nondum tamen illo induto, nos illorum malitiae potius contraire quam consentire volentes, et quod male conabantur, minime permittentes, ad petitionem populi Romani, electione universi cleri, assensu etiam totius fere senatus et omnium capitaneorum, baronum, nobilium, tam infra Urbem*[a] *quam extra Urbem habitantium, nostrum electum manto induimus, et intronizatum in sede beati Petri collocavimus, inde ad palatium eiusdem, acclamante universo populo, hymnum*[b] *Deo decantante clero, et omnibus solempniter adimpletis, honorifice deduximus. Adversae vero partis cardinales retrocedentes, in castrum beati Petri se contulerunt, ibique per dies octo et amplius inclusi permanserunt. Inde postmodum per senatores educti, extra Urbem secesserunt, et* 12.[c] *postea die, quod a seculo non est auditum, in castro nomine Cisterna*[d]*, intra Aritiam et Terracinam, Rolandum cancellarium immantaverunt, et in sequenti dominica consecraverunt, ac continuo mittentes nuncios per universam Italiam*[e]*, episcopis, ne ad consecrationem nostri electi venirent, penitus dissuaserunt, minantes illis ex-* Oct. 4. *communicationem et depositionem in perpetuum. Qui tamen in prima dominica mensis Octobris auctoritate Dei honorifice consecratus est. Rem qualiter facta est, vestrae fraternitati insinuavimus, nihil praeter veritatem adnectentes, teste Deo*[f]*, qui falli non potest, et si angelus de coelo aliud euangelizaret, a veritate penitus aberraret. Veruntamen multa quae facta sunt omittentes, ista, prout brevius possumus, vobis significamus, ne prolixiore pagina aures vestras oneraremus*[g]*. Haec itaque animadvertat vestra fraternitas, quam devotissime obsecramus et admonemus et modis omnibus quibus possumus exhortamur in Domino, quatenus neque per sermonem neque per epistolam a vestro sensu moveamini, sed in veritate nobiscum firmi et immobiles permaneatis.*

53. *Friderico*[h] *Dei gratia glorioso, illustri, magnifico et sublimi Romanorum imperatori, Gregorius Sabinensis, Hubaldus Hostiensis*[i]*, Iulius Praenestinus, Bernhardus*[k] *Portuensis, Waltherus Albanensis episcopi, Hubertus tituli Sanctae Priscae*[l]*, Iohannes tituli Sanctorum Iohannis et Pauli, Henricus tituli*[m] *Sanctorum Nerei et Achillei, Ildebertus tituli*[n] *basilicae* 12 *apostolorum, Iohannes tituli*[m] *Sanctae Anastasiae, Bonadies tituli Sancti Chrysogoni*[o]*, Albertus tituli Sancti Laurentii in Lucina, et Willehelmus*[p] *tituli Sancti Petri ad vincula presbiteri, Oddo Sancti Gregorii*[q] *ad velum aureum, Rom.*[r] *Sanctae Luciae in septa solis*[s]*, Iacinctus Sanctae Mariae in Cosmidin, Oddo Sancti Nicolai in carcere Tullii*[t]*, Ardenius*[u][28] *Sancti Theodori*[v]*, Bo.*[w][29] *Sanctorum Cosmae*[x] *et Damiani, C.*[30] *Sancti Adriani, Petrus*[y] *Sancti Eustachii, et Io. diaconi cardinales, voluntate et spiritu in Domino congregati, salutem et gloriosam de inimicis victoriam. Quanto excellentiae vestrae maior a Deo collata est et attributa potestas, et quanto sublimiorem inter mortales dignitatis locum constat vos obtinere, tanto amplius imperialem convenit maiestatem, sacrosanctam Romanam ecclesiam specialem et unicam matrem vestram in omnibus honorare, et ei semper et praesertim necessitatis tempore salubriter atque utiliter providere. Quid autem diebus istis in eadem ecclesia Romana contigerit, et quam inauditum facinus ab his, quos filios reputabat*[z]*, aliquantis diebus transactis fuerit perpetratum, dignum, imo dignissimum est nos imperiali celsitudini nostris litteris aperire. Nuper siquidem cum dominus noster, bonae memoriae Adrianus papa, Kalendis Septembris apud Anagniam debitum naturae solvisset, et de terris ad coelum, de imis migrasset vocante Domino ad superna, tres falsi fratres, Octavianus scilicet et Iohannes de Sancto Martino*[*] *et Gwido Cremensis, qui a nobis quidem exierunt, sed non fuerunt de nobis, transfigurantes se in angelos lucis, cum sint satanae,* etc. Et infra: *ad haec noverit sublimis gratia vestra, quod Otto*[a] *palatinus comes, occasione de intrusione Octaviani suscepta, praefatum dominum nostrum*[b] *et nos omnes plurimum infestavit, et ecclesiam Dei nisus est scindere et multipliciter absque rationabili causa turbare. Campaniam siquidem et patrimonium beati Petri cum intruso et apostatico Octaviano violenter intravit, et terram ipsam studuit ei quibuscunque modis*[c] *subiugare. Nos itaque et tota ecclesia Dei nobiscum maiestatem vestram suppliciter exoramus, ut tam violenta intrusione ita sicut est intellecta et diligenter inspecta, qualiter vobis ad salutem animae vestrae et hono-*

a) *deest* 6. 10. b) ymnum 4. 10. c) XIIa 6. d) Cysterna 10. e) *deest* 2. f) eo 4. 6. 10. g) oneremus 6. 10. h) Fred. 6. i) Ost. 6. k) Bernhardus — foveatis *desunt* 8. 9. l) tit. Sanctae A. item Prisçe 2; tit. Sancte . . . . Item Priscae 4 *spatio vacuo relicto.* m) *deest* 6. n) *deest* 6. o) Crisogoni 4. 6. p) Willelmus 4; W. 6. q) Georii 6. r) Ro. 4. 6. s) in septa scola 6. t) Nyk. in carcere, Tullius 6. u) *ita* 6. v) *ita* 2. 6. w) Boñ. 6. x) Cosmi 2. y) *ita* 6. z) qui eius filii reputabantur 6. *) S. Martini 6. a) *deest* 2. 6. b) karissimum 2. 6. c) potuit *add.* 6.

28) legendum: *Ardicius;* Jaffé p. 678. 29) id est Boso; Jaffé l. c. 30) Cinthius.

rem imperii super tanto negocio sit procedendum, diligenter attendatis. Considerate et adver- 1159. *tite*[a], *qualiter circa sacrosanctam Romanam ecclesiam et circa unicum sponsum eius dominum nostrum Iesum Christum*[b], *sine quo nec regnum potest aliquis obtinere terrenum nec acquirere sempiternum, oporteat vos habere, et qualiter eam ab impugnatoribus et praesertim ab*[c] *scismaticis et haereticis ex imperialis officio dignitatis protegere debeatis modis omnibus ac tueri. Nos siquidem vos sicut specialem defensorem et patronum ecclesiae Romanae modis omnibus honorare intendimus, atque ad augmentum gloriae vestrae, quibus modis possumus, cum Deo aspiramus. Rogamus autem et instantius supplicamus, ut matrem vestram sanctam Romanam ecclesiam diligatis et honoretis, et ad pacem et tranquillitatem ipsius, quibus modis imperialem convenit excellentiam, intendatis, et tantam praefati invasoris atque scismatici iniquitatem nullatenus foveatis.*

54. Fridericus ancipiti malo novi scismatis permotus, consilio principum decrevit dare operam, ne quid exinde seu status ecclesiae seu res publica imperii detrimenti caperet. Audiens itaque utrumque electum in episcopatus ordinem consecratum, alterum ab altero excommunicationis sententia condempnatum, sine iudicio ecclesiae controversiam terminari posse non putavit. Auctoritatem autem congregandi concilii exemplo antiquorum imperatorum, verbi causa Iustiniani, Theodosii, Karoli, sibi congruere putans, litisque[d] decisionem legitimam esse non posse, nisi partibus hinc inde congregatis considerans, ad citationem amborum venerabiles viros et prudentes[e] Danielem Pragensem[f] et Herimannum[g] Ferdensem[h] episcopos dirigit cum litteris, quarum exemplar hoc est:

55 *Fridericus*[i] *Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Rolando cancellario caeterisque cardinalibus, qui eum elegerunt Romanum pontificem, salutem et omne bonum. Quoniam*[31] *divina praeordinante clementia, Romani*[k] *imperii gubernacula suscepimus, oportet ut in omnibus viis nostris ipsius legem custodiamus, cuius munere, cuius voluntate dignitatis nostrae apicem adepti sumus. In hoc itaque sacratissimo proposito constituti, cum omnibus ecclesiis in imperio nostro constitutis debeamus patrocinari, sacrosanctae Romanae ecclesiae tanto propensius debemus providere, quanto ipsius cura et defensio a divina providentia creditur nobis esse commissa*[l] *specialius. Eapropter de discordia, quae in substituendo Romanum pontificem inter vos suborta est, plurimum dolemus, timentes ne occasione huius schismatis ecclesia Christi sanguine redempta debeat dilacerari, praesertim cum robur ecclesiae foris titubare videatur, quoniam unitas ipsius scissura domestica interius dilaniatur. Ut autem huic pesti competens et Deo gratum exhibeamus remedium, religiosorum virorum consilio generalem curiam et conventum in octava epiphaniae Papiae indiximus celebrandam. Ad quam evocavi-* 1160. Ian. 13. *mus totius imperii nostri et aliorum regnorum, scilicet Angliae, Franciae, Ungariae, Daciae, archiepiscopos, episcopos, abbates et viros religiosos ac Deum timentes, quatenus remoto omni seculari iudicio, hoc tam magnum ecclesiae negocium ecclesiasticarum tantum personarum sententia ita sopiatur, ut et Deo debitus exinde honor deferatur, et ecclesia Romana sua integritate et iusticia non possit a quoquam privari, vel status Urbis, quae caput imperii nostri est, inquietari. Proinde eruditioni vestrae mandamus et ex parte Dei omnipotentis et totius ecclesiae catholicae praecipimus, ut ad eandem curiam sive conventum veniatis, ecclesiasticarum personarum sententiam audituri et recepturi. Testis enim nobis est Deus, quia in hac curia nec amore nec odio alicuius personae quicquam aliud quaerimus, quam honorem Dei et ecclesiae suae unitatem. Quod si ad tam celebrem ecclesiae conventum examinationis causa*[m] *venire volueritis, karissimi principes nostri et ecclesiae catholicae*[n] *Herimannus Ferdensis*[h], *Daniel*[o] *Pragensis*[p], *patres et episcopi venerabiles, quos de palatio nostro ad vos transmisimus, una cum comite palatino, consanguineo nostro, aliisque legatis nostris, securum vobis conductum praestabunt. Si vero iusticiam Dei et ecclesiae in tam*[q] *sollempni conventu recipere nolueritis, videat Deus et iudicet. Nos autem ipsius favente*[r] *gratia, qui dat salutem regibus, iusticiam Dei, quae nullum magis quam imperatorem Romanum decet, prosequemur*[s].

56. Porro litterae, quibus ad tantam discussionem transmontanos episcopos invitavit,

a) adtendite 6. b) dominum Rolandum id est Christum 6. c) a 6. d) literisque 2. e) venerabilem virum et prudentem 6. f) Brag. 4 *semper*. 6. g) N. 8. 9. h) *ita* 4. 6. 8. 9 *semper*; Verd. *edd.* i) Fredericus 6 *semper*. k) Romani — prosequemur *desunt* 8. 9. l) esse com. nobis 4. 6. m) curiam 6. n) kath. 4. o) D. 4. p) Brag. 6. q) vitam 2. r) fav. ipsius 6. s) prosequentur 6.

31) Teste Böhmero 2428 haec epistola data est apud Bouquet XV, 746 Cremae die 23. Octobr. 1159, quae signa chronologica etiam in litteris sequentibus adnotantur Legg. II, 118.

1159. Oct. 23. istae pro exemplo sufficiant: *Fridericus*[a] *Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Hartmanno*[b] *Brixinensi episcopo salutem et omne bonum. Quod*[32] *in passione sua Christus duobus gladiis contentus fuit, hoc*[c] *in Romana ecclesia et in imperio Romano*[d] *credimus mirabili providentia declarasse, cum per haec duo rerum capita et principia totus mundus tam in divinis quam in humanis ordinetur. Cumque unus Deus, unus papa, unus imperator sufficiat, et una ecclesia Dei esse debeat, quod sine dolore*[e] *dicere non possumus, duos apostolicos in Romana ecclesia habere videmur*[f]. *Defuncto itaque Adriano papa*[g] *in Kalendis Septembris, cardinales, qui columnae*[h] *immobiles esse videbantur, quibus sancta et universalis firmissime inniteretur ecclesia, non quae Dei sunt sed sua quaerentes, et unitatem ecclesiae scindentes, duos pontifices elegerunt, et ambos consecraverunt. Pro tanta namque et tam perniciosa ecclesiae iactura tota nimirum Italica ecclesia conturbatur, et dissensiones*[i], *schismate orto in capite, iam in inferiora membra defluxissent*[k], *et totum ecclesiae corpus defoedassent*[k], *nisi nos consilio et auxilio religiosorum virorum, qui spiritu Dei aguntur, tam impudicae iniquitati iusticiae rigorem opposuissemus. Ne itaque in tantae discrimine discordiae universalis ecclesia periclitari possit, Romanum imperium, quod ad remedium tam perniciosi morbi divina clementia providit, universorum saluti debet sollicite providere, et ne tanta mala in ecclesia Dei praemineant, futuris casibus solerter obviare. Coadunatis itaque in unum omnibus episcopis, tam Italicis quam Teutonicis, caeterisque principibus ac viris religiosis, qui zelum Dei et ecclesiae habere videbantur, quod facto opus esset diligenter investigavimus, ex decretis Romanorum pontificum et statutis ecclesiae veraciter accipientes, quod exorto schismate in Romana ecclesia ex duorum apostolicorum dissensione, ambos vocare et secundum sententiam et consilium orthodoxorum litem decidere deberemus. Ex consilio itaque omnium qui aderant episcoporum caeterorumque principum curiam solempnem et generalem conventum omnium ecclesiasticorum virorum in octava epiphaniae Papiae celebrandam indiximus, ad quam ambos qui se dicunt Romanos pontifices vocavimus*[l], *omnesque episcopos imperii nostri et aliorum regnorum, Franciae videlicet, Angliae, Hispaniae atque Ungariae, ut eorum in praesentia nostra iusto declaretur examine, quis illorum regimen universalis ecclesiae de iure debeat obtinere. Quia vero ad unitatem ecclesiae reformandam sapientia tua*[m] *admodum nobis necessaria est, ut ea nequaquam carere valeamus, dilectionem tuam attentissime rogamus et rogando commonemus, quatenus pro fidelitate ecclesiae et imperii ad praedictam curiam omni occasione remota venias, ut in adventu tuo unitas et pax et tranquillitas ecclesiae reformetur. Interim autem praedictae scissurae in neutram partem assensum tuum declines, nec tanquam iustam et rationabilem aliquatenus recipias. Data Cremae, 10. Kalendis Novembris*[n].

57. Iam vero ad ea quae apud Cremam gesta sunt res exigit ut revertamur. Cremenses, ut supra dictum est, tam in vadibus quam in captivis suis male affecti, cum ab excursibus et audacia temere paululum quievissent, alio ingenio alioque[o] commento nostros fallere cogitant et subvertere. Quaedam enim instrumenta fabricant, muscipulis quidem simillima[p], sed pro qualitate humani corporis fortiora, eaque per vias circa[q] vallum[r] dispergunt, quibus ignari multi haerentes aut capi facile poterant aut occidi. Item fossas quam plurimas hinc inde desuper levi operimento contegunt, quas illapsi similiter aut capiebantur aut occidebantur. Eiusmodi et alii multi latrocinales doli tam ad rapinas quam ad incendia machinarum cum assidue fierent ab his qui intra munitionem erant, Fridericus et calliditate simul et audacia eorum magis irritabatur. Et quia penuria civitatem capere desperasset, abundabant enim frumento, iterum consilium ad vim atque arma convertit, omnibus agminibus id maxime cupientibus, qui iam longae obsidionis taedio affecti[s] variisque laboribus attriti, moerore tenebantur bellumque quoquo modo finiri optabant. Sextus enim[t] iam mensis erat ex quo civitas obsessa fuerat, hyemsque pluviosa et gelu asperrima illo anno plus solito inhorruerat.

58. Itaque admotis omnibus machinis, ad occupandam civitatem hortatur exercitum, turresque in excelsum erectas, ferro[u] variaque materia undique tectas, ut et pondere stabiles essent[v] neque ignibus expugnarentur, super aggeres collocat, iaculatoribus[w] et sagit-

a) F. 8. 9. b) *ita* 2. 6; N. 8. 9. c) hoc — Novembris *desunt* 8. 9. d) *add.* 2. 6. e) cordis *add.* 4. f) videmus 6. g) papa Adr. 6. h) columpne 4. i) dissensionis 6. k) *ita* 6; defluxisset *et* defoedasset *edd.* l) *ita* 2. 6; vocabimus *edd.* m) *add.* 6. n) Data — Novembris *desunt* 6. o) *deest* 8. 9. p) similia 4. q) circaque 4. r) vallunt 4. s) afflicti 8. 9. t) *deest* 8. 9. u) ferroque 2. v) erant 8. w) iaculatoriis 4.

32) Böhmer 2429. Legg. II, 119.

tariis militumque fortissimis plenas. Qui cum non conspicerentur, ipsi eos qui vel super 1160. murum astarent, vel in civitate deambularent[a], facillime cernerent telisque appeterent, cum illi neque a vertice venientes sagittas facile declinare neque ulcisci possent, quos non viderent. Quotiens autem ignito ferri pondere et adunco, quo levius haereret, machinas attemptabant, qui desuper erant aquis ignem restinguendo, uncos autem et hamos ferri contis proceris et sudibus[b] dissolvendo conatus eorum in irritum revocabant. In his enim falces alligarant, ut si quid de materia, quae contra ictus machinarum turribus alligata fuerat, ignis corrupisset, statim abscinderent. Et Cremenses quidem ita resistebant, quamvis multi in dies singulos occumberent, contraque parum mali hostibus facerent.

59. Et quoniam ad finem huius obsidionis tendimus, ad alia properantes, ultimum praelium quod et[c] maximum paulisper attingere libet, pro eo quod et atrox et vario eventu gestum est. Imperator cernens oppidanos neque se ipsos misereri neque civitati parcere velle, generalem aggressionem fieri statuit. Electis ergo de singulis agminibus viris fortissimis, intra machinas turrium eos collocat, variis quidem locis, alios superiores, alios inferiores, ut dum inferiores civitatem per murum ingressuri pontes applicarent, superiores eos iaculis et sagittis, quo minus ab hostibus laederentur, defenderent. Erant turres ipsae nimia[d] proceritate mirabiles, supra 100 pedes in altum erectae, multorum hominum per singula diversoria capaces. Reliquum exercitum circa muri ambitum distribuit, praecipiens, quando pontes admoveri coepissent, ipsi quoque singuli contra quem starent locum aggredi murumque vel transcendere vel irrumpere conarentur. Ipse quidem utrinque ita disposuit. Civitatis autem populus postquam oppidum undique videre circumdatum, armisque omnia conlucere, tubicines quoque universorum agminum et signiferos congregatos, ut signo dato undique eos invaderent, non segniter se et ipsi communiunt, magnaque audacia super muros et in suis machinis, quas gattas appellant, operiuntur, ut cum admoverentur pontes, ipsi eos vel occuparent vel deicerent, murumque scalis ascendere nitentes vario modo deterrerent, magna tunc animi facinora demonstrantes, ne vel in extremis calamitatibus deteriores nostris viderentur. Iam pontes, licet maxima difficultate, admoti fuerant[e], iam tota acies in muro pedem ponebat. Tum Cremenses callide se intra suas machinas occultantes, primos quidem et de subtus et supra graviter excipiunt, posteriores autem tormentorum ictibus deterrent, acies pro muris pugnantium dissipant, et qui scalis aliisque instrumentis ascendere nitebantur, impulsi devolvebantur a muro. Sed neque nostris virtus in rebus adversis, nec Cremensibus saevitia defuit. Nempe unus militum nostrorum nomine Bertolfus de Arrah[f, 33], qui cum primis de ponte saltu in civitatem devenerat, circumdatus undique ab hostibus, dum pugnando[g] se fortissimum ostendisset, multosque solus usque ad magnam partem civitatis persecutus fuisset, a quodam retro longa securi prostratus est. Nam anteriori[h] parte per medios ruentem universi[i] vitabant, audaciam hominis metuentes pariter et admirantes. Quem tandem cum occidissent, unus eorum crudeliter in mortuum saeviens, cutem capitis, ut dicebatur[k], abstraxit, et prius decentissime capillatam galeae suae affixit, ipse turpis et indecentissimus, nec viri fortitudine permotus, nec humanae conditionis sortem miseratus. Alium quoque praecisis manibus ac pedibus, grave ludibrium, per plateas serpere permiserunt. Porro qui murum transcendere conati sunt, quamvis singillatim digni essent memoria, omnium tamen fortissimus demonstratus est Otto palatii[l] comes de Baioaria, qui saepius muro repulsus, saepiusque ante alios in ceptum opus revertens, virtute fortitudinis suae toti huic ornamento fuit calamitati. Non tamen impune nec longum Cremenses[m] hac fortuna usi sunt. Nam de prominentia turrium nostrarum[n] diversis missilibus tot ea die vel occisi vel vulnerati sunt oppidanorum, quot muro anteriore pulsi intra munitionem, quae secundo muro erat accincta[o], confugerent, et tunc primo rebus suis desperarent.

60. Imperator videns excidium civitatis vicinum esse, iam enim vires eorum et audaciam labor, metus et calamitas fregerant, concilium quod in octava epiphaniae celebrandum Ian. 13. fuerat, distulit, animumque totum ad subversionem civitatis laxavit. Iam autem valida[p]

a) amb. 2. b) sedibus 2. c) *ita* 2. 4; quod *deest edd.* d) una 8. 9. e) *ita* 8. 9; *loco* Iam — fuerant 4 *ita:* Iam pontes admoti, 2: Iam pontes amote. f) *ita* 4 *et edd.* g) repugnando 2. h) in anter. 4. i) *hic deficit* 4, *reliquis inde a quaternione XVIII deperditis.* k) ut dic. *desunt* 8. 9. l) palatinus 8. 9. m) letati Crem. 8. 9. n) nostrorum 2. 8. 9. o) cincta 2. p) invalida 2.

33) legendum: *Urach.* V. v. Raumer II. p. 123.

1160. iuvenum manus collapsa fuerat, multique in dies singulos iaculis et sagittis occumbebant, cum, ut dictum est, ipsi contra nichil mali nostris facere possent[a]. In tantis ergo rerum angustiis, consilio necessitatis adhibito, Peregrini Aquilegiensis ecclesiae patriarchae simulque Heinrici ducis Baioariae et Saxoniae colloquium expetunt, petentibusque locus et hora datur, quando sapientiores et maiores civitatis se dictorum heroum conspectui praesentarent. Mane facto, designata statione, cum pars utraque adesset, patriarcha vir eruditus plurimisque virtutibus adornatus, et cui praeter officii auctoritatem magna facundiae gratia inerat, prior ad eos ita orsus memoratur:

61. *Siquidem non viderem vos ad sentiendum quae pacis sunt esse incitatos, neque populi Cremensis puriorem sincerissimamque vos partem, nunquam*[b] *processissem ad vos, neque consulere confisus essem. Supervacua enim, ut ait quidam, est de utilibus oratio, quando omnium habitatorum conspirat ad deteriora consensus. Quia vero aliquos quidem aetas malorum belli nescios facit, quosdam vero inconsiderata spes libertatis, nonnullos quoque avaritia succendit, paucorum bonorum consilio providendum est, quemadmodum ipsi ab hoc errore corrigantur. Quod si ab initio suscepti belli provisum non est, sera saltem poenitentia corrigat excessum, ut qui in portu praecavere tempestatem noluistis, vel inter medias procellas pro tempore rebus fractis consulatis. Subeat vobis*[c]*, si non civitatis iam perditae iamque subversioni proximae, saltem miseratio filiorum vestrorum adhuc superstitum atque coniugum. Parcite reliquiis hominum, si parcere noluistis caris aditis paternorum moenium*[d]*. Experti feritatem Germanorum, virtutem et magnitudines corporum, ne dubitetis eos spiritus gerere maiores corporibus et animas contemptrices mortis habere. Breviter vobis quod sentio edam. Placeat*[e] *ut victori principi colla subdatis, expedit ut universam salutem vestram in deditione non in armis reponatis. Si enim spreta pace in defectione perseverantes eritis, haud dubie maioribus quam passi estis periculis subdemini.*

His dictis dolorem quem corde habebant paulisper supprimentes, respondent, se non adversus principem sed contra gentiles suos Cremonenses arma sumpsisse, olimque sibi decretum neque his neque illis, sed soli Deo et imperatori servire voluisse, et in multis clarere, mortem eos indebitae servituti praetulisse, foedus cum Mediolanensibus pepigisse, idque donec Deo placuerit inviolatum custodisse. Iram se divinam pro peccatis suis perferre, fortunam imperatoris praevalere. Nam habentes armorum abundantissimum apparatum et alimentorum nullam penuriam, manifestissime Deo spem salutis auferente, perdidisse. Rogare autem ne gentilibus suis Cremonensibus inimicissimis poenas sed soli principi cogantur praestare. Optare se bello finem imponere, virtutem imperatoris se effugere non posse.

62. Cognito iam nominati principes quod pacem cuperent bellique taedio affecti essent, verbum eorum curiae perferunt. Placuit, de conditionibus pacis agitur, diffinitur, et sine contradictione ab oppidanis recipitur. Erat autem pactum tale, quod Cremenses civitatem dederent, ipsique vita sibi indulta cum coniugibus ac liberis quovis eundi facultatem haberent, de rebus suis quantum quisque semel humeris efferre posset, secum exportaret[f]. Mediolanenses vero et Brixienses, qui ad praesidium eiusdem civitatis intraverant, relictis ibidem armis et omnibus suis, vitam sibi pro lucro existimarent. Quibus omnibus tandem
Ian. 27. 6. Kalendis Februarii completis, ipsum castrum, egressis inde quasi 20 milibus hominum diversi generis, flammis traditum et militibus ad diripiendum permissum est.

Peracto excidio, divus augustus toto exercitu iocundante laetam victoriam acturus, Papiam divertit. Ubi vero eum[g] appropinquare nunciatum est, omnis multitudo civitatis obvia per vias et plateas cum senibus et iuvenibus, cum coniugibus et liberis praestolabatur, et quo transiens divertisset, eius[h] maiestatem vultusque[i] lenitatem omnium generum vocibus prosequebatur, bene meritum triumphatorem et salutis datorem solumque dignum Romanum principem appellari. Tota civitas veluti templum variis ornamentis decorata erat, et diversis odoribus aromaticis plena redolebat. Cum autem vix per circumstantium multitudinem ad ecclesiam venire potuisset, antequam in palatio se reciperet, omnipotenti Deo, qui dat salutem regibus, pro adepto triumpho vota solvit, et gratulatoria sacra celebravit. Conventum quoque, quem in octava epiphaniae habendum statuerat, in eadem Ticinensium

a) potuissent 8. 9. b) non 2. c) vos 2. 8. 9. d) meniorum 2. 8. 9. e) *ita* 2; Placet *edd.* f) exportare 2. g) *deest* 8. 9. h) eiusque 2. i) multusque 8, 9.

civitate in purificatione sanctae Mariae decrevit peragere[34]. Porro de subacta vel potius 1160 subversa Crema statim imperiales litterae per ambitum regni diriguntur in hunc modum: Febr. 2.

63. *Fridericus*[35] *Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus. Scire credimus prudentiam vestram, quod*[a] *tantum divinae gratiae donum ad laudem et gloriam nominis Christi honori nostro tam evidenter collatum occultari vel abscondi tanquam res privata non potest. Quod ideo dilectioni vestrae ac desiderio significamus, ut sicut karissimos et fideles vos participes honoris et gaudiorum habeamus. Proxima siquidem die post conversionem sancti Pauli plenam victoriam de Crema nobis Deus contulit, sicque gloriose ex ipsa triumphavimus,* Ian. 26. *quod tamen*[b] *miserae genti, quae in ea fuit, vitam concessimus. Leges enim tam divinae quam humanae summam semper clementiam in principe esse decere testantur.*

64. Tempus erat, quo concilium Papiae indictum celebrandum fuerat, idque de universis regni partibus, videlicet Cisalpinis et Transalpinis, in unum collecti archiepiscopi[c] et episcopi aliique ecclesiarum praelati pendula expectatione operiebantur. Tum augustus commonens omnes ieiuniorum et orationum subsidiis ecclesiae catholicae causam Deo commendari, cum sacerdotibus et omni populo[d] auxilium divinum fida sanctorum intercessione poscebat. Deinde convocato in unum concilio, cum resedisset, ait ad episcopos: *Quamvis*[36] *noverim officio ac dignitate imperii penes nos esse potestatem congregandorum conciliorum, praesertim in tantis ecclesiae periculis — hoc enim et*[e] *Constantinus et Theodosius nec non Iustinianus, seu recentioris memoriae Karolus Magnus et Otto imperatores fecisse memorantur —, auctoritatem tamen diffiniendi huius maximi et summi negocii vestrae prudentiae vestraeque potestati committo. Deus enim constituit vos sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et quia in his quae ad Deum sunt non est nostrum de vobis iudicare, tales vos et taliter in hac causa hortamur habere, tanquam solius Dei de vobis expectantes iudicium.*

Cum haec[f] dixisset, ipse se concilio subtraxit, examen totum ecclesiae et ecclesiasticis, quae ibi innumerabiles erant, committens personis. Erant autem circiter quinquaginta archiepiscopi et episcopi, abbatum et praepositorum non erat prae multitudine aestimatio. Legati quoque diversarum terrarum aderant, spondentes quicquid a synodo decretum foret indubitanter a suis recipiendum.

65. Residentibus itaque episcopis et clero universo 7 diebus causa ventilata est, tan- Febr. 5—11. demque domno[g] Octaviano, qui cum praesens advenisset et haberet qui partem suam defenderent, cessit litis victoria, et pro ipso concilium sive curia dedit sententiam, condempnato Rolando et reprobato, qui citatus legitime concilio se praesentare contumaciter abnuisse dicebatur. Saepius autem lectorem admonitum esse cupimus, ut in hoc facto ad disquirendam rerum veritatem non nostra dicta consulat, sed litteris et scriptis, quae ad manus nostras venerunt et huic operi inserendae visae sunt, innitatur, suo servans arbitrio, quando de hac controversia et litis decisione conciliique[h] iudicio sufficienter sibi fides facta videatur.

66. *Invictissimo et gloriosissimo domino*[i] *suo Friderico Romanorum imperatori et semper augusto et venerabilibus patribus in Christi*[k] *nomine congregatis fratres qui Romae sunt, basilicae beati*[l] *Petri principis apostolorum canonici, angeli magni consilii praesentiam et Spiritus sancti consolantem gratiam. Patres sanctissimi, quos Deus elegit ad consolationem moerentium et delinquentium correctionem, sicut ait apostolus, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, intendite precibus nostris, et ad dolorem nostrum leniendum consolationis manum extendite. Tanta est enim tamque*[m] *diffusa moeroris nostri materia, ut unde debeamus exordium sumere, difficulter possimus invenire. Verum quia materia doloris est et moeroris, a luctu et moerore ordiri decrevimus. Attendite ergo*[n] *et videte, si est dolor sicut dolor noster, cum videamus matrem nostram Romanam ecclesiam, quondam fulgentem, a filiis suis, imo alienis, quia mentiti sunt ei, quos enutrivit et exaltavit, ipsi autem spreverunt eam, contumeliose evisceratam et membris ex parte mutilatam, in coeno iacentem, contumeliam iacturamque suam nec scientem*[o] *nec sentientem. Unde cum Ieremia*[37] *plorante suae Hierusalem destructionem plorantes dicimus:* Non crediderunt reges terrae, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis, et

a) qui 8. 9. b) *ita* 2; tam 8. 9 *et edd.* c) *deest* 6. d) *deest* 8. 9. e) *deest* 6. f) hoc 8. 9. g) de domino 8. 9. h) et concilii 6. i) inv. domino et glor. 8. k) in Christi — reformandam *desunt* 8. 9. l) *ita* 2. 6; Sancti *edd.* m) *ita* 2. 6; tam *edd.* n) igitur 6. o) nec scientem *recepi ex* 2.

34) Vide tamen epistolam praepositi Berchtesgadensis infra c. 72, qua constat synodum usque ad diem 5. Februarii dilatam fuisse. 35) Legg. II, 120. 36) Legg. II, 121. 37) Thren. 4, 12.

1160. inimicus per portas Hierusalem. *Vere Hierusalem erat mater nostra Romana ecclesia, quae cunctis ad se venientibus et quaerentibus pacem dabat. Nunc autem et dolentes dicimus, ut olim illa*[38]*:* Peccatum peccavit nostra Hierusalem, propterea instabilis facta est. *Nec immerito propter peccata prophetarum eius et iniquitates sacerdotum eius erraverunt caeci in plateis, facies Domini divisit eos. Et vere. Vultus enim Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Unde plurimo rubore suffundimur*[a]*. Vere peccatum peccavit hoc tempore nostra Hierusalem, invidia et odio et iniquitatibus multis, quae quia per omnia longum est enarrare, ad ostendendam Romani pontificis electionem*[b] *et causam discordiae declarandam propositum convertemus.*

1159. Sept. 1. *Domno igitur papa Adriano felicis memoriae prima vigilia Kalendis Septembris viam universae carnis ingresso, convenit ilico maxima multitudo, cum quibus etiam*[c] *senatores affuerunt, quorum consilio corpus Romam delatum est. Inter cardinales vero contentione crescente, convenit tandem inter eos, ut Romam redirent et concordem electionem facerent de aliquo cardinalium. Quod si non possent, quaererent extraneam personam. Quod si nec sic possent convenire, ab electione quiescerent, donec invenirent idoneum virum, quem concorditer eligere deberent. Et hoc unanimiter ab omnibus confirmatum est. Post hoc autem statim Romam redierunt. Domnus Octavianus et quidam alii accesserunt ad obsequium defuncti. Quidam vero alii praemiserunt auctorem scelerum Bosonem, primogenitum Satanae, ut munitionem beati Petri occuparet, cuius custodes fidelitatem ei iuraverant, domno papa Adriano vivente, eumque postea subsequentes, eandem munitionem conscenderunt. Domnus autem Tusculanus palatium ascendit. Domnus Octavianus et domnus*[d] *Rolandus cancellarius ad domos nostras venerunt et quidam alii. Vocati autem isti ab illis qui munitionem observabant, responderunt, se nunquam ascensuros in munitionem, Bosonem verentes, ne, sicut eis relatum fuerat, a iuratis Bosonis caperentur. Et domnus cancellarius: „Vadam", inquit, „et eos ad vos descendere faciam". Ivit cum eo diaconus de Carcere, nec redierunt, et sic per biduum de loco ubi electionem facerent convenire nequiverunt.*

1159. Sept. 5. *Tandem die sabbati descendentibus illis de munitione, ascenderunt omnes post altare beati Petri, et coeperunt de electione tractare. Cumque convenire non possent, dixerunt isti qui concordiam et pacem ecclesiae desiderabant: „Date nobis electionem, et eligemus*[e] *unum de vobis, aut habeatis vos electionem, et eligite quem vultis de nobis unum"; et noluerunt*[f]*. Surrexit tandem velut*[g] *iratus Otto, diaconus Sancti Georgii*[h]*, et Adebaldus*[i, 39] *Crassus, cardinalis Sanctorum apostolorum, et Iohannes Neapolitanus, et accepto manto voluerunt immantare domnum Rolandum cancellarium, sed saniore et meliore*[k] *parte cardinalium*[l] *ex parte Dei omnipotentis, et beatorum principum apostolorum Petri et Pauli atque totius ecclesiae auctoritate prohibente, non potuerunt. Facta autem hac prohibitione, iterum eum immantare attemptaverunt, nec potuerunt, et cancellarium cum manto nullo modo tetigerunt; per eos tamen non stetit quin immantaretur. Caeterum clerus Romanus, qui in ecclesia beati Petri pro electione summi pontificis convenerat, audito clamore, cucurrerunt, circumdantes domnum Ottonem, qui erat cum cardinalibus iuxta altare beati Petri, et clamaverunt omnes dicentes: „Domnum Octavianum eligite, per quem solum ecclesia pacem potest habere". Tunc petitione populi Romani et electione totius cleri, consentiente et desiderante universo capitulo basilicae beati Petri, domnus Octavianus cardinalis a saniori parte cardinalium electus est et manto indutus ac in sede beati Petri positus absque omni contradictione, cantantibus omnibus*[m]*:* Te Deum laudamus *in iubilo. Deinde, sicut mos est, domni cardinales et*[m] *clerus Romanus totus qui praesens erat et qui postea confluxerat, populique Romani pars maxima pedes eius osculati sunt. Quod videns domnus Rolandus cancellarius et qui ei, sicut dicebatur, iuramento erant astricti, nec reclamaverunt*[o]*, nec aliquo modo contradixerunt, sed inclinato capite redeuntes, quasi spe sua frustrati munitionem*[p] *conscenderunt. Tunc domni cardinales, clerus, iudices, scriniarii, senatores, populus Romanus domnum electum, signis bandonis praecedentibus, ad palatium usque cum iocunditate perduxerunt, Romano more clamantes:* Papa Victore santo Pietro l'elegge[q]. *In crastinum autem quidam de clero Romano ascenderunt*[r] *munitionem, et osculata manu domni Rolandi*[s]

a) *ita* 6; suffunduntur 2. b) *ita* 2. 6; Romanam electionem *edd.* c) *ita* 6; et *edd.* d) *deest* 2. e) eligimus 6. f) el. unum q. v. d. n. et nol. 6. g) ut 6. h) Georii 6. i) Aldebaldus 6. k) *ita* 6; meliori *edd.* l) *ita* 6; cardinales *edd.* m) *deest* 6. o) *recepi ex* 2. 6; clam. *edd.* p) *ita* 6; mun. q. spe sua fr. *edd.* q) Petru lo lege 2; Petro lo lege 6. r) *deest* 2. s) *add.* 6.

38) Thren. 1, 8. 39) Ildebrandus alias vocatur; Jaffé p. 677.

cancellarii, coeperunt eum et qui cum eo erant rogare, ut paci ecclesiae provideret. Quidam 1160. *autem de diaconibus*[a] *curiae respondit eis velut indignans: „Heri pedes domni*[b] *Octaviani, qui fratrem suum domnum cancellarium exuit manto et se induit, estis osculati, et modo venitis ad nos?" Et domnus cancellarius: „Noli", ait, „domne cardinalis, dicere quod verum non est. Domnus Octavianus nunquam exuit me manto*[c]*, quia nunquam indutus fui." Sicque per totam hebdomadam illam domno cancellario et suis in ecclesia beati Petri morantibus, nono die descendentes trans Tyberim*[d]*, eo die et altero commorantes, undecimo*[e] *exierunt, et pervenerunt ad cisternam Neronis, in qua latuit Nero fugiens Romanos insequentes. Iuste cisternam adierunt, quia dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. Et ibi die altero, qui duodecimus erat ab electione domni Victoris, induerunt cancellarium stolam et pallium erroris in destructionem et confusionem ecclesiae, ibique primum cantabant:* Te Deum laudamus. *Quis vestrum, o sanctissimi patres, audivit talia? Quantum in eis est, biceps hodie facta est Romana ecclesia. Nunc tacendum nobis est,* *ut domnus Otto palatinus comes et domnus Gwido comes de Blanderata*[f] *et domnus Heribertus praepositus*[40]*, viri prudentissimi, imperatoriae maiestatis legati, vicem accipiant referendi, quid in domno cancellario et suis repererint. Qui cum nota retulerint domni episcopi, domni imperatoris legati, quid hinc inde humilitatis et veritatis cognoverint, plenius poterunt enodare. In Urbe quoque cum Romanus clerus ad ecclesiam beati Petri ipsis praesentibus conveniret, quid de facto isto persenserint, quoniam praesentes esse credimus, referant ipsi, et ad hoc comprobandum duos de fratribus nostris, Petrum Christianum ecclesiae nostrae decanum et Petrum Gwidonis camerarium sanctae Romanae ecclesiae subdiaconum, sanctitati vestrae transmittimus, ut de his omnibus veritatis testimonium etiam viva voce perhibeant. In coena Domini estis, in qua redemptionis humanae sacramenta peregit. Duos gladios apostoli se habere professi sunt, quos et vos habetis, quid in eis et per eos agere debeatis, nullus vestrum ignorat. Ibi dictum est a Christo:* Satis est. *Et nos, qui Christi vestigia sequi debemus, vobis dominis nostris dicimus, huic operi finem facientes:* Satis est. *Omnipotentis sapientia Patris, qui novit et potest unire vota et voluntates omnium, doceat vos omnes et uniat*[g] *ad confusionem Babylonicam destruendam et simoniam de ecclesia propellendam et pacem toti mundo desiderabilem in integrum reformandam.*

67. Actio concilii, quae verbis simplicibus in scriptum redacta, item ponenda videbatur:

Haec sunt capitula[41]*, quae in*[h] *concilio Papiae super electionem domni papae Victoris canonice probata sunt. Domnus Octavianus et nemo alius Romae in ecclesia beati Petri petitione populi et consensu ac desiderio cleri a*[k] *cardinalibus manto solempniter est indutus, et praesente cancellario et non contradicente in cathedra*[l] *beati Petri collocatus est, et a cardinalibus et clero Romano* Te Deum laudamus *solempniter ei cantatum est, et nomen ei Victor*[m] *impositum est. Ibi multitudo cleri et populi Romani venit ad pedes eius. Tunc scriniarius secundum antiquam Romanorum consuetudinem ascendens in altum, voce magna clamavit ad populum dicens:* Audite, cives Romani et coetus rei publicae. Secunda feria pater noster Adrianus mortuus est, et proximo sequenti sabbato domnus Octavianus cardinalis Sanctae Ceciliae in Romanum pontificem electus et immantatus[n] est, et in cathedra beati Petri collocatus est, et papa Victor est nominatus. Placet vobis? *Respondit magna voce clerus et populus:* Placet. *Secunda et tertia vice interrogatus populus si placeret, clara voce respondit:* Placet. *Deinde cum bandis et aliis papalibus insignibus domnus papa cum laudibus in palatium deductus est.*

His itaque rite peractis, capitulum beati Petri statim venit ad pedes eiusdem papae Victoris et obedivit ac debitam ei[o] *reverentiam exhibuit; clerus et populus, multitudo magna similiter obedivit. Sequenti vero die proxima rectores cleri Romani accedentes ad domnum cancellarium et ad cardinales qui cum eo erant, voluerunt cognoscere si immantatus esset, sicut quidam dicebant, et non invenerunt eum immantatum neque aliqua dignitatis specie variatum; et habito cum eo et cardinalibus suis colloquio, cognoverunt ab ore eius et suorum, quod nunquam fuerit immantatus, et quod hoc ei*[p] *falso imponebatur. Quo audito et cognito, rectores ad pedes domni papae Victoris venerunt, et obedientiam et reverentiam exhibuerunt.*

a) *ita* 2. 6; diaconis *edd.* b) *deest* 2. c) *deest* 2. d) transtyberim 6. e) *ita* 2. f) Blandera 6. g) iuvat 2. h) quae in — tractaverunt *pag.* 484 *l.* 3 *desunt* 8. 9. i) electione 6. k) ac 1. 2. l) kathedra 1. m) Victor ei 6. n) inmant. 6 *semper.* o) *deest* 1. 2; rev. ei 6. p) ei hoc 6.

40) Aquensis. 41) Legg. II, 121.

1160. *De omnibus supra dictis capitulis testes fuerunt Petrus Christianus decanus basilicae beati Petri et omnes fratres eius et duo rectores cleri Romani, Blasius*[a] *scilicet presbyter et Manerius presbyter, et septem archipresbyteri Romanae urbis et quatuor alii tam diacones quam subdiacones.*

Deinde prior Lateranensis et sui canonici obediunt.

Clerici de patriarchia Sanctae Mariae maioris obediunt.

Abbas de patriarchia Sancti Pauli per suos nuncios obedit, et in signum obedientiae de bonis ecclesiae suae illi misit.

Abbas de patriarchia[b] *Sancti Laurentii cum suis monachis obedit.*
Abbas Cirengii obedit.
Abbas Sancti Sylvestri cum suis monachis obedit.
Abbas Sancti Alexii in monte Aventino cum suis monachis obedit.
Abbas Sancti Blasii cum suis monachis[c] *obedit.*
Conventus Sanctae Sabinae obedit.
Conventus Sanctae Mariae in Capitolio obedit[d].
Conventus monachorum[e] *Sanctorum Cosmae et Damiani obedit.*
Abbas Sancti Valentini obedit.
Magister fratrum templi Hierosolymitani in monte Aventino cum suis fratribus[f] *obedit*[g].
Cardinalia Sancti Marcelli obedit.
Clerici de cardinalia Sanctorum apostolorum obediunt.
Clerici de cardinalia[h] *Sancti Petri ad vincula obediunt.*
Clerici de cardinalia Sancti Sylvestri obediunt.
Clerici de cardinalia Sancti Syxti obediunt.
Clerici de cardinalia Sanctae Sabinae obediunt.
Clerici de cardinalia Sanctae Sabilinae obediunt.
Cardinalia Sancti Cyriaci apud thermas Diocletiani obedit.
Clerici de cardinalia Sanctae Mariae trans Tyberim obediunt.
Clerici de cardinalia Sanctae Mariae in porticu obediunt.
Clerici de cardinalia Sancti Nicolai in Carcere obediunt.
Monasterium Sanctae Agathae obedit.
Archipresbyter Sancti Apollinaris obedit.
Archipresbyter Sancti Triphi obedit.
Archipresbyter Sancti Bartholomaei obedit.
Ecclesia Sancti Celsi obedit.
Ecclesia Sanctae Mariae in monasterio obedit.
Ecclesia Sanctae Mariae in Palaria obedit.
Ecclesia Sancti Salvatoris de Curte[i] *obedit.*
Archipresbyter Sancti Vincentii cum suis obedit.
Archipresbyter Sanctae Katharinae cum suis obedit.
Archipresbyter Sancti Thomae de Parrione obedit.
Archipresbyter[l] *Sanctae Anastasiae*[m] *cum suis obedit.*
Archipresbyter Sancti Salvatoris de campo cum suis obedit.
Archipresbyter Sanctae Mariae in monte celso cum suis obedit.
Et multae aliae ecclesiae et monasteria obedierunt, quas vix enumerare valemus.

Post promotionem domni Victoris canonici beati Petri miserunt ad Rolandum cancellarium canonicos suos, qui viderent an esset immantatus, sicut quidam credebant, aut aliquo modo promotus. Unde bis missi inquisitores bis retulerunt eum non esse immantatum nec aliqua promotionis specie variatum. Sequenti vero die, ut omnis dubitatio tolleretur, miserunt canonici quosdam de suis, ut mensae cardinalium[n], *qui intererant*[o], *interessent, et viderent si saltem in mensa locum digniorem solito obtineret, aut etiam benedicendo mensam primus esset, vel aliquo modo inter cardinales loco vel dignitate seu veste dignior haberetur. In quibus omnibus nullo modo senserunt eum promotum vel mutatum. Atque in hunc modum perscrutati sunt canonici statum cancellarii per singulos continuos novem dies.*

a) Basilius 6. b) patriarcha 6. c) *deest* 1. 2. d) Conv. S. Sabeę et S. Marie in capitolio obediunt 6. e) *deest* 2. f) *deest* 1. 2. 6. g) obedivit 6. h) clerici de cardinalia S. Marcelli et de card. *etc.* 6. i) cum suis *add.* 6. k) c. s. *desunt* 1. 6. l) *haec et sequens linea desunt* 1. m) Anastasii 6. n) ut inde se cardinales 1. o) inerant 6.

Basso et Iohannes de Romano dicunt: Postquam cancellarius, sedente domno Victore in cathedra, in munitionem[a] se recepit, Iohannes Phizutus clericus et Iohannes de Bucca-Lata laicus voluerunt immantare cancellarium, qui cum iniuria repulit[b] eos dicens: „De me non facietis ridiculum, ibi est papa, ite ad eum, et obedite ei". 1160.

Presbyter Blasius et presbyter Magnerius, rectores cleri Romani, dicunt se cum tribus aliis rectoribus cleri sequenti die post promotionem domni Victoris accessisse ad cancellarium et ad omnes cardinales qui cum eo erant, et non viderunt eum immantatum nec aliquo modo promotum, et antequam discessissent, audierunt duabus vicibus ab ore cancellarii, quod nec erat nec fuit immantatus. In praesentia etiam ipsorum rectorum et in praesentia eorum[c] qui ibi erant testificatus est Otto cardinalis de Carcere, quod domnus Octavianus nullam violentiam vel iniuriam intulit cancellario.

Item dixit Otto: Pro nichilo adscribitur hec iniuria domno cancellario, quia nullus ei mantum abstulit, quia nunquam habuit. *His omnibus ita peractis et cognitis, rectores isti iverunt ad domnum Victorem, et obedientiam ei fecerunt, et praeceperunt clero, ut ei obediret. Quod et factum est.*

Presbyter Barro et presbyter Iohannes, capellani de cardinalia cancellarii, dixerunt, se sequenti die post promotionem domni Victoris ad cancellarium accessisse, et dixisse ad eum sic: Audientes vos esse immantatum gaudebamus, et nunc quia aliter videmus, dolemus. *Qui dixit eis:* Pro me nolite gaudere vel dolere, quia ego nec fui nec sum immantatus, ite, obedite ei quem videtis immantatum. *Haec verba taliter ab ore cancellarii processisse commisit[d] presbyter Barro et presbyter Iohannes quibusdam ex nostris clericis praesentibus, ut iurent in animabus[e] eorum ita verum esse.*

Clerici de cardinalia Sancti Chrisogoni dixerunt, se sequenti die post promotionem domni Victoris accessisse ad cardinalem suum, qui erat cum cancellario, et interrogasse eum dicentes: Omnes clerici vadunt ad pedes domni papae, quid faciemus et nos? *Qui respondit:* Ite ad eum sicut alii.

Multi ex nostris dicunt vidisse cancellarium undecimo[f] die ab Urbe exisse[g] sine manto, sine stola, sine albo equo et sine omni habitus mutatione[h] cum pellibus nigro pallio coopertis et cum nigro almutio usque ad cisternam.

Iohannes de Romano dicit, se[i] audivisse Iohannem Neapolitanum et Bonandiem et quosdam alios cardinales dicentes apud cisternam: Quoniam modo sumus sine[k] pastore et sine capite, faciamus nobis dominum, *et postea immantaverunt eum, et cantaverunt ei* Te Deum laudamus *apud cisternam.*

Iohannes de Sancto Stephano et Wolframmus[l] dicunt, se audivisse, quod papa Adrianus dixit ad eos, cum de Urbe exiret: Octavianus, *inquit,* quem ego misi in Longobardiam, vult excommunicare Mediolanenses; sed ego mandavi Mediolanensibus, ut non curent de eo, sed fortiter se habeant tam ipsi quam Brixienses contra imperatorem, et ego cum eis disposui, quod imperator propter eorum impedimenta non poterit Romam venire. *Item:* Etiam[m] cum cardinalibus ita[n] disposui, quod Octavianus non erit papa post mortem meam.

Gimundus et Wolframmus[o] dicunt, se audivisse[p] ab ore episcopi Sabinensis, quod libenter rediret ad domnum Victorem; sed ita adiuratione est astrictus, quod sine periurio non potest.

Episcopus Aletrinus in praesentia domni Gwidonis Cremensis cardinalis et Gimundi[q] et Iohannis Gaietani[r] et aliorum multorum dixit: Non possum ad domnum Victorem venire, quia talem securitatem feci cancellario et suis apud Anagniam, quod non possum ad eos venire usque ad Kalendas. Post Kalendas autem veniam: interim tamen habeo eum pro domino et pastore meo. *Itaque Kalendis transactis, cum infirmitate teneretur, misit domno Victori obedientiam per clericum quendam, quem habemus praesentem[s].*

De omnibus supradictis capitulis testimonium perhibuerunt praedicti rectores cleri Romani et[t] 7 archipresbyteri supra memorati et alii multi honesti et religiosi clerici Romani[t] et Petrus Urbis praefectus et Stephanus de Tebaldo[u] et Stephanus Nortmannus et Iohannes de Sancto

a) munitione 1. b) reppulit 1. c) illorum 6. d) promisit 1. 6. e) suis *add.* 6. f) undecima 6. g) exisse ab urbe 6. h) *recepi ex* 6; munitione *rell.* i) *addit* 6. k) absque 6. l) Bolframmus 2; Wolferammus 6. m) *ita* 1. n) *deest* 6. o) Golframmus 2; Gwimundus et Golframmus 6. p) audisse 6. q) Gwimundi 6. r) Gaienati 6. s) quem h. pr. *desunt* 6. t) et septem — Romani *eadem manu in margine addita* 1. u) Thebaldo 1.

1160. *Stephano et Iohannes Gaietanus et Wolframmus*[a] *de Gidocica*[b] *et Gimundus de domo Petrileonis et multi alii*[c] *illustres Romani et nobilissimi, qui omnibus his interfuerunt, et omnia viderunt et tractaverunt.*

68. Confirmato et recepto taliter in papatu Victore, defertur ad principem sacerdotalis concilii sententia. Qua venerabiliter suscepta et approbata, Victor ad ecclesiam vocatur, et magna solempnitate et frequentia clerici ac populi suscipitur, ipsique ut summo pontifici et universali papae acclamatur. Divus quoque imperator consuetam ei reverentiam et stratoris officium[d] sicut Constantinus beato Silvestro humiliter pro foribus ecclesiae exhibuit, et manu eius accepta usque ad sedem deduxit et intronizavit. De reliquis quae ibidem acta sunt, exemplaria litterarum subnotata consule:

69. *Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, dilectissimo suo Eberhardo venerabili Salzburgensi*[e] *archiepiscopo et suffraganeis eius, Alberto*[f] *Frisingensi episcopo, Hartmanno Brixinensi*[g] *et Romano Gurcensi*[h], *totique provinciae Salzburgensi gra-*
48 *tiam suam et omne bonum. Si sacro*[42] *concilio Papiae celebrato*[i] *interfuissetis, omnia*[k] *quae ibidem vel in Romana ecclesia facta sunt, oculata fide cognoscere possetis. Ne autem ab his qui pravis delationibus et mendaciis iam totum fere orbem resperserunt, veritas possit obnubilari vel vestra sinceritas trahi in contrarium*[l], *quanto brevius possumus, seriem totius rei sine aliqua falsitatis commixtione mera veritate vobis significare dignum duximus*[m]. *Luce clarius constat, quod papa Adriano adhuc vivente Rolandus cancellarius et quidam cardinales, non*
Matth. 5, 37 *attendentes illud dominicum:* Sit sermo vester, est est, non non, *conspiratione facta cum Willehelmo*[n] *Siculo, prius ab eis excommunicato, et cum caeteris hostibus imperii, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, ne forte per mortem papae Adriani tam iniqua factio evanesceret, iuramenti vinculo invicem sese constrinxerunt, ut defuncto papa nullus alius ei*[o] *substitueretur, nisi qui in eadem conspiratione cum eis convenisset. Hac de causa duodecimo*[p] *die post electionem domni Victoris papae, eo sedente in sede beati Petri, iam dicti conspiratores egressi ab Urbe ad cisternam Neronis, derelinquentes venam aquarum viventium, se contulerunt, et idolum*[q] *sibi Rolandum cancellarium erexerunt, dicentes, hunc esse Simonem Petrum, qui apostolicae dignitatis apicem tam nefaria invasione attingere praesumebat*[r]. *Quod haec conspiratio facta fuerit, et ille iam dictus Rolandus per eam hoc modo intraverit*[s], *non est ficticium, sed religiosis viris ab illo qui facit manifesta*[t] *consilia cordium mirabiliter est declaratum. Dum haec Romae agerentur, et nos quid*[u] *super tanto scismate agendum esset viros religiosos, archiepiscopos videlicet et episcopos, consultaremus, supervenerunt, quasi missi a Deo, Tarentasinus archiepiscopus, abbas Clarevallensis, abbas Moremundensis et alii abbates numero decem, postulantes pacem Mediolanensibus; qui recepto a nobis verbo, dum Mediolanum*[v] *pro investiganda eorum voluntate adirent, acceperunt ab eis tale responsum:* Domini patres, nos tenemur astricti iuramento domno papae et cardinalibus, quod non debeamus redire ad gratiam imperatoris sine eorum voluntate, et ipsi econtra sine nostra voluntate nullam pacem facere possunt. *Responderunt eis*[w] *abbates:* Vos de caetero non tenemini domno papae, quia mortuus est, *et illi statim subiunxerunt:* Si mortuus est papa, nos ideo non sumus absoluti, quia nichilominus tenemur cardinalibus, et ipsi tenentur nobis. *Haec praedicti patres abbates in responsis a Mediolanensibus accepisse*[x] *testificati sunt coram multis religiosis viris. Praeter haec multa experimenta factae conspirationis per litteras in via deprehensas accepimus, sicut nuncius iste plenius vidit et audivit. Sane ex concilio orthodoxorum, sicut alia vice meminimus vobis mandasse*[y], *generalem conventum religiosorum Papiae indiximus, ad quem ambos qui se dixerunt Romanos pontifices, non ad iudicium seculare, sicut ora mendacium astruunt, sed ad examen ecclesiae per duos venerabiles episcopos, Ferdensem*[z] *videlicet et Pragensem*[*], *convocavimus. Alter vero, eo quod*[a] *puriorem haberet conscientiam, domnus Victor videlicet, iudicio ecclesiae ultro se*[b] *obtulit; altero, videlicet Rolando, contumaciter renitente et dicente, quia cum ipse omnes deberet*[c] *iudicare, ipse a nullo vellet iudicari. Habito itaque venerabili concilio, in quo patriarcha Aquilegiensis*[d] *et multi*

a) Golframmus 2. b) Gidocicca 6. c) alii multi 1. d) et strat. offic. *add.* 1. 2. 6. 8. 9. e) Salzp. 6. 10. f) Adilberto 1. 6; A. 10. g) Brixiensi 1. 8. 9. h) Gurzensi 1; Curcensi 6. i) *add.* 1. 6. 8. 9. 10. k) omnia — Marcii *p.* 485, *l.* 15 *desunt* 8. 9. l) in contrarium trahi 10. m) ducimus 10. n) Willih. 6; W. 10. o) *deest* 10. p) duodecima 6. 10. q) ydolum 1. r) *ita* 10; praesumebant 1. 2. 6. s) *ita* 6. 10; intraverat 1. 2. t) manifesta facit 6. u) nobis quod 10. v) Mediolanenses 2. w) ei 1. 2. x) *add.* 1. 6. 10. y) vobis mandasse meminimus 10. z) Fardensem 10. *) Brag. 1. 6. a) altero vero quod 6; alter vero eorum eo quod 10. b) se ultro 6. c) deberet omnes 10. d) *ita* 10; Aquilegensis 1. 6.

42) Böhmer 2438. Leges T. II, 123.

archiepiscopi et episcopi religiosi convenerant, per octo continuos dies maxima gravitate, diligentissima examinatione, semota omni laicali[a] *persona, tractatum est, quis ex duobus summi pontificatus apicem de iure deberet obtinere. Post longam itaque deliberationem, quia illa nefandissima conspiratio Deo et ecclesiae admodum odibilis manifestis indiciis non solum probata, verum in facie totius ecclesiae coram positae*[b] *revelata*[c] *est, et in domno Victore nichil reprehensibile*[d] *inventum est, nisi quod pauciores numero cardinales, omnino a conspiratione illa exortes*[e]*, eum pro bono pacis inter regnum et sacerdotium conciliando elegerunt, et invocata sancti Spiritus gratia, ecclesia Dei Rolandum cancellarium conspiratorem et scismaticum, discordias et lites et periuria*[f] *bona esse euangelizantem, condempnavit, et domnum Victorem papam in patrem spiritalem*[g] *et universalem pontificem confirmavit. Quem nos ecclesia duce secuti approbamus, et universalis ecclesiae patrem et rectorem, cooperante divina clementia, fore denunciamus. Hoc itaque factum divinis suffultum praesidiis et in apostolica stabilitate supra petram, Christum videlicet, firmiter fundatum a vestra beatitudine pro pace totius ecclesiae et salute imperii approbari et ab omni ecclesia vestrae sanctitati commissa teneri et conservari rogamus et praeoptamus. Data*[h] *Papiae, 15. Kalendas Marcii*[i].

1160. Febr. 16.

70. Rescriptum generale a synodo praesidentibus per partes mundi directum hoc est:

Quia[43] *sedis apostolicae turbatio christianorum animos admodum sauciavit, nos qui*[k] *ad resecanda scismata et pacem ecclesiae reformandam Papiae fuimus congregati, qualitatem causae modumque negocii et sacri concilii dispensationem universitati vestrae plenarie duximus intimandum, quatenus per scripta praesentia mera veritate monstrata, auditorum animi falsitatem, quam forte conceperant, vehementer expellant et amodo per scripta scismatica non seducantur. Cum igitur orthodoxorum Papiae congregatorum universitas in nomine Domini consedisset, causa per 7 dies continuos, omni remoto seculari iudicio, legitime et canonice agitata ac diligenter inspecta, sufficienter et canonice in conspectu concilii per testes idoneos est comprobatum, domnum papam Victorem et nullum alium in basilica beati Petri a saniori parte cardinalium petitione populi et consensu ac desiderio cleri fuisse electum et solempniter immantatum, quod, praesente et non contradicente Rolando quondam cancellario, in cathedra beati Petri fuerit collocatus, et quod ibi ei*[l] *a cardinalibus et clero Romano:* Te Deum laudamus *gloriose decantatum, et inde ad palatium cum bandis et aliis papalibus insignibus est deductus, et clerus et populus secundum consuetudinem interrogatus*[m] *per scriniarium, si placeret, tribus vicibus clara voce respondit:* Placet. *Probatum est etiam, quod Rolandus 12. die post domni Victoris promotionem ab Urbe egressus, apud cisternam, in qua Nero imperator quondam ab Urbe profugus latitavit, primo est immantatus. Probatum est, quod in secundo die post promotionem domni Victoris Rolandus interrogatus a rectoribus cleri Romani*[n] *ac clericis de sua cardinalia, si domno Victori esset obediendum, expresse confessus est, se nunquam fuisse immantatum, et expresse dixit:* Ite et obedite ei, quem immantatum esse videtis. *Super his capitulis fuerunt testes, et sub stola tactis sacrosanctis euangeliis iuraverunt, domnus Petrus Christianus decanus basilicae beati Petri, et in persona sua et omnium fratrum suorum. Iuraverunt etiam venerabiles archipresbyteri et rectores cleri Romani, Blasius*[o] *et Manerius presbyteri, Iohannes presbyter gentilis, Aimeradus archipresbyter, Berardus*[p] *archipresbyter, Iohannes archipresbyter, Benedictus diaconus, magister Tolemaeus*[q] *archipresbyter, magister Gerhardus et Nicolaus*[r] *et alii honesti clerici Romani. Praeterea Petrus illustris Urbis praefectus, Stephanus de Thebaldo*[s]*, Stephanus Nortmannus, Gimundus de domo Petrileonis, Iohannes de Stephano*[t] *et alii principes et nobiles Romani, qui ad vocationem serenissimi imperatoris venerant, in conspectu concilii super iam dictis capitulis ex maxima parte*[u] *testimonium similiter perhibuerunt et iurare voluerunt. Sed quia nos religiosorum presbyterorum multorum testimonium sufficiens et habundantissimum habebamus, duximus laicis in hac parte parcendum. Deinde venerabiles episcopi Hermannus*[v] *Ferdensis, Daniel Pragensis*[w] *et Otto palatinus comes et magister Heribertus praepositus, quos domnus imperator ex consilio 22 episcoporum et Cisterciensis et Clarevallensis abbatum aliorumque religiosorum tunc praesentium*

a) laica 10. b) posita 1. 2. c) *ita* 10; relevata *caett. codd. et edd.* d) inrepr. 6. e) *ita* 1. 2. 10. f) *ita* 10 *et edd.*; periurgia 1. 2. 6. g) spiritualem 10. h) Data — Marcii *desunt* 6. i) Martii 10. k) nos qui — praebuerunt *p.* 487, *l.* 19. *desunt* 8. 9. l) ei ibi 6. m) *deest* 1. 2. n) *ita* 1. 6. *M.*; rectoribus et clero Romano *edd.* o) Basilius 6, *post in margine correctum* Blasius. p) Manerius et Iohannes presbiter gentilis et alia archipresbiteri et Imeradus, Bernhardus 6. q) Toloneus 1. 6; Tolonensis 2. r) Nykolaus 6 *semper.* s) Tebaldo 6. t) S. Stephano 6. u) parte maxima 6. v) Herimannus 1. w) Bragensis 1. 6.

43) Pleniorem textum exhibet Legum T. II, 125.

1160. *Romam delegaverat, ut partes ante concilii praesentiam Papiam evocarent, in conspectu concilii testimonium perhibuerunt, quod Rolandum cancellarium et partem eius trinis edictis per intervalla peremptorie et solempniter ad praesentiam ecclesiae Papiae congregandae, remoto omni seculari iudicio, vocaverunt, et quod Rolandus cancellarius et sui cardinales viva voce et ore proprio iudicium vel examen aliquod ecclesiae se nolle recipere manifeste dixerunt. Vidimus etiam scripta Heinrici Pisani cardinalis ad domnum imperatorem directa, in quibus expresse continebatur, quod nullum vellent ecclesiae subire iudicium vel examen. Super haec omnia idem Heinricus et Otto cardinalis Sancti Nicolai de carcere Tulliano, qui tempore concilii et ante apud Ianuam morabantur, et Iohannes Anagninus cardinalis et Iohannes Piozutus, sanctae Romanae ecclesiae subdiaconi, qui tunc apud Placentiam*[a] *erant, per octo dies a concilio toto sunt expectati, et per litteras et*[b] *nuncios concilii sunt vocati, et contempserunt venire. Ex his igitur omnibus sufficienter instructi, et veritate hinc inde plenarie declarata, placuit reverendo concilio, ut electio domni Victoris, qui tanquam agnus mansuetus et innocens venerat, ecclesiae iudicium humiliter suscepturus, approbaretur et confirmaretur, et electio Rolandi penitus cassaretur. Et factum est ita. Electione itaque domni Victoris, remoto omni seculari iudicio, sancti Spiritus gratia invocata*[c]*, confirmata et recepta, christianissimus imperator post omnes episcopos et post omnem clerum ultimus, consilio et petitione concilii electionem domni Victoris recepit*[d] *et approbavit, et post eum omnes principes et innumerabilis hominum multitudo, quae praesens erat, tribus vicibus interrogata si eis placeret respondit*
Febr. 11. *cum gaudio magna voce:* Placet. *Sequenti die proxima, id est prima sexta feria quadragesimae, domnus Victor cum processione ab ecclesia sancti Salvatoris extra civitatem, in qua fuerat eius hospitium*[e]*, ad catholicam ecclesiam gloriose deductus est. Ibi religiosissimus imperator ante ianuas ecclesiae eum suscepit*[f]*, et descendenti*[g] *de equo strepam humiliter tenuit, et apprehensum per manum usque ad altare conduxit, et pedes eius est osculatus, et nos omnes, patriarcha, archiepiscopi, episcopi et abbates*[h] *et omnes principes cum universa multitudine quae praesens erat*[i]*, pedes apostolicos sumus*[k] *osculati. Proxima autem die sequenti, id est*
Febr. 12. *sabbato, habito generali concilio*[l]*, domnus papa et nos cum illo Rolandum cancellarium scismaticum et eius principales fautores accensis candelis anathematizavimus, et tradidimus eum satanae*[m] *in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Illud etiam discretionis vestrae prudentiam volumus non latere, manifeste esse deprehensum, quod Rolandus cancellarius et eius sequaces quidam cardinales, vivente adhuc papa Adriano, coniuraverunt. Fuit autem tenor coniurationis, quod si eis viventibus papam Adrianum mori contingeret, cardinalem unum de illis eligerent, qui in eadem coniuratione esset astrictus. De caetero ex parte Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli et omnium sanctorum et virorum orthodoxorum, qui divino intuitu ad rescindenda scismata convenerunt, universitatem vestram humiliter imploramus et monemus in Christo, ut ea quae ecclesia Dei Papiae congregata ad honorem Creatoris et sponsae suae matris vestrae sacrosanctae Romanae ecclesiae tranquillitatem et ad salutem omnium christianorum fideliter ordinavit, vos, omni dubio et ambiguitate remota, irrefragabiliter rata et firma*[n] *teneatis, orantes, ut redemptor noster Christus Iesus*[o] *universalem pontificem et papam nostrum Victorem, de cuius sanctitate et religione omnino confidimus, per tempora longa conservet, et praestet ei omnimodam tranquillitatem et pacem, ita quod per eum Deus omnipotens honoretur, et ecclesia Romana omnisque christiana religio gratum Domino accipiat incrementum. Ut autem omnis nostra actio plenius legentibus elucescat, dignum duximus, ut omnium nostrum consensus et nomina subscribantur.*

Ego Peregrinus Aquilegiensis[p] *patriarcha cum meis suffraganeis interfui et consensi.*
Ego Arnaldus[q] *archiepiscopus Maguntinus*[r] *cum 14 suffraganeis interfui et consensi.*
Ego Hartwicus[s] *Bremensis archiepiscopus cum suffraganeis meis interfui et*[t] *consensi.*
Ego Hellinus[u] *Treverensis archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi.*
Ego Reinaldus[v] *Coloniensis archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi*[44]*.*
Ego Wichmannus Magdeburgensis archiepiscopus cum meis suffraganeis consensi.

a) Placentinam 6. b) ac 6. c) invocata gratia 6. d) recepto 6. e) hospicium eius 6. f) suscepit eum 6. g) descendente 6. h) a. et episcopi, abb. 6. i) qui presentes erant 6 *ex corr.* k) sunt 6 *ex corr.* l) conc. gen. 6. m) sathane 6. n) ratum et firmum 1. 2. 6. o) Ies. Ch. 1. p) Aquilegensis 6. q) Arnoldus 1. 6. r) Magont. 1. 6. s) Harthicus 2. t) int. et *desunt* 1. 2. u) Ellinus 1. 6. v) Reinoldus 1; Reginnaldus 6.

44) Inter quos etiam Wernerum episcopum Mindensem concilio interfuisse, testatur eius charta apud Erhard R. h. W. Cod. n. 318.

Bizuntinus archiepiscopus per legatum et episcopum Basiliensem consensit. 1160.

Arelatensis archiepiscopus consensit.

Lugdunensis archiepiscopus cum suis suffraganeis consensit.

Viennensis archiepiscopus cum suis suffraganeis consensit.

Heinricus rex Anglorum per legatos suos et litteras[a] *consensit.*

Rex Ungarorum per litteras et legatos suos consensit.

Rex Boemorum consensit.

Rex Danorum[b] *consensit.*

Gwido electus Ravennatensis[c] *consensit.*

Episcopus Firminus consensit.

Episcopus Ferentinus consensit.

Mantuanus consensit.

Pergamensis consensit.

Faventinus consensit.

Abbatum vero et archipresbyterorum multitudo innumerabilis multorum regnorum interfuit et consensit.

Longobardorum inaestimabilis multitudo interfuit et consensit.

Universi fere principes[d] *Romani imperii, tam Teutonici quam Italici, tam in Urbe quam extra Urbem, interfuerunt, et assensum cum ingenti desiderio praebuerunt.*

71. Epistola Babenbergensis episcopi de eadem re: *Reverentissimo*[e] *patri et domino*[f] *Eberhardo Salzburgensis*[g] *ecclesiae archiepiscopo Eberhardus Babenbergensis*[h] *gratia Dei si quid est tam devotum quam debitum cum oratione servitium. Convenientibus in unum Papiae episcopis circiter* 50, *diuque*[i] *ventilata quaestione papatus, cum dilatio primo pene omnibus complacuisset usque ad maiorem rei notitiam et aliud generalius concilium, praevaluit tandem pars domni Victoris iustificata ab altera parte multis modis: quia coniuratio contra imperium factum illud praecesserat; quia domni Victoris immantatio*[k] *prior, illa posterior, quo solo Innocentius Anacleto praevaluit, cum Anacletus plures et maximae scientiae et auctoritatis haberet electores*[l]*; deinde quod ad hostes imperii pars illa se transtulit, obligata Siculo, Mediolanensibus, Brixiensibus*[m]*, Placentinis per sacramentum, quod sanae doctrinae adversari videtur, cum et subditos a iuramentis fidelitatis debitae absolvat, et servire imperatori prohibeat quoscunque potest*[n]*, et sic discessioni viam praeparet, quod pessimum est, sicut opere ipso clarescit, et scriptis undique per Italiam directis tam civitatibus quam episcopis. His malis principiis finem deteriorem promittentibus, perpetuam videlicet discordiam inter regnum et sacerdotium et discessionem ab invicem, dum pars illa cum omni securitate conductus*[o] *nec venire voluisset nec etiam procuratores pro se mittere ad subeundum iudicium et excipiendam sententiam: domnum Victorem recepimus*[p] *spe pacis et concordiae inter regnum et sacerdotium, longo tamen examine praemisso de tempore et ordine electionis suae, de his qui eius electioni*[q] *consenserunt primitus et postmodum retro*[r] *abierunt, cardinalibus numero novem, testificante super his omnibus capitulo beati Petri et clero Romano scriptis et viva voce nunciorum sub iureiurando. Nuncius regis Francorum promisit pro eo neutrum se recepturum, usque dum nuncios imperatoris*[s] *recipiat. Nuncius regis Anglorum idem velle et idem nolle promisit tam in his quam in aliis. Arelatensis, Viennensis, Lugdunensis, Bisuntinus per litteras et per*[t] *nuncios consenserunt. Solus Treverensis de regno nostro superest in parte illa de numero archiepiscoporum, qui non consenserit*[45]*; eius tamen suffraganei omnes consenserunt. Usque ad vos solum perventum est. [Nuncius*[u] *enim vester praepositus*[46]*, Domino ponente custodiam ori suo, vices vestras cautissime peregit, nec unum locutus* Deo gratias, *quod utinam non dixisset.] Angelus magni consilii dirigat vos secundum beneplacitum suum, et custodiat vos in omnibus viis vestris. Praeter*[v] *haec praepositus multa manifestabit vobis*[w]*, quae non licet ad praesens homini loqui. Congaudete mihi, quia dimissionem accepi et ad propria redeo.*

a) per litteras et legatos 6 *et editt.* b) Dagnorum 1. c) Ravennae 6. d) principes fere 1. e) *ita* 1. 6. 10. f) domno et patri 6. g) Salzp. 6. h) *ita* 10; Babinb. 1. 6; Bamb. 8. 9. i) diuque — redeo *desunt* 8. 9. k) admant. 10. l) electores haberet 10. m) Brixens. 6. n) *add.* 10. o) conducta 6. p) *ita* 6; recipimus *edd.* q) electioni eius 10. r) *deest* 1. 2. 6. s) domni imp. 6. 10. t) *deest* 6. u) Nuncius — dixisset *recepimus ex* 10. v) Praeter — redeo *desunt* 6. w) vobis multa man. 10.

45) Attamen supra c. 70 inter consentientes refertur. Verba uncis inclusa forsitan ex industria praetermisit Ragewinus.

46) sine dubio Berchtesgadensis, cuius epistolam ad archiepiscopum Salzburgensem directam vide cap. seq.

1160. 72. *Domino suo in Christo reverendo Eberhardo*[a] *Salzburgensi archiepiscopo frater Heinricus dictus praepositus de Perthesgaden*[b] *cum devotis orationibus debitae subiectionis obsequia. Si cuncta quae audivimus et vidimus scribere deberemus, non cartam sed volumen facere videremur. Verum*[c] *summam eorum quae de duorum electione Romanorum pontificum* Ian. 13. *acta sunt, breviter paternitati vestrae notificamus. Curia quae in octavis epiphaniae Papiae* Febr. 5. *fuerat indicta, usque in sextam feriam proximam ante caput ieiunii, quia in destructione Cremae domnus imperator detinebatur, est dilata*[47]. *In qua considentibus domno patriarcha, archiepiscopis et diversarum terrarum fere quinquaginta episcopis, legatis quoque regis Franciae et archiepiscoporum, Arelatensis scilicet, Lugdunensis, Viennensis, Bisuntini atque Treverensis et Ravennatis electi, cardinales et clerici, qui pro parte Victoris aderant, in medium processerunt, et utriusque seriem electionis exposuerunt. Super qua continuis quinque diebus ab episcopis et aliis prudentibus viris copiose disputatum cum fuisset, sexta tandem die in publico consistorio electionis capitula denuo proposita sunt, et singula a canonicis ecclesiae beati Petri et rectoribus Romani cleri, sacramento super sancta quatuor euangelia*[d] *praestito, confirmata. Pars autem altera nec ipsa venit, nec responsales, qua de causa nescimus, conventui direxit. Recitatae sunt insuper litterae quam plures bullatae ab Alexandro et cardinalibus qui cum ipso sunt, episcopis et civitatibus Longobardiae directae, sed a fidelibus domni imperatoris captae, ex quarum tenore machinationes eorum et molimina contra imperium patenter sunt deprehensa. Unde quia dilatio non parvum tam ecclesiae quam imperio videbatur minari periculum, praesertim quia non erat qui praedictis assertionibus et probationibus*[e] *contradiceret, cum utraque nimirum pars non ad curiae sed ad ecclesiae fuisset examinationem vocata, episcopi parti*[f] *Victoris, quae ipsum 11 diebus antequam Alexander immantaretur, immantatum fuisse et in sede beati Petri, adversa parte praesente, absque reclamatione sedisse praestito, ut dictum est, sacramento probaverat, assensum praebuerunt, et eundem Victorem ut apostolicum in ecclesia solempniter suscipientes, solitam ei reverentiam exhibuerunt. Facta sunt haec domno imperatore et fidelibus imperii annitentibus propter causas memoratas. Quapropter ipsemet eidem iam*[g] *confirmato pontifici ante fores ecclesiae descendenti consuetum detulit honorem. Secunda vero post haec die saepe iam dictus domnus Victor, celebrato*[h] *synodi officio, alterius partis principem cum quibusdam suis fautoribus, episcopis scilicet Hostiense*[i] *et Portuense, eo quod consecrationis manum eidem praesumpserant imponere, cardinalibus etiam Heinrico Pisano, Iohanne Neapolitano et Iacincto, anathematis vinculo extinctis candelis innodavit. Excommunicavit autem Heinricum Pisanum idcirco, quod mandato eius magister Raimundus*[k] *cardinalis despoliatus et atrociter caesus fuerit; praepositum etiam Placentinum, quia domnum Tusculanum armata manu invaserit, et despoliatum multis contumeliis affecerit, simili sententiae involvit. Willehelmum praeterea Siculum atque Mediolanenses pro invasionibus ecclesiarum et imperii ad canonicam vocavit satisfactionem. Interfuerunt his omnibus metropolitani, domnus patriarcha, Maguntinus*[l], *Coloniensis, Magdeburgensis atque*[m] *Bremensis, cum nonnullis suffraganeis suis et maxima pars episcoporum Longobardiae, quorum plurimi affectuosum et plenarium praedictae confirmationi tribuerunt assensum. Domnus vero patriarcha et quidam alii, salva in posterum catholicae ecclesiae censura, propter memoratas imperii necessitates obedierunt. Absentes omnes quos praenotavimus archiepiscopi pro se et suis suffraganeis plenarie consenserunt, excepto Treverense, qui, cum iter cepisset, infirmitate praepeditus, excusatorias tantummodo litteras direxerat. Praesentes autem eius suffraganei Tullensis et Verdunensis pro se et consuffraganeo suo Metense in integrum spoponderunt. Domni*[n] *Babenbergensis*[o], *Pataviensis et Ratisponensis patriarcham sunt imitati. Pro confirmandis omnibus quae facta sunt mittuntur legati, domnus Coloniensis*[p] *in Franciam, Verdunensis in Hispaniam*[q], *Pragensis*[r] *in Ungariam. Si interim alia scripta, quorum quaedam vidimus, meram de his veritatem minus continentia ad manus vestras devenerint, sciat sanctitas vestra, quod, ut pro parte potuimus, sinceram de his veritatem significavimus, plenius autem praesentes insinuabimus.*

73. Quare autem tam crebrae litterae Eberhardo Salzburgensi archiepiscopo super gestis concilii directae sint, haec fuit causa. Cum ad concilium iter cepisset, et[s] iam per

a) Everhardo 1. b) *ita* 1; Perhtersgaden 2; Berhthersgademe 6; Berth' 8. 9. c) Verum — insinuabimus *desunt* 8. 9. d) ewangelia 1. e) et pr. *add.* 1. 2. 6. f) *deest* 1. 2. g) *add.* 1. 2. h) celebr. sollempniter 6. i) Ostiense 1. 6. k) Ramundus 6. l) Magont. 1. m) *add.* 1. 2. 6. n) *deest* 1. 6. o) Babinberg. 1. 6. p) *deest* 6. q) Hysp. 1 *semper.* r) Brag. 1. 6. s) *deest* 1. 2; *adest* 8. 9.

47) Vide quae Jaffé p. 828 ad hunc locum notavit.

Forum Iulii et per marchiam Veronensium usque ad civitatem Vicentinorum pervenisset, 1160. gravi correptus infirmitate gradum sistere[a] domumque redire coactus est[b, 47]. Sane quum tanti viri fecimus mentionem, de vita et moribus eius quaedam memorabimus, quae, quamvis ut lucerna super candelabrum posita in domo nostrae provinciae clarissime luceret[c], ab his tamen qui longe positi sunt invida bonis fama difficilius subtrahet, si[d] scribendo celebretur. Erat autem idem vir venerabilis, aetate maturus, sacrae paginae litteris decentissime instructus, fide praecipuus, religione singularis. Humanitate et pietate adeo communis, ut vere dicere posset: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.* In largitionibus liberalis, in eleemosynis et suscipiendis peregrinis studiosus in tantum, ut sumptus in obsequium pauperum monasteriorum et peregrinorum quotidie expensus non solum palatio suo verum etiam toti episcopio videretur onerosus[e]. Ipse tamen huiuscemodi pondere minime gravabatur, cum haec incommoda bonae famae, quam ipse tamen minime affectabat, et aeternae retributionis mercede compensaret. Pauperum squalores minime abhorrebat, a leprosis se tangi et contrectari passus est, quin etiam ipse eos interdum tangere manusque eorum[f] osculari non verebatur. Nec sufficere credidit, si in ministerio pauperum famulorum uteretur officiis, nisi[g] ipsemet manibus suis, habitu succinctus, interdum cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam non solum lavandis manibus sed et pedibus infunderet. Cumque non solum in verbo perfectam doctrinam verum etiam in opere consummatae disciplinae praeberet exemplum, merito de eo dicebatur, quod olim de quodam sanctorum: *Quia hic est, qui quale habet verbum, talem habet vitam, et qualem habet vitam, tale habet verbum, quomodoque docet, agit, et quae agit, haec docet.* His et aliis plurimis virtutibus et divinae gratiae donis plures quidem ad sui imitationem, universorum autem ad dilectionem sui provocarat affectum. Sed haec hactenus[h].

74. Compositis ita rebus et gestis concilii, missis quoque legatis, ut supra dictum est, ad reges Hispaniae, Angliae, Franciae, Daciae[i], Boemiae et Ungariae, ad imperatorem quoque Graecorum Manuel nuncios dirigit, videlicet Heinricum[48] ducem Carentanum, fortem et exercitatum in bellicis consiliis virum, et Heinricum sacri palatii protonotarium[k], omni probitate et industria praeditum, ac Meinherum[l] filium Petri Polani ducis Veneticorum, iam dudum in captivitate sua tentum sed absolutum, responsa portantes, ut dicebatur, super petitione Constantinopolitani principis de Pentapoleos maritimis in Apulia et quibusdam secretioribus consultationibus contra Willehelmum, Rogerii Siculi filium et in regno successorem. Cernens autem totam Longobardiam[m] continuis duorum annorum expeditionibus graviter attritam[n], cum exercitus in crebris contra hostes excursibus et rapinis nec etiam amicis parcere potuisset, paulisper terram ipsam quiescere et respirare[o] utile iudicavit, donec recepta cultura novas futuro anno calamitates sustinere novumque facilius et recipere et enutrire posset exercitum.

75. Itaque dimissurus exercitum, advocans ad se proceres et de militia meliores, magnam illis ait se habere gratiam pro benevolentia et fidelitate, qua erga se utendo perseverassent. Laudabat etiam in unoquoque[p] bonos mores et fortitudinem, quam praeliando in multis magnisque periculis monstrasset; quod eos neque hostium multitudo nec magnitudines civitatum vel audacia inconsulta et immanitates efferae adversantium a consueta animi virtute terruissent. Magnam quoque huius rei sibi fore diligentiam, quod debitis praemiis et honoribus virtutes eorum vellet honorare, qui militiae socii fuissent, nec ullum eorum qui plus aliis laborasset iusta vicissitudine cariturum. Eos etiam quos noverat fortiter aliquid et egregium in bello fecisse, nominatim singulos appellans collaudabat. Deinde aurum et argentum, vasa ex argento et auro facta, itemque vestes preciosas, beneficia feudorum aliaque donaria largiter et regaliter distribuebat. Omnibus autem hoc modo exhilaratis et donatis, ut quisque se meritum praebuerat, votis et laudibus cum magno favore ab universo exercitu factis, quo quemque conveniret, dimittit, ipse vero cum paucis in Itália remansit. Quia vero huius operis libellos numerum euangelicum[q] excedere non proposui-

a) resistere 8. b) g. s. coactus est d. r. 1. c) lucerent 1. 2. d) *deest* 2. e) onerosa 1. 2. 8. 9. f) *deest* 1. 2. 8. 9. g) si 1. h) acteous 1. i) Datiae 6. k) *ita* 1. 6; notarium *edd.* l) *ita* 6; Minerium 1; Meinericum 8. 9; Neimerium *edd.* m) L. tot. 1. n) *ita* 8. 9; exp. gravatam 1. 2. o) *ita* 8. 9; resipiscere 1. 2. p) immo quoque 2. q) ewang. 1.

47) At archiepiscopus inde ab ineunte schismate a parte Alexandri stetisse videtur, quod ex eiusdem epistola iam die 5. Octobris 1159 ad ipsum directa evincitur, Jaffé 7130, quacum conferenda est altera die 4. April. 1160 data, ib. 7147. 48) Cfr. epistolam notarii Burchardi ap. Sudendorf Registr. II. p. 135.

1160. mus, priusquam huic quarto volumini terminum demus, ex quo actus et gesta bellorum serenissimi principis summatim perstrinximus, mores quoque caeterasque vitae illius partes et studia circa regni administrationem paulisper prosequamur

76. Igitur[a] divus augustus Fridericus, ut de Theoderico quidam[49] scribit, et moribus et forma talis est, ut et illis dignus sit agnosci, qui eum minus familiariter intuentur. Ita personam suam Deus arbiter et ratio naturae consummatae felicitatis dote sociata cumularunt. Moribus huiuscemodi, ut laudibus eorum nichil, ne imperii quidem fraudet invidia. Forma corporis decenter exacta; statura longissimis brevior, procerior eminentiorque mediocribus; flava caesaries, paululum[b] a vertice frontis crispata. Aures vix superiacentibus crinibus operiuntur, tonsore pro reverentia imperii pilos capitis et genarum assidua succisione curtante. Orbes oculorum acuti et perspicaces, nasus venustus, barba subrufa, labra subtilia, nec dilatati oris angulis ampliata, totaque facies laeta et hilaris. Dentium series ordinata niveum colorem repraesentant. Gutturis et colli, non obesi sed parumper succulenti, lactea cutis et quae iuvenili rubore suffundatur, eumque illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit. Humeri paulisper prominentes. In succinctis ilibus vigor. Crura suris fulta turgentibus, honorabilia et bene mascula. Incessus firmus et constans, vox clara, totaque corporis habitudo virilis. Tali corporis forma plurima et dignitas et auctoritas tam stanti quam sedenti acquiritur. Valetudine[c] satis prospera, praeter quod interdum febre effimera[d] corripitur. Bellorum amator[e], sed ut per ea pax acquiratur. Ipse manu promptus, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide receptis[f]. Si actionem diuturnam forinsecus perquiras, antelucanos basilicarum et sacerdotum suorum coetus aut solus aut minimo comitatu expetit, eosque tam grandi sedulitate veneratur, ut omnibus Italis erga episcopos et cleros servandi honorem et reverentiam ipse formam et exemplum tribuerit. Officiis divinis tantam praebet venerationem, ut omnem horam, qua coram ipso Deo psallitur, competenti veneretur silentio. nec ullus interim eum audeat de quolibet sollicitare negotio. Peractis votis et post missarum solempnia divinis consignatus reliquiis[g], mane reliquum curae regni administrandi deputat. Si venationibus exercetur, in equis, in canibus, accipitribus caeterisque eius generis avibus instituendis, spectandis, circumferendis[h], nulli secundus. In birsando ipsemet arcum tendit, spicula capit, implet, expellit. Eligis quod feriat, quod elegeris ferit. In convivio talis disciplina, habundantia regia, ut nec sobrietas temulentiam nec fames frugalitatem possit incusare. Cum ludendum est, regiam tantisper sequestrat severitatem, eiusque temperamenti est, ut sit remissio non minans[i], austeritas non cruentans. Erga familiares suos in proferendo alloquio non minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu investigando persequax. Scripturas et antiquorum regum[k] gesta sedulo[l] perquirit. Elemosinas in ministerio pauperum plerunque ipse manu sua distribuit. Pecuniarum suarum decimam ecclesiis et monasteriis fideliter dividit. In patria lingua admodum facundus, Latinam vero melius intelligere potest quam pronunciare. Vestitu patrio utitur, nec profuso aut petulanti, sed nec plebeio, cui magis hoc decorum, ut in castris suis potius Martis pompa radiet quam Veneris. Qui cum in ampliando regno et[m] subigendis gentibus tantus existat, ut[n] in praedictis occupationibus assidue versetur, opera tamen plurima ad regni decorem et commoditatem pertinentia diversis in locis inchoavit, quaedam etiam[o] consummavit, et maximam providentiae partem obsequio pietatis impendit. Palatia siquidem a Karolo Magno quondam pulcherrima fabricata et regias clarissimo opere decoratas apud Noviomagum, iuxta villam Inglinheim, opera quidem fortissima, sed iam tam neglectu quam vetustate fessa, decentissime reparavit, et in eis maximam innatam sibi animi magnitudinem demonstravit. Apud Lutra domum regalem ex rubris lapidibus fabricatam non minori munificentia accuravit. Etenim ex una parte muro fortissimo eam amplexus est, aliam partem piscina ad instar lacus circumfluit, piscium et altilium in se continens omne delectamentum ad pascendum tam visum quam gustum Hortum[p] quoque habet contiguum cervorum et capreolorum copiam nutrientem. Quorum omnium regalis magnificentia et maior dictu copia operae precium spectantibus exhibet. In Italia quoque apud Modoicium[q], Laudam et in aliis locis ac civitatibus in reno-

a) *deest* 6. b) paulolum 6. c) valitudine 6. d) *ita* 1. 8. 9; effunera 6. e) armator 6. f) *desinit* 6. g) relliquiis 1. h) instituendum, spectandum, circumferendum 1. 2. 8. 9. i) *ita* 8. 9; meians 1. 2. k) *add.* 1. 2. 8. 9. l) sedule 1. m) *deest* 1. n) et 1. 2. 8. 9. o) *deest* 1. 2. p) Ortum 1. 8. 9. q) *ita* 1. 8. 9.

49) Sidonius Apollinaris ep. I, 2.

vandis palatiis aedibusque sacris tantam liberalitatis magnificentiam declaravit, ut totum 1160.
imperium tanti imperatoris et munere et memoria in perpetuum fungi non desinat. Reges Hispaniae, Angliae, Franciae, Daciae, Boemiae atque Ungariae, quamvis suspectam semper eius haberent potentiam, sibi adeo per amicitiam et societatem devinxit, et ad suam voluntatem sic inclinatos habet, ut quoties ad eum litteras vel legatos miserint, sibi cedere auctoritatem imperandi, illis non deesse voluntatem obsequendi denuncient. Imperatorem Constantinopolitanum Manuel, ultro amicitiam et societatem eius expetentem, cum sese, sicut antecessores sui, Romanorum appellaret[a] imperatorem, inflexit, ut se non Romae, sed Neoromae vocet imperatorem. Et ne multis morer, toto regni sui tempore nihil unquam duxit melius, nihil iocundius, quam ut imperium urbis Romae sua opera suoque labore pristina polleret et vigeret auctoritate[b].

Haec a glorioso principe acta sunt usque ad praesentem annum, qui ab incarnatione Domini millesimus centesimus sexagesimus, regni autem eius septimus, imperii quintus numeratur, multa adhuc in regni gubernaculis feliciter acturo tandemque apud regem regum cum piissimis principibus aeterna percepturo praemia meritorum.

EPILOGUS OPERIS.

Hos[c] de latissimis gestorum tuorum pratis, augustorum optime, tam dilectus patruus tuus Otto episcopus quam nostrae humilitatis diligentia flores legit, unde huius opusculi coronam texeremus, plura quae de te sciuntur et referuntur, peritioribus et magis domesticis relinquentes. Quae si cuiquam invisa fuerint, aut ea despicabilia iudicaverint, nos tamen obedientiae nostrae fructus consolabitur, qua praecipienti paruimus. De qualitate autem operis, vos dilectissimi domini mei[50], videritis, quos in hoc opere arbitros elegimus et correctores. Vobis enim adiudicandum[d] erit quod editis, per vos iudicandum quod delendum duxeritis[e].

APPENDIX[f].

Anno ab incarnatione Domini 1160. apud oppidum quod vocatur Carcer ab imperatore Aug. 9.
contra Mediolanenses grave prelium habitum est, et cum iam, Latinis qui secum erant fugientibus, victus videretur, strennue vicit. Cesi pene quingenti ex parte adversa, de nostris tantum quinque. Eodem anno vel proximo[g] Arnoldus vir grandevus et prudens, archicancellarius et Mogontinus archiepiscopus, de ecclesia sancti Iacobi per incendium exire Iun. 24.
coactus, a suis ministerialibus crudeliter necatus est.

Anno ab incarnatione Domini 1162. Mediolanum denuo novo genere obsidionis clau- (1161.)
sum, etiam castris in giro eius constructis.

Anno 1163. Mediolanum captum et funditus eversum est. Goizo[h] rex Ungariae (1162.)
moritur.

1164. dissentientibus inter se fratribus Goizi[i] et filio eius parvulo, puer imperatorem datis quinque milibus marcarum suae parti adiungit. Veronenses, Vincentini, Paduani, Tarvisini rebellant. Octavianus moritur[k], Gwido[l] substituitur. 1164. April. 20.

Eberhardus Salzburgensis[m] archiepiscopus venerabilis obiit, Conradus[n] Pataviensis Iun. 22
episcopus substituitur; Conrado[o] Robertus, Roberto Albanus Frisingensis canonicus.

Hartwicus[p] Ratisponensis episcopus inutilis et venerabilis[q] Hartmannus Brixiensis Deo dignus episcopus obierunt.

Anno ab incarnatione Domini 1166. apud Wirzeburch[r] in pentecosten curia celebratur, 1165. Mai. 23.
ubi coniuratio fit ab imperatore et principibus qui aderant tam secularis quam ecclesiastici ordinis, quod Paschalis semper papa habeatur, et eo mortuo, nullus nisi de sua parte eligatur. Similiter post mortem imperatoris nemo sibi substituatur, nisi iuraverit se eandem

a) appellarent 1. 2. b) in 8. 9 *hic inseruntur:* Hec de latissimis — delendum duxeritis. c) hec 8. 9. d) ad iud. 2. e) *hic desunt* 1. 2. 7. 8. 9. f) *eadem manu adduntur in* 1. 1*; Anno — celebratum est. *Quae etiam maiore ex parte, omisso tamen initio* Anno ab i. D. 1160 *usque* Tarvisini rebellant, *in* 6 *reperiuntur, addito hoc titulo:* Item de scismate. *Praeterea fere integra exstant in Ann. Zwetlensibus apud Pez SS. Rer. Austr. I,* 559 — 562. g) Eodem anno vel proximo *desunt Zwetl.* h) Geitsa *Zw.* i) Geizi *Zw.* k) qui et Victor *add.* 6. l) qui et Paschalis *addit* 6. m) Eodem anno Eberh. Salzp. 6. n) cui Chŏnr. 6. o) Conrado — obierunt *desunt Zw.* p) Item eodem anno Hartw. 6. q) inut. et v *recepi ex* 6; mutilus Hartm. 1 *et edd.* r) Wirziburch 6.

50) scil. cancellarius Olricus et notarius Heinrici; vide praef. Ragewini.

1165. partem defensurum. Solus Albertus Frisingensis[a] tunc iurare noluit. Nam Conradus[b] Mogontinus iam ut hostis praeiudicatus fuerat. Eodem anno Albertus Frisingensis diu renitens, coactus iuravit obedire Paschali pro conscientia[c], quamdiu imperium partem eius foveret, et quamdiu regalia habere vellet[d].

Aug. 1. Ipso[e] itidem anno imperator circa festum sancti Petri descendens, Ungaros qui ante promissam pecuniam ex maiori parte mentiti fuerant, denuo iurare coegit. Ubi rex Boemorum quendam de regulis Ruthenorum suae praesentiae obtulit, eiusque illum ditioni subdidit. Fames valida per totam terram.

(1166) 1167. imperator circa autumpnum Italiam intravit[f], ibique, cooperante cancellario suo Christiano, Paschalem per iterata sacramenta confirmavit. Hoc eiusdem instinctu[g] cancellarii, apposito quod nullus eorum unquam[h] absolutionem eius iuramenti expeteret et oblatam nunquam reciperet[i].

Eodem anno dux Austriae H. et O.[51] palatii comes maior in Graeciam destinati, sine effectu, praeter quod magnifice donati sunt, revertuntur.

Heinricus dux filiam suam regi Ungariae coniugio copulavit.

Inter Saxones et ducem Bawariae Heinricum grave bellum agitatur[k].

(1167?) 1168. imperator Ravennates, Fagenses[51*], Bononienses graviter attritos ad deditionem coegit.

Christianus apud Mogontiam domno Conrado superponitur.

Iuvavia iam dudum propter Alexandrum ab imperatore proscripta crematur, dubium an hostium patratu, an proprio casu.

Conradus[l] frater[m] imperatoris pro recuperanda gratia, quam dudum inepte amiserat, Italiam intrat, sed sine effectu revertitur.

Welfo senior et Heinricus burgravius[n] et Fridericus palatinus comes Hierosolimam petunt[o].

(1167?) 1168[p]. Ungarus, sibi auxilium praestante H. duce Austriae socero suo, bellum movet Graecorum imperatori pro eo, quod fratrem suum regnum affectantem suscepit et fovit[q], coniugio filiae ditavit.

Eodem anno imperator Anchonam obsidet, capit; intereaque Romam[o] praemittit Reinoldum Coloniensem et Christianum Mogontinum cum copiis. Quibus inter Tusculanum et

1167. Mai. 29. Urbem Romani cum exercitu[r] occurrunt, committunt, vincuntur et ad internicionem caeduntur. Ceciderunt ibi de Romanis fere novem milia, capti fere tria. Subsequitur eos imperator, Leoninam urbem et porticus ecclesiae sancti Petri cremat. Ecclesiam a Romanis incastellatam capit, et evertisset, si non religionis intuitu pepercisset. Post haec[s] in Longobardiam iter flectit.

Cremonenses, Brixienses, Mediolanenses ad locum suum reversi, Laudenses, Pergamenses, Mantuani hostibus imperii confoederati rebellant.

Eodem tempore pestilentia gravis exercitum invasit et ex maxima parte extinxit. Mortui tunc sunt de principibus Reinoldus Coloniensis[t], Daniel Bragensis, Eberhardus[u] Ratisponensis, Conradus Augustensis[v], Gothefridus[w] Spirensis, Herimannus Ferdensis, N. Cicensis, episcopi, Fridericus filius regis Conradi[x], Welfo[y] iunior, Berengarius de Sulzbach[z], de baronibus innumerabiles.

Imperator[*] cladem suorum, rebellionem Italorum litteris per omnem imperii latitudinem declamat.

1167. Aug. Ratisponensi episcopo Chŏno successit[a], Augustensi Hartwicus[b].

Non minus autem et in Urbe pestis eadem desaevit, adeo, ut dicebatur, quod mulieres maritis viduatae ab exteris civitatibus expetere connubia cogerentur.

Rolandus[c], qui et Alexander[d], denuo Urbe cedit. Nam hoc eodem anno de Francia

a) *deest* 6. b) Chŏnr. 6. c) p. consc. *desunt* 6. d) *his subnectit* 6: Eodem anno circa autumpnum *et rell.* e) Ipso — subdidit *desunt* 6. f) intr. It. 6. g) instinctu eiusdem 6. h) *deest Zw.* i) *hic subiunguntur in* 6: Ipsoque anno valida fames per totam terram. 1167° Christianus apud — casu, *omissis:* Eodem anno — coegit. k) *add. Zwetl.:* Imperator in Papia, quae et Ticinum dicitur, cum paucis resedit. l) Conradus — revertitur *desunt* 6. m) *Zwetl. male:* filius fratris. n) Eodem anno (*sc.* 1167) Gwelfo princeps Sardiniae, marchio Tusciae, dominus domus domnae Mahtildis et Otto burgravius 6. o) petunt. Ipso anno imperator Romam 6, *omissis* 1168 Ungarus — ditavit. p) MCLXIX *Zwetl.* q) fovit quem etiam c. *Zwetl.* r) c. exer. *desunt* 6. s) Post haec — rebellant *desunt* 6. t) Rein. Col. *desunt* 6 u) N. 6. v) *deest* 6. w) Gottefr. 6. x) Chŏnr. 6. y) Gwelfo 6. z) Berngerus de Sulzpah 6. *) Imp. — declamat *desunt* 6. a) succedit 6. b) *in marg.* 1 *add. ead. manu* 1169. c) cogerentur. 1169° Rolandus 6. d) papa *add. Zw.*

51) Heinricus et Otto. 51*) Faventini esse videntur.

reversus, fretus quibusdam de nobilioribus Romanis et Gwillehelmo Siculo, sedem Lateranensis patriarchii insederat.

Imperator[a] periculoso itinere de Italia revertitur.

Non multo post Gwido quoque a fidelibus imperatoris Romae locatur. 1167. Iul.

Conradus[b] Iuvaviensis constanter cum Rolando perseverans defunctus est, eique Adilbertus[c], filius regis Boemici sororius eius[d], subrogatur. 1168. Sept. 28.

Inter haec noviter electi episcopi, ut consecrationem suam a Christiano Moguntino[e] recipiant, ab imperatore compelluntur.

Gwido, qui et Paschalis[f], moritur, et in basilica beati Petri Romae sepelitur, a Romanis praeter[g] Centios Iohannes Albanensis episcopus eligitur, et Calixtus tertius nuncupatur[h]. 1168. Sept. 20.

Ludewicus rex Franciae et Heinricus rex Angliae invicem guerrant; ab imperatore de pace inter se facienda precibus conveniuntur, adiunctis minis ex parte regis Francorum. Nam inter imperatorem et regem Angliae foedus et amicitia fuit, data filia sua in uxorem Heinrico duci Bawariae et Saxoniae.

Hartwicus Augustensis a Christiano consecratus ordines celebrat, Albertus Frisingensis iam quasi liber et liberatus a scismate per mortem Gwidonis similiter.

Eodem anno rex Hierosolimorum de Sarracenis gloriose triumphavit.

1170[i]. imperator natale Domini in Alsatia egit. Circa purificationem sanctae Mariae[k] Norinberch curiam celebrat, ubi regem Boemiae, qui offenderat, de facili in gratiam recepit. Albanum Pataviensem electum, a suis ab episcopio perturbatum, specie[l] tantum in episcopatum restituit, effectu minime. Nam offensus erat ei propterea, quod a Cristiano consecrari abnuit. Ob hanc etiam causam Chounonem[m] Ratisponensem electum graviter ibidem tractavit, et curiam ei de hoc verbo usque in proximum pentecosten praesignavit, quatinus aut ordines a Cristiano reciperet, aut episcopatum dimitteret. Febr. 2.

Intrante quadragesima Cisterciensis et Clarevallensis abbates imperatorem conveniunt super scismate, eique suggerunt, ut Babinbergensem episcopum cum eis Romam destinet; quod et factum est. Sed propter Longobardorum insolentiam negocium ipsum tunc provectu caruit. Nam episcopus ipse ab eis repulsus, ad propria redire coactus est.

Circa idem tempus Salzburgensis electus ab Oulrico patriarcha Aquilegiensi[n] consecratus est, invito imperatore.

Pascha[o] in Alsatia celebratum est.

a) Imp. — revertitur *desunt* 6. b) Chŏnr. Iuvavensis 6. c) Hainricus 6, *sed male.* d) filius sororis eius *Zw.* e) Christano Mogont. 6. f) qui et P. *desunt* 6. g) praeter caeteros *(sic!)* Iohannes Arumensis abbas eligitur *Zwett. sed male, vide Jaffé R. P. p.* 833. h) et Galistus tercius nuncupatur. Eodem tempore Hartwicus a Christano similiter. 1170. Albanum Pataviensem *et seqq.* 6, *omissis reliquis.* i) *in marg. add.; deest Zw.* k) Circa — Mariae *desunt Zw.* l) *ita* 6 *et Zw.* m) Cŏn. 6. n) Aquilegense 6. o) Pascha — celebratum est *desunt* 6.

EPISTOLA DE MORTE FRIDERICI IMPERATORIS [a].

1190. Credentes sanctitatem vestram esse cupidam circa noticiam rerum ab imperatore
gestarum, ea quae vidimus et manibus tractavimus, sine adulterinae falsitatis admixtione
succincta brevitate vobis scribere curavimus.

Cognoscat itaque vestrae sanctitatis discretio, quod a christianissimo [b] rege Ungariae
Bela honorifice recepti et benigne ab ipso et humaniter tractati, statim cum regnum Grae-
ciae intravimus, in manus furum et latronum incidimus, nulla in Graecis fide reperta. Nam
contra communem non violandorum legatorum legem episcopum Monasteriensem [1] et
comitem Rubertum [2] ceperant, unde cum magno labore per partes Bulgariae procedentes,
post longam viae nostrae moram — capta prius civitate Philipopoli et destructa, et famoso
castro Verm [3] destructo, et tota circumiacente regione gladio devastata, capta etiam nobili
civitate Andrinopoli et circumiacentibus civitatibus, captaque inexpugnabili civitate Tymotico [4]
a duce Sweviae, et infinitis de habitatoribus villae occisis, destructo etiam quodam castro,
nomine Maniceta, a militibus nostris et paucis de exercitu, ubi circiter sex milia Graecorum
perierunt igne et gladio, captis quoque complurimis castris, et facta magna strage Graecorum,
cum etiam fame perirent, acceptis etiam a Constantinopolitano imperatore idoneis obsidi-
bus, redditis etiam nobis nunciis soldani et filiis eius, quos ad nos missos ante cepe-
Mart. 25. rant — in festo paschae cum omni prosperitate rerum et personarum brachium sancti
Georgii transivimus. Sed postmodum, quae a praedicto imperatore nobis iurata et promissa
sunt, nequaquam sunt observata.

Deinde procedentes per partes Philadelphiae usque Laodiciam pervenimus in manu
forti, omni die armata militia exercitus Christi. Inde proficiscentes feria sexta ante diem
April. 27. rogationum, propter graminis et aquae defectum et propter dietam solito longiorem in-
estimabile dampnum in equis passi, venimus ubi fluvius Mandra [5] oritur [6], et cum adhuc essent
circa nos nuncii soldani et filii eius, qui magna domno imperatori munera attulerant, et
sub fidei certa pollicitatione pacem nobis firmissimam promisissent, invenimus tamen ibi
in magna copia Turcorum acies contra nos ordinatas, qui ad mortem nostram missi fuerant.
Sed Deo auctore et duce sub sanctae crucis vexillo, diluculo feria secunda quae prima
April. 30. erat rogationum dies, in ore gladii eos vicimus, magna eorum facta strage, transeuntes
eadem die fauces et angustissima montium versus Susopolim [7]. In quibus partibus in an-
Mai. 2. gusto quodam transitu, in vigilia ascensionis Domini iterum magnam Turcorum multitu-
dinem occidimus. Et quia iam equorum defectum sensimus, qui vulnerati fuerant et occisi,
et propter frigiditatem segetem et herbam non invenimus, cum iam fame artari inciperemus,
nec a nunciis soldani aliquod inveniremus consilium, a via regia quam imperator Emanuel
ire solebat, eo quod esset deserta et longissima versus Yconium et tota montibus clausa,
necessitate coacti ad sinistram declinavimus.

Mai. 3. In die ascensionis Domini summitates moncium, per quos erat nobis transitus, occu-
pantes, per montes asperrimos et viam angustissimam contra spem omnium hominum
cum summa difficultate et magna rerum et personarum iactura eadem die in planiciem
Finimini [8] descendimus. Turci enim ex omni parte quasi corona totum cinxerant et impugna-
bant exercitum, et dux Sweviae cum duce de Mair [9] et marchione de Bodin [10] et aliis nobilibus

a) *additur* 1 *manu saec. XIII. littera minori.* b) amantissimo *edd.*

1) Hermannum comitem de Katzenelnbogen. 2) de Nassau; cfr. Wenk I, 589. 3) Beroe. GROTEFEND. 4) Didymotichos. GR. 5) Maeander. GR. 6) Apamea Cibotus. GR. 7) Sozopolis. GR. 8) Philomelii. GR. 9) Meran. 10) Baden.

et sagittariis a tergo remanserant ad tuendum praecedentes, qui cum praemissis eorum 1190 equis pedites descendere deberent. Sed[a] tanta fuit Turcorum instantia cum sagittis et fundis et lapidibus, quod nostri ab invicem divisi sunt, positi in magno necessitatis articulo, et dux Sweviae vulneratus est, uno superiori dente penitus excusso et medietate inferioris. Quam plures etiam milites ex nostris vulnerati sunt, unus solus occisus est. Saumarii multi cum pecunia, vestibus, vasis perditi sunt, et de Turcis plurimi occisi sunt. Turcorum vero vires supra quam dici potest cottidie augebantur. Nam statim ducem Sweviae cum suo exercitu a tergo aggressi sunt[b], et ducem de Finimini cum suo exercitu atque[b] ducem de Ferma cum suo exercitu in occursum habuimus, cum infinito aliorum numero. Quibus omnibus coadunatis a mane usque ad vesperam per omnes sequentes dies conflictum habuimus, et Deus semper posuit victoriam in manibus nostris, multis tamen vulneratis ex nostris et multis equis occisis. Post diem vero ascensionis, proxima dominica, Fridericus Mai. 6. de Hunlitra eos insequendo de equo cecidit, et fracta cervice obiit. Sequenti autem die apud Finiminum castra metati sumus, ubi cum circa vesperam castra nostra Turci aggrederentur, ita ut de quibusdam hospiciis spolia iam raperent armatis, nos in fugam eos convertimus, et ex eis ceciderunt plus quam sex milia Turcorum, inter quos trecenti septuaginta quatuor de melioribus totius Turciae occisi sunt, et nullus de nostris interiit, sed et equi multi occisi. Et resonabant montes ex clamore plangentium, et nox divisit nos ab invicem.

Incepit autem inter nos fames valida regnare. Vinum autem et farina ex toto defecerat, et ego cum aliis equinas carnes comedi. Defecerant autem equi fame, quia nec annonam nec segetem nec gramen invenimus, et Turci die ac nocte cum tanto nos artabant exercitu, quod nulli extra castra licebat exire. Item feria quarta ante diem pentecostes Mai. 9. magnam eorum multitudinem occidimus.

Post sanctum vero diem pentecostes invenimus Melich magni soldani filium, et acies Mai. 13. contra nos dispositas et Turcorum multitudinem circa quadringenta milia equitum, qui totam ut locustae repleverant terram, contra quos victrices aquilas in nomine Christi a fronte ereximus, nec famem nec vulneratorum defectum sentientes. Et cum vix sexcenti equites essemus, sub signo vivificae crucis eos vicimus et convertimus in fugam, ubi Melich filius soldani ab equo deiectus est, et quatuor nominatissimi principes eius occisi sunt et alii quam plurimi. Ibi etiam quiddam accidit dignum memoria: sanctus Georgius eadem die sicut et prius quasdam acies nostras a Lodowico de Helfenstein praecedere visus est, impendens auxilium exercitui nostro. Ipse enim Lodowicus sub iureiurando publice confessus est et sub religione suae peregrinationis coram domno imperatore et exercitu. Sed et ipsi Turci postmodum nobis retulerunt, se quasdam acies vidisse candidis amictas vestibus et equis albis.

Eadem die sequentes Melicum, qui fugerat versus Yconium, post tantam victoriae gloriam vix circa noctem venimus ad hospitium, nullumque reperimus, fueruntque homines et pecora sine cibo et potu, et quodammodo incidimus in vitae desperationem. Nam equi, qui prius remanserant, fame et ob viae longitudinem fere omnes mortui sunt. Inde proficiscentes summo diluculo, cum iam essemus prope Yconium ad miliare, accessimus vicinius, et invenimus aquam, ubi mansimus tota feria quarta. Mai. 16.

Sequenti vero die recepimus nos iuxta quendam ortum amenissimum clausum muris apud ipsam civitatem Yconii, ubi etiam duo nobilissima palacia soldani destruximus. Et quoniam ultimae vitae necessitas imminebat, eo quod fames nos maxima invasisset, et vix haberemus iam circa quingentos milites in equis, nullumque superesset procedendi vel redeundi consilium, ipsa cogente necessitate et docente, militiam nostram in duas divisimus partes, feria sexta post pentecosten directa via procedentes ad capiendam civitatem, Mai. 18. ubi, quod mirabile et incredibile dictu videtur, divino auxilio dux Sweviae cum sibi adiunctis sex occupavit civitatem, in ore gladii habitatoribus eius occisis. Et domnus imperator interim manens a tergo, contra alios Turcos in campo pugnavit. Et cum essent circa 200 milia equitum, virtute Altissimi eos expugnans, fugae reddidit. Nec indignum memoria. Civitas enim Yconium in magnitudine equatur Coloniae, ubi captis spoliis mansimus a feria sexta usque ad feriam quartam, donec soldanus qui se et suos in castra receperat, timore Mai. 23. mortis artatus, viginti obsides ad electionem nostram dedit, quos adhuc captivos tenemus, quia fidem promissam non tenuit.

a) *vocem inserui.* PERTZ. b) *voces* a tergo aggressi sunt *et vocem* atque *inserendas duxi, loco corrupto medelam allaturus.* P.

1190. Mai. 26. Iun. 1. Inde moventes castra proximo sabbato, directa via versus Larandinum[11] ivimus, ubi Kalendis Iunii hospitati sumus. Et intempestae noctis silentio tantus factus est terrae motus, quod putabamus super nos Turcorum acies irruisse; quod credidimus fuisse praesagium mutationis circa domnum imperatorem. Nam cum inde procederemus, ivimus Caleph, ubi tantam asperitatem et difficultatem viae in transitu montium invenimus, quod summa iactura Iun. 10. rerum vix pervenimus Caleph[12] in dominica die, quae fuit vigilia Barnabae apostoli.

Eodem die cum domnus imperator per quoddam compendium transiret in convallibus moncium quandam rapidissimam aquam, ...[a] salvumque eum recepit in aliam partem. Facto autem ibi prandio, post infinitos et intolerabiles labores quos per mensem iam erat passus, et vellet balneari in eadem aqua, et ita se refrigerare vellet natando, Dei iudicio, casu lacrimabili et inopinato submersus est. Cuius reliquias debita veneratione nobiscum portamus, et usque Tursoth[13] famosissimam civitatem pervenimus, versus Antiochiam inde procedentes, maximamque rerum nostrarum spoliationem passi sumus, et continue per sex ebdomadas laboravimus victualium penuria, eo quod venalia non invenirentur.

Haec de multis periculis nostris, licet pauca vobis scribere curavimus, de caetero expectantes solatium a misericordia Dei.

a) *lacuna.*

11) Laranda. GR. 12) Selefke. GR. 13) Tarsus. GR.

TRIUMPHUS SANCTI LAMBERTI
DE CASTRO BULLONIO

EDENTE WILHELMO ARNDT PH. D.

Bullonium castrum quum anno 1096 *a Godefrido duce Hierosolymam profecturo pro certa quadam pecuniae summa traditum fuisset episcopo Leodiensi Otberto, Rainaldus comes Barrensis anno* 1134 *vi occupatum tam diu tenuit, donec episcopus Albero II, qui frustra hanc ob rem curiam Romanam regemque Romanorum plus plusque interpellaverat, anno* 1141 *a magnatibus suis, inprimis comite Namurcensi, adiutus, armis intercedentibus id sibi recuperavit. Hunc triumphum scripto celebravit aequalis*[1], *quem primus editor Chapeaville fuisse Nicolaum canonicum Leodiensem suspicatus est*[2]. *En illius verba*[3]*:* Auctor 2 triumphi sancti Lamberti martyris de castro Bullonio fuit canonicus Leodiensis, ut ex prologo aliisque locis passim facile colligere est, vir facundus et in sacris litteris valde eruditus. Nomen eius in veteri MS. codice Alnensis monasterii, quo maxime usus sum, non habetur. Mihi coniectura est, esse Nicolaum canonicum Leodiensem, qui et auctor fuit vitae sancti Lamberti, quae hodie in ecclesia Leodiensi legitur, tum quod Alnensis codex post vitam sancti Lamberti per dictum Nicolaum procul dubio scriptam immediate subiicit hunc sancti Lamberti triumphum nulla interiecta mentione alicuius alterius auctoris, tum quod idem stylus est utriusque libri, elegans scilicet et gravis, et ubique phrases sacrae scripturae, vel ipsas scripturas vel verbotenus citans, vel obiter citans. Denique quod auctor in prologo et alibi indicat se de numero canonicorum Leodiensium fuisse, qui praesequuti sunt reliquias sancti Lamberti, cum Bullonium deferrentur et inde referrentur, et scribere partim quae vidit ipse, partim a fide dignis audivit. Florebat vero tunc temporis, hoc est circa annum Domini 1130 dictus Nicolaus, nec ullum alium tunc temporis historiam ecclesiae Leodiensis scripsisse legimus. *Quae omnia certa argumenta esse nemo fortasse probabit.*

Ad nostram editionem parandam his usi sumus subsidiis:

1) *Chapeaville dedit Triumphum ex codice membranaceo Alnensi*[4], *quem saeculi XII. aestimamus. Qui quamvis haud spernendum nobis offerat textum, tamen lacunis parvis corruptisque locis non indiget, ita ut remedium petiverimus ex*

2) *codice Parisiensi, Nr.* 9422 *(Suppl. Lat.* 563*)*[5], *formae ut dicimus in quarto, olim* Liber beate Marie Aureevallis, *saeculo XIII. scripto, ubi f.* 122' *usque ad f.* 130 *nostrum exhibetur opusculum. Quum autem in hoc codice modus scribendi, qualis saeculo XIII. usitatus fuerit, ubivis appareat, nos plerumque servatis editionis primae lectionibus, id egimus, ut lacunis hoc duce expletis orthographiam saeculi XII, quoad potuimus, restitueremus. Contulit codicem Georgius Waitz v. d. anno* 1839.

1) V. cap. 22: *Devotioni tamen tuae, beate martyr, prout vires dederis, famulabor, dicamque quod vidi* etc.
2) Gesta episc. Leod. II, 79. 576.
3) l. c. p. 576.
4) II, 577—602.
5) Cf. Archiv VIII, 308 et catalogum codicum manuscriptorum bibliothecae imperialis Parisiensis ab cl. v. Delisle confectum.

3) *Editor in notis adiecit nonnullas varias lectiones codicis, quem ipsi prior conventus fratrum Augustinianorum suppeditavit. Quae lectiones hunc codicem simul ac Parisiensem quadam similitudine connexos probant.*

Nostro opusculo usus est Reinerus ad condendum suum Triumphale Bulonicum, Aegidius autem Aureaevallensis utrumque in Gestis episcoporum Leodiensium exscripsit.

Berolini d. 7. m. Decembris a. 1866. *W. Arndt.*

Auctor[a] *temporum salutisque nostrae dispensator Deus, cuius sapientiae legibus distincta sunt tempora tacendi, ut*[b] *caduca mortalitas, ne noxia dicendo peccaret, fraeno*[c] *sui*[d] *silentii restringeretur, cum rei deposcit utilitas et fraterna persuadet caritas*[e], *indulget*[f] *tempora cum modestia loquendi*[f. 6]. *Utentes itaque nobis indulta venia, ad laudem et gloriam nominis sui et memoriam beati Lamberti martyris, patroni nostri, quod ipsi*[g] *permiserit loquamur: qualiter* cf. Ps. 110,4. *scilicet diebus nostris recordatus misericordiae suae memoriam mirabilium suorum fecerit,* cf. Luc. 1,69. *qualiter depositis potentibus de sede, dans victoriam*[h] *de inimicis, cornu salutis erexerit.*

Adiuvet[i] *Deus desiderium nostrum, et rubiginem linguae nostrae spirituali calculo auferat,* cf. Sap. 10, 21. *qui ora mutorum aperit, et linguas infantium facit disertas; ipse*[k] *enim est, qui gratia meri-* cf. 1 Cor. 1, 28. *torum sui martyris confundit fortia*[l], *ut infirma corroboret, superba et alta deicit*[m], *ut humilia* cf. Luc. 1,52. cf. 1 Cor. 1, 31. *exaltet, ut qui gloriatur, in Domino glorietur: quia non salvatur rex*[n] *per multam virtutem, nec*[o] cf. Ps. 32,16. *gygas*[p] *in multitudine fortitudinis suae, sed dextera tua et illuminatio vultus tui, Domine, salvos* cf. Ps. 137,7. *facit sperantes in te.*

Iure igitur omnis creatura creatorem suum benedicit, qui fidelibus suis pro[q] *veritatis testimonio occisis adeo praemia digna rependit, ut non diffidamus omnes*[r] *gloria et honore coronatos in coelis, quos apud minutos ipsorum cineres signis evidentibus diversorum carismatum*[s] *mirificare non cessat in terris.*

Sed qualiter haec acta sint quae loqui intendimus, compendiose quidem et fideliter prosequamur, ut habeat futura posteritas quod[t] *suis quoque infundat filiis: narrare videlicet* cf. Math. 28, 20. *laudes Domini et mirabilia eius, qui usque modo operatur et nobiscum, sicut est pollicitus, manebit, nec desinet usque ad consummationem saeculi*[u] *tam potestate quam pietate, qui guttas* cf. Eccl. 1,2. *pluviae numerat et legem ponit procellis sonantibus, imperat ventis et fluctibus et maria tranquillat*[v].

1096. 1. *Qualiter primo castrum acquisierit ecclesia.* Anno igitur incarnationis dominicae millesimo nonagesimo[w] sexto, regnante Henrico, tertio[x] huius nominis, Romanorum imperatore, anno regni illius quadragesimo, factus est concursus innumerabilium occidentalium populorum, nobilium et ignobilium, divitum et pauperum, ex omni professione hominum, ad civitatem Hierosolymorum[y], quae a filiis alienis, a prophanis videlicet paganis, possessa, in obprobrium[z] christianae religionis eorum sacrilegis ritibus contaminabatur. Sigeb. ad a. 1096. Christiani itaque populi signo et virtute sanctae crucis signati et armati, ultum ire parant Dei suasque iniurias in hostes christiani nominis, et quanto quisque hactenus ad exercendam mundi militiam erat pronior[*], tanto ultro[a] ad execrandam mundi malitiam fit promptior[b. 7], firmissima interim pace ubique composita.

Erat ea tempestate dux Lotharingiae Godefridus, Godefridi Gibbosi ex sorore[8] nepos, vir magnae potentiae et famosi nominis, qui valde erat in fide pietatis catholicus et in re militari strenuus, egregie dispensans secundum concessam sibi mensuram donationis cf. Matth. 22, 21. Christi, quae caesaris caesari, et quae Dei Deo. Is ea intentione qua caeteri[c], sed maiori devotione quam plures alii, zelum piae actionis iam mente conceperat, in tantum ut

a) *hoc praecedit lemma in* 1: Prologus Triumphi S. Lamberti martyris de castro Bullonio, anno Domini 1141. Indic. 4. regnante Romanis Conrardo 2. anno regno eius 4; *in* 2 *autem hoc:* Triumphus beati Lamberti episcopi et martiris de castro Bullonio. b) et 2. c) freno 2. d) sui restringeretur silentii 2 e) charitas 1. f) indulget cum modestia tempora loquendi 2. g) ipsi *om.* 2. h) nobis victoriam 2. i) Adiuvet ergo Deus 2. k) Ipse 2. l) fortia confundit 2. m) deiicit 1. n) *deest* 1. o) et 1. p) gigas 2. q) pro veritate occisis 2. r) eos 2. s) karismatum 2. t) quid 2. u) saeculi *om.* 2. v) *sic corr. ex* tranquillatur 2; tranquillantur 1. w) nonogesimo 2. x) tercio *semper* 2. y) Iherosolimorum 2. z) opprobrium 1. *) propior 2. a) ultro *deest* 1. b) promtior 2. c) ceteri 2.

6) cf. Eccles. 3, 1. 7: *Omnia tempus habent. – Tempus tacendi et tempus loquendi.* 7) Sigebertus: *tanto nunc ad exercendam ultro Dei militiam fit promptior.* 8) Ida, uxore Eustachii comitis Boloniensis, filia Godefridi Magni.

possessiones suas venderet et earum pretium[a] secum deferret, interminabiliter in praesenti peregrinaturus, quod Deo sibique militantibus erogaret. Itaque patrimonii sui, quod ei satis magnum remanserat, pretium foeneratus est Domino, dum miseretur pauperibus, et pro temporalium impendiis aeternorum lucratus est stipendia meritorum. (cf. Prov 19, 17.) Huic inter caetera possessionis suae praedia erat castrum Bullio[9] nomine, naturae opere valde munitum, quod inter confinia duorum regnorum positum, Francorum videlicet[b] et Lotharingorum, adiacentibus utriusque regni provinciis[c] hinc inde non minus dampnosum erat quam terrificum. Rupes enim adiacenti[d] flumine Symoi[e, 10], quod utroque latere idem castrum alluit, in directum procedens et in enormem se attollens magnitudinem, in superioribus[f] suis in longum latus et arduum protenditur, sed nec ibi ulla sibi blandiens planitie intercisis praerupta scopulis, eis quoque quos respicit[g] praeter artis adminiculum[h] inaccessibilem se profitetur. Quae quidem inter medium montium posita, utrobique ab eis circumvallatur, sed a se eos declivis sinus vallium et alveus subterfluentis fluminis secernit, divisis separatisque spatiis[i], ut ei sint potius ad munimentum[k] quam ad ullius machinamenti quod obstare possit detrimentum. Ab his autem montibus, qui in castello fuerit, nec iactus lapidis[l] nec tractus reformidat balistarum vel arcuum, quin a supercilio rupis descendat per viam usu et arte[m] tritam ad aquam hauriendam, pene ab omni securus iniuria, nisi ab ipso vallis confinio ei iaculum intentet cum sui periculo cautus arbalista[n]. Haec vero rupes in se vel in suis praeruptis scopulis nullos nisi de nubibus veretur assultus, et videres eos nec contingeres de scopulo ad scopulum repere[o] manibus ac pedibus. Sola ei obesse potest[p] iugis obsidionis cum innumerabili multitudine iniuria, si desit obsessis victualium et necessariorum copia. Locus autem ad unum vel duo pene miliaria condensis circumdatur saltibus, ut vix aliquis per artas[q] et angustas vias, si non est qui prohibeat, admittatur exercitus. Haec itaque insignis[r] marchia Leodicensi nimium vicina episcopio, illud assidue vastabat caedibus, rapinis pupillorum et viduarum, omni genere dissipabat, et maxima ex parte suis reditibus et iustitiis[s] mutilabat. Hac inductus[t] necessitate Obertus, tunc temporis nostrae sedis episcopus, vir sagax utiliumque provisor, in negotiis[u] divinis et humanis adprime eruditus, dum venalis haec possessio proponeretur[11], expertus quid per eam mali passus fuisset vel pati posset, videbat omnino, si eam posset adipisci, quod non solum sibi, sed duorum quoque regnorum paci[v] consuleret. Distulit tamen se huic[w] negotio ingerere, donec divina donante clementia[x] haeredum successio ab hoc placito desisteret, et memoratus dux, cessantibus carnis haeredibus, accepto beneficio, ecclesiam beati Lamberti huiusce possessionis haeredem conscriberet[y]. Adfuit[z] divina misericordia, permovit ducem ut offerret beatae Virgini et pio martyri praedictum castrum ob memoriam animarum praedecessorum suorum, conditione interposita ut, si infra tempus praefinitum a se vel a suis successoribus tribus quos ipse praescripserat non redimeretur, deinceps possessio sicut diviserat cum castello in totum tempus ecclesiae assignaretur. Episcopus itaque miseriis pauperum compatiens[*], pie violentus memoriam beati martyris, loculum scilicet in quo iacebant sacratissimae eius reliquiae auro coopertum excrustavit et in maiori ecclesia et omnibus totius episcopii ecclesiis aurum, gemmas et caetera, quae decoro ambitu altaria pulpita et textus ecclesiarum venustabant, detraxit, et mille trecentis argènti purissimi marcis[12] undecumque corrasis[a], hac summa pecuniae duci tradita, praedictum castrum emit, et multorum[b] direptiones, captivitates, mendicitates, pericula mortesque redemit.

Dux quidem et fratres sui Ierusalem adierunt, ubi strenue rem vitamque consummaverunt; haeredes subscripti[c] diem obierunt et possessionem Bullonii sine omni reclamatione, legitimis successoribus de medio factis, libentibus animis ecclesie[d] reliquerunt. Sic absque omni iniuria Dei dispositione, pia consideratione, Oberti providentia, possessio

a) precium 2 *semper.* b) scilicet 2. c) provintiis 2. d) adiacente 2. e) Symoy 2. f) superbioribus 2. g) recipit 1. h) ammiculum 2. i) spaciis 2. k) munimen 3. l) lapidum 2. m) arce 2. n) arbarista 2. o) reppere 2. p) potest obesse 2. q) arctas 1. r) *deest* 2. s) iusticiis 2. t) indutus 2. u) negociis 2 *semper.* v) sed suorum quoque paci 3. w) huic se 1. x) clemencia 2. y) huiusce conscr. p. heredem 2. z) affuit 2. *) compaciens 2. a) corasis 2. b) et mult. *des.* 2. c) supra scripti 3. d) *deest* 1.

9) Bouillon. 10) Semoy fluv. influit fluv. Mosam prope Monthermé. 11) De emptione vide Chron. S. Huberti Andaginensis, M. G. SS. VIII, 615. et Reineri Triumph. Bulon. Lib. I. in initio, infra dandum. 12) *Otbertus gloriae suae studens, praedictum castrum oblatum sibi concupivit, et mille quingentas argenti libras pro eo duci condixit.* Chr. S. Huberti l. c., ubi etiam fusius de spoliatione eccl. S. Huberti ad hunc finem peracta agitur.

Bullonii in ius ditionemque Leodicensis[a] cessit episcopii. Multorum quidem paci et saluti providit, verum rem sibi plenam laboris, periculi, detrimenti acquisivit. Nam loci illius accolae inopes, vagi, infidi, rapaces cum feris contubernium habentes, dum in saltibus bestias insequuntur[b] aduncis manibus, animo plerumque in bestias degenerant, adeo perfidiae familiares, ut cum siti habendi exaestuant[c], illi fidem exhibeant, qui maiori eam fuerit mercatus pretio[d] vel munere. Ipse quoque locus cautum sollicitumque postulat provisorem, qui quodammodo sui firmitate in se excitare iubetur[e] proditorem; quanto enim difficilius capitur, tanto fortius[f] in se admissos tuetur. Obertus quidem quem nullum latebat genus hominum, suo tempore sollicite custodiae invigilavit, animos accolarum magnis frequentibusque donariis, utpote vir animo ingens, sibi conciliavit; et quod acquisierat quo labore tueretur, sedis suae successoribus experiendum reliquit[g].

Sub duobus sane post eum praesulibus[h] idem castrum cum pace et quiete possessum est, nec erat quispiam, qui sibi ius aliquod adversus ecclesiam proponeret, vel evidenti quolibet tumultu molestare eam praesumeret. Suscepit post eos tertio[i] loco sedem clavumque regiminis Alexander, vir magnae prudentiae, sagacis facundiae, in humilitate praecipuus, in oratione devotus, in elemosinis pauperum nulli suo tempore secundus.

2. *Qua occasione castrum sit proditum.* Interea, dum turbato rerum statu in toto fere
orbe Romano, sub duobus apostolicis Innocentio et Anacleto, duobus regibus Lothario et
13 Conrado, duobus[k] ducibus Godefrido Lovaniensi et Pagano de Lemburch[13] omnia dissen-
sionis nutarent motibus et in iudiciis causarum iustitia[l] plurimum periclitaretur impunitate
scelerum, multi adversus ecclesiam calcaneum erexerunt, caedibus, rapinis, incendiis epi-
scopium Leodicense attriverunt, illi maxime, qui si incumberent hostiles acies, illud defen-
Math 10,36. dere et tueri debuerunt, completa sententia, quae dicit: *Inimici hominis domestici eius.*
Nec defuerunt periclitanti ecclesiae suae patrocinia beati martyris, cum ipsius tunc Moy-
ses[m.14] contra Lovaniensem[15] pugnaturus Amalech orationum munitus clipeis, triduano
1129. Aug. 7. indicto ieiunio in congressu licet impar, innumerabilem sub moenibus Durachii[16] fugavit
et protrivit exercitum, prostrata[n] ibi[o] nostris inaudita diebus multitudine adversariorum.
Cantandum[p] est Domino, ymnusque[q] ei dicendus in his quae magnifice fecit, ne si forte
reticendo minus laudes eius annuntiaverimus, silentii nostri poenas luamus, utpote eius
cf. Tob. 12,7. ingrati beneficiis. Etsi enim secretum regis caelare bonum est, opera Dei annuntiare[r]
nichilominus honorificum est. In hoc enim benignior erga nos apparet gratia nostri pro-
cf Ps. 67,22. visoris, qui confringens capita inimicorum verticem capilli perambulantium in delictis
humiliat, et quos aliquando sibi castigando percutit, ad se postmodum conversos ut filios fovet et enutrit. Alexander itaque dum quasi domesticis intendit hostibus, ab eorum incursione[s] fines suae diocesis vix conservans, dumque pluribus tam suis quam regni insistit negociis, divisus ad multa, minus sufficiebat cogitare de singulis. Unde nactus oportunitatem comes quidam Barrensis[t.17], Rainaldus[18] nomine, homo singularis perfidiae proditionumque famosissimus signifer, castrum illud[u] Bullonium, corruptis pecunia promissisque maximis custodibus, probrose et cum ignominia intravit, nocturno furto, funibus ut dicitur tractus intro ab illis qui sibi tradiderant, et beatum martyrem domo, quam suo ornatu et de pauperum elemosinis acquisierat, spoliavit. In quo sane non multum culpanda est pii nostri praesulis prudentia; sinit enim haec fieri suaviter omnia disponens Dei sapientia, ut mirabile quoque esset in oculis nostris, cum in thesauris poneret abyssum huius consilii

a) Leodiensis 1. b) insecuntur 2. c) exeffluant 2. d) precio 2. e) videtur 1. f) forcius 2. g) *sic corr. ex* reliquid 2. h) 3 *addit:* Frederico et Alberone. i) eum tercio 2. k) *addit* 1: Lotharingiae. l) iusticia 2 *constanter.* m) 3 *addit:* Alexander episcopus, videlicet praememoratus, *quae verba ex margine cuiusdam exemplaris desumpta esse elucet.* n) prostratis 2. o) a *postea add.* 2. p) cantandus 2. q) hymn. 1. r) annunciare 2. s) concurs. 2. t) Barensis 1. u) castrum illud *des.* 2.

13) Walrabo; cf. Annalistam Sax. M. G. SS. VI, 679: *ex qua Heinricus dux de Lintburh genuit Walrabonum ducem, qui et Paginus dicebatur.* A. 1129. a Lothario dux constitutus est; cf. Ann. Erphesfurd. l. c. p. 537: *Dux Gothefridus de Brabantia a rege deponitur, et Paginus pro eo dux constituitur.* 14) Alexander episc. Leodiensis. 15) Godefridum comitem. 16) Duraz, cf. Anselmi Cont. Sigeb. M. G. VI, 381. et Ann. Erphesfurd. l. c. p. 537. 17) Bar-le-duc. 18) II. De hoc comite v. Ekkeh. chron. ad a. 1113. M. G. SS. VI, 247 et stemma comitum et ducum Barrensium apud Miraeum, Opp. dipl. I, 402 sq. De tempore, quo occupaverit castrum v. Sigeb. Cont. Gembl. ad a. 1141, l. c. p. 387, ubi leguntur haec: *Adelbero huius nominis secundus Leodicensium episcopus, dolens fraudulenta invasione comitis Raginoldi iam per 7 annos violenter retineri castrum Bulonium* etc.

sua providentia[a]. Deinceps nostra res publica valde attrita est, et ecclesiae quoque facies a pristino vigore multum immutata est[19]. Sed numquid *oblivisceretur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas.* cf. Ps. 76,10.

3. *De electione Alberonis*[b] *secundi.* Cum itaque in derisum et subsannationem essemus cf. Ps. 43,14. his qui erant in circuitu nostro post Alexandri excessum, communibus votis, pari assensu clerus et populus subrogavit sedi Leodiensi Alberonem primicerium Metensis ecclesiae, 1136. iuvenem quidem aetate, sed in signum maturae mentis canum capillo, et ei laborantis ecclesiae pondus et aestus portare commisit. Elegerunt eum sane columnae ecclesiae, hac spe maxime, quod esset de prosapia Namucensi, prosapia[c] a mari usque ad mare palmites suos protendenti, et sororis suae filius esset[d] dux Lovanii[20]. Qui duo principes genere, possessione, potentia, multitudine illi praesunt regioni, et per eos bella sedari possunt et pax firmari, ablata restitui et restituta servari. Adeptus itaque sedem pontificalem[e] Albero, coepit tota vigilantia laceras episcopii sui partes recolligere, impignoratas[f] redimere, ab aliis ereptas arte qua poterat et modis omnibus reformare. In quibus autem per se non sufficiebat, regiam auctoritatem precabatur, magnis et gravibus expensis eius frequentans curiam omniumque potentium exorans clementiam. De iniustitia et tyrannide quorundam violentorum in conspectu principum conquerebatur, maxime tamen super Bullonii amissione et ignominiosa Raynaldi[g] detestabilique proditione. Ille autem quia metuebat eum, per parentes, cognatos et necessarios amicos ei adversabatur. Sed Deus misit angelum suum et custodivit eum per viam qua ibat, faciens eum a timore liberum et in periculis securum. cf. Ps. 90,11. Romam quoque adiit, supremum[h] refugium miserorum, querelam suam in auribus beati Petri eiusque vicarii deposuit, petens et flagitans ut ei iustitia non negaretur, et anathematis sententia[i] in obstinatum rebellemque tyrannum iacularetur. Hoc pridem sibi caverat versutus ille et callidus, Romam adierat, apostolicum salutaverat, et in gratiam curiae iam receptus erat, Haymerico[k] cancellario[l, 21] mediante. Ubi etiam mendaciter fictam narravit apostolico fabulam, haereditaria successione Mathildis marchisae hanc sibi provenire marchiam, fingens ecclesiae se[m] velle reddere quam praestiterat mille trecentarumque marcarum[n] pecuniam[o]. Conciliatis ergo sibi potentiorum[p] animis, hanc ab eis, ut dicitur, accepit sibi confirmatam attestationem, quod quamdiu viveret, numquam pro hac re ei[q] intentarent excommunicationem. Quapropter episcopus secundo rediit inefficax[r], nec apud regem iustitiam, nec apud vicarium beati Petri ullam consequutus[s] misericordiam.

4. *De Fossensi incendio.* Irritavit potius suos adversum se inimicos, qui soluto freno 1140. malitiae[t] ac tyrannidis suae, improvisi supervenientes, hominesque partes[u] eius sequuti[v], ut ampliarent adversus eum supplantationem[w], insigne oppidum[x], quod a situ loci Fossis dicitur[22], occupaverunt. Oppidani[y] sane repentino adventu adversariorum perturbati[z] de stratis consurgentes, in munitionem confugerunt, oppidumque rapinis, igne, ferro depopulandum reliquerunt. Et quia calix inebrians erat in manu Domini, cuius pro peccatis cf. Ps. 74,9. nostris[*] nondum erat fex[a] exinanita, ignis erumpens de villa, sacras aedes corripuit et oratorium beati Foillani cum claustro et caeteris canonicorum officinis omnino depastus est, ut penitus domus non remaneret quam ignis non invaserat[b]. Hac itaque plaga crudeli attritus episcopus, suum in miserationibus Domini ponit refugium, Romam iam tertia vice adiit, in auribus pii pastoris beati Petri iterum querelam suam[c] deposuit, orans ut miseriam suarum ovium respiceret hostiumque[d] superbiam, et pro beneplacito voluntatis[e] Domini secundum misericordiam vel iudicium subveniret.

Attemptavit iterum apostolicum, rogans humiliter ut a communione ecclesiae illum

a) *sic* 2. 3; prudentia 1. b) Alberici 2. c) Nam. prosapia *des.* 2. d) esset *deest* 1. e) pontifilem 2. f) impignerata 2. g) Rainaldi 2. h) suppremum 2. i) sententiam 2. k) Haimerico 2. l) cancelario 2. m) se eccl. 2. n) marcharum 2. o) possessionem 1. p) potentioribus 1. q) *deest* 2. r) *sic* 2 *et* 3; *deest* 1. s) consecutus 2 *constanter*. t) malicie 2. u) pacis 2. v) secuti 2. w) deceptionem 1. x) opidum 2. y) opidani 2. z) turbati 1. *) *deest* 1. a) fex erat 2. b) inundaverit 2. c) suam quer. 2. d) hostium 1. e) *deest* 2.

19) propter depositionem Alexandri episcopi Leod. a. 1135. factam. Obiit Alexander a. 1135. Iul. 6. 20) Aegidius Aureaevall. apud Chapeaville II, 78 habet haec: *et sororis suae filius esset dux Lovanii Godefridus, filius praedicti Godefridi ducis.* Cf. Sigeb. Cont. Gembl. ad a. 1138. l. c. p. 386. 21) Per huius manum bullae Innocentii datae sunt a Iunio 1130. ad 20. Maii 1141. 22) Fosse, cf. Sigeb. Cont. Gembl. a. 1140: *opidum, quod Fossis dicitur, quia nomen tale sibi dat situs ipse loci.* Ceterum inter Heinricum comitem Namurcensem et episcopum hoc bellum gestum est.

cf. 1 Cor 5,5 filium perditionis separaret et censura ecclesiastica traderet eum Sathanae in interitum carnis ut vel sic resipiscendo spiritus[a] salvus fieret. Pecunia quoque aggressus est ut eum flecteret; sed nec sic quidem praevaluit. Reservabat enim sibi Deus lacrimas viduarum, miserias orphanorum, clamores et mendicitates pauperum, et iniurias sanctorum, sicut rei probavit eventus.

5. *Consilium et initium obsidionis.* Reversus tandem[b] et per viam spinis insidiarum plenam a Domino liberatus, postquam Leodium venit, omnes episcopii sui[c] potentiores, ducem comitesque ad se convocat. Omnibus[d] denique, si qui ex ipsis in eum deliquerant, dimittit iniurias, donat beneficia, honorifice eos secum cum largo apparatu discumbere facit, sibique caute eos amicitia potentiaque devincit. Et quia non omnium est fides, paucis, sine quibus res agi non poterat, secretum consilii sui aperit, dicens per misericordiam Dei et eorum auxilium Bullonium se velle repetere, et quia deerat ei apostolica regalisque iustitia, Dei iudicio deinceps exitum[e] rei committere. Monuit eos ut nulli aperirent cardinem huius consilii; tutissimum namque in expeditionibus creditur facienda nesciri. Hortatur denique ut suos stipendiarios[f] congregent milites, famae cupidos, ingentes animis laborumque patientes[g]. Sed quia cogitabat, si congregaretur exercitus, quod cito possent hostes coniicere mysterium consilii huius castrumque munire armorum victualiumque copiis, insuper iter carpere[h] per semitarum angustias, parva manu rem dignam multi-
1141. Aug. 17. tudine aggreditur. Iamque[i] loco proximus, commonefacit suos pro patria, pro sacris, pro titulis gloriae viriliter agere libertatemque suam et pacem fortiter armis tueri.

6. *Primus occursus et fuga hostium.* Ea porro die condixerant filii Barrensis[k] comitis Hugo et Rainaldus incursiones in fines episcopii facere, sicut saepe fecerant, et incolas cum substantia et peculiis eorum in captivitatem ducere. Quapropter multos habebant secum milites in rebus bellicis strenuos[l], quos sua inopia avidius instigabat ad concupiscendum et diripiendum aliena. Occurrerunt itaque sibi invicem, sed foelici omine faustoque principio hostes perterriti sunt et ad nostros terga, ad fugam studia converterunt. Verum nostrates, itineris difficultate superata, insecuti sunt fugientes, eosque per pontem qui est super[m] Symoym[n], fugere[n] compulerunt, et viriliter eos temerarieque obsederunt, quamvis loco hostibus essent inferiores, numero pene pares adhuc[o] sed ausu praestantiores.

Auxerat autem[p] formidinem, quod multo plures latere in insidiis credebant quam essent hi quos videbant, et per angustias locorum ante castrum ditionis alienorum tam parva manu, tanto ausu, tam grande facinus nostros sine magnis copiis attentare[q] non credebant. Haec interim sollicitudo timorque susceptus iuvit[r] exercitum Domini. Quem cum magna iocunditate exceperunt valles abundantes frumento, laetaeque segetes ab omni prorsus falcis[s] iniuria immunes, arriserunt[t] eis copiosae benedictiones[u] abundantiae, qua sufficienter interim administrare[v] possent et equis pabula, et viris alimenta.

7. *Haec prima die facta sunt.* Erat sub ipsa arce super ripam fluminis domus, quam ab officii[w] sui proprietate Molendinum vocant, satis utilis et necessaria, in qua frumenta trita et in tenuem redacta speciem pane confirmarent obsessos[x]. Huic aqua servire cogebatur, quae per palos virgasque palis intextas retenta[y], super rotarum alveos[z] influebat, et infusione sua celeriter movere et molere[*] faciebat. Quae res valde erat obsessis idonea, eisque magnam pariebat[a] resistendi[b] audaciam, et obsessoribus semper suae pigritiae improperabat ignaviam. Huic machina erat superposita, quae defensores suos in suis moenibus et propugnaculis tuebatur, et impugnatores suos[c] loco approximantes[d] telorum turbine per balistarios et sagittarios removebat. Itaque Henricus comes Namucensis[e], iuvenis quidem aetate, sed animo ingens, cuius industriae et potentiae maior pars huius militiae[f] obsecundabat, praeceps fluvium quasi campum ingreditur, hortatus iuvenes ministros militum, ut alveum dirumperent et aquam suae libertati restituerent, ut quae in angustum coacta ad hostes fortior profluebat et utilior, in latitudinem distenta tenuior redderetur, et officinae suae[g] ferias induceret[h], dum propter sui raritatem opus molentis

a) *ita* 2. 3; *deest* 1. b) *deest* 2. c) *deest* 1. d) *deest* 1. e) exitium 1. f) stipendarios 2. g) pacientes 2. h) capere 2. i) atque 1. k) *sic* 2 *constanter;* Barensis 1. l) strennuos 1. m) supra 1. n) Symoin, oppidum quod sub rupe tunc erat, fugere 1. o) adhuc pares 2. p) *add.* 1: hostibus. q) *deest* 2. r) *sic* 2. 3; pavit 1. s) *deest* 1. t) arridebant 1. u) benedictiones copiosae 2. v) adminystrare 2. w) offitii 2. x) obsesos 2. y) *deest* 1. z) alveum 2. *) voluere 1. a) parabat 1. b) *deest* 2. c) suo 1. d) appropinquantes 1. e) Namurcensis 1. f) milicie 2 g) *deest* 2. h) indiceret 2.

impediretur. Ubi voce agnitus et habitu, a tribus balistarum iaculis tactus[a] est. Quorum unum equi, cui insidebat, armos posteriores[b] penetrat, alterum crus comitis sauciat,[c] tertium[c] equi nichilominus ilia perfodit, ipsumque una cum domino in medium fluminis deicit[d]. Sed cito ei subvenitur. Clamor magnus et fragor utrimque oritur, hostibus audacia[e] simul et laetitia[f] geminatur. Erectus vero vagina liberat ensem et quia proximus erat hostibus, simul eventu rei[g] turbatus, unum suorum, qui eum tenebat, hostem ratus, in capite[h] percussit, qui tamen cassidis beneficio[i] illaesus permansit. Exclamat ille denique, se socia arma gerere[k] non hostilia et suae ereptioni venisse famulatum non captioni. Ita reductus ad suos, ubi primum vulnus a se ipso attrectatum et inspectum stillare cruorem cessavit circumligatum[l], ne diutius hostes inaniter gloriarentur, iterum equo ascenso, acrior ex hoc effectus, ad negotium quod coeperat revertitur, effecitque alveo dirupto, ignavo silentio, mutam torpere molendini officinam.

Has primitias operum dies ille primus habuit, hoc ordine episcopus suum Bullonium visitavit, hac benedictione sui episcopii partes ab aliis pervasas[m] salutavit. Sic diei cursu consummato, nox supervenit de[n] qua canitur quod mentes fessas allevet, luctusque[o] solvat anxios.

8. *Obsidentium sollicitudo et timor*[o*]. Sed quae aliis parit quietem laborumque largitur otia[p], pro tempore exercitui Domini attulit sollicitudinem, videlicet vigilias procurare, excubias ordinare cautaque providentia quid oppidani moliantur[q] explorare. Nam quia in castro et in eius suburbio copiosa multitudo tenebatur hominum, si conarentur eruptionem facere, vix qui obsederant possent eorum incursum sustinere. Cohercebantur[r] autem virtute divina potentiae, sub quo curvantur qui portant orbem, cuius consilii altitudo iam erat mani- Iob 9, 13 festanda, et in portis filiae Syon mirabilia eius praedicanda. Quae enim alia vis quam divina cf. Ps. 9, 15 eos continebat, cum adeo parvi penderent quos videbant, ut noctem illam in castro iocis, plausu, choreis, cytharis et cytharedis[s], iuvenes[t], pueri puellaeque totam pene ducerent insomnem? Quid aliud eos quam divina dispositio obsidebat, cum ingredi vel egredi, efferre vel inferre liceret quod vellent absque omni obsessoris reverentia? Verebatur exercitus Domini ne veniret e regione Rainaldus senior collecta auxiliari manu, ut eos ab oppido[u] castroque[v] deterreret, suosque qui intus[w] tenebantur ab obsidione liberaret. Praeterea deerant exercitui cibaria[x], quia per angustias locorum nullus erat qui transferre auderet victualia cibi et potus, donec adeo invalescerent virtute et numero, ut metum hostibus incuterent, formidinem[y] et detrimenta mercatorum tollerent, et undique castelli moenia pro sui firmitate, omni fortunae armorum resistentia, viris et armis circumcingerent. His difficultatibus circumventi, statuerunt milites semper in armis paratos esse ad omnem tumultum sollicite sibi quemque consulere, et si rei poposcisset utilitas pro fama et patria, pro vita et gloria volentibus animis promptisque obsequiis se clarissimos exhibere.

Presul[z] itaque concione advocata, ut experiretur in incoepto eorum[*] constantiam et fidem, simulque ut consilium rei faciendae caperet, brevi oratione pro tempore libata, sic ad eos coepit:

9. *Oratio praesulis ad milites. Ecce, nobilissimi heroes strenuique milites,[*] adest dies quam vestra virtus flagitare videbatur, negotium ingessit se vobis animis vestris conveniens et studiis. Famae enim gloriam — quam inconsulto furore virtus vitae prodiga inanibus appetebat ineptiis in tormentis torneamentorum[a] vestrorum — hic tantam acquiretis, ut memoriis aeternis nomen vestrum semper laudabiliter vivere faciatis. Illic enim detestabili periculo contra civiles cognatasque acies sola plerumque ostentationis causa aut ornatioris et venustioris caballi concupiscentia[b] pugnabatis, hic magnifico conflictu veros hostes vera prosecuti[c] militia, a finibus patriae propulsabitis. Illic levi incursu lancea mortis iter rimante ad[d] plausum iudiciumque fortunae occiso letaliter commilitone[e] vestro, crimen gloriae vestrae impingitis; hic si occideritis, victoria est; si occubueritis[f], propter causae iustitiam peccatorum venia et iudicis speratur misericordia. Illic longe a studiis militaris professionis adversos contra ius et fas ipsa vos*

a) tractus 1; ictus 2. b) *deest* 2. c) tercium 2 *constanter*. d) deiicit 1; deiecit 2. e) audatia 2 *semper fere*. f) leticia 2 *semper fere*. g) *deest* 2. h) capud 2. i) benefitio 2. k) gestare 2, *sed superscribendo effectum est:* vel gerere. l) *deest* 1. m) ab aliis pervasas *des.* 2. n) *deest* 1. o) allevet, quod luctus 1. o*) *rubrum deest* 2. p) ocia 2. q) opidani molliantur 2. r) coerc. 1. s) cith. et citharedis 1. t) *add.* 1: et. u) opido 1 *constanter*. v) castrorumque 2. w) intra 1. x) cib. exerc. 2. y) formidinemque 1. z) *add.* 3: Albero. *) eorum in incepto 2. a) tornoamentorum 2. b) concupiscencia 2. c) persequuti 1. d) *sic* 2; mortis interimente ante ad 1. e) fort. comm. vestro let. occ. 2. f) occumberis 2.

faciunt arma nocentes; hic autem auctoritas pugnandi ab ipsis procedit legibus, per quas sancitum est, ut, qui aliena pervadit, non exeat impunitus. Pugna vobis est, egregii milites, cum hoste[a]*, cuius virtutem dolus, cuius audaciam*[b] *fraudulenta deceptio, cuius triumphos latrocinia, cuius promotionem proditiones semper illustrarunt*[c]*. His studiis imbuit adolescentiam, exercuit iuventutem, sic omnem in praesentiarum duxit aetatem. Divitiae*[d] *eius rapinae, opes eius dampnum commune, gaudiumque et laetitiam eius miseriae luctusque publicus auxerunt. Ex quo haec*[e] *inmanis ac*[f] *fera belua nostris irrepsit finibus, scitis equidem quanta nobis detrimenta, quot*[g] *calamitatis reliquerit monumenta*[h]*. Hanc*[i] *praesumptuosam temeritatem vestra ei, quam obsedistis, confert marchia*[k]*, in qua tutum se gaudet habere refugium, quam in exterminium patriae nostris praecessoribus abstulit per inmane flagitium. Ipsius scelera terra ferre non sustinet, videre coelum refugit. Quibus enim pepercit ecclesiis, quibus*[l] *abstinuit sacrilegiis*[m] *huius violentia raptoris? Usque ad Altissimum*[n] *eius pervenit superbia, qui volens* (cf. 1 Cor. 3,9.) *terminare peccatum, vos operis huius ministros elegit, ut Dei hoc adiutores efficiamini, qui et virtuti vestrae augebit gloriam et labori vestro mercedem impendet*[o] *non perfunctoriam. Haec denique bella expiabunt quicquid a vobis alias delictum est, haec seria corripient quicquid iocis aliis*[p] *nocivisque*[q] *neniis minus consulte commissum est. Gaudete vos magnanimorum*[r] *beatissimorumque virorum in hoc imitari vestigia, qui pro patria pugnantes, occisi pro domo Israel, in memoria sunt aeterna. Sic Iosuae, David*[s]*, Ezechias pugnaverunt, hoc ordine Iudas, Ionathas, Symon caeterique Machabeorum principes sanguine quisque*[t] *suo et morte patriam redemerunt*[u]*. Nec diffido huic vestro*[v] *operi divina affore praesidia, nec deerunt nobis beatae Virginis piique martyris, cuius devotioni famulamur, patrocinia. Expergiscimini itaque aliquando viri fortes, et vos industrios iudicet negotii*[w] *praesentis experientia, quod multis argumentis commendant*[x] *pietas, fides et iustitia. Non hic, ut ille ait, agitur de vectigalibus, non*[y] *de sociorum iniuriis*[y]*; libertas et anima vestra*[z] *in dubio est. Quapropter consulite vobis, providete famae, succurrite patriae, quae in manibus vestris suam libertatem posuit, quae prostrata vestris pedibus ereptionis suae opus vos perficere supplicat, ut quae vestram laudat audaciam, miretur patientiam et per vos partam pacem gaudeat hominibus non solum huius sed et futuri temporis. Hostibus equidem nostris divina et humana infensa*[*] *sunt, quos circumvelabit*[a] *horror animi et torquebunt in pectore*[b] *dirae scelerum actiones*[c]*, condempnabitque eos dira conscientia, censor suarum nequitiarum. Superabit profecto virtus vestra si quid*[d] *arduum, qui belli negotia per usum exercitationemque pluris semper fecistis quam otium*[e]*. Et quia pro pace ecclesiae hic quoque in fame et siti, in frigore et nuditate, laboribus et aerumpnis carnem vestram affligitis*[f]*, in armis vestris signum victoriae Christi ponetis et sint vobis dogmata militaria crucis invictissimae insignia, ut per* (cf. Ezech. 9,1–3.) *signum quod ostendit Dominus Ezechieli, ab omni adversitate liberemini. Hac humilitatis* (Ps. 124,3.) *vestrae consideratione miserebitur vestri Deus omnium, nec* relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. *Et quoniam in multis offendistis et iram superni iudicis irritastis, humi prostrati veniam praecedentium delictorum petite, absolutionem et benedictionem potestate a Deo nobis indulta suscipite, omnemque huius operis laborem in fructum verae poenitentiae remissionemque peccatorum*[g] *sustinete. Inveniet*[h] *humilitas vestra clementem Dominum,* (cf. Ps. 50,19.) *qui non spernit cor contritum et humiliatum, certe pulsabit eius aures vestra poenitentia*[i]*; nec a castro removebimur, donec portas eius nobis aperiat divina misericordia.*

10. *Petitio*[k] *tollendi martyrem.* Postquam praesul finem dicendi fecit, erecti omnes quasi divino moverentur oraculo, responderunt: *Enitemur pro viribus modis omnibus dabimusque operam ut res nostra prospere administretur, si venerit in castra noster ille martyr cui militamus, qui constantiam infundat animis*[l]*, corporibus provideat sanitatem, animabus aeternam impetret salutem. Ille denique si huc afferatur, afflictos consolabitur, taediosos roborabit, vulnera nostra curabit omnemque langorem auferet, opus coeptum maturabit et paci nostrae consulet et Deum pro nobis orabit et placatum faciet.*

Respondit praesul haec factu[m] difficilia esse, ut thesaurus tam diu absconditus revelaretur absque sui praesentia, cum per se quoque vix auderet illud sacratissimum corpus movere, nedum transportare absque archiepiscopi et suffraganeorum suorum, comitum

a) cum h. egreg. mil. 2. b) audatia 2. c) illustraverunt 1. d) Divitias 2. e) *in* 1 *post* fera *positum.* f) et 2. g) quod 1. h) monimenta 2. i) Haec 1. k) machina 2. l) *sic* 2. 3; pep. eccl. quibus *des.* 1. m) flagitiis 1. n) ultimum 2. o) rependet 1. p) *deest* 1. q) nocuisque 1. r) magnanimos 1. s) *add.* 1 et. t) quique 1; quoque 2. u) redim. 2. v) nostro 1. w) negocii 2. x) commendavit 1. y) non — iniuriis *des.* 2. z) nostra 1. *) infesta 1. a) circumvallabat 1. b) corpore 1. c) *deest* 2. d) *add.* 1: est. e) ocium 2. f) *in* 2 *corr. in* affligetis. g) *deest* 1. h) inveniat 2. i) patientia 2. k) peticio 2. l) *add.* 1. nostris et. m) *deest* 1.

quoque et principum caeterorumque regni primorum sollempniter advocata frequentia[a]. Mandaret quidem populo de civitate villisque et urbibus, ut sibi cum armis et victualibus affatim subveniret, beatus vero martyr utpote qui devotione praesens erat, pro eis intercedere non cessaret. Quibus cum haec verba non satisfacerent, sed magis magisque instarent, dicentes se loco negotioque desistere, si non impleretur quod ipsi divinitus inspirati[b] acclamabant, victus tandem episcopus, videlicet quem pro tempore urgebat necessitas, communicato consilio cum archidiaconibus[c] quos secum habebat, consensit, ut beati martyris reliquiae illo afferrentur[d].

Praemiserat quidem nuntium cum litteris, quibus mandabat congregari exercitum, sed ne forte minus ei crederetur, venerabilem Henricum archidiaconum et[e] praepositum, imitandae humilitatis virum, cuius studium et fides valde erat necessaria, hac fungi legatione monuit, ut per eum res, quae erat ad persuadendum difficillima, pro utilitate et pace communi a filiis ecclesiae perficeretur. Spargebantur hinc inde, ut in tali re fieri solet, rumores varii, et licet ficta plerumque dicerentur, pro qualitate verborum infundebant pluribus metum et spem partim timoris, partim gaudii.

At ubi venit archidiaconus, congregatis in scolis beati Lamberti coarchidiaconibus[f] et religiosis viris, quibusdam praeterea de clero et populo, quos sanioris consilii esse sciebat, brevi mandata peregit. *Excubant*[g], inquit, *in castris episcopus et comes cum suis baronibus necessariis egentes, parvisque copiis multitudinem hostium semper suspectam habentes, die noctuque in armis vix laborem sustinentes, sed spe et patientia adhuc adversa omnia superantes, mandantque per amicitiam*[h] *et fidem, ut eis celerem*[i] *succursum faciatis, si salutem, si pacem communem, si eorum denique vitam diligitis. Cum armis et victualibus venite, et quia sic urget necessitas, per summam et veram vobis praesul indicit obedientiam, ut beati patroni nostri sacratissimum feretrum illo vobiscum deportetis. Nec diu consulendum, nec tarde vobis est succurrendum, omnis enim dilatio ruinosa est, sed quicumque fideliter beatum martyrem diligunt, id maturius adimpleant: commune periculum est si negligitur*[k], *sollempne*[l] *tripudium si mandatis praesulis et precibus vestrorum defensorum obsecundatur.*

Haec[m], fide qua poterat, cum lacrymis quoque archidiacono prosequente[m], omnium accensi sunt spiritus auxilium ferre plebemque civitatis et omnes viros bellatores illic cum necessariis copiis mittere. De corpore vero beati martyris movendo vel tollendo[n] diversi diversa sensere. Fuere[o] qui dicerent unum de sociis passionis eius tollendum, ut satisfacerent hoc[p] velamento petitionibus[q] principum. Sed ubi plebi mandatum est uti omnes omni occasione postposita egrederentur, et non exeuntium bona publicarentur, responderunt se non ituros nec opem aliquam, nisi praecederet eos beatus martyr, ullius incommodi seu dampni intentatione, laturos. Unde licet multis displiceret, persuadente domno archidiacono[r], necessitas coegit assensum. Itaque consultum est, ut post matutinos ymnos[s] loci convenientia notaretur et mane ante conspectum populi humili devotione corpus sacratissimum moveretur. Quid autem ea nocte aeditui ecclesiae viderint, quid audierint, quantis mirabilibus obstupuerint, supersedeo scribere, praesertim cum et ipsi qui[t] viderunt non haec auribus infuderint multorum[u], et celandum satius aestimaverint quam prodendum[v].

11. *Miracula in delatione sancti martyris*[w]. Venit dies, quae toto desiderio expectabatur, Aug. 27. et convenerat fere tota civitas suum visura antistitem, quem[x] cum metu et reverentia viri religiosi de secreto illo in quo diu iacuerat, ad publicum nostrum produxerunt et in medio ecclesiae deposuerunt. Resonabat ecclesia laudes Deo pro memoria beati martyris omnisque sexus et ordo cum gemitu et lacrymis eius se commendabat patrociniis Illi diei vix certe totius[y] Bullonii fructus et utilitas potest comparari, cum servirent utique Domino in[z] cf. Psal 2, 11. timore et exultarent ei cum tremore et peccatorum remissionem impetrarent et iram iudicis flecterent fructuosae fidelium lacrymae. Postera die tempestius horis dictis regularibus, Aug. 28. impositae sunt reliquiae, quae delatae sunt in illo feretro quod auro olim exuerat Obertus episcopus dum Bullonium venderet ecclesiae beati Lamberti dux Godefridus. Praecedente itaque clero cum crucibus et cereis, pia sarcina humeris deportata est per Montem Publicum[23]

a) praesentia 1. b) *deest* 2. c) archidiaconis 1. d) afferentur 2. e) *deest* 1. f) coarchidiaconis 1 g) excubabant 1. h) amiticiam 2. i) scelerem *prius* 2, *corr.* k) neggligitur 2. l) solemne 1; sollemne 2. m) 3: His cum lachrymis archidiacono quoque prosequente. n) vel toll. *des.* 1. o) fuerunt 1. p) hec 2. q) *deest* 2. r) *ita* 2; persuadente d. Ioanne archidiacono 1; persuadente d. Ioanne de Louuernal archidiacono 3. s) hymnos 1. t) *addit* 1. haec. u) multorum infud. 2, infuderunt 1. v) quam prodendum *des.* 2. w) *deest lemma* 2. x) que 1. y) tocius 2. z) cum 1.

23) Publemont.

ad Mosam fluvium. Antecedebat quoque beatum martyrem portio ligni vivificae crucis, quae cum magna veneratione apud nos servatur, quam portabat sacerdos quidam nomine[a] Iohannes, lignum per quod diabolus est victus, in quo signum victoriae portusque et ara salutis datur omnibus[b] pie credentibus. Plena erat via matronis et pueris imprecantibus prospera maritis et filiis et patribus et se luctuose sacris reliquiis effundentibus, ut laetificaret iocundo reditu, quos contristabat tam lacrimoso[c] discessu. Ubi autem navi[d] impositum est feretrum, secuti sunt oculis quoad potuerunt, et tanto patri tamque fideli patrono valedicentes, ad propria quasi[e] de quolibet dilecti funere remearunt. Exibant autem obviam sancto martyri de vicis et villis iuvenes et virgines, senes cum iunioribus, et laudes Deo canentes benedicebant in nomine Domini praecedentibus[f]. Fiebat autem via salutaris per signum vivificae crucis et beati martyris merita gloriosa, et diversis infirmitatibus oppressis multa Dei pietas impendebat beneficia. Unde in villa quae dicitur Freitura[24], coecus quidam egenus obvius[g] factus beatis reliquiis, ut tetigit loculum, cum fide qua credidit lumen recepit. Praeterea miles quidam Lambertus nomine, qui quartano[h] typo diu laboraverat, et gravi dolore capitis assidue molestabatur, ad ferendam devotam sarcinam pie suppositis humeris, miro iocundoque eventu, dum onus leve portat, onere annuae egritudinis solutus est. Nocte illa ad Ufey[i. 25] in ecclesiam delatae sunt reliquiae, ubi cum[k] cereis et luminaribus devotio Aug. 29. fidelium pernoctavit oppido gaudens pro tanto hospite. Mane coepto itineri insistunt missarum et horarum sollempniis celebratis[l], et vespere ad Telin[26] villulam pervenerunt. Haec autem villula, quia cives Hoyenses[m] quos susceperat[n] velut[o] hospites benevolos[p], in direptionibus annonae et totius peculii sustinuerant[q] praedones crudelissimos, omnibus suis erat destituta.

12. *Terror hostium ex adventu corporis sancti martyris*[r]. Inter eundum vero quidam de canonicis beati Lamberti regressus[s] de hostico, nuntiavit archidiacono et primatibus, qui erant in exercitu, Reinaldum pene[t] cum quindecim milibus peditum et equitibus quingentis appropinquare et a castello spatio vix quatuor miliariorum distare, et sequenti die, tertio[u] videlicet Kalendas Septembris, hora diei tertia, cum nostris velle confligere. Unde festine nocte media dirigitur legatus ad episcopum abbas Montis Cornelii[27] cum Iohanne sacerdote, sanctae crucis custode, qui certius ista discerent[v] festineque renunciarent[w], ut ad auxilium sociae multitudinis prout necessitas incumberet festinantius accelerarent. Mane denique Aug. 30. cum maturius cum pignoribus beati martyris de Telin movisset exercitus, celeriter Vilanciam[x. 28] pervenerunt, ubi Iohannes sacerdos rediens, eo die hostes denunciat[y] pugnaturos. Hoc igitur nuntio multorum fracti sunt animi, multique refugerunt, plures tamen qui remanserant signo victoriae Christi praeeunte, alacres et iam de victoria praesumentes, viarum ingressi angustias opem ferre sociis[z] celeriter properarunt. Continuit autem Deus eo die impetum hostium iocundo satis eventu. Missi erant altrinsecus exploratores, qui sibi invicem occurrentes, alterutrumque taciti tanquam nichil vidissent et perterriti quique ad suos redierunt. Et adversariae quidem multitudini sui retulerunt exercitum, qui castellum obsederat, multum esse et fortem, supervenisse tamen eis multo numerosiorem. Hoc itaque nuntio attoniti, quod proposuerant non impleverunt. Milites vero nostri ut erant hac expectatione loricati, occurrerunt beati martyris reliquiis, humique prostrati salubribus[*] lacrimis eius se devotioni commendaverunt et humeris gestantes, castellanis suum defensorem praesentaverunt. Cantabant clerici Deo laudes imposita antiphona: *O crux splendidior cunctis astris*, et ad laudem sancti[a] patroni sui[b] conclamantes: *Fortis in adversis*. Laici vero post eos[c] resonabant in voce exultationis et confessionis. Dum igitur sollempni[d] tripudio exultarent et beatum martyrem humili affectione[e] supplicarent, Dominus omnipotens fecit virtutem propter fidem et testimonium sui antistitis, et tunc quoque coelum eius patuit precibus, et oratio ad supernos pervenit auditus. Nam hi[f] qui in turribus erant et superba

a) *deest* 1. b) *deest* 1. c) luctuoso 1. d) *deest* 2. e) *deest* 2. f) praetereuntibus 1. g) obviam 1. h) quaterno 1. i) Ufei 2. k) *deest* 2. l) cel. soll. 1. m) Hoienses 2. n) sustinuerat. o) velud 2. p) benivolos 2. q) sustinuerat 1. r) *deest lemma* 2. s) egressus 2. t) *deest* 2. u) tercio 2. v) dicerent 2. w) renutiarent 2. x) Vilantiam 2. y) denuntiat 2. z) sotiis 2. *) salubrius 2. a) *deest* 1. b) *deest* 2. c) post eos *des.* 2. d) solenni 1; sollemni 2. e) confectione 2. f) *deest* 2.

24) Freyr, districtus Dinant, in sinistra Mosae fl. ripa. 25) Ouffet, a Leodio ad meridiem. 26) Tellin, ad Homme fl., a Wavreil ad meridiem. 27) extra urbem Leodicensem siti. 28) Villance, a Sancto Huberto inter occidentem et meridiem.

loci firmitate confidebant, ut beati martyris loculum viderunt[a], subita formidine sunt attoniti et rebellibus iam fracti[b] animis, hac singulari machina praesagierunt se posse superari.

13. *De Hugone Rainaldi filio*[c]. Stabat in vestibulo basilicae respiciens[d] per fenestras Hugo Rainaldi filius miles egregius, caput[e] et princeps obsessorum, qui viribus subito destitutus repentinaque formidine correptus, exanimis corruit ad aspectum sanctarum reliquiarum. Verum sublevatus a suis, ut primum sanae menti restitutus est, vocato seorsum[f] fratre suo Rainaldo et quibusdam primoribus suis[g], quorum maxime innitebatur consilio: *Et*[h] *quid*, ait, *commilitones egregii, diutius resistimus? Quamdiu contra ius fasque domus huius iniusti pervasores contra Deum sanctosque eius pugnabimus? An consideratis obsessores nostros quos adiuvat etiam ipsa causae iustitia*[i] *qualiter augentur viribus, copiis, multitudine, quibus nec patris mei potentia, nec omnium auxiliariorum eius possit manus resistere, quin insuper coelesti se muniunt beneficio*[k] *et virtute? Hactenus quidem arcem insuperabilem omnibus machinis strenue defendimus, fortunam nostram et audaciam hostibus quoque nostris gloriosam ostendimus, nec*[l] *segnitiae nos arguere possunt, nec pigritiae*[m] *denotare; usque nunc fortes fortibus quia homines compositi fuimus hominibus paresque eis videmur robore mentium, quia nullum adhuc inter nos discrimen fecimus virium. Nunc autem cum sacra secum attulerint, quae se causantur spoliata decore, fraudata domo, iniuriata quietis suae habitatione, cavendum nobis est ne offendamus Dominum*[n], *contra quem non est ratio, non est consilium.* (cf. Prov. 21, 30.) *Honesto itaque conveniente placito, cedamus divinitati, humiliemus animas nostras omnipotentiae eius, interim dum locus est veniae, dum adhuc saluti nostrae et vitae*[o] *parcitur, quia miles emeritus, qui nunc in castra venit, velimus nolimus, sua domo non fraudabitur. Quapropter si vestra patiatur benignitas, descendam domumque hanc una mecum perpetuae Virgini pioque martyri dedam, ne veniat super nos indignatio, et corripiat nos Deus non iam in misericordia, sed in iudicio*[p]. (cf. Num. 1, 53.)

14. *Instantia Hugonis pro castri deditione*[q]. Ad haec verba iuvenis, dum frater ipsius et alii diversa sentiendo nutarent, unus eorum dixit: *Utile quidem est, amantissime iuvenis, quod persuades*[r] *et necessarium, licet dignitati tuae nostraeque famae titulis videatur indecorum. Imputabunt enim haec hostes nostri formidini non sano consilio, et suae multitudini non propitiae divinitati, et in crimen vertetur gloriae nostrae tam praecipitata deditio. Praeterea sacramentum patri tuo fecimus, quod sine eius consilio nulla violentia domum istam cuiquam restituemus, unde nec tibi in hoc obtemperare possumus. Sed quia res imperat quod consiliis*[s] *differatur hac ebdomada*[t] *deditio, interim mittetur patri tuo domino nostro tuae voluntatis et nostri consilii legatio. Accelerate*, inquit iuvenis, *et nolite negligere, invitus moras has patior; si quid enim veri*[u] *michi mens augurat, non sine nostro deinceps terminabitur incommodo et indecore.* Ita quidem se spondent facturos. Mirabantur tamen nec satis admirari poterant de subito mutata animi eius[v] magnitudine, cuius timiditatem numquam experti fuerant in[w] ullo belli discrimine. At vero iuvenis sui non immemor, sacerdotem, quem secum clauserat obsidio, consulit de animae suae salute[x], locum, quem dono patris sui iniuste susceperat, abdicat, dicens se graviter metuere, ne periculum, quod verebatur, incurrat.

Tandem transacta ebdomada[y], convocat eos, qui indutias deditionis acceperant[z], si iam consilio priori acquiescerent, dederentque se necne. (Sept.) Qui cum respondissent se curis maximis implicitos minime adhuc quempiam misisse, torvo vultu eos respiciens: *Cur*, inquit, *negligitis, cur tardatis, et mea verba*[*] *quasi vilis mancipii parvipenditis? Miseremini mei, o milites, si quid unquam de vobis bene merui, et solliciti iuvenis anxietatem considerate, crucior*[a] *et torqueor, vixque sanae mentis compos sum. Mittite citius qui mandata perferat, ne nos obstinatos Deo et rebelles fuisse non expediat.* Igitur, cum viderent eum eadem animositate quod coeperat prosequi, non valentes eius ultra contraire voluntati, eadem nocte[b] per viam occultam Lambertum militem et antesignanum[c] militum ad Rainaldum direxerunt, fide ab ipso prius[d] suscepta, quod in sequentem dominicam ad eos rediret, omni occasione postposita, nisi mors aut captivitas eum praeoccupasset[e]. Dum itaque illius praestolantur

a) ut vid. b. m. 1. 2. b) fractis 2. c) *sic* 2; Hugonis confessio 1. d) respitiens 2. e) capud 2. f) seorsim 1. g) suis *deest* 2 h) ech 2. i) iusticia ipsa cause 2. k) benefitio 2. l) Non 2. m) pigricie 2. n) Deum 2. o) et vitae *des.* 2. p) iuditio 2. q) *deest rubrum* 2. r) suades 2. s) consulis 2. t) hebd. 1. u) veli 2. v) sui 2. w) *deest* 1. x) de salute anime sue 2. y) transacte ebdomade 2. z) 3 *addit haec:* sciscitaturque ab eis, quem patri miserant, et quid ab ipso in responsis acceperint. *) verba mea 2. a) *addit* 1: interius. b) eandem noctem 2. c) antesignatum 2. d) fide prius ab ipso 2. e) precepisset 2.

reditum[a], defluxit ebdomada, et lapsa est fides non solum tempore[b], verum etiam promissorum effectu. Nichil enim de obsessis quorum legationem susceperat, Rainaldo retulit, sed sociatus Herberto de firmitate cuidam praedoni inter condensa silvarum latens, in hos[c], qui victualia[d] exercitui deferebant, latrocinia exercebat.

15. *Amentia*[e] *Hugonis.* Hugo tamen ad diem denominatam convocatis eis cum quibus rem habuerat, ut didicit nullum emersisse salubre consilium, nec Lambertum fuisse reversum, ultima desperatione affectus: *Occidistis me*, inquit, *amici et ecce pereo; domum enim hanc beata Dei genitrix et testis Domini pretiosus restituent nostris obsessoribus, michi vero iam divina ultione cum sensu rationabilis*[f] *intelligentiae aufertur*[g] *compositae mentis habitus.* Et haec dicens coepit pugnis pectus tundere, manibus crines lacerare[h] et[i] toto corpore coram fratre et amicissimis suis militibus se miserabiliter dissipare. Et iam omnino aliena loquebatur, saepius tamen in haec verba ferebatur: *Quaerite consilium, quaerite consilium.* Dum sic iuvenis torqueretur, sui tandem flentes et dolentes in secretiorem eum locum deportaverunt[k], deputantes ei custodes, qui manus pedesque illius continerent, ne, sicut coeperat, carnes scinderet unguibus et implacabiliter se vulneraret dentibus[l]. Ille tamen linguam morsibus appetebat, et valde spumans[m] et[n] crebra ducens suspiria, triste iudicium paternae tyrannidis, infelici eventu cum saevissimo sui corporis cruciatu[o] solvebat.

Tandem consilio habito, decreverunt Rainaldum iuniorem[p] delationem fraternae necessitatis patri annuntiare[q], ut pater viso placaretur filio, et affectione alterius filii in supremis[r] constituti devictus, parvi penderet possessionem, propter quam tam gratissimum amittebat haeredem.

16. *Divina in omnes obsessos ultio*[s]. Erat adhuc in castris equus magni pretii[t], cursu caeteris velocior[u] et nondum, ut alii, defectus viribus, quem[v] a Theoderico de Turre commodaverunt[w] hac conditione, ut si[x] perderetur nec ei restitueretur, sexaginta libras susciperet[y] pro equi commutatione. Paratur equus et frenos suscipit ore, conatur minister ut prodeat de[z] stabulo, terret voce, caedit flagello, sine sensu doloris, veluti[*] in simulacrum obriguisset, animal immobile perseverat[a]. Insidet tergo equi, urget calcaribus, amictu velat oculos, ut vel sic decipiatur et exeat, sed equus nullo modo caedentibus obtemperat. Sic defatigati dimittunt cui imperare non poterant et vix tandem senserunt[b] stolidi quia fallax
Psal. 32, 17. equus ad salutem. Et ita quidem iuvenis cui parabatur, remansit. Comprehenderat enim
cf Ezech 12, 13 eos Dominus[c] in sagena sua et retibus tenebantur, quibus se explicare non poterant. Mane sequenti dominus equi dolens iussit ministro, ut si posset eum aliquo modo educere, largiretur eum alicui de hostili multitudine, quia mortem eius videre ut nefas ducebat. Quem sine ulla repugnantia de stabulo eductum, et de supercilio montis ad aquas[d] deductum, comes Namucensis[e], cui mittebatur[f], paratum ascendit et in cursu revera velocem et bellicosum reperit. Denique non solum filios Rainaldi divina ultio sic castigabat, sed et omnes, qui in castello tenebantur, seditio, dolus, ira et dissensio[g] afficiebat. Die quidem necessitas defensionis eos ab invicem continebat, noctibus vero dum post laborem quietem sperarent, sibi suspecti sibique infensi invicem pene consumebantur ab invicem. Plerumque strictis inter se pugionibus decernebant bacchantium[h] more furentes et causas irarum penitus ignorantes. Haec quidem interius agebantur.

17. *Quae extra in exercitu agebantur*[i]. Ut vero ad ea quae extra gerebantur redeamus[k], episcopus beati martyris loculum iussit ferri in eam partem castelli contra malum pertusium, in pratum, quod dicitur[l] sancti Lamberti, quod Symois[m] alluit, ubi et castris locus et exercitui commeatus suppetebat[n]. Illic in parvo artoque[o] satis posuerunt feretrum tentoriolo, deputatis in circuitu suis in tuguriis cum domno Iohanne archidiacono clericis, qui
cf. Psal. 54, 18. vespere et mane et meridie narrarent et annuntiarent laudes Domini, ut in tempore oportuno exaudiret Deus[q] voces eorum. Illic quoque cives et populus Legiae sua fixere tentoria,
Sept. 1. quibus praeesse iussus est Eustachius advocatus de Hasbania. Tertia vero die postquam illuc novus venerat exercitus, ut sua moenia solveret hostibus, post missarum sollempnia,

a) praestol. red. illius 2. b) temporis 1; tp̄r̄ 2. c) his 2. d) vect. 2. e) Alienatio 2. f) rationalis 1. g) auferetur 2. h) laniare 2. i) *deest* 1. k) depor||uerunt 2. l) *deest* 1. m) suspirans 1. n) *deest* 1. o) crutiatu 2. p) iuvenem 2. q) nuntiare 1. r) suppremis 2. s) *rubrum deest* 2. t) precii 2. u) velotior 2. v) *deest* 2. w) commendaunt 2. x) *deest* 2. y) suscepit 2. z) e 1. *) velut 2. a) 2 *habet:* stabat animal immobile. b) intellexere 2. c) Deus 2. d) aquam 2. e) Namurcensis 1. f) mittebat 1. g) dissentio 1. h) bachantium 2. i) *sic* 2; Divina pro obsidentibus beneficia 1. k) redeam 2. l) pertusium quod pratum dicitur 2. m) Symoys 2. n) suppetebant 2. o) arctoque 1. p) *deest* 1.

post ammonitionem verbi Dei et confessionem absolutionemque peccaminum, machinam, quae supra Symoin[a] erat et molendinum tuebatur, vi assiliunt, ignique iniecto in favillam et cinerem[b] una cum domo quam servabat redegerunt. Contigit autem eo die duos in exercitu ruere, pluribus vulneratis, inter quos et Gerardus sacerdos iaculo ictus caput, vulneris dolore postea occubuit, dum vult fortiter agere, dum sine consilio exit in pugnam. Denique per dies viginti coeli fuit valde serena facies, et velut[c] columna ignis olim Dominus populum suum in nocte illuminabat, sic etiam castra istius exercitus lunae clarioris sydere serenabat. Fovebat exercitum omnino grata temperies, et suppetebat pene ad superfluitatem omnium necessariorum copia. Pax quoque inter eos tanta[d] erat et concordia, ut inter vulgares, quod etiam in urbibus observari[e] difficillimum est, vix saltem verba[f] sonarent aspera, sic continebant manus suas, ut nulla aut parva in toto hostico exercerentur latrocinia. A Domino utique hoc fiebat, qui ponebat eis solitudines quasi ortum Domini, unde infra hos cf. Isai. 51,3. dies non belli discrimina, sed quasi feriata negotia tractabant, velut[g] invitati ad nuptias, et frequenter inter vina[h] ludebant et epulas. Quapropter dum insolenter et liberius iusto vagaretur exercitus, abundantia superflua peperit inopiam et pauperes populi coepit gravare raritas[i] victualium, famae cupidos caepit toedere morarum, improperantes ducibus consiliorum segnitiam; et quia nil iubebantur[k] facere, minus clarere suam dolebant audaciam[l]. Impediebant enim nostri duces certaminis, episcopum quidem machina quam parabat in Bellomonte[m. 29] ad capiendum illum cum minori suorum detrimento, comitem vero domus quae trahenda erat super Symoin[n], in qua arbalistae[o] constituendi calumniarentur aquam haurire obsessos. Caeterum Deus qui suo nomini ascribere volebat victoriam, adeo omnium prudentium exercitus nostri perdebat sapientiam, ut numquam aut vix mane teneretur quod vespere consuleretur. Unde et populus dilapsus est dum viderent inefficaci studio se tempus perdere et sua consumere, adeo ut vix in duabus noctibus diebusque tribus in omni circa eam partem in qua tentoriolum beati Lamberti splendebat planitie remanerent trecenti partim taedio, partim inopia necessariorum, partim metu hostium, qui superventuri sperabantur pluribus recedentibus. Ibi domnus Iohannes de Lovierval archidiaconus cum sua familia noctu excubans in castris circa reliquias patroni sui, iam coeli immutata facie inundantiam imbrium[q] supra vires et aetatem alacriter tamen sustinebat, et alios, qui licet iuvenes aetate et agiles essent corpore iam pene tamen[r] deficiebant, de patientia[s] admonebat vir consilio providus, prudentia callens, sapientique et modesta eloquentia summus, cuius merito[t], quam in hoc hostico exercuit, laudanda[t] esset industria, si adhuc diei sufficeret malitia sua. cf. Matth. 6, 34. Fama denique saepe[u] ferebatur in castris Rainaldum exercitum congregare, auxiliariorum[v] manum validam contrahere, ad ereptionem suorum festinato properare, quae licet minus implere sufficeret, non mediocri tamen impedimento erat principibus nostris omnia suspecta habentibus et impensas[w] tantae multitudinis non sine vexatione[x] sustinentibus.

18. *Fiducia obsidentium in Deo et sancto Lamberto suo patrono*[y]. Dum haec in exercitu agerentur, venit nox sacratissima[z], in qua memoria agitur gloriosi martyris. Sept. 17. Itaque propter preces fidelium non sine divino instinctu misit Deus in mentem principum, ut non diutius[*] expectarent vel[a] domum vel machinam, sed mane facto confisi in Domino et sui patroni adiutorio, invaderet pedestris exercitus Bellummontem, militaris vero cohors intra duas munitiones consistere conaretur. Igitur 15. Kalend. Octobris in natalitio beati martyris, ut se quisque ad assultum praepararet, edictum est in castris. Certatim igitur quisque de silvis in congeriem ligna deferebat et igni supposito turrim ligneam Bellimontis conabantur incendere. Sed vento vehementi ex adverso veniente, fumi iniuria simulque flammarum globi plus obfuit[b] assilientibus, quam impediret obsessos. Tamen quos igne laedere nequibant missilibus nimiis[c] assiduoque usque in vesperam assultu affligebant. Nichilominus de intus pluebant in nostros saxorum telorumque grandines[d], et de scorpionibus dirigebantur lapides, sudibusque praeustis et rotis rotatis in praeceps omnique genere defensionis laborabant.

a) Symoym 2. b) cineres 2. c) velud 2. d) tanta inter eos 2. e) *deest* 2. f) verbo 2. g) veluti 2. h) viva 2. i) caritas 1. k) videbantur 2. l) audatiam 2. m) belli monte 2. n) Symoym 2. o) arbariste 2. q) ymbrium 2. r) *deest* 1. s) pacientia 2. t) m. iam exercuit in hoc host. laud. 2. u) *deest* 1. v) auxiliorum 2. w) impensa 2. x) non sine vex. *des.* 2. y) *rubrum deest* 2. z) *deest* 1. *) diu 1. a) *deest* 1. b) offuit 1. c) nimis 1. d) grandinem 2.

29) Beaumont, prope Bullonium.

Eo tamen die nostrates licet incaute dimicarent, et toto corpore forent hostibus[a] expositi, vix fuit aliquis qui quereretur vulnera, qui gravatum se assultu[b] diceret, martyris patrocinio omnem illis eventum prosperante. Miles vero qui reptabundo gressu iam superni[c] montis praecipitia evaserat, nullum passus est in ascensu impedimentum praeter naturaliter invia abrupta collium[d]. De caeteris etenim munitionibus in circuitu nullus fuit qui resisteret ardua montis praeoccupare nitentibus, omnibus qui in eis erant intestino inter se malo[e] dimicantibus. Iam vero facto vespere, cum pars exercitus descendisset, comes vero Namucensis[f] temeraria et periculosa audacia[g], plus quam dignitati suae et divitiis conveniret, cum parte aliqua militari, quos tamen in ascensu solita animositate praecesserat, inter iuga duarum munitionum resedisset, conati sunt qui erant in Bellomonte[h] eum abstrahere[i]. Sed dum iterum se gravari ab eo assiliendo viderent, dextras petierunt[k] ut cessaret assultus usque ad mane sequentis diei.

Sept. 18. 19. *De comite Salmiae*[l]. Hoc[m] die comes Salmiensis[n] Henricus natus de sorore comitis Rainaldi[o] venit in castra, petiitque episcopum ut concederet sibi visitare nepotes suos quos infirmari audierat. Et ne forte suspectus esset exercitui ipsius ingressus, mitteret secum virum sani consilii et boni testimonii, qui de pace cum ipsis consuleret. Multis super hoc consiliis principes diem[p] detinebant, et tandem dum in aliquo utile fore quod quaerebat autumant, propter viri fidem, prudentiam et honestatem et modestiam, quod humiliter petebat ei concedunt. Qui ingressus, ut vidit cognatum unice sibi dilectum torqueri miserabiliter, lacrimis ora rigavit et pro tempore verba retulit quae imperabat dolor. Et quoniam animadvertit[q] hanc divinae ultionis esse plagam, consilium habuit cum his qui inclusi tenebantur, quos suprema[r] formido angebat ne similia paterentur. Nox[s] illa teterrima fuit et horrida, pluviis, procellis[s], tempestatibus[t] loca castrorum replens[u] omnia, et ut vere fatear, nisi Psal. 28, 10. Dominus diluvium inhabitare fecisset, forsitan aquam tam[v] intolerabilem[w] non sustinuisset exercitus[x] tam praedicanda patientia. Gaudebant enim suis in[y] miseriis et humili expectatione virgam sustinebant dominicae probationis, ut consolaretur eos baculo piae visitationis, cf. Psal. 30, 18. nec confusi sunt, quoniam speraverunt in Domino. Nam et milites qui excubabant armati in supercilio montis, quod mirabile forsitan videatur et incredibile, asserebant se numquam[z] levius belli pondus et armorum tulisse.

Mane facto descendens de castello comes Salmiensis[*] impetravit ab episcopo et primoribus obsidionis ut Hugo ferretur ad feretrum beati martyris, commotis omnibus ad misericordiam dolore calamitatis ipsius et terrore nimio stupefactis[a] super novis et recentibus Domini mirabilibus. Spoponderunt autem qui in castello erant, quia nisi infra septem dies eis a domino suo subveniretur, quod omnino tunc erat impossibile, castrum dederent impunitate rerum et corporum concessa, et interim obses detineretur infirmus. His firmatis conditionibus, deportatur infirmus in lecto ante episcopum, cuius tantummodo cognitionem tenuit, dominum eum appellans, et petiit ut ab excommunicatione eum absolveret et indulgentiam eorum[b], quae in sanctum deliquerat sua pervadendo hac extrema necessitudine largiretur. Flebat autem episcopus et caritatis affectu compatiebatur misero, et ne quid cf. Psal. 68, 27 super dolorem vulnerum ipsius[c] adderet, absolutionem et indulgentiam, prout petebat, ei non negavit. Deinde ad patrem illius comes Salmiensis[d] revertitur[e].

20. *Castri deditio*[e]. Divini examinis vindictam, dolorem filii, supremas[f] suorum necessitates barbaris auribus explicat, hostium alacritatem, fortitudinem[g], multitudinem denuntiat, eius se pedibus prosternit flagitans ut sibi vel sero consuleret et honeste saltem filio mori[h] concederet[i]. Deditionem persuadet fieri castrumque melius ultro[k] quam cum iactura omnium suorum dimitti. Perpendens[l] itaque vir efferus quia in se vadit cum vadit in Deum, annuit fieri quod petebat, si tamen vivens adhuc inveniretur filius qui aegrotabat. At si vita excessisset, iunior filius in obsidiatum[m] transiret episcopi, deditio vero in suum differretur adventum. Repedant legati, iuvenem viventem reperiunt castrique[n] deditionem continuo faciunt. O triumphalem et faustum diem! Post haec frater Hugonis iunior Rainaldus, ad-

a) *deest* 2. b) gravatum asultu 2. c) superne 2. d) colium 2. e) male 2. f) Namurcensis 1. g) audatia 1. h) Bellimonte 2. i) absterrere 2. k) pecierunt 2. l) *sic* 2; Hugo petit absolui ab episcopo et cum suis promittit deditionem castri intra septem dies 1. m) eo 2. n) Salmensis 1. o) Rainardi 1. p) dies 1. q) advertit 1. r) supprema 2. s) Nox — procellis *des.* 2. t) tempestabus 2. u) *sic corr. ex* repellens 2. v) *deest* 2. w) intollerabilem 2. x) exercitum 1. y) in suis 2. z) nūquam 2. *) Salmensis 1. a) stupefacti 1. b) *deest* 2. c) *deest* 1. d) Salmensis 1. e) *sic* 2; Deditio castri Bullonii 1. f) suppremas 2. g) formidinem 2. h) saltim mori filio 1. i) *deest* 2. k) *addit* 2: dimitti. l) Expendens 1. m) obsidatum 2. n) castrisque 2.

ductus ante feretrum martyris, toto fere inutilis corpore, absolutionem postulat et meretur, promittitque quod nichil in aeternum de beati Lamberti[a] possessionibus usurpabit[b], si ei praesens iudicium[c] evadere donetur. Sic eiectis[d] de castro adversariis, intromittuntur reliquiae beati martyris et locantur in medio ecclesiae, omnibus in commune Deo laudes canentibus, ex recordatione praeteritorum mirabilium et exhibitione praesentium. Erat autem nox in qua sollempnizat ecclesia natalitium beati Mauritii sociorumque[e] eius[30], quorum Sept. 22. sociali agmine beatus patronus noster stipatus, famosum de hoste consecutus est triumphum.

21. *De morte Hugonis*[f].* Itaque ea nocte legitimis[g] possessoribus in castro exultantibus et[h] circa reliquias sui patroni clericis cantantibus[h], adversarii quondam nostri, qui viderant oculis suis Dei mirabilia, dolore torquentur geminato, mortuo Hugone iuvene clarissimo, egregio satis milite et industrio, de quo quidem multi nostrorum bonam spem[i] habent quod veniam et misericordiam possit adipisci, si permittat altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, cuius viae investigabiles et iudicia[k] incomprehensibilia. cf. Rom. 11, 33 Tertia[l] enim antequam excederet die, humili affectu viaticum susceperat, et postquam beatus martyr gloriosus victor in castellum[m] delatus est, in eius tentoriolo se deferri fecit, in loco in quo iacuerat, sanae menti restitutus est, gratias Deo[n] de triumpho martyris, de arce reddita egit, gratias eis quoque, qui sibi infirmo in castris obsequium praestiterant, retulit. Et licet mortem temporalem non evaserit, potens est Deus ab aeterna morte liberare eum, qui non iudicat bis in id ipsum. Et quis scit an ideo raptus sit, ne iterum malitia mutaret intellectum illius? cf. Sap. 4, 11. Non enim ideo gravatur eius causa quia mortuus est, cum mortibus corporum alios quoque mortuos[o] legamus non propter sua sed aliena peccata, ubi magis est in dolore cordis plaga viventium quam in resolutione carnis poena morientium, ubi animae de corporibus exeuntes[p] habent causas suas vel[q] bonas vel malas, non ideo gravatae quia exutae.

22. *Relatio martyris*[r]. Mane[31] post missarum sollempnia cum exultatione et laetitia[s] Sept. 23. inclitus triumphator e castro elatus est, cuius sacrum feretrum super carrum impositum, usque Dionantum[t][32] oppidum[u] evectum est. Quid referam sollempnem[v] gloriam, triumphum magnificum ingenio tenui, lingua vix balbutiente, cum si adesset mihi Maronis vel Homeri facunda loquacitas, non sufficerem[w] explicare? Devotioni tamen tuae, beate[x] martyr, prout vires dederis famulabor, dicamque quod vidi, quam gloriose Namuci[y] coecum illuminaveris a nativitate[z] puerum septennem, Andanae[**][33] iam de ipsis mortis faucibus revocasti clericum iuvenem, Hoii[34] contracto[a] gressum dederis, quem numquam[b] parentes viderant euntem. Iam perlatus Leodium, qua devotione susceptus sis, quanto honore civitatem tuam[c] coronaveris, dicant tui filii, quos dulciter enutris, fortiter defendis, misericorditer tueris, dicant altiori ingenio, digniori eloquio, dentque meae pusillitati[d] veniam, qui fideliter catholici et catholice religiosi in caeremoniis Domini tuo patronatu multis praeeminent[e] civitatibus sincerae et orthodoxae fidei inviolabilem firmitatem servantes et per rationabile obsequium cf. Rom. 12, 1. quod Deo exhibent, omnem haeresim et quicquid sanae doctrinae adversatur, destruentes. Illi inquam gloriam, quam a Deo in regno suo consequutus[f] es, dicent melius quia sapientius et potentiam tuam loquentur; tu vero secundum bonitatem tuam miserere mei, quia Psalm. 138, 16. *imperfectum meum vident*[g] *oculi tui.* Tu mihi, beate martyr[h] Christi et venerande sacerdos, impetres perfectionem et populo tuo perpetuam pacem, ut de transitoriis tendentes ad perhennia[i], quo nunc suspiramus, possimus respirare cantantes[k] tecum: *Beati qui habitant in* Psalm. 83, 5. *domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Amen.

a) *deest* 2. b) possessibus usurpet 2. c) iuditium 2. d) egressis 2. e) Mauricii sotiorumque 2. f) *sic* 1; *deest* 2. g) legittimis 2. h) et — cantantibus *add.* 2. 3; *des.* 1. i) spem bonam 2. k) iuditia 2. l) tertia 2. m) castello 2. n) *deest* 1. o) *deest* 1. p) exuentes 2. q) *deest* 2. r) *sic* 2; Corpus sancti Lamberti martyris Leodium refertur, in itinere plura fiunt miracula 1. s) leticia 2. t) Deonant 2. u) opidum 2. v) sollemnem 2. w) sufficeret 1. x) *deest* 2. y) Namurci 1; Namuce 2. z) nativite 2. **) Audane 2. a) claudo 2. b) nuquam 2. c) *deest* 2. d) pusillitate 2. e) preminent 2. f) consecutus 2. g) viderunt 2. h) martir 2. i) perennia 1. k) canentes 2.

30) Reinerus: 11. *Kal. Octobris* i. e. Sept. 21. 31) Reineri triumph. Bul. L. V. c. 1: *Unde celebratis post biduum mature missarum sollempniis.* Id est secundum Reineri computationem Sept. 23. 32) Dinant, ad Mosam fl. 33) Andenne, ad Mosam fl. 34) Huy, ad Mosam fl.

EX VITA SANCTI MOCHULLEI HIBERNIENSIS EPISCOPI.

EDIDIT KAROLUS PERTZ PHIL. DR.

Inedita haec de triumpho sancti Lamberti brevis narratio Vitae sancti Mochullei, episcopi in Hibernia, subiuncta est, quam Hiberniensi quodam (uti ex praefatione patet) monacho auctore exhibent codices mss. tres infra signandi. De scriptore autem nihil praeterea constare videtur, nisi quod triumphum sancti Lamberti, iuvenis etiam tunc, se vidisse ipse affirmat: quam ob rem intra annos 1110 *et* 1120 *natum eum fuisse concedendum erit. Neque magis certi sumus de ipso sancto Mochulleo, qui fortasse a sancto Mochelloco, sive Kelleno, Kellociae in Hibernia, haud alienus est, de quo inspicias Acta SS. Bolland. Martii Tom. III,* 626.[1]

Libris denique manu scriptis usi sumus his:

1) Cod. monasterii Sanctae Crucis *in Austria, numero signato XI, membranac. saec. XII exeunt. Vide Archiv III,* 567. *VI,* 183. *X,* 645. *Hic, ni fallimur, exemplar fuit*[2] *libri insequentis:*

2) Cod. Admuntensis 25, *membran. saec. XIII. Cfr. Archiv VI,* 169. *X,* 633 *et* 647. *Cum hoc autem in omnibus fere lectionibus consentit, ita ut alterum ex altero fluxisse neminem effugiat:*

3) Cod. Mellicensis F. 8. *membranac. in folio, saec. XIII exeuntis; cfr. Kropff, Biblioth. Mellicens. pag.* 23 *et Archiv III,* 312. *X,* 646. *Codicem Mellicensem a.* 1820 *exscripserat pater G. H. Pertzius, collationi reliquorum Wattenbach in itinere suo Austriaco operam navavit.*

K. PERTZ.

Sed quia

Segnius irritant animum dimissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus[3],

volo ipse pro modulo humilitatis meae quoddam evidens miraculum cuiusdam martyris, quod propriis oculis viderim, quasi argumentum non visorum in medium proferre miraculorum. Nam primaevo tempore, dum michi laeta iuventus[4], dum rebus agendis agilis aderat aetas, dum in diversis dulcis Galliae urbibus desiderio scientiae, studio litterarum pro viribus operam dedissem, in partibus Lotolingiae[5] famosam beatissimi martyris Lamberti urbem Leodium[a] intraveram. Cuius civitatis episcopus[6], cum prima expedicio christianorum

a) Loedium 2. 3.

1) ibidem, Martii Tom. III, 368 Sanctus quidam Molocus laudatur, de quo tamen nihil ultra compertum habemus. 2) cfr. Archiv III, 567. X, 645. 3) Horat. Epist. ad Pis. 180 sq. 4) *Dum laeta iuventas* Virg. Georg. III, 63. 5) Lotharingiae. 6) scil. Otbertus, qui Heinrico antecessori († 1091, Mai. 31) successit; cfr. Sigeb. Chron. Mon. Germ. SS. VI, 366 et Chron. Huberti Andaginensis, Mon. Germ. SS. VIII, 602.

urbem Ierosolimorum[a] ac sepulchrum Christi viventis a paganis liberaret — in dicione enim Sarracenorum Ierusalem et Antiochia tunc temporis tenebantur[b] —, a Godefrido[c] comite, qui postea primus rex Ierosolimorum extitit, comitatum suum cum castello suo Bullion pro tribus milibus marcarum argenti[7] comparaverat. quod castrum famosum et preciosum dua- 1096. bus erat de causis. Primo, eo quod idem castellum in tantum natura munivit[d], ut nec ingenio humano nec armorum viribus si fraude vel fame non capiatur, sit inexpugnabile[d*] perpetualiter. Secundo, quoniam praerupti saltus, feris animalibus pleni, piscosa etiam fluenta Symois[8] fluvii, assiduis rivulis et verno gramine semper virentia, undique circumdant. Quapropter comes Reinoldus[e] de Monticulo[9], vir divinae iusticiae inimicus ac praecipuus superum contemptor[f, 10], corruptis pro infinitae pecuniae ficta pactione praefati castelli custodibus, collecta multitudine militum, nocturno tempore ipsum castrum intravit, ac per multa tem- 1134. pora[11] districti examinis[12], divinae animadversionis inmemor, sanctissimi martyris Lamberti castellum possedit, filium etiam suum primogenitum Hugonem eidem praefecit. Proinde Leodiensis episcopus Albero[13], vir generosus, divino fretus consilio[g], infinita militum multitudine collecta, per nocturna itinera ac nemorum secreta, per devia ductitans exercitum, 1141. castrum praedictum[h] obsedit. Cumque per multos dies castrum inexpugnabile fame[i] dolove, nec virtute nec rerum penuria expugnare nequivisset[k], habito religiosorum[l] ac principum tocius episcopatus Leodiensis concilio, sacrum corpus ipsius preciosi martyris Lamberti, quatinus divina pocius quam humana manu castrum caperetur, adduci praeceperat. Denique cum beatissimi patris Lamberti corpus castello adproximaret, et[m] illi qui castrum obsidebant cum mira exultacione et gaudio darent[n] gloriam Deo et sancto obviam irent: praefatus comes Hugo cum militibus suis qui supra muros castelli obsessi evigilabant, causam tantae laeticiae ignorantes valde mirati sunt. Sed cum sacrati martyris corpus cum canticis, organis et ymnis ad tentorium Leodiensis episcopi deportari vidisset, tunc Hugo, more paterno divinam potenciam ac sancti patris Lamberti parvipendens, diabolo sibi suadente inquit: *Scio quid est, scio quid est, Lambertulum suum huc adducunt, ut liberet castellum suum de manibus meis!* Mira dicturus sum. Scit enim Deus et vestra, fratres, pia credat[o] fraternitas, quod post verbum illud[p] blasphemiae propriis dentibus suis sua propria membra[q] discerpere[r], dilaniare, comedere Hugo incepit. Tunc temporis sui milites eundem Hugonem ad statuam[s] ita ligaverunt, ut nulla membra sua dentibus attingere posset. Tunc primum, tunc[t] praecipue complices ac consiliarii[u] praefati comitis Reinoldi[v] ac filii eius Hugonis, Deum curare mortalia, divinamque[w] potenciam incredulis ac contemptoribus suis digna pro meritis supplicia, atque beatissimum martyrem Lambertum inimicis suis exhibere talionem posse credebant. Postero vero die praedicti milites, qui Hugonem rabidum ut dixi, ligaverant, praesentiam Leodiensis episcopi requirentes, miraculum praesens, quo ordine factum fuerat, lacrimis plurimum obortis[x] ibidem referentes, se ad pedes antistitis suppliciter prostraverunt, condicionem hanc omni precum expostulatione accuratissime supplicibus votis rogitantes, quatenus divinae pietatis ac humanae miseriae causa Hugonem ligatum coram universa multitudine tocius exercitus, extra tentorium usque ad tercium diem ubi sancti patris ossa sancta[y] iacebant locari pateretur, et si post triduum[14] comes Reinoldus[z] per imperatorem[*] Romanum castrum non defenderet, in potestatem sancti Lamberti atque Leodiensis episcopi praefati milites se et castellum, semota omni contradictione[a], tradidissent. Quod ita factum est. Deinde scit Deus et, fratres karissimi[b], vestra[c] credat sincera benigni-

a) Hierosolymorum 2. 3. b) tenebatur 1. c) Godofrido 2. 3. d) munium 3. d*) *i. e.* expugnabile. e) Rainoldus 2. 3. f) condemptor 2. 3. g) concilio 2. 3. h) castrum presedit predictum 1; presedit *erasum* 2; *inde verbum plane omittit* 3. i) fama 2. 3. k) nequiverat 2. 3. l) religosorum 2. 3. m) *deest codd.* n) dare 2. 3. o) credat pia 2. 3. p) illud *om.* 1. q) membra sua propria 2. 3. r) decerpere 2. 3. s) ad statuam *om.* 1. t) primum tunc *om.* 3. u) conciliarii 2. 3. v) Regnoldi 2. 3. w) divinam 2. 3. x) abortis 2. 3. y) sancta *om.* 2. 3. z) Regnoldus 2. 3. *) imperatorum *libri.* a) condicione 2. 3 b) karissimi *om.* 2. 3. c) vestri 1; et vestri, fratres, credat . . . 2; et vestra, fratres, credat . . . 3.

7) Cfr. Triumphum S. Lamberti de castro Bullonio cap. 1 et Huberti Chron. cap. 83, Mon. Germ. SS. VIII, 615. 8) hodie Semoy. 9) De Rainaldo comite cfr. Ekkehardi Chron. s. a. 1113 (Mon. Germ. SS. VI, 247), Sigeb. Contin. Gembl. s. a. 1141 (l. c. VI, 387), Sigeb. Contin. Praemonstrat. s. a. 1124 (l. c. VI, 449) et s. a. 1141 (l. c. VI, 452.), Triumphum. S. Lamberti cap. 2 sqq. 10) *Contemptor superum* Ovid. Met. III, 514. 11) per septem annos; cfr. Sigeb. contin. Gemblac. s. a. 1141, Mon. Germ. SS. VI, 387. 12) iudicii Dei. 13) Adelbero, sive Albero, huius nominis secundus, regnavit annis 1136—1146; cfr. Sigeb. Contin. Gemblac. s. h. a., Mon. Germ. SS. VI, 385. 387. 389. 14) Cfr. tamen Triumphum S. Lamberti cap. 19.

tas, quod ex quo Hugo extra tentorium sancti fuerat collocatus, nullum aliud verbum protulit, nisi: *Miserere, sancte Lamberte!* Per triduum igitur[a] sine aliqua cessatione iterabat: *Miserere, sancte Lamberte, miserere, sancte Lamberte!* Deinde finito triduanae conditionis tempore, dum castrum iuxta condictum in potestatem sancti martyris atque[b] episcopi traderetur, cumque ipsum corpus sancti infra moenia[c] castri, habita divina virtute victoria non armorum viribus, induceretur, dumque post sanctum sui milites Hugonem sic ligatum inducere vellent, divinae animadversionis fulmine traiectus intra limina portarum sine aliqua paenitudine, sine sacramento eucharistiae, expiravit. — — — Ecce Hugo, paulo ante flos iuvenum, honor militum, gloria gentis, forma praestanti, visu desiderabilis, genere nobilissimus, in armis strenuus, diviciis opulentus, vile et sine honore cadaver, utpote a Domino percussum, principum ei circumstante corona iacebat. Quae lingua, quae mens, quae ora diserti praeconis digne explicare valerent, quis honor, qualis et quanta gloria beatissimum martyrem Lambertum victorem, cum ad urbem Leodiensem rediret, sequeretur. Haec, viri fratres, vidi, haec scripsi, Deum ac martyrem sanctum induco testes, quod, materia superante ingenium, prae magnitudine miraculi minus dixi quam res gesta fuisset.

a) igitur *om.* 2. 3. b) adque 2. 3. c) menia 1.

HISTORIA PONTIFICALIS

EDENTE WILHELMO ARNDT PH. DR.

Saeculo duodecimo, quum Sigebertus Gemblacensis mira sedulitate condidisset opus suum, quo studia medii aevi historica bene adiuvabat, atque simul Hugo de Sancto Victore in compendio suo omnia attulisset quae scitu cognituque ad perspiciendum orbis et imperii statum digna videbantur, fieri non potuit quin saepius ad horum opera narrationes aequalium testium annecterentur. Hac ratione ductus etiam auctor praesentis operis, sese quasi continuatorem Sigeberti exhibens pontificalem historiam, ut ipse fatetur, composuit, qua nostram annorum 1148—1152[1] *cognitionem non minima ex parte augmentavit. Sed videamus prius, quonam modo haec historia adhuc inedita nobis sit servata.*

Codex bibliothecae Bernensis, signatus MSS. Hist. 367 *membranaceus s. XIII. continet primo loco (f.* 1—97′*) Sigebertum una cum continuatione Gemblacensi, cuius in fine sine intervallo legitur nota anni* 1148, *quam in Auctario Gemblacensi dedit Bethmannus*[2]. *Hanc statim in altera eiusdem folii columna excipit nostra Historia pontificalis usque ad fol.* 120′ *extensa. Cetera quae in codice continentur sunt haec: Fol.* 121 *secunda pars historiae Ierosolimitanae. Fol.* 152 *Ditis Cretensis liber de Troiano bello. Fol.* 187 *De quodam vicedomino Theophilo. Fol.* 192 *Visio Dritelmi. Fol.* 194′ *Liber de coniugiis. Fol.* 207′ *Liber II. tractatus contra emulos garrientes. Fol.* 228′ *Marmosetus ad filium suum. Fol.* 244 *Petrus Alfunsus de Machometo. — Codex olim, ut inscriptione primae paginae docemur Bongarsii erat, cuius ex bibliotheca una cum multis aliis libris vel manuscriptis vel impressis in bibliothecam Bernensem pervenit. Ubi anno* 1823 *Pertzio ex Italia reduci oblatus, ab eo una cum aliis libris manuscriptis domino Durheim Bernensi in usum societatis nostrae transscribendus commissus est. Quo munere postquam V. Cl. multa cum diligentia functus est, ipse exemplum eius mense Novembri a.* 1865 *cum codice Berolinum misso accuratissime contuli, hoc modo non solum de fide copiae sed quod pluris est aestimandum de ratione quae inter scribam et correctorem intercedit certior effectus. Corrector enim et rubricator eadem persona, certe ex originali correxit quae scriba indoctus exaraverat, quamquam non omnibus numeris absolutum ac integrum textum restituit, ita ut et recentiori cuidam, quem saeculo XV. extitisse putamus, et nobis multis in locis emendandi corrigendique data fuisset occasio. Scriba atramento nigro usus est, corrector contra paulo pallidiore, quemadmodum ex specimine scripturae, a nobis delineato, facile est cognitu. Restat monendum, quod nostra historia aeque ac totus codex in quavis pagina binas continet columnas.*

1) Cap. 43 iam mortem Sugerii a. 1152. factam commemorat. 2) M. G. SS. VI, 392 l. 4—8.

Transeamus ad auctorem. Gallus genere erat[3], *certe clericus quidam non minoris gradus, cum Bernardo Claraevallensi ut videtur familiaritate coniunctus*[4], *ad Eugenii III. papae latera sese commoratum fuisse profitetur*[5]. *De coaetaneis optime instructus fuit, litteris erat eruditus, quippe qui non solum patres ecclesiae sed et theologorum recentium opera legerat, immo vero et antiquos auctores. Opus suum condidit rogatu Petri cuiusdam*[6], *in eo historiam pontificalem inprimis tractaturus*[7]. *Bene succinctus rem aggressus est, archiva ecclesiarum*[8], *regesta Eugenii III.*[9], *acta concilii Remensis*[10], *scripta Gisleberti Porretani*[11] *aeque ac Gaufridi Claraevallensis*[12] *adiit, saepissime testis oculatus rebus interfuit*[13], *qualis in concilio Remensi enarrando praecipue apparet. Scripsit autem intra annos* 1161 *et* 1163, *quum cap.* 8 *Theobaldum archiepiscopum Cantuariensem, qui anno* 1161 *Aprili* 18. *decessit inter mortuos enumeret, cap.* 7. *autem Radulfum II. comitem Viromandensem, anno* 1163 *defunctum, adhuc vivere profiteatur*[14]. *In animo erat nostro Sigebertum continuare, sed continuationem Gemblacensem non discernens a Sigeberto ipso, utrumque opus unum idemque habuit, quo errore ductus Sigebertum usque ad concilium Remense suam duxisse relationem putavit*[15]. *In enarrandis simplex et modestus, ubivis mores mitiores suos profert, liberum arbitrium sibi servavit nec Eugenii papae naturam vacillantem silentio praeteriens, nec Gislebertum haereticum putans, quamvis ipse magis partes Bernardi sectaretur. Valde igitur dolendum, quod opus tanti viri non integrum ad nos devenit, praesertim quum parvus numerus chronicorum, quae istis temporibus erant redacta, patriae fines fere nunquam relinquant, noster vero non solum de historia pontificali, sed etiam de Italiae, Galliae Angliaeque statu, de variis fatis secundae expeditionis Ierosolimitanae nobis afferat lucem novam, splendidam vixque speratam.*

Ex medii aevi scriptoribus solus, ut videtur, Wilhelmus de Nangiaco nostro usus est[16], *exscribens capita* 5 *et* 23.

Capitum distinctionem, qualem praebuit codex manuscriptus, retinuimus.

W. ARNDT.

3) Ludovicum VII. regem Francorum nomine non addito aliquoties vocat: *serenissimum regem*, vel *christianissimum.* Sigebertus, secundum nostrum, *sollicitus fuit multorum percurrere momenta regnorum, sed in hiis amplius et diligentius studuit immorari, que ad suos Teutones pertinere noscuntur.* Perbene res in Francia gestas cognovit, ut c. 3. 6 cett. docemur. In enarranda proclamatione Alberonis Trevirensis contra sedem Remensem, de humiliatione quam hac occasione recipiebat Remensis altum servavit silentium. Accedunt duo loci ubi verba Gallica affert. C. 3: *Item si acolitus phonastro vel correptorio, quod vulgus nostratum bosretum nuncupat.* C. 24: *tributum — quod vulgato sermone gablum dicunt.* 4) V. cap. 12, ubi narrat se Gislebertum Porretanum ex parte Bernardi sollicitasse, quatinus alio loco prolongarent disputationem. 5) V. cap. 40 in fine. 6) Cf. Prol. cap. 1. 7) Prol.: *omissis aliis, ea que ad pontificalem hystoriam pertinent — perstringere curabo.* Cap. 15: *Superest ut ad pontificalem redeamus hystoriam,* cf. quoque Prol.: *Sed nec ea que sub prefato pontifice gesta sunt, memoratus retulit Sigebertus.* 8) Cf. Prol. 9) Cf. cap. 11. 10) ibid. 11) capp. 9 sqq. 12) cap. 11. 13) Cf. finem prologi: *In hiis autem que dicturus sum nichil auctore Deo scribam, nisi quod visu et auditu verum esse cognovero, vel quod probabilium virorum scriptis fuerit et auctoritate subnixum.* Cap. 8: *Quod vidi loquor et scribo, sciens mihi apud Deum et homines conscientiae et fame dispendium imminere, si falsitas presertim de re tanta fuerit in ore et opere meo; nec deerit qui redarguat mentientem, supersunt enim plures pleni fide et graves auctoritate viri, quos huic verbo interfuisse certissimum est.* 14) Multa in Nostro ansam praebent ad definiendum tempus quo scripserit, elegimus haec quae quam accuratissimum terminum praebent. 15) Haec sunt Bethmanni nostri verba in praefatione ad Sigebertum p. 279 reperienda: „At ni Sigeberti continuatorem ipse se profiteretur, nemo eum illis annumeraret. Opus enim alius plane consilii atque formae, non annis sed capitibus distinctum —“. 16) ap. D'Achery Spicil. ed. nova in fol. III, 8. Recentissimo tempore v. d. B. Kugler in libro *Studien zur Geschichte des zweiten Kreuzzuges. Stuttgart* 1866. capp. 23—26. 28—31 vel integre vel partim edidit p. 15—20.

Ieronimus* ecclesie doctor insignis, vir fere omnium conscius litterarum, librum Paralipomenon talem dicit et tantum, ut asserat illum se ipsum irridere, qui sine eo divinarum scientiam vendicat scipturarum, rationemque subiungit assertionis sue, quod in aliis libris pretermissas tangit hystorias, ex quarum intelligentia solvuntur innumirabiles euuangelii questiones. *f. 97' c. 2. Est enim quasi compendiosus epilogus veteris testamenti[a], cui si quis Esdre et Machabeorum libros adiciat, divine dispensationis magnalia que nobis in patribus exhibita sunt, percurrere poterit usque ad tempus quo medium silentium tenentibus universis, necessitas humani generis et divine dispositionis ratio exigebat, ut comsubstantialis et coeternus Dei filius uterum semper incorrupte[b] Virginis ingrederetur, et sic verbum caro fieret et habitaret in nobis. cf Evang. Ioh. 1, 14. Quem locum sancti euuangeliste excipiunt, edocentes quid in homine et pro homine gesserit Deus homo, et alis pernicibus in quatuor mundi climata evolantes[c], verbum seminant quod animas credentium salvat, et Christo iungit ecclesiam non habentem maculam neque rugam. Lucas Pauli discipulus apostolorum gesta describens, nascentis* ecclesie texit infantiam; cui succedens scripturarum *f. 98. clavis Eusebius Cesariensis, adolescentis ecclesie processus enarrat; eamque in virilem producit etatem, et virorum in Christo illustrium agones depingit et triumphos. Cassiodorus quoque ex gentili christianus, monacus ex senatore[d], ex oratore doctor ecclesie, palmas christiane militie visas et acceptas a patribus preconatur; et sicut previos in cronicis descriptionibus habuit, sic illustres viros huius studii reliquit successores. Versantur in hoc Orosius, Ysidorus et Beda et alii quos enarrare longum est; etatis quoque nostre quam plurimi sapientes labore huiusmodi prodesse presentibus et coetaneis curaverunt. Inter quos magister Hugo[17] canonicus Sancti 17 Victoris Parisiensis fere novissimus floruit, qui ab inicio nascentis seculi usque ad tempus domni Innocentii pape secundi[18] et christianissimi regis Francorum Ludovici[19] seriem temporum digessit, et variationes regnorum succincta narratione complexus est. Secutus est eum Sigebertus Iamblensis[20] monachus, qui ab anno primo Valentiniani[e] et Gratiani telam narrationis ordiens, eam produxit usque ad concilium Remense[21], quod tempore iam dicti Ludovici regis Francorum celebratum est, Conrado regnante in Alemannia, anno dominice incarnationis 1148. Mart. 21. sqq. Verum exinde cronicum alicuius librum non potui repperire, licet aliquas rerum memorabilium subnotationes in archivis[f] ecclesiarum invenerim, que possint, si qui forte scripturi sunt, eorum diligentiam adiuvare. Sed nec ea que sub prefato pontifice gesta sunt, memoratus retulit Sigebertus; tacuit enim plura memorabilia digna relatu, vel quia ad ipsius non pervenere noticiam, vel quia aliis prepeditus est causis. Fuit tamen sollicitus multorum percurrere momenta regnorum, sed in hiis amplius et diligentius studuit immorari, que ad suos Teutones pertinere noscuntur. Quorum etiam favore cronicis suis nonnulla inseruisse visus est, que videntur ecclesie Romane privilegiis obviare et sanctorum traditionibus patrum. Unde voluntati tue, dominorum amicorumque karissime[22], libentius acquiescens, omissis aliis, ea que ad pontificalem hystoriam pertinent, prout precipis, Dei gratia preeunte, perstringere curabo, idem habens propositum coetaneis et posteris proficiendi, quod cronici scriptores alii ante me noscuntur habuisse. Horum vero omnium uniformis intentio est, scitu digna referre, ut per ea que facta sunt conspiciantur invisibilia Dei, et quasi propositis exemplis premii vel pene, reddant homines in timore Domini et* cultu iustitie cautiores[g]. *f. 98'. Hiis enim incognitis, merito se ipsum dicitur irridere, quisquis divine pagine vel prudentie mundane sibi periciam vendicat. Nam ut ait Ethnicus[h]: Aliena vita nobis magistra est; et qui ignarus est preteritorum, quasi secus in futurorum prorumpit eventus. Valet etiam noticia cronicorum ad statuendas vel evacuandas prescriptiones[23] et privilegia roboranda vel infirmanda, nichilque post gratiam et legem Dei viventes rectius et validius[i] instruit, quam si gesta cognoverint decessorum. In hiis autem que dicturus[k] sum nichil auctore Deo scribam, nisi quod visu et auditu verum esse cognovero, vel quod probabilium virorum scriptis fuerit et auctoritate subnixum. Sit ergo nostri sermonis initium filius Virginis intemerate,

a) instrumenti cod. b) u supra lin. add. c. c) e supra lin. alia manu, correctoris quidem, add. cod. d) sonatore cod., recentissima manu corr. e) ualentinianām cod. f) archinis cod. g) cautōres cod. h) us alia manu superadd. cod. i) validiut cod. k) dcurus cod., linea super c alia manu post addita est.

17) De eius operibus historicis nondum editis v. Archiv XI, 306—310. 18) 1130. Febr. 14. — 1143. Sept. 24. 19) VII. ut ex sequentibus intelligitur. 1131. Oct. 25. — 1180. Sept. 18. 20) Gemblacensis. 21) Sigebertum una cum continuatione Gemblacensi respicit auctor noster. 22) Petrum amicum intelligit auctor, ut ex capite 1. elucet. 23) Praescriptio est ius quoddam, ex tempore congruens, authoritate legum vim capiens, poenam negligentibus inferens, et finem litibus imponens. Quadragenalis praescriptio omnem prorsus actionem excludit. DUCANGE.

Ev. Ioh 1,1. *qui in principio erat verbum, ceptumque promoveat opus ad salutem nostram et ecclesie sue utilitatem, qui recte gradientium dux est et finis omnium gerendorum.*

1.[a] Ut itaque, mi Petre, cui sicut apostolo future virtutis presagio quodam a fidei soliditate nomen inditum est, cronicis Sigeberti narratio nostra continuari possit, a concilio Remensi, in quo ille suam finit, ordimur nostram, subtexentes ea, que ab illo constat fuisse preterita, et ecclesiasticis negociis adminiculari posse creduntur. Et quidem primo de proclamationibus ibi factis, eo quod auctoritate sanctorum constat synodali[b] proclamatione quasi litis contestatione possessionis interruptionem civiliter fieri. Quas si retulero, mihi non debet aliquis indignari, quia nullius hystorie fides est incorrupta; si scriptor adulationi pocius serviat quam veritati, et dum paucis placere nititur, in sui ipsius perniciem decipit universos.

24 Archiepiscopus itaque Lugdunensis ecclesie[24], que sicut apud veteres hystoricos legitur, prima Galliarum sedes est, protestatus est, Rothomagensem[25], Senonensem[26] et Turonensem[27] archiepiscopos et provincias eorum sibi et ecclesie sue iure debere primatus esse subiectos, Rothomagensem vendicans et Senonensem; nam Turonensis ei obedientiam exhibebat. At illi prescriptionem longissimi temporis opposuerunt, et[c] quod ad hoc vocati non venerant[c]. Similiter Vienensi[28] Bituricensem[d. 29] vendicanti responsum est, hoc adiecto, quod mirum videri debet, Vienensis oppidi presulem in tantam prorumpisse vecordiam, ut patriarchatum Bituricensem velit habere subiectum. Bituricensis autem Narbonensem archiepiscopum[30] et episcopum Aniciensem[31] et abbatem Castridolensis[32] vendicavit. Domnus Theobaldus Cantuariensis proclamavit adversus Henricum Eboracensem[33], qui sedem suam posuerat ab aquilone, quasi eius locus esset a pari[34]. Sed pro eo *f. 99. *respondit domnus papa, quod qui nondum habebat sedem, supersedere non poterat; conveniri dicens hoc, quia Stephanus rex Anglorum[35] eundem archiepiscopum sede sua privabat, quia contra voluntatem et prohibitionem suam electus fuerat, et a domno papa Autisiodori[36] consecratus. Albero Treverensis archiepiscopus[37] vendicavit Remensem[38], asserens ex eo ius suum in expedito esse, quod non modo in antiquis hystoriis sed eciam in canonibus Romanorum pontificum reperitur, quod Treveris Belgica prima est, Remis autem Belgica secunda[39]. Sed tantus Francorum clamor subortus est, ut auditui publico non potuerit responderi, eo quod eis, etsi vir optimus fuerit, insanus visus est proclamator, presertim qui hoc Remis ausus est protestari. Episcopus Parisiensis[e. 40] vendicavit abbatem Sancti Germani[41]; Senonensis[42] archiepiscopus abbates Ferrariensem[43] et Sancte Columbe[44]; Eduensis[45] episcopus Viziliacensem[46], Rothomagensis archiepiscopus Fiscannensem[47], et alios alii; sed omnibus responsum est quod Lugdunensi.

2. Et quia prefatus rex Anglorum Iohannem Paparonem diaconum cardinalem[48] et

a) Primum capitulum *codex hic et initio capitis secundi; deinde numeri tantum.* b) i *eadem manu supra lin. add. c.* c) et — uenerant *in margine eadem manu suppleta c.* d) buturicensē *c.* e) *primum* si *superadd. ead. manu. cod.*

24) Lugdunensis archiep. tunc erat Humbertus II. 25) Rouen. Hugo III. 26) Sens. Hugo I. 27) Tours. Engelbaldus. 28) Vienne. Hugo? 29) Bourges. Petrus de Castra. 30) Narbonne. Petrus II. 31) Puy. Petrus III. 32) Dolense vel Burgidolense monasterium, *Bourdieux;* abbas tunc fuit Girbertus. 33) York. 34) i. e. quasi eius locus esset eiusdem conditionis vel dignitatis. 35) 1135. Dec. 26. — 1154. Oct. 25. De Henrico archiepiscopo Eboracensi v. Iohannem Hagustaldensem ap. Twysden I. p. 276. 277, ubi narratur archiepiscopum ab Eugenio III. papa consecratum fuisse Treveris die 7. mens. Dec. 1147, eumque a. 1148. in Angliam venientem nec a rege Stephano nec a civitate Eboracensi esse receptum. Gervasius autem Doroberniensis ad a. 1147. (ap. Twysden l. c. p. 1363) habet haec: *Praedictus autem papa Eugenius cum utraque electio sequenti hieme ei fuisset Autissiodori praesentata, electionem praedicti Henrici Murdac confirmavit ... et ipsum Henricum propriis manibus consecravit.* Papa Altissiodori commoratus est anno 1147. Iul. 14. — Sept. 6., Sept. 25. — Oct. 12. 36) Auxerre. 37) 1130. Oct. 19. — 1152. Ian. 15; cf. Gesta Alberonis auct. Balderico c. 24. M. G. SS. VIII, 255. 38) Samsonem. 39) Cf. Gesta Treverorum c. 7. 8, ubi videatur praecipue Waitzii nota 90. M. G. SS. VIII, 134. 135. 40) Theobaldus II. 41) St. Germain de Prez; abbas tunc erat Hugo. 42) Hugo I. 43) Ferrières en Gastinois; abbas Raynardus II. 44) St. Colombe les Sens. Girardum. 45) seu Augustodunensis *(Autun)* Humbertus. 46) Vezelay; abbas Pontius. 47) Fescan; abbas Henricus. 48) S. Adriani; cf. Ioh. Hagustald. l. c. p. 279: A. 1152. (i. e. 1151) *Profectus inde in Hyberniam quatuor pallia certis sedibus distribuit gentemque in ea lege nuptiarum non assuetam plurimum correxit. Venerat autem idem cardinalis presbyter in praecedenti anno ad regem Angliae, cui non acquievit rex conductum praestare nisi fidem daret se in hac profectione regno Anglorum nullum dampnum quaerere. Reversus est ob hunc sermonem cardinalis ad apostolicum indignans, fuitque super hoc Romana curia*

Hybernie legatum transire per Angliam prohibuerat in provinciam sibi delegatam, et episcopos et abbates Anglie vocatos ad concilium detinuerat[49], et supra dictum Eboracensem excludebat ab archiepiscopatu suo[50], meruerat indignationem domini pape[a], quia commonitus non modo non satisfaciebat, sed delicta delictis et iniurias cumulabat iniuriis. Miserat tamen tres episcopos, Robertum Herefordensem[51], Willelmum Norwicensem[52] et Hylarium Cicestrensem[53], ut Cantuariensis archiepiscopi et aliorum absentiam excusarent. Quod tamen in fraudem et perniciem ipsius Cantuariensis tam a rege et regina[54] et consilio eorum quam ab episcopis quibusdam[55] totum procuratum fuisse creditur, sicut ex post factis patenter innotuit. Sed hoc presentiens idem archiepiscopus per fugam elapsus est, quia ei undique pretendebantur insidie, et rex ipse Cantuariam venerat, quo facilius omnis archiepiscopo precluderetur egressus. Ille tamen sciens obedientiam victimis preferendam et confidens de misericordia Domini, piscatoriam naviculam quam conduxerat in abdito secessu et ab hominum vicinia remoto occultatam, que non plus quam tredecim homines capiebat et erat fere destituta necessariis armamentis, ingressus est, et sic non tam navigio quam quasi quodam naufragio transfretavit[56]. Premiserat autem quosdam de clericis suis, 56 licencia a rege impetrata, sub pretextu excusationis in concilio faciende. Ex insperato ergo veniens ad concilium, cum honore maximo receptus est ab universis ipsique regi pernecessarius. Cum enim domnus papa novissimo die concilii *surrexisset iam candelis *f. 99'. accensis ob causas superiores regem excommunicaturus, et a patribus et a magnis viris, qui convenerant et satisfactionem promittebant, faciende condonationis dilatio non posset impetrari, domnus Cantuariensis affectuosissime supplicavit ut parceret, et solus pre ceteris omnibus, sicut apostolicus ipse publice testatus est, meruit exaudiri. Nam quasi attonitus et stupens immensam hominis benignitatem post aliquantulam meditationem et suspiria sic exorsus est: *Videte, fratres, hominem qui temporibus nostris euuangelicum implet virum, qui inimicos diligere consuevit et pro persecutoribus suis orare non desinit.* cf. Matth. 5, 44 *Licet ergo rex ille temeritate sua ecclesie Dei et nostram meruerit indignationem, tantam tamen caritatem non possumus non approbare, cuius vota cogimur exaudire. Ad ipsius preces sententiam nunc suspendimus dantes regi ad satisfaciendum trium mensium*[b] *dilationem, et tunc*[c] *nisi interim satisfecerit, cum accessione dampnationis amplioris*[d] *retorquebitur in caput*[e] *et terram eius.*

3. Decreta[f] deinde promulgata sunt cum interpretationibus et causis suis et assensu publico roborata, uno[g] tamen excepto. Nam cum usus variarum pellium clericis interdiceretur[57], et plurimi interrogati sibi complacere responderent, Raginaldus de Hildenesham[58] et alii Teutones reclamaverunt[h] decretum hoc nec placere presentibus, nec posteris placiturum. Vitans autem prolixitatem et quia canonibus inserta sunt, ipsa decreta non insero; de quorundam tamen interpretationibus et causis pauca censui subnectenda[i], eo quod de hiis quibusdam risus nascitur, aliis questio. Nam cum inhiberetur[59] ne episcopi, abbates, presbiteri, diaconi, subdiaconi, canonici regulares, monachi, conversi, professi, item ne moniales coniugia contrahant, et si contraxerint, ab invicem separentur, quia talium personarum nullum est matrimonium; res frivola et risu digna nonnullis acta esse videtur. Quis enim hoc nescit esse illicitum? Sed quia personas huiusmodi plerumque deponi,

a) *ante hanc vocem littera* p *est in cod.* b) mansiū *cod.* c) *sic alia manu correctum ex:* cū *cod.* d) *sic superscr. corr. ex* amplior⁹ *cod.* e) capd't *cod.* f) Ecreta *cod.* g) uno *cod.* h) reclamūint *cod.* i) subnoctenda *cod., alia manu superscrib. corr.*

ingrata regi. Cf. quoque Chronica de Mailros. a. 1151. et epistola Thomae archiepisc. Cantuar. *Numquid eram archiepiscopus quando pater eius nuntios beati Eugenii terram illam intrare prohibuit?* 49) Vid. epistolam S. Thomae Cantuariensis (apud Giles I. p. 103) haec continentem: .... *rege Stephano hoc in eo persequente, quod contra prohibitionem eius vocatus a domino papa Eugenio ad concilium Remense venerat, caeteris episcopis domi contra obedientiam remanentibus, exceptis tribus, qui de mandato regis venerunt ut aliorum absentiam excusarent.* 50) V. supra p. 518. n. 35. 51) Hereford. Robertus de Betun 1131—1148. Apr. 22. 52) Norwich. Wilhelmus secundum Godwini de praesulibus Angliae commentarium (Londini 1616) p. 484. a. 1151. demum electus et consecratus est. Obiit a. 1175. Ian. 17. Sed vid. Gervasium Dorob. apud Twysden l. c. p. 1364. 53) Chichester. 54) Mathilde. 55) inter quos praecipuus erat episcopus Wintoniensis Henricus; cf. Gerv. Dorob. l. c. p. 1363. 56) Cfr. epist. Thomae Cantuariensis ap. Giles I, 104: *Eo quod, ut verbis eius utamur, natando potius quam navigando ad concilium venerat.* 57) Vide Canones concilii Remensis ap. Mansi XXI. p. 711 sqq. inprimis §. 2. l. c. p. 714: *De vestitu et tonsura clericorum, item de clericis in hoc inobedientibus et episcopis negligentibus.* 58) Reinaldus de Dassel, praepositus canonicorum Hildesheimensium. 59) l. c. p. 715. §. 7.

plerumque regularem contingit effugere disciplinam, et sic vel inter suos vel apud extraneos ad seculi redire commercia et quasi contractis matrimoniis ecclesiam ledi vel scandalizari, et liberos ex huiusmodi contuberniis procreatos propinquorum petere successiones, visum est ecclesie congruum constitutionem hanc promulgari. Meminimus quod Capuanus[60], quem Petrus Leonis[61] consecraverat, postquam a domno Innocentio depositus est, Rome *f. 100. duxit *uxorem et exercuit medicinam, multique alii similia commiserunt, ut Gervasius 1107. Mai. 23. Remensis archidiaconus, qui per sententiam domni Paschalis pape secundi in concilio Trecensi[62] detrusus a cathedra Remensi, quam occupaverat Philippi regis auctoritate, duxit uxorem; cuius adhuc liberi extant. Queritur autem quatenus protendi debeat, ut excommunicati mittantur ad domnum papam absolvendi, qui in clericos, monachos, con- 63 versos et moniales violentas iniecerit manus[63]. Sed domnus papa mentem suam interpretatus est dicens eos hoc canone non teneri, qui ex necessitate iusti officii tale quid commisisse noscuntur. Iusti, inquam, quia si quis ex iniquo tiranni cuiusque mandato vel alterius violentia potestatis hoc egerit, non quidem hac severitate canonis liberatur, sed mandatorem vel violentum sicut auctorem culpe sic et pene dinoscitur habere consortem. Alias autem si forte quis hostiarius ut irruentes clericos ab introitu repellat, virga percutit non voluntate nocendi, item si acolitus phonastro vel correptorio, quod vulgus nostratum bosretum[a, 64] nuncupat, non tenetur. Item si doctor in scolis discipulum vel condiscipulus alium vel claustrensis claustralem, aut conversus conversum[b], aut paterfamilias filium vel domesticum suum feriat, hoc canone non tenetur. Possunt enim hoc in scolis vel claustris commodius emendari, quam si inde pateat sub pretextu adeundi domnum papam curiosis et dissolutis libertas evagandi. Nam quod nocendi animo non committitur, nec fit in perniciem alicuius aut fraudem, nequaquam tanta pena plectendum[c] est; nec manus violenta dici debet, qua constat modestiam vel salutem alterius procurari. Sed nec percussori facile[d] credi debet pro se contra lesum aliquid afferenti, pocius veritas ipsa diligentius perscrutanda est et quod talium personarum utilitati expedit exequendum. Hoc ita domnus papa interpretatus est, asserens omnes episcopos et fideles ecclesie debere sequi prescriptas interpretationes, quia sub hac intentione promulgavit canones.

cf 2 Cor. 10, 6. 4. Promptus vero ut apostolus precipit omnem punire inobedienciam, nominatim suspendit episcopum Wintoniensem[e, 65] et archiepiscopos Maguntinum[66] et Coloniensem[67] et preterea omnes qui ad concilium vocati non venerant. Episcopus vero Wintoniensis tandem per fratrem suum comitem Theobaldum[f, 68] et alios magnos viros impetravit ut a suspensione relaxaretur, donec infra sex menses adiret domnum papam. Alii diu in *f. 100'. suspensione manserunt, et Maguntinus tandem depositus est. Sic autem concilium *solutum est, retentis maioribus personis ad quedam negocia diffinienda. Domno vero Cantuariensi qui multam gratiam eius promeruerat, concessit, ut omnes episcopos et abbates Anglie qui suspensi erant pro beneplacito suo absolveret vel teneret suspensos.

5.[69] Accidit autem post concilium, cum domnus papa missam in maiori ecclesia celebraret et ei pro more Romano calix afferretur a comministris, quod sanguis Domini, nescio qua ministrorum negligentia, effusus est super tapetum ante altare. Unde omnes plurimum conturbati sunt. Sed domnus papa misit Guidonem Pisanum diaconum cardinalem et cancellarium, et fecit illam tapeti partem in quam sanguis ceciderat abscindi inter alias reliquias reponendam, ministris indicens penitentiam de tanta negligentia. Sed hec res sapientiores[g] plurimum terruit, optinente indubitata opinione quod huiusmodi res in nulla contingit ecclesia, cui non immineat unumcumque grave periculum, et quia hoc in apostolica sede contigerat, universalis ecclesie periculum timebatur; certe nec fefellit opinio.

a) bosretum *cod.* b) *sic eadem manu superscribendo corr. ex* conversam *cod.* c) plectend' *cod.* d) *in margine ead. manu add. cod.* e) Wintonieñ *cod.* f) theob *cod.* g) sapientiore *cod.*

60) Hugo archiep. 1130—1135. 61) Anacletus II. antipapa. 62) Troyes. 63) V. Canones concil. Remensis l. c. p. 717. §. 13. 64) Francogallis *bourrée,* phonastrum a graeco φόνος derivandum est. 65) Winchester. Henricum, fratrem Stephani II. regis 1129—1171. Aug. 6. 66) Henricum I. 1142. Sept. 27. — 1153. Iun. 7. Vide epistolam Henrici filii Conradi III. imperatoris ad Eugenium papam datam archiepiscopi absentiam excusantem inter epistolas Wibaldi Corbeiensis et Jaffé Conr. III. p. 163 sq. 67) Arnoldus I. 1137—1151. Apr. 3; cf. Ann. Colon. max. a. 1148. 1150. M. G. SS. XVII, 763; cf. Jaffé Conrad III. p. 163. 68) Blesensem. 69) Hoc capitulum exscripsit Guillelmus de Nangis, D'Achery Spic. III. p. 8.

Eodem enim anno Conradus rex Romanorum et christianissimus rex Francie Ludovicus, deletis exercitibus eorum a Sarracenis in Oriente, vix evaserunt, dampno tamen irreparabili illato christiane religioni. Sed exercitus Conradi temeritate Teutonum ante confectus 1148. Oct. 26. est[70]; postea vero periclitari contigit Francos presumptione et negligentia Gaufridi de Rancuno[71], qui prime cohortis dux erat et signifer regis.

6. Radulfus comes Viromannensis[72], qui triennio fuerat excommunicatus, eo quod uxorem[73] suam quam iniuste dimiserat[74] recipere nolebat, absolutionem, quam per regem 74 Francie nec in novissimo colloquio quando Ierosolimam proficiscens licentiam petiit, potuit impetrare, fretus auxilio et consilio diaconorum cardinalium Iohannis Paparonis[75], Gregorii de Sancto Angelo, optinuit, non sine suspitione intervenientis peccunie. Prestiterat enim absolute iuramentum mandatum apostolicum exequendi, quod semper antea detrectaverat, sed prenoverat per antedictos cardinales quid esset apostolicus mandaturus. Cum ergo die sibi prefixa tam comes quam uxor eius quam reiecerat in Remensi palatio quasi causam acturi convenissent, domnus papa cunctis exposuit qua ratione fecerit absolvi comitem. Recepto secundum morem ecclesie iuramento sollempni, et quia verecundabatur facere in facie ecclesie quod tamen faciebat — rescindebat enim sententiam decessorum suorum Innocentii, Celestini, Lutii, et ut credebatur equissimam, qui dampnaverant adulterium quod comes *cum sorore[76] regine[77] arguebatur conmittere — benivolentiam mulieris et *f. 101. partis sue captare plurimum visus est, dicens se id agere ut illa debitam consolationem recipiat, et tandem a dampnis et laboribus eruatur, et de nullo gravamine queri possit. *Quereris*, inquit, *tibi audientiam fuisse denegatam et te circumscriptam dolo et violentia partis adverse. Nos autem te ad causam restituimus, ut liberum sit tibi et tuis pro te, sicut comiti pro se, quod placuerit allegare.* Illa autem sentiens se ad hoc invitari ut acta ageret, nec cupida redire ad comitem, cuius animum sibi preripuerat alia, gratias egit, dicens se libenter audituram quid a parte diceretur adversa. Quid multa? Processerunt Bartholomeus Laudunensis[78] episcopus et alii, parentelam, quam alia vice vitaverant, tactis euuangeliis iuraturi. Sed apostolicus prohibuit episcopum sacra tangere, dicens sufficere debere si episcopus sacris inspectis testimonium dicat. Sic prestito iuramento, divortium factum est, et utrique data facultas matrimonium contrahendi pro libitu tantum in Domino. Comes autem condempnatus est mulieri in dote restituenda. At ille respondit se eam iam refudisse comiti Theobaldo[a, 79], unde presumptum est ab universis, inter partes fuisse collusum[b].

7. Interfuit vir sanctissimus et precepte auctoritatis domnus Bernardus abbas Clarevallensis, et comitis Theobaldi pro cultu iusticie et honestatis titulo et religionis veneratione et beneficentia in pauperes Christi vehementissimus amator. Hic videns comitem Radulfum diu scandalizasse ecclesiam et adhuc in contubernio a tribus apostolicis condempnato permanere: dixit sicut multi testantur adhuc, nescio sive[c] ex indignatione quam zelus accenderet, sive in spiritu prophetie: quod nunquam erat de lecto[d] illo soboles egressura que laudabilem fructum faceret in populo Dei, et quod diu non erant ad invicem gavisuri. Vaticinium pro parte impletum est. Illa namque non diu supervixit, pepererat tamen ante filium[80] et duas filias, sed filius in puericia leprosus factus miserrimus vivit adhuc; filie eius nupserunt, altera[81] comiti Flandrensi[82], altera[83] Nivernensi[84], sed nulla earum adhuc sustulit prolem, licet tempore multo maritis cohabitaverint. Comes autem Radulfus terciam duxit uxorem, filiam Theodorici comitis Flandrorum nomine Lauram[85]. Post non multum tempus de gravi convalescens infirmitate, a medico qui eum curaverat sub interminatione mortis accedere prohibitus est ad uxorem; at ille, ut[e] erat uxorius[f],

a) theob̄ *cod.* b) *sic alia manu superscrib. corr. ex* collosum *cod.* c) si *cod.* d) dilecto *cod.* e) ille ut *alia manu in loco raso cod.* f) us *alia manu add. cod.*

70) V. Wilken Gesch. d. Kreuzzüge III, 1, 162 sqq. 71) Raucon in Guienne; cf. Wilken l. c. p. 181 sqq. 72) I. 73) Eleonoram. 74) a. 1140. vel 1141. 75) diaconus cardinalis S. Adriani. 76) Petronilla, cognomine Adeleida. 77) Eleonorae, Franciae. 78) Laon. Bartholomaeus a. 1150. cessit episcopatui et monachus Fusniacensis factus est. 79) Blesensi, erat enim consobrinus Eleonorae. 80) Radulfum II, qui postea a. 1156. a Philippo comite Flandriae regno privatus est; cf. Flandr. generos. M. G. SS. IX, 325. 327. Obiit a. 1163. 81) Elizabeth vel Isabella, nupsit 1156, mortua est a. 1182. Mart. 26. 82) Philippo. 83) Eleonora, prius maritata Godefrido comiti Ostrevanensi. 84) Wilhelmo IV. qui obiit a. 1167. Oct. 24. sine liberis. 85) V. Gisleberti chron. ed. Chasteler. p. 51 et Flandr. generos. l. c. p. 324.

accessit. Quod cum medicus deprehendisset[a] in urina, precepit ut disponeret[b] domui sue, *f. 101'. quia *erat infra triduum moriturus; unde verbo viri Dei creditur amplius in hiis que com- 1151 Oct. 14. plenda restant, et quod frequens est, ex eo vicio[c] periit[d] cui ardentius inservivit. Ei namque libido semper dominata est. Sic ad Philippum comitem Flandrie licet proceribus invitis 1156. per serenissimi regis benivolentiam Veromannensis devolutus est comitatus[86].

8. Evocatus apparebat in curia vir etate nostra litteratissimus, magister Gislebertus episcopus Pictavorum, responsurus clarissime opinionis et eloquentissimo viro abbati Clare- 87 vallensi[87] super quibusdam questionibus, que anteriori anno Parisius mote quidem sed in hoc tempus dilate fuerant. Nam et in commento[e] eiusdem episcopi super Boetium de Trinitate[88] et in scriptis discipulorum eius inveniebantur plura digna ut sapientibus videbatur reprehensione, vel quia non consonabant regulis, vel quia ex novitate verborum absona videbantur. Sed cum obloquerentur multi, in eum tamen acrius insurgebant Sigerius abbas Sancti Dionisii[89], vir litteratus et eloquens, et Pictavensis ecclesie canonici Calo, qui postmodum eiusdem ecclesie episcopus factus est[90], et magister Ernaldus[91], cui cognomen est Non-ridentis; magistri quoque scolares Petrus Lumbardus, postea Parisiensis episcopus[92], et Robertus de Meliduno, postmodum Herefordensis[93] presul, suas et aliorum linguas in eum acuebant. Incertum habeo an zelo fidei[f], an emulatione nominis clarioris et meriti, an ut sic promererentur abbatem, cuius tunc summa erat auctoritas, cuius consilio tam sacerdocium quam regnum pre ceteris agebatur. De ipso tamen varia opinio est, aliis sic et aliis sic sentientibus de eo, quod viros in litteris famosissimos Petrum Abaielardum et prefatum Gislebertum tanto studio insectatus est, ut alterum, Petrum scilicet, condempnari fecerit, alterum adhibita omni diligentia nisus sit condempnare. Sed mihi[g] persuaderi non potest, quod homo tante sanctitatis non habuerit zelum Dei, vel quod episcopus tante gravitatis et litterature in scriptis suis redegerit quippiam, cuius ei, licet plurimos lateat, ratio non constaret. Erat enim vir ingenii perspicacissimi, legerat plurima, et ut ex animi sententia loquar, circiter annos 60 expenderat in legendo et tritura litterarum, sic in disciplinis liberalibus eruditus, ut eum in universis nemo precederet, credebatur ipse pocius in universis precedere universos. Et ut arbitror nunc ab abbatis et aliorum sanctorum sententia non discordat, quia simul semper optatam inspiciunt veritatem. *f. 102. Ceterum familiaris erat beato Hilario et Augustino pre ceteris *doctoribus et sepe verbis utebatur doctorum, quorum est infrequens usus. Hoc tamen certum est quod publico nunc plura scolarium teruntur usu, que tunc ab ipso prolata videbantur esse prophane novitates. Sed antequam ipsum prefatus abbas in audientia publica conveniret, venerabiles viri qui oppinione litterarum et auctoritate religionis vel officii ceteris preeminebant[h], petitione ipsius in eius hospicio convenerunt. Quod vidi loquor et scribo, sciens mihi apud Deum et homines conscientie et fame dispendium imminere, si falsitas presertim de re tanta fuerit in ore et opere meo; nec deerit qui redarguat mentientem, supersunt enim plures pleni fide et graves auctoritate viri, quos huic verbo interfuisse certissimum est. Affuerunt enim bone memorie Theobaldus Cantuariensis[94] et Gaufridus Burdegalensis[95] et Heinricus Eboracensis[96] archiepiscopi, Sigerius Sancti Dionisii[97] et Balduinus Castellionis[98] super Secanam abbates, et qui adhuc supersunt: Thomas Cantuariensis[99] et Rogerus Eboracensis[99*] archiepiscopi, et alii plurimi, quos enarrare longum est. Abbas ergo, ut erat religiosissimus et disertissimus, ad eos elegantem et compendiosum sermonem habuit, subiciens in fine, quod illorum erat de ecclesia Dei tollere scandala, precesque subintulit, ut eum corriperent, si in causa contra magistrum Gislebertum suscepta videretur errare. Nam si arguendo factus est insipiens, caritas et zelus fidei coegerat ipsum. Si vero non errabat, rogavit ut suum explerent officium et sinceritatem fidei tuerentur. Hec enim

a) *post* medicus *locus rasus*, depr. *alia manu in loco raso script. cod.* b) disponoret *cod.* c) *fortasse prius* uicio, *radendo et supplendo recentior manus corr. cod.* d) i *secundum recenti manu superadd. cod.* e) com̄to *cod.* f) *recentiori manu in margine add. cod.* g) m̄ *cod.* michi? h) preminebant *cod.*

86) Cf. Flandriae generosae cont. Bruxell. M. G. SS. IX. p. 325. 87) S. Bernardo. 88) editum inter opera Boethii, Basileae 1570. p. 1128—1273. 89) St. Denys. 90) archidiaconus Thoarcensis, episcopus factus est a. 1155. 91) Cf. de eo Gaufridi epistola ad Albinum. Opp. S. Bernardi ed. 1719. II, 1336. cap. 2. 92) 1159—1164. Aug. 20. 93) Robertus de Melun, 1162—1167 Febr. 28. 94) Obiit 1161. Apr. 18. 95) Obiit 1158. v. Rob. de Monte M. G. SS. VI, 507. 96) Obiit 1153. Oct. 14. 97) Obiit 1152. Ian. 13. 98) Chastillon. 99) Occisus est 1170. Dec. 28. 99*) 1154—1181. Nov. 22.

causa non ad monachos et heremitas pertinet, sed ad ecclesie prelatos, qui tenentur animas ponere pro ovibus suis. Et ut possent facilius examinare si ipse erraret an non, precatus est ut audirent in quibus articulis a sepe fato episcopo dissentiret, et audita probarent vel improbarent. Illis assentientibus dixit: se credere quod Deus est deitas et e converso. Quam propositionem excipiens ex ore eius monachus suus Gaufridus Autisiodorensis[1] scripsit, scriptamque recitavit, subiungens in fine: *Placet vobis?* quomodo[a] fieri solet ubi decreta promulgantur aut leges. Et responsum est: *Placet.* Deinde procedens abbas ait: se credere quod tres persone sunt unus Deus, et e converso. Facta est item annotatio, interrogatio et respontio ut in priore. Displicebat tamen gravioribus modus iste, sed verebantur abbatem et suos offendere, si non ei gererent morem. Secutus abbas adiecit: *Credo quod essencia Dei incarnata est sive natura.* Et hic ut in prioribus factum est. Quarto loco subintulit: quod, quoniam Deus simplex est, et quicquid in Deo est Deus est, proprietates personarum sunt ipse persone, et quod Pater est paternitas, Filius est filiatio, Spiritus est processio, et e converso. Que cum similiter prioribus excepta essent et interrogata, *surgens archidiaconus quidam Catalaunensis, scilicet magister Robertus de Bosco, et tam voce quam manu silentium impetrans, petiit huius responsionis dilationem. Audierat enim, ut dicebat, in scolis clarissimorum doctorum fratrum Anselmi[b, 2] et Radulfi[3] Laudunensium hoc fuisse quesitum, sed ab eis minime receptum est, quia verebantur transgredi terminos quos posuerant patres. Sed nec[c] Gislebertus[4] universaliter[d], qui post fuit episcopus Lundonensis[e], nec Albericus Remensis, qui post in archiepiscopum Bituris[5] sublimatus est, hoc ob eandem causam admittere voluerunt. Nam et istos audierat et super hoc interrogaverat. Item ut aiebat omnibus hiis sibi litteratior visus est Gillebertus abbas Westimonasterii[6] prope Lundoniam, qui hoc nunquam concedere adquievit. Consuluit ergo, ut in re tanta non precipitarent sententiam, presertim cum ab hac diffinitione tanti viri abstinuerint interrogati, et domnus papa presens esset et ecclesia Romana, et ad illam convenerant qui prestantiores esse videbantur in orbe Latino. Paritum est consilio eius conventu sic soluto.

cf. Ev. Ioh. 10, 14.

*f. 102'.

4

9. Quod cum ad cardinalium audientiam pervenisset, supra modum indignati sunt adversus abbatem et illos qui prece eius convenerant. Condixerunt ergo fovere causam domni Pictavensis, dicentes quod abbas arte simili magistrum Petrum[7] aggressus erat. Sed ille sedis apostolice non habuerat copiam, que consuevit machinationes huiusmodi reprobare et de manu potentioris eruere pauperem. Suspicabantur enim aut se suspicari simulabant, quod abbas in partem suam allicere et post se trahere vellet Gallicanam et Anglicanam[f] ecclesiam[8], contra quarum subscriptiones salubriter nichil diffinire posset apostolica sedes in eo presertim loco et tempore constituta, nec magistrum Gislebertum posset sine seditione absolvere condempnantibus illis. Non fuit unus cardinalium, quod meminerim, preter Albericum sancte recordationis episcopum Hostiensem[9], qui non animo et opera et diligentia adversaretur abbati, et quod falso dictum puto, abbatem Sancti Dionisii, qui vices habebat regis in Francia, et viros in ecclesia potentissimos, dicebant ad hoc fuisse convocatos, ut apostolica sedes metu scismatis cogeretur abbatem sequi.

a) Quō *cod.* b) anselłei *cod.* c) *add. cod.* ṣi. d) universal' *cod.* e) *prius* luduñ, *alia manu mutatum in* ludoñ *cod.* f) na *recentiori manu superadd. cod.*

1) postea a. 1162. factus ipse abbas Claraevallensis, antea abbas Igniacensis (*Igny* dioec. Remensis). Scribebat libellum contra capitula Gilberti edit. inter Opp. S. Bernardi 1719. II, 1342—1355, et epistolam ad Albinum cardin. et episcop. Albanensem de condemnatione errorum Gilberti in concilio Rhemensi, e. l. p. 1336—1341. V. quoque infra. 2) Obiit a. 1117. Iul. 15. Cf. Auctarium Laudunense a. 1117. M. G. SS. VI, 445. Contin. Praemonstratensis e. l. p. 448. Wibaldi epist. 167 (ap. Jaffé Bibl. I, 278). Hist. littér. de la France X, 170 sqq. 3) Cf. de eo Hist. littér. de la France X, 189 sqq. 4) Gilbertus Foliot, primum ep. Herefordensis 1149—1161, postea 1161—1187. Febr. 18. episcopus Londinensis. 5) archiepiscopus 1136—1141; cf. Wibaldi epist. 167 l. c. et Hist. littér. de la France XII, 72 sqq. 6) Westminster; Gislebertus Crispinus erat abbas ab a. 1082 usque ad a. 1117. Dec. 6; v. Monastic. Anglic. ed nov. I, 269. 7) Abaielardum. 8) De dissensione inter Romanam et Gallicanam ecclesias v. Otto Frisingensis de Gestis Friderici I. c. 57. 9) Obiit vel a. 1147. vel a. 1148. Vid. Gaufridi epistola ad Albinum, l. c. p. 1337, ubi haec leguntur: *Tulerat autem de medio Dominus anno ipso columnam grandem ecclesiae domnum Albericum Ostiensem, cum omni reverentia memorandum, qui legatione functus in Aquitaniam, super vita pariter et doctrina illius Gisleberti tanta didicerat, ut ipse sibi aliter quam oportuerat conscius, ab eiusdem Ostiensis episcopi ferventissimo zelo prae ceteris eiusdem temporis cardinalibus trepidaret. Nec defuere qui crederent, quod si advixisset idem vir, Pictaviensis ille, quae ausus est confiteri, praesente eo nullatenus praesumpsisset.*

Sed nec illum latere poterat cardinalium motus, qui preveniens alios, accessit ad domnum papam familiariter exhortans eum, ut zelum et animum virilem indueret in causa Domini, ne langor corporis Christi et fidei plaga deprehenderetur esse in capite. Exposuit quid crederet super articulis in questione propositis, et persuasit ut apostolicus eisdem passibus
*f. 103. graderetur. Erat enim vir potens in opere et sermone coram *Deo ut creditur, et ut publice notum est coram hominibus. Nam data sibi dicendi facultate, fere persuadebat semper desiderio suo. Erat autem certum, quod ei quidam cardinalium plurimum invidebant nec a detrectatione poterant continere.

10. Episcopus vero fretus auxilio et consilio cardinalium conflictum adiit confidenter, et de pluribus et a pluribus interrogatus, sic auctoritatibus et rationibus responsa muniebat, ut capi non potuerit in sermone. Contentio tamen protracta est, et quando conveniebatur acrius super re quam nolebat admittere, respondebat se non legisse quidem, sed se per omnia secuturum fidem et doctrinam apostolice sedis. Non memini tamen quempiam gloriatum ibi, se legisse quod ille non legerat. Tandem a curia digressi sunt; cardinalibus plerisque aliis dicentibus de episcopo, quod nunquam sic locutus est homo. Altera die cum domnus papa sederet in consistorio, iterato in propria persona super iam dictis capitulis
11 convenit episcopum et cuidam subdiacono curie, Henrico scilicet Pisano [11], precepit, ut quaternum legeret, in quo tociens dicti episcopi contineri dicebantur errores. Proclamavit ergo episcopus se debere non de alienis sed de operibus propriis conveniri, et neminem, nedum episcopum nisi confessum aut convictum ex causa criminis condempnandum. Dicebat se nec esse hereticum nec futurum, qui paratus erat et semper fuerat acquiescere veritati et apostolicam sequi doctrinam, hereticum namque facit non ignorantia veri sed mentis elatio contumatiam pariens et in contentionis et scismatis presumptionem [a] erumpens. In scolis et in ecclesiis palam mundo et [b] in occulto dicebat se [c] nichil esse locutum; se scripsisse in psalterium et in epistolas Pauli, et ex hiis, si ibi error est, satisfactioni obnoxium esse vel pene. Item in Boetium de Trinitate, et si ibi quid invenitur erroneum, suum esse professus est, et correctioni datur operandum [d]. De quaterno illo ait [e] nichil ad [f] se. Legit tamen subdiaconus, et in primo capitulo habebatur quod dampnandis nichil remittitur [g] in baptismo, nec habet in talibus efficatia sacramenti, sed est eis quasi balneum. Quo audito excanduit episcopus dicens domno pape: *Videte, pater, qualiter me tractetis, cum in infamiam meam in sacro consistorio vestro alieni recitantur errores* [h]. *Fateor me plures* [i] *habuisse discipulos, qui me quidem omnes audierunt, set* [k] *quidam minus intellexerunt, quod opinati sunt scripserunt de corde suo, non de spiritu meo. Inter hos fuerunt duo pre ceteris*
*f. 103'. *insignes *ex nota singularitatis, cerebrosus quidam qui adhuc moratur in Francia, et alius non minus cerebrosus qui transivit in Angliam. Illos et conformes eorum super hoc libello et similibus poteritis rectius convenire. Quid a me vultis amplius? Ego libellum istum cum auctore suo et omnes hereses que in eo scripte sunt anathematizo vobiscum, ut quisquis ille est cum aliis hereticis in die Domini morte dampnetur eterna, nisi penituerit et ad catholicam redierit fidem.* Clamaverunt cardinales et alii, hoc pro episcopo contra accusationem libri debere sufficere, iussitque domnus papa librum destrui, qui statim ab eodem subdiacono coram omnibus in minutas particulas cesus est et dispersus [12]. Sed quia multitudo laicorum aderat, ipse apostolicus ad excusationem episcopi Gallica utens lingua, dixit hoc non factum esse in iniuriam eius, quia liber illius non fuerat, quoniam ipse catholicus in omnibus inventus est et apostolice doctrine consentiens, utpote qui has et omnes alias hereses cum ecclesia Romana condempnat.

11 Tunc domnus papa conversus ad episcopum, convenit eum super quibusdam articulis qui in commento eius super Boetium de Trinitate dicuntur contineri, iubens ut liber

a) psūptonem *cod.* b) *sequitur* se *in cod.* c) *alia manu, recentissima quidem, linea transducta deletum in cod.* d) qum *cod.* e) *sic rad. corr. ex* aut *cod.* f) adeo *prius alia manu linea transducta del. cod.* g) remittur *cod.* h) erroros, *alia manu corr. cod.* i) *ultimae litterae in loco raso et alia manu scriptae sunt cod.* k) s3 *cōd.*

11) Vid. Gaufridi epistol. ad Albinum l. c. 1337: *domnus Henricus Pisanus, tunc Romanae ecclesiae subdiaconus, futurus postea Claravallensis monachus, et ex abbate Sancti Anastasii Sanctorum Nerei et Achillei presbyter cardinalis.* 12) Cf. Gaufridi epistol. ad Albinum l. c. p. 1339 c. 9: *Erant et alia, quae in scholis suis dicebatur auditoribus suis frequenter idem episcopus tradidisse, licet nos dissimularemus; pro multitudine tamen scholarium, qui testimonium perhibebant ab eo audivisse multoties, hae coram omnibus scissae et disceptae fuerunt chartae, quae dicebantur eius sententias continere: quin igne petito ad comburendum eas, dixerunt quidam sufficere si scinderentur.*

ille traderetur ei corrigendus. Dixit eciam[a] se rasurum, si quid ibi radendum fuerit, et immutaturum quod noverit immutandum. Cui episcopus: *Absit, domine, ut hunc laborem omni iure mihi debitum subeat alius. Iustum enim est, si ego peccavi scribendo, idem puniar in radendo, et erit mihi penitentie pars, si errores meos ipse delevero. Vos potius prescribite quid eradi oporteat, et ego mandatum vestrum sedulus adimplebo.* Cardinales et alii probaverunt responsum eius, clamantes undique nichil ulterius exigendum. Ergo domnus papa quatuor capitula, prout in camera abbatis, unde supra tetigimus, prenotata fuerant, et sicut abbas ibidem ad memoriam reducebat, exposuit, precipiens ut episcopus ad formam eorum librum corrigeret, et de cetero sicut doceret. Sunt autem in hunc concepta modum — fortassis de conscientia domni pape a domno Gaufrido[b] Autisiodorensi[c], qui postmodum Clarevallensis abbas a sancto Bernardo quartus effectus est[13] —:

[d]*Credimus*[e] *simplicem naturam divinitatis esse Deum*[f], *nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus et Deus divinitas*[g]. *Si*[h] *vero dicitur Deum sapiencia sapientem, magnitudine magnum, eternitate eternum, unitate unum, divinitate Deum esse, et alia huiusmodi; credimus non nisi ea sapiencia que est ipse Deus sapientem esse, non nisi ea magnitudine que est ipse Deus magnum*[i] *esse, non nisi ea eternitate que est ipse Deus*[i] *eternum esse, non nisi ea unitate*[k] **unum que est ipse Deus*[k], *non nisi ea divinitate Deum que ipse est*[l]. *Id est, se ipso sapientem, magnum, eternum, unum Deum.* *f. 104.

Cum de tribus personis loquimur, Patre, Filio[m], *Spiritu sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur, et e converso. Cum de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substanciam esse tres personas profitemur.*

Credimus solum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum eternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates vel unitates dicantur, et huiusmodi alia inesse[n] *Deo et esse ab eterno*[n], *que non sint Deus.*

Credimus ipsam divinitatem, sive substantiam divinam sive naturam dicas, incarnatam esse, sed in Filio.

Hiis episcopo consentiente, precepit domnus papa ut hiis adversa si in libro suo repperirentur corrigeret, inhibens ne retineretur ab aliquo iam exscriptus vel traderetur alicui exscribendus, antequam ad hanc formam corrigeretur[14]. Sed et hiis episcopo annuens, 14 absolutus est ab adversariorum impetitione et nota. Capitula autem superius posita non in concilio promulgata sunt, sed postea in palatio Tau[15], iam elapsis diebus quindecim a soluto concilio, commanentibus adhuc diversarum provinciarum archiepiscopis et episcopis, ad huius cause decisionem retentis. Unde eadem capitula, licet ea audierim, utpote qui presens aderam, publicari, tamen nec inter acta concilii, nec in domni Eugenii regesto

a) ecia *prius, linea in significans recentiori manu superaddita est cod.* b) G. *cod.* c) ant. *cod.* d) *Varietates lectionum secundum exemplar Gaufredi adiungere liceat.* e) *addit G.* et confidemur. f) Deum esse *G.* g) quin sit Deus divinitas, et divinitas Deus *G.* h) Sicubi *G.* i) magnum — Deus *alia coaeva quidem manu, et ut videtur correctoris, in inferiori margine add. cod.* k) unitate, quae est ipse Deus, unum esse *G.* l) est ipse *G.* m) *addit G.:* et. n) adesse Deo, quae sint ab aeterno *G.*

13) Haec articula a clero Gallico praesentata sunt papae, ut ipse Gaufridus in epist. ad Albinum l. c. p. 1341 cap. 13 diserte profitetur: *scriptura — mihi exhibita est, quam super eisdem capitulis ante annos paene quadraginta edideram cum ipso symbolo, quod domno papae et Romanae ecclesiae ex parte decem archiepiscoporum et omnium episcoporum paene, qui in illa adhuc die Remis inventi sunt cum abbatibus maximis atque plurimis, et magistris scholarum et subscriptis nominibus singulorum, per superius memoratas personas fuerat praesentatum.* Symbolum illud laudatum invenies eod. loco p. 1356, ubi hoc lemmate est instructum: *Symbolum fidei, quod adversus eadem capitula editum est a patribus decem provinciarum, cum episcopis et abbatibus plurimis, dictante reverendissimo abbate Claraevallis Bernardo.* 14) V. Gaufridi epistolam ad Albinum l. c. p. 1339 c. 8: *Ibidem domnus papa auctoritate apostolica, de assensu totius ecclesiae quae convenerat, capitula ipsa damnavit, districte praecipiens, ne eundem librum legere vel transscribere etiam sic reprobatum quis auderet, nisi prius eum Romana ecclesia correxisset. Cumque responderet episcopus: Ego corrigam ad arbitrium vestrum. Non vobis, ait, haec correctio committetur.* 15) Cf. Gaufridi epistola ad Albinum, apud Mabillon. Opp. S. Bernardi, edit. a. 1719. T. II. p. 1339: *Inde fuit quod in insigni palatio, cui nomen est Thau, ecclesia universa conveniens, et interrogatus episcopus Pictaviensis capitulis singulis libere renuntiavit.* De hoc palatio archiepiscopali vid. Dérodé-Géruzez, Observations sur les monuments et établissements publics de la ville de Reims, Reims 1827. p. 29. ubi haec leguntur: *On y remarquait la grande salle du Tau, ainsi nommée, parce qu'elle avait la forme de cette lettre grecque* T. *Sa longeur était de cent trente pieds, sur soixante-dix-neuf de largeur à la partie supérieure, et trente-cinq seulement à la partie inférieure; ce qui faisait lieu réellement deux salles dans une seule.*

potui repperire, sed in scriptis memorati Gaufridi repperi, qui postea abbas Igniacensis contra eundem episcopum, sed iam defunctum, scripsit librum eleganti quidem stilo, recte gratus universis, nisi videretur invehentis habere speciem et ex quacunque causa conceptam amaritudinem continere. Hoc tamen ad humanum non spectat examen, quia nemo novit penitus quid sit in homine, nisi spiritus qui in ipso est, et conscientiarum iudex, qui solus novit abscondita cordis. Hoc autem certum est quod contra episcopum sepe locutus est palam memoratus ille sanctissimus abbas, et post hanc examinationem pleraque scripsit in suggillationem eius et in epistolis et in libro de consideratione ad eundem Eugenium[16],
17 et in illa subtilissima et utilissima expositione canticorum[17], quam procul dubio per os eius dictavit Spiritus sanctus, sed non creditur scripsisse aliquid quod non fidei zelus et caritatis fervor expresserit.

12. Opinati vero sunt aliqui, episcopum non ea sinceritate incedere quam fatebatur, nec conscium esse humilitatis quam verbis pretendebat et gestu. Tunc enim sicut in tota
f. 104'. anteacta vita moderatissimus fuit, et quia ab adversantibus non potuit comprehendi, dicebatur a multis, quod astu et obscuritate verborum occultabat perfidiam, et religionem iudicis circumvenerat arte. Inter ipsum et[a] abbatem concordia inita est, et a plurimis sub discendi specie temptabatur, sed auctoritatibus quas habebat ad manum et maxime Hilarii omnium tendiculas evadebat. Memini me ipsum ex parte abbatis episcopum sollicitasse, quatinus convenirent in aliquo religioso loco sive in Pictavia, sive in Francia, sive in Burgundia, ubi episcopo visum esset, ut amice et sine omni contentione conferrent super dictis beati Hylarii; ille vero respondit iam satis esse quod huc usque contenderant, et abbatem, si plenam intelligentiam Hylarii affectaret, prius in disciplinis liberalibus et aliis predicendis plenius instrui oportere. Erant tamen ambo optime litterati et admodum eloquentes, sed dissimilibus studiis. Abbas enim, quod ex operibus[b] patet, predicator erat egregius, ut ei post beatum Gregorium neminem censeam conferendum, singulariter eleganti pollebat stilo, adeo divinis exercitatus in litteris, ut omnem materiam verbis propheticis[c] et apostolicis decentissime explicaret. Sua namque fecerat universa et vix nisi verbis autenticis nec in sermone communi nec in exhortationibus nec in epistolis conscribendis loqui noverat. Non memini me legisse auctorem qui poeticum illud tanta felicitate fuerit assecutus:

Horat. de A. P. 47 48.
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum.

Seculares vero litteras minus noverat, in quibus ut creditur episcopum nemo nostri temporis precedebat. Uterque ingenio perspicax et scripturis investigandis deditus, sed abbas negotiis expediendis exercitatior et efficatior. Et licet episcopus bibliothece superficiem non sic haberet ad manum, doctorum tamen verba, Hylarii dico, Ieronimi, Augustini et similium, sicut opinio communis est, familiarius noverat. Doctrina eius novis obscurior, sed provectis compendiosior et solidior videbatur. Utebatur, prout res exigebat, omnium adminiculo disciplinarum, in singulis quippe sciens auxiliis mutuis universa constare. Habebat enim connexas disciplinas easque theologie servire faciebat, et cohibebat omnium regulas infra proprii generis limitem. Sunt enim singule suis addicte generibus et statim ut alio traducte fuerint viciantur. Proprietates figurasque sermonum et in theologia tam philosophorum et oratorum quam poetarum declarabat exemplis. Quietus tardior, sed
*f. 105. questionum[d] stimulis provocatus et iniuriatus argutiis plenior et planior apparebat. *Velles semper esse commotum, ut ignee mentis te pariter illustraret et accenderet vigor. Utrumque in suis studiis multi conati sunt imitari, sed nec unus quod meminerim alterutrum assecutus est.

13. Fuit autem inter scolasticos etatis nostre doctores excellentissimus gratie predicator, et qui ceteris subtilius et fortius quociens inter legendum se locus ingerebat, impugnans hereses, edocebat a quibus articulis scripturarum eas eruere et tueri conati sint heresiarche, et que quibus originem dederint, et a quibus et qua ratione et quibus auctoritatibus fuerint condempnate. Unde non potuit non revocare ad animum, quod ipsum inurere nomine et nota heretici tanta sedulitate curaverant, qui inter ipsas hereses discernere

a) *deest cod.* b) opibus *cod.* c) pph'iticis *cod.* d) qōnū *cod.*

16) Inter Opera S. Bernardi a Mabillonio edita extat T. IV, 1—24. Gillebertum refutat L. V. c. 7. l. c. p. 21.

17) Sermones 86 S. Bernardi in Cantica complectitur Tom. III. Opp. Videas praesertim Serm. LXXX. l. c. p. 136.

nondum[a] videbantur edocti. Scripsit ergo postea contra illos alterum prologum in expositionem Boetii sui. In quo quosdam videlicet emulos suos asserit sic hereticorum vitare nomina, ut tamen errores eorum sequantur et doceant. Se vero dicebat non maiori sapientia vel gratia preditum quam apostolos et prophetas, qui licet in eis loqueretur Spiritus sanctus tamen aliis facti sunt odor vite in vitam et aliis odor mortis in mortem. (cf. 2 Cor. 2,16) Nam et Sabellius audiens in lege quoniam Deus unus est, evacuare nititur Trinitatem, et Arrius legens dictum esse a Domino: *Pater maior me est:* (Ev Ioh. 10, 28.) Filium suspicatur esse degenerem. Sic et singuli scripturas sacras inveniunt vasa mortis, non tamen quod ille venena habeant, sed illi corruptos et toxicatos afferunt sensus. Suo ergo vicio pereunt, nec est quod litteris ex sua perversitate non intellectis debeant imputare. Sibi dicebat fortasse similiter patribus provenisse, ut ingenia perversa et minus exercitata erraverint ex verbis eius, que, sicut ait familiarissimus beatus Hylarius, habere poterant et fidei conscientiam et fraudem paratam, adiciebat se coram simplicioribus ne scandalizarentur, verba posse mutare, sed de fide quam ei contulerat Spiritus sanctus nichil immutaturum. Nam sola mutatione verborum non relinquitur veritas, pro qua certum est scandala fideliter sustineri. Capitula vero superius posita fidei et doctrine sue non adversari protestabatur, si tamen sane fuerint intellecta. Neque enim absolutiora sunt verbo Dei dicentis per Moysen: *Audi, Israel. Deus tuus Deus unus est,* (cf. Deutor. 6, 4.) quod ut superius dictum est male acceptum Sabellianos obligavit dampnationi. Primo vero non se et alios catholicos aiebat percelli, sed fantasiastas, quales sunt antropomorfite et similes, qui divine simplicitati derogantes, Deum putant compositioni esse obnoxium, et formis* (*f. 105'.) vel substantialibus vel accidentalibus subiacere. *Sed me,* inquit, *non ita docuit apostolus nosse Deum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*[b]; (Iac. 1, 17.) *nec Hylarius dicens in libro nono de Trinitate: „Deus simplex religione nostra intelligendus est, pietate profitendus est, sensu vero non persequendus est sed adorandus, quia natura moderata et infirmis, nature infirme et potentis sacramentum intelligencie opinione non occupet.“ Non est itaque diversis composite divinitatis partibus, ut sit in eo aut post stuporem voluntas, aut post silentium sermo, aut post ocium opus, ut aut velle aliquid, nisi ad volendum motus sit, non putetur, aut loqui quid, nisi post silentium sonent verba, non possit, aut agere aliquid, nisi in opus exeat, non intelligatur. Non subiacet nature legibus, a quo legem omnis natura sortitur.* Item inquit: *Ne Deum suspicer partibus aut figuris aut quibuscunque formis obnoxium, me tum multi tam nostri quam gentiles, tum Ambrosius mellifluus ecclesie doctor instituit, qui in libro primo de Trinitate, capitulo sexto ait: „Deus nature simplicis est non coniuncte atque composite cui nichil accidat, sed solum quod divinum est in natura habeat sua, complens omnia nusquam ipse confusus, penetrans omnia nusquam ipse penetrandus, ubique totus eodemque tempore vel in celis vel in terris vel in novissimo maris presens, visu incomprehensibilis, fatu ininterpretabilis, sensu inestimabilis, fide sequendus, religione venerandus; ut quicquid religiosius sentiri potest, quicquid prestantius ad decorem, quicquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire.“* Congerebat et alia quibus refertus erat testimonia scripturarum, ut per ea divine simplicitatis astrueret veritatem. Secundum capitulum facit contra illos qui habita ratione personarum divine substantie distrahunt unitatem, vel qui contemplatione unius simplicis singularisque nature non minori vesania trinitatem confundunt personarum. Sed ecclesia catholica dicit anathema ei qui coniungit, et anathema ei qui dividit. Nam qui confundit cum Sabellio Patripassianus aut Euticianus est, et qui dividit, Arrium aut Nestorium vel similes imitatur. Porro viam iustorum inter Scillam dividentium et confundentium Caribdim dirigit Dominus, et qui ad alterutros transit, periculum dampnationis incurrit. Tercium vero capitulum in illos dicebat retorquendum, qui putant Deum extrinsecis more naturali[c] non indigere ut alienum quid a se sibi habeat coeternum. Sed ab ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia et que in celis et que in terra, omnis substantia, omnis forma substantie, vel proprietas vel accidens vel pars, omnis etiam compago partium. Et licet angeli legantur ante tempora extitisse, tamen ad coeternitatem aspirare non possunt[d], qui sicut omnia alia a Deo creati[e] *initium (*f. 106.) habuisse non dubitantur. Nichil ergo est in toto[f] nature regno, sive substantia sive accidens sit, quod eternum recte dicatur, sed solus ille qui ipsi nature presidens creavit omnia, disponit et continet. Sequens tamen Augustinum et quosdam alios doctores usque in novissimum

a) nundum *cod.* b) nec u. o. *codex, quod sic explicandum esse, docet Iac.* 1, 17. c) more nat *litterae in loco raso a manu correctoris scriptae sunt cod.* d) p̊ſſ̄ *cod.* e) *sequitur in cod.* uici. f) *sic ead. manu superscrib. corr. ex* tota *cod.*

diem vite rationes quasdam esse docuit sempiternas, ut nec habuerint initium nec finem habiture sint, tanta quidem veritatis necessitate subnixe, ut etsi totus mundus intereat, ille tamen nequeant interire. Hoc profecto et in Ypognosticon et in plerisque operibus suis astruit Augustinus, sed vario modo exponitur a diversis. Illi vero erat[a] indubium sive res sint sive res non sint, tamen verum esse et a Deo sciri substantiam esse si homo sit, et si margarita sit lapidem esse. Sed quod scibile est, non nichil esse fatebatur, eo quod scientia sit comprehensio veritatis existentium. Nam et philosophi sapientiam diffiniunt esse comprehensionem veritatis rerum que sunt, et sui immutabilem essentiam sortiuntur. Et sicut opinio in vanis fluctuat et vacillat, sic intelligentia que solius Dei est et admodum paucorum hominum, vera comprehendit et certa. Et quidem scientia esse non potest sine certo et solido fundamento veritatis, quam immediate, id est revelate, facie contemplatur opinio, vero incerta fluctuat, quia firmiter solide non innititur veritati, fides autem inter utramque, quia media gradiens opinionem quidem superat, quia certitudinem tenet; sed superatur a scientia, quia veritatem non conspicit facie revelata. Aliquid ergo est quod alius per scientiam, alius per fidem speculatur, quod anima naturaliter appetit, quod in eternitate Ev. Ioh. 17, 3 promittitur electis, et fidelibus salubriter speratur. *Vita*, inquit, *eterna est, ut cognoscant te verum Deum et quem misisti Iesum Christum*[b]. Tunc omnes articulos fidei et omnia oracula prophetarum que procul dubio plura sunt, contemplabimur et personarum in trinitate distinctionem et nature unitatem intuebimur sicuti est. Sed de illis plura pie credi et fideliter predicari possunt, ita quidem de singulis, quod de nullo aliorum nec de aliqua creatura, nec eis ceperunt ex tempore vel cum tempore convenire. Nam Patrem habere Filium Ev. Matth. 3, 17 coeternum et testimonium daturum Filio dicendo: *Hic est filius meus dilectus* etc., verum fuit antequam mundus esset. Alioquin ante mundi creationem non habuit Filium coeternum, aut[c] testimonium tale non erat daturus Filio. Similiter de Filio quod incarnandus, quod accepturus a Patre iudicium et celebraturus illud in forma hominis. De Spiritu, quod super Dominum in specie columbe, quod super apostolos in linguis igneis descensurus; alioquin hec ante mundum futura non fuerant; et in hunc modum plura sunt singularum propria *f. 106'. personarum que de eis pie creduntur et fideliter* predicantur. Que si quis propria, quia quodammodo complexa sunt, non esse contendat, meminerit proprie dici proprium, quod omni et soli et semper convenit, et quod cum eo cuius est, convertibilem habet consequentiam vel predicationem. Sic enim substantie proprium esse dicitur, quod cum sit unum et idem numero, secundum sui mutationem susceptibile est contrariorum. Quantitatis, ut secundum eam dicatur equale vel inequale. Relativorum, ut uno eorum definite cognito, definite cognoscatur et reliquum, et ut eis esse sit ad aliud se habere. Qualitatis, ut secundum eam dicatur aliquid simile vel dissimile. Et hec quidem et similia in speculatione naturalium propria assignantur, non impediente rationem proprii assignandi, complexorum natura sermonum. Similiter in ethicis proprium dicitur esse virtutis, ut habitum animi bene componat et in modum nature rationi faciat esse conformem. Iusticie, ut reddat unicuique quod suum est. In rationali[d] quoque facultate dicitur proprium esse nominis significare substantiam cum qualitate, verbi actionem vel passionem cum tempore, contradictoriarum, ut altera vera sit, altera falsa. Mathematicus etiam in materia sua simili ratione propria distinguit eorum de quibus tractat. Verbi gratia parium numerorum proprium est ut in partes equas[e] recipiant sectionem, inparis vero, ut in duas partes dividi nequeat Interdum vero, propositis rebus propria sua sermo coaptat in complexus, ut si dicas proprium hominis esse risibile, vel spiritus, rationale, si tamen ad nuncupationem angeli vel anime humane, nomen specie devocetur. Sed nichil refert complexus an incomplexus sermo, suum cuique proprium reddat. Dum tamen prorsus semper et soli conveniat, aut si non ea distinctione agitur, si conveniat vel prorsus vel soli vel semper. Theologia vero in assignandis propriis prefatas sequitur facultates, et nunc solis dictionibus nunc etiam orationibus ea designat. Dicitur enim Patris proprium generare, Filii generari, Spiritus sanctus procedere, et solis nominibus facta est assignatio. Si vero secundum Hylarium dicatur proprium Patris esse quod semper est pater, item Filii quod semper est filius, Spiritus sancti quod eternaliter a Patre procedit et Filio, sua singulis reddidit sermo

a) erāt *in loco raso manu correctoris script., qua etiam* o *super* u (vero) *add. est cod.* b) q. m. i. X̄. *cod.* c) *praecedit in cod.* at, *a correctore subpunctum.* d) li *manu correctoris in loco raso cod.* e) e *suprascriptum in loco raso recentiori manu cod.*

complexus. Sunt ergo ut dictum est plura singularum propria personarum, sunt quedam communia omnium, sunt aliqua duarum excepta tercia. Trium namque proprium est et commune ad invicem, unum Deum esse. Convenit enim omni et soli et semper, id est ab eterno. Creasse vero omnia proprium quidem est, nec tamen convenit ab eterno, sed ab initio creature. Patris autem et Filii, quod ab eis procedit Spiritus sanctus. Filii vero et Spiritus, quod a Patre eternaliter sunt. Patris autem et Spiritus, quod habent communem cum Filio deitatem, et quod ei erant secundum carnem* baptizando sensibile testimonium per- *f. 107. hibituri. Nichil istorum novum, quia universa hec temporis initium precesserunt. Cum vero in naturali facultate, item morali et rationali et matematica sit difficilis propriorum, sicut philosophis notum est, assignatio, in theologicis difficillima est. Quod quidem ex tribus causis certum est evenire, tum ex subtilitate et difficultate rerum, tum ex ingenii tarditate, tum ex defectu verborum. Non latuit hoc nec Platonem ethnicum cum dixit: *Quia opificem universitatis Deum tam est invenire difficile, quam inventum digne profari impossibile.* Nec mirum si de eis nequaquam digne loquimur, cum propriis ad hoc sermonibus careamus et nominibus et verbis alienis rerum temporalium et fragilium nos uti necessitas ipsa compellat. Sermones enim instituti sunt ea significare, que continentur in mente. Sed theologica dumtaxat fide, spe et caritate in mente sunt; alias autem, sicut apostolus ait, *superant omnem* cf. Phil. 4, 7. *sensum*[18]. Eis ergo proprie non conveniunt verba que sua sunt aliorum. Sed ne devotio muta sit, translatis utitur verbis, vel ad se excitandam, vel ut instruat parvulos suos, vel ut confundat et conterat inimicos. Docet hoc Boetius in libro de Trinitate dicens decem esse predicamenta, que predicantur de rebus omnibus, sed de Deo predicata mutantur, quia talia sunt predicata, qualia subiecta permiserint. Cum enim Deus dicitur magnus aut iustus et similia, non utique quantitas aut qualitas ut in naturalibus, sed substantia predicatur, immo que supra omnem substantiam est divina essentia, quam Greci, eo quod universa transcendat, rectius yperusiam dicunt. Exuuntur ergo sermones propriis significationibus, et cum hii, sicut ait Aristotiles, sint note earum passionum que sunt in anima, id est intellectum, res illas conantur ostendere, quas sine defectu suo aut nunquam aut raro percipit intellectus. Testatur hoc Hylarius libro primo de Trinitate dicens: *Extra significantiam sermonis est, extra sensus intentionem, extra intelligentie conceptionem; verborum significantiam rei ipsius natura consumit.* Et infra: *Perfecta scientia est sic Deum scire, ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem et incomprehensibilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est, et hiis officiis eloquendus.* Augustinus quoque hoc ipsum astruit, monens ut Deum intelligamus sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, et plura in hunc modum, quasi patenter dicat. Cum ventum fuerit ad invisibilia Dei conspicienda, a nature recedatur usu, abigantur fantasie creaturarum, tollatur rerum quas novimus imaginatio, et mens per[a] ea que facta sunt ad ea que facta non sunt erigatur, et affectus se ipsum in superiora extendens, quia non sufficit apprehendere, saltem suspendat* se et temporalia deserat mente. *f. 107'. Dum interim celestia penetrare non potest, hoc suspendium contemplativus eligit, nec abhorret, sed pocius delectatur, quociens ipsum gratia introducit, ut quomodo fieri potest videat, que ab eterno singularum in trinitate sint propria personarum. Spiritualis enim est, licet eum redarguat animalis fantasiasta, qui non didicit differentias et fines facultatum, et quod in fisicis rationabiliter, in mathematicis doctrinaliter, in theologicis intellectualiter versari oportet. Ipse enim in omnibus naturaliter credit esse versandum. Et cum audit formam Dei, quod tamen[b] apostolus dicit, et proprietates personarum, vel communes eis omnibus aut pluribus rationes, putat quod, sicut inest corpori color, cupiditas anime vel iusticia, sic Deus accidentibus informetur aut formis substantialibus, que ei existendi causa sint, ut ipse merito credatur non esse omnium causa. Si vero didicisset facultatum fines et theologicas rationes, rationis evectus beneficio in intelligentiam puriorem, fantasiis huiusmodi non serviret. Hec tercii capituli explanandi gratia secundum ipsum dixisse sufficiat, qui quasi fantasiastas redarguebat eos qui theologicarum ignari rationum, ipsum conati sunt infamare.

14. Quartum vero Patripassianos et corrupticolas, itemque Manicheos arguit, aut nichil agit aut inducit errorem. Nam qui eundem credit Patrem, Filium et Spiritum sanctum, divinam naturam in solo Filio audiat incarnatam. Qui vero Filium putat Deum esse, non veritate

a) *litterae* ēs *per manu correctoris in loco raso scriptae sunt cod.* b) ta|m *cod.*

18) In epistola legitur: *Et pax Dei quae exuperat omnem sensum.*

nature sed adoptione gratie, advertat ad quantam expressionem fidei fateatur ecclesia, quoniam ipsa divinitas incarnata est. Quod si filium Dei Deum non veram carnem sed fantasticam gestasse suspicatur, et sic illusisse hominibus, quos venerat illustrare, ipsam divinam substantiam incarnatam esse meminerit. Ceterum si horum[a] occasione verborum putat in Trinitate aliquid plus aut minus incarnatum esse quam Filium, error est. Apices enim sine crimine sunt, sensus in crimine. Et ut ait Hylarius: *Sensus non sermo fit crimen.* Expressio ergo verborum recte fidei intelligentiam non subvertit, eritque perinde accipiendum: deitas, divinitas aut divina essentia incarnata est; ac si verbis aliis diceretur. Filius, qui plenitudine divinitatis et veritate nature, non adoptione, Deus est, ille inquam incarnatus est. Nam plerumque vel ad errores evitandos, vel ad sensum inculcandum, et mentibus quodammodo profundius et fidelius intimandum, expressiones huiusmodi solere fieri explorate veritatis est. Apud Ezechielem, licet ratio compendii eadem ponere verba non permiserit, legitur
fol. 108. quia qualis consultor talis propheta eius. In liberalibus quoque traditur disciplinis, quia interdum fit solutio ut ad hominem, interdum ut ad orationem, et quod vehementer instanti resistendum est vehementer, et vehementer resistenti vehementer instandum. Hinc est quod doctores ecclesie habita ratione personarum cum quibus agitur sepe non[b] nulla proponunt, que si alia dicerentur fidei viderentur adversa. Si Auxentius Arrianus Christum de Maria natum predicet sustinuisse esuriem et sitisse, passum et mortuum, ei beatus Hylarius adversatur. Si Fotinus cum eodem asserat Christum timuisse et fuisse tristatum aut sustinuisse aculeos, Hylarius contradicit, non quod fidei hoc habenti se statuat adversarium, sed quod verbis catholicis in ore talium sentit subesse perfidiam. Non enim predicant hec ut humane nature doceant veritatem, sed ut divinitatem adimentes, Christum creaturam esse convincant et subiciant tam necessitati quam vanitati. Unde Hylarius in libro de synodis:
Iohan. 1, 1. *Non audio: „Christus ex Maria natus est“; nisi audiam: „In principio erat verbum et Deus erat*
Matth 4, 4. *verbum.“ Non audiam: „Christus esurivit“, nisi audiam post* 40 *dierum ieiunium: „Non in solo*
Ioh. 4, 13. *pane vivit homo“, et cetera. Non audiam: „Sitivit“, nisi audiam: „Qui biberit ex aqua quam de-*
cf. Iohan 12, 3. *dero, non sitiet in eternum“. Non audiam: „Passus est“, nisi audiam: „Nunc est hora ut filius*
cf. Rom. 14, 9. *hominis clarificetur“. Non audiam: „Mortuus est“, nisi audiam: „Resurrexit“. Nichil solitarium ex divinis sacramentis ad suspitionem audientium et ad occasionem blasphemantium proferamus.* Idem de Trinitate libro decimo: *Si in passione Christi necessitas est et non salutis tue donum, si in cruce dolor compungendi est et non decreti, quod in te mors est scripta confixio, si in morte vis mortis est et non per potestatem Dei carnis exuvie sunt, si denique mors ipsa aliud est quam potentatuum dehonestatio, quam fiducia, quam triumphus, ascribe infirmitatem, si ibi necessitas est et natura, si ibi est vis et diffidencia et dedecus.* Patet ergo, quia necessitatem negat, ut miserationis et voluntatis edoceat sacramentum, nec inficiatur quod honorat quod amplectitur et adorat in Christo; sed occurrit perfidie, propulsat errores. Hic tamen loquendi modus incautos plerumque decipit non advertentes quid simpliciter enunciatum sit, quid modaliter
Ioh. 8, 15. licet tacito predicamenti modo. Nam cum Christus in euangelio dicat: *Ego non iudico quemquam,* error erit in intellectu, nisi modus ante positus repetatur, videlicet secundum faciem. Quod qui non advertit, in lectione scripturarum non poterit non errare. Necesse est ergo,
fol. 108'. ut ad causam dicendi recurratur, quoniam ut in secundo de Trinitate ait Hylarius, omne dictum ut dicatur, ex causa est, et dicti ratio[c] ex sensu erit intelligenda dicendi.

15. Hec, amicorum karissime, diffusius fortasse quam ratio propositi exigebat prosecutus sum, tum ut hominem plenius noveris[d] quem te vidisse gaudes et doles non audisse, tum ut tue satisfacerem voluntati, edisserens intelligentiam quam prefatus episcopus in supra positis credebatur habere capitulis. Superest ut ad pontificalem redeamus hystoriam. Cum patres ergo qui huius verbi occasione detenti fuerant, dimitterentur ad propria, dom-
1148. Apr. ex. nus papa versus Italiam direxit iter, causam episcoporum Anglie domno Theobaldo Cantuariensi committens. Qui cum applicuisset, occurrerunt ei nuncii regis ipsi archiepiscopo fidelitate astricti, Ricardus de Luci et Guillelmus Martellus et alii, denunciantes ei ut festinanter egrederetur de terra, quia contra prohibitionem regis ad concilium venire presumpserat. Confiscata sunt bona eius, et secundo proscriptus est pro obediencia Romane
1141. Mart. ecclesie. Nam et alia vice propter obedienciam sedis apostolice proscriptus fuerat, quando urgente mandato domni Henrici Wintoniensis[e] episcopi tunc legatione fungentis in Anglia,

a) *manu correctoris in loco raso cod.* b) n̄ *manu correctoris in loco raso cod.* c) *addit cod.* en, *quod recentiori manu subpunctum est.* d) noverit *cod.* e) W'int. *cod.*

post alios episcopos omnes receperat imperatricem[19]. Sed neque in hac[a] proscriptione, neque in priori, licet inimicissimos habuerit regem et consiliarios suos, aliquis amicorum vel fidelium archiepiscopi proscriptus aut exulare coactus est, nec eciam illi qui maluerunt coexulare domino suo quam in patria remanere. Exilii molestias et dampna proscriptionis solus archiepiscopus sensit. Liberum erat amicis pro libitu transire ad ipsum, et redire in patriam, et, si voluissent, in sublevandis necessitatibus afferre solatium; sed ipse pro sorte que communis est omnibus desolatis, in paucissimis repperit fidem et sepe expertus est verum esse proverbium, quia:

Nulla fides umquam miseros elegit amicos. Luc. Phars. VIII, 535.

Mansit interim apud Sanctum Audomarum[20], carus omnibus pro honestate morum, pro reverentia dignitatis, sed maxime quia dulcis affatu, pius in pauperes, unicum videbatur benignitatis et liberalitatis exemplum.

16. Recedentem ab urbe Remensi domnum papam multa supplicatione prosecuti sunt tam prenominatus venerabilis abbas et universa congregatio Clarevallis[b, 21], quam totus ordo Cistercii, quatinus domnum Philippum qui Turonensem ecclesiam occupaverat et depositus erat ab ordine presbiteratus, quia ordinatus fuerat et consecratus a Petro Leonis, restitueret ad presbiterii gradum. Nam in transitu*, quia monachus illius ordinis *f. 109. fuerat, ab eis apostolicus licentiam decrevit accipere. Sed neque[c] tunc neque alia vice, quando omnes Clarevallenses ei prostrati supplicaverunt, potuit optineri. Nam quamvis eis aures quasi propicias apperiret, negocium tamen reiciebat in cardinales. Illi vero hoc impossibile esse dicentes opponebant constitutionem[22] domni Innocentii de perpetua dampnatione eorum qui ordinati fuerant a Petro Leonis, et ipsius Eugenii decretum, quod in concilio Remensi nuper fuerat promulgatum. Dicebant etiam ipsum ceteris errasse deterius, qui sciens et prudens ambitione tractus se precipitavit in scismatis[d] crimen et Rome in ecclesia beati Petri armatam miliciam non timuit exercere. Referebant enim quod consecrationem ab Innocentio petiit, et quia repulsus est, se transtulit ad Petrum dicens in audiencia multorum:

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo. Virg. Aen. VII, 312.

17.[e] Morinorum[23] sanctus episcopus Milo missus in Angliam ad petitionem Gaufridi comitis Andegavorum, ut regem super periurio et regni occupatione conveniret et ducatu Normannie, quem invaserat, hoc retulit responsum, quod rex utrumque honorem et iure suo et ecclesie Romane auctoritate adeptus erat, nec refugerat stare iudicio apostolice sedis, quando eum comes violenter ducatu spoliavit et parte regni. Quibus non restitutis, non debebat subire iudicium. Sed si ei fieret restitutio, iuri libenter obtemperaret. Comes vero edoctus spem precio non emendam, et quia meminerat se audisse a domno Gisleberto cardinali Sancti Marci regna debere non actionibus sed gladiis vendicari, dimicare maluit quam contendere, veritus perfidiam regis et avariciam et versuciam Romanorum, et quia certus erat se Romanam ecclesiam offendisse, quod nec domnum papam nec aliquem legatum passus erat ingredi terram suam.

18.[f] Cum itaque causa[f*] tantorum principum que in consistorio sperabatur, domnum papam non retardaret, Italiam ingressus est, et ideo, prout ab aliquibus dicebatur, festinancius[g], quia iam audierat christianorum exercitus in Oriente esse confectos. Nolebat enim 1148. Iun. in tanta tristicia Francorum et Alemannorum manere inter illos, licet in Francia posset esse tutissimus. Invenerunt eum apud Brixiam[24] nuntii domni Cantuariensis, et exposita causa facile optinuerunt, ut redirent compotes voti. Eis tamen adversabantur quatenus audebant cardinales, Octavianus[25] et Guido Cremensis[26], gloriantes se cognatos esse regis Anglorum, eo quod avia eius Lumbarda fuerit. Guido quoque de Summa[27] favore domni Winto-

a) ha *cod.* b) Clauallis *cod., litterae* re *manu fortasse saec. XVII super additae sunt cod.* c) n3 *cod.* d) scismaticis *cod., sed litterae* ti *statim subpunctae sunt.* e) XVIII. *cod.* f) XIX *rubro colore sicut praecedens capitulum indicatur, recentissima manus s. XVII in margine scripsit* XVIII. *cod.* f*) causam *c.* g) festinam' *cod. sed recentiori manu superscrib. corr.*

19) Mathildem, relictam Heinrici V. imperatoris, tunc uxorem Godefridi de Anjou; cf. praesertim Willelmi Malmesbur. Hist. Novell. Lib. II. ap. Savile p. 105' et Ioh. Hagustald. ap. Twysden p. 269. 20) Cf. Gervasius Dorobern. ap. Twysden II, 1364. 21) 1148 Apr. 24—26. papa apud Claramvallem moratus est; vide quoque Vitam S. Bernardi auct. Ernaldo II. cap. 8; Opp. S. Bern. ed. Mabill. VI, 213. 22) in concilio Lateranensi a. 1139 Apr. 4; cf. Mansi XXI, 541 sqq. §. 30. 23) Terouanne, Milo I. 1131—1158. Iul. 16. 24) Papa moratus est Brixiae inde ab Iul. 9. usque ad Sept. 8. 25) diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano. 26) postea Paschalis III. antipapa. 27) scil. eis adversabatur.

*f. 109'. niensis modestius *tamen, sed prevaluit veritas et apostolici fides. Scripsit enim tocius Anglie episcopis et communiter et sigillatim, ut commonerent regem, quatinus omni occasione et dilatione seposita archiepiscopo omnia ablata restitueret et de iniuriis condigne satisfaceret. Et nisi obtemperaret monitis in virtute obediencie, precepit, ut in continenti et cessante omni appellatione terram eius sub interdicto concluderent eique denunciarent, quod domnus papa ipsum erat excommunicaturus ex nomine in proximo festo sancti Michaelis. Scripsit etiam episcopis et principibus regni Francorum, rogans ut archiepiscopum iuvarent in oportunitatibus suis. Preterea iussit ut omnes qui de provincia Cantuariensi sunt, archiepiscopo irrefragabiliter obedirent et venirent ad vocationem eius, tamquam esset in sede sua. Sed episcopi fere omnes facti sunt ei in arcum pravum[28], qui erant in regis potestate, et clerus obedientie quietem pretulit. Alii namque subterfugiebant, ut absentibus nichil precipi posset, alii sua et amicorum pericula et ecclesiarum dampna et iustum quasi imminentis scismatis metum metuebant[a]. Verum primo omnium crimen inobedientie incurrerunt Lundonienses[b], confugientes ad appellationem, cum tamen in litteris apostolicis esset inhibita appellatio. Fecerant hoc iam alia vice, quando episcopus eorum bone memorie Robertus[29] expulsus est[30], cui hanc exhibuere devocionem, ut omni diligentia procurarent, ne patri exulanti in aliquo prodessent. Horum signifer et in hac et in illa causa fuit Guillelmus archidiaconus cum gente eorum, qui a Bellomanso[30*] traxere cognomen. Cantuariensis episcopatus solus paruit interdicto, excepto tamen monasterio sancti Augustini, in quo monachi presumpserunt celebrare divina. Archiepiscopus vero tantam temeritatem non habuit impunitam, sed capita presumptionis Silvestrum[31] priorem, qui postea ibidem abbas fuit, et Guillelmum sacristam, qui nunc prior est, excommunicavit ex nomine et complices eorum. Hugonem vero abbatem[32] eorum precepit ab excommunicatorum participatione recedere, qui satis humiliter paruit, recolens se ad obediendum Cantuariensibus archiepiscopis ex professione teneri. Hoc enim publice fatebatur et domno pape scripto suo testatus est, manens in insula cui Tenedos[33] nomen est, et excommunicatos evitans usque ad exitum cause. Iterato itaque partes ad ecclesiam Romanam nuntios transmiserunt[34], sed archiepiscopus vicit. Confirmavit enim domnus papa sententiam anathematis latam
f. 110. in monachos, et eos archiepiscopo prestita satisfactione absolvendos commisit, precipiens, ut tam diu cessarent a divinis quam diu post interdictum celebrare presumpserant[35].

1147. 19. Electus est interea Gillebertus Claudiocestrensis[36] abbas ad episcopatum Herefordensem, consilio et voluntate archiepiscopi Cantuariensis. Placuitque satis duci Normannorum, qui modo rex est[37], et in cuius potestate tunc erat episcopatus electio propter personam. Sed tamen assensum dare vel regalia reddere noluit, antequam electus se fide corporaliter prestita obligaret ad faciendam[c] ei fidelitatem infra mensem post consecrationem, et quod[d] fidelitatem non faceret regi Stephano, quem tota Anglicana ecclesia sequebatur ex constitutione ecclesie Romane. Licet enim proceres divisi diversos principes sequerentur, unum tamen habebat ecclesia. Cum vero[e] ad archiepiscopum consecrationis gracia pervenisset, preceptum est episcopis, qui ad hoc evocati presentes erant, Roberto videlicet Lundoniensi, Iocelino Saresberiensi[38] et Hylario Cicestrensi[39], auctoritate domni pape, quatinus archiepiscopo cooperarentur in consecratione fratris sui. At illi pretendentes quod fidelitatem fecerant regi, et erat contra consuetudines antiquas, ut aliquis consecraretur extra regnum, presertim sine assensu regis, et qui ei fidelitatem non fecerit, obedire noluerunt. Archiepiscopus tamen nichilominus processit in consecratione, assistentibus et cooperantibus ei in ecclesia beati Audomari[40] Nicholao Cameracensi, Milone Morinensi et aliis episcopis de regno Francorum, ex mandato domni pape. In euuangelio sententia hec pro-
cf. Ev. Matth. 26, 40. nostica inventa est: *Dormis? non potuisti una hora vigilare mecum,* quod ideo nonnulli recte contigisse suspicati sunt, quia in Angliam rediens, regi Stephano contra obligationem qua

a) *deest cod.* b) *sic a correctore corr. ex* lundun. *cod.* c) faciendē *cod.* d) *recentissima manu superadd. cod.* e) ūa *prius, a correctore radendo et superscrib. corr. cod.*

28) Cf. Psalm. 77, 57. 29) Erat episcopus ab a. 1141—1151. 30) ut videtur a. 1142. 30*) Beaumes. 31) Abbas factus est a. 1151, quando decesserit non constat. 32) Hugo de Trottiscleve, abbas 1124—1151. 33) Thanet insula. 34) V. Gervas. Dorob. l. c. p. 1364. 35) V. bullas papae datas Hugoni abbati d. 18. m. Ianuarii a. 1149, et Theobaldo archiep. apud Twysden l. c. II. p. 1808 et 1809. 36) Gloucester; abbas consecratus est a. 1139, 3. Idus Ionii; a. 1163 episcopus Londinensis effectus est. 37) Heinrico II, 1154. Dec. 8. — 1189. Iul. 6. 38) Salisbury. Quo anno electus sit incertum est, obiit a. 1184. 39) 1132—1173. 40) St. Omer.

duci tenebatur, fidelitatem fecit. Disponebat auctoritate archiepiscopi retinere abbatiam suam cum episcopatu. Sed monachi explorato consilio eius, Hamelinum[a][41], qui nunc est abbas, sibi per Symonem Wigornensem[42] episcopum fecerunt in abbatem festinantius bene- 1148. dici. Sept. 26. Dux autem audito, quod episcopus Herefordensis regi fidelitatem prestiterat iuramento sollempni, per litteras et per nuntios eum apud archiepiscopum impetiit de fide lesa, iurans quod eum nunquam esset episcopum habiturus, qui contra fidem publice et corporaliter prestitam venire nec timuit nec erubuit. Sed archiepiscopus tum minis tum blandiciis placavit ducem, persuadens ei quod episcopo non licuerat ecclesiam scindere ei subtrahendo fidelitatem, quem ecclesia Romana recipiebat ut principem.

20. Rex autem perseverabat in incepta malicia, fretus* quorundam episcoporum con- f. 110'. silio et spe concepta de aliquorum favore cardinalium, quos ad auram eruginosi marsupii trahi posse videbat in cuiusque turpitudinis cenum. Episcopi, quos evocabat interdum, pretendebant ad inobedientie patrocinium, quod eis sine licentia regis exitus non patebat. Ecclesia Romana, quod[b] promittebat iugiter, differebat afferre subsidium. Unde habito consilio sapientum, Angliam ingressus est[43] receptusque cum summa devotione et reverentia a comite Hugone Bigoto, mansit in castro cui nomen est Framelingaham[44]. Illuc ad se convocabat episcopos, examinabat causas et in omni rigore suum explevit officium, donec sibi pax reformata est, et satisfactum de ablatis, et nove carte confecte de ecclesie privilegiis et dignitatibus observandis, et sic remeavit ad propria.

21. Domnus papa Cremone residens, convocatis Italie episcopis, concilium celebravit Iul. 7. iturus Romam. Nullus enim Italorum concilio Remensi interfuit, excepto Crassantino[c] episcopo Mantuano. Solent de presessione contendere Ravennas Ligurie et Mediolanensis metropolitanus Emilie[45]. Sed domnus papa eis loca velut a paribus provideri faciens, famosam de medio sustulit litem. Ibi proclamationes synodales proposite sunt. Mediolanensis enim Ianuensem archiepiscopum tamquam de iure suffraganeum suum vendicabat, Ravennas Placentinum; episcopus Maurianensis[46] adversus Mediolanensem questionem proposuit finium regundorum, rogans ut eum liceret egredi de cavernis montium, sicut decessoribus suis antiquitus licitum fuerat, et alii alias. Sed omnibus responsum est, quod proclamantibus in synodo Remensi, in utroque concilio decreta eadem promulgata sunt. Ceterum civitas Mutinensis in hoc ex culpa civium suorum condempnata est, ne de cetero proprium haberet episcopum[47], diocesis eius in quatuor vicinos episcopatus distributa est. Quia tamen sedis illius episcopus[48] inventus est innocens, ei relicta est dignitas episcopalis, ut ei liceret nullius urbis esse episcopum. Sed condempnatio hec non diu viguit, quia Mutina beneficio sedis apostolice in antiquam a multo tempore restituta est dignitatem. Et nescio[49] quo pacto plurime sententie domni Eugenii tam facile retractentur, nisi forte ex duabus acciderit causis. Hoc enim forte promeruit, quia decessorum sententias facile retractabat, nedum coepiscoporum, et quia in ferendis sentenciis spiritum proprium maxime sequebatur. Erat namque suspiciosissimus, ut vix alicui crederet, nisi in hiis que rerum experientia vel auctoritas perspicua suadebat. *Suspitionem vero ex duabus causis provenisse arbitror, tum *f. 111. ex infirmitate nature, tum quia conscius erat egritudinis laterum suorum. Sic enim assessores et consiliarios consueverat appellare. Hiis expletis domnus papa ad Urbem profectus est a magnatibus honorifice susceptus, qui aurum et argentum olfecerant Galliarum.

22. Revertentibus nunciis domni Cantuariensis et monachis Sancti Augustini, iam Cantuariensis ecclesie pace composita, coacti sunt predicti excommunicati Silvester prior et Willelmus sacrista sese cum litteris apostolicis archiepiscopo presentare, confiteri culpam, promittere satisfactionem, ut mererentur absolvi. Quo facto absoluti sunt apud Norfletam[50], verberati quidem prius ad ostium ecclesie scilicet in canonum disciplinam. In-

a) hamelinuọ *cod.; punctum et lineam corrector addidit.* b) *add. cod.* patebat, *recentissima manu puncta subposita sunt.* c) cranss. *cod., sed* n *subpunctum est, ut videtur manu correctoris.*

41) Abbas ab anno 1148. Sept. 26. usque ad a. 1178. Mart. 10. v. Mon. Angl. I, 532 sq. 42) Worcester. 43) scilicet archiepiscopus Cantuariensis Theobaldus. 44) Cf. Gervas. Dorob. l. c. p. 1364. Framlingham, in prov. Suffolk, ad fl. Ore. 45) Cf. Commemoratio superbiae Ravennatis episcopi M. G. SS. VIII, 12. Relatio de pace Veneta supra XIX, 462. 46) St. Jean de Maurienne, dioec. Viennensis. 47) Eugenius a. 1147 Mutinensem civitatem dignitate episcopali privavit, quod eius cives Nonantulam abbatiam contra pontificis auctoritatem vexassent. 48) Ribaldus, 1136–1154. 49) Cum iis quae Noster de Eugenii III. moribus protulit, conferantur verba Bernardi Claraevallensis in epist. 237. 50) Northfleet.

iuncta est eis penitentia, monasterium, quod in ecclesie luctu cecinerat, sub interdicto conclusum, ut in maiori ecclesia sua, quam prophanaverant, non liceret divina celebrare. Et quia centum nonaginta diebus extiterant sententie transgressores, totidem diebus suspensi sunt a divinis in basilica celebrandis[51]. Hanc enim eis ex mansuetudine fecit archiepiscopus gratiam, ut alibi missas licenter audirent. Construxerunt ergo altare in capitulo, ubi tanto tempore cantantibus aliis, ipsi in luctu et rubore divina celebrando se consolari potuerunt. Sic risus eorum transiit in merorem et obedientium tristicia in gaudium commutata est.

1148. April. 23.[52] Anno vero gratie 1149. venerat christianissimus rex Francorum fractis in Oriente viribus Antiochiam, ibique a principe Reimundo fratre Guillermi, bone memorie comitis Pictavensis[53], honorifice receptus est. Erat enim regine[54] patruus, et regi fidem, amorem et reverentiam debebat ex multis causis. Sed dum ibi morarentur ad naufragi exercitus reliquias consolandas, fovendas et reparandas, familiaritas principis ad reginam et assidua fere sine intermissione colloquia regi suspitionem dederunt. Que quidem ex eo magis invaluit, quod regina ibi voluit remanere rege preparante recessum, eamque princeps studuit retinere, si pace regis fieri potuisset. Cum vero rex eam inde properaret avellere, ipsa parentele mencionem[a] faciens, dixit illicitum esse ut diutius commanerent, quia inter eos cognatio in quarto gradu vertebatur et quinto. Hoc autem verbum, antequam recederent, auditum fuit in Francia, Bartholomeo bone memorie Laudunensi episcopo gradus cognationis computante — sed fida fuerit an infidelis supputatio incertum est — unde[b] rex plu- *f. 111'. rimum turbatus est[b]. Et *licet reginam affectu fere immoderato diligeret, tamen acquievisset eam dimittere, si consiliarii sui et Francorum proceres permisissent. Erat inter secretarios regis miles eunuchus, quem illa semper oderat et consueverat deridere, fidelis et familiarissimus regi, sicut et patri eius antea fuerat, Ericus scilicet Gualerancius. Is ei persuasit audentius, ne ipsam Antiochie morari diutius pateretur, tum quia cognato poterat nomine culpa tegi, tum quia regno Francorum perpetuum opprobrium imminebat, si inter cetera infortunia rex diceretur spoliatus coniuge vel relictus. Hoc ille, vel quia reginam oderat, Iun. vel quia sic sentiebat, divulgata fortasse motus opinione. Abstracta ergo coacta est cum rege Ierosolimam proficisci, et in cor utriusque vicissim altius ascenderat, et licet dissimularent ut poterant, manebat iniuria.

24. Preter incommoda, que dolo Constantinopolitani imperatoris et Turcorum viribus acciderant christianis, exercitum eorum debilitabat invidia principum et contentio sacerdotum. Teutones enim Francorum in rebus trans Hellespontum[c] gerendis usque adeo dedignati sunt habere consortium, ut rogati regem, qui eos prosequebatur aliquo dierum iti- 1147. nere interiecto, noluerint expectare. Respondentes nichil sibi cum Francis, nec se quempiam expectaturos, nisi capta Edissa quam venerant liberare. Procedentes ergo in impetu spiritus sui, primo in desertis locis inedia macerati sunt ut plurimi perirent, deinde confecti[d] a[e] paganis[55], transmissa legatione optinuerunt a rege christianissimo, ut eos expectaret[56]. Rex enim regem Conradum diligebat et venerabatur, et ipsius gaudebat habere consortium. Sed cum Francorum exercitus antea militari disciplina et iusticie rigore et peccatorum correctione caruerit, exinde nec spem habuit discipline, Arnulfus Lexoviensis[f] et Godefridus Lingonensis episcopi gloriantes se fungi in exercitu legatione sedis apostolice, cum tamen hanc non acceperint potestatem, adeo discordes erant, ut vix aut nunquam in aliquo consilio convenirent. Quicquid predicabat[g] unus, alter depredicabat, ambo facundi,

a) mansionem *cod.* b) unde — est *a correctore in inferiori marg. suppleta cod.* c) bellespontum *cod.* d) *prius* confecta *radendo corr. cod.* e) *in margine cod. suppletum, alia manu, correctoris ut videtur.* f) lexoniensis *cod.* g) peadicabat *cod. a corr. subp.*

51) Cf. Gervas. Dorob. l. c. p. 1366: *Coeperunt igitur a divinis cessare et a pulsatione signorum ebdomada secunda quadragesimae, et siluerunt a quarto Idus Martii* (Mart. 12.) *usque ad Kal. Augusti.* 52) Hoc capitulum exscripsit Guillelmus de Nangis apud d'Achery Spicil. III. p. 8. 53) Obiit Wilhelmus VIII. comes Pictaviensis a. 1137. Apr. 9. 54) Alienoris filiae Wilhelmi VIII, cuius reginae libidines popularium cantilenis celebrabantur; v. des Minnesangs Frühling hrsg. v. Lachmann und Haupt, Leipzig 1857, p. 3; v. quoque Wilhelm. Neubrig. ed. Hamilton T. I. l. 1. c. 31: *Illa maxime moribus regiis offensa, et causante se monacho, non regi nupsisse.* 55) prope Dorylaeum a. 1147. Oct. 26. Sed vid. epistolam Conradi III. ad Wibaldum N. 80. l. l. p. 153: *Cum vero ad mare venissemus et castra metati fuissemus, in maxima tempestate, non expectans serenitatem pre gaudio, rex Francorum ad tentoria nostra nobis nescientibus supervenit, dolens quidem exercitum nostrum fame et labore attritum, de societate autem nostra non parvum habens gaudium.* 56) V. Wilh. Tyr. XVI, 23: *rogantes ut occurrat obviam subsequenti.*

ambo sumptuosi, ambo ut creditur discordie incentores et expertes timoris Domini. sed consiliosior et magnanimior Lingonensis. Exercitui et publice rei christianorum rarus aut nullus fuit hiis perniciosior. Habebat uterque populum qui sibi crederet, et ab egrotantibus et morientibus, quos visitabant et absolvebant vice domni pape, quam se habere iactitabant, multam accipiebant peccuniam, ut plus* lucrati esse credantur in expeditione quam ibi de *fol. 112. proprio expendisse. Legati vero erant a domno papa missi Taduinus Portuensis episcopus, natione Teutonicus[57], et Guido presbiter cardinalis Sancti Grisogoni, genere Florentinus, viri quidem boni, sed tanto officio minus idonei. Tadewinus enim moribus et lingua dissonans, Francis barbarus habebatur, Guido vero linguam Francorum tenuiter noverat, et erat pro facultate liberalis, natura benignus, dulcis affatu et minimum habens de fastu Romano, sed litterarum amator et scrutator librorum, tumultus oderat, collocutionibus[a] delectabatur et questiunculas dyalecticas et philosophicas sepius et libentius agitabat. Horum ergo defectus magnam prefatis episcopis contulit auctoritatem, fuissentque revera perutiles, si coararent in Domino. Lingonensis[58] precipuam vendicabat auctoritatem, pretendens habitum religionis, ut qui prior Clarevallis extiterat et cuius consilio ille sanctus abbas[59] predicator huius expeditionis commiserat regem. Nec erat inter eos, qui magnanimitate prior haberetur. Lexoviensis[b, 60] autem nitebatur de eloquencia et industria negociorum, de titulo liberalitatis et nugis curialibus, quas sub facetiarum colore venustabat. Et quia Lingonensis erat impetuosior, ipsum deridebat dicens eum habere naturam Ciprici vini, quod in ore quidem dulce est sed occidit, si non aqua fuerit temperatum. Comes Flandrensium Thedericus[61] festinus erat[c] ad reditum, prout se Baldewino filio suo promisisse dicebat, et suadens hoc ipsum aliis — oderat Lingonensem eo quod ille semper grandia suadebat — et ut morarentur in terra, donec reparatis viribus fecissent aliquid Deo dignum et rege et regno Francorum et tantorum adventu procerum; Lexoviensis[d] vota comitis promovebat. Rex Conradus prefatum[e] comitem habebat familiarem, tum quia lingua Teutonum utebatur, tum quia militibus habundabat pre ceteris Francis, et regi milicia destituto sepe solatium faciebat. Ibi ergo adeo regis illius meruit gratiam, ut ei Cameracensis pagi tributum concederet, quod vulgato sermone gablum[62] dicunt. Cessit ergo Conradus in sententiam comitis Flandrensis, sed rex Francorum pronior erat ad moram. Et quia sepefatus comes se Baldewini filii[f] sui dicebat affectione trahi, et ita est ecclesie[g] Orientalis impedita utilitas, nutu Dei post breve tempus in Flandria idem obiit Baldewinus, unde ad Philippum natu posteriorem patris est devoluta successio.

25. Reges associatis sibi viribus regni Ierosolimitani, profecti sunt expugnare Damascum[63]. *gentiles obvios confecerunt et versos in fugam compulerunt ortos intrare. *f. 112'. Acriter ibi pugnatum est, nec fuit qui ea die[64] credatur manu fortius egisse rege Conrado. 1148. Iul. 24. Sed christiani magna virtute irrumpentes, subactis hostibus optinuerunt ortos. Impetum eorum nec famosa flumina Damasci Abbana[65] et Fasfar, nec ortorum munimina, nec hostium vigor, quin procederent usque ad muros, potuit cohibere. Ante urbem castra metati sunt, eamque essent ut procul dubio creditur habituri, si perstitissent diebus quindecim. Municipes enim iam conficiebat desperatio et admiratio fortitudinis eorum qui flumina transvadaverant, quos nec murorum nec armatorum presidia poterant impedire. Inclusi sine timore non audiebant exteriorum nomina potestatum. Et profecto nulla[h] umquam etate tante virtutis titulus deleretur, si tanta fuisset constantia perseverandi, quanta erat alacritas dimicandi. Sed eadem nocte regibus persuasum est quod civitas ab ea parte non poterat expugnari, quia inde erant turres et munimina tutiora, et quod a parte opposita, utpote munitionibus carente, facile capi posset. Die ergo sequenti avulsere tentoria, ut credebatur Iul. 28. in partem alteram transituri, sed in veritate reditus parabatur. Celebre est intervenisse proditionem[66] et circumventum esse christianissimum regem. Quod alii Templariis diu in-

a) coll'onibȝ *cod.* b) Lexoniensis *cod.* c) *deest cod.* d) lexoniensis *cod.* e) *prius* prefatus *radendo et suppl. a correctore corr. cod.* f) *recentissima manu in margine add. cod.* g) ecclesia *cod.* h) nl' *cod.*

57) Alamannus genere, v. Stälin Wirt. Gesch. I, 68. n. 1. 58) Godefridus. 59) Bernardus Clarevallensis. 60) Arnulfus. 61) Theodoricus Alsatiensis 1128—1167. 62) ex Saxonico ȝafol; v. Du Cange sub h. v. 62) De situ viciniisque Damasci copiose egit Wilh. Tyr. XIX, 3. De die obsidionis inceptae v. Jaffé Conrad III. p. 141. n. 67. 64) De die cf. Kugler Studien zur Geschichte des zweiten Kreuzzugs. 1866. p. 190 n. 31. 65) hodie Barada fl. 66) V. epistolam Conradi III. ad Wibaldum, ap. Jaffé Bibliothec. I, 225. Nr. 144: *Cum Damascum communi consilio venissemus et castra ante portam civitatis cum magno nostrorum*

posuerunt, alii vero hiis quos amor patrie revocabat. Sed rex fratres Templi semper studuit excusare[67]. Cum vero egressi in planiciem deliberarent quid fieri oporteret, qui revertebantur animo consuluerunt, ut quia imparati venerant ad moram obsidionis, redirent Ierusalem, alio tempore preparatis necessariis commodius reversuri. Rex Conradus approbavit consilium, dissuasit episcopus Lingonensis. Comes vero Flandrie contendere cepit cum episcopo habente fautores aliquos, et tandem conversus ad Conradum teutonice dixit ei, quod satis indignum erat sustineri ut temeritate illius presbiteri reprobaretur consilium, quod tanti principes dederant et ipse probaverat. Missus est ergo idem episcopus cum quadraginta militibus in speculam, ut exploraret accessum ab altera parte urbis, et sicubi prope flumen locus aptus castris inveniretur. Interim fautores consilii prioris regem Francorum traxerunt in partem, persuadentes ei, ut tum pro publica utilitate, tum pro reverencia regis Conradi acquiesceret ad presens, quia ei plus oportebat deferri, quam si pares haberet vires
*f. 113. Iul. 28. et eiusdem favoris esset *in terra cuius et ipse. Sic itaque flexus est, et omnes ad sua redierunt.

26. Rex Conradus militia destitutus[a] et minus favoris habens in terra, noluit remanere, nec ausus est reverti navigio, quia inter ipsum et Rogerum regem Siculum inimicitie vertebantur. Usus ergo consilio Rodberti principis Capuani, quem prefatus Siculus exheredaverat[b], profectus est Constantinopolim[68], et auxilio imperatoris tutus sine dispendio rediit
1149. in terram suam. Similiter et principes regni Francorum, sed navigio redierunt. Milicia sic defluxit urgente inopia, ut rex Francorum fere solus remanserit.

27. Domnus papa Urbem egressus est propter improbitatem Romanorum, qui ei et suis multas iniurias irrogabant. Nam ille prefecture maximus et antiquissimus[c] honor ab ecclesia, habens auctoritatem iurisdicendi usque ad centesimum lapidem et utens gladii potestate, ad inane nomen redactus erat. Senatores enim[d], quos populus propria creabat auctoritate, omnem in tota civitate reddendi iuris et exequendi occupaverant potestatem. Regalia beati Petri sue reipublice vendicabant, ut inde sustinerentur honera[e] civitatis. Patricium sibi creaverant Iordanum virum maximum in gente Leoniana. Chenchii Frangentispanem, cuius familia necessitatibus ecclesie semper astitit, palatium diruerant in iniuriam domni pape. Regalia tamen ea conditione se reddituros promittebant, ut ecclesia salarium senatoribus provideret et portaret onera civitatis, si ex ea vellet emolumenta perci-
Apr. Nov. pere. Tusculum[f] se receperat domnus papa, ubi conductis militibus decrevit infestare Romanos. Milicie prefecit cardinalem Guidonem[g] cognomento Puellam, de terra regis Siculi auxiliares recepit milites, sed infeliciter pugnabatur. Ecclesia namque fecit sumptus maximos et profectum minimum.

1149. 28. Anno gratie 1150. rediit[69] rex Francorum, sed redeunti galee imperatoris Constantinopolitani tetenderunt insidias, a quibus et regina capta est, et alii qui in eius vehebantur navi. Rex eciam conventus ut rediret ad fratrem suum et amicum Constantinopolitanum, et iam vis parabatur. Sed[h] ab adverso subvenientes galee regis Siculi[70], reginam liberaverunt et expedierunt regem et eos leti cum gloria et triumpho in Siciliam deduxerunt. Nam ut ita fieret, procuraverat Siculus rex timens insidias Danaorum, et desiderans oportunitatem exhibendi devotionem, quam habebat regi et regno Francorum. Occurrit ergo ei[71], et
*fol. 113'. Oct. 4. adductis equitaturis ad sufficientiam, *perduxit eum Panormiam[72] cum summo honore, et tam illum quam omnes suos multis donariis studuit honorare, et cum eo proficiscens, fecit

a) *in margine recentissima manu add. cod.* b) exheredauit *prius, a recentiori manu superadd. cod.* c) antiquitus *prius, recentiori manu mutatum cod.* d) *super lin. ead. manu add. cod.* e) hona *cod.* f) Tusculam *cod.* g) G'donem *cod.* h) si *cod., recentissima manu superscribendo corr. cod.*

discrimine locassemus et iam prope esset ut sine omni ambiguitate civitas caperetur, traditio, a quibus minime cavimus, in hunc modum facta est, quod ipsi in eo loco civitatem inexpugnabilem esse asserebant et ex industria in aliam partem, ubi nec aqua exercitui suppetebat nec accessus aliquis patebat, nos ducebant, et ita omnes in indignationem pariter et in dolorem conversi infecto negotio redierunt. V. copiosam dissertationem quam his de rebus instituit Kugler l. c. p. 196. n. 49. 67) Cf. Ludovici epistolas, Duchesne II, 512. Bouquet XV, 501 sqq. 68) Conradus die 8. m. Sept. reliquit terram sanctam, moratus est Constantinopoli inde ab m. Decembri ut videtur usque ad diem 2. m. Febr. 1149; cf. Otto Fris. Gesta Frid. I, 59. De causa discordiae inter regem et Rogerum v. epistolam regis inter Wibaldinas N. 243 l. c. p. 363 sqq. et epistolam Iohannis notarii N. 147 l. l. p. 228. 69) post pascha. 70) Rogeri. 71) apud Potentiam; cf. Ann. Cassin. supra XIX, 310. 72) Minime, rex ad Calabriae oras Iul. 29. naves appulit, reginam liberatam Panormum transductam esse constat.

ei per totam terram suam usque ad Ciparanum[a, 73] pro voto suorum necessaria ministrari. Hic est enim terminus et limes principatus Capuani et Campanie ad domni pape mensam pertinentis.

29. Cardinales et ministri ecclesie ibi occurrunt regi, et omnia providentes ad nutum, perduxerunt Tusculanum ad domnum papam. A quo tanta humanitate et devotione receptus est, ut non mortalem quempiam sed angelum Domini recipere videretur. Discordiam regis et regine, que Anthiochie concepta fuerat, auditis querelis utriusque seorsum omnino sedavit, prohibens ne de cetero consanguinitatis inter eos mentio haberetur, et confirmans matrimonium, tam verbo quam scripto sub anathematis interminatione inhibuit, ne quis illud impugnans[a*] audiretur, et ne quacunque solveretur occasione. Regi visa est placuisse plurimum constitutio, eo quod reginam vehementer amabat et fere puerili modo. Fecit eos in eodem lecto decumbere, quem de suo preciosissimis vestibus fecerat exornari, et singulis diebus illius morule familiari colloquio redintegrare studuit caritatem. Honoravit eos muneribus et tandem in eorum dimissione, quamvis esset homo severior, non potuit lacrimas continere. Et dimittens benedixit eis et regno Francorum, quod ab ipso meruerant super omnia regna mundi.

30. Non longe progressus est a Tusculano, cum ecce[b] senatores et nobiles Romani occurrerunt, se et Urbem exponentes obsequio eius. Et quo propius accedebat, eo crebrior erat salutantium turba. Dum loca sancta circuiret in Urbe, egredientes religiose mulieres et pueri applaudebant dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Comitati sunt eum Ev. Ioh. 12, 13. Gregorius Sancti Angeli et Iacinctus Scole Grece[74] diaconi cardinales et ministri domni pape a Ciparanno usque ad Aquam-pendentem, ut illi et comitatui suo necessaria ministrarent. Exinde auctore Domino prospere migravit in Franciam.

31. Thaduinus episcopus Portuensis obiit in Oriente[75]. Guido collega eius, cuius supra memini, Palestine et utriusque Phenicie legationem administrabat. Inter domnum papam et Romanos de pace tractabatur et ad alterutros hinc inde crebra legatio discurrebat. Sed pacem tum multa prepediebant, tum maxime quod eicere nolebant Ernaldum Brixiensem, qui honori urbis et rei publice Romanorum se dicebatur *obligasse prestito iuramento. Et ei *f. 114. populus Romanus vicissim auxilium et consilium contra omnes homines et nominatim contra domnum papam repromisit, eum[c] namque excommunicaverat ecclesia Romana[76] et tamquam hereticum preceperat evitari. Erat hic dignitate sacerdos, habitu canonicus regularis, et qui carnem suam indumentorum asperitate et inedia macerabat. Ingenio perspicax, pervicax in studio scripturarum, facundus eloquio et contemptus mundi vehemens predicator. Sed ut aiunt sediciosus erat, et auctor scismatis, et qui cives, ubicumque locorum degebat, cum clero pacem habere non sineret. Fuerat abbas apud Brixiam, et dum episcopus[77] Romam profectus aliquantulum moraretur, sic interim civium flexit animos, ut episcopum vix voluerint admittere redeuntem. Ob quam causam a domno Innocentio papa depositus et extrusus ab Italia, descendit in Franciam, et adhesit Petro Abaielardo, partesque eius cum domno Iacincto, qui nunc cardinalis[78] est, adversus abbatem Clarevallensem studiosius fovit. Postquam vero magister Petrus Cluniacum profectus est, 1140. Parisius manens in monte Sancte Genovefe, divinas litteras scolaribus exponebat apud Sanctum Hylarium, ubi iam dictus Petrus fuerat hospitatus. Sed auditores non habuit nisi pauperes et qui ostiatim elemosinas[d] publice mendicabant, unde cum magistro vitam transigerent. Dicebat que christianorum legi concordant plurimum et a vita quam plurimum dissonant. Episcopis non parcebat ob avariciam et turpem questum, et plerumque propter maculam vite, et quia ecclesiam Dei in sanguinibus edificare nituntur. Abbatem, cuius nomen ex multis meritis clarissimum habebatur, arguebat tamquam vane glorie sectatorem, et qui omnibus invideret, qui alicuius nominis erant in litteris aut religione, si non essent de scola sua. Optinuit ergo abbas, ut eum christianissimus rex eiceret de regno Francorum. Exinde post mortem domni Innocentii reversus est in Italiam, et promissa 1143. satisfactione et obediencia Romane ecclesie, a domno Eugenio receptus est apud Viterbum. Sept. 24. 1145.

a) ciparanū *prius, a correctore radendo corr. cod.* a*) *ita corrigo* impotens *cod.* P. b) *manu correctoris in loco raso cod.* c) *litterae* it eū *manu correctoris in loco raso scriptae sunt cod.* d) el'ias *cod.*

73) Ceperano. 74) i. e. S. Mariae in Cosmedin. 75) Minime, reversus est in Germaniam, v. Wibald. epist. n. 252. l. c. p. 377. 76) a. 1139. in concilio Lateranensi. 77) Brixiensis Meinfredus. 78) diaconus cardinalis S. Mariae in Cosmedin, inde ab anno 1145. inter cardinales nominatur.

Iniuncta est ei[a] penitentia, quam se in ieiuniis, vigiliis et orationibus circa loca sancta, que in Urbe sunt, professus est esse facturum. Et quidem de servanda obediencia sollempne prestitit iuramentum. Dum sub optentu penitentis Rome degeret, Urbem sibi conciliavit, et domno papa agente in Galliis liberius predicans, hominum sectam fecit, que adhuc dicitur heresis Lumbardorum. Habuit enim continentie sectatores, qui propter *f. 114'. honestatis speciem et austeritatem vite placebant populo, sed maximum* apud religiosas feminas inveniebant subsidium. Ipse frequenter in Capitolio et in publicis contionibus audiebatur. Iam palam cardinalibus detrahebat, dicens conventum eorum ex causa superbie et avaricie, ypocrisis et multimode turpitudinis[b] non esse ecclesiam Dei, sed domum negociationis et speluncam[c] latronum, qui scribarum et phariseorum vices exercent in populo christiano. Ipsum papam non esse, quod profitetur, apostolicum virum et animarum pastorem, sed virum sanguineum[d], qui incendiis et homicidiis prestat[e] auctoritatem, tortorem ecclesiarum, innocentie concussorem, qui nichil aliud facit in mundo, quam carnem pascere et suos replere loculos et exhaurire[f] alienos. Dicebat quod sic apostolicus est, ut non apostolorum doctrinam imitetur aut vitam, et ideo ei[g] obedientiam aut reverentiam non deberi. Preterea non esse homines admittendos, qui sedem imperii fontem libertatis Romam, mundi dominam, volebant subicere servituti.

32. Non ferens domnus papa vexationem Romanorum, Anagniam profectus est, de pace cum rege Siculo per nuncios tractaturus. Rex enim aliorum more tirannorum ecclesiam terre sue redegerat in servitutem, nec alicubi patiebatur electionem libere celebrari, sed prenominabat quem eligi oporteret, et ita de officiis ecclesiasticis sicut de palatii sui muneribus disponebat. Ob[h] hanc causam taliter electos inhibuit Romana ecclesia consecrari, adeo quod processerat inhibitio, ut pauce sedes propriis gauderent episcopis et fere in omnibus ecclesiis residebant viri a multis annis electi. Nam consecrationis oleum 1139. Iul. 22. defecit in terra eius, ex quo cepit Innocentium papam[i]. Preterea legatos ecclesie Romane non patiebatur intrare terram suam nisi a se vocatos, aut licentia ante impetrata destinatos, et eos tunc non ecclesie sed ipse propriis sumptibus exhibebat aut faciebat ab ecclesiis exhiberi. In ecclesiarum vero ordinationibus, a symonia que a manu est credebatur immunis, et probos undecumque essent in eas introducere gaudebat viros. Et si forte proscriptum aut exulem inveniebat episcopum, ei libenter subveniebat. Omnes advene aliquod inveniebant solatium in terra eius, nisi quod de regno Teutonicorum non facile aliquos ad obsequium admittebat. Gens enim suspecta erat, et barbariem eorum ferre non poterat. Electi ecclesiarum de conscientia regis serviebant Romane ecclesie, sed nullus eorum consecrationem poterat promereri. Optinuit ergo rex colloquium domni pape, et prope *f. 115. Ciparannum in terrarum confiniis accedens ad pedes eius, *liberas electiones concessit ecclesiis, et ut domnus papa iam factas electiones examinans, eas probaret aut improbaret pro libitu. Similiter et liberam ecclesiarum dispositionem, prout eas per se vel per legatos suos decreverit ordinare. Supplicavit ut domnus papa reciperet hominium suum et privilegia innovaret. Sed nec prece nec precio meruit exaudiri. Sic reformata pace inter ecclesiam et regem, amici ab invicem discesserunt. Ipse domno pape servivit et curie et eis terram suam exponens, se necessitatibus apostolice sedis promisit fideliter affuturum. Electorum plurimi consecrati sunt, et alii prout domno pape placuit reprobati. Sed in illis examinationibus tanta diligentia prestabatur, nec aliquos tam facile reprobabat, ut ecclesie innotesceret universis. Iurabatur sepe ab electoribus, quod mandatum regis[k], aut prenominatio per ipsum aut per suppositam facta personam, causam non dederat electioni. Electi vita, scientia, conditio et nativitas discuciebatur, et ab hiis qui admittebantur ad consecrationem nichil volebat recipere, nec de conscientia sua recipi paciebatur ab aliquo, conscientie prospiciens et fame. Verebatur enim ne versutus ille rex Siculus, qui ecclesie semper insidiabatur, qualemcumque[l] ex causa probabili haberet materiam detrahendi.

33. Consecrato Panormitano electo Hugone[79], qui a sede Capuana ad illam migraverat, institit rex per litteras et nuntios suos, ut ei daretur pallium et aliqui suffraganei assignarentur. Dicebant enim, sine pallio, cum quo officii traditur plenitudo, et sine

a) i *a correctore add. cod.* b) *huius vocis litterae* ĩpı *a correctore in loco raso scriptae sunt cod.* c) speluram *cod.* d) sanguinum *cod.* e) pz̄at *cod.* f) exharire *cod.* g) *a correctore supra lin. add. cod.* h) O *cod.* i) p̃p *cod.* k) reǵ *cod.* l) quel̄ēcumꝫ *cod.*

79) 1144 — c. 1161.

suffraganeis nomen archiepiscopi non constare. Sed non potuerunt[a] suffraganeos optinere, quia eos illa sedes numquam habuerat. Pallium vero concessum est secundum pristinum morem. Illis autem replicantibus, sine suffraganeis nullum esse collati pallii usum, respondit domnus papa, quia preter officium, quod in eo confertur archiepiscopis, solet quibusdam episcopis dari ad ostendendam suarum sedium dignitatem, quam certum est provenire ex tribus causis. Assertionem suam propositis iuvit exemplis. Episcoporum namque sedes, in quibus alicuius gentis primi predicatores resederunt, honore pallii redduntur insignes. Hinc est, quod domnus Papiensis utitur pallio propter beatum Sirum, qui Domino Ticinum acquisivit, alii vero quia ad illos pertinet primatum vel archiepiscoporum suorum consecratio, sicut Eduensis[80] et Lausennensis[b, 81]. Ostiensis quoque episcopus eo utitur in con- 80 secratione Romani pontificis, et postea in sollempnitate missarum, quod tamen non presumit[c], nisi fuerit apostolici consecrator; hoc est enim privilegium sedis eius. Tercii vero hoc recipiunt, quia principalibus aliquarum gentium civitatibus president, et freti privilegiis ecclesie* Romane principes in gente sua creare possunt. Dimissi sunt in verbo isto. *f. 115'.

34. Rex Siculus, audita ista[d] tercia clausula distinctionis huius, exhilaratus est, sumens inde[e] occasionem faciendi consecrari filium suum Guillelmum, Romano pontifice inconsulto. Quod ideo de iure non licebat, quia totam Sciciliam constat ad Romane ecclesie patrimonium pertinere. Rex tamen allegat hoc sibi negari non debere, quia cum ecclesia Dei Sarracenis impugnantibus Siciliam per multa secula amiserit, sua et antecessorum virtute restituta est fidei. Convocatis ergo archiepiscopis et episcopis Panormie in sollempnitate paschali, ab antistite Panormitano filium suum consecrari fecit in regem. Sol- 1151. Apr. 5. lempniter tamen ante consecrationem patre in audientia publica dictante[f] professus est, pacem[g] et iusticiam servari faceret in diebus suis[g], quod ecclesie Dei reverentiam exhiberet, et quod ipsi patri in tota vita servaret ut domino. Professionem vero prestito iuramento firmavit. Factum moleste tulit domnus papa, sed urgente malicia temporis non potuit vindicare.

35. Obeunte episcopo Belvacensi[82], substitutus est ei Henricus monachus Clarevallensis, eo quod erat frater regis Francorum. Sed et infra breve tempus inter ipsum et fratrem suum tanta discordia orta est, ut rex exercitu congregato delere Belvacum properaret, sed viri sapientes, Gauslenus Suessionensis episcopus[83] et Sigerius abbas Sancti Dionisii et precipue regina Adeleida, represserunt episcopi levitatem et composuerunt inter fratres. Episcopus eodem anno Romam profectus, domnum papam repperit Ferentini[84], a quo et honorifice tum pro reverentia regis, tum contemplatione ordinis Cisterciensis, tum gratia dignitatis et persone receptus est. Ibi familiarius admissus supplicavit, ut ei liceret honus episcopale deponere, an levitate animi, an fervore religionis, an conscientia defectus incertum est. Sed non est exauditus, vel quia credebatur habere zelum Dei, vel quia timebatur scandalum, et ne rediens ad[h] Claramvallem periret in difficultatibus quas ferre non poterat, aut causas induceret perniciosius in ordine dispensandi. Reversus in Franciam oblitus est, quid super hac re inter domnum papam et ipsum convenerit. Unde urgente scrupulo conscientie, rescribens consuluit domnum papam, quid facto opus esset et quid convenerit inter eos. Precepit ergo iterum domnus papa litteris propria, ne ad notariorum conscientiam perveniret, manu exaratis, quatinus iniunctum sibi cum omni sollicitudine procuraret officium, reducens ei ad memoriam, quod ipsum numquam absolverat, et delens scrupulum conscientie verbis consolatoriis mitigavit.

36. Nuntii regulorum et ecclesie Hiberniensis iam altera vice redierant, *ut legatum *f. 116. quem petierant optinerent. Decreverat domnus papa, in terra illa archiepiscopos quos nundum habuerat ordinare. Hoc procurabat diaconus cardinalis Iohannes Paparo, quando ei Stephanus rex Anglorum, ut supra dictum est, transitum denegavit. Electi sunt in curia promovendi, Rolandus in presbiterum ad titulum Sancti Marci, Girardus et Chenchius, qui postea fuit episcopus Portuensis, in diaconos, et de cardinalibus diaconis in presbiteros

a) potunt *cod.* b) *recentissima manu mutatum in* laudunensis *cod.* c) presumat *cod. a correctore corr.* d) *pallido atramento subpunct. in cod.* e) de *a correctore add. cod.* f) ditante *cod.* g) pacem — suis *a correctore in marg. add. cod.* h) a *cod*

80) seu Augustodunensis *(Autun)*. 81) an Lausanensis *(Lausanne)*? 82) Odone III; anno ut videtur 1149 obiit. 83) Obiit a. 1152. 9. Kal. Novembris. 84) ubi papa moratus est inde ab anno 1150. Nov. 23. usque ad annum 1151. Iun. 22.

Iohannes Paparo et Octovianus filius Iohannis Maledicti. Sed solus Paparo in virtute obedientie iussus ascendere renuit ordinari. Unde et domnus papa se ab illius communione suspendit, et eum de statione diaconorum comministrantium precepit exire, et sacras exuere vestes. Ille vero tanta confusione permotus, quia nobilis erat, se ad Urbem reversurum esse minatus est et inducturum Romanos, ut alium crearent papam, qui pacem reformaret[a]. Erat enim artifex in calliditatibus excogitandis, et post Gregorium Chenchium efficacissimus institutor Gregorii de Sancto Angelo. Cardinales ergo turbati Iohannem unanimiter convenerunt, ut a furore desistens rediret ad cor, et persuaserunt ei ut veniam imploraret, peteret sacerdocium, omnem pretenderet humilitatem. Dicentes indecens esse, ut diaconus benediceret archiepiscopis, et quod domnus papa legationem Hibernie non nisi presbitero daturus erat. Acquievit[b], et ordinatus in Mediana, intervenientibus amicis, subtractam recuperavit legationem, quatuor pallia in Hiberniam delaturus[85]. Sed proficiscens non ausus intrare Angliam, navem conscendit in Flandria, qua in Scotiam devectus est. Ibi regis[86] et gentis Scotorum sibi familiaritatem concilians, promisit se effecturum apud domnum papam et ecclesiam Romanam, ut episcopo Sancti Andree[87] daretur pallium, et ut sedes eius Scotorum, Orcadum et adiacentium insularum metropolis fieret. Licet enim[c] archiepiscopus Eboracensis a tempore domni Calisti eis secundum privilegiorum auctoritatem preesse[d] debeat, Scoti tamen ei obedire detrectant. Cantuariensi vero archiepiscopo sepenumero obedientiam obtulerunt, si acquievisset apostolica sedes. Progressus in Hiberniam Iohannes, duos ibi creavit archiepiscopos, concilium celebravit, constituit canones, qui et in terra illa et in archivis[e] apostolice sedis habentur, et ordinavit inter cetera ne abbatissa Sancte Brigide in conventibus publicis de cetero ante episcopos habeat presessionem. Solebant enim sedere pro pedibus eius.

37. Guido Florentinus legatione fungens in Oriente, sinodum convocavit. Antiochie *f. 116'. portis fere diebus singulis imminebant Sarraceni, omnem depopulantes provinciam, nec erat qui eis resistere prevaleret. Adeoque Domino permittente* manus eorum invaluit, ut postea Reimundum principem Antiochenum, de quo superius dictum est, in bello occiderint[88]. Non est relictus[f] defensor patrie preter patriarcham[89] et viduam[90] principis, que parvulum filium[91] nutriebat. Evocatus ergo ad concilium patriarcha, suam excusavit absentiam et denuntiavit omnibus suffraganeis, ne suas in tanto periculo desererent civitates, vel quia fortasse venire non poterat, vel, quod magis creditur, quia non volebat. Perspicuum tamen erat periculum. Tripolitanus electus, quia tunc illa sedes archiepiscopum non habebat, tum in aliis offenderat legatum, tum in eo maxime quod[g] preceptis eius et vocationibus patriarche mandatum pretulerat. Eum ergo in concilio suspendit legatus, et electionem eius evacuasset omnino, si non esset a procuratoribus ad sedem apostolicam appellatum. Ad curiam venit electus appellationem prosequens, et durius receptus est, quia eum prevenerant nuntii domni Guidonis. Afflictus est mora, et tandem cum eum instantis navigii necessitas redire compelleret, amaras hystorias preaudire coactus est. Exposita est in consistorio causa eius, qui pretulerat quantumlibet patriarcham legato Romane ecclesie. Lecta sunt tam in historiis principum quam in decretis et gestis conciliorum de primatu sedis apostolice privilegia multa et magnifesta in auribus electi stantis in conspectu omnium. Hiis actis, ait ad electum conversus domnus papa: *Frater, nunc ecclesie Romane iura cognoscis, vides meritum tuum et apostolice sedis iniuriam. Audisti quam sententiam dictent canones in similiter delinquentes. Superest ergo quod tibi ex mansuetudine sedis apostolice concedimus, ut causam tuam colligas in sinu tuo, et iudices iudicium tuum*[h]. Confusus[i] electus unum pre stupore verbum vix potuit respondere, et dicens: *Peccavi*, descendit de consessu episcoporum et humi inter novissimos voluit residere. Sed domnus papa ipsum redire precepit ad sedem suam, dicens quod ibi pocius debebat humiliari, ubi contra Romanam ecclesiam erexerat calcaneum suum. Dum sic electus quasi depositus haberetur a cunctis, et ipse nichil aliud expectaret, recedenti litteras tradidit legato deferendas, quibus precipiebat, ut electum ad omnia restitueret eumque in plenitudine gratie receptum

a) *sic alia recentiori manu corr. ex* confirmaret *cod.* b) acquevit *cod.* c) *sequebatur in codice* ac *sed a scriba ipso subpunctum est.* d) *sic a correctore corr. ex* pcisse *cod.* e) *sic a correctore corr. ex* achinis *cod.* f) *sic a correctore factum ex* electus *c.* g) pq *c.* h) *a correctore in loco raso script. c.* i) Con *a correctore in loco raso scriptum c.*

85) Cf. Chron. de Mailros ad a. 1151. 86) Davidis. 87) St. Andrews. 88) 1149. Iun. 29. 89) Almericum. 90) Constantiam. 91) Boemundum III.

preciperet consecrari. Electus tamen nesciebat an ferret litteras vite an mortis, domno papa sic omnia moderante, ut liceret sperare timenti et iustum esset sperantem tremere. Sociis vero navigii familiaribus legati, qui electum impugnaverant, alias tradidit, quibus arguebat eum indiscretionis et immoderationis, qui ecclesiam a Sarracenis supra modum vexatam *litigiis amplius vexare[a] presumpserat et sumptibus attenuare, ut non haberent *f. 117. tempus aut materiam resistendi. Precepit itaque, ut sub omni celeritate rediret.

37. Rex Conradus ad imperium aspirabat, et ob hanc causam tam ad ecclesiam quam ad Urbem destinaverat nuntios suos. Rogavit etiam domnum papam, quatinus a latere suo destinaret aliquos, quorum consilio regnum[b] disponeret, et qui vice sua causas ecclesiasticas diffinirent. Ad hoc missi sunt presbiteri cardinales, Iordanus Sancte Susanne et Octavianus Sancte Cecilie, moribus ut professione dissimiles, nisi quod uterque cupidus et in genere suo rapax. Iordanus enim sub pretextu Cartusiensis ordinis vilibus utens indumentis et severus alloquio et gestu, sumptibus quoque parcus avariciam palliabat, et quasi ex consortio cognate religionis fuerat camerarius domni pape. Octavianus autem et genere nobilior et affatu benignior et beneficientia liberalior, fastuosus erat et pomposus, cultor Teutonum et favoris Romanorum, quem numquam habuit, plurimus appetitor. Uterque vero lupum tegebat in pellibus agninis. Et licet eos domnus papa ad unanimitatem gerendorum obligaverit, tamen ex quo recesserunt, facta est contentio inter eos, quis eorum videretur maior esse. Hanc eis prescripsit apostolicus moderationis formam, ut Iordanus non nisi quindecim, Octavianus non ultra viginti equitaturas ulla ratione habere presumeret, et ut ab exactionibus magis continerent, quam si ad regem Siculum mitterentur, eo quod Teutones ecclesie Romane magis semper insidiati sunt et ex causis levibus eam sepissime depresserunt. Precepit etiam, ut nichil contra equitatem facerent favore personarum, quia gens illa pre ceteris solet ingratitudinis vicio laborare, et si metus incuteretur, ut constantie et auctoritatis munimen opponerent. Inhibuit quoque, ne magnum vel parvum offenderent temeritate vel fastu, et ne declinarent ad dexteram vel ad sinistram, sed via regia graderentur, ut eos Dominus honestaret in laboribus suis. Sed illi prescripte legis nec iotam nec apicem servaverunt, discordantes in omnibus ecclesiam Romanam fecerunt esse ludibrio. Nam litigatorum alius hunc alius adibat illum, et quem unus legatorum absolvebat, alius ab opposito condempnabat. Concuciebant[c] innocentiam, loculos excutiebant, tortores hominum, peccunie extortores. Ob hanc causam appellantium examina ad sedem apostolicam convolabant, quia sic isti excutiebant ecclesias, quomodo[d] excuti solent alvearia quo mel partum facilius apibus subtrahatur. Scripsit *eis domnus papa ut ista corrigerent, nec *f. 117'. profecit. Iterum scribens revocavit eos, sed illi litteras suppresserunt. Res tamen latere non potuit, quia redeuntes ab Urbe verbum publicaverunt. Cum ergo necessitate reverti cogerentur, Octavianus regni magnates allexit, inita cum eis de prestando auxilio et consilio in posterum mutua obligatione, recepitque commendaticias eorum ad domnum papam. Ab illo vero tempore semper in curia patronus extitit Teutonicorum. Ambo itaque recesserunt, ecclesiam Romanam odibilem et contemptibilem relinquentes in terra.

38.[e] Octaviano repatriante, Iordanus in Franciam deflexit iter, ut dicebat causa visitandi heremum et fratres in Monte Dei[92], sed ut credebatur a plurimis, lucri gratia et dominationis in transitu protendende. Et quidem veniens ad Montem Dei, ubi quondam religionis indumenta susceperat, amice et reverenter susceptus est, sicut ecclesie Romane recipi decuit cardinalem, mansitque pro libitu. Sed cum recessurus sancto Hugoni priori loci illius viginti marcas de mammona iniquitatis ad ecclesie necessitates explendas optulisset, eas vir beatus recipere non acquievit, licet plurimum indigeret, utique respondens homini Petri spiritu et fere verbis[f]: *Peccunia tua tecum sit in perditione, quia non est tibi pars in sorte hac, neque*[g] *nobis Deo propiciante pars erit in sorte tua.* Et statuens eum contra faciem suam amaras audire coegit hystorias vite sue et fame, quas retexere longum est. Ipse namque cartusiam suam ex causa marce que alias transcendit in pondere, qua donaria summi pontificis dum camerarius esset appendere consueverat, fecit insignem. Nam adhuc Rome dicitur: *Inconsultus est cui solvitur*[h]*: si non ad marcam Cartusiensem appendit, si credit*

a) vexareî *prius a correctore subpungendo corr.* b) regno *cod.* c) contuciebant *cod.* d) quō *cod.* e) *recentissima manu correctum in* XXXIX. *cod.* f) fē ūb' *cod.* g) nȝ *cod.* h) *sic prius a correctore corr. in* soluit⁹, *legendum* solutus, *cod.*

92) hodie Mondée, villa in prov. Normanniae, ad fluv. Aure.

appendat ad urbanam. Sic enim Iordanus in contractibus versabatur. Confusus ergo discessit a sancto loco, et tandem tractus ad Urbem, reversus est domni Eugenii increpatione iterato confusus.

39.[a] Episcopos et abbates Anglorum a suspensione[b] relaxaverat domnus Theobaldus Cantuariensis archiepiscopus preter Henricum Wintoniensem, qui Romam profectus in persona propria satisfecit. In facie vero hominum receptus in graciam, per Guidonem de Summa episcopum Ostiensem, Gregorium de Sancto Angelo et alios amicos, sicut illi postea confessi sunt, elaborare cepit, ut ei pallium daretur et fieret archiepiscopus occidentalis Anglie, vel ut ei legatio regni concederetur, vel saltem ut ecclesia sua eximeretur
f. 118. a iurisdictione Cantuariensis. Et licet ex contingentibus nichil omiserit, improbe repulsus est. Tandem supplicavit ut ipse personaliter eximeretur. Sed ad omnia vota eius obsurduit domnus papa, tum quia male suspicabatur de eo et in eum pestem tocius Anglie refundebat, tum quia Cantuariensis ecclesie iusticiam noverat. Credebatur fratrem suum regem contra ecclesiam instigare, sed rex quod manifesta declarant opera, nec illius nec sapientis alterius consilio agebatur. Accidit interim ut rex novis tumultibus infestaret ecclesiam. Quod cum presente Wintoniensi domno pape nunciaretur: *Gaudeo,* inquit episcopus, *me nunc illic non esse presentem, quia mihi imponeretur ista turbatio.* Subridens apostolicus in huiusmodi prorupit apologum: *Diabolus et mater sua, ut fit inter amicos, familiariter loquebantur. Et dum illa, ut filii maliciam reprimeret, obiurgaret eum et perversitatem operum*[c] *improbaret*[d], *sub aspectu eorum orta tempestate naves multe submerse sunt „Ecce, inquit diabolus, si presens fuissem, et hoc maleficium mihi imponeres“. Et illa: „Et si presens non fueris, constat te prius illic traxisse caudam“.* Et ad episcopum dirigens verbum: *Vide,* inquit, *frater, ne et tu in mari Anglico pretraxeris caudam tuam.* Cum vero episcopus preter absolutionem se nichil optinere posse videret, accepta licentia rediens, veteres statuas emit Rome, quas[e] Wintoniam deferri fecit. Unde cum eum vidisset gramaticus quidam barba prolixa et philosophi gravitate ceteris in curia spectabiliorem idola coemere, subtili et laborioso magis quam studioso errore gentilium fabrefacta, sic lusit in eum:

Horat. Sat. II, 3, 64 — *Insanit veteres statuas Damasippus emendo.*

Idem quoque aliam in episcopum intorsit ledoriam[93], audito consilio quod in deliberatione dederat requisitus. Ait enim:

Horat. Sat. II, 3, 16. 17. — *— — Dii te Damasippe deeque*
Verum ob consilium donent tonsore!

Fuit qui suis pro episcopo verbis sed illius fortasse spiritu responderet, ipsum hac industria Romanis subtraxisse deos suos, ne possent ad quod proni videbantur eis veteres cerimonias exhibere, qui iam per innatam et inolitam et radicatam avariciam spiritualiter idolis serviebant. Omnes enim diligunt munera, sequuntur retributiones, et quod mirandum pariter est et lugendum, plures errore gentili ceca legitur habuisse Roma peccunie contemptores, quam nunc illustrata fidei lumine et exemplis apostolicis roborata et divini verbi dispensatione preminens universis. Episcopus paucis et pauca dedit, et marino itinere rediens propter insidias quas ei Tusci, Lumbardi et Burgundiones tetenderant, peragratis Hispaniis usque ad Sanctum Iacobum[94], tandem incolumis et opulentus ad propria reversus est.

f. 118'. 40.[f] Comes quidam nomine Hugo, Normannus genere, in Apulia tamen natus, cum diu elaborasset ab uxore divertere, que progenita erat de nobiliori prosapia Longobardorum et Romanorum, cognata Ptolomei Tusculani, se presentavit domno pape, adductis catapanis regis Siculi et aliis officialibus et nobilibus Apulie et Calabrie, ut matrimonii divortium fieret. Sunt autem catapani potestates quedam, que in civitatibus et castris illius regionis principum vices[g] agunt. Episcopi quoque terre instabant pro comite, scientes hoc regi placiturum. Advocatis et testibus causam instruxerat, corruperat curiam, ut in deliberatione sententie non essent duo qui divortium dissuaderent. Apostolicus auditis omnium sententiis, sua non exposita, causam finiturus rediit ad consistorium, et conversus ad testes, cuiates essent sciscitatus est. Illi responderunt, se esse Normannos et venisse ut testimonium perhibeant veritati et cognationem suam purgent a crimine et infamia incesti.

a) *recent. manu corr. in* XL. *cod.* b) *litterae* a sus *a correctore in loco raso scriptae sunt cod.* c) opm *cod.* d) impparet *cod.* e) qiuas *cod.* f) *recentiss. manu corr. in* XLI. *cod.* g) s *a correctore add. cod.*

93) i. e. convitium, ex Graeco λοιδορία. 94) S. Iago di Compostella.

Se enim utriusque coniugum cognatos asserebant. Quesivit iterum quomodo eis de parentela proposita constaret et an in Apulia tanti meriti haberentur, ut in huiusmodi verbo deberent audiri. Responderunt se diutius in Apulia conversatos et tante fidei ut in duobus divortiis testes admissi sint. Quo audito ait domnus papa: *Nos vix aliquem testem plus quam in uno divortio audiremus, nedum vos homines peregrinos, ignotos et suspectos audiamus in tercio. Vobis ergo perpetuo silentium imponentes, prohibemus auctoritate apostolorum Petri et Pauli sub anathemate, ne de cetero matrimonium aliquod impetere presumatis. Et quia non est conveniens testimonium quod audivimus, et rei veritas aliunde plenius nobis innotuit, matrimonium confirmamus, apostolica prohibentes auctoritate, ne quis episcoporum vel quecumque persona illud audeat*[a] *attemptare.* Suffusus ergo lacrimis, de sede corruens, in conspectu omnium, quantus erat, prostravit se ad pedes comitis, ita eciam quod mitra[b] delapsa capiti pulverulenta, postquam eum episcopi et cardinales erexerant, inter pedes stupefacti hominis inventa est. Supplicavit itaque et suasit, quantum valebat affectio patris et facundia oratoris et veneranda fidelibus eminencia Romani pontificis, ut omni rancore deposito comes uxorem benigne reciperet, non tam iuris obsequens necessitati, quam fidem exhibens et affectionem coniugii. *Et quo facias,* inquit, *dilectissime fili, libentius et utilius quod imploro, ecce ego Petri successor, Christi vicarius, cui licet indigno claves regni celorum tradite sunt, facio si acquieveris ut hec filia mea uxor tua inestimabilem tibi afferat* *f. 119. **et conferat dotem, immunitatem videlicet peccatorum, ut quicquid hactenus peccasti a me in die iudicii exigatur, dum illi de cetero serves fidem.* Omnes qui aderant conlacrimati sunt, et ipse comes madens lacrimis se promisit cum reverentia et gaudio pariturum. Eugenius ergo comitem et mulierem ad se iussit accedere, illamque manu propria marito tradidit dicens: *Ecce ego Eugenius apostolice sedis episcopus in receptione et conservatione mulieris huius investio te remissione omnium peccatorum tuorum et gratia Dei, dummodo fideliter impleas promissionem.* Et extrahens anulum de digito suo, misit eum in digitum comitis et adiecit: *Hic anulus signaculum fidei et inite pactionis testimonium coram Domino sit inter me et te*[d], *quod ego tibi in facie ecclesie tradidi coniugem, et tu eam recepisti in fidem tuam.* Et sic ab invicem discesserunt. Hiis presens interfui, unde ea ad gloriam Dei et honorem tanti pontificis curavi diligentius enarrare.

41.[e] Henricus Eboracensis archiepiscopus cum Stephano rege Anglorum faciens pacem, promisit se daturum operam et diligenciam, ut apostolicus Eustachium filium regis coronaret. Quod utique fieri[f] non licebat, nisi Romani pontificis venia impetrata. Regi enim sepe questio mota fuerat super usurpatione regni, quod contra sacramentum Henrico regi prestitum dinoscitur occupasse. Iuraverat enim Matildi imperatrici, filie iam dicti Henrici, fidelitatem et quod post decessum patris illam in adoptione et conservatione Anglie et Normannie contra omnes homines adiuvaret. Querimoniam imperatricis ad papam Innocentium Ulgerius[95] Andegavorum venerandus antistes detulit, arguens regem 95 periurii et illicite presumptionis regni, sed ex adverso steterunt[g] a rege missi Rogerus Cestrensis episcopus, Lupellus clericus Guillelmi bone memorie Cantuariensis archiepiscopi[96], et qui eis in causa patrocinabatur Ernulfus[h] archidiaconus Sagiensis[i], qui postea Lexoviensis[k] episcopus ordinatus est. Hic adversus episcopum allegavit publice, quod imperatrix patris erat indigna successione, eo quod de incestis nupciis procreata et filia fuerit monialis, quam rex Henricus de monasterio Romeseiensi[97] extraxerat eique velum abstulerat. Iuramentum confessus est, sed adiecit violenter extortum, et sub conditione scilicet imperatrici successionem patris se pro viribus servaturum, nisi patrem voluntatem mutare contingeret et heredem alium instituere; poterat enim esse ut ei de uxore filius nasceretur. Postremo subiecit, quod rex Henricus mutaverat voluntatem, et in extremis[l] agens filium sororis sue Stephanum designavit heredem. Et hec[m] iuramento *f. 119'. * comitis Hugonis et duorum militum probata esse dicebat in facie ecclesie Anglicane, Guillelmo Cantuariensi archiepiscopo sedis apostolice legato, qui recepta probatione Stephanum unanimi consilio et voluntate episcoporum et procerum sublimavit in regem, unde quod

a) t *a correctore additum cod.* b) intra *cod.* d) inte *prius, a correctore subpungendo correctum cod.* e) *recentissima manu corr. in* XLII. *cod.* f) *in margine a correctore additum cod.* g) stert *cod.*, te *a correctore supra lin. add. cod.* h) Eruulfus *cod.* i) *sic a correctore suprascribendo ex* sigiensis *corr. cod.* k) lexoniensis *cod.* l) *secundum* e *a correctore superadd. est cod.* m) hoc *cod.*

95) 1129–1149. Oct. 17. 96) Erat praedecessor Theobaldi. 97) Ramsey in Huntingdonshire.

tanta sollempnitate factum est, intulit, retractari non posse. Ad hoc prefatus Ulgerius, qui ceteris Galliarum episcopis tam etate quam litterarum et morum titulo et inflexibili rigore iusticie et libertate spiritus preminebat, in archidiaconum excandescens: *Mirum est,* inquit, *Ernulfe, qua fronte nunc persequeris mortuum, quem vivum semper adorasti, sicut patres, fratres tui et cognatio universa, qui te et totum genus tuum erexit de stercore. Mirum est qua impudencia sic mentiris, nisi quia totum genus tuum loquax est et sublimari meruit vite maculis*[a] *et arte et audatia mentiendi. Hiis artibus*[b] *apud Normannos estis insignes. Et qui velut proditor defunctum dominum condempnas incesti, adversus matrem tuam sanctam Romanam ecclesiam calcaneum contumaciter erigis. Ipsa enim confirmavit matrimonium quod accusas, filiamque ex eo susceptam domnus Pascalis Romanus pontifex inunxit in imperatricem. Quod utique non fecisset de filia monialis. Nec eum veritas latere poterat, quia non fuit obscurum matrimonium aut contractum in tenebris, quas desiderant opera similium tui. Rex enim nobilissimus regis illustris filiam sollempniter duxit. Quod regem dicis mutasse voluntatem, convincetur falsum per illos, in quorum manibus idem rex expiravit. Nec tibi nec Hugoni de ultima voluntate constare potuit, quia pariter aberatis. Probatio, quam receptam fingis, obesse non potest imperatrici, quia absens et que citata non fuerat, nullo iure potuit condempnari, presertim ab hiis qui non erant iudices eius sed subditi, et ei iuramento et fidelitate tenebantur astricti, et in simili crimine versabantur. Non tulit ulterius contentiones eorum domnus Innocentius, nec sententiam ferre voluit, aut causam in aliud differre tempus, sed contra consilium quorumdam cardinalium et maxime Guidonis presbiteri Sancti Marci, receptis muneribus regis Stephani, ei familiaribus litteris regnum Anglie confirmavit et ducatum Normannie.* Ulgerius vero cum cognitioni cause supersederi videret, verbo comico[97*] utebatur dicens: *De causa sua querentibus intus despondebitur,* et adiciebat: *Petrus enim peregre*[c] *profectus est, nummulariis relicta domo. Postea cum prefatus Guido cardinalis promoveretur in papam Celestinum, favore imperatricis scripsit domno Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo inhibens, ne qua fieret innovatio in regno Anglie circa coronam, quia res erat litigiosa cuius translatio iure reprobata est. Successores eius papa Lucius et Eugenius eandem prohibitionem innovaverunt.* Unde contigit, ut prefatus Eboracensis archiepiscopus promotionem[d] Eusthachii non potuerit impetrare.

1151. 42.[e] Obiit Hugo abbas Sancti Augustini Cantuariensis, cui successit Silvester eiusdem ecclesie prior. Sed electio eius apud multos suspitionem[f] contraxit symonie, eo quod rex quingentas marcas accepit, ut abbate defuncto liceret monachis libere quem vellent eligere et ecclesie vacantis bona pro arbitrio dispensare. Et quia prior contraxit et solvit et electus est, hanc incurrit suspitionem. Ceterum quia non erat qui publice crimen argueret, quod nec tutum erat, quia regem ipsum et aule capitaneos contingebat, Cantuariensis archiepiscopus confirmavit electionem. Sed de loco benedictionis contentio suborta est ex causa quorundam privilegiorum statuentium, ut abbas eiusdem loci in proprio monasterio benedictionem recipiat nec alio trahatur. Ipsa tamen privilegia suspecta habebantur, tum quia concepta non erant in ea scribendi forma, quam sequitur ecclesia Romana, tum quia ex collatione[g] scripture et bulle videbantur non esse pontificum, quorum nomina preferebant. Preterea non usi fuerant hac consuetudine, quia abbates alios Sancti Augustini in ecclesiis archiepiscopi benedictionem recepisse constabat. In annum fere protracta contentio, tandem ad domnum Eugenium delata est[98].

1152. Ian. 13. 43.[h] Defungitur Sigerius abbas Sancti Dionisii, ecclesiam suam in optimo relinquens statu. Succedit ei[i. 99] .... primus abbas Compendiensis, qui et Sancti Dyonisii monachus fuerat. Sed immemor beneficiorum Sigerii, totam cognationem eius delere conatus est, et ecclesiam attenuavit et lesit in multis. Non erat qui Sigerii cognatos protegeret, rege dissimulante et quosdam eorum persequente, eo quod Symon prefati Sigerii nepos indignationem eius incurrerat, et ex suspitione nominis odiosi cancellariam regis amiserat, et eliminatus a regno confugit ad domnum Eugenium, a quo benigne receptus sine exemplo[k],

a) *sic a correctore subpungendo correctum ex* masculis *cod.* b) *sic in margine a correctore scriptum, textus* tribus *subpunxit cod.* c) pege *a correctore in margine add. cod.* d) *linea supra* e, *litteram* m *indicans a correctore addita est cod.* e) *recentissima manu corr. in* XLIII. *cod.* f) *sic a correctore effectum ex* suspectionem *cod.* g) coll'one *cod.* h) *recentissima manu correct. in* XLIIII. *cod.* i) *vocis unius locus in codice vacuus est.* k) exempl'o *cod.*

97*) *intus despondebitur* est apud Terent. Andr. 5, 6, 16. GR. 98) De his cf. Gervas. Dorob. l. c. p. 1370. 99) Odo de Diogilio, prius abbas S. Cornelii Compendiensis.

sed non sine admiratione, in litteris protectionis preter formam communem hoc emeruit privilegium, ut non nisi in presentia summi pontificis cogi posset super aliquo crimine respondere. Tandem patrocinante Eugenio contra christianissimum et amicissimum principem, eidem Symoni pax reformata est, episcopis graviter ferentibus iam dicti privilegii formam, quod prestare videtur audaciam delinquendi et criminum conscios ad simile privilegium animare.

44.[a] Defuncto Roberto[b] Lundonensi[c] episcopo, *quem multi veneno periisse suspi- *f. 120'.
cati sunt, precepit domnus Eugenius clero Lundonensi, quatinus eligerent infra tres menses virum honestum et litteratum et religionis habitu decoratum. Illi timentes universitatem suam excludi, miserunt ad ecclesiam Romanam, et hanc novissime clausule reportaverunt in litteris apostolicis interpretationem, ut non modo monachi et canonici regulares, sed etiam illi quos vulgus seculares nominat, intelligantur religionis habitu decorati, quia quando quis attondetur in clericum, sicut ipsius benedictionis edocent verba, tunc habitum sacre religionis assumit. In ipsa tamen curia fuere nonnulli, qui hanc interpretationem causarentur ineptam vel anterioris mandati formam fuisse superfluam, nisi forte timebat apostolicus ne Lundonienses[d] aliquem de laicis in episcopum eligere destinarent. Rex vero eis eligendi libertatem concedere noluit, antequam quingentas libras exemplo monachorum Sancti Augustini ei appenderint. Quo facto electus est Ricardus eiusdem ecclesie 1151.
archidiaconus, qui prefatam peccuniam non sine nota symonie dinoscitur exsolvisse. Ea Oct.
namque tempestate sub optentu libertatis redimende pravitatem symoniacam plurimi palliabant.

45. Rex Stephanus et Matildis[e] uxor sua fundant monasterium Thefauresham[1] in 1147.
Cancia[f] eique Clarembaldus[g] ....

a) *recentissima manu corr. in* XLV. *cod.* b) rob' *cod.* c) *prius* lūdudoñ, *a correctore corr. cod.* d) i *a correctore add. cod.* e) matill' *cod.* f) in cancia *bis in cod. scriptum.* g) *sic finit columna prima f.* 120'.

1) Feversham, v. Monast. Anglicanum IV, 568 sq. 2) a. 1147. Nov. 11. a Theobaldo archiepiscopo Cantuariensi consecratus est.

CHRONICON LIPPOLDESBERGENSE

EDITORE WILHELMO ARNDT PH. D.

Lippoldesbergensis coenobii, ad Wiseram fluvium, ubi rivus Schwülme eam influit, in provincia ante paucos dies regno Borussico adiecta Hassia electorali siti, primordia atque incrementa exponit hic libellus, anno 1151 *abbatissa Margaretha monente confectus, qui quamvis magis sanctimonialium vitam reclusam tangens otiaque monasterii, e contra de rebus foris in imperio gestis plerumque servans silentium, non inutilis diiudicandus est ad cognoscendum studium atque curam, quibus archiepiscopi Moguntini per saeculum laboraverint in elevando tuendoque monasterio. Sanctimoniales ibidem degentes regulam* 1 *Scafhusensium sibi assumebant*[1], *qua obstrictis duriora imponebantur officia, quae a Gunthero praeposito*[2] *tandem circa medium duodecimum saeculum leviora reddita sunt.*

Ad novam editionem parandam praesto fuit codex archivi Casselani, olim Lippoldesbergensis, membranaceus saeculo XII. perpulchre scriptus, ita ut authentici exemplaris vices gessisse sit iudicandus. Signatus est autem: Lippoldesberg Vol. V. Nr. 3. Lit. a., *constat quatuordecim foliis, binis columnis exaratis, quorum undecim priora chronicon continent. In duodecimo incipit Catalogus librorum Lippoldesbergensium, in decimo quarto habetur charta Guntheri infra danda; quam in eodem folio, verso quidem, excipit enumeratio bonorum ab ecclesia Lippoldesbergensi acquisitorum, manu saeculi XIII. exeuntis ibidem notata. Codicem flagitanti Pertzio a.* 1865 *mense Octobri Berolinum missum ipse exscripsi, sicque opusculum integritati redditum nunc primum hoc loco lectoribus nostris proponitur.*

Editiones iam exstabant duae, quarum altera nil nisi repetitio est prioris: in Ledderhose kleine Schriften I, 197—226, *et in Boehmer Fontes rerum Germanicarum III,* 254—269.

Scribebam Berolini mense Decembri 1866. *W. ARNDT.*

PROLOGUS[a].

f. 1. Anno dominice incarnationis 1151, mense secundo et prima tercii mensis die, anno quoque pontificatus domni Heinrici[b, 3] octavo, patris Guntheri decimo tertio, eodem episcopo et patre Gunthero adhuc in hac vita superstite, pro amore, pro cautela nec non et honore loci subsequentia scripta, et cepta et huc usque perducta sunt, religiosa quadam virgine, tunc huius claustri priore, nomine Margareta satagente et precipiente, quod fieret.

a) *deest cod.* b) H. *cod.*

1) Cf. dipl. apud Schrader, die älteren Dynastenstämme etc. p. 227—230, ubi haec: *Nos sorores promittendo laudamus inclusionem sicut hactenus habuerunt Scafhusenses sanctimoniales, et infra hanc inclusionem imitari et observare in quantum possumus ordinem et consuetudines Hirsowiensium monachorum.* 2) 1137—1167; cf. Stumpf Acta Maguntina saec. XII. p. 34. 51. 58. 76. 3) archiepiscopi Maguntini, qui sedit inde ab anno 1142.

INCIPIUNT CAPITULA SEQUENTIS OPUSCULI.

EXPLICIUNT CAPITULA.

1. *Incipit de fundatione domus istius.* Quia, sicut sacra testatur auctoritas, generatio [Eccl. 1, 4.] venit et preterit, et quae sub sole, id est sub tempore fiunt, mortalitatis nostrae pene cuncta rapit oblivio, profecto ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, nec non beatae et gloriose semperque virginis Mariae et beatissimi martiris Christi Georgii, quibus attitulata videtur, domus huius exordium, quibus scilicet auctoribus quibusve temporibus primo sit cepta, quibus etiam rectoribus sit hucusque perducta, volo si possum sub brevitate discutere, ne scilicet penalis illa nostrae prevaricationis oblivio, cui sicut propheta testatur, velut mortui a corde omnes sumus obnoxii, secum [Ps. 30, 13.] trahat in preceps, quod divine maiestatis sanctorumque suorum laudibus atque preconiis incessanter et merito debet accrescere.

2. *De episcopo Liuppoldo.* Erat igitur quidam genere, vita, scientia atque doctrina vir magne virtutis, in Domino vir clarus, et sicut civitas supra montem posita, in aecclesia quoque Dei mire conspicuus, nomine Liuppoldus, sanctae Moguntine sedis antistes[4]. Hic die quadam spaciandi gracia silvestria haec loca perlustrans, forte devenit, quem nunc gratia Dei possidemus ad istum. Cuius amenitate delectatus et captus nimirum ab abbate[5], qui tunc Corbeiensem regebat aecclesiam, cuius iuris erat hic locus, equi ratione concambii satis festinato, locum hunc recepit in proprium. Unde omni mora posthabita, tametsi ligneam, satis tamen honestam in honore sancti Crisogoni hic construxit constructamque dedicavit ecclesiam, ita sane ut dum his esse vellet in partibus, hic sibi frequentius manendum esse censuerit. Sed quia Moguntine sedis antistites loci non capit angustia, Badenhusen[6] cum omnibus pertinentiis suis, in silvis, in aquis aquarumque decursibus, in pratis et paschuis, ne etiam in pabulo sibi suisque deficeret, ab eis quorum *ditionis [*f. 2.] erant iustis modis obtinuit. Quo facto Dei omnipotentis gratia, leto fine plenusque dierum [1059. Dec. 7.] de hoc mundo subtractus e vicino migravit ad Dominum.

3. *De Sifrido Moguntine sedis archiepiscopo.* Cui succedens vir eque magnus in Domino, Fuldensium quidam religiosus abbas nomine Sifridus[7], profecto dyploide religionis amictus[a], dum et ordine monachus et officio sanctae Moguntinae sedis esset antistes: hic quia in diebus suis et ipse placuit Deo et inventus est iustus et in tempore iracundiae reconciliatio, ut filius pacis inter multos eminuit, necesse fuit et oportuit, ut tamquam aurum in fornace sic malorum insectatione probatus, odorem suarum virium tanto latius spargeret, quanto

a) amicitus *cod.*

4) 1051. Aug. 7. — 1059. Dec. 7. 5) Arnoldo. 6) Iam non exstat haec villa; cf. Landau, Beschreibung der wüsten Ortschaften im Kurfürstenthum Hessen etc. 1858. p. 1. 7) 1060. Ian. 6. — 1084. Febr. 16.

more aromatum melius ex incensione flagraret. Noverat in prosperis pie subditos regere, et a malis districte custodire, noverat mundus quis esset in prosperis sed nesciebat quis futurus esset in malis[a]. Ne quid ergo vicii tegere deberet in eo prosperitas, dignum fuit ut hoc aperiret adversitas. Data est igitur contra eum filiis huius seculi temptandi licentia, ut dum bona eius multis cognita conarentur extinguere, etiam bonum patientiae eius quod
1078. Aug. 7. latebat, dispensante Deo cogerentur ostendere, unde a rege[8] temporis illius captus et male tractatus in carcere quoque reclusus, profecto post aurum non abiit nec speravit in pecuniae thesauris, ut vel in auro vel in argento spem evasionis suae locandam esse putaret, sed in domino Deo sanctorumque suorum patrocinio, precipue sancti Georgii martiris Christi suffragiis integro corde confideret. Unde contigit ut et sanus corpore et absque rerum iactura multarum cito letus evaderet, evadens vero sicut sancto Georgio martiri Christi promiserat, ligneam illam quam hic a predecessore suo constructam dedicatamque reppererat, omnino deiceret, et loco eius lapideam satis honestam aptamque capellulam, titulo illius in honore santi Georgii martiris Christi translato, hic edificari preciperet, et ipse dedicare studeret. Cumque dedicaret aecclesiam, ne quasi nullius videretur esse momenti si sine dotis honore ei manus inponeret, eam profecto cum quadam adhuc conservata puellula, post futura[b] matre Marcwini, sui quoque futuri capellani, satis honeste dotavit, et cum duobus mansis uno hic, et altero Mardoe sitis, et viculo iuxta nos posito [9] Badenhusen, decimisque duabus Mardoe Budineveldque[c,9] iacentibus. His inquam et aliis quibus potuit modis, eam ampliavit, ampliatamque ditavit, ita sane ut quicquid piae memoriae predecessor suus hic ante collegerat, in silvis, in aquis aquarumque decursibus, in pratis et paschuis totum hoc huic suae dilecte capellule attitulandum esse putaret; homines quoque circa iacentium quinque villarum, huius scilicet ipsius et Arthelesemenses, Budineveldenses, Gotmarsenses, Bennenhusenses[10], Badenhusenses, a sinodo matricis aecclesiae in Othelesheim[11] absolutos, sinodum suam vice dotis in posterum hic adire constituit, ut vel sic eorum animos artiori capellae suae vinculo dilectionis astringeret. Quod frater Marcwinus qui mortuo illic tunc patri successerat pie perpendens, hanc quoque capellam ministraturus ambabus ab archiepiscopo Sifrido omni ambitionis nevo plane remoto quesivit, quaesitamque recepit. Erat etenim ex successione matris quasi caracter et titulus dotis huius ipsius aecclesiae, ideoque vere dignum et iustum, equum et salutare arbitratus est, si se quasi dominae suae devotus huic famulaturus ingereret.

4. *De obitu Sifridi et de successione Rothardi episcopi.* His ita gestis, ut dictum est, vir totus in fide catholicus, vir Deo devotus in omnibus, Rothardus[12] nomine, non sibi sumens honorem ut pontifex fieret, sed tamquam Aaron a Deo vocatus, archiepiscopo Sifrido defuncto successit, quippe qui pontificatus infula decoratus, tam probis eam actibus
f. 3. extulit, doctrina tam catholice veritatis ornavit et compsit, ut nulli predecessorum suorum quantocunque virtutum flore vernantium secundus existeret. Unde nonnullas hereticorum expertus insidias, hinc et illinc prudentia pacientiaque munitus quis esset aperuit, dum et hos sane doctrinae telo retunderet et alios pacientiae scuto munitus exciperet. Duobus etenim modis mater inpugnatur aecclesia, verbis et gladiis, sed cum verbis persecutionem sustinet, exercetur eius sapientia[d], cum vero gladiis, exercetur illius pacientia[d]. Vir igitur iste sanctus in Domino utrimque munitus, utrimque velut adleta fortis armatus, hos et illos pede victoriose virtutis attrivit, dum et illis et istis intrepidus quoad viveret, suis suaeque nequiciae conpetentibus modis semper occurreret. Quo adhuc in hac vita superstite, ipse quoque sicut et antecessores sui, diligere, frequentare, nec non et possidere hanc cepit aecclesiam.

5. *De beato Bettone.* Hoc audiens quidam Hildeneshemensis aecclesiae canonicus, Betto vocatus, vir et ipse valde religiosus atque robustus in Domino, vir inquam et sane doctrine mireque constantie, quippe qui spiritu aeternitatis afflatus et casto sanctarum virginum viduarumque amore[e] devinctus, multa pro eis Deo colligendis loca temptaverat, nichilque profecerat, vere Spiritu sancto commonitus et attractus huc veniens, et aptitudinem

a) *manus saec. XIV. in margine addit:* tollerandis *cod.* b) profutura *cod.* c) budineuelq; *cod.* d) *vice versa haec duo verba in codice scripta sunt, sed appositis* a *et* b *locus eorum rectus designatur.* e) amori *cod.*

8) Heinrico IV. 9) Bodenfelda a Lippoldsberg ad septentrionem. 10) Gotmarsen et Bennenhusen iam non exstant; cf. Landau l. c. pag. 1 et pag. 3. 11) Oedelsheim a Lippoldsberg ad meridiem. 12) 1088. Sept. 27. — 1109. Mai. 2. Successit Weziloni.

loci perspiciens, cito Marcwinum tunc procuratorem huius aecclesiae, velut hominem tocius boni docilem atque capabilem, piis ad hoc et persuabilibus verbis induxit, quatinus eam archiepiscopo ea conditione resignare deberet, ut eam ipse pro colligendis sacris in ea virginibus ab eodem archiepiscopo Rothardo reciperet. Igitur pari voto parique consensu domnus Betto fraterque Marcwinus adeuntes episcopum, aecclesiam quam frater Marcwinus archiepiscopo suo resignat, hanc domnus Betto recepit eamque receptam intus et exterius quibus potuit modis in brevi tam diligenter excoluit, ut hoc etiam archiepiscopus quasi pro omine boni fructus acciperet. Unde de tam bonis iniciis meliores exitus sperans, usque adeo hanc et decimis et aecclesiis adampliare curavit et studuit, ut et eam et populum tunc in illa iam iamque Deo militantem, et sequaces eorum sub auctoritatis suae tutela susceptos in posterum, inpressione sigilli sui tuendos esse decerneret, sicut verbi gratia eius ipsius scripta nostris hic adiuncta testantur ita dicentia[13]:

In nomine sanctae et individue Trinitatis. Ego Rothardus gratia Dei Mogontine sedis archiepiscopus notum esse desidero tam futuris quam presentibus Christi et aecclesiae fidelibus, quod comes Heinricus[14], *filius Ottonis ducis, locum qui dicitur Libboldesberc, quem pro beneficio habebat,* 14 *mihi reddidit ea ratione eaque pactione, ut in eodem loco virgines sub regula sancti Benedicti Deo servituras congregarem, easque ab omni secularium dominatione liberas, solius Mogontiensis archiepiscopi potestati dicarem. Eundem igitur locum cum aecclesia et vico Batenhusen et Eilvardeshusen*[15], *cum omnibus suis pertinentiis, campis, silvis, pratis, aquis, molendinis, piscatoribus piscationibusque, et omnibus utilitatibus, tam in fluvio Wisera, quam in flumine Svulmusa*[16], *et omni usu ad ius antecessorum meorum pertinente, Deo et domino Ihesu Christo offero, ipsisque in eodem loco servituris monachabus in perpetuam proprietatem trado. Item silvas quoque in vicino Walesborec*[a, 17], *Hogenburc*[b] *sitas, et ad nos titulo proprietatis spectantes cum omni utilitate et proprietate libere eidem aecclesiae attribuo, itemque decimam Gundesburc, redditam mihi a comite Dioderico, et decimam in Emmenhusen*[18] *redditam mihi a serviente aecclesiae mee nomine Stephano, aecclesiam quoque plebesanam*[19] *in Rorenriet*[20], *cum decima in Botleveshusen**, *mihi reddita a predicto Heinrico comite, et decimas in Bennenhusen et Gotmarsen* *f. 4. *redditas mihi a Sifrido comite, et duos mansos in Miela, mihi redditos a Ludewico comite*[21]. *Item aecclesias in Morungen*[22], *et in Triensvelt*[22*] *eidem aecclesiae attribuo, decimam quoque in Sinnicherothe*[23], *redditam mihi a Hawardo ministeriali nostro, et decimam in Othelessen super terras quas eadem aecclesia inibi habet, et mansum unum in Werthe eidem aecclesiae trado. Haec igitur prenotata bona ab humilitate mea ad servicium Dei tradita, omniaque in futurum Deo prosperante a quibuscunque fidelibus tradenda, verbo Dei et virtute Spiritus sancti confirmo, insuper etiam pacem et stabilitatem eidem loco et ibidem manentibus omnibusque ad eos pertinentibus, banno sancti Petri ac meo ac tocius sanctae aecclesiae assigno.*

Hucusque domnus Rothardus episcopus. Videns ergo Marcwinus aecclesiam hanc de die in diem in Christo proficere et in personis et rebus ad alta conscendere, multum gavisus in Domino, sicut et paulo ante vel ex parte tetigimus, ad eam quam ante possedit aecclesiam in Othelesen, omni cum hilaritate reversus, tamdiu in illa permansit, quo usque a maximis huius terrae principibus pro honestatis suae fama ad maiora vocatus, ipsis in curia sua servire transiret. Quid plura? Felicis memoriae Betto sacerdos, liberrima disponende domus istius facultate potitus in Domino, non dormitavit inertia, neque dormivit sensus inopia, sed velut apis argumentosa pro ea intus et exterius construenda die noctuque sategit et institit.

6. Interea vero beatae quoque memoriae domnus Rothardus episcopus optabili fine migravit ad Deum. Adelbertus autem ille qui dictus est senior, vir et honestus et prudens et in diebus suis sanctae Moguntine sedi multum multumque proficiens ei successit[23*]. Illo igitur presidente et viriliter agente pro ea quam regebat aecclesia, Betto sacerdos ut filius caelesti verbere tactus, sese de die in diem fini appropinquare considerans, sicut

a) Walesbŏrec, *alia manu superscriptum* v, *quae manus totum locum rasura deletum restauravit.* b) Hogenbůrc *c. ut supra.*

13) Hoc diploma ex originali spurio saec. XII. edidit Schrader: die älteren Dynastenstämme zwischen Leine, Weser und Diemel. Göttingen 1832. p. 225. Ubi legitur hoc tempus: *Datum Lippoldesberc anno dom. inc.* 1062, *quarto decimo Kalendas Augusti.* 14) de Nordheim. 15) Elwertshausen, iam dirutum. 16) Schwülme fluviolus, in Weseram se iactans prope Lippoldsberg. 17) Walsburg a Lippoldsberg ad orientem. 18) Emmenhausen prope Adelepsen. 19) i. e. parochialem. 20) an Röhrda, prope Eschwege? 21) Thuringiae. 22) a Northeim ad occid. 22*) Dransfeld civitas. 23) Sennickerode districtus Reinhausen. 23*) a. 1111. Aug. 25. — 1137. Iun. 23.

decebat sanctum, satis satisque pro populo et loco sollicitus, personam quandam genere atque divitiis sed quod maximum est religione, prepositum atque presbiterum nomine Siboldum, in omnibus gratia Dei satis honestum atque compositum nimirum a Deo ad hoc ipsum inductus, elegit; qui ei dum adhuc viveret non modo consiliis — erat quippe vir magni consilii — sed et rebus et omnibus quibus posset modis adesse deberet et morienti successurus existeret. Quod vir ille bonus Deo vere devotus, quasi divino vocatus oraculo, gratanter accipiens, divine voluntati per omnia in uno cessit et altero. Unde simul adeuntes episcopum, eo annuente et multum super hoc ipso letante ceptum terminavere negocium.

7. Quibus ad sua reversis, profecto non longe post Betto vere Christi discipulus, vereque femineae religionis et inclusionis electus et primus ut ita dicamus apostolus, cursu consumato fideque servata migravit ad Dominum, vere novi et satis insoliti laboris et studii sui aeternae vitae coronam a Domino percepturus et bravium. Quibus sacrosanctis exequiis ipsius Christi profecto non credimus defuisse presentiam, ubi videlicet quantus luctus omnium quantaque precipue fuerint lamenta sacrarum virginum prorsus excedit hoc scribendi negocium, quia sicut de beato viro Martino cantatur et legitur, hic quoque pium erat et gaudere Bettonem et pium erat flere Bettonem, tocius virgineae religionis castitatis atque salutis auctorem. Qui tametsi multos in posterum pedagogos inter eas necesse sit habeat, ipse tamen eas in Christo progenuit. Nam usque in diem Christi Ihesu ipse quodammodo signum apostolatus eius existent. O igitur, o beatum virum, cuius anima paradysum *f. 5. Phil. 1, 21. possidet*, o qui nec mori timuit, nec vivere recusavit, immo cui[a] vivere Christus erat, et mori lucrum. O coram Deo et angelis eius in opus ministerii huius electum preelectumque ministrum. O a nonnullis earum, quas illic ante se caelestis sponsi confederarat[b] amplexibus, leto sinu receptum, tandemque cum omnibus beati laboris sui reliquis[c], ab ubertate domus et torrente voluptatis Dei in deliciis paradysi Dei potandum. Unde exultant angeli, letantur archangeli, chorus sanctorum proclamat, turba virginum invitat mane nobiscum. Porro post huius beati viri discessum, secundum utrorumque decretum et tocius congregationis huius et domni episcopi, senioris scilicet Adelberti, consensum, domnus Siboldus hunc locum suscepit in Christo regendum. Quo pie fideliterque dum viveret satagente pro loco, pro statu et ordine monastice religionis hic cepto, ipse quoque cunctis hic Christi pauperibus satis et satis accomodus multumque benignus et promptus, tandem et ipse letus obdormiscens in Domino, cum ingenti tocius domus huius merore est ad patres suos appositus. Quo mortuo et in benedictionibus divinis ad patres suos apposito, frater Marcwinus, non ut huic preesse sed velut ex debito ministrare deberet aecclesiae, revocatur ab eo principum illorum, quo se manciparat, obsequio. Ipse vero reversus, se tam pie tamque prudenter agebat in omnibus, ut etiam paternitate loci huius dignus decerneretur ab omnibus.

8. Igitur electus ab omnibus et pater domus huius effectus, profecto tot persecutiones et scandala ab inportunis hominibus, sed et tantas infirmitates carnis expertus est, ut cogeretur ab ea quam et honeste susceperat et honeste tenuerat, paternitate descendere. Verum tamen episcopi, a quo investituram domus huius animarumque curam electione prius in eum facta receperat, requisito et accepto consensu profecto nonnullis et religiosis abbatibus et monachis et terrae baronibus etiamque principibus astantibus atque presentibus, res ista peracta est ut et a vinculo obedientiae personas absolveret et a paternitate descenderet. Deinde post aliquantulum temporis domnus Adelbertus episcopus ad ingens sanctae Moguntine sedis incommodum ab hoc mundo subtractus, et pro multis in aecclesia Dei bene gestis eius ut credimus in caelo receptus est.

9. Cui spectabilis quidam et eiusdem nominis adolescens, proch dolor! tempore brevi sessurus, pari tocius aecclesiae consensu succedens[24], quantum inmature mortis sinebat articulus, et pro statu sanctae matris aecclesiae et Moguntine sedis instabat honore. Qui vacantem hanc domum lacrimosa horum relatione cognoscens, sicut decuit, eis ex corde conpassus, sese consiliis nec non et auxilio eis in omnibus affuturum et promptum fore promisit, fideliterque promissum usque in finem vitae servavit. Nam electionem de quodam Gunthero Halberstadensis aecclesiae filio, sed et Hamerslovensis aecclesiae religiosi prepositi domni Thietmari, professo factam, tametsi animo suo non bene sederet — noverat

a) *supra lineam eadem manu add. cod.* b) *primum* a *in loco raso cod.* c) reliquus *cod.*
24) Adalbertus II. 1138. Mai. 28. — 1141. Iul. 17.

quippe Halberstadenses esse cornutos — hanc tamen intuitu dilectionis istorum gratanter accepit et maiestatis suae consensu roborandam esse decrevit. Guntherus igitur absens et prorsus ignorans multis et abbatibus et monachis regularibusque prepositis, quibusdam quoque principibus atque huius terrae baronibus presentibus sub invocatione sanctae Trinitatis electus, et ad hanc electionem in eum factam litteris episcopalibus bis terque vocatus, venire rennuit, tum quia pater eum claustri sui dilexit et necessarium habuit, tum etiam quia tantis se laboribus minus sufficientem esse sciebat. Verum archiepiscopo et conventu cepto nimis insistente negocio, idem Guntherus cum dilecto patre religioso, *videlicet viro domno Thietmaro, Romam ire conpulsus, primo ab apostolico[25] quo cessare deberet electio, utrique exaudiuntur ad placitum. Tercia vero die cum super hoc ipso ad[a] presentiam domni pape quasi gratiarum actiones acturi redirent, et litteris eius communiri rogarent, sic res in contrarium versa est, ut eos domnus papa electioni facte consensum ita prebere moneret et monendo consuleret, quasi eum aut promissi penituerit, aut qui quasi promissum prorsus oblivioni tradiderit. Unde plus quam credi potest utrique turbati atque perterriti, reversi suas ad sarcinas, servus Dei Thietmarus, gravissima mox infirmitate pre dolore correptus, octava die inter manus Lateranensium fratrum regularium cardinaliumque presentia, ut fortis adleta Christi iam triumpho potitus, decimo scilicet Kalendarum die Decembrium letus obdormivit in Domino. Tytulus sepulchro eius inscriptus, quis fuerit idem servus Christi Thietmarus aut circa quid quoad viveret labores suos expenderit, tametsi brevibus, veris tamen verbis exponens, ita dicit: *f. 6 Nov. 22.

Hic dormit clarus multa virtute Thietmarus,
Sub quo multorum viguit pia vita bonorum.
Sancte vivebat, sancteque preesse sciebat.
Hunc amor aecclesiae contra facinus symoniae
Sepius armavit, hostesque Dei superavit.

Hi duo, videlicet servus Christi Thietmarus et Betto vere Christi sacerdos, quasi due olive in domo Dei fructifere et quasi duo candelabra immo quasi preclara duo lumina in coelo lucentia, bipertite religionis extiterunt quasi duo principia. Thietmarus canonice religionis atque professionis in clero, Betto monastice religionis atque professionis in beato et vere devoto sexu femineo, ita sane ut adhuc sub iudice lis esse necesse sit, quis eorum et aput Deum et aput homines ampliori laude sit dignus, cum utrorumque laboribus mater aecclesia toto terrarum orbe iam clareat, et clarius omni sole choruscet. Multa bona et memoratu digna de his duobus gemine religionis auctoribus inferre possemus, nisi quod lectoribus fastidiosi esse timemus. Horat.

Servo igitur Christi Thietmaro ipso papa cum multis et episcopis atque cardinalibus beatis exequiis eius astante, satis honorifice in aecclesia Lateranensi sepulto, frater Guntherus ad terram suam honorifice a papa dimissus, hoc est et privilegiis aliisque scriptis illius onustus et bene promotus, letus ad terram suam tristisque revertitur; tristis scilicet de obitu tam dilecti patris, et letus pro consolatione quam a papa super electione in eum facta receperat, et pro aliis multis et principum et religionis nostrae negociis, in quibus eum domnus papa pro anima beati viri Thietmari bene promoverat, et de cetero se promovere promiserat. Reversum autem rursus episcopus Adelbertus, quasi nil ante factum fuisset[b], adgreditur, et ita frater ille vellet nollet, tam apostolica quam metropolitani sui auctoritate conpulsus, manus quasi-captivus dare, et aecclesiam istam litteris confirmationis eius ipse pre manibus habens adire conpellitur. Ubi cum honore et caritate magna receptus ab omnibus, cum inter sorores precipuam viae suae causam fuisse quo absolveretur ab eis et quomodo res bene cepta tandem in contrarium versa fuisset, referre cepisset, hoc profecto sorores audientes, Deum et sanctos illius precipueque beatum Petrum apostolum omnes in commune laudare ceperunt, pro eo videlicet quod ipsum dum Rome fuisset, quibusdam ex eis hic apparuisset et hec dixisse testate sunt: *Nolite timere, ego enim ipse pro vobis Rome pugnabo.* Frater Guntherus gratanter hoc audiens, pro infecto negocio cepit et ipse Deum et sanctos illius laudare cum ipsis, profecto pro omine bono quod referebatur accipiens. Cumque sedisset et oculos suos huc illucque sicut *oportuit et necesse fuit attolleret[c] non in spiritualibus, in his etenim gratia Dei conservante bene florebat, sed in temporalibus aecclesiam istam valde neglectam valdeque dilapsam *f. 7.

a) *deest cod.* b) *sequitur parvus locus rasus cod.* c) attollere *cod.* 25) Innocentio II.

dilaniatamque conspiciens, episcopum mox adiit, a cuius conspectu non rediit, donec Thransfellensem[26] aecclesiam, quam haec domus ex gratia domni Rothardi episcopi diu inconcusse possederat, sed tunc causis nescio quibus emergentibus aliquot ante diebus amiserat, ab eo reciperet. Nichil preter hoc solum quod memoratu sit dignum ipso superstite domus haec consecuta videtur ab ipso; quippe qui, nisi tam cita morte prereptus obisset, profecto maiora fecisset.

10. Illo vero defuncto et ad predecessores suos apposito, domnus Marcolfus[26*], vir religiosus et timens Deum, valde renitens, omnium in illum concurrentibus votis electus, infra biennium, ne malicia mutaret intellectum illius aut ne fictio deciperet animam eius, vere felici transitu migravit ad Dominum. Quo mortuo et ad caelestia regna, quibus ut vir bonus instanter aspirabat, assumpto, vir apprime prudentiae, vir quem omnino nulla religio nec ulla seculi lateret astucia sanctae Moguntine sedis antistes, domnus Heinricus[27] vere ad consolationem domus istius, sicut rei iam iamque probat effectus, eligitur. Ipse
Ps. 90, 5. 6. etenim fratre Gunthero satagente idem, nec a timore nocturno, nec a sagitta volante per diem, nec a negocio perambulante in tenebris, nec ab incursu et demonio meridiano timente, sed die noctuque sicut oportuit omnibus scilicet[a] iustis modis instante, ab eo multa recepit, que[b] domus haec multis ante diebus tam in decimis, quam in aliis multis rebus et pertinentiis suis amiserat. Verbi gratia duas decimas, unam in Chalden et alteram[c] in Hasbike[28], quas prefatus Rothardus episcopus huic aecclesiae pro amore Dei concesserat, et speciali cuiusdam privilegii auctoritate sibi firmaverat, quibus aecclesia ista diu caruerat, ei prompta devotione fratre Gunthero satis instante restituit. Cuius scripture tenorem inter alia bonitatis suae beneficia huic aecclesiae tempore suo collata supra neglectum, hic ponendum esse putavimus, haec continentem:

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Notum sit omnibus sanctae aecclesiae fidelibus, tam presentibus quam futuris, qualiter ego Ruothardus, gratia Dei Mogontiensis archiepiscopus, beneficium Ratwardi eo postulante tradidi aecclesiae in Liuppoldesberc ad utilitatem sanctimonialium[d] *ibidem servientium, ea videlicet conditione, ut quamdiu idem Ratwardus viveret beneficium suum haberet, post mortem vero illius in possessionem supradicte aecclesiae transiret. Cuius rei testes sunt idonei clerici et laici: Otto*[e] *prepositus. Sigeboldus prepositus. Fridericus capellanus. Heinricus. Tudo. Erfo comes. Geroldus comes. Vulvericus. Heinricus. Hatto. Wernhere. Alii quoque quam plures. Ut autem*[g] *eadem tradicio firma et inconvulsa permaneat, scripto hoc memoriae commendavimus et sigilli nostri inpressione signavimus, auctoritate quoque banni nostri interdiximus, ne quis infringere aliqua temeritate sive violentia presumeret. Facta sunt anno dominice incarnationis* 1109. *indictione* 2. *regnante domno Heinrico huius nominis quinto, et presidente sanctae Mogontiensi aecclesiae domno Ruothardo venerabili archiepiscopo.*

11.[h] His tam in eius, qui nobis huc usque violenter ablata iuste restituit, quam in illius, qui primo misericorditer nobis haec contulit, laudem hic diligenter insertis, restat et opere precium est, ut beneficia rimemur et alia, nobis ab ipso domno Heinrico archiepiscopo in redditis bonis nostris exhibita, ne si forte, quod absit, vel ipse vel reliqua sanctae
*f. 8. Mogontinae sedis aecclesia nos acceptis beneficiis ingratos *audierint in necessitate nostra de cetero tanta quanta nunc usque fiducia oculos nostros attollere non possimus ad eos. Preterea quoque fore non valet inmunis a crimine, quisquis acceptis beneficiis cessat a laude et gratiarum actione. Quod luce clarius inprimis apparet hominibus, quos pro eo quod eos beneficiis ingratos aspexit, ipse Deus omnipotens mox de paradysi gaudiis expulsos in hac lacrimarum convalle dampnavit. Dominus etiam ac redemptor noster sicut inter decem illos quos a lepra mundaverat, de novem quos acceptis beneficiis aspexit ingratos taciturnitate miratus, sic et a solius decimi gratiarum actione letatus est dicens:
Luc. 17, 17. 18. *Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt? non est qui rediret et daret gloriam Deo nisi hic alienigena?* Unde ne et nos acceptis beneficiis inveniamur ingrati nimirum eius ad laudem, per quem facti sumus sicut consolati, hoc quoque scriptis istis quasi pro miserationis suae circa nos testamento subiungimus, quod decimas octo villarum, quibus contra privilegium domni Rothardi episcopi, qui eas aecclesiae nostrae contulerat et auctoritatis suae banno

a) oıb⁹ſ; *cod.*, omnibus sed *ed.* b) quibus *cod.* c) *littera supra* a, *significans* m, *nunc erasa est cod.* d) ali *recenti manu supra lin. add. cod.* e) Orto *cod.* g) aũ *cod.* h) *deest numerus in cod.*

26) Dransfeld. 26*) 1141–1142. Iul. 15. 27) Heinricus I. 1142–1153. Sept. 1. Sed iam a. 1153. Iun. 7. depositus est. 28) Heisebeck a Lippoldsberg inter meridiem et orientem.

firmaverat diu diuque caruimus, fratre Gunthero fortiter instante probis et honestis aecclesiae nostrae cum fratribus ab eius miseratione recepimus, scilicet in Cherewardingerothe octodecim[a] maldra, in Eistingenburc totidem[b], in Testinge 23 et dimidium, in Ikentorp 6, in Lavingestorp 3, in Vernithe 5, in Taistinge 6, in Wecinge 11, Hecheresleen, a[c] quibus singulis duo modii ordei, quos vulgo scipelones appellare solemus, singulis annis quasi debitos nobis expectare expectantesque postulare debemus. Quia igitur privilegium felicis memoriae domni Rothardi episcopi, tenore cuius huic aecclesiae decimationes iste firmatae sunt supra notavimus, hic eadem reiterare postponimus. Sed esto! Non debet videri superfluum, si quosdam prefati archiepiscopi Heinrici, quibus ignorans in ista quam dilexit excessit aecclesia, hic quoque subiunxero, ut dum qualiter se correxit e vicino monstravero, hunc aput nos ampliori dignum laude probabo. Quem eius et excessum et meritum melius videre poteritis, si privilegii sui tenorem quo continetur utrumque dignum hic audire duxeritis. Dicit enim:

*In nomine sanctae Trinitatis et individue unitatis. Ego Heinricus, qui sanctae Moguntine sedis gratia Dei sum id quod sum, universis Christi fidelibus notum esse desidero, quod sanctorum predecessorum meorum vestigia libenter amplectens, quicquid vel in ecclesiasticis vel in secularibus rebus Domino cooperante sanxerunt, me quoque velle statuere, et ab eis iuste convulsa me velle convellere. Hoc etenim et decet et expedit, et debitum pastoralis officii quod gestamus hoc admonet, quatinus nos qui loca sanctorum possidere videmur, tanquam filii sanctorum in omnibus bonis eorum exempla sectemur, alioquin super cathedram Moysi, sicut scribe et pharisei sedentes dicimus et non facimus, dum sanctorum loca tenentes sanctitatis eorum exempla proicimus. Unde quicquid circa capellulam in Wilredesheim eiusdem villule circumventus a civibus minus iuste dictaveram, veritate conperta, velut iniusticiae partes iusticia dictante dissolvimus, et omnino irritum esse decrevimus, eamque matri suae cuius antea fuisse cognoscitur, plebesane videlicet aecclesiae in Thransfelde, reddidimus, profecto nonnullis Christi fidelibus hoc fieri postulantibus atque monentibus. Preterea Dei omnipotentis et nostra auctoritate sub anathemate talem fraudem talemque de cetero temeritatem amputandam esse putavimus, et eidem aecclesiae tanquam matri tam in hominibus ab antiquo ad eam pertinentibus quam in capellulis forte sub ea in posterum construendis, sua per omnia iura inviolata servari precepimus, ita sane ut quisquis sciens *decreti huius violator exstiterit, nisi* *f. 9. *secundo terciove conmonitus[d] quod fecit emendet, hic a corpore et sanguine Christi et tandem a regno Dei cum ipso diabolo et angelis eius prorsus alienus existens, perpetuae dampnationis excommunicationi subiaceat. Omnibus autem ei quem iusta sunt servantibus sit pax et gratia domini nostri Ihesu Christi et caritas Dei et communicatio sancti Spiritus. Amen.*

Huc usque domnus Heinricus episcopus. Duo igitur vicia humana natura a prima sui corruptione concepit, a quibus subsequentium malorum omnium propago pullulavit. Haec autem erant ignorantia boni et concupiscentia mali. Quorum unum, id est ignorantia, mentem infecit, alterum, id est concupiscentia, carnem maculavit. Ignorantia pena elationis, concupiscentia effectus mortalitatis est. Quod igitur iste beatus vir in aecclesia ista deliquit ignorantiae fuit, quod vero tam cito patre Gunthero satis instante resipuit, utique concupiscentiae malesuade tela peremit. Non ergo mirandum quod iste beatus vir ignorantiae telo percussus ad tempus occubuit, si, ut de propheta David et Salemone tacuerim, qui hoc ipso graviter telo percussi sunt, ipse quoque summus apostolorum in trina Domini negatione cecum huius ipsius ignorantiae telum Petrus expertus est. Ignoscat ergo caritas, quod tam cita bonitas correxit et veritas. Ipse etenim tametsi nos hoc contristavit in modico, in aliis tamen multis circa nos miserationibus suis ita nobis gratia sui semper fuit accommodus, ut his etiam pro vitando fastidio hic supersedendum esse[e] putemus, profecto gratiae Dei committentes ex corde et dignationem circa nos miserationis unius, indefessosque pro loci huius statu et honore labores alterius, orantes et deprecantes, ne scilicet obliviscatur eos dextera sua in die illa tremenda, quando caeli movendi sunt et terra, in die nubis et caliginis, in die cum sederit inter oves et hedos arrepto ventilabro, sua pro meritis cuique loca decernens.

12. Ipse enim qui universorum est cognitor, ipse inquam novit quanta devotione frater Guntherus sepe iam dictus antiquos illos huius claustri parietes et vetustate dilapsos et

a) deci *cod.* b) *sequebatur* III, *rubro colore deletum cod.* c) *supra lineam add. cod.* d) communitus *cod.* e) *supra lineam add. cod.*

tanto populo situ nimis angustos, ad terram usque deiecerit, eosque quos cernitis et situ maiores et aptitudine operosiores et utilitate commodiores, non tam copia rerum quam dilectione congregationis istius loco priorum erexerit. Novit etiam Deus omnipotens, si claustri huius religio intus et extra quid incrementi temporibus suis acceperit. Preterea universas huius aecclesiae villulas longe vel prope positas redditusque villarum, quomodo quadripartita[a] quadam ratione descripserit, ipsa satis scriptura de his hic exarata testatur. Primus huius scripture modus ille est, qualiter quelibet huius aecclesiae bona, hoc est utrumne concambio an oblatione fidelium an ratione dati et accepti in ius eius accesserint. Secundus modus est ubi sita sint. Tercius modus est quantum inde solvatur. Quartus modus est quibus anni temporibus census inde solvendus sit. Privilegia quoque pontificum hic pro loci statu reposita, vetustate consumpta, salva nimirum tam preteritorum quam tempore suo presentium auctoritate pontificum, ut renovarentur optinuit. Sororum quoque fragilitati pro Christo conpassus, vigilias quas a festo sanctorum omnium usque ad pascha finitis matutinis usque ad diem observare solebant, pro multis earum incommodis sic temperandas esse putavit, quatinus hisdem temporibus ad lectos omnes in commune redirent et quae vigilare possent, aut ante lectos aut in lectis hoc facerent, alieque quiescerent. Huc acces- *f. 10. sit et illud quod letanias suas, quas et tempore estatis et hiemis nuda *humo prostrate cum ingenti corporum pectorumque precipua inportunitate decantare consueverant iacentes, ad formulas[29] celebrari constituit. Consuetudinem etiam de mandato cenae Domini finita cena celebrando mutavit, et de cetero ante cenam statim finita missa celebrari constituit, ne scilicet legitimus quadragesimalium dierum tenor hic aliquid inminutionis acciperet, si bis illa die conmederent. Qui enim hanc diem cum aliis quadragesimalibus diebus in ieiunando non servat, nimirum omnium dierum illorum se reum esse non dubitet. Ipsa etenim una est de quadraginta diebus, quas auctoritate veteris et novi testamenti observandas sancta suscepit aecclesia. Forte aliquis argutus haec audiens respondet et dicit: „Si Christus finita 1 Cor 11,24 cena accipiens panem benedixit et fregit deditque discipulis suis et ait: *Accipite et manducate; hoc est caro mea* et cetera; quare tantopere observasse nos arguis, quod ipsius nostri redemptoris exemplo huc usque servasse nos conspicis." Ad haec inquam: Longe alia ratio fuit, quare Christus cena facta corpus suum discipulis dare disposuit quam ista sit, qua argutus iste quicumque sit, sua cena finita mandatum Christi se celebrare promittit. Christus namque finitis veteris paschae sollempniis, quae in commemorationem antique de Egypto liberationis populi Dei agebantur, transit ad novum quod in suae redemptionis memoriam ecclesiam frequentare volebat, ut scilicet pro carne agni ac sanguine sui corporis sanguinisque sacramentum substitueret, ipsumque se esse monstraret, cui *iuravit Dominus, tu es* Ps. 109,4 *sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech.* Fregit itaque ipse panem quem discipulis suis ipse porrexit, ut ostenderet sui corporis fractionem non absque sua sponte ac Ev Ioh 10,18 procuratione futuram, sicut ipse dixit: *Potestatem habeo ponendi animam meam* et cetera. Quem scilicet panem gratia certi sacramenti prius quam frangeret benedixit, quia naturam humanam, quam passurus assumpsit, ipse una cum Patre et Spiritu sancto gratia divine veritatis implevit. Post cenam igitur corpus suum tradidit, quia necesse erat, prius pascha typicum consummari, et sic veri et novi paschae sacramenta substitui. Nos vero pro reverentia tanti sacramenti prius reficimur dominicis sacramentis quam corporalibus cibis. Sed quid haec ad ea quae sunt de mandato, immo de transgressione mandati, paulo ante proposita? Aliud est enim tractare de cena, aliud de corporis Christi confectione, et aliud vel de observatione vel de transgressione tractare mandati. Unde quia de mandato Christi inter apostolos celebrato, unde mater aecclesia sui mandati sumpsit exordium, quia inquam inde res agitur, aliis omissis hic inde tractetur. Dominus igitur ac redemptor noster in ea die, quae cena vocatur, pedibus discipulorum lotis et linteo quo erat procinctus extersis, cum peracto cene negocio residere cepisset, illic utique neque manducavit aut bibit, ne illic edacitatis exemplum posteritati relinquaeret, sed docuit patenter ostendens, quod non in solo pane vivet homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Nec aliquod illic nisi ablutionis pedum, id est vere humilitatis exemplum quod sequamur, ostendit et docuit, quippe qui omnibus et cene et mandati sui negociis ad finem usque perductis, attestante Iohanne Ev Ioh 13,12—15 sic ait ad illos: *Scitis quid fecerim vobis. Vos vocatis me magister et domine. Et bene dicitis,*

a) quadriptita *cod.*; quadripertita *ed.*

29) sellas, cf. Du Cange sub voce *forma.*

sum etenim. Si ergo ego lavi vestros pedes magister et dominus, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. His dictis[a] profecto post aliqua cum intinxisset panem, attestante Iohanne dedit Iude Symonis Scariothis, forte per panis intinctionem, ut ait Augustinus, eius significans fictionem. Antea namque cum reliquis Christi discipulis corpus et sanguinem Christi perceperat. Hoc igitur tantum excepto, nullum apostolorum illic quicquam aut manducasse aut bibisse ewangelista testatur[a]. Quod pater monasterii huius frater Guntherus advertens, velut hoc ipso ipsius Christi edoctus exemplo, temporibus suis hoc statuit et diligenter observari precepit, quatinus consuetudine manducationis illic, unde nescimus oborta, omnino posthabita, ea die, hoc est in cena Domini, mox missa finita, quasi peracta cena dominica, transeatur ad illud ablutionis pedum, id est vere *humilitatis obsequium. Illoque finito sedeatur humiliter non *f. 11. ad eum cibum qui perit et transit, sed ad eum qui permanet in aeternum, id est verbi Dei convivium, ita sane ut his rite peractis tunc primum, et quadragesimalium tenore dierum et ipsius Christi nimirum illic non manducantis exemplo servato, corporalis cene pergatur ad mensam. Haec inquam, tametsi diligenter observari precepit, non tamen arroganter hoc fecit, aut ita quasi qui meliorum observantiis in his rebus aut aliis obeundum, sed diligenter obtemperandum esse decreverit. Novit namque qui dicit: *Cum meliora nobis offeruntur, non vincimur sed instruimur.* Unusquisque enim in suo sensu habundans suo domino aut stat aut cadit, ideoque nimis videretur esse preproperum de alieno servo preproperam precipitare sententiam. Verumtamen viderit necesse est quisque quid dicat aut statuat, ne scilicet obsurduisse videatur ad illud apostoli: *Rationabile sit obsequium vestrum.* Qui enim Rom. 12, 1 facit quod non sapit, hoc est cuius facti nulla prorsus auctoritas ei constat aut ratio, hic profecto diffinitur non homo sed bestia.

His dictis hoc quoque prefati fratris Guntheri statutis hic inserendum esse putavimus, quod specialibus quatuor anni temporibus scilicet nativitatis Domini, resurrectionis, pentecostes et festivitatis perpetuae virginis Mariae, prioris dominarum atque sororum confessiones ex ordine fieri precepit et statuit, eapropter in ordine, ne forte se aliqua illarum posset huic institutioni subtrahere, quod leviter aut pro tempore aut pro timore vel etiam pro pudore pusillanimitati fragilium solet accidere. Certe nec hoc silentio hic pretereundum esse putavit, de quodam temporali[b] lucro quod quasi re bene gesta licenter in partibus istis a multis et contra Deum et decreta sanctorum observari cognoverat, quod profecto vicium tanto magis est saluti contrarium, quanto putatur et virtuti similius et rei domestice procurationis utilius. Usura turpis est, sed eo turpior quo virtutis amictu velatior, cuivis tuam accommodare pecuniam et quasi pro vadio eius ipsius interim bona reditusque recipere, et tamen ad ultimum ex integro pecuniam tuam[c], quasi de bonis illis nichil sis omnino lucratus, exigere. Certe non dictat hoc veritas, quo debeas et eius et tua recipere, sed tantum ei de tuo remittere, quantum te constat interim accepisse de suo, alioquin: *os tuum habundavit* Psal. 49, 19. 20. *malicia et lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum locutus es et adversus filium matris tue posuisti scandalum,* ut quia *necesse est ut veniant scandala quodque ve fiat* Ev. Matth. 18, 7 *homini per quem venit scandalum, et ve mundo fiat a scandalo,* benedictus quoque sit in seculum seculi, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non* Ps. 14, 5 *accepit. Qui enim facit haec non movebitur in aeternum.* Utinam hominum huic mundo deditorum tantum[d] et non claustra attemptaret haec furia, nunc autem, quod absque dolore non dicimus, et illorum et claustrorum fines invasit et destruit, ut et videntes non videant immo ceci fiant, et audientes iusto Dei iudicio non intelligant. Quod vicium tempore predicti fratris Guntheri gratia Dei fores claustri huius clausas inveniens, sicut leo rapiens et 1. Petr 5, 8. rugiens circuit quaerens proh dolorque reperiens ubique quem[e] devoret, pro eo videlicet, quia non est qui intelligat aut qui velit advertere hoc quod dicit apostolus, ne quis scilicet 1. Thess. 4, 6. circumveniat fratrem suum in suo negocio, ne et ipse circumveniatur a satana[30], qui operatur in filiis diffidentiae hoc quoque mysterium iniquitatis, *ut qui nocet noceat adhuc et qui in sordibus est sordescat*[f] *adhuc,* donec in ipso omnium iniquorum capite, filio scilicet perditionis antichristo, de medio fiat elevari *et extolli super omne quod colitur et quod dicitur* 2. Thess. 2, 4.

a) *verba* his dictis *usque* ewangelista testatur *in inferiori margine addita sunt c.* b) tempori *cod.* c) *supra lineam add. c.* d) tm̃ *c.* e) q̃ *c.* f) sod' *c.*

30) Alludit auctor ad scripturam sacram, videlicet 2. Cor. 2, 11.

Deus ita ut in templo Dei sedeat ostendens se, tamquam sit Deus, q̃. d. i ĩt s. o. s. 7d. i. a. s.[31], iam iamque cum omnibus nequiciae suae complicibus in locum suum iturum, moriturum, vitae et morti sine fine victurum. Haec inquam, et haec pro loco[a], pro populo, pro religione, nec non et omnibus domus huius intus et extra reliquiis manus eius instanter operata est, quo vel sic aliqua circa eas et omnem hic[b] Christi familiam devotionis suae memoriam, intuitu orationis eorum, beate posteritati relinquaeret.

CATALOGUS BIBLIOTHECAE LIPPOLDESBERGENSIS[c].

*f. 12. *Libros e vicino subscriptos tempore suo prefatus Guntherus mediante priore domna Margareta non solum scribi sed et hic annotari precepit.

Matheum et Iohannem, per continuum expositos, quorum prior: *Dominus ac redemptor noster*, secundus: *Omnibus divine scripturae paginis ewangelii lex precellit*, incipit. Secuntur Lucas et Marcus, marginalibus et interlinearibus glosis[d] expositi, quorum prior sic incipit: *Lucas de omnibus*, secundus ita: *Initium euangelii Ihesu Christi filii Dei.* Omnes hi quatuor de optimo ostro, sicut decet tales libros, obducti sunt. Genesis secundum Robertum excellenter exposita. Secundum eundem Exodus et Leviticus in uno volumine diligenter expositi. Secundum eundem liber Numeri et liber Deutronomii et liber Iudicum in uno volumine diligenter expositi. Secundum eundem et Heymonem in uno volumine Apokalipsis Iohannis exposita. Secundum Ieronimum Ieremias et secundum Heymonem Ysaias expositi. Primum et secundum quinquaginta Psalmorum usque: *quam bonus*, in uno volumine, tercium quoque in duobus voluminibus, uno secundum Augustinum, alio secundum Honorium continentur. Breviter summa psalmorum secundum Godefridum virum religiosum et veteris et novi testamenti peritum, in duobus parvis continetur voluminibus, in quorum et uno non solum illa summa quam dixi psalmorum sed et magistri Hugonis quidam de modo et virtute orandi tractatus, et eiusdem duo de forma et expositione arce libelli continentur. Item primum quinquaginta secundum Honorium in uno singulari continetur volumine. Epistola Pauli ad Romanos secundum Originem, cuius hoc est initium: *Volentem me parvo* et cetera. Item decem Pauli epistolae partim exposite in uno continentur volumine; prima ad Romanos, secunda ad Corinthios, tercia ad Galathas, quarta ad Effesios, quinta ad Philipum, sexta ad Colosenses, septima ad Thesalonios, octava ad Hebreos, nona ad Thimotheum, decima ad Tytum. Cuius voluminis initium est: *Paulus Romam nondum venerat.* Item ad eosdem Paulus in alio volumine, cuius hoc est initium: *Ephesus est civitas Greciae.* Iohannis apostoli et Petri apostoli quaedam in alio continentur volumine; cuius voluminis hoc est initium: *Et vidi et ecce.* Cantica canticorum secundum Gregorium, de arra animae secundum Hugonem, alieque quam plures de libro Moralium et de collationibus patrum nobilesque sententiae in uno continentur volumine, cuius initium hoc est: *Postquam a paradysi gaudiis.* Item Pauli apostoli ad Romanos, ad Corinthios et ad Galathos in uno continentur volumine, cuius hoc est initium: *A Chorintho civitate* et cetera. Canonice epistolae et actus apostolorum in uno volumine, cuius initium hoc est: *Septem sunt epistolae.* Liber sapientiae secundum Hugonem, qui sic incipitur: *Quae de libro Salemonis.* Ieronimus super epistolam Pauli ad Effesos, qui liber incipitur ita: *Si quicquam est.* Apocalipsis partim excerpta sic incipitur: *Sicut in scripturis.* De doctrinali anno tractatus a quodam prudente editus et psalterium non continue sed versatim labore magistri Hugonis expositum, continetur in uno volumine, quod sic incipitur: *Legitur in Zacharia.* Pars paterii, quae sic incipitur: *Cum beatissimi.* Augustinus de doctrina christiana, qui sic incipitur: *Sunt precepta quedam.* Anselmus Cantuariensis episcopus de gratia et predestinatione et prescientia et libertate arbitrii in uno volumine, qui sic incipitur: *Cum liberum arbitrium.* Pastoralis cura Gregorii. Hugo de sacramentis in duobus voluminibus, quorum prior sic incipit: *Librum de sacramentis*, secundus: *Magne sunt in scripturis.* Ambrosius de fuga seculi et de vita beata, et Augustinus de fide querentem intellectum. Idem ad Petrum de fide, idem de laudatione divina et de puteo inferni, de vera penitentia et secundum modernos quidam de numerorum virtute tractatus, continentur in uno volumine parvo, qui sic incipitur:

a) pro loco *supra lin. add. cod.* b) *supra lin. add. cod.* c) *deest hoc lemma codici.* d) glosi⁰. *cod.*

31) Non repperi hunc locum in concordantia.

Frequens nobis. Hugo[a] de caelesti ierarchia, qui liber ita incipitur: *Iudei signa querunt.* Liber sententiarum, qui sic incipitur: *De fide.* Alius in alio volumine, cuius hoc est exordium: *Tres sunt species.* Alius qui sic incipitur: *Tytulus Martian.* Alius qui sic incipitur: *Duo leguntur auctores.* De cognitione *vitae. Beda super canonicas epistolas *f. 13. et decem civitatibus quibus itur ad patriam, aliaque innumera bona, libro continentur in uno, qui sic incipitur: *Sapientia Dei.* Ieronimus de interpretatione Hebraicorum nominum, qui liber sic incipitur: *Philo vir.* Hugo[b] de sacramento altaris, de institutione novitiorum, de didascalicon et de operibus sex dierum, et de incorruptione virginis Mariae, et abbas de Claravalle Bernardus de euangelio: *Missus est Gabriel,* idem de cantico Mariae. Item Hugo de assumptione sanctae Mariae *tota pulcra es,* ad extremum nobilis de mundanorum rerum vanitate tractatus. Haec omnia continentur in uno volumine, qui sic incipitur: *Fratri in Christo karissimo.* Fides Leonis pape. Honorius de scala caeli. Ieronimus de duodecim visionibus Danielis. Godefridus super epistolam: *Stephanus plenus gratia* et super euangelium eiusdem diei: *Ecce ego mitto ad vos,* et eiusdem sermo de versu: *Audi filia et vide.* Tractatus Ferrandi diaconi ad Reginum comitem, qualis debeat esse dux religiosus in actibus militaribus. Item liber episcopi Fulgentii ad eundem Ferrandum de quinque quaestionibus, omnia haec continentur in uno volumine, cuius hoc est initium: *Ad aecclesiae filios.* Robertus de septem donis Spiritus sancti, qui sic incipitur: *De gemina resurrectione.* Alius liber eiusdem de victoria verbi Dei, qui sic incipitur: *Cum tu hospes.* Godefridi liber de canticis monachorum nocturnalibus, eiusdem sermo de beato Augustino, item sermo eiusdem de cohabitatione bonorum inter malos, quae omnia continentur in uno volumine, qui sic incipitur: *Patet hoc canticum esse.* Cuiusdam prudentis et religiosi viri tractatus de sacramentis hereticorum vitandis, et de missa uxoratorum sacerdotum omnino non curanda, et cuiusdam Brunonis episcopi religiosi tractatus de symonia. Item venerabilis viri Godefridi tractatus de sacramentis hereticorum, idem de beato martire Christi Laurentio preciosiorem omni thesauro sermonem. Idem de summo bono sermonem, qui liber in quo continentur haec omnia, hoc habet initium: *Habentes in nomine Domini.* Eiusdem de beata Maria sermo super euangelium: *Missus est angelus,* cum aliis sermonibus in uno sunt comprehensi volumine, quod tale sortitur exordium: *Sicut prudens pater familias.* Porphirius cum glosis suis, qui tale habet initium: *Cum sit necessarium.* Rethorice[32] Ciceronis, quarum hoc habetur initium: *Sepe et multum.* Itenerarius Clementis et ordo Romanus et quidam de sacramento altaris tractatus in uno volumine[c]. Excerpta canonum. Musice notatum versarium. Derivationes et interpretationes verborum, de differentia nominum et verborum. Epistola Gozberti de voce, de littera, de figuris litterarum et de reliquis ad eas pertinentibus. Excerptum Gerlandi de constructionibus Prisciani, cuius tale est principium: *Quam plures.*

GÜNTHERUS.

Quia domum Dei per omnia ordinatam esse decet et expedit, quiddam quod hic omnino preter[d] ordinem temporibus nostris invenimus, tum pro honore religionis et loci, tum etiam pro omnium hic Deo militantium utilitate profecto communi omnium assensu mutare et in meliorem statum reformare statuimus. Omnes etenim claustri huius officinas preter solam cameram gratia Dei bene ordinatas invenimus. Ipsa namque pre ceteris, quod miserabile dictu videtur, tam sordida paupertate squalebat[e], ut nichil omnino redituum aut aliarum rerum ad usum non solum tocius congregationis verum etiam hominis unius haberet. Deo igitur auctore et omni congregatione ut hoc fieri deberet instante, statuimus quatenus singulis annis decem talenta redituum, media scilicet pars levioris monete, alteraque gravioris ita de cetero tradatur ad cameram, ut etiam quicquid excepto argento vel prediis, a viris hic convertendis aut feminis huic offeratur aecclesiae, cum his quoque denariis quos et censuales huius aecclesiae, sive sint viri aut mulieres, optulerint, totum contrahatur ad cameram, ut quicumque ei forte prefuerint, habeant unde omnium necessitati respondeant. Quicquid vero pro mortuis vel pro reficiendis hic Christi pauperibus, hoc est in caritate sive ad altare, sive ad capitulum, sive ad manus patris aut fratris aut sororis oblatum fuerit, totum hoc coquine remaneat. Quicquid autem aliquis hic[f] obtulerit, illud in patris dispensatione consistat, ut omnium coniventia etiam inde fiat quod universitati conducat. In Dei igitur omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti caritate rogamus, ut quod pro omnium vestrum et utilitate et caritate statutum est ratum habere velitis, diligenter observantes et hoc, ut quicquid ad cameram

a) Hugu *cod.* b) De Hugo sacramento *cod.* c) *una linea vacua relicta est cod.* d) p̄t *cod.* e) sualebat *cod.* f) *post hanc vocem una linea erasa est cod.*

32) De inventione rhetorica.

sive coquinam offeratur a quoquam[a], et quid sit, et in quos usus redigatur et quando, conventus hoc sciat, ne scilicet aliquis omnino locus et suspicioni remaneat, et omnis hic populus eo devotius pro eorum, pro quorum haec sunt oblata, salute precibus sacris insistat.

Quae sequuntur manu saec. XIII. in ultima pagina scripta sunt.

Hec bona conquisivit Lippoldesbergensis ecclesia temporibus Conradi prepositi: Decimam in Bernersen et tres mansos. Decimam in Ymmissen et octo mansos. Decimam in Stuthenrothe. Duos mansos in Sivenessen. Molendinum unum in Thencteghessen, quod solvit dimidium fertonem, et 3 mansos[b]. Mansum unum in Meingershusen. In Odericheshusen 22 agros et aream unam. In Emmenhusen 3 mansos. In Grivelessen 3 mansos. In Thethingehusen 4 mansos. Decimam in Werthen. Decimam in Howardessen. In Mense quatuor mansos. In Artelmissen 3 mansos et dimidium. In eadem villa cambivit erga dominum Conradum dapiferum mansum unum cum manso uno in Walshusen et super addidit 4 libras. In Superiori Khelize mansum unum. In Bunnincheim 4 mansos. In Hundesburen dimidium mansum. In Kalden 6 agros. In Frankenhusen 5 agros. In Gherewardehusen 5 mansos.

In quadam villa in Thuringia, que vocatur Huneghe, emit septem mansos. Decem cambivit et ortum unum et ecclesiam in eadem villa Huneghe cum redditibus quos ecclesia habuit in Bendeleve et in Gruzen et Magensleven et in Weghesezen, qui solverunt 10 talenta et 4 solidos. Cum molendino quod habuit ecclesia quondam in Bune conparavi 22 agros et aream unam in Ymmessen. Decimam de novalibus prope Budenevelde conquisivit etiam ecclesia temporibus prepositi Conradi pro 8 marcis. Decimam in Sconingen tenemus a comite Adolfo iuniore pro quinquaginta marcis. Domno Conrado dapifero solvi[c] pro decima in Werthen quadraginta quatuor marcas. Domnus Gozwinus sacerdos conparavit mansum unum in Artelmissen pro duabus marcis et dimidia a quodam Abbarone, attinente domno Widikindo de Vesperthe[e], et ut domnus Widikindus et uxor sua[f] domna Gisla assensum preberent et ratum tenerent, eis duas marcas et fertonem unum dedi. Pro[g] bonis in Breizolcs[h], que solverunt sedecim solidos, emi mansum unum in Megershusen, pro bonis in Kemenadenberge, que solverunt viginti sex solidos, emi in Artermissen tres mansos, et in Dedingehusen solvi ab heredibus bona omnia. Pro molandino in Bune, quod desertum fuit, emi in Immessen 24 agros et aream unam, insuper illi qui fuit heres illius molandini dedi 5 fertones. Ecclesia ista habuit bona in Eilwardeshusen inutilia sicut omnibus constat. Vendidi domno Hermanno de Cegenberge pro 24 marcis, quas spopondit domnus Fridericus de Drevorde[i] dare pro eo. Ille solvit 15 marcas, adhuc tenetur solvere 9 marcas. Eadem bona constant ecclesiam istam temporibus meis plus quam 20 marcas. Pro bonis illis conputavi honesta bona in Emmenhusen, que conparata sunt a domno Heinrico in Herste.

a) aq̃q̃ *cod.* b) et 3 mansos *in margine add. cod.* c) salvi *cod.* e) vespthe *cod.* f) suo *cod.* g) *abhinc alia manus pallidiore atramento scripsit, quinque priores lineae recenti manu oblitae sunt cod.* h) c *supra lin. add. cod.* i) de Dr. *supra lin. add. cod.*

REINERI
MONACHI SANCTI LAURENTII LEODIENSIS OPERA HISTORICA

EDENTE WILHELMO ARNDT PH. DR.

Codex bibliothecae Lovaniensis universitatis membranaceus, signatus No. VI. Ianssens Theol. profana, *saeculo duodecimo diligenter exaratus, continet Reineri monachi Sancti Laurentii Leodiensis opera quaedam, ex quibus historica tantum hic lectoribus nostris propposituri sumus.*

Codex qualis nunc manibus nostris teritur, ex fragmentis sex codicum conglutinatus est, quorum primum continet vitas Wolbodonis, Evracli, Reginardi episcoporum Leodiensium, quas excepit in ultimo folio aeque atque in fragmento parvo sequentis folii, prius quidem vacui, Breviloquium de incendio ecclesiae sancti Lamberti, *alia manu ac Reineri opus exaratum, attamen ad saeculum duodecimum spectans. Constat haec codicis pars triginta quinque foliis et fragmento supra memorato, quod recentioris temporis homo, qui negotium codicis folia numerandi suscepit, folium trigesimum sextum signavit. Altera pars codicis hodie amplectitur folia* 37—69. *Quae autem prius in ea contenta fuerint opera docet scriba codicis ipse in prima pagina:* Libellus Magistri Reineri loci huius monachi super opuscula quorundam abbatum et fratrum. Vita sancti Amoris confessoris qui Belisie quiescit. Vita sancte Landrade virginis. Vita sancti Anselmi Lucensis episcopi et confessoris. (*Addit manus saec. XVI.* Sermo eiusdem de charitate. Item epistola eiusdem contra Guibertum antipapam.) Vita et passio sancti Eumari martiris qui Ruthis quiescit, cum miraculis eiusdem. Vita sancti Leonardi abbatis et confessoris. Vita sanctorum Severini et Victorini confessorum et fratrum. Vita et passio sancti Bonefatii Maguntini archiepiscopi. Omelie duodecim Eusebii Cesariensis episcopi de pasca valde utiles, translate de Greco in Latinum. Item sermones eiusdem tres de ascensione Domini. Item eiusdem duo de Spiritu sancto. Ista omnia continentur in hoc volumine. *Quibus adiecit manus saeculi XV. vel XVI. haec:* Item vita sancte Prisce virginis et martiris. Item sermo de ieiuniis rogacionum. Item Iheronimus de Eusebio. Item epistola ad Desiderium de decem scriptoribus.

Manus recentior, fortasse saec. XVII, post Vita sancte Landrade virginis, *scripsit:* Sunt initio huius libri, caetera quaere in alio libro, *et in fine folii:* Sequitur de gestis abbatum et confratrum huius monasterii, deinde de casu fulminis super ecclesiam nostram, deinde gratiarum actio de reconciliatione eiusdem ecclesiae post dicti fulminis conflagrationem. *Haecque scripta fuisse quum codex*

iam compactus, ut hodie superest, esset, persuasum habeo. Attamen desiderantur et vita sancti Amoris et vita Landradae, restant tamen vestigia re vera hos secutos esse libellos Reineri monachi opus de claris sui monasterii scriptoribus, quum inter fol. 57 et 58 appareat disiecta fuisse aliqua membra, fortasse duos quaterniones. Ita effectum est, ut opusculum de claris scriptoribus statim in codice, qualis nunc est, excipiat fragmentum tertium, quod fol. 58 praebet opusculum de casu fulminis. Sequitur fol. 64 Libellus gratiarum actionis ad beatum Laurentium super dedicatione nova.

Quarta pars codicis amplectitur folia 70—132, eiusque contenta sunt haec: fol. 70′—89′ Triumphale Bulonicum, fol. 89′ Conversio sanctae Pelagiae, fol. 98′ Opusculum de passione sanctae Mariae virginis, fol. 107 Vita sancti Tiebaldi heremitae et monachi, fol. 116′ Libellus de adventu reliquiarum sancti Laurentii martyris in Leodium ab urbe Roma, fol. 122 Libelli duo de conflictu duorum ducum et animarum mirabili revelatione, et de milite captivo et per salutarem hostiam liberato, fol. 131′ De Spiritu sancto ymnus ad nocturnos.

Tum lacuna in codice apparet, ubi paginae aliquae ereptae sunt; incipit enim quinta pars et quidem opus: Libellus lacrimarum fol. 133 cum fine primi libri. Folio 148′ legitur: Finit libellus lacrimarum tercius.

Denique fol. 149′ sequitur sexto loco: De profectu mortis liber primus, fol. 161′ eiusdem operis liber secundus, qui fol. 162 a scriba non confectus desinit.

Omnes codices quum integri extiterint, olim pertinuisse ad monasterium sancti Laurentii Leodiensis inscriptione fol. 1. manu saec. XIV, nunc valde laesa: ...... mon. sancti Laurentii, docemur. Similiter in fol. 70 haec manu saec. XV. vel XVI. exarata inveniuntur: Pertinet monasterio sancti Laurentii prope Leodium. Haec fragmenta autem priusquam in hoc uno volumine compacta fuerant, partes tantummodo amplioris fuisse collectionis probant duo etiam nunc conspicua bibliothecae signa, fol. 1 id est primae partis pagina prima: MM. 6—15, et fol. 70 id est quartae partis pagina prima: MM. 6—14[1]. Videamus iam de scribis. Quamquam ductus litterarum inter se similes sint, tamen non dubitandum, quin variae manus exsolverint munus scribendi, attamen omnes hos codices scriptos fuisse per manus monachorum Sancti Laurentii verisimile est, quum textus mendis omnino pene carens, et ubivis fefellerit manus a coaevo correctore recte constitutus, sine dubio libri originalis locum sibi vindicet ad usum fratrum monasterii praeparati. Vitas Wolbodonis et Evracli certe idem exaravit scriba, vitam Reginardi alius ut videtur. In particulis secunda et tertia variae scribarum manus alternabant. Quartam partem unus idemque scripsit scriba. In quinta litterarum ductus paululum graciliores sunt, accedit quod atramentum nigrius sit adhibitum. Sextae denique particulae scriba fortasse idem est ac quartae partis.

Loci correcti, nisi in vita Reginardi, haud saepe offenduntur, rasurae rariores. Quae emendavit manus recentissima fortasse saeculi XVI. facile cognitu sunt. Rubris coloribus usi sunt scribae in titulis praefigendis, vel in exordiis capitulorum distinguendis, ubi semper littera initialis hoc colore picta existit. Praeterea huius minii in exornandis litteris non parvus usus. Color caeruleus tantum in initiis vitarum, quas prima pars continet, investigatur; littera initialis in folio 37′ existens caeruleo et flavo colore recentiori demum tempore est exornata.

1) Reliquam codicis partem Arndtius nuper Bruxellis in codice bibliothecae publicae Burgundicae nostris diebus acquisito evolvit, atque in usus nostros vertit. PERTZ.

Scripturae specimina ex secunda et quarta codicis parte desumpta, adiungere libet.

De Reinero ex scriptis suis novimus eum monachum Sancti Laurentii Leodiensis fuisse, defunctum autem paulo post annum 1182 *inde divinare licet, quod opusculum breve de incendio ecclesiae sancti Lamberti anno* 1187 *facto iam exaraverat alter quam codicis scriba, ita ut hanc narratiunculam vix Reinero nostro vindicare possimus, praesertim quum ex totius opusculi tenore pateat, autorem inter fratrum Sancti Lamberti numerum receptum fuisse.*

Scripsit autem Reinerus multa, quibus non contenti, ut multum etiam scripsisset optamus. Sed ne de iis quidem rebus, quibus aequalis interfuit, narrationem accuratam prodit, immo vero contentus fuit in Triumphali Bulonico vetustiorem de hoc triumpho narrationem vertere in suum usum, additis quibusdam dierum numeris. Nec melius quid de caeteris eiusdem operibus praedicare possumus. In vitis trium episcoporum Leodiensium Evracli, Wolbodonis et Reginardi potissimum secutus est Gesta episcoporum Leodiensium et Ruperti chronicon Sancti Laurentii, quibus addidit in vita Wolbodonis describenda Sigebertum, vitam Balderici, vitam Heriberti auctore Ruperto. Carmen de adventu reliquiarum sancti Laurentii Leodium est paraphrasis relationis quam redegit Ludovicus aequalis. Cetera Reinero ipsi adscribenda sunt, sed magis theologum quam historicum sapiunt.

Opera historica quonam tempore scripta sint, non satis constat. Certe Triumphale Bulonicum, ut ex eius fine coniicere possumus, non ante annum 1153, *vitae trium episcoporum post hunc annum compositae sunt, quippe quae non enumerentur inter scripta Nostri in libello de ineptiis cuiusdam idiotae. Econtra libellus de adventu reliquiarum ibi memoratur. Quod autem pertinet ad libellos de casu fulminis et de dedicatione nova, ex materia ipsa constat, eos non prius quam anno* 1182 *esse confectos.*

Ediderat scripta Reineri multa ex parte Bernhardus Pez in Thesauri Anecdotorum novissimi Tom. IV. parte III, omisit autem dare vitam Wolbodonis, quam legimus in Actis Sanctorum Boll. April. II, 857—862 *et in Mabilionii Actis Sanctorum ordinis sancti Benedicti, VI,* 1. *pag.* 176—185. *Vitam Reginardi episcopi etiam luci dedit Chapeaville II,* 167 *sqq.*

Non minimam partem Reineri exscripsit Aegidius Aureaevallensis, uti in huius chronici editione, si licet, fusius docebimus.

W. ARNDT.

VITA EVRACLI.

PROLOGUS IN VITA DOMNI EVRACLI LEODIENSIUM MEMORABILIS EPISCOPI.

Quantum honorificentiae, quantum gratitudinis Evraclo, gloriosi memorialis episcopo, aecclesia Leodiensis debeat, operae pretium est recolere scripto, quam scilicet moribus, doctrinis, basilicarum structuris tantopere excoluit, in hac Domini vinea vere operarius sollers atque industrius. Propterea mercedis aeternae non est fraudatus denario. Fidelis est enim et verax, cum quo convenit eodem ex denario vineae Dominus[2], qui reddat unicuique secundum opera eius.

Evracli utique gesta quoniam fuere preclara, fuerant et preclaro digna scriptore, qui peritia dictionis bonae secundum prophetam[2*] diceret iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Dixerunt et quidem scriptores aliqui de illo, sed minus bene, quia minus diligenter aut plenarie. Sparsim igitur dicta exegit quorundam fratrum benivola simulque importuna petitio, ut in unum colligerem, et diligentiore stilo facerem ex pluribus scriptis unam scriptionem, quemadmodum feceram in describendo vitam sancti Wolbodonis Leodiensium item episcopi. Verum exilis ego ingenii ac nullius scientiae conscius excusavi et reluctatus sum diutius, intra me illud versans poeticum:

2) Cf. Matth. 20, 2. 2*) Isa. 3, 10.

Hor. A. P. 38 sqq. *Sumite materiam vestris qui scribitis aequam*
Viribus, et versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

cf. 2 Corinth 13, 4. Quoniam vero karitas secundum apostolum benigna est, nec querit quae sua sunt, sed quae aliorum, et omnia sustinet, quanquam supra vires meas perpenderem esse negotium, tamen parui tandem petentibus, malens imperitiae notam subire, quam benivolentiae fratrum non obedire.

FINIT PROLOGUS.

INCIPIT VITA EIUSDEM.

1. Egregium Leodiensis aecclesiae decus, claro Saxonum Evraclus sanguine fuit oriundus. Ipse apud Coloniam Agripinensem ad litterarum dispositus rudimenta, tantam postmodum in divinis aeque et humanis assecutus est scientiam, ut summis par esse philosophis iure consereretur, presertim cum venustatem corporis mores etiam inaurarent splendidi, et cf. Prov 17, 24. iuxta Salomonem in facie prudentis luceret sapientia.

2. Veronae autem Cisalpinae, quam vulgo Bunnam dicunt, magisterio preditus scolarum, mira benignitate tam suos scolares quam universos studii ad se causa confluentes erudiebat, et sese contemperans quibusque et acclinans, his solidum quidem doctrinae cibum, illis lacteam quasi maternis prebebat ex uberibus alimoniam. Flaccus Rebius Minutio Rutilio conscolastico suo Donatum describens grammaticum: *Super quavis ratione,* inquit, *consultus, dicebat breviter omnia et furibunde, ita ut nec a discipulis auderet interrogari. Quocirca furore dum sepius perstreperet, obscenisque esset tam menbris quam moribus, ordine senatorum et curia pulsus est, dum senatoris antea meruisset pilleum propter grammaticae artis magisterium.* Rebium ergo dixisse estimes: *Sic Donatum decuit scientia, quemadmodum si auribus suis coaptetur inauris aurea.* Verum minime talis noster Evraclus, qui non expectabat interrogari, sed insistebat quo interrogaretur, non fastidiens, non lassescens[a], quantumcumque aut quotienscumque quidlibet ab eo quereretur. Adeo profectui studebat aliorum, nec habebat repositam in sudario desidiae pecuniam Domini sui, immo expendebat eam liberaliter in usuram celestis gratiae, pigros ac desides in studia excitans illo Prov 12, 11. Salomonis proverbio: *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus, qui autem sectatur ocium, stultissimus est.* Itidemque illos iocundissime ingerebat Hor. ep I, 2, 32 sqq. satyrici versiculos:

Ut iugulent[b] homines surgunt de nocte latrones,
Ut te ipsum serves, non expergisceris? Atqui
Si noles sanus, curres ydropicus, et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere.

3. Fidei ergo firmitate et operum nitore vir Eccl 50, 10 eruditus erat, ut scriptum est: *Quasi vas auri solidum, omni lapide precioso adornatum.* Quem licet invitum ac renitentem Veronensis aecclesia sibi prefecit prepositum, experiebaturque in illius ministerio, quantae strenuitatis, quantae esset fidelitatis, Gen. 27, 27. ut iure diceret illud Ysaac patriarchae: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus,* dum afferret fructum bonum, quod fuerat in illo bene seminatum. Dictum itaque illi est a Domino: *Euge[3] serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Decedente[4] etenim vita Baldrico Leodiensium episcopo huius nominis primo, in electionem Evracli atque substitutionem clerus ac populus felici studio summaque animatus est concordia, favente et annitente Coloniorum archiepiscopo Brunone, qui et illum egregie sibi compertum sollemni benedictione sacravit in episcopum, exultans in gaudio, lucernam talem poni super aecclesiae Leodiensis candelabrum.

4. Religione igitur et doctrinis Evraclus lucebat omnibus qui in domo Dei erant, adeo ut scolas etiam per claustra urbis monasterialia institueret, docendisque pueris provideret magistros, sufficientia illis stipendia et annuos reditus assignans. Litterarumque studia tanto fervore prosequebatur, quod nullae illum occupationes retraherent, quin sepius scolas adiret, artiumque disciplinas scolaribus pro cuiusque ingenio et captu insinuaret. Verum si aut in expeditionem aut in aliqua regni negotia evocatum contingeret diutius remorari, quos reliquerat scolarum magistros provocabat strenue ad studiorum palestram, mittendo scripta vel hylari prosa vel dulci metro composita. Nanque et ab Italicis et Chalabricis partibus, signa sequens imperialia, non omisit interdum scribere. Nec abstitit intentione tam laudabili, quousque multa fructificaret in multis scientia. Cum quibus videlicet iam conferebat de rebus misticis atque per hortos scripturarum spaciando fruebatur cum illis de pomis, ut ita dixerim, fructuum solis ac lunae, id est de sacramentis et dogmatibus Christi et aecclesiae, de pomis etiam collium eternorum, id est de actibus et eloquiis patrum catholicorum.

5. Evracli summopere amplectebatur industriam Bruno, de quo premissum est, Coloniensis archiepiscopus et archidux Lotharingiae, qui ut summae nobilitatis, ita et summae religionis ac prudentiae ornabatur gloria. Hic cum fratre suo, imperatore scilicet Ottone, regni seu imperii potenter ac industrie moderabatur gubernacula, nec secularibus adeo distrahebatur curis, ut non preponeret quae essent aecclesiasticae provectionis. Inter cetera enim quae fecit magnifica, cenobium quoque sancti Pantaleonis penes Coloniam exstruxit, monachos in eo abbatemque instituit, locum thesauro et reditibus ditavit amplissime. Huius studium emulatus Dei emulatione noster Evraclus — nec enim erat inferior devotione — duo in hac urbe monasteria condidit[5], unum sancti Pauli, alterum honori et titulo dedicans sancti Martini, nec non per unumquodque 30 canonicos deputans. Ac licet sepenumero premeretur tanquam uva dulcis adversitatum

a) sescens *alia manu in loco raso cod.* b) *secundum* u *in loco raso cod.*

3) Cf. Matth. 25, 21. 4) a. 959. Apr. 20; cf. Gesta epp. Leod. M. G. SS. VII, 201. 5) ibid. p. 202.

torculari, militantibus quibusdam villas seu bona episcopii usurpantibus, sibi tamen in eisdem monasteriis servientibus uberes decimarum ac prediorum reditus adquisivit, et carthulari munimine firmavit possidendos perpetue. Malebatque penuriam rei familiaris nonnunquam perpeti, quam pauperibus non tribuere, aut eis quos aggregasset Deo necessaria deesse.

6. Sicut denique in Zacharia legitur de Ihesu sacerdote magno, quoniam Sathan stabat a dextris eius, ut adversaretur ei, sic aliquotiens per suos etiam cives Evraclo adversatus est[6], eatenus quod vice quadam cellaria ipsius vinaria in monte sancti Martini[7] sita, tanquam filii Belial, id est absque iugo, ter[a] effregerint, rubeosque Wormatiensis vini rivos in subterfluentem Mosam per prona diffuderint. Sed quoniam scriptum est: *Doctrina[8] viri per patientiam noscitur*, et: *Melior[9] est vir patiens viro forte, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium,* cum retribuere posset mala pro malis, satagebat tamen in bono semper vincere malum, ac multo magis ignoscere, quam ultionem exigere. Sic ergo secundum Oseae prophetam[9'] memoriale eius sicut vinum Lybani, ut quia Lybanus candidatio interpretatur, celesti niteat candidatu, et vino letitiae fruatur perpetuae. A suis autem Thebanis patiens habitus sit Socrates quoque phylosophus, quem dum aliquando Xantippe illius uxor procellis urgeret conviciorum, tonitruans hominem esse fedissimum, recalva fronte, semis naribus, pilosis humeris, cruribus repandis, ac superiore staret loco, deorsum stantem perfudit urinae grandi stillicidio. Ille a vestibus, capillis et barba ymbrem putidum decutiens et abstergens: *Satis noveram,* ait, *post tonitrua solere pluvias sequi, nec egueram tali hac inundatione doceri.* Hoc duntaxat philosophus responso duxerit suae satisfactum iniuriae.

7. Evraclus[10] preterea referre solitus erat, quod dum aliquando in castris esset cum Ottone imperatore, qui adversum Grecos occupaverat Chalabriam, subita solis obscuratio[11] et horribile factum sit deliquium. Nocturnas exercitus tenebras et chaos insolitum perhorruit, ac veluti urgeret ultimus seculi dies, iudiciique tempus instaret, cepit pavitare. Magnanimes heroas timidarum instar dammularum vidisses diffugere. Quidam in vasa certatim vinaria irrumpere, quidam in cystas profugere, alii sub carris, in specubus alii latitare. Heu[12] quae turbatio, quae tunc trepidatio erit, quando ut predixit Dominus, erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium pre confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus pre timore et expectatione, quae superveniet universo orbi, nam virtutes celorum movebuntur, sive, ut in apocalypsi[13] legitur, quando caelum recedet sicut liber involutus, et omnis mons et insulae de locis suis movebuntur, quando reges terrae et principes et tribuni, et divites et fortes, et omnis servus et liber abscondent se in speluncis et petris montium, et dicent montibus et petris: *Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et a facie agni, quoniam venit dies magnus irae ipsorum, et quis poterit stare?* Ut vero intermissa repetam, Evraclus disciplinae haud ignarus astronomicae, mansit intrepidus, atque singulos circuiens femineae arguebat diffidentiae, qui trepidarent timore ubi non erat timor, fieri nanque aliquando talem naturaliter solis decessum. Viderent post paululum cuncta nitescere, quae frustra tunc pavitabant nigrescere. Quorum si tam degeneres animos, si pectora tam meticulosa perciperent hostes, quorum in medio erant, qui gloriose ceteros solebant vincere, ignominiose victi, cedi et rapinae idem ipsi forent hostibus. Nec vero diutina intercessit mora, cum paulatim renasci lux cepit, ac Phebeae lampadis integer candor aera rursum perfudit et terras. Ceperunt milites tanquam formicae a cavernulis emergentes, suam invicem ignaviam increpitare, et ludibundis plausibus suae extasis ridere defectionem.

Evracli predicatur scientia, qui abstrusas etiam rerum causas norit perspicere. Certum est autem Plinio, Machrobio, Calcidio aliisque pluribus tam astrologis quam compotistis auctoribus, quod quotiescunque luna eclypticam attingit lineam, si eadem hora congressionis eius cum sole, qui circa ipsam semper cursitat, lineam convenerit, interventu et obiectu ipsius solaris nobis defectus luminis contingat, vel si plena tunc dyametro a sole destiterit, illam terrenae molis umbram incurrere et terrae oppositione ab aspectu solis prohiberi, et ideo eclypsin necessario pati.

8. Igitur super speculam Domini Evraclus stabat iugiter per diem, et super custodiam suam stabat totis noctibus. Ipse litteratus, ipse, ut ait Ysaias, Isa 33, 18 verba legis ponderans et doctor parvulorum, qui doceret subiectos quicquid iustitiae, quicquid vitae et salutis esset perpetuae. Ipse inter cetera disciplinarum instituit[14], ut in adventu Domini et a septuagesima usque in pascha clerus pulla veste, nigris scilicet cappis, amiciatur, eo quod niger color penitentiae et afflictioni, quam albus magis conveniat, procul dubio intendens, ut filii aecclesiae in exteriori quoque habitu hoc pretenderent, quod de Christo in canticis canticorum dixit aecclesia: *Comae eius sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus.* Cant. 5, 11. Comae siquidem Christi sunt fideles, eidem suo capiti adherentes, qui propterea elatis palmarum, id est spatulis sese in altum elevantibus, assimilantur, quod fide et operibus tendunt in superna, quatinus dicant cum apostolo: *Nostra conversatio in celis est.* Phil. 3, 20. Corvorum denique pulli dum plumescunt, albi sunt, et quia parentibus sunt dissimiles, negliguntur ab eis ac minime pascuntur. Qui tamen coacti fame, halitu suo naturaliter fetente muscas attrahunt, quae circa eorum rostra glomeratae, glutiuntur ab eis. Hinc et inter cetera laudum Dei psalmista: *Qui dat,* Ps. 146, 9. inquit, *iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Qui scilicet postquam nigrescere ceperint, propter plumarum similitudinem amplius et amantur a parentibus et aluntur. Comae igitur

a) III *alia manu in loco raso cod.*

6) ibid. 7) in Monte-Publico, *Publemont.* 8) Prov. 19, 11. 9) Prov. 16, 32. 9') Ose. 14, 8. 10) Sequentia ex Gestis epp. Leod. l. c. hausta sunt. 11) 968. Dec. 22. 12) Cf. Luc. 21, 25. 13) Cf. Apoc. 6, 14—17. 14) Haec refert Rupertus in Chron. S. Laur. Leod. M. G. SS. VIII, 269 de Wolbodone.

Christi nigrae quasi corvus, dum fideles denigrari, hoc est nullis refugiunt affici tribulationum pressuris propter Christum, cuius nigredini, cuius passioni compatiens Ysaias: [Isai 53, 2] *Et vidimus eum*, inquit, *et non erat species ei neque decor, despecto et novissimo virorum, viro dolorum et scienti infirmitates.* Ideo comae tales firmiore amoris radice dominico plantantur in capite, tales inquam pulli ora sua Deum invocando aperientes, bonique odoris attrahentes spiritum, non muscis, hoc est vitiis, sed Christi et aecclesiae pascuntur nunc sacramentis, eternalibus posthac pascendi bonis, ut scriptum est in propheta: [Ezech. 34, 14.] *In pascuis uberrimis pascam eos, et in montibus excelsis erunt pascua eorum, ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur*, dicente et David: [Ps. 22, 5] *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.*

9. Nec vero ineptum sit annectere, quod nichil in cadaveribus magis quam oculos corvus appetat. Quod tangere videtur illa etiam Salomonis parabola: [Prov 30, 17] *Oculum, qui subsannat patrem et despicit partum matris suae, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant illum filii aquilae.* Seudomagistri sydera, ut scripsit Iudas apostolus, [Iud 13.] errantia, quibus procella tenebrarum in eternum reservata est, dum divina reprehendunt iudicia, patrem subsannant luminis, heretici inquam nebulae sine aqua, illa scilicet, de qua Dominus: [Ev Ioh 4, 14.] *Qui biberit aquam*, inquit, *quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam eternam*, dum fidem, seu predicationem derident aecclesiae, partum matris despiciunt: quia dicente Iohanne [1 Ioh 2, 19] *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* De aecclesia prodeunt qui contra eam loquuntur, cui pro erroneis sunt dolores ut parturientis, quatinus gemat cum Paulo: [Ga. 4, 19.] *Filii mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Sed perfidam horum intentionem dum catholici, scripturarum viventibus aquis immorantes, disceptando atque arguendo revincunt, quasi oculum nequam corvi de torrentibus effodiunt, et filii aquilae comedunt. Sancti et quidem appellantur corvi, quia nigredinem in se confitentur peccati, filii vero aquilae, quia illius vivifico sunt renati fonte qui tanquam aquila volavit ad celum, longe ultra solem humano radians in corpore. Qui degeneres nimirum filios reicit, velut aquila pullos, qui a radio solis cecutientes reflectunt oculos. Verum Evraclo erant oculi sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae, et resident iuxta fluenta plenissima, qui columbina simplicitate scripturis assidue veritatis immorabatur, per quas spiritualis caveret insidias accipitricis[a], hoc est spiritus mendacii, [1 Tim 6, 20] *devitans*, ut precipit Timotheo apostolus, *prophanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.*

10. Et quidem iam provectus etate processerat in diebus multis, sed secundum psalmistam [Ps. 102, 5] renovata est ut aquilae iuventus sua, quae dum ex senectute suos caligare oculos senserit et impediri volatum, ad ferventissimum solis se ardorem exponit, et non solum totius corporis plumas, sed ipsas quoque alarum pennas et egritudinem exurit oculorum, miroque effectu aciem inde visus reparat, unde hominis solet obtundi et caligare aspectus. In fontem de hinc limpidissimum devolat, et tertio sese immergit, atque ita pristinam reformat sibi iuventutem. Hac[15] inquam similitudine Evraclus, cuius sitiret anima ad Deum fontem vivum, qui haberet in solem iustitiae intentos mentis oculos, devotionis studio renovatus est quodammodo ac refloruit, ut quia in urbe iam extruxerat, sicut premissum est, duo monasteria, tertium hoc in loco in gloriam sanctae Trinitatis extrueret. Igitur fundamenta iecit, nec veritus est sapiens architectus, quod locus infamis esset suspendiis latronum, pollutus sepe malignorum cedibus hominum, rapinis exosus predonum, qui propter silvae circumiacentis tunc condensa sibi speluncas hic fecerant et latibula. Nec enim ignorabat quod in Calvariae loco sanctus sanctorum crucifixus sit, Romae Pantheon et innumera quaquaversum per orbem demonum templa nonnunquam a sanctis patribus in aecclesias mutata sint et dedicata. Itaque certatim fervebat opus, iam aliquanta ex parte surrexerant a fundamento murorum parietes, cum interim episcopus differens maius altare, quod esset sancti Laurentii, minus fieri seorsum iussit ad tytulum sancti Sixti papae et martyris. Quod etiam dedicavit, dotans nascentem aecclesiolam prediis quibusdam, quae nunc usque possidemus. Sed repente impedita est aedificatio illa, manus cessavit artificum, quia Evraclus de medio factus est[16]. Evocavit inquam ad se Christus vineae suae operarium, ut quoniam bene fuerat operatus, et portaverat pondus diei et estus, redderet illi mercedem suam, eterni scilicet refrigerii et beatae pausationis denarium. Opus itaque ceptum remansit imperfectum, pupilla facta est absque patre quasi adhuc lactens aecclesiola, desolata sedit et nuda, donec Nothgerus qui successerat episcopus, equari tandem parietes murorum et tectum superponi fecit[17].

11. Ad hunc Leo quidam episcopus ex nobilissimis Grecorum profugus venit, qui pulsus a sede sua iccirco fuerat, quod incusaretur Ottoni secundo, dum idem imperator adversum Grecos haberet castra, prodidisse Calabriam. Quem et humane exceptum predictus antistes in hoc manere loco statuit, nec non de bonis, quae venerabilis Evraclus delegaverat, cum suis habere stipendia. Qui tempore incolatus sui sobrie et iuste et pie vivens, expectabat beatam spem et adventum gloriae magni Dei, a quo et postmodum gloriose ab exilio mundi eductus est, et ante altare sancti Gereonis penes nos accepit sepulturam[18], non iam hospes et advena, sed civis sanctorum et tuus, o sancte Laurenti, domesticus.

12. Evraclus denique pius pater familias et scriba doctus in regno celorum migravit a seculo dominicae incarnationis anno 971. 6. Kal. Novembris, presidente sedi apostolicae Iohanne a beato Petro

a) *rad. effectum est*: accipitris *cod.*

15) Sequentia ex Ruperto l. c. p. 264 hausit Reinerus. 16) 971. Oct. 27. 17) Haec et sequentia ex Ruperto desumpta sunt, l. c. p. 266. 18) De quo tale cernitur lapidi insculptum esse epitaphium: *Conditur hic praesul Graecus Leo qui fuit exul. Anno M.* MARTENE.

apostolo 134, Ottonis primi tam regni quam imperii anno 34, sui autem presulatus 13, digitoque Dei scriptus est in vita in Iherusalem. Cuius venerabile corpus digno exequiarum cultu sepultum est in aecclesia sancti Martini ante maius altare, choro utique illorum aggregati, de quibus ad Danielem dictum est: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splen-* Dan 12, 3. *dor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas eternitates.* Amen.

VITA WOLBODONIS EPISCOPI LEODIENSIS.

PROLOGUS IN VITA DOMNI WOLBODONIS[a] LEODIENSIUM VENERABILIS EPISCOPI.

Mala[19], inquit Salomon, *aurea in lectis argenteis qui loquitur verbum in tempore suo.* Nam spectantium sicut quodammodo pascit oculos, si argentea cuiuslibet lecti fabrefactura malis adornetur aureis, ut quas parit natura species[b] ars docte assimilet, metallumque arborea videatur germina quasi parturire, sic immo verius studentium alit animos, vel de auro intelligentiae spiritualis[c] vel de argento experientiae moralis, apte formata et oportune prolata eruditio. De qua licet vix quippiam assecutus sim, tamen benivola quorundam fratrum estimatio per aliquantum me temporis urgebat, quatinus de domno Wolbodone episcopo qui penes nos quiescit aliqua memorarem, scilicet ut ea que apud diversos sparsim scriptores de illo habentur, mutuata tantum ab eisdem materia, proprio dictatu congererem et unum e pluribus formarem scriptum. Sed minus idonee capit effectum, quod supra vires fuerit attemptatum, quin potius iuxta poetam metiri se quemque suo modulo ac pede verum est. Proinde et ego illud sedulo michi proponebam euangelicum: *Quis ex vobis volens turrim edificare, non*[d] *prius* Luc. 14, 28. *sedens computat sumptus qui necessarii sunt si habeat*[e] *ad perficiendum*, atque metiens me ipsum, penitus refugiebam incipere, quod commode non possem consummare. Attamen non refriguit fervens petentium piaque exactio.

Igitur recepi tandem quod species pietatis fraterno quidem ore sed suo instinctu iniungebat, ne culpa offenderem indevoti, nisi parerem aliquatenus devotioni, et quia defixeram apud reverendum confessorem propriae sponsionis manum, presens opusculum exsolvi, verbum quod utinam sim locutus in tempore suo, id est quod fructuosum sit vel legentibus vel audientibus. Quod si cui tamen displicuerit, attendat quoniam magnopere exactus sum, patientiusque feret imperitiam, qui non verba cogitabit sed materiam. Nec enim usquequaque curat de verborum apparatibus, qui proficere querit de sanctorum virtutibus.

FINIT PROLOGUS.

INCIPIT VITA EIUSDEM.

1. Clare nobilitatis Wolbodo genus ex Flandria duxit, sed claritatem generis clariore illustravit vita, eruditione et pontificali prerogativa. Hic a pueritiae primitivo flore quasi lylium candens, bonae indolis spirare cepit odorem, dum traditus scolis etiam ultro ad omne bonum aspiraret documentum, docibilisque sensu ac ingenio mansuetus, ex suis iam tunc studiis faceret intelligi, quod munda et recta essent opera eius. Igitur ut etate ita litterariis proficiebat incrementis, poeticumque exercebat illud non segnis:

— — — *Nunc*[20] *adbibe puro*
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Nec vero defuit piorum cura parentum, qui pre cunctis opibus suis hunc habentes preciosum, modestis atque illustribus pedagogis commiserunt et magistris, quatinus claro institutionum auro tam carum sibi adornarent saphirum, qui et mentis et faciei sereno celestis quodammodo emularetur firmamenti serenum. Nam boni parentes hanc suis debent filiis diligentiam, ut bene instituantur. Philippus Macedonum rex, tam litteris quam militaribus gestis egregie potens, dum Aristoteli[f] scriberet philosopho natum sibi esse Alexandrum: *Equidem diis habeo*, inquit, *gratiam, non proinde quia natus est, quam pro eo quod nasci eum contigit temporibus vitae tuae. Spero enim fore, ut educatus et eruditus abs te, dignus existat et nobis et rerum susceptione regalium.*

2. Sed humanae insitum est naturae, quod libentius docendi labor assumitur, si beneficia labori compensentur. Scribitur autem dignum esse operarium mercede sua[21], nec infrenandum os bovi trituranti[22], bonasque artes stimulo premiorum felicius incitari. Itaque bonis habenda est gratitudo magistris, qui non litteris solum, sed quod probabilius est ad bonos etiam mores suos informent scolares. Unde et Simmachus vir clarissimus, Romanae urbis prefectus, Theodosio scripsit augusto[22*]: *Inter precipua negotiorum sepe curatum est, ut erudiendis nobilibus philosophi preceptores ex Attica poscerentur. Itaque nonnullos ius et auctoritas publica in usum nostrae urbis accepit, domine imperator. Nunc vestri seculi bonitas ultro optimatem sapientiae Romanis gymnasiis arrogavit. Siquidem Celsus ortus Arthetimo*[g] *patre, quem memoria litterarum Aristoteli subparem fuisse consentit, iuventuti nostrae magisterium bonarum artium pollicetur, nullum questum professionis*

a) d *recentissima manus saec. XV. scripsit nigro atramento cod.* b) spes *cod.* c) spualis *cod.* d) ne *manu saec. XV. add. cod.* e) habet *cod.* f) te *alia manu addita sunt cod.* g) Archetimo *Symmachus.*

19) Prov. 25, 11. 20) Horat. epist. I, 2, 67. 21) Luc. 10, 7. 22, 1 Cor. 9, 9. 22*) Symmachi epist. X, 18.

affectans, atque ideo dignus in amplissimum ordinem coaptari[a], *ut animum vitiis avaritiae liberum dignitatis premio muneremur. Sydereum*[b] *ergo est eternitati*[c] *numinis vestri, hunc genere, eruditione, voluntate laudabilem adiudicare nobilibus pignore dignitatis, cum prerogativa scilicet consulari, ne sumptum eius magis quam magisterium quesisse videamur, non sine avaritiae nota, si ab eo munia publica postulemus, qui spondet gratuita precepta.*

3. Igitur Wolbodo pudoratus adolescens bene institutus, ac semper in anteriora se extendens, ibat de virtute in virtutem, et summopere sobrietati studens ac pudiciciae, sicut Samuel in tabernaculo Domini, sic penes aecclesiam vel claustrum erat assiduus, et ne lenociniis sorderet secularibus, foras evagari omnimodo refugiebat Christi Nazareus. Quippe
Eccl. 13, 1. ut scriptum est: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea*, sic non erit aliens a contagio, qui curiosa sectans, non se subtraxerit a seculo.

4. Dehinc iuventute spectabili ut palma florens, nam et procero corpore[23] et membris erat directis, omnes in clero precellebat aecclesiae Ultraiectensis[d], in qua etiam fuerat canonicus a puero, quae tunc temporis religione pariterque divinis et humanis vigebat disciplinis.

5 Magister denique scolarum factus erudiebat
Iob 29, 3 multos, quoniam instar sancti Iob lucerna Dei splendebat super eum, et Domini appropinquans pedibus, accipiebat de doctrina illius. Itaque pro gradu, pro etate, pro capacitate singulorum affabilis et be-
1 Cor 9, 22 nignus, secundum apostolum erat omnibus omnia factus.

6. Ad preposituram deinde maioris aecclesiae promotus, satagebat tanquam fidelis dispensator et
Luc 12, 42 prudens, qualem in euangelio commendat Dominus, dare in tempore tritici mensuram confratribus suis, ut sollertior non fuerit ille quondam filius accrescens Ioseph horrea dispensare Pharaonis. Nec tamen pro cura exteriorum curam negligebat interiorum, sed pie severus, discrete districtus, omnem cohibebat indisciplinationem, practicae quidem ut Martha, theoricae insistens[e] ut Maria. Quoniam ergo canonicus regulari interpretatur, oportune importune arguebat subditos et obsecrabat tam moribus quam habitu
Prov. 4, 13 esse regulares, illud attendens Salomonis: *Tene, fili, disciplinam, ne dimittas eam, custodi illam, quia ipsa est via tua.*

7. Imperator Heinricus qui propter insignia virtutum generisque claritudinem agnominatus est gloriosus, Wolbodonem magni habebat precipuoque censebat loco inter amicos, et interdum detenti secum in palatio fruebatur familiaritate, consiliis ac religiositate. Qui scilicet orthodoxus princeps unice sancto Laurentio devotus, Bavenbergensem aecclesiam ad illius titulum constructam et dedicatam possessionum atque opum munificentissima liberalitate donavit, honore extulit, quatinus sedes ibi pontificalis haberetur. Proprii nanque corporis heredem non habens, Christum et eius martyrem rerum devovit suarum nec non patrimonii heredes habere, ut puta qui ante regnum vel imperium dux fuisset prepotens Baioariorum.

8. Interea Baldrico, ut genere sic vita et memoria illustri episcopo, diem obeunte[24], qui suae diocesis aecclesias multimodis quaquaversum rebus provexit, ad postremum vero in insula huius urbis sancti Iacobi fratris Domini fundavit[25] cenobium, directa est ad imperatorem legatio aecclesiae Leodiensis, alium sibi pastorem substitui per litteras virosque industrios expetentis. Erat quippe tunc regiae potestatis sive iuris episcopos ad suum electos arbitrium per anulum et baculum pastoralem investire[26], nec non destinare aecclesiis cum sua commendatione. Sed attente curabant religiosi principes in hunc honorem tales assumere, qui regno subiectisque possent prodesse, ut profuerunt plerique diversis temporibus per diversa loca. Gloriosus itaque imperator, qui gloriam Christi quereret, tractabat quem daret Leodiensibus pastorem. Quibus et Wolbodonem assignavit, quo digniorem nullum attenderet. Ille indignum se profitens, precibus et lacrimis contra nitebatur, adquievit tamen postremo, ne diligentem se admodum principem contristaret, immo ne iacturam obedientiae aut notam pertinaciae incurreret. Missus itaque cum auctoritate augustali, exceptus est magno assensu et gaudio cleri ac populi, nec enim per ambitum sumebat sibi honorem, sed vocatus a Deo tanquam Aaron. Proinde quia faciebat illum Dominus crescere in plebem suam benedictionem accepit a Domino, atque ut sacerdotio illi fungeretur vestitus secundum Aaron vestem sanctam in gloriam et decorem, sacratus est in episcopum a sancto Heriberto Coloniorum archiepiscopo.

9. Quia igitur hic pastor intravit per ostium in ovile ovium, illi ostiario aperiente, id est Christo, ad instar David pascebat Israel christianum, pascebat inquam hereditatem Christi in innocentia cordis sui et in intellectibus manuum suarum deducebat eam. Et quidem faciebat prius quae postea doceret, ideoque ut monet Thimotheum apostolus[27], attendebat lectioni, exhortationi, doctrinae, exercens quam maxime se ipsum ad pietatem, quae, sicut idem diffinit magister gentium, ad omnia utilis est[28], promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae. Erat[29] itaque erga pauperes tam liberalissimae pietatis, ut si deesset interdum quod largiretur, tapetia, urceolos, pallia seu alia quevis episcopii[f] ornamenta clam sibi ipsi sublegeret, atque nocturnis maxime horis distribueret egentibus, quae scilicet a camerariis ac ministerialibus erat redimi necessarium. Quid nempe memorem illius in orationibus seu vigiliis instantiam, dum plerunque noctes etiam hybernas transegerit insomnes, aut sanctorum oratoria circueundo, aut misericordiae operam infirmis et pauperibus impendendo, qui secretius ipsomet dictante per nota eum diverticula viarum observabant. Filius[30] quidem lucis ambulabat per noctem,

a) cooptari *S.* b) Dignum *S.* c) aeternitate *S.* d) *praescripsit manus recens* v *cod.* e) *ultimum* s *in loco raso cod.* f) epu *cod.*

23) Consentiunt Gesta epp. Leod. M. G. SS. VII, 207: *Eidem statura procero* etc. 24) 1018. Iul. 29. 25) 1016. 26) Cf. Ruperti Chron. S. Laur. Leod. M. G. VIII, 207: *adhuc enim non electione sed dono regis episcopus fiebat.* Quae verba ex aevi sui usu ampliavit Reinerus. 27) 1 Tim. 4, 13. 28) 1 Tim. 4, 8. 29) Conferas in sequentibus Anselmi relationem l. c. p. 208. 30) Eph. 5, 8.

quoniam ad verum tendebat diem, videlicet ambulabat in tenebris, quoniam nitorem oderat vanae ostentationis iuxta dominicum illud: *Te*[31] *faciente aelemosinam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit aelemosina tua in absconso, et pater tuus qui videt in absconso reddet tibi.* Attestari denique solebat quidam illi familiarior, quod cum pedes eius lavaret, frigore et glatiali viarum deprehenderit asperitate adustos, sanguinemque ab interioribus elicitum in superficie cutis occalluisse. Adeo[32] Christi luminosum fratrem Iacobum[33] imitatus sit, qui orando ad patrem luminum, pro assidua genuflexione callos in modum cameli scribitur contraxisse in genibus.

10. *Ignis*, ait Dominus ad Moysen[34], *in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiciens ligna mane per singulos dies, et imposito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum.* Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Ardens[35] sane Wolbodo igne karitatis in Deum et proximum, nutriebat illum veluti sacerdos officiosus in altari sanctae meditationis, operumque subiciens ligna bonorum, holocaustum desuper aelemosinarum quasi adipes adolebat pacificorum. Nec enim vacabat illius mensa, illius refectio a ferculis dilatatae largitionis, dum lautiora queque et delicatiora sibi apposita Christo dispertiret, hac vel illac infirmis et indigentibus mittendo, se vero pane cibario atque escis communibus quanquam longe citra saturitatem reficiendo. Iure igitur ad illum sancti Iob derivatum sit preconiale: *Si*[36] *negavi quod volebant pauperibus, si oculos viduae expectare feci, si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea.* Potissimum tamen quos Deum timere et mandata eius observare nosset, commendabat verbis, honorabat donis, quamlibet a nullo miserationis subtraheret manum, dicens cum apostolo: *Sapientibus*[37] *et insipientibus debitor sum.*

11. Nec fore insipidum prorsus estimo, si rem hic inseram Greco sale conditam. Herodem Atticum consularem virum et ameno civilem ingenio, adiit palliatus quispiam et crinitus barbaque pubetenus porrecta, petiitque sibi aes donari. Tum Herodes interrogat quisnam esset. Ille vultu vocisque sonitu obiurgatorio philosophum sese profitetur, demirari autem, cur querendum putaverit quod videbat. *Video*, inquit Herodes, *barbam et pallium, philosophum necdum video. Sed*[a] *bona te venia queso dicas michi, quibus nos uti posse argumentis existimas, ut esse te philosophum experiamur.* Stomachante illo, tum vero qui aderant erraticum esse hominem et nullius rei dicere, quin immo incolam sordentium esse ganearum, ac nisi accipiat quod petit, convitio turpi solitum incessere. *Demus*, inquit Herodes, *huic aliquid aeris cuiuscumque modi est, demus tanquam homines tanquam non homini.* Iussitque dari pretium panis triginta dierum.

12. Enimvero[38] ut ad nostrum redeam Wolbodonem, maledici quidam averterunt ab eo pristinam augusti benivolentiam, detractionum serentes zizania, de qualibet est dictum[b]: *Susurro et bilinguis* Ecc 28,15 *maledictus, multos enim turbabit*[c] *pacem habentes.* Veruntamen pacis sectator, qui fideliter cesari redderet quae essent cesaris, et quae Dei Deo, suorum cf Eu Math. 22,21. consultu fidelium paravit xenium cesare[d] dignum, quo illius turbatum contra se tranquillaret animum, non ignorans illud de proverbiis. *Time dominum et* Prov 24,21 *regem, sicut enim rugitus leonis ita et terror regis;* itemque illud Petri apostoli: *Deum timete, regem* 1 Petr 2,17. 19 *honorificate. Haec est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitiam, patiens iniuste.* Preterea retractans et illud: *Cor regis in manu Dei,* Prov. 21,1 *quocunque voluerit inclinabit illud,* celesti rege placato terreni facilius regis posse indignationem sustineri, ut excuteret manus suas sicut ab omni etiam ab isto munere, quicquid congessisset pecuniae dispersit et dedit pauperibus, perinde ut ne unam quidem inde siliquam retineret. Coloniam deinde 1020. profectus, ubi tunc idem imperator agebat natale dominicum[39], se illius presentiae exhibuit, grandia expectantis a Wolbodone auri et argenti talenta. Interrogatus, superno imperatori queque attulerat se per manus pauperum attribuisse submisso et gratanti ore respondit, quatinus illum summus imperator illiusque tueretur semper imperium. Augustae civilitatis cesar, quod sanctum Laurentium esset imitatus, cui erat et ipse devotissimus, sereno accepit animo et vultu, dum terso protinus omnis offensae vel scandali nubilo, sibi congratulans et amplexans fecerit considere. Maiore igitur est habitus gratia Wolbodo nichil dando, quam ceteri qui multa dederant episcopi, palatinorum frivolos favores aut mimorum plausus et facetias appetendo, quoniam quidem scriptum est, qui conscientiae servat mun- cf Prov 22, 11. ditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.

13. Idem[40] nichilominus imperator archiepiscopo Heriberto graviter erat diuque infensus. Edicere causam oportunum est. Otto[41] huius nominis imperator tertius Crescentem Romanorum patritium contra se rebellantem bello Romae aggressum vicit, fugientem sed retractum ex fuga cepit, abiudicatum et vili iumento averse impositum circumduci per

a) *addidit manus recentior supra lineam* cum *cod.* b) *in loco raso cod.* c) turbavit *cod.* d) *mutavit recens manus* cesari *cod.*

31) Eu. Matth. 6, 3. 4. 32) Cf. Ruperti chron. S. Laur. Leod. l. c. p. 268 33) Cf. Eusebii Hist. eccl. II, 23. 34) Levit. 6, 12. 35) Cf. Ruperti chron. l. c. 267. 268. 36) Iob 31, 16. 37) Rom. 1, 14. 38) Cf. Gesta epp. Leod. l. c. p. 208, et Ruperti chron. l. c. p. 268. 39) Secundum Ann. Hild. SS. III, 95 imperator a. 1020. natale Domini Ratisponae egit. Repugnat charta Dec. 23. Hammerstein data, Böhmer 1204. Stumpf 1756. Sed idem ac Reinerus refert Rupertus in chron. S. Laur. Leod. l. c. 269: *Hac ille* (sc. imperator) *oratione flexus, Coloniam venit, in die natalis Domini coram omnibus archiepiscopo* (sc. Heriberto Coloniensi) *satisfecit.* Exstat autem diploma Heinrici II. a. 1020. Febr. 19. Coloniae datum. Böhm. 1194. Stumpf 1740. 40) Cf. Ruperti chron. l. c. p. 269. 41) De fabulis de morte Ottonis ortis disputat Wilmans, Jahrbücher des Deutschen Reichs II, 2, 245. Reinerus suam relationem partim ex Heriberti vita auct. Ruperto partim ex Sigeberto hausisse videtur. Cf. M. G. SS. IV, 745. VI, 354.

Urbem fecit, paulatimque truncatum menbris ante muros ad ultimum suspendi iussit. Huius uxor spe imperandi imperatorem ad suum allexerat amorem, sed cum doleret repatriantem et nuptiis se frustrari, misso illum clam veneno infecit. Roboam Salomonis minutus prudentia legitur, sed non minus imperatorem istum dixerim minoratum sensu, qui mulierculae insolenti et lascivae, cuius tam dedecorose tractasset maritum, cuius parentes Romanamque rem publicam damnis admodum profligasset ac mortibus, se crediderit, se acclinaverit. Fugit
Eccl. 25, 22 24 Ottonem quod in libro Sapientiae scribitur: *Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris; commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam; nequitia mulieris immutat faciem eius, et obcecabit vultum suum quasi ursus.* Per hanc itaque ursam actus est Otto in mortem, et agens in extremis, Heriberto Coloniensi archiepiscopo, qui tum aderat et cui potissimum confidebat, insignia imperii commendavit, ut ea scilicet illi assignaret, quem communis electio et assensus principum in regnum substituisset. Nam carebat filiis. Dum milites autem Transalpini corpus eiusdem defuncti transportarent ad Galliam, pluribus Italorum insidiis atque incursibus lacessiti sunt, sed viam sibi haud segniter armis paravere. Verumtamen[42] cum in tuto iam esse res putaretur, Heinricus de quo nunc mentio est imperator, dux Baioariae tunc existens, in archiepiscopum, ad quem spectabant et cui parebant omnes, insurrexit, atque ab illo insolentius iniuriato eadem insignia per vim extorsit, dicens hereditario sibi iure illa competere. Suum etenim fuisse avum fratrem primi Ottonis imperatoris Heinricum. Hoc seminarium simultatis et discordiae apud cesarem contra archiepiscopum fuit, quem et molestius aliquotiens[a] aequo insectatus est. Porro ad penitentiam divino tandem timore compunctus, mediante et elaborante ad bonum concordiae acceptissimo ambobus Wolbodone, nunc uti premissum est Coloniae degens[43], humillima satisfactione archipresuli est eidem reconciliatus.

14. Qui[44] dominicum pascha dum Leodii postmodum celebraret[45], interpellatus est a fratribus Baldrici episcopi, de quo prelibatum est, eidem augusto pro sua nobilitate et industria gratissimus, quatinus pietate prospiceret imperiali cenobio sancti Iacobi, quod idem frater eorum fundaverat quidem, sed preventus morte reliquerat imperfectum ac sine providentia tutoris alicuius desolatum. Itaque magna nobilium plebisque frequentia imperator venit ad locum, criptam intravit ad nomen sancti Andreae apostoli exstructam et reliquiis consecratam, quas ipse scilicet augustus venerabili Baldrico tanquam mutuae affectionis preciosum pignus dono dederat. Cuius et tumulum illic corpore quiescentis adveneratus: *Tibi, o episcope*, inquit, *Wolbodo,* nam aderat presens, *tibi, o dilecte nobis, hunc pauperem locum, hanc vice nostra committo aecclesiam, tu pupillae pater ac sedulus sis tutor et de bonis quibus eam tuus subarravit antecessor opus perficias imperfectum.* Dehinc munificam fecit super altare oblationem. Episcopus ergo quanquam multis alias curis detentus, loco tamen illi paterne superintendebat, cui et prefecit Olbertum Gemblacensis aecclesiae abbatem[46], virum virtutibus, religione, sapientia summe spectabilem. Qui etiam studio vigilanti, episcopo cooperante, ut idem cenobium perficeretur institit, in quo et post felicem a seculo decessum[47] iam senex emeritus accepit sepulturam.

15. Ceterum[48] ad idem tempus[49] Fresones debellabat Gandavensis comes Theodericus, eo quod illius occiderint patrem Arnulfum. Ad quem inhibendum imperator Godefridum[b] Lotharingie ducem cum exercitu misit, et cum succedere pax non potuisset, condicto die in pugnam pars utraque processit. Iam in sese acies concurrebant, dum novo repente monstro pertonuit vox terrifica nescitur unde emissa: *Fugite, fugite.* Hinc attonitus cum suis dux ac terroris quadam vertigine actus, diffugium fecit. Perstitere vero Fresones, paucique plurimos cecidere adversariorum, ipso insuper duce capto, quoniam reputarent doli ac proditionis causa prelio illum excessisse. Permotus est imperator, cum audisset, atque Wolbodonem cum legatis Fresoniam misit[50], quod genere et sanctitate clarus eo locorum haberetur. Qui etiam, ut ait Salomon: *Legatus*[51] *fidelis sanitas,* et: *Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit illum, animum eius requiescere facit,* sua effecit industria ut et captivitate dux solveretur et illata duci et regno iniuria Fresonibus ab imperatore donaretur.

16. Leodium[52] inde regressus dominicum pascha[53] devotione solita et spirituali[c] gaudio celebravit, utpote cuius esset mos paschalia quot diebus in sancto altari celebrare misteria, verique agni carnes igne passionis assas edere. Quas profecto veluti cum azimis panibus et lactucis aggrestibus valde scilicet amaris edebat, cui[54] erant lacrimae suae panes die ac nocte, qui loquens Deo in amaritudine animae suae: *Heu*[55] *mihi quia incolatus meus prolongatus est,* fermento careret malitiae et nequitiae. Igitur ad verum et perpetuum pascha evocandus ab Egypto seculi huius, evocandus inquam a tenebris in ammirabile lumen Dei, do-

a) *supra lin. add. cod.* b) de *supra lin. add. cod.* c spuali *cod*

42) Cf. Ruperti chron. l. c. p. 269. 43) V. supra not. 39. Concordat Sigebertus, ex quo haec desumpsit Noster. M. G. SS. VI, 355: *Heinricus imperator Coloniae natalem Domini celebrans, Heribertum archiepiscopum olim a se iniuriose tractatum humili satisfactione placat.* 44) Conferas cum hoc capitulo Vitam Balderici ep. Leod. M. G. SS. IV, 737. 738, ex qua fortasse Reinerus hausit. 45) Supra docuimus imperatorem a. 1020. Febr. 19. Coloniae fuisse, quadrare videtur Nostri notitia imperatorem celebrasse paschalem festivitatem (Apr. 17.) Leodii. Sed. Apr. 23. Bambergae offenditur; cf. etiam Vitam Balderici ep. Leod. M. G. SS. IV. p. 737, in qua nec minus de pascha Leodii celebrato agitur. 46) Cf. Gesta abb. Gembl. M. G. SS. VIII. p. 538. 47) 1048. Iul. 14. 48) Hoc capitulum ex Ruperti chronico l. c. p. 268. hausit Reinerus. 49) 1018. 50) 1019. 51) Prov. 13, 17 et 25, 13. 52) In sequentibus hausit Reinerus ex Ruperti chron. capp. 21. 22. 23. l. c. p. 269. 53) 1021. Apr. 2. 54) Cf. Ps. 41, 4. 55) Ps. 119, 5.

lore stomachi ex nimia contracto abstinentia urgeri ad mortem cepit, superiectoque vilibus stramentis cilitio et cineribus aspersis, decumbebat. Precibus, psalmodiae, lectioni divinae, quam sibi faciebat legi, desideranter intentus, suspirabat quando veniret et appareret ante faciem Dei. Denique assidentes sibi, ut sua semper memorarent novissima, et dum dies salutis essent, suae saluti providerent paterne ammonens, precipiebat ne quis ad se prohiberetur ingredi, videlicet ut in ipso mortis angustiam, mortis considerarent in episcopo amaritudinem, quae comparata sit dulcedine pomi illius quod temeraverunt in horto deliciarum tam austeri tam acidi suo in posterum generi parentes primi. Nec antiqui defuere serpentis insidiae, explorantis si quid in illo suum inveniret. Quem signo crucis et aquae benedictae reppulit aspersione infirmus, assistentem propter illius vestigia. Nam omnis sermo Dei secundum scripturam ignitus[56] clyppeus est sperantibus in se. Quo scilicet Wolbodo munitus: *Absiste,* inquit, *funeste tenebrarum accola, pars michi nulla tecum, sed portio*[a] *mea Christus in terra viventium.* Beata spes, felix expectatio infirmi huius, dolentis huius, qui confidenter Deo dicere potuerit: *Secundum*[57] *multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tue letificaverunt animam meam.* Beatus nanque Laurentius cum inestimabili suavitate et gloria illi e vestigio apparuit et consolans: *Quinta,* inquit, *feria mecum eris.* Qua consolatione super mel et favum dulciore, qua promissione ut nectare divino refectus eger, maioribus aecclesiae clericorumque nonnullis plus iusto letabundus exposuit. Illis congratulantibus, sibi unctione sancta et viatico Christi sacramentorum sese communivit. Denique Popponi aecclesiae Stabulensis[58] opinatissimo tunc abbati huius loci commisit providentiam, quia nulli adhuc fuerant ad serviendum Deo instituti vel abbas vel monachi. Ceperat quidem aecclesia haec construi ab episcopo gloriosae commendationis Evraclo, qui iam in urbe ista sanctorum Pauli et Martini basilicas egregia liberalitate construxerat[59], sed paucis post diebus eo decedente[60], relicta est imperfecta, utcumque dotata quidem sed miserabili facie, quia nec saltem cooperta, nisi quod Nothgerus qui successerat episcopus, insigne tuum diadema, o Leodium, perfectis tandem et equatis parietibus superponi tectum fecit[61]. Itaque ut venit dies qui promissus erat, qui desiderabatur, vir ille desideriorum suo est frustratus desiderio. Fuit siquidem culpae, visionem dignitatis tantae indignis eque ut dignis innotuisse. Quapropter admodum mestificatus, cor suum ipse discussit et culpam in se deprehendens, Wielandum bonae conversationis clericum familiarem sibi obtestatus est per tremendam divinitatis maiestatem, quatinus se astrictum loris, verberibus subiceret districtis. Vinctum igitur suum Dominus non despexit, quem velut sanctum Iob[61*] dixisse advertas: *Ipse me reprehendo et ago penitentiam in verbere, in favilla et cinere.* Unde penitentis oratio Wolbodonis directa est sicut incensum in conspectu Domini[62], elevatio inquam manuum illius in mortem vesperascentis, quasi sacrificium vespertinum apud patrem misericordiarum et Deum totius consolationis. Siquidem sensit per spiritum, carnis se vinculis iamiam absolvendum, et humillime circumstantes ammonebat instantius orare, psalmis antiphonas incipiendis ipse imponens, finitis collectas ipse subiungens. Atque ut hoc efficatius posset, linguam vicina iam morte siccatam madidari aqua interdum faciebat. Quinta igitur subsequentis epthomadae feria[63], mox migraturus crucem dominicam accepit in manibus, et mira dulcedine, affectu inexplebili diu complectens, pedesque crucifixi manus et latus exosculans, Christo
spiritum crucifixo reddidit. Cui ut suorum reddatur 1021.
merces laborum deductus est in via mirabili, quia Apr. 21.
Laurentio duce transivit in locum tabernaculi ammirabilis usque ad domum Dei. Corpus autem venerabile ad hunc locum, ad hanc domum martyris, quem sibi specialem fecerat patronum, magna cleri et populi frequentia et honore delatum, operoso atque spectabili quemadmodum spectari potest sepulchro est reconditum, circa quod auratis hoc litteris habetur exaratum:

Ingens carnis honor, sed morum gratia maior
Presulis officio te locat et solio.
Sensit dives, egens, ut eras ad singula presens,
Istis unde salus, his fluit unde cibus.
Hinc eadem cunctis assunt et viscera nobis
Hincque salutiferum excolimus tumulum.

Migravit anno dominicae incarnationis 1021, 11. Kal. Maias, presidente sedi apostolicae Benedicto, a beato Petro apostolo 144[a], gloriosi vero Heinrici tam regni quam imperii anno 20, sui autem presulatus mense 30.

17. Qui procul dubio terrae viventium heres, de sua re mancipi sanctum Laurentium hereditavit[b] munifice, trecentas insuper argenti marchas in opus perficiendae dimittens aecclesiae, mirabili affectione, o martyr sancte, tibi thesaurizans. Nam si advixisset diu, quantum erga te suam extendisset devotionem cum Deo, qui metitur hominum corda, plenius nosti. Septem denique matrices aecclesias contulit et in Flandria sibi a progenitoribus dimissa multorum predia redituum, quibus nos violenti homines alienorumque cupidi pervasores, adversante Satan exheredavere, contra diei malitiam, contra seculi huius iniustitiam nobis frustra reclamantibus.

18. Nec vero pretermiserim, quod diligens ipse decorem domus Domini, stationes instituit seu processiones, quae ab universo communiter clero civitatis ad maiorem aecclesiam certis per annum sollemnitatibus fiunt, quatinus per huiusmodi conventus, in choro Leodiensi iugiter karitatis maneat ut ita dixerim concentus, hoc est ut maiori aecclesiae a minoribus tanquam matri a filiabus privilegium servetur competensque subiectio, ab eo modificata qui habitare facit unius moris in domo, monente et apostolo sollicite servari unitatem spiritus in pacis vinculo.

19. Labii denique illius aenei quod fecit Moyses[64],

a) C *alia manu supra lin. add. cod.* b) heditavit *cod.*

56) Cf. Prov. 30, 5. 57) Ps. 93, 19. 58) *abbati Sancti Remacli.* Rupertus. 59) Cf. Gesta epp. Leod. l. c. p. 202. 60) 971. Oct. 27. 61) Cf. Ruperti chron. l. c. pag. 266. 61*) Iob 42, 6. 62) Cf. Ps. 140, 2. 63) Quinta feria tunc in diem 20. m. April. incidit. 64) Cf. Exod. cap. 37.

ut lavarent in eo Aaron et filii eius manus suas ac pedes quando ingressuri erant testimonii tabernaculum, et quando accessuri ad altare, ut offerrent in eo thimiama Domino, recordari nos facit liber ille psalmorum conspicuus, quem propria manu scripsit, et in quo unicuique psalmo compositam ex eodem et a se dictatam subiecit orationem, de bono thesauro cordis sui proferens bona. Hic a nobis hactenus diligenter asservatur, in quo videlicet manus ac pedes nostros, id est actuum sive intentionum motus, compunctione lacrimosa velut aenea ad Deum sonoritate psallendo, lavare possimus introituri ad sancta sanctorum. Inter cetera enim etiam istud piissimi amplectimur Wolbodonis memoriale, cui diebus singulis mos erat antequam divina celebraret misteria de integro perorare psalterium, thymiama utique Christo acceptabile in odorem suavitatis. cf. Exod. 25, 6.

20. In[65] episcopatum est subrogatus ei Durandus, nostrae satis aecclesiae durus, quoniam bona que plurima nobis dederat antecessor eius abstulit, et partim ad mensam episcopalem retinuit, partim militibus beneficiavit. Ipse ignobilis quidem genere, utpote ex familia Godescalci maioris aecclesiae prepositi fuit, sed ingenii et litterarum clara viguit nobilitate. Qui videlicet Godescalcus sancti Bartholomei construxit aecclesiam, ex suis sufficienter allodiis 12 canonicos instituit, liberalissimo illum Wolbodone consiliis et beneficiis animante. Sed Durandus quanquam natus serviliter, tamen in hoc etiam se commendavit nobiliter, quod eundem Godescalcum nec fidelitatem sibi episcopo ut mos est iurare, nec hominium facere passus fuerit, ingenue morigeratus, qui non attenderet quod tunc esset, sed antea quid fuisset, nec iam servus, tamen quasi servum sese obsequiis Godescalco exhiberet. Fuerit ergo in theatro mundi quasi fabula, quod suis dominaretur dominis homo ex tam paupere et humili familia, cum Dominus pauperem faciat et ditet, humiliet et sublimet. Hunc propter vitae modestiam et scientiae prerogativam Wolbodo benignus habebat gratissimum, atque ideo imperatori Heinrico clericum querenti scientem litterarum assignaverat eum et summopere commendaverat. Quam augustus commendationem adeo habuit non irritam, ut ipso decedente, illum cathedra sublimaret Leodiensi. Idem etenim Bavenbergensem ecclesiam, ab eodem destinatus augusto, doctrinarum iam pridem et religionis claro sydere illustrarat. Sed plerique acceptorum obliviscuntur beneficiorum, et bonas etiam mentes depravant aliquando curae seculares. Unde et Durandus misericordis erga se Wolbodonis oblitus, misericordiam elemosinae defraudavit, ut premissum est, quam beato Laurentio in hoc eius loco ille delegaverat, leve estimans si eam nemine sibi contradicente tolleret. Quapropter visione durissima semel ac secundo redargutus est, eodem apparente sibi sancto et suam acriter elemosinam repetente. Quod ille cum suis non modice concussus denarraret, aiebant maxime hii quibus rapta fuisset largitus, non debere illum somniis attendere, multas sequi curas somnia, eum dormientem videre quod vigilans versaret mente, sapientis esse ut quasi fumum reputet somniorum phantasias. Canum huiusmodi ut ita dictum sit adulantium linguae conceptum timoris stillicidium illius facile ex animo elambuere. Venerat quidem Wolbodo semel ac secundo in spiritu lenitatis, sed iam tertio in virga furoris aderat, comminansque terribiliter quod auditus non fuisset, quod culpam ille non correxisset, ad radices arboris iam securim esse positam dixit. Gravissime ergo illum cecidit[a]. Quem et continuo mortis previa corripuit egritudo. Cuius angore nimio et clamore turbata est familia, evocati celerius sunt archidiaconi nec non civitatis maiores. Quae viderat, quae audierat innotuit. *Et ecce*, inquit, *iam morior, ad misericordiam domini mei sancti Wolbodonis me perferetis, atque illius ex opposito, extra aecclesiam scilicet sancti Laurentii secus parietem me sepelietis.* Tradit deinde sancto Laurentio predium in Wasegga, quod nuper a Roberto emerat archidiacono et quatuor auri marchas sibi tantum residuas, spondens viscerabiliter[b], quod si spacium sibi daretur cuncta que abstulerat ex integro restitueret. Iuxta Zachei votum[65*] forsitan reddidisset ablata in quadruplum, sed non exspectatus obiit[66], atque hic sicut petierat extra aecclesiam sepultus est. Ibi sub divo tamdiu iacuit, quousque nova edificaretur aecclesia, et tunc inclusus muro atque admissus sub tectum est, lapidemque sepulchralem, qui nunc usque cernitur, abbas Stephanus pro episcopii veneratione super illum componi, atque hoc epytaphium inscribi[c]:

Durandus iacet hic, qui paulo plus tribus annis
Tungrensem rexit nobiliter cathedram.
Pauperis in nido patrimonii natus, et altus
Ingenio, summos evolat ad proceres.
Quos tulerat dominos hisdem famulantibus usus
In theatro mundi fabula quanta fuit?
Septima lux ut nam fundentis in orbe fluebat,
Cum faceret rebus triste vale senior.

21. Denique ad corpus dilecti Deo Wolbodonis quicumque petierint ex fide diversorum remediis languorum sospitanter, meritorumque illius efficatiam tum ex nobis ipsis, qui eius beneficiis fruimur, tum ex aliis nonnunquam sumus experti. Ut de innumeris duo saltem perstringam breviter, Adelardus in aecclesia sancti Trudonis huius nominis abbas[67] secundus, acerbissima frenesi a se alienatus, dum ad sepulchrum nostri Wolbodonis pertractus fuisset, ibique iacuisset aliquandiu, suffragio sancti plenam recepit sensus sobrietatem. Item alius e fratribus nostris gravissime infirmatus atque ad sancti misericordiam deportatus est, quo sibi dignanter apparente, ac tertio super illum sanctae crucis signaculum faciente, tanquam ab ipsis retractus mortis faucibus sine mora convaluit.

22. Sed corporum sanitates pariunt nonnunquam animarum infirmitates, dum miracula que debeant excitare ad devotionem, sibi materiam indisciplinati vendicent ad dissolutionem, presertim

a) cicidit *cod.* b) viscorabiliter *cod.* c) *supplendum* iussit.

65) In hoc capite Reinerus adhibuit fontes Gesta epp. Leod. l. c. p. 207. 209 et Ruperti chron. l. c. p. 270. 65*) Cf. Luc. 19, 8. 66) 1025. Ian. Quam varie dies mortis notatus sit, docet Koepke ad Gesta epp. Leodiens. l. c. pag. 209. not. 50. 67) 999 – 1034. Abbas erat undecimus; cf. Rodulfi Gesta abb. Trudon. M. G. SS. X, 229. 65.

cum monachico non expediant instituto vel quieti frequentiae seculares. Quo circa improbandum non fuerit, quod uti ferebant seniores nostri, primus loci huius[68] piae recordationis abbas Stephanus[69], hunc aliquando sanctum per divinum nomen contestatus sit, quo temperaret a miraculis; tantae fratribus fiebant per occasionem infirmorum noctu et interdiu molestiae. Verum quamlibet rarescere ex tunc miracula ceperint, tamen per presentiam meritorum Wolbodo semper nobiscum est, dum et aliquotiens a religiosis quibusdam visus fuerit ad tuum altare, o sancte Laurenti, pro statu aecclesiae istius, presente mirabiliter sancta Trinitate, archanis divinorum fungi mysteriorum, sacerdos exaudibilis secundum [cf. Ps. 109,4.] ordinem Melchisedech, cuius hostias tuarumque odorifera precum libamenta acceptaverit ac sempiterne acceptet, idem trinus et unus Deus, cui gloria et nunc et in diem eternitatis. Amen.

VITA REGINARDI.

INCIPIT PROLOGUS IN VITA DOMNI REGINARDI EPISCOPI.

Iuxta Salomonis proverbium *preciosi spiritus est vir eruditus.* Sed ego licet sim inerudi- [Prov 17,27.] tus ideoque nullius revera pretii, tamen exigere a me ipso precordiale et votivum habui, ut virum describerem pretiosum, id est Reginardum venerabilem episcopum, qui te, o sancte Laurenti, specialem sibi patronum eligens, in quo serviatur perpetim Deo, ad tuum nomen tabernaculum, hanc scilicet aecclesiam, edificavit in terra, unde et caelestis per te tabernaculi et ecclesiae supernorum creditur meruisse municipatum. Ipse inquam nobis, sub protectione tui degentibus patrocinii et a strepitu sequestratis rerum secularium, factus [Isai. 4, 6.] est velut in umbraculum diei ab estu, in securitatem, et absconsionem a turbine et a pluvia. Ad quem describendum etiam fratres quidam hortatu benivolo et iugi me precatu quasi pigrum ac desidem excitaverunt, importune obiectantes, non minus gratitudinis non minus obsequii me pio patrifamilias debere nostro, cuius beneficiis educatus maxime essem a puero, quam sanctis presulibus Wolbodoni et Evraclo, quorum iam antea duobus libellis vitas descripsissem. Verum supervacanei respondebam esse laboris, eos commendare verbo, quos égregiorum clarificet lampas operum, ac si sole circumfusis facem quis preferat, accessuque luminum diei conetur claritudinem adiuvare. Attamen pro virtutum incitamento profectuque vel legentium vel audientium, iustum aliquem opere petium est celebrare litteris, ut secundum prophetam memoria iusti sit cum laudibus. Nec enim post [Prov. 10,7.] penitentie dignos fructus Reginardo magis est imputandum, quod fecerit aliquando de mammona iniquitatis commertium, emendo scilicet episcopatum, quam Matheo apostolo et euangelistae, quod lucra sectando in sede publicani aliquando sederit ad theloneum.

FINIT PROLOGUS.

INCIPIT VITA EIUSDEM.

1. In[70] territorio Colonie Agripinensis claro Reginardus genere ortus fuit, sed scolis aput urbem traditus, tam scientiae quam virtutum initiavit bonos processus. In maiore dehinc aecclesia canonicus est factus. Iamque adolescens ascensiones in corde suo secundum psalmistam disponebat, subire scilicet gradus, per quos ad videndum Deum deorum [Ps. 83, 6. 8.] in Syon ascenditur. Hinc castimoniae studebat ceterisque bonis atque, ut ait quidam,

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit, [Hor. Epist. I, 2, 54.]

sobrio ac sincero pectori sacras lectiones veluti divinos instillabat favos.

2. Iuvenis ergo industriam et maturitatis decus non minimum amplectens venerabilis archiepiscopus Heribertus, sibi adherere et suum esse collateralem voluit, simul quod non solum spiritu, quin etiam carne suum gratularetur esse proximum. Quem et Veronensi[71] canonicae prefecit prepositum, per singula aecclesiasticorum ordinum officia iam provectum. Hanc ille sollerter echonomiam ut fidelis et prudens servus super Domini familiam constitutus amministrabat, cautus in consiliis, equus in iuditiis, reddens aecclesiae aecclesiastica et seculo secularia, scilicet secundum apostolum reddens omnibus debita. Nec [Rom. 13, 7.]

68) Sancti Laurentii Leodiensis.

69) Obiit a. 1061. Ian. 12; v. Ruperti chron. l. c. pag. 275 n. 54.

70) Trium capitum priorum fundamenta sunt Gesta epp. Leod. l. c. p. 209. 210 et Rupertus l. c. p. 271.

71) Bonnensi.

Ps. 14, 5. munera super innocentem accipiebat, nec personam divitis, ut opprimeret pauperem, illud Prov. 20, 23. attendens Salomonis[a]: *Abhominatio est apud Deum pondus et pondus, et statera dolosa non est bona.*

3. Defuncto interea Virdunensi episcopo, clerus ac populus talem sibi virum prefici 1025. concorditer insistebat. Sed etiam tunc Durandus Leodiensis episcopus decessit vita, et Ian. 14. Reginardus temptatione apprehensus humana — nam in rebus solent humanis appeti meliora — Leodiensem quam Virdunensem magis cathedram ambivit. Adiit ergo imperatorem Cunradum, obtinuitque ab eo per pecuniam, quod fuisset obtinendum a Deo per gratiam. Illum denique in episcopum sanctus sacravit Heribertus. Et strenue quidem ac Ioh. 10, 1. vigilanter pastoris agebat officium, quanquam ascenderit aliunde, nec intraverit per ostium in ovile ovium.

4. Providentiam huius aecclesiae tunc temporis agebat Poppo abbas Stabulensis, ante quadriennium a sancto sibi episcopo Wolbodone iniunctam. De cuius statu vel profectu cum iam desperaret, eandem curam Reginardo episcopo resignavit, videlicet iam exactis quinquaginta et septem annis, ex quo primum ipsa fundari ecclesia cepisset ab Evraclo, gloriose commendationis episcopo. Interea noster quidam mansionarius, homo pauper atque exilis et naturae simplicis, testabatur per nocturnas se visiones mira quedam audire sepius et videre, quoniam parvulis magna nonnunquam solet revelare Deus, et Prov. 3, 32. cum simplicibus sermocinatio eius. Vadens itaque per civitatem festis diebus, vulgo referebat in Publico-monte sanctos Laurentium et Wolbodonem commune habere hospitium, totis eos noctibus suum disponere ac metiri habitaculum, et quoniam sibi videretur angustum, condixisse quod vetus dirui et novum et augustius deberet edificari. Simul dum inquirentibus insinuaret, huc usque in longum, sic in latum, tanto in altum suas ipsi lineas tetenderunt, tamdiu haec stoliditati ac deliramento sunt deputata, donec subsequens probaret effectus vera. Archytectos itaque nostros, Laurentium et Wolbodonem, archy- Ezech. 40, 2. 3. tectum in se crediderim exibuisse illum, qui apud Ihezechyelem funiculo vel calamo mensus est edificium civitatis super montem posite et vergentis ad austrum, pariter affuisse et virum, cuius secundum eundem prophetam aspectus erat quasi species eris[b], quatinus sonora Dei laude hunc presignaret locum divine laudi dedicandum, mentesque inhabitantium vero acclines austro, id est Spiritui sancto, religionis odorifero halatu perflandas, Cant. 4, 16. frigido aquilone exturbato, quemadmodum in canticis canticorum sponsa dicit: *Surge aquilo et veni auster, perfla ortum meum, et fluant aromata illius.*

5. Nam veluti premissum est, postquam Stabulensis abbas in manum Reginardi episcopi huius loci remiserat providentiam, comes Herimannus prudentia et consilio ut nobilitate vir clarissimus, qui frater erat Gozelonis Lothariensium et Mosellanorum ducis, episcopum interpellabat obnixius, quo eatenus pupillae ac desolatae misereretur ecclesiae, patremque illi et tutorem institueret. Virduni esse monachum sibi optime spectatum, qui religione et scientia tam preesse quam prodesse domui Dei posset. Episcopus se facturum gratanti animo respondit, dummodo ille adesset. At vero comes, qui erga sanctum Laurentium mira et unica devotione ferveret, quantotius deductum a Virduno Stephanum presentavit, sex monachos secum commendabilis vite habentem. Quem et in abbatem benedixit episcopus, et huic loco prefecit.

6. Igitur a nostro tunc horto, id est aecclesia, sanctitatis atque virtutum fluebant 2 Cor. 2, 15. aromata, quoniam Christi bonus odor inhabitantes erant facti. Illorum inquam digiti Cant. 5, 5. myrra pleni erant probatissima, dum amaritudinem passionis Ihesu Christi et crucis 2 Cor. 4, 10. mortificationem in suis iugiter corporibus circumferrent et operibus iuxta illud etiam, quod Cant. 7, 5. in canticis canticorum sponsus ad sponsam dicit: *Comae capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus.* Comae siquidem cogitationes, caput mens, purpura regis passio rite intelligitur Christi omnia regentis. Purpura ergo iuncta est canalibus, hoc est fidelibus, quorum videlicet ad mentes, dum fide et amore Christi adherent passioni, confluunt aquae vivae karismatum Spiritus sancti.

7. Licet[72] itaque Stephanus et qui sub ipso erant fratres affluerent in spiritualibus, admodum tamen bonis egebant carnalibus, scilicet victu ac vestitu, eo quod penitus locum negligeret episcopus. Quocirca et idem pater se quasi exulem merebat et desolatum, atque Ier. 22, 23. pro filiorum indigentia quam pro sua magis anxiabatur, perinde ut essent illi dolores ut

a) Salominis *cod.* b) quasi sp. eris *in marg. cod.*

72) Cf. Rupertum l. c. p. 271.

parturientis. Sed iuxta quod ait de beatis lugentibus propheta: *Domine, in angustia requi-* Isai 26,16.
sierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis, huius consolationis desuper accepit
oraculum. Nocte quadam cum ad sepulchrum sancti Wolbodonis instaret precum excubiis,
essetque gemituum atque lacrimarum iam fessus, inclinato inter manus capite obdormivit,
et sibi assistere iuvenem vidit florido amictu et facie syderea, dicentem se a pio patre
Wolbodone transmissum. Qui et consolans eum amicabiliter: *Bonum est*, inquit, *o frater*, Ps. 117,8
*confidere in Domino, quam confidere in homine. Et tu quidem nunc tristitiam habes, sed quia
spiritu contribulato nunc usque ad Deum clamas, te pauperem dolenter congemiscendo, salus
Dei te suscipiet, ut in proximo tristitia haec tua convertatur in gaudium. Sancti nanque Lau-
rentius atque Wolbodo in suam tuitionem et curam hunc pariter locum ante Deum assumpsere,
et quandiu inhabitabunt qui querant regnum Dei et iustitiam eius, omnia adicientur necessaria.* Matth. 6,33.
Et hoc tibi signum: Ille qui respicit terram, ut ait psalmista, et facit eam tremere, qui tangit Ps 103,32.
*montes, et fumigant, cor episcopi iam respiciet, ut faciat tremere et fumigare ad compunctionis
et penitentiae luctum salubriter pro simoniae culpa, per quam offendit graviter; et ipse hoc in
loco suae satisfactionis iaciet fundamenta, quae per Dei gratiam sursum in montibus sanctis
erunt stabilienda. Denique frater, quem ad forum Viseti hodie mittis, quatinus pro compa-
randis in usus fratrum vestimentis mutuum aliquid accipiat, virum inveniet a sancto Wolbo-
done directum, qui tribuat gratis quantum necesse sit.* Itaque expergefactus senior fratrem
iam egressum, iam ad forum abeuntem revocari citius iubet, visionem coram omnibus
aperit, et eundem abire veluti iam spe accinctum bona permittit. Venerat Visetum, et
stantem in foro interrogat ignotus quidam, cur venerit, quid querat? *Missus sum*, inquit,
a sancto Wolbodone, quatinus emam vestimenta fratribus, sed pretium prorsus non suppetit.
Gratanter hoc ille accipit, et quam propere 60 probate monetae solidos evolvit a marsupio,
manuque liberali annumerat et largitur monacho. Equidem o sapientia, cum qua sunt Prov. 8. 18. 19.
divitiae, opes superbae et iustitia, vigilantes ad fores tuas cotidie hac interim donasti
beneficentia, observantes ad postes ostii tui hoc sublevasti munusculo, cuius genimina
vere meliora sunt argento electo.

8. Igitur[73] ut a genimine mercationis malae, symonia videlicet, Reginardus noster
iamiam se faceret alienum, ut expurgaret inquam vetus fermentum, suas die ac nocte 1 Cor. 5, 7.
lacrimas sibi fecerat quasi panem azimum, et elemosinis atque misericordiis pauperum
operam dando, secundum apostoli mandatum satagebat esse nova conspersio. Nam sui
episcopatus quadriennium iam fluxerat; cum veluti quatriduanum de monumento Lazarum Ioh. 11, 39.
sic eum de profundo peccati pius evocavit Ihesus, et spiritu consilii sancto animavit, qua-
tinus adiret Romam, ut per eum illic solveretur ab institis symoniae et cecae ambitionis Ioh. 11, 44.
sudario, qui vice apostolorum ligandi atque solvendi fungebatur privilegio. Ivit autem
cum tanta nobilium pompa, ut expeditio quam peregrinatio magis putaretur, quibusdam
pro honore, quibusdam pro devotione propria secum euntibus, qui tantum utique peni-
tendi zelum concepisset, ut neque numerosam commilitonum turbam super eo, quod
facere intendebat, erubesceret. Ingressus enim Romam et principis apostolorum basili-
cam, ubi apostolicum Iohannem vidit, tanquam rugiens a gemitu cordis sui, coram suis, Ps. 37, 9.
coram omni frequentia illius ad pedes procidit. Moti sunt omnes, tum vero maxime qui
cum illo venerant. Motus et ipse apostolicus, causam addiscere expectabat. Sed cum
singultibus iacentis verba impediebant lacrime. Veruntamen tantae mestitudinis vix de-
mum absolvit materiam, scilicet episcopatum se pecuniis emisse, propter hoc quasi Iob 31, 23.
tumentes super se fluctus iram Dei sentire, unde antequam iudicetur a Domino, se ipsum se 1 Cor. 11,31
diiudicare et velle honorem periculose partum abdicare. Approbat voluntatem apostolicus,
et sic expedire illius saluti pronuntiat. Igitur pastoralem baculum super altare sancti Petri
Reginardus deponit, et velut grandi exoneratus sarcina, in Domino gloriatur innocente 1 Cor. 1, 31.
iam conscientia, suis admodum turbatis ac merentibus. Interea retractans apostolicus
cum illo misericordius agendum, quem nec in gladio nec in arcu suo cepisset, immo qui Gen. 48, 22.
suum ultro peccatum prodidisset, voce inquam ac fletu damnasset, tercia eum die ad se
iubet revocari. Quem et benigne colligens: *Quia*, inquit, *indignationem Christi et flagellum
non expectasti, sed tuam ipse cathedram evertisti, quia ut divinae satisfaceres columbae, id est
Spiritui sancto, te beato Petro exibuisti: ecce in nomine Christi ex auctoritate Petri apostoli
curam accipe et regimen sanctae aecclesiae, et in templo Dei sede non iam ut mercator, sed*

73) Cf. Rupertum l. c. p. 272. 273.

Prov. 11,17; 19,17. *ut fidelis dispensator et legitimus pastor.* Et quoniam scriptum est: „*Bene facit anime sue vir misericors*“, et „*Feneratur Domino, qui miseretur pauperi, nam vicissitudinem suam reddet ei*“, *secundum possibilitatem tuam pasce pauperes, necessitatem patientibus assiste; et si*
Luc. 16,9. *facultas suppetit, alicuius sancti aecclesiam edifica, ut cum defeceris, recipiat te in eterna tabernacula.* Dehinc baculum ei pastoralem tradit, et benedictione roboratum apostolica
Iob 14, 7-9. remittit in sua. Impletum ergo in eo est illud sancti Iob: *Lignum habet spem, si precisum fuerit, rursum virescit, et rami eius pullulant; si senuerit in terra radix eius, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aque germinabit, et faciet comam quasi cum primum*
Luc. 22, 62. *plantatum est.* Nam et Petrum te negantem, o Christe, sed te respiciente flentem amare, in thronum relocasti apostolicum; tu idem miserator et misericors Reginardum penitentem cathedra redonasti pontificali. Nec enim in perpetuum irasceris, nec in eternum commi-
Sap. 11,24. naris, dissimulans peccata propter penitentiam.

9. Rediit[74] ergo prospere Leodium Reginardus ad archam veri Noë, id est aecclesiam
Gen. 8,11. Christi, ut illa quondam in diluvio columba portans olive ramum virentibus foliis, pacem scilicet, qua inter seculi fluctus virere frondere et fructificare haberet in doctrina et operibus bonis. Itaque cum per Publicum-montem iam descenderet, atque aecclesiolam hic sitam prospectaret, Herimannus comes, de quo premissum est, secretorum illius non nichil conscius, accessit propius et: *Ecce,* inquit, *domine, sanctus Laurentius, quem si patronum tibi parare studueris, adiutorem in oportunitatibus fidum habebis, et apud Deum quante sit gratiae experieris.* In amorem martiris ac devotionem miro statim modo presulis affectus incanduit, quoniam quidem in cordibus timoratis facile claram suscitare flammam solet oleum piae adhortationis. Igitur dum a clero et populo fuisset honorifice exceptus,
Prov. 11,27. et in pace essent illius omnia, in una dierum iuxta quod ait Salomon: *Bene consurgit diluculo, qui querit bona,* aurorae exortu ascendit ad locum istum, habitacula inspexit, fratres visitavit, pauperculumque consolatus Stephanum, prospera repromisit et leta, secundum quod eidem abbati angelicum, ut supra dictum est, prenuntiarat oraculum.

10. Erat Novembrii mensis dies secundus, ideoque propter instantem hyemem suum
Cant. 2, 11-13. implere propositum distulit. At vero necdum plene hyems transierat, necdum ymber abierat et recesserat, cum tamen pre desiderio inchoandae domus tuae, o sancte Laurenti, sibi
1026. iam viderentur verni flores apparere, vineae florentes odorem dare. Et ecce tertia die Februarii mensis aurora vixdum erumpente, numerosos artifices misit, qui aecclesiae culmen conscendentes, tectum dissipare, murum subruere ingenti alacritate et gaudio ceperunt, ut abbatem Stephanum atque fratres adhuc quiescentes, reique tam subitae ignoros, fragor ille quasi stupidos reddiderit[a]. Ita vox turturis, vox inquam, id est operatio Reginardi bonos penitentiae gemitus edentis, quam primum audiri cepit in terra nostra, videlicet hoc in loco nostro. Adiutores autem atque cooperatores in hanc edificando aecclesiam fuere Olbertus Sancti Iacobi et Sancti Petri Gemblacensis abbas, et Huneco frater eiusdem episcopi, Meinerus quoque istius civitatis tunc advocatus, viri quos secundum
1 Cor. 3,9. apostolum iure dixerim agriculturam Dei. Nec vero est inconsequens referre, quod arbuscula quedam, que vulgo salangra[75] vocatur, extra fundamentorum fuerat ambitum relicta. Hanc prememoratus somniator longitudini aecclesiae includendam penitus asserebat, sic Laurentio et Wolbodoni placere, sic perspicaces geometras illos fuisse permensos atque suos eotenus tetendisse funiculos. Iam vero murorum parietes non parum surrexerant a fundamentis, et ille in sua nichilominus assertione durabat, cum predictus episcopi frater venit, et opere inspecto improbare non minimum cepit, dicens displicere sibi mensiones longitudinis, et posse dominum suum multo melius consummare, quod ceperat[b] edificare. Tum operariis confidenter precipit quadraginta pedibus augere in longum parietes, propriis sese sumptibus augmentum illud suppleturum, si episcopus noluisset. Sic illa Laurentianae terminalis arbuscula geometrie muro inclusa est, et suus ille vates arridens his, a quibus fuerat irrisus, quasi sententiae compos insultabat, plane ut de hoc sentiatur pau-
Prov. 11,20. perculo illud Salomonis: *Voluntas Dei in his, qui simpliciter ambulant.*

11. Deo igitur prosperante perfectum est opus, consummata est aecclesia, ad nichilum deducta est hominum malignitas perversorum, qui, ut Samaritae muros olim Ierusalem, ita diu multumque impedierunt huius extrui domus edificationem. Ad cuius scilicet

a) *sic corr. ex* reddit *cod.* b) *sic recenti manu corr. ex* cepit *cod.*

74) Capp. 9. 10. 11. ex Ruperto l. c. p. 273 desumpta sunt. 75) Vide notam 46 ad Ruperti chron. l. c. p. 274.

consecrationem episcopus voluit apostolicae sedis adhiberi auctoritatem, et missus a Iohanne 1034. papa Iohannes Portuensis episcopus cum Pelegrino Coloniensium archiepiscopo ingenti eam honore et gaudio dedicavit anno dominicae incarnationis 1034, indictione 2, anno Nov. 3. autem episcopatus domni Reginardi 10.

Martiris ergo merita toti ex tunc civitati sole clarius alluxerunt. Superioribus nanque annis quousque aecclesia vetus hic in negligentia et quasi pupilla stetit, tanta in martirio eius aeris fiebat turbatio, ut pre tonitruis ac nimiis coruscationibus ipsa quoque terra commoveri et contremere putaretur, procul dubio malignis spiritibus ad obtenebrandum celebritatis eius splendorem etiam elementa horrende concutientibus. Nam teterrimi nebulones quanta in Laurentium torqueantur invidia, quantum victoriose abhorreant ignes craticule, nos quoque aliquotiens experti sumus, tum vero maxime, dum 1182[a] dominicae incarnationis anno, 11. Kal. Aprilis subito et pavendo nubium fragore fulmen prope nos cecidit, atque per maius ostium aecclesiae ingressum, divino permissu ac iuditio discurrit usque ad maius altare, et nichil aliud pene tangens aut ustulans, ipsum altaris sigillum in frusta comminuit, miro vere miraculo, quandoquidem sudarium, quo idem sigillum tegebatur, mansit illibatum. Et quidem tale fuit incendium, ut de loco veraciter isto quis dicat illud in Zacharia dictum: *Nunquid non iste torris est erutus de igne?* Sed huic modo materiae supersedendum Zach. 3, 2. est, quoniam alias inde disserui uberiore opusculo.

12. Sollemne igitur est clero ac populo huius civitatis ad hanc cum letaniis aecclesiam convenire, quotiens vel intemperie aeris vel incommodo exciti fuerint cuiuslibet tribulationis, cuius merita illis nonnunquam subvenisse haud dubium est. Patuit autem hoc evidentius, qua die Godefridus maioris aecclesiae prepositus, vir genere ac religione conspicuus, ad nos reliquias eiusdem martiris ex urbe Roma detulit[76]. Tanta etenim tunc erat 1056. pluviarum inundatio, ut alterum crederetur instare diluvium, quia densitate nubium sol Iun. 10. per unum fere mensem[b] occultus, subtraxerat suae lucis et caloris beneficia, et agri et vineta nullam spem bonam frugum suis iam promittebant cultoribus. At ubi eedem reliquiae in nostram sunt aecclesiam illatae, ac super altare maius deposite, et pro serenitate et pace missa celebraretur, mox ut clamatum est *Kyrieleyson, Domine, miserere*, tantum enituit serenum, sole clarissimum iubar exerente, ut non minus divinae magnificentiae nunc applauderet aecclesia quam super tabernaculum federis apparuisse gloriam Domini quondam applausit synagoga. Nec fuit serenum illud subitaneum, sed mansit diutinum, successitque maturitas et grandis copia frugum impetrante Laurentio, cuius merita nec eloqui lingua, nec comprehendere potest pagina.

13. Cuius corpore quam beata es, o Roma, quem tu quoque tot basilicis, tot privilegiis penes te honoratum esse et celebrem voluisti! Siquidem in palatio Lateranensi basilica est ipsius martyris, que dicitur sancta sanctorum, propter excellentiam scilicet reliquiarum, que illic habentur, tam de sancto[c] sanctorum, id est domino Ihesu Christo, quam de aliis compluribus sanctis, cum sint etiam ibi capita et arterie apostolorum Petri et Pauli, ac plurimum de carbonibus atque sagina beati Laurentii. Cuius etiam illic altare tanto excellit privilegio, ut nemini preter apostolicum concedatur super illud sacra celebrare missarum. Illic viseres reverendam quoque[d] imaginem Christi, quam dum sanctus Lucas euangelista effigiare cepisset, mire in crastinum repperit consumatam, ab illo nimirum opifice, cuius sunt manus tornatiles, aureae, plene iacinctis. Loco igitur tam Cant. 5, 14. illustri persona preficitur probate fidei ac religiositatis, videlicet primus subdiaconorum apostolicae sedis, cuius est privilegium uti manto, mitra et anulo, atque consecrato recens pontifici summo tradere claves summae domus, hoc est Lateranensis palatii.

14. Ad titulum quoque tanti martiris papa Damasus construxit basilicam, necnon reliquiis eiusdem insignium, locumque suo ex nomine Damasum agnominavit. Quin etiam Lucina Romanorum clarissima, celebri sumptu extructam in honorem illius aecclesiam conquisitis pignoribus celebriorem fecit, catena scilicet qua idem martir vinctus, et craticula super quam assatus, et uno ex forcipibus ferreis quibus desuper fuit coartatus[e], et parte carbonum et sagine a sacris artubus a Iustino et Ypolito expresse, linteo denique ut fertur

a) CLXXX *in loco raso alia manu cod.* b) mensen *cod.* c) *sic corr. ex* sancta *cod.* d) *alia manu add. cod.* e) corartatus *cod.*

76) Vide infra Reineri de adventu reliquiarum relationem metricam. In hac Reginardi vita sequentia ex Ludovici senioris opusculo infra dando desumpta sunt.

illo, de quo in catasta cruentati menbra viderit Romanus angelum extersisse. Foras muros autem sub maiori basilicae altari cum prothomartire Stephano conditus est. Quod videlicet altare talis est privilegii, ut exceptis 6 cardinalibus, qui ad hoc deputati sunt, nemini super illud divina concedatur misteria celebrare. Beatus utique locus, felix nimium terra! (Gen 2, 11 12.) Terram Evilath Genesis commendat, quod ibi aurum sit optimum, quod ibi bdellium inveniatur, arbor scilicet aromatica, et lapis onichynus. Sed commendabilior terra, ubi consite sunt arbores tam aromaticae, ubi aurum plus quam obrizum lapidesque inveniuntur tam preciosi, Stephanus et Laurentius, qui secundum quod Evilath *dolens* interpretatur, multimodis passionum doloribus politi, tuo, Christe, dyademati sunt inserti.

15. Preterea loco, qui Panisperna dicitur, papa Formosus Laurentio extruxit basilicam, penes ipsas videlicet Olimpiadis termas, ubi assatus idem martir fuerat, quarum ex aditu tam suavissimus spirat hactenus odor, ut aromatum precellat odorem illorum, que regina Austri legitur regi exibuisse Salomoni. Sed quanto plus habet formam doloris facta in Formosum res miserabilis, tanto plus contra impietatem quilibet moveatur, cum de Formoso lugubris tragedia mollire saxea quoque possit pectora. Hic[77] tempore Iohannis pape, octavi huius nominis, fuerat Portuensis episcopus. Sed dimisso episcopatu, a facie predicti pape fugerat, sibi admodum offenso, quod papatum super illum quoquomodo usurpare incusaretur. Revocatus tamen ab eodem papa, minime obedivit, ut se exiberet. Postmodum (878. Sept. 14.) vero eidem pape apud Galliam posito satisfecit; nec tamen assequutus veniam, usque in laicum degradatus est, adeo ut iuramento et etiam propriae manus scripto suum abdicare episcopatum et Romanae urbis ab inceps ingressum cogeretur, ac se laicali communione, (882. Dec. 15.) dum adviveret, contentum fore. Verum Iohanne defuncto in apostolatum Marinus successit. Ipse retractans in Formosum inconsultius ac iusto severius actum, reconciliatione illum donavit, iuramento absolvit et honori atque sedi sue restituit. Dehinc (884 Mai?) Marino diem obeunte, idem Formosus favore et assensu Romanorum, quod esset vir (891. c. Sept.) sagax et religiosus, in papam est provectus, duobusque annis ac semis antisstans, pleraque (896.) fecit industrie. Illo decedente subrogatus est Stephanus. Hunc pluribus licet beneficiis et episcopatu insuper urbis Anagniae Formosus extulerit, tamen detestanda ingratitudine (897. c. Febr.) in defunctum ita efferatus est, ut concilio ac si dicam malignantium congregato, illum non tanquam christianus et papa, sed plus quam barbarus et Scita, sepulchro extrahi atque in medium deportari fecerit, in cathedra pontificali locato vestitum[a] detraxerit pontificalem, et induerit laicalem, atque o rem monstruosam! illius dextere manus abscisis tribus digitis, capud gladio secatum est, ac Tyberinis corpus iniectum gurgitibus. Quid Nero absurdius, quid Decius fecisset inhumanius? Quae filiorum pietatis mentes hoc ferre, qui potuerunt oculi videre? Ergo dum soleant ex vivis martires fieri, ex mortuo Formosus martir factus est. At vero quoniam tribunal Christi Stephanus non est reveritus, ad quod Formosus (897.) hinc abierat iudicandus, inopinae mortis dolabram incurrit, quatuor tantum mensibus (Isai 38, 12.) honore apostolico usus, immo abusus. Itaque secundum scripturam precisa est velut a texente vita eius, dum adhuc ordiretur, succisus est, quasi de mane usque ad vesperam finitus est. Corpus autem Formosi a piscatoribus inventum, in basilicam principis apostolorum loculo est deportatum, quod imagines sanctorum in marmoribus illic exculptae, tanquam novi martiris et emeriti consortis salutasse et adorasse palam omnibus vise sunt. Miro quippe iudicio[b] sentiebant melius de Formoso inanimati lapides, quam senserint homines (Nov. Dec.) animales. Stephano successit Theodorus. Iste Formosi apostolatum approbans, quas fecit ordinationes in clero, quas tenuit synodos, ratas habuit, perperamque in illum gesta vel (898.) scripta improbavit et damnavit. Nec vero minus post illum papa Iohannes, qui synodum 74 episcoporum presentibus Francorum archyepiscopis et Ludovico rege, filio Arnulphi imperatoris, Ravenne statuit; nec non coram eis abdicata et cremata est synodus, quam in damnationem Formosi fecerat Stephanus. Sentiendum procul dubio est, ó sancte Laurenti, tua Formoso affuisse suffragia, tibi peculiariter devoto, qui summa gratitudine benefacta in te inpensa prosequaris, et apud divinam efficacissime commendes clementiam. Unde et tui devotio et actus Reginardi per te prosperati sunt feliciter.

(Malach. 2, 5.) 16. Igitur[78] pactum Domini erat cum Reginardo vitae et pacis, quoniam quidem

a) vestim *cod.* b) *corr.* indicio *cod.*

77) Sequentia de Formoso Reinerus ex Sigeberto, M. G. SS. VI, 344. 345. hausit. 78) Ex Ruperto l. c. p. 274.

secundum prophetam dederat illi Dominus timorem, et timebat eum, et a facie nominis eius pavebat. Potissimumque insistebat elemosinis ac refrigeriis egenorum, recogitans Christum in iuditio dicturum: *Quod uni ex minimis meis fecistis michi fecistis.* Tunc ergo validissime Matth. 25, 40 famis angustia hanc regionem premente, mille et ducentos pauperes cotidiana stipe sustentavit: trecentos Leodii, trecentos Hoii, trecentos Deonanti, trecentos Fossis. Bartholomeo[79] quin etiam apostolo, qui filius suspendentis aquas interpretatur, scilicet illius qui in Chana Galileae suspendit aquas, naturam demutando ut fierent vinum, sese liberalem exibuit ac devotissimum, quatinus ad 12 canonicos illi eatenus servientes 8 adiceret, conquirens allodia, quorum reditus in eorum usus proficerent.

Denique super fluvium Mosam[79] difficili admodum atque sumptuoso labore pontem maximum extruxit, ulteriusque post insulas locis palustribus duos pontes lapideos, tertiumque nichilominus super Urtam fluvium, invia paludum et aquarum voraginem quibusque commeantibus revera utilius consternendo et itinera coequando, quam coequavit voraginem 3 Reg. 11, 27 civitatis David patris sui Salomon, dum edificaret Mello. Numerosa etiam multitudo diversi sexus et etatis in hanc urbem de partibus occidentis tunc confluxerat, rerum inopia et bellorum quassationibus a suis sedibus exturbata, cui tam profuse liberalitatis et misericordie porrigebat episcopus manum, ut alterum putares de Alexandria Iohannem elemosinarium. Erat denique tam ingenuae discretionis, ut eos qui mendicare erubescebant conduceret in opera. Misericordiarum ergo faciens odoros atque inputribiles fructus, sicut Ps. 91, 13. cedrus Lybani multiplicabatur, et iuxta quod in Apocalypsi legitur: *Folia eius,* id est bene- Apoc. 22, 2. facta eius, *ad sanitatem gentium,* quandoquidem miserendo totum se miseris inpenderet, subiectosque ad idem instantissime ammoneret, detestans omnimodis avaritiam, que secundum apostolum est simulachrorum servitus. Colos. 3, 5.

17. Tunc[80] temporis Odo Campanie comes, auxiliis Francorum atque Burgundionum fretus, Lotharingiam igne et ferro graviter incursabat, et divina eque habens ut humana, tanquam aper de silva ecclesiarum Christi vineam exterminabat, et tanquam singularis Ps. 79, 14. ferus eam depascebatur. Denique castrum Barense expugnavit et cepit. Urbem Leucorum, quam Tullum vocant, valida obsidione circumdedit, episcopatum predis et incendiis circumquaque vastans. Cui tunc preerat Bruno, vir sanctitate, scientia et genere clarissimus, qui papatu Romanae urbis postea insignitus, cum Leo huius nominis nonus dictus sit, vestigia leonis de tribu Iuda pietatis atque humilitatis fortitudine imitari studuit. Cur autem Apoc. 5, 5. in tantam Odo tyrannidem eruperit, absolvam paucis.

Rodulphus Burgundie rex diu multumque insolentiis Burgundionum affectus et irritatus, diademate abdicato imperatori Cunrado regnum tradidit, quod a tempore Arnulphi imperatoris per annos plus quam centum triginta reges sue gentis tenuerant, sicque in provintiam rursum Burgundia est redacta. Sed predictus Odo ab imperatore, suo videlicet nepote, regnum avunculi repetens, ut Burgundiam sub ipso regeret magnopere efflagitabat, nec impetravit. Unde et contra imperium niti et grassari adorsus est. Cuius insolentem nimis arrogantiam Gozelo dux Mosellanorum atque Lothariensium non ferens, Leodium venit, et aggregato undeunde exercitu, episcopum, quod erat magnanimus et rerum perspicax disponendarum, pro fidelitate imperii ac defensione ecclesiarum expeditionem inire secum ammonuit. Ille promptus reddere Deo que essent Dei, et que cesaris cesari, nequaquam Matth. 22, 21. ut filii Effrem intendentes et mittentes arcum conversus est in die belli, sed ascendit ex Ps. 77, 9. adverso et opposuit se murum pro statu aecclesie et regni, et cum delecta equitum ac peditum manu in castra se contulit. Primis pugne congressibus hinc et inde plurimi con- 1037. Nov. 15. cidere, inter quos etiam Albertus comes Nammucensis, dum perrumpere confertas hostium turmas conatur. At Lotharienses, strage suorum accensis vehementius animis, ut mori quam vinci mallent, adeo in Francos cedibus grassati sunt, ut Odonem ipsum cum omnibus pene nobilibus prosternerent, ignominiosa ceteri fuga sibi consulerent. Dux magnifice victor reversus est, apud imperatorem et aulicos non minimam victorie partem episcopo Leodiensi attribuens. Qui et pro animabus suorum eo in prelio peremptorum per cunctas episcopatus aecclesias supplicationes agi et sacras offerri hostias instituit, ut stans olim Aaron inter mortuos ac viventes non affectuosius pro Israel Deo supplicaverit vel thimiama obtulerit.

18. Ipse quod ait apostolus: *Non habemus hic manentem civitatem sed futuram inqui-* Hebr. 13, 14 *rimus,* meditans die ac nocte, omnibus votis ad supernam suspirabat Iherusalem, ubi est Baruc. 3, 14.

79) Cf. Gesta epp. Leod. l. c. p. 210. 80) Cf. Rupertum l. c. p. 272.

1037. Dec. 5. longiturnitas vitae et victus, ubi est lumen oculorum et pax. Igitur 13. sui presulatus anno temporalis vite subtractus est luci, et ducatum Laurentii a valle lacrimarum ascendens, intravit in gaudium Domini sui. 1036 quidem dominice incarnationis anno, indictione 5, Nonas Decembris, anno autem tam regni quam imperii 15. Cunradi subiit mortem, sed memoria illius penes nos semper vivit, quoniam quidem in hac quam extruxit aecclesia, et quam sibi elegit in requiem, ante maius altare spectabili et operoso conditus sepulcro, scilicet ad ipsos sanctuarii gradus assidue spectatur a nobis, et quasi vivens nos ammonet, ut assiduis orationum muniis divine illum commendemus propitiationi. Cuius et ossa cum Eccli 49,12. duodecim prophetarum ossibus pullulent, ut scriptum est, de loco suo, quatinus, cum finito mundi termino supernum cunctis illuxerit regnum, angelice novitatis floreat luce resurgens novus homo. Amen.

19. Sepulcrum eius preclaro insignivit et opere et decore domnus abbas Everelmus, piis scilicet ossibus pietatis exibens officiosum munus, atque hoc epitafium ab ipso compositum auratis circa litteris inscribi fęcit, antistes tibi reverende precordialiter devotus[81].

Epitaphium[a].

Flos, decus aecclesiae, presul, speculumque sophiae
Hic Reginarde iaces, corpore iam cinis es.
Nos quia frumenti sacias pinguedine dulci,
Pascua sint caeli centuplicata tibi.
Te rapit a tenebris mundi lux quinta Decembris;
Splendeat in requię sol tibi iustitiae. Amen.

Isai. 48, 10. 20. Abbas[82] Stephanus secundum quod ait per prophetam Dominus: *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis,* defuncto presule quasi pupillus absque patre, pauperem degebat vitam, quoniam Nizo[83], qui avunculo successerat in presulatum, totam supellectilem et auri plurimum et argenti, quod ille Sancto Laurentio thesaurizarat, ut in comparandis huic[b] aecclesiae prediis pro illius anima expenderetur, retinuit, usurpavit, non recogitans quanta piissimus nutritor suus sibi fecisset bona, Nizo inquam, vir ingenio rudis et pene ignarus litterarum. Tamen Stephanus Deo acclinis et a Deo sustentatus, edificia claustri et officinas consummavit, et circunquaque succisis nemoribus, quae propter insidias latronum omni erant transeunti noxia, elaboravit atque excoluit novalia, et instar Noe de fructu manuum suarum plantavit vineam, et idem ipse veluti uva dulcis ex vinea Sorech, id est electa vel optima, tribulationum torculari sepenumero pressus est. Siquidem et Wazo[84] episcopus, Nizonis successor, non minime illum afflixit, iura quedam infringere volens circumiacentis terrae, quam venerabilis Reginardus liberam ab omni exactione huic aecclesiae delegaverat. Post Wazonem[85] Theoduinus successit, placidum Leodiensis aecclesiae sidus, qui basilicam sanctae Dei genitricis Mariae ut magna devotione sic magna operositate in Hoio extruxit, cuius anno episcopatus 13. predictus abbas Stephanus, cunctorum huius aecclesiae monachorum pater primus, in senectute bona et plenus dierum, ut
1060. Ian. 12. Abraham ille multarum gentium pater mortuus est; postquam prefuerat inquam normaliter huic aecclesie 33 annis, secundum nomen suum, quod normalis interpretatur vel coronatus, felicis norme, id est iustitiae laborumque percepit suorum a Christo coronam.

Sepultus est autem in cripta sanctae Dei genitricis ante maius altare, scilicet ad pedes domni Wolbodonis episcopi, apud quem pro sua religiositate et honestis moribus multum habuerat gratiae et familiaritatis.

21. At vero nobilissimus comes Herimannus, qui et Hezelo, seculi que sunt renuntians omnibus, Virduni apud aecclesiam sancti Vitoni monachicum suscepit habitum, et vivens monachice usque in finem bonum, aggregari sanctorum collegio meruit monachorum. Ipse fideli et unica semper devotione sanctum Laurentium excoluit, quem et de thesauro et familia et predio suo hereditavit liberaliter. Ergo per suffragia et obtentum eiusdem martyris hereditatem capiat in terra viventium, necnon et qui decesserunt fratres nostri, feliciter in te, ó Christe, quiescant, et dum resurrectionis advenerit tempus, ó primogenite mortuorum, per te resurgant, tibi vivant, in te glorientur in secula seculorum Amen!

EXPLICIT VITA DOMNI REGINARDI EPISCOPI.

a) *rubris litteris in cod.* b) *post hoc verbum deletum est et cod.*

81) Aliud epitaphium exhibet Rupertus l. c. p. 275. 82) Cf. Rupertum l. c. p. 275. 83) vel Nithardus 1037—1041. Aug. 16. 84) 1041—1048. 85) Cf. Rupertum l. c. p. 275

LIBELLUS DE ADVENTU RELIQUIARUM.

Quum Reinerus et in vita Reginardi episcopi et in libello de adventu reliquiarum sancti Laurentii martyris in Leodium ab urbe Roma usus fuisset brevi relatione, quam Ludovicus senior monachus et diaconus Leodiensis, aequalis quidem scriptor, hac de re composuit, non inutile visum est eam hic repetere. Nomen auctoris Ludovici senioris praebet Reinerus in primo de ineptiis cuiusdam idiotae libelli libro infra, ubi haec habentur: Ludovicus bonae recordationis senior, qualiter ab urbe Roma reliquiae nobis sancti delatae sunt Laurentii, iam ante exscripserat; *extitisse autem libellum Leodii in monasterio sancti Laurentii Rupertus testis est, in cuius chronico Sancti Laurentii Leodiensis, M. G. SS. VIII. p.* 274 *leguntnr haec:* Qui *(scilicet sanctus Laurentius)* cum saepe subvenerit, ea praecipue die iocundam vultus Dei hilaritatem terris obtinuit, qua Godefridus, canonicus Sancti Lamberti, pignora eiusdem sancti martyris, sicut apud nos scriptum habetur, ab urbe Roma detulit. *Nec minus hac de re instruimur Reineri nostri verbis, quibus in libello gratiarum actionis, infra edito, sancti Laurentii merita est prosecutus ita:* Nec vero minore odoris gratia, nec impari virtutum mirificentia spiravit atque effulsit illa beati Laurentii sagina, quae nobis ab urbe Roma divinitus provenit tempore domni Diewini Leodiensium episcopi, et primi aecclesiae huius abbatis Stephani. Quod etiam diligenter apud nos habetur descriptum. *Damus narratiunculam ex codice eiusdem monasterii, scilicet* Sancti Laurentii Leodiensis, *nunc bibliothecae regiae Bruxellensis, ubi sub numero* 9290 *asservatus paucis ante diebus est evolutus a nobis. Est codex membranaceus in folio, peroptime saeculo XII. exaratus, ubi inter vitas sanctorum, f.* 165 *nostrum invenitur opusculum. Ediderat iam Bernhardus Pez in Thesauro suo IV,* 3, *p.* 1—4, *usus apographo, quem ipsi curavit Coelestinus Lombardus bibliothecarius Sancti Laurentii Leodiensis ex alio ut videtur libro manuscripto.*

Scribebam Bruxellis 18. *Iunii a.* 1867. *W. ARNDT.*

LUDOVICUS SENIOR LEODIENSIS DE TRANSLATIONE RELIQUIARUM BEATI LAURENTII IN LEODIUM AB URBE ROMA.

Quidam igitur nostrae urbis religiosus clericus, nobilis familiae, divitis census, nomine Godefridus[1], consuetudinem fecerat quotannis sanctum adire Petrum, eiusque misericordiam pro suorum enormitate deprecari facinorum. In diebus ergo sanctae quadragesimae assumpta pera, sustentatus baculo, sequentibus comitibus pedes adiit caput regnorum Romam, apostolorum principis intravit ecclesiam, ibique contriti cordis et humiliati spiritus immolavit hostiam. Unde

LIBELLUS DE ADVENTU RELIQUARUM SANCTI LAURENTII MARTYRIS IN LEODIUM AB URBE ROMA[a].

PROEMIUM SEQUENTIS OPUSCULI.

Argento, gemmis, auro species minuuntur,
Nube situs longi quando neglecta premuntur:
Et rutilum quamvis calibem rubigo lacessit,
Ocia si patitur, usumve manumve[b] *recessit:*
Sic decor et robur, sic quelibet ars hebetatur
Assueta minime quando cura vegetatur.
Et scabiem temptat animi torpedo nitorem,
Si tedet studiorum, dissimulatque laborem
Prosa seu pedibus uti libet. Unde frequenter
Oram vel tenuis, ne marceat insipienter,
Ardor inest legere, meditati, scribere plura.
Nam data desidiae vitiis mens est ruitura.

a) *Titulum hunc exhibet codex post prologum, huc eum transferendum elucet.* b) usũve manũve *cod.*

1) secundum Ruperti chron. S. Laurentii Leod. M. SS. VII, 274: *canonicus Sancti Lamberti.*

exiens non ut repatriaret, sed ut mansionem acciperet, disponente Domino divertit in cellam abbatis Humberti consanguinei sui, quae sita erat secus basilicam preciosi levitae Laurentii, cuius custodia penes eundem abbatem erat. Non est autem haec quam dico basilica ipsa in qua sacratissimum eius corpus tumulatum est, sed neque ea quae vocatur Ad Craticulam, neque ipsa quae Damasas[a] nuncupatur; neque ipsa quae Lucinae. Tot quippe Romae in eius honore templa habentur. Haec vero basilica parvo quidem opere, sed non vili precio condita est, utpote quae cameris volvitur lapideis, et rutilat tota diversis metallis et marmore. In qua quidem structura nec paries ligneus, nec trabes, nec aliud eiusmodi habetur. Timentes enim Romani ignis crebros fragores, nullam ibidem ei materíem concessere. Haec igitur aecclesia omni populo Romano frequentissima est et venerabilis, quoniam ibidem in ampulla cristallina liquor ille habetur, qui desuper craticula ab Ypolito et Iustino de eius corpore expressus est. Hoc thesauro nihil carius putat dives Roma, cui etiam custodes deputant per succedentia tempora, tales scilicet, quorum magna probetur auctoritas.

Per id temporis iam dicto abbati Humberto huiusmodi excubiae traditae erant. Ad quem cum divertisset supradictus Godefridus, aliquantis diebus ab eo retentus, caepit ingredi basilicam et egredi, scrutari singula, quae ibi haberentur sanctorum pignora. Ille nihil suspectus aperit de cunctis, et meritum et famam declarat loci. Novus hospes gratanter ea amplectitur, et propinquum, ut fideliter tantum thesaurum asservet, precatur, ne suis quod absit temporibus adnihiletur. Seorsum autem aestuare caepit, quomodo de ipsis reliquiis furaretur, et caenobio nostro impertiretur, quoniam idem clericus nobis familiarissimus et quasi unus erat ex nobis. Captata igitur abbatis Humberti absentia, qui ab Urbe ad quaedam discesserat necessaria, fraudem nobilem parat. Unum de familiaribus secum assumit, aecclesiam noctu quasi matutinos dicturus intrat, cum nemo eum prohiberet, quia nec suspicio de eo esse poterat. Accedit ad altare, et ampullam cristallinam deponit, ut in suam, quam paraverat, liquorem sanctum transfundat. Sed liquor crassus et coagolatus naturaliter fluere non poterat, et necesse erat aliquo amminiculo eundem secerni ab altero, cum neque in tota basilica parum quid ligni haberetur, unde id fieret,

Carmine Laurenti nunc percelebrabere nostro
Verno martyrii mire spectabilis ostro.
At non te cesar ut iniquus craticularit,
Suppliciis actum precioso fine bearit:
Nobis immo canam pars ut collata liquoris,
Elicuit quem torridulo vis alta vaporis.
Ingenii minus hoc ubertas suasit, inirem.
Quin tuus egit amor, devotum munus obirem,
Quippe nec ulla magis graviter relevatio pressum.
Nec iuvat unda magis solari caumate fessum,
Nec tua quam mira, titulos quam commemorasse,
Et scripti munus tibi qualiscunque dicasse.
Gloria quanta tibi, quam precellens habearis,
Percipiet cui te dignanter notificaris,
Per visum cuidam mirabilis ut patuisti,
Auro limpidior obrizo dum micuisti,
Mundus re vera multo velut igne probatus,
Florens luce mera, Christo velut irradiatus,
Leta tibi facies, stellabat lux oculórum,
Et subridebas, o mellea spes miserorum!
Orsaque merenti consolans ista tulisti:
En frater morere, tibi mortem nanque petisti.
Hinc te picturam digito monstrante notabat,
Assus uti fueris, quae desuper effigiabat.
Sic fiat sancte, vitiis idem moriatur,
Sic pie virtutum per te vitam mereatur.
Igne sacro caleat, quo mirifice caluisti.
Ignes letiferos quo rorantes habuisti.
Quam meritis vigeas, rebus persepe probari,
Caelitus et constat te signis clarificari.
A superis plaustrum percepimus igne perustum,
Improbus agricola quod messe minabat onustum,
Festa tui dum martyrii temere violaret.
Dampnose culpam luit, ut tibi rite vacaret.
Est ea res nobis ab eodem notificata,
Tumque per exhibitos carbones certificata.
Alter sancita dum religione veretur
Munificentia quanta tibi sentire meretur,
In plaustrum messem petiturus tecta levarat,
Festa tuae noctis hunc hora sed anticiparat,
Abstitit incepto, liquitque sub aere nudam,
Inde sed obstupuit nec rore nec ymbribus udam,
Nox ea sive dies fuerit quanquam pluviosa,
Reddidit illesam virtus tamen officiosa.
Tempore sic prisco siccum tulit area[b] vellus,
Ymbrifero dum rore madesceret undique tellus.
Sancte, tui veneratio ne reputetur inanis,
Asseruit vel qui manavit sanguine panis.
Coxerat hunc mulier quaedam festum violando,
Talem sed tulerat haec ausu monstra creando.
Te porro scriptis quinam queat equiperare?
Laudibus, ut par est, magnalia dignificare?
Historiae sed iam series faustae replicetur.
Prosarie prius[c] edita, versifice memoretur.
Oro fave votis, tenuem moderare Camenam,
Et meritis lucem predux adhibeto serenam.
Pectus mundifica caeno sordens vitiorum,
Digno quo niteant sensus habitudine morum.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBELLUS[d].

Prestanti vita, morum cultu redimita
Longe vir nitidus erat in clero Godefridus,

a) *sic corr. ex* Damascas *cod.* b) aëra *cod.* c) pri *litterae manu corr in loco raso cod.* d) E. P. I. L. *addidi.*

neque foras ad querendum exire auderet. Facta difficultate caepit consumi merore, insuper et merere et sancti martyris meritum implorare. Cumque[a] genu flexo pectus tunderet, reducto paululum visu conspicatur in pavimento mundo quasi hora eadem paratum parvissimum lignum huic operi satis congruum. Hoc assumens, quasi caelitus missum de vase transposuit in vas suum[b] liquorem sanctissimum. Mirabile dictu! Statim sequitur odor suavissimus, ultra omnia balsamata fraglans. Etenim ipsius verba sunt: *Ego[2] me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis.* Quae tamen res male virum habebat, timentem, ne bonus odor ille sibi esset ad mortem, si id usquequaque Romani persentiscerent. Parato igitur regressu, non pedes ut venerat sed eques regredi disposuit, et hospitem fallens, immo occasionem nactus morarum ipsius, de media nocte Roma egreditur, etiam etiamque a tergo pavens, cum ipse odor nullo modo cessaret, neque securos egredi sineret. Quid plura? Leodium prospero cursu perveniens, episcopo loci Diewino rem omnem aperit. Super quo laetabatur pontifex, quia tantum thesaurum suae diocesi per suum servum Dominus destinasset. Igitur cum eius benedictione transferre ad nos pignora sanctissima pergit.

Erat ipso in tempore tanta pluviarum inundatio tamque valida imbrium effusio, ut paene alterum diluvium crederemus. Iam vero cum quanta alacritate populus innumerabilis processerit, quam religiose omnis clerus cum ymnis et laudibus preciosas reliquias ad nos usque perduxerit, nisi qui presens vidit, vix credere potest. Pro serenitate aeris, pro tranquillitate pacis voces levabantur ad aures, ut credimus, pervenientes Dei omnipotentis. Pro favore tenebitur, quod dicturus sum, sed quoquo modo teneatur, ego tamen quod oculis vidi, Deum testem invocans et dicam et scribam. Post exceptionem sanctarum reliquiarum, ubi usque ad cornu altaris perlate sunt, et clerus laetaniam exorsus est *Kyrrie eleyson: Domine miserere*, sol, qui fuerat in nubilo pene per unum mensem, ita hora eadem radiorum suorum lucem profudit, ut ambabus manibus populus plauderet et pro magnitudine laeticiae lacrimas amplius funderet. Nec fortuita fuit illa serenitas, sed continua perseverans, omni mundo spem reddidit et salutem. Actum Leodii quarto Idus Iunii [anno millesimo quinquagesimo sexto.][c]

Tum qui florebat, urbs Legia quo renitebat,
Presul cum regeret Tiwinus, eoque vigeret
Clara multorum prefulto dote bonorum.
Sanguine magnorum sed quamvis altus avorum
Vitam tranquille degebat clericus ille,
Plus humili sensu quam pollens divite censu:
Plura dabat gratis cultor sollers pietatis.
Hos tecto, victu, plures refovebat amictu.
Limina sacrorum visebat crebro locorum.
Sanctos orabat, votorum thura litabat.
Sed tu, Laurenti, spes illius unica menti,
Se tibi commisit, tua sepe tuosque revisit.
Nobis munificum se prestitit hinc et amicum
Artius herendo, semper prodesse studendo,
Sic oportunus, de nobis sic erat unus,
Pervigili cura meditansque pavensque futura
Iudicis examen vel premia vel cruciamen,
Se sibi plectebat, lapsus punire studebat.
Quo te sancte bonum Petre conciliando patronum
Votis lenibat, Romam peregrinus adibat.
Hic prece pulsabat, gemitu lacrimisque citabat
Iure potestatis summae clavi pietatis,
Ut bona prestares, ut claustra poli reserares,
Mori durabat. Hunc anno quoque novabat
Morem servando, pretenderat huc aliquando
Christicola gente ieiunia sacra colente,
Quae sanxit mundo prior haec Christus subeundo
Plane vicenos dum soles bis quoque denos
Incoluit saltus, non victu quolibet altus.
Reddidit ut vota, petiit sibi limina nota,
Scilicet abbatis, cui linea proximitatis
Se commendabat, affectio vel sociabat.
Clarus et hic vita, multa probitate polita
Romae pollebat, Humbertus nomen habebat,
Custos ecclesiae datus ob meritum theoriae,
Summo sacrarum precio quam reliquiarum
Martyr ditabat Laurentius atque dicabat.
Hic liquor ille sacer, excussit quem vapor acer,
Quem devotorum pia legit cura virorum
Crate superstrata, qui menbra tulere beata.
Hunc tenet ampulla, potior nec ducitur ulla
Urbi Romanae, sacrum nec habetur inane.
Ne subducatur, haud segniter invigilatur,
Et cui mandatur, vir idoneus ante probatur.
Fraglat pro lauro, saphiris[d] prestat et auro,
Nec desunt vota, colit Urbs, ambit quoque tota.
Hoc et tutelam sibi credit et esse medelam.
Sancti plerumque meritis persentit utrunque.
Commoda prestantur, quaevis adversa levantur.
Est structura quidem minus edi grandis eidem,
Grandis sed cultus, operum solidamine fultus,
Fucis stellatur, lapidum cameris decoratur,
Claret christallis, radiatur ubique metallis,
Marmore segmenta pingunt vario pavimenta.
Nil in ea ligni, nil quod carpatur ab igni:
Hoc quia cavere, qui martyrium statuere,
Crebras flammarum iacturas urbicremarum.
Non ea, sacratus cui martyr inest tumulatus,
Non[e] quas struxerunt, titulos quibus imposuerunt
Damasus, ac genere pollens Lucina vel aere,
Non quae dotatur, venerabilis est, titulatur
Graticula iusti, quam laurea dedicat usti.
Hoc instrumentum, decus hoc, felix monumentum
Gazis plus carum retinet gens Romulidarum.

a) cunque *c.* b) *deest c.* c) *verba uncis inclusa desunt c.* d) *sic alia manu corr ex* saphyru *c.* e) Nos *c.* 2) Exod. 29, 41.

Tot levita quidem templis clarescit ibidem.
Lucifer est Urbis, rutilat merito, prece, turbis.
Ergo cognatum pater Humbertus memoratum
Admittit grate, prona refovet pietate.
Ille moras nectit, monet hoc hospes, prece flectit.
Illic versatur, aliquotque dies remoratur,
Orat ferventer, subit aecclesiam sitienter.
Instat levitae, bona det, tergat mala vitae.
Tunc ibi sanctarum quid inesset reliquiarum,
Querit, scrutatur, audit, supplex veneratur.
Abbas nil caelat, sed caro quaeque revelat
Mira retexendo meritumque loci retegendo,
Addit et ardorem sancti monstrando liquorem.
Sedulus attendit, et grates ille rependit,
Tanto thesauro, quod dignius usque sit auro,
Haud tepidam mentem monet indulgere parentem,
Si male servetur, locus illo ne viduetur.
Talis sermo quidem, meditatus non erat idem.
Versat enim partem, quam sublegisse per artem
Illius posset, hoc ne quis denique nosset.
Nobis tale bonum, nobis hoc nobile donum
Vir fidus totis inhiat conquirere votis.
Copia successit, abbas quia forte recessit;
Curis illectus, est longius Urbe profectus.
At precibus mille pernoctat clericus ille,
Orat successus tutos[a], et ab inde regressus.
Tum subit ad fraudem, surgit quasi pendere laudem,
Quam nocturnarum vis exigat excubiarum.
Cella progreditur, edes reverenda subitur,
E sociis munus ad idem communicat unus,
Quem nil caelasset, admittere nec dubitasset.
Appetit altare, iuvat illud sic temerare.
Vas, quod pendebat, pignus sanctum cohibebat.
Vas est christallo comptum radiante metallo.
Hoc positum captat, aliud subponit et aptat,
Posset ut effundi liquor totoque refundi.
Sed non stillabat, sua quem pinguedo ligabat.
Ex se densatus erat et senio solidatus.
Hinc est perculsus, hinc a spe pene repulsus.
Anxius astabat, quidnam faceret, dubitabat.
Pars ne parva quidem ligni constabat ibidem,
Quam sibi captaret, cepto quam suppeditaret.
Extra ferre pedem, succedere rursus in edem
Incautum reputat, pavet id, cautusque refutat,
Hinc ne suspectus, ne fiat forte retectus.
Tum vero gemere, suspiria crebra ciere
Martyris ad meritum, cor luctu vertere tritum,
Votis accedat, ne cassus ab inde recedat.
Allevat hic mestum, removet martyr pius aestum,
Fitque, quod affectat, lignum propter breve spectat
Caelitus iniectum, qua pinu nescio sectum,
Nec ductu scabro, satis aptum martyre fabro.
Hoc capit absque mora, magis undant fletibus ora,
Quos ciet affectus divino melle refectus!
Optato fruitur, preciosa merce potitur
Unguine sacrato, mera plus quam balsama grato.
Quod cum transfundit, nova se redolentia fundit,
Cunctos quae flores, cunctos[b] quae vincat odores,
Ut sit nullarum par halitus areolarum,
Vis pigmentorum licet imbuerit variorum.
Scilicet assatus ita dixerat ille beatus:
Igne libens isto sum factus victima Christo,
Quae dulci rore suavi iuvet hunc et odore.
Sed retegi pavido minus id gratum Godefrido.
Tantum nam Roma si persensisset aroma,
Rem si caepisset, non impunitus abisset,
Ac sibi vitalis fieret liquor exitialis.
Ergo pavens turbae migrat noctanter ab Urbe,
Fallit cognatum, causando diu remoratum.
Expedit ipse moras, patriae contendit ad oras.
Nec pedes incedit, sed equo properante recedit.
At nec odor cessat. Hinc ne quis ab Urbe lacessat,
Extremit introrsum, spectat quam sepe retrorsum.
Sanctus protexit cursum, per prospera rexit.
Tutus iter trivit, te, Legia, tutus adivit
Gaza tantarum ditandam reliquiarum.
Quas ut captarit, deitas[c] ut furta probarit,
Pontifici memorat, heros hilarescit, adorat,
Thesauris prefert, Christo preconia defert.
Haec bona qui misit, haec qui per dona revisit,
Ad nos sancta quidem tum pignora destinat idem
Nobis condenda, speciali iure colenda,
Quos tutela boni fovet, asservatque patroni.
Plebs ea devota clerique frequentia tota
Ymnidico more, celebri comitatur honore,
Ac festivorum chorus occurrit monachorum,
Excipit, exultat, affectu, voce resultat.
Tunc fera tempestas, hyemalis tunc erat aestas.
Aer squalebat, aquilonum turbo furebat.
Nymbi manabant, hos nubila continuabant,
Mundus nutabat, aliud cathaclisma putabat.
Christus pulsatur, Christus pro pace rogatur.
Pro terrae fructu, quae iam sit subruta fluctu.
Christus et attendit, et commoda larga rependit
Martyris obtentum sentit mox turba petentum,
Cenobio siquidem nostro venerabilis idem
Ut liquor illatus, summoque favore locatus
Ut super altare, cepit per signa micare
Verbere iam tristi populum relevantia Christi
Hinc plausus dantem, iubilando collacrimantem.
Per mensem tectus, statim sol nube retectus
Lumina dispersit, caelum caligine tersit,
Ymbres emovit, et terras igne refovit,
Ver nituit sudum, tempus nichil obfuit udum,
Caeli tranquilla facies quia perstitit illa,
Successere bona, sancti bonitate patrona,
Et frugum mundo sic reddita spes gemebundo.

EPILOGUS.

Cum Iunio mense quartum sol ederet Ydus,
Acta refudere nos ista novum quasi sydus.
Annua lux eadem nobis per festa refloret,
Contio dum nostra votis ymnisque peroret.
Ergo Laurenti primas nitidissime florum,
Sanguine qui vernant super aethera purpureorum,
Astes supplicibus, des commoda, noxia demas,
Salvifices meritis, quos pigneribus diademas[d].

a) tŏtos *eadem manu cod.* b) cunctat *cod.* c) ditas *cod.* d) *orationem ad eundem martyrem in codice sequentem hic dare omisimus, quanquam quatuor strophis amplior editione ibi invenitur.*

TRIUMPHALE BULONICUM.

PROLOGUS SEQUENTIS HISTORIAE.

Qua diebus nostris meritorum gratia, qua signorum gloria sanctus martyr Lambertus, quasi Lucifer novus effulserit, qualiter de manu pervasorum insigne Bulonii castrum, quod legitima traditione tum et libero iure per multos possederat annos, receperit, in pervasores ipsos ultus quam magnifice triumpharit, cum sit memorabile, aestimavi non ineptum paucis describere. Multi quidem multa loquuntur, atque ut in eiusmodi solet negotiis, diversae diversorum sententiae sunt; veruntamen prout investigare ab eis diligentius potui qui interfuere, posui gestorum veritatem. Quod etiam opus in quinque distinxi libellos, titulumque prescripsi *Triumphale Bulonicum*. In quo etsi preter verum quicquam positum sit, relatoribus an scriptori aequius hoc imputetur, benivoli sententiae lectoris defero. Sed amica religiosis veritas est. Unde a quibus haec accepi, nequaquam suspicer eos aliquid finxisse, dum modestia hoc excuset personarum.

Caeterum clara materies clarum poscit ingenium, et aureos sensus carbunculis decet illustrari verborum. Verum quod iners ego ac imperitus tantum aggredi negotium presumpsi, amor duntaxat in sanctum et devotio me induxerunt. Quippe gratiarum debitor illi eram, quas ex hystoria tam sollempni dependere non ociosum habui. Etenim cum per annum fere duabus angerer quartanis, et aut urerer ardoribus aut frigoribus contraherer, ita ut presentium pertese, miseriae michi et oneri iam esset quod viverem, postquam nuper a loco quietis, sicut infra liquebit, reverendum sancti corpus elatum est, inter languentium alios greges suffragium imploratus accessi. Quod indignum inexhausta fuerit clementia exaudire dignatus, habui experimento beneficium sospitatis. Sed in euangelio displicuere novem leprosi pro recuperata salute ad gratiarum actionem negligentes. (cf. Luc. 17, 12 sqq.) Itaque exemplo gratifici alienigenae ego humiliter adorans coram benigno Ihesu, Deumque magnificans, huius preconialis dictatiunculae velut hostiam accepta presentaverim pro incolumitate tanto sacerdoti. Dum enim detestabile sit malum ingratitudo, aequum omnimodis est divinis nos existere gratos beneficiis. Nempe quam gratus sit nostrae in se devotioni, ipse totius boni vel gratiae largitor, luce clarius est. Nec puto superfluum fore, si rem pietatis et gratitudinis plenam hic memoravero. Amici quidem supprimere personam, virtutes vero exprimere, et cautele et aedificationis est. Iure puplicatur quod imitabile sit. Quod autem bona intentione predicatur, nemo bonus male interpretatur. Igitur quidam pauperculus devoto erga sanctam Trinitatem obsequio fervebat, nomen triumphale Patris et Filii et Spiritus sancti, per quod adversa evincuntur omnia, assidue complectebatur corde, confitebatur ore. Nam sicut scriptum est: *Turris fortissima nomen Domini, ad eam currit iustus et exaltabitur; substantia divitis, urbs roboris eius, et quasi murus validus circumdans eum.* (Prov. 18, 10. 11.) Quod idem quoque in suis experiebatur plerumque necessitatibus. Qui scilicet dum quodam diluculo, contemplationi et confractioni deditus, sese lectulo post vigilias reddidisset, repente carnis sensibus novo vigore permutatis, a spiritu vehementi sublevatus in aerem est deductusque ad aecclesiam. Res pene incredibilis, sed Dei omnipotentiae non impossibilis: cum fores essent clausae, sic per ipsas ac si per aliquod concretae corpus nebulae transivit. Naturae siquidem auctor naturam dum vult immutat, prout vult dispensat. Ergo difficile non fuit sancto sanctorum, clauso matris utero processisse in ortum, sed mirabilis mirabiliter humanatus, sic filius esse voluit, ut virgo maneret sancta, quae genuit. Quisquamne illum dubitet clauso item sepulchro surrexisse a mortuis, clausis ad discipulos intrasse ianuis? Sunt haec quidem secreta; attamen vera debent procul dubio credi, licet nequeant comprehendi. Enimvero et apostoli et alii sanctorum quidam clausa leguntur ostia per divinam exisse vel intrasse mirificentiam. Itaque pauperculus ille ad gradus sanctuarii depositus, se ipsum stupebat, se ipsum palpabat manu, experiri cupiens, utrum in spiritu tantum an et in corpore illo sic advenisset. Cum ecce sursum audivit mirae dulcedinis voces organicas concinentes: *Dies sanctificatus illuxit nobis, venite gentes et adorate Dominum, quia hodie descendit lux magna super terram.* E vestigio tantae coruscatio lucis sanctuario infulsit, ut solis vinceret meridiani claritatem; qua etiam

Isai. 6, 5. ille perfusus, intendit ad maius altare. Paveo miser, extremisco infelix, quia dum vir pollutus labiis ego sum, usurpo tantum eloqui archanum. Sedebat scemate sancta Trinitas vere incomparabili. Pater, aspectu coruscans reverendo ac regiis purpuratus ornamentis, ex canitie capitis suorum antiquitatem pretendebat dierum. Spiritus sanctus faciei ac vestis clara iocunditate festivus, igne circumfusus liquidissimo erat, virgamque tenebat manu auream, utpote qui et afflatu accendit, et tactu erudit; cuius longevitatem canicies quoque insinuabat. In medio videbatur noster ille iuvenis, noster ille Emmanuel, qui, ut cum Deo essemus, cum hominibus esse non est aspernatus. In medio inquam pendebat in cruce ille speciosus forma pre filiis hominum, ille totus desiderabilis. O mitem! ó humilem corde! Ipse inclinato quam reverenter capite gratias predicto agebat pauperculo pro affectione, pro devotione, qua sibi soleret obsequi. Nam continuis ille sacrosanctam passionem votis recensere unicum ac votivum habebat, crucifixi imaginem adorare, amplecti, rigare lacrimis, quas cordis funderent interiora, tergere capillis, defigere osculis, et pro ungentis gemituosas preces atque caritatis exhibere odores. Dum ad tantam ergo visionem procidisset in terram adoraretque, ac totis animae vocibus et medullis glorificaret atque benediceret, subtracta subito gloria est illa. Qui eo statim quo venerat ordine ad lectulum est revocatus, ita ut in Prov 31, 6 7. illum se demitti clare adverterit. Profecto, ut ait Salomon, talem siceram merentibus, tale vinum his qui amaro sunt animo, das, ó Lamuel — quod interpretatur *in quo Deus* — ut bibant et obliviscantur egestatis suae, et doloris non recordentur amplius, talem utique consolationem, tale gaudium, ó Christe, ó dilecte votorum humilium, prebes lugentibus et contritis corde, quatinus qui te desiderant et diligunt in veritate, a te consolentur, te inter- 1 Cor 13, 12. Matth 5, 5. dum videant saltem per speculum et in enigmate. Assertio quippe tua est: ***Beati qui lugent,*** *quoniam ipsi consolabuntur.*

Sed intermissa iam repeto. Igitur primum volui prelibasse, unde aut quo modo suprascriptum Buloniense castrum in ius ac possessionem Sanctae Mariae Sanctique Lamberti accesserit. De situ etiam ipsius loci breviter explicandum duxi. Neque arbitror usquequaque stilo succensendum pauperi, cum debeant res potius quam verba pensari.

FINIT PROLOGUS.

TRIUMPHALE BULONICUM.

LIBELLUS I. INCIPIT.

Lotharingiae dux celebris Godefridus, qui hereditario a maioribus iure Bulonium possidebat, cum Iherosolimam peregrinari votum habuisset — quemadmodum in opere quod titulatur *Laurea peregrinorum Iherosolimitanorum*, quatuordecim sum plenius libris exsecutus — pro mille ac trecentis argenti et tribus auri marcis Oberto, Leodiensi episcopo, idem castrum contradidit, vadii tamen nomine, alterutrum scilicet tali conditione firmata: quatinus, si repatriasset dux, ipse facultatem haberet redimendi, sin vero minime reverti contigisset, eadem ad retinendum facultas fratri eius Eustachio Bononiensi cederet comiti; qui redemptione si supersedisset, tum vero in ius ac ditionem Sanctae Mariae Sanctique Lamberti aeterna hereditate libera et rata possessione transiret.

Igitur duce Iherosolimis postmodum diem obeunte[3] et Balduino fratre in regem sublimato, comes Eustachius a dominico repatrians sepulchro Lotharingiam venit, divertit Leodium. Multa ibi honorificentia in die dominici natalis ab episcopo, clero ac populo exceptus et obsequiis amplissime habitus est. Quicquid itaque in predicto castro habebat iuris, coram testibus idoneis penitus abdicavit, tamque pro sua quam pro fratrum suorum atque maiorum salute Sanctae Mariae et Sancto Lamberto cum omnibus pertinentiis in postera possidendum secula concessit, ad maius altare celebrata donatione. Quam legali etiam per omnia tenore scriptoque firmandam censuit, omni prorsus reclamatione cuiusquam sui aut fratrum heredis vel consanguinei perpetuo interdicta.

Castrum illud, in extremis[a] situm Leodiensis episcopatus, Lotharingi Francique conterminium regni facit, tam sui natura quam humano cultu singulare, tum insolenti menium fabrica tum precipitiis scopulorum et altitudine confragosa, ad haec vero spaciosa circumiecti nemoris vastitate ac fluvio Symoi preterfluente, accessuque ut est perdifficile, ita et insuperabile. Illic nec piscium copia nec venatuum deest affluentia. Sed loci nonnunquam

a) *alia manu in loco raso cod.*

3) 1100. Iul. 15.

firmamentum habitatoribus insolentiae parit fomentum. Qua de re castrenses in finitimos quosque caedibus et rapinis, aut quo libuisset nocendi genere, quia faveret impunitas, fuerant plerumque grassati. Quod sollerter predictus recogitans episcopus, ut tam suae diocesis quam duorum paci regnorum consuluisset, de thesauris subiectarum aecclesiarum collatam iam dictae pecuniae summam in eius adquisitionem contulit, multorumque per hoc tribulationes dampnaque sustulit.

Ergo ad episcopatum usque Alexandri, ab Oberto quarti, aecclesia quieto et libero iure ipsum castrum possedit. Quo presidente, Leodiensium res puplica bellorum frequentibus turbis atque principum seditionibus non minimum agitata, aecclesiarum possessiones a pravis hominibus pervasae, oppressae familiae, direpta sunt bona. Atqui ob impunitatem scelerum malis tunc licebat uti malicia, nullo iudicii metu, nulla cuiuslibet potestatis reverentia. Quippe statu rerum in diversa fluctuante, orbis Romanus dissensionum quassabatur tempestate, cum Roma duobus se divideret apostolicis, duo reges unum scinderent imperium, duo duces Lotharingiae sibi ducatum alterutris vendicarent. Hinc malos extolli, deprimi bonos, rapere potentes, miseros perdere tempus dictabat indisciplinatum. Abstineo caeteris. Illud autem non dissimulaverim, quod tum confidentia virtutis suae et divitiarum multitudine obfirmatus in superbiam, Godefridus exdux[4] Lovaniensis ferro, igni, predationibus Leodiensem est aggressus impugnare aecclesiam. Contracto preterea undeunde ingenti exercitu, penes castrum Dyrachium ad conflictum processit bellicum. Dei vero 1129. intemerata genitrice et sancto martyre Lamberto suae parti faventibus, quamvis aeccle- Aug. 7. siasticorum impar fuerit longe numerus, caeso tamen protritoque hostium non parvo grege, dissiluit confractum cornu peccatoris.

Talibus itaque ac diversis causarum aliis tumultibus dum urgeretur idem episcopus, dumque horsum suis, aliorsum imperialis distraheretur curiae negotiis, non domesticis modo, verum exteris quoque hostibus incursandi episcopium dabatur oportunitas. Unde Reinaldus comes Barensis, vir multae quidem potentiae sed ingenii pravi ac subdoli, castrum 1134. Buloniense pervasit, a custodibus, tam accepta quam promissa inductis pecunia, per proditionem intromissus. Qua de causa Leodiensem suspectui episcopum semper habens, veritusque ne quando instrueret contra obsidionem, presidiis illud firmis premunire studuit.

Post ubi Alexander decesserat, Albero Mettensis aecclesiae primicerius, clarissimo 1135. vir editus sanguine, in episcopum est subrogatus. Qui apostolicae sedi super dolo iniusti- Iul. 6. ciaque pervasoris quaestus, uti ab Innocentio secundo anathematis feriretur sententia, Leodiensis ecclesiae supplicationem obtulit. Verum hoc et ille precavens Romam adierat, et muneribus curialium favore comparato, quo minime id ageretur effecerat — apud avaros enim pecunia quam iusticia pluris est — sed etiam quod ipsum sibi castrum iure propinquitatis obvenisset, asseruit, simul quod pecuniam, pro qua aecclesiae fuisset obvadatum, reddere voluerit. At vero episcopus pro eadem causa Romanam secundo synodum expetens, mansit inefficax. In tribus denique regalibus curiis, Cuonrado videlicet secundo regnante Romanis, censuram super hoc tam regis quam procerum interpellavit. Verum nichil adeo profecit, ut aper idem vastatorius cum alio quodam dominicae vineae impio vindemiatore acriori rabie spirans, illustre oppidum Fossis, sancti martyris Foillani et cor- 1140. pore et memoria reverendum, dolo similiter furtimque aggressus, iret populatum everteretque per incendium. Nec vero quoquam obsistente — nam cives re inopina attoniti quaquaversum diffugerant — vis flammarum non solum domos ac turres, quin et sacram martyris edem officinasque corripuit et absumpsit. Episcopalem quoque domum septaque muralia hostilis manus pessumdedit. Alia etiam passim episcopio dampna intulit. Quapropter episcopus Romam adiit iam tertio, apostolicum attemptavit patrocinium, super scelerum tanta immanitate exoravit eius iudicium vel sententiam. Sed cum hoc parum prodesse perpendisset, reversus in sua, per se tandem ac per suos experiri negotium intendit. Namque primatum conciliata suorum fidelitate, communicato assensu et auxilii sponsione, Bulonium obsidere statuit. Verum quia facto anticipasse famam rebus nonnunquam profuit, omnia secreto agitans, quod moliebatur adversarios latuisse studebat, quo preventi cautius, concludi possent facilius.

Anno igitur sui episcopatus quinto, 16. Kal. Septembris[a] cum quibusdam e principibus 1141. et delectis equitibus in obsidionem processit. Egressi tunc fuerant duo filii Rainaldi, Ugo Aug. 17.

a) 16. Kal. Sept. *alia manu in loco raso cod.*

4) Depositus est a. 1129. a rege Lothario.

1141. Aug. qui et natu maior, et Rainaldus iunior, excursionem in episcopium facere ac predari, multaque cum illis militum manus in armis expeditorum. Quibus milites episcopi occurrentes congressi sunt, illosque in castrum abactos constanter obsedere, ferro ignique grassantes. Quanquam vero castrenses ampliori essent numero, tamen rati plures quam viderent hostes in insidiis delitescere — nec enim tam arduum opus tam paucam multitudinem aliter presumpsisse — dum libere possent egredi aut ingredi, sola tenebantur formidine inclusi. Loci item firmitudine confisi, eo vilipendebant obsidentes, ut totam noctem epulis commodantes ac cythare, pueros et puellas agere choros in eorum irrisionem preciperent, maxime cum illos, qui praerupta montis iam occupassent, abegerint et quosdam peremerint. At episcopus et qui cum illo erant, stationem castris prescribere, tentoriorum instituere diversoria, tum noctu et interdiu excubias et custodias agitare, parati semper esse, ne quando aut obsessi erumperent, aut comes Rainaldus, quod sepe fama minabatur, repente cum exercitu incurreret. Abundabant vero rerum commeatu necessariarum, laetaque ministrabant equis pabula circumiacentes agri, necdum demessis segetibus, ubere gleba prediti.

Hostium inserviebat usibus molendini officina, penes fluvium Symoin instituta, quae ad victum dum esset accommoda, spe ad resistendum illos armaret non minima. Cuius quidem rotas ut celerior incitasset motus, aquae, artificioso contextu sepium retentae, collectiores atque rapidiores superinfluebant. Quin et ipsi officinae suum erat presidium, quo ex hoste defensaretur. Intendit ergo hanc intercipere Heinricus comes Namucensis, hortatusque socios fluvium primus irrumpit, quatinus dirruptis aquarum retentaculis in proprium eas alveum reflectant. Quem tres balistarii appetentes iaculis, uno anteriores armos equi quem sedebat, alio crus ipsius, tertio nichilominus eiusdem equi transfigunt ilia. Quo ruente, sessor in flumen una decidit. Clamor utrinque oritur ingens spectantium, efferuntur hostes gaudio. Comiti nec mora socii subveniunt, ab inter undis pertrahitur. Sed iniuria irae indignationisve stimulus est. Ne diu itaque hostes laetarentur, alligato comes vulnere ad ceptum opus acrior redit, nec abstitit, donec disiectis obstaculis ad liberum aquas cursum revocasset. Sic obsessorum gravi dispendio eidem officinae molendi exemit officium.

FINIT LIBELLUS PRIMUS.

INCIPIT SECUNDUS.

Interea cum ob difficultatem et suspectas locorum angustias nullus adire castra vel importare quippiam auderet, necessariae obsidentes deficere res caeperunt. Proinde legatis episcopus quoquoversum nuntiis, de toto equites ac pedites episcopio convenire edixit affatimque victualium conduci necessaria in expeditionem. Tunc certatim confluentibus copiis, assultus plurimi agebantur. Oppugnabant hii, repugnabant illi; vulnera mortesque hinc et inde. Neque autem ab obsessoribus quicquam omittebatur, quod fore in rem contra obsessos crederetur. Dum firmitas vero loci difficultasque omnia impatiens despiceret, solum illud in spem adduxerat obsidentes, uti profligarentur fame, quos humana fortitudo vel ingenium minus valerent subigere. Obsessis igitur omnes egrediendi seu ingrediendi precludere aditus moliebantur.

Ea dum agerentur, nutu Dei omnia suaviter disponentis episcopo et maioribus ecclesiae visum est, ut venerabile beati Lamberti corpus, de loco motum suae pausationis, ad castra deportaretur, quatinus presentia vel munimine tanti patroni amplior accresceret animus exercitui, atque ubi virtus cessisset humana, divina per suum operari martyrem dignaretur omnipotentia. Nam principes quoque exercitusque omnis, populus denique civitatis, qui edicto erat episcopali processurus, id summopere efflagitabant. Quocirca licet multa hesitatione, multo deliberationum tractatu, postremo tamen complacitum est necessitati tantae satisfieri. Quod etiam approbasse martyrem, cum successu rerum tum et revelationibus et inditiis est quibusdam satis compertum, asseverantibus loci custodibus, quod tantis plerumque motibus circa dies illos feretrum, quo felicia claudebantur pignera, concussum sit, tantus terror incesserit divinus, uti non auderent illó, presertim noctibus, accedere aut ingredi. Nam obstupescunt carnalia, dum emicant spiritualia. Ad cumulum profecto tuae glorificationis hoc agebatur, ó martyr, ó decus et gloriae corona Leodiensis, quod a loco transferebaris pristinae quietis, quatinus tua per te reciperes, qui iam coheres Christo factus in regno, nullius nisi propter tuos egens factus esses.

Igitur 6. Kalendarum Septembrium convenientibus tam monachis quam clericis atque 1141. Aug. 27. numerosa diversi sexus et aetatis frequentia, abbates virique religiosi subeuntes in secretarium criptae, quod tantum asservabat thesaurum, debita sacrum feretrum reverentia extulere, melicisque laudum concentibus in voce exultationis et confessionis personantibus, in medio est ecclesiae locatum. Multa ibi vota, multae preces ac lacrimae fusae. Sancti quoque virtus profulsit mirifice. Quaedam mulier, quae capitis obsurduerat dolore, cum occurrisset ad feretrum opemque fideli affectione, pio lacrimatu implorasset, subito in verticem grave quoddam pondus superne sensit decidisse et quasi duos ferri duciclos utrique auri penetrabiliter infixos. Ex quo terrae consternata, dum ita caelesti medicamine sensum audiendi plene recuperasset, Deo et martyri gratias reddidit. Denique puella quaedam passionis trino genere miserabiliter agebatur. Modo etenim febre, modo paralysi, interdum epylemsiaco[a] quassabatur incommodo. Super qua nimium parentes affecti votum martyri vovere, illiusque ad martyrium cuiuslibet speciei oblationem infirmae aequilibratam deferre statuerunt. Piae supplicum devotioni pia sanctae Trinitatis operatio affuit, quae actutum puellam eisdem ad integrum passionibus liberavit. Puer quoque erronei sensus ac turbidae mentis in sobrium rationis statum compositus est. Alia etiam provenisse sanitatum ferebantur remedia. Sed miracula pro augenda fiunt devotione credentium. Fit ergo ad devotionem provectior, qui est ad credulitatem inclinatior.

Tunc primi atque saniores provido solliciti metu, ne quid forte tristius super martyris corpore accideret, si delatum in castra foret — nam bellorum incertos eventus esse, atque nunc istinc nunc illinc adversa misceri et prospera — decreverunt, ut resignato eodem feretro inde levaretur, tutiorique interim loco reconderetur. Quod videlicet sunt executi abbates religiosi, et ad hoc electi probabiles viri, qui beata ossa penes altare sanctae crucis, situm in oratorio eidem basilicae adiuncto, ingenti sicut par erat metu ac devotione ad nocturnum transposuere silentium. Aliquas tamen in ipsum feretrum reliquias reponentes, denuo signaverunt, et hoc ad castra exhibuere perferendum.

Nec quievit pietas populi vovere vota, oblationes offerre, donec inde sublatum cum tabula operose fabrefacta, cui dominicae crucis portiuncula inesset, castris deportaretur, Aug. 28. choris monachorum atque clericorum tanto patri debito affectu et veneratione prosequentibus, atque canticorum officio usque Mosam fluvium per Puplicum Montem deducentibus, per sanctorum caenobia inibi constituta honorifice prius decantatis laudibus. Neque popularium defuit ingens turba. Suas ipsi laudes, sua personuere cantica. Verum loculo venerabili excepto navi, devotus grex pium pastorem multa obsecratione et lacrimis commendans, uti prospere abiret prosperius rediret, quia gressu non ulterius valebat, diu tamen voto sequens et oculis, in sua tandem rediit.

Concurrebat autem undique obviam feretro sancto de vicis ac villulis utriusque sexus multitudo, fiebantque sanitates plurimae tam medicabilis ligni virtute quam beati martyris merito et oratione. Ad Nandriensem[5] quippe villam ubi ventum est, homo languidus, quem acerba menbrorum contractio dissolverat, ipsi feretro applicitus, exorataque sancti clementia, celeri est sospitate instauratus. Deinde in villa Phrieré cecus lumen recepit oculorum. Unde cum esset digressum, quidam miles, qui quartano diu typo laboraverat et capitis valitudinario urebatur assidue, ubi salubrem attigisset loculum, suppositisque humeris aliquanto tulisset spacio, incommodis fuerat liberatus. Qui etiam armis protinus resumptis, officiosas retribuens gratias, secutus in expeditionem est. Secuta dehinc nocte apud villam Upheí mansione disposita, ubi prestolabatur Leodiensis exercitus, devota fidelium sedulitas cum incolis loci celebre exegit pervigilium. Inde matutino dum movis- Aug. 29. sent, advenit qui diceret, sequenti die, 3. videlicet Kalendas Septembris, Rainaldum comitem cum quingentis equitibus et quindecim peditum milibus bello conflicturum. Quapropter accelerato itinere prono iam in occasum sole Thelím villulam venere. Ibi cives paulo ante Hoienses hospitati, sed hospitum humanitate hostiliter abusi, annona et rebus eos necessariis fuerant populati. Nocte ergo media directo exercitus ad episcopum veredario, qui super bello disceret, cum postera in lucem iam aurora erumperet, exinde progressi, Vilan- Aug. 30. tiam properato villam contendere. Illuc rediens legatus bellum eo procul dubio futurum die nuntiat. Sed formidolosos sinister facile rumor enervat. Unde complures inepta formidine fracti, soloque auditu vulnerati sunt. Diffidentia ergo subterfugere muliebri. At caeteri

a) epylěsiaco *cod.*

5) Nandrin, a Leodio ad meridiem.

1141. Aug. 30. cum vitalis ligni tum sancti martyris confidentia potius quam ferro armati, per angustos semitarum tractus in auxilium sociis maturaverunt pectore virili. Ab utroque autem exercitu missi exploratores, qui quomodo sese partes haberent vestigare ac referre deberent, dum sibi occurrissent, taciti ac dissimulantes ad socia se castra retulere. Atque hostes quidem ex suis cognito, quanta obsidentium, quanta eorum qui tunc confluxerint esset copia, satius probaverunt conatu temerario absistere, quam periculum in se ultro arcessere.

FINIT LIBELLUS SECUNDUS.

INCIPIT TERTIUS.

Posteaquam fuerat auditum in castris dominicae crucis insigne cum tanto adesse patrono, ab episcopo exercituque pro expectatione belli instructo armis, occursum est. Ea igitur incessit laetitia, eae choros ducentium voces insonuere, uti existimasses archam faederis Domini exercituum tunc excepisse Israel. Et sacrum quidem feretrum intra paratum sibi tentorium in loco qui Pratum sancti Lamberti dicitur, receptum, deputatisque custodibus, et qui congruis temporibus divinas dicerent laudes clericis, quidnam in se contineret, quantam detulisset opem, mira caepit continuo declarare potentia, ut liquido patuerit omnibus venisse Deum in castra. Enimvero ad presentiam eius, qui erant in castro sive presidiis et invicto se loci situ inexpugnabiles arbitrabantur, subita hebitudine ac metu quasi fulmine tacti, per hoc, si mens non leva fuisset, sibi animadvertissent predici, quod tali forent machina expugnandi. Quinetiam Ugo, qui hereditario iure ipsum post patrem possidere castrum acceperat, dum viso eminus feretro, iuvenili arrogantia insultaret, toto statim dissolutus corpore caepit tremere, sensuque perdito retrorsum ruit, excors et insolens, qui non intellexisset, cuius indigne fieri coheres attemptarit. Sed ubi paulatim sese resumpsit, Rainaldum fratrem cum primis e familiaribus seorsum evocat, quantum terroris patiatur aperit: intentionem in eo suam esse, quatinus sancto martyri satisfaciat, suumque castrum illi restituat; super quo etiam voluntatem esse patris querendam, ac sibi quo urgeatur periculo insinuandum; se omnimodis obsecrare, ut pereunti paterna pietate prospiciat. Quod petebat, sese executuros illi compromittunt. Indutiae ponuntur in ebdomadam, intra quam ad patrem hoc ipsius referri potuisset.

Sept. 1. Leodiensis acies tertio postquam advenerat die post missarum agendam, post salutis commonitorium et peccatorum absolutionem, armis accincta, presidium, quod superius dictum tuebatur molendinum, aggreditur. Hoc etiam eadem cum officina iniectis ignibus absumit. Plures sauciati utrinque, et aliqui laetaliter occubuere; quin et sacerdos quidam[6], dum periculo incautius se exposuisset, a balistario capite traiectus interiit.

Evolutis induciarum diebus, cum prescriptus iuvenis suos requireret quid egissent, quid super salute sua tractassent, vel patris quae esset sententia, ubi nil actum intellexerat, gravi stomachatus indignatione: *Volentibus*, inquit, *sive nolentibus, quod suum est sanctus recipiet. Sed en ego divina plector animadversione, et vestra faciente obstinacia crudeli en morior! Verum ó milites, ó amici, si qua mei vos movet miseratio, si misero parcitis, inite iam demum michi ac vobis salubre consilium.* Dum instaret vehementius, illi ultra non ferentes eum tam dire anxiari, nocte secuta per abditos silvarum calles misere castri procuratorem et militiae antesignanum, qui ad patrem illius rem perferret, ac referret sententiam. Qui iuramento etiam firmavit, quod sequenti haut dubie dominica reverteretur, nisi forte aut hostili captione aut morte preventus. Sed ab eo fides neglecta, posthabita est sponsio. Nec enim peregit legationem, nec rediit ad socios, sed cuidam militi adiunctus, de his quae in castra convehebantur, predationes agebat.

Iuvene, qui morarum fastidiebat tarditatem, condicta denuo die a suis exquirente, quaenam voluntas seu deliberatio patris esset, ac respondentibus se nuntium misisse quidem, minime vero esse reversum, tum acerrimo luctu ille aestuans et mente captus, horrendo caepit modo agitari, se ipsum discindere, manus brachiaque dentibus appetere, ad sancti velle feretrum prorumpere. Verum ligatus a ministris penes remotiora continebatur, divulgato, quoniam egrotaret. Sed nullam eo admittente quietem, immo quae sola sibi libera remansissent labia linguamque morsibus lacerante, idque inter inconditas crebrius voces perstrepente: *Querite consilium, querite,* sui merore et anxietate circumfusi statuere, Rainaldum fratrem eius tam tristis nuntium rei apud patrem fieri; fortasse presentis

6) Gerardus, v. supra Triumph. S. Lamb. p. 509 cap. 17.

aspectu, absentis alterius filii traheretur affectu, parvi penderetque alienam hereditatem, ob quam tam gratum amitteret heredem. 1141. At cum adolescenti processuro electissimum vellent equum exhibere, itatenus bestia neque ictibus urgeri neque hortantium potuit vocibus moveri, ut fixo gradu in simulachrum putaretur obriguisse. Qua scilicet difficultate facta, accessit experimento etiam artis industria. Nam ipsius equi velavere oculos, agebantque, quatinus vel sic procederet. Quia vero non est consilium, non est conatus contra Dominum, herente illo, astus sollertiaque exinanita est hominum. Ita ergo adolescentis iter impeditum. Possessor autem equi molestissime habens tanti se usu vehiculi destitutum, ne deficiens quoque in mortem conspexisset, sequenti die armigero iussit, si quo posset pacto aquatum illud producere, et alicui saltem adversariorum attribuere. Quod ultroneum statim minantis sequens arbitrium, a montis est supercilio ad aquam deductum. Unusque militum mox ascendit transductum, et bello habile et cursu probavit prestantissimum. Igitur conicere castrenses poterant, sese divinitus impediri, atque superiori bestiae repugnantia suam rebellionem pertinaciamque coargui. Nec minus porro in eis quam in iuvenibus illis notam faecit sanctus virtutem suam, qui post furoris quidem contentionumque iurgia plerumque tanta adversum semet ipsos armabantur insania, uti alterutros gladiis appeterent. Horroris quoque ac terribilis cuiusdam pavoris terra super eos caligo incubuerat. Sicut enim postmodum fatebantur ipsi, singularem tunc in eis animadvertisse miseriam fuit, cum exteriori non solum obsidionis vallarentur angustia, verum, gravius quo nichil esset, intestino discordiae malo sua lacerarent mutuo viscera.

Quo contra dum captivus quidam, qui plurimum iam tempus illic fecerat in compedibus, virtutem martyris invocasset, ex edito se turris loco deorsum mittens, quamlibet devolutus per asperrima sit precipitia, non solum lesionis tamen nil pertulit, quin immo vincula, quibus stringebatur superno soluta beneficio, ab eodem sunt ante feretrum deportata, et in argumentum tantae virtutis appensa. Etenim fides ac devotio merentur gratiam, perfidia et presumptio incurrunt offensam.

Edificabatur interea grandi opere machina, quae plurimam polliceretur spem adversarios opprimendi. Quam scilicet manus artificis volubilem constituebat, solidissimis subter rotis quatuor insertis; desuper vero stationem, quae dimicantes contineret, crudis diligenter boum tergoribus vestiebat, quo tali obstaculo missilia hostium impacta frustrarentur. Locus quoque, per quem illam trahi placuerat, nemore expediebatur, uti complanato ad montem accessu, adversum munitionem ipsius tuentem montis fastigia, applicari debuisset. Quam dum milites loricati admodum mille quingenti annisu spectabili traherent, ruptis subito funibus, humi concidere, talique sunt illusi infortunio. Quin et ligneum parabatur instrumentum, quod super Symoin trahendum, observantibusque intus balistis, ne obsessi aquam haurire descenderent, esset inibiturum, necnon sagittariis e castro iaculantibus obiciendum. Sed cum deflueret tempus in extruendo, tedere populum caepit morarum, presertim dum et profusior intemperantia priorem habundantiam gravi exclusisset victualium inopia, gravemque gigneret continuus ymber intemperiem. Porro et milites, qui quolibet illustri facto suam enitescere industriam cuperent, contra principes iam causari super rerum dilatione, et quod nichil agere preclarum iuberentur. Sed virtus profecto divina suo reservabat martyri triumphales titulos. Sic nanque cuncta sapientium ingenia, sic cunctae consultationes fluctuabant, ut, quod deliberatum vesperi esset, postero mane vix aliquando agi placuisset. Huc etiam accedebat, quod Rainaldus comes plurimas contrahere copias, instanterque moliri bellum ferebatur.

FINIT LIBELLUS TERTIUS.

INCIPIT QUARTUS.

Cum se igitur plurimi subducerent, tedio alii, alii victus indigentia exhausti, decrevere primores machinarum ulterius non prestolari consummationem, quin potius totis in commune viribus adversum presidia hostium congressus experiri. Ad quintum decimum itaque Sept. 17. Kalendarum Octobrium, qui dies glorioso splendescit natalicio beati Lamberti, ut se in expeditionem quisque pararet, edictum est in castris. Nam eo magis die virtus sancti sperabatur affutura preliatoribus suis. Tum vero exercitu peditum, qui centenorum aestimabatur milium, exceptis equitibus, quorum tria essent milia, certatim ad assultus concurrente, infinita lignorum ramorumque a silvis congeries advehebatur. Qua sub ipsa

1141. Sept. 17. munitione aggesta, ignibus admotis nitebantur suscitare incendia. Sed vento vehementi ex adverso aspirante, iniuria fumi simulque flammarum globis oppugnantes affecti absistere cogebantur. Ita nichil eo conatu profecerant. Veruntamen ibi quoque tunc operata est manus martyris. Quanquam enim inconsultius plurimi pugnarint, ac nudo corpore et obviis pectoribus fuerint hostibus expositi, nullus tamen fuit qui se plagatum, nullus qui se illo quereretur fuisse assultu gravatum. Ac militaris summopere cohors communita ferro, per abrupta montis reptabundo vix gradu conscendit, atque inter duas munitiones, quas ante maius castrum comes exstruxerat Rainaldus, constitit; quae profecto res non minimam foret hostibus necessitatem allatura, egrediendi vel ingrediendi facultate interclusa. Tanto autem dissensionis furore miseros ille dies induerat, ut suae defensionis ac salutis immemores, ferali potius invicem rabie bacarentur. Sensu etenim ferae induitur, qui Deo repugnare nititur. Verum iam Hespero diem claudente descendit exercitus de monte, militibus duntaxat loricatis studio acriori urgentibus inclusos.

Venit tunc in castra Heinricus comes Salmiensis, ex sorore ortus Rainaldi comitis. Hic ab episcopo et principibus petitis atque impetratis indutiis, collocuturus nepoti suo Ugoni quem esse inaequalem audierat, et tam illum quam caeteros ad deditionem hortaturus, in castrum successit. Ea nox tetrae caliginis situ inhorruit, inclementia nymborum pugnacique austro, placida serenitatis caelo quiete eiecta. Discussit castra seviens procella, et affecit inundatio. Sed laudabilis sufferentiae exercitus scutum obiecit incommodo. At milites qui pernoctabant in monte, hii quidem nec aliquam intemperiem nec armorum pertulere onera, eo quod gloriosa sui patroni protectio illis in securitatem et in absconsionem fuerit a turbine et a pluvia. Comes denique, viso iuvenis tam exitiali malo, divinam esse ultionem animadvertit, compunctusque in lacrimas ut simile caverent reliquos ammonuit: unius etenim plagam pluribus debere fieri cautelam. Accepta proinde ab universis sponsione, quod nisi intra dies septem a domino suo illis subveniretur, se et castrum dederent, quatinus idem Ugo ad feretrum martyris efferretur et ab episcopo solveretur excommunicatione et eorum quae in sanctum deliquisset veniam mereretur, obtinuit. Veruntamen talis interiecta pactio est, ut quousque fieret deditio, ipse iuvenis apud episcopum obses detineretur. Quin et frater illius Rainaldus, qui ne fieret deditio pertinaciter restiterat, gravi confectus dolore menbrorum, ad feretrum producitur, sancto satisfacit, voto se obligat, quod res eius nulla ulterius temeraret pervasione, dummodo imminens evadere periculum meruisset. Nonnulli etiam adversariorum, alii alio ultionis modo multati sunt, ne quis leve estimarit manus mittere in sanctum Domini. Interea Ugo, cruciatuum longo anguore consumptus multumque martyris nomen inclamitans, diem clausit extremum, sane per hoc insinuans, quo indignante compulsus sit ad exitum. Ad cuius scilicet patrem comes prefatus maturato proficiscitur, supernae indignationis iram, primogeniti mortem, alterius incommoditatem, suorum miserias exponit attonito, suadetque, sibi tandem ac suis consulat; cum res enim tam in arto sint, cedendum esse et debere dimitti, quod nequeat retineri. Itaque perpendens barbarus ille, quia velle divinitati repugnare conatus esset humanos excedere, malorum violentia extortus in deditionem consensit anno a pervasione duodecimo. O diem triumphalem! Tunc plane, sicut sol in ortu suo rutilat, ita martyris nomen effulsit magnificentia, qui de caelo contra hostes dimicans, quod penitus non potuissent humanae vires, divae virtutis hoc peregit potentia.

Sept. 21. Eiectis igitur e castro adversariis, 11. Kal. Octobris intromissum est splendido cum triumpho feretrum venerabile et in medio ecclesiae locatum, quae camerato transvoluta opere decentis structurae reddit aspectum. Haec sancti baptistae Iohannis sacrata est ad titulum, quem Lambertus splendide imitatus, aeque occubuerat propter iusticiae et castitatis testimonium. Dicebantur itaque laudes Deo secundum multitudinem magnitudinis eius, preconia martyri, quoniam humiliasset sicut vulneratum superbum, et in virtute brachii sui dispersisset inimicos suos.

FINIT LIBELLUS QUARTUS.

INCIPIT QUINTUS.

Triumphatis hostibus postquam noster fortis armatus sua recepisset, omniaque illius in pace iam disponerentur, suam repetere Leodium placuit. Unde celebratis post biduum mature missarum sollempniis, feretrum plaustro superpositum ad oppidum Deonantum

est subvectum; inde Namucum petitur. Illic puero septenni, ceco a nativitate, videndi per 1141. martyrem usus provenit. Apud Andetennam quoque clericus acerba corporis valitudine exhaustus, ab ipso pene mortis hiatu ad vitam retractus est et salutem. Nec Hoiense oppidum tam medicabilis gratia preteriit. Ibi contracto, quem nunquam ambulasse testarentur parentes, novi gressus officia indulsit. Iam porro ubi feretrum navigio Leodium peraccessit, triumphali coronata gaudio tota se in occursum civitas effudit, plausibilibusque canticis ac festis ordinibus duci emerito pompae morem pretulit. Exceptumque in portu sancti Iacobi a monachis et clericis aecclesiastico cultu, atque per insulae monasteria deportatum, redditisque canora modulatione ymnis, ad maiorem denuo est aecclesiam relatum. Corpus deinde beati martyris ab altari sanctae crucis, penes quod repositum fuerat, levatum est, decentique illatum feretro, in medio aecclesiae debitis asservabatur obsequiis.

Nec supernae destitit pietatis munificentia, quae ad probanda illius merita iterare sit dignata salutis opera. Nempe dum quidam languidus, quem totum possideret egritudo, ad eius martyrium deferretur vehiculo, gratia sanitatis illius fidei occurrente in itineris medio antiquo decem est leprosorum salvatus exemplo, qui dum irent se ostendere sacerdotibus, iubente Domino, priusquam pervenissent, mundati sunt ab leprae incommodo. Exilivit ergo, stetit et ambulabat ille homo, et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo. Quendam quoque captivum, quem in vincula artamque custodiam barbaries coniecerat hostium, se invocantem exaudivit, ut eriperet, pii martyris meritum. Nam subito dissiluere quibus vinciebatur boiae, sicque indepta fugiendi oportunitate, ut suum honorificaret liberatorem, easdem pro virtutis inditio ad aecclesiam detulit cum gratiarum actione. Sed sanctorum vera beatitudo signorum non eget testimonio. Quocirca vanum estimo his superaddere plura, cum prorsus pateat indubitate, infinitaque astipulentur documenta, sancto martyri apud Deum nichil esse impossibile. Verum acta haec dominicae incarnationis anno 1141, indictione 4. regnante Romanis Cuonrado secundo, anno regni eius quarto, episcopatus autem domni Alberonis secundi quinto. Laudes meritorum ipsius et mirabilium quae fecit preconia posteris mittent seculis, ut omnis cognoscat generatio.

Preterea dum filii hominum irritarent in vanitatibus suis Dominum, abutendo maxime immoderatis cultibus et lasciva superfluitate vestium, et ipse in virga et verberibus visitaret iniquitates et peccata eorum, ita ut in quibusdam mundi partibus interdum ipsa hominum corpora illesis vestibus, interdum ipsae vestes igne invisibili arderent intactis corporibus, plagae tam horrificae pavens urbs Leodiensis potissimo duxit remedio preoccupare faciem Domini in confessione, penitentia et letaniis. Quapropter etiam visum est, ut beati Lamberti corpus per loca sua deberet vicosque deportari, quatinus tanti patroni merito et sanctificatione tueri, conservari meruisset. Id magno affectu et celebri devotione monachorum, clericorum ac popularis frequentiae actum est. Verum quod sine gemitu et dolore non dixerim, quidam laicorum se ingerentes, ac feretrum deportatione indebita temerantes, martyris potius exacerbavere iram, quam commeruere gratiam. Nam presumptio magis est quam religio, ab indignis sancta contingi. Sinistris e vestigio rebus hoc probatum est. Etenim civitatem casuale corripiens incendium, cum per eadem maxime loca, quibus fuerat portatum, totis se laxasset habenis, non preclaras domos tantum infinitasque supellectiles, verum aecclesias quoque, menia seu turres aut est depastum penitus aut non mediocri demolitum iactura. Nec evaluit ad obsistendum conatus aliquis vel opera, quin voracibus flammis subsideret urbis pars maxima et venustissima. Sed equidem, uti postea comperimus, sine divina hoc ultione non accidit, dum flagitia inhabitantium pessima ignes tam validos accendissent, quod non solum proxima, sed etiam longinqua halitu ipso scintillisque minimis inflammarent. Memorabile vero quiddam interfulsit, quia matronae cuiusdam habitaculum, quamvis esset ligneum, tamen evasit discrimen. Ardebant undique grandes ac muratae domus, habitaculum illud sinuamina flammarum horrendo circumdabant camino, sed durabat illesum. Quin et sancti Georgii martyris contiguam prorsus aecclesiam absumpsit incendium. Illius habitaculi aridam ac pene cariosam parietum fabricam innocui allambebant vapores, quorum tanta vis esset, ut saxa quoque dissolveret. Sed enim piorum plura sunt bona, quae homines lateant, Deo manifesta sint. Proinde credendum est, quod pia conversatio mulieris hoc meruerit, ut circa illam prisci novaretur seculi miraculum, quo tres pueros nil penitus lesit, immo clarificavit fornax Chaldeorum. Coniciebant tamen plurimi, sanctum illi Bartholomeum presidio affuisse, cui summopere devota existeret, ad cuius quoque aecclesiam

1141. ante aliquot dies pallium obtulisset. Nec equidem minus reticendum, quod ignis, cum ad quandam eiusdem apostoli officinam circumquaque tempestatis instar seviendo pervenisset, repente conciderit. Attollebantur interdum cumuli flammarum velut indignantes ibi subsistere, et aedificium invadere certabant; sed in semet relabebantur, sed minuebantur. Nam gloriosus ille suspendentis aquas filius meritorum eos fluentis restinguebat: nec ibi ius periculum habuit, ubi se patronum Bartholomeus exibuit.

Frequentes preterea motus ac turbae, et ab sicariis Arduennensibus furtivae aggressiones et caedes, aliaque passim nostrae civitati incommoda tunc obtigere; quod scilicet hominum genus cum se potissimum latibulis tueatur silvarum impunitatemque difficultatibus aucupetur viarum, plurimum nonnunquam nocere, non facile vero circumveniri aut opprimi potest.

Elapsis post haec duobus fere annis, venerabile martyris corpus in cripta sub altari
Dec. 19. sanctae Trinitatis ingenti cum gloria et honore 14. Kal. Ianuarias est relocatum, per hoc scilicet temporis spacium tam feretro quam secretario eodem, auro ac gemmis tum et lapideis extrorsum tabulatis, superiorem triumphum operosa representantibus sculptura, preclare adornatis. Sancitum insuper episcopali est auctoritate, id ipsum aecclesia Leodiensi probante, ut 4. Kalendarum Maiarum eiusdem triumphi, nec non et translationis, qua idem martyr de Traiecto in Leodium est translatus, sollempnis in posterum agatur memoria, quoniam 9. Kal. Ianuarii ipsa primitus translatio facta, eo die propter dominici natalis vigiliam debita non posset celebrari honorificentia. Quae nimirum qualiter a sancto sit Huberto divina olim ammonitione peracta, quot et quantis virtutum signis tunc mirificaverit Dominus sanctum suum, quia reperitur a multis multimode conscriptum, visum meae est parvitati inde habere silentium.

1153. Attexere vero oportunum reor, qualiter anno quoque ab incarnatione dominica 1153. virtus martyris erga suos Leodienses claruerit. Nam dare operam sanctorum laudibus clarae sedulitatis est; nec carebit premio devotus laudator, si eius quem laudat sedulus fiat imitator. Inter Heinricum episcopum, qui suprascripto successerat Alberoni, comitemque Namucensem Heinricum graves inimicitiae a factiosis sunt hominibus conflatae, ita ut plurimorum infligerent sibi dampnorum incommoda direptionibus atque concremationibus villarum seu aecclesiarum, et hominum utrinque caedibus sevirent. Ad postremum decernere bello comes non est veritus, equitumque collecta peditumque manu Andetennam accessit, villam penes Mosam fluvium sitam. Contra quem processit episcopus, licet equitum minore numero. Leodienses enim Hoiensesque cives dum classe precessissent, metuens episcopus, ne adversariorum illos equitatus incursaret, sequi non distulit. Ea preventus necessitate equestres aggregare copias minus occurrerat. Sed procul dubio Christus martyrem suum hoc etiam destinarat triumpho glorificare. Kalendas siquidem
Febr. 1. Februarias cum armatae in pugnam acies concurrissent, tanto repente pars hostium stupore alligata est, ut se imbellem ipsa stuperet, etiam ipsis quodammodo telis ad feriendum tardioribus. Primi ergo et electi eorum equites deiecti et capti sunt, fugae caeteri consuluere, e quibus nonnulli vel comprehensi. Pedites aut concidere ferro, aut funibus abstracti sunt, nisi quos pedum salvavit velocitas. Efferimur ergo ecclesiae glorioso successu, neque dubitamus accidisse quasi miraculum a Deo. Etenim dum adversariis nec virium copia nec armorum defuerit experientia, adeo ut securi victoriae, funes quoque quibus abstraherent victos deportarint, ne unus tamen ecclesiasticorum aut vulneratus aut captus est. Igitur victores quia parcerent victis, et maxime quia celebritas instaret sanctae Dei genitricis, omissa fugientium insecutione, triumphali cum tripudio in sua regressi sunt. Sic Moab ille, cuius audivit aecclesia superbiam, quod superbus sit valde, fractus quidem est armis, sed non fractus animis, quoniam superbia eius et arrogantia eius et indignatio eius, plus quam fortitudo eius. Tu porro humilis gloriose, tu martyr victoriose, cui floribus gratiarum et laudum scripti huius coronam qualemcunque texui, omnia tuis supplicibus adversantia invictae manu miserationis exclude, vultuque respiciens sereno vide et visita vineam Leodiensis aecclesiae, tuoque irrigatam sanguine et faecundatam corpore sub umbra alarum tuarum ab impiis atque affligentibus aeternaliter protege.

FINIT TRIUMPHALE BULONICUM.

DE INEPTIIS CUIUSDAM IDIOTAE LIBELLUS AD AMICUM PRIMUS.

Hominis quidem est, ut ait Salomon, *animum preparare, et Domini gubernare linguam, quia omnes viae hominum patent oculis eius, et spirituum ponderator est Dominus.* Prov.16,1.2. Non sic autem, ó amice, non sic scandalorum opifices, qui aut odii vel invidiae securi et malleo terrifici, aut gratiae vel adulationis runcina et torno delinifici, stateras fabricant dolosas, pondus trutinant atque pondus, nec modestiae intendentes ut preiudicant impie, sic blandiuntur improbe, petulci[a] scilicet erroris mancipia, qui dicant scienter malum bonum, et bonum malum. Equidem nescit odium rationem, invidia aequitate caret. Hoc in uno familiarium adverti stupide, qui cum intime quosdam diligeret, eo quod domestica fide amicos crederet, barbara inimicos sensit perfidia, dum ministerio inserviret aliquando fratrum, eo labore, ea fidelitate ac spiritus angustia, quam novit dominus Sabaoth, qui cum tranquillitate iudicat et cum magna reverentia disponit nos. Tunc gratis utique fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper et amici procul recesserunt ab eo, et tanquam prodigium factus est multis, quia esset observare rudis animos sub vulpe latentes, horum

Qui[7] nichil invita dicant faciantve Minerva.

Probabilius ergo est confidere in Domino quam confidere in homine. Inconstans quippe est in pluribus fides, frequentemque patitur eclypsin corniculatam quorundam amicitia. Quid porro haec velut insolita, frater, quaereris? Sedari odium non potuisset atque invidia fratrum, nisi post cysternae voraginem Hysmahelitae vel Putiphar monetis traduxissent Ioseph, neque insectatio quievisset invidorum, nisi Danihelem caveae intrusissent leonum. Perhenni discordia adversus innocentiam grassatur malicia. Sunt autem vitia mentis insulsae vulnera. Quo expletur vicium, eo augetur incommodum. Ergo plus sibi malivolus quam alii nocet.

Me vero nequaquam invectionem[b] instruere contra osores Phalaricam, ineptiarum quin potius fiscellam[c] intexere, crebro instanterque monuisti, qua videlicet paupertini suppellectilem ingenii enumerando comprehenderem. Quocirca suo aemuli fruantur absintio, nectar nobis patientia suum instillet, quia humanum quidem est irasci, diabolicum semper malignari. Igitur quae hactenus scriptitarim, quibusve occasionibus, vel qua intentione, calamus percurret, quanquam michi hoc magis invidiosum, quam tibi aestimem fructuosum, attamen nulli benivolo iniuriosum. Sed videtur utique non ineptum, si quae fratres ecclesiae nostrae, litterarum videlicet periti, scripserunt utilia, prius attingam. Nam et cautius est aliena quam propria predicari.

Lambertus abbas[8] noster secundus, multimodae homo utilitatis, accurato satis stilo cf. Rup. Chron. c. 41. vitam sancti Heriberti Coloniorum archiepiscopi et miracula descripsit[9]. Quin etiam musice quedam de ipso composuit, in versibus quoque faciendis claro fretus ingenio. Stephano[10] ipse successerat. Qui licet alicuius scripti nullum reliquerit monimentum, tamen scribi dignus est, quoniam scientia clarus, sed conversatione clarior, dignum se patremfamilias exhibuit. Novellae adhuc ecclesiae tenues erant res; proinde laborabat omnimodis vel conquirere predia, vel aedificia construere, ac sobrie vivens, sibi subtrahebat quod aliis proficeret. Tenuitati ergo rerum impensas commetiebatur sumptuum, eratque melius modicum iusto super divitias peccatorum multas, dum familiaribus interdum adiocaretur super Vitellio, Romani voracissimo ciclope imperii, illo qui quater aut quinquies in die epularetur, quem nisi vita exturbasset maturo res publica exitio, aerem volucribus, mare piscibus, terram quadrupedibus, horrea frumentis, cellaria vino vacuasset. Nam et in quadam scribitur cena, preter caeteros sumptus, duo milia piscium ac septem milia avium profligasse, ut Bele Babylonio nequaquam fuerit voracitate impar, quanvis fortissimo illi convivae per singulas noctes similae duodecim artabae, oves quadraginta, vini sex amphorae, divini cf. Dan. 14, 2. scilicet ventris quodam orcho absumendae, apponerentur.

a) *foraminibus parvis corrosum in cod.* b) invectionum *cod.* c) fiscellam *mihi videtur erasum, ita ut efficeretur* isso.

7) Cf. Horat. ep. ad Pis. 385. 8) abbas 1060—1070. 9) M. G. SS. IV, 740—753. 10) obiit Stephanus a. 1060. Ian. 12.

Verum Stephanus et faciendo strenue et docendo, postquam legitime certavit, quam signabat nomine, migravit ad coronam. Vir revelationibus supernis dignus, presertim cum ei pro inopia fratrum aliquando merenti angelus Domini per visum vultu astiterit nec non habitu preclaro, atque sanctos Laurentium et Wolbodonem hunc a Christo locum in suam suscepisse tutelam dixerit, cuius fundamenta quoque in montibus sanctis consisterent. Inhabitantibus preterea, si primum quererent regnum Dei, omnia quae necessaria forent adicienda. Quod etiam tunc ille et nos usque nunc experimur, Christo largiente Dei sapientia, cum quo sunt divitiae et gloria, opes superbae et iusticia.

Sed quia inglorius usquequaque stilus non est, qui gloriosos recenseat viros, antedictus Wolbodo quisnam fuerit, parumper recenseo. Flandrensis genere fuit, et claros nobilitate ac possessionibus parentes gloriosa reddidit vita illustrique scientia clariores, apud Ultraiectensem [a] aecclesiam primo quidem canonicus atque scolarum magister, postea Leodiensis episcopus. De quo aliqua maiores paginis mandavere, quibus declaratum est quam vixerit episcopaliter. Hoc autem preterire non debui, quod unice sancto [b] martyri Laurentio devotus, nostro se loco totum impenderit, cura et rebus dum viveret, corpore post obitum. Apud nos siquidem in cripta sanctae Dei genetricis operoso conditus est monumento, quod apicibus auratis tale prefert epitaphyum:

Ingens carnis honor, sed morum gratia maior
Praesulis officio te locat et solio.
Sensit dives, egens, ut eras ad singula presens:
Istis unde salus, his fluit unde cibus.
Hinc eadem nobis assunt et viscera cunctis,
Inde salutiferum excolimus tumulum.

Nostrae ergo areola ecclesiae pulchrescit gemino flore, rosa et lylio, dum et martyr aliquanta reliquiarum parte, confessor illam insigniat toto corpore, patrocinio ac meritis uterque.

cf. Rup. Chron. c 42. Tertium sortiti a Stephano pastorem sumus Everardum, aecclesiae Florinensis [11] monachum, pollentem experientia virum, quo virtutes veluti pacato utebantur habitaculo, qui hereditatem Domini pasceret in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduceret eam. Sed paucitas dierum obstitit. Nam finitus est brevi, ut ne integro quidem anno adviveret [12]. Lucidae porro intentionis et curae iam bene florentis non careat fructu. Itaque in diebus veri conputetur anni, et cum iustis scriptus, hereditate capiat terram, ubi est longiturnitas vitae et victus, ubi est lumen oculorum et pax.

Ludovicus bonae recordationis senior, qualiter ab urbe Roma reliquiae nobis sancti delatae sunt Laurentii, iam ante exscripserat.

Falchalnus [c] etiam scolarum magister eius coaluerat disciplinis. Iste Franconi scolastico sancti Lamberti in opusculis de quadratura circuli et de ieiuniis quatuor temporum cooperatus est.

Huius quoque extitit auditor Heribrandus abbas noster quintus, in quo canities sensuum caniciei congrueret capillorum, cuius secundum aecclesiasten omni tempore vestimenta essent candida, cum succinctos haberet castimonia lumbos, lucernam in manibus, id est operibus, Dei et proximi dilectione ardentem. (Eccl. 9, 8.) Ad dictandum erat sive ad versificandum promptissimus, tamque divina quam humana preditus litteratura. Hic vitam Theodorici iunioris, de Sancto Huberto abbatis, scripto tradidit. Nec pecuniam scientiae habebat repositam in sudario, sed ultro etiam docebat inscios, semper placiditate et animi utens et vocis. Capitur enim a discente melius quod dicitur a docente lenius. Arte quam vi tractanda sunt ingenia.

David asinus fortis [13], qui usque in senectam et senium ad portandum Christi iugum suave et onus leve subposuerit humerum. Die ac nocte aecclesiasticis insudabat muniis. Nunc orationi, nunc vacabat lectioni, nunc digiti eius apprehendebant calamum, et quos legerent, quos meditarentur fratres, scribebat doctorum libros. Nam Daviticae turris haec sunt propugnacula, hii mille clyppei, qui pendent ex ea, omnis armatura fortium. Aeneis porro ardentibusque Phalaris bobus sevierit, tamen invidia [14] Syculi non invenere tyranni maius tormentum, qua noster Mathusalan carens, in negligentes magnopere zelabatur [d],

a) Wlt. *cod.* b) *in loco raso cod.* c) Falchalnus *correctum postea saec. XV.* Falchannus. d) z *in loco raso cod.*

11) Florennes. 12) Obiit a. 1071. 13) Cf. Genes. 49, 14. 14) Horat. Epist. I, 2, 58. 59.

iuventutique imminebat, ne panem ociosa comederet. David senio quidem, sed numquam benivolentia incessit curvus. Qui ut aliquem fructum indefessi edidisset laboris, passionem sancti Blasii, vitam denique sancti Eucherii Aurelianensis, quamlibet locuplete contextu, attamen grossiore et quasi canabineo telam orditus est stamine.

Engelbertus compoti ventilator et assecla, quedam theoremata compotistis utilia compaginavit. Nam quemadmodum Bootes in cardine caeli, dum sic iugiter in hac versatur arte, et plaustrum memoriae volvi quidem, sed nequaquam patitur occidere, multam exinde comparavit notitiam. Quapropter Maronis eum his versibus illustrarim: [Georg II, 477 sqq]

Qui numeros caelique vias, qui sydera nosset,
Defectus solis varios, lunaeque labores.
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant.
Quid tantum Occeano properent se cingere soles
Hyberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.

Summopere apud monachos seu clericos urbis nostrae studia tunc vigebant scolaria, diuque viguerant, nec minus religio, ut statui ecclesiarum splendide illud congrueret: *Quam pulchra tabernacula tua, ó Iacob, et tentoria tua, Israel, ut valles nemorosae, ut orti iuxta* [Num. 24,5.6] *fluvios irrigui, ut tabernacula quae fixit Dominus, quasi cedri propter aquas.* Virtutibus ac disciplinis Leodium florebat, nec non divitiis. Erat spectabilior tamen bene litteratus, quam bene nummatus. Et cum beatus sit terra, cuius rex nobilis est, studia verae beati- [Eccl. 10,17.] tudinis nostra tunc temporis aemulabatur aecclesia, dum preesset Berengerus abbas[a], spiritu quam carne nobilior. Cognatione quidem humilis, verum ut sapientis cuiusdam utar verbis: *Oculus Dei respexit illum in bono, et erexit illum ab humilitate ipsius, et exaltavit* [Eccli. 11,13.] *caput eius, et mirati sunt in illo multi.* Etenim sagacitate admodum famosus, ad instar lucernae super candelabrum positae, regno conspicuus erat et ecclesiae. Nichilominus et qui sub illo degerent fratres lyliis quae sunt in transitu aquae serio compararim, quia pluribus nec candor religionis, nec odor bonae deerat opinionis, cum litteraria quoque irrigarentur scientia.

Inter hos velut inauris aurea et margaritum fulgens, Robertus[15] emicuit, homo qui attenderet sapientiam, et prudentiae inclinaret aurem suam, qui quereret eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderet illam. Hic a puerulo penes nostrum est educatus monasterium, ut aetate sic virtutibus germinavit feliciter, ingeniumque memoria roborante, cum adderet scientiam, addebat et laborem. Etenim quod sibi legendo infundebat, aliis docendo refundebat, in oratione tamen sedulus et contemplatione, matutinis maxime excubiis. Quibus quanto secretius, tanto insistebat devotius, dum concalesceret cor eius intra se, et in meditatione sua exardesceret ignis. Nec aberant lacrimarum adipes. Hos adolebat in odorem suavissimum Domino, revera cui suavius nichil est spiritu contribulato, [cf. Ps. 50,19.] corde contrito et humiliato. Unde fruebatur sepenumero illustratione divina, limpidique gliscebat in eo intellectus aurora, quoniam ut scriptum est, *bene consurgit diluculo, qui* [Prov. 11,27.] *querit bona.* Aperuit ergo illi sensum sapientia Dei, ut intelligeret scripturas, ut tractaret de illis summa facultate, summa utilitate. Potest in eius hoc pervidere opusculis, cuius oculum vel glaucoma invidiae, vel lippitudo impericiae non scandalizat.

Igitur cum adhuc esset iunior, scripsit libellum metrice in laudem Spiritus sancti, cuius proficiebat magis aspiratione, quam alicuius magistri eruditione. Item alium de diversis scripturarum sententiis, tercium nichilominus annectens versu heroyco de incarnatione Domini. Uno etiam libello statum nostrae prosecutus est ecclesiae, videlicet a quibus exstructa sit, quae bona vel quae mala de manu Domini ab Evraclo Leodiensium episcopo usque ad Obertum susceperit. De hac eadem quoque materia aliud opusculum Saphyco confecit metro. Vitam denique sancti Augustini, nec non et sanctae Odiliae virginis radiante melioravit stilo. De sanctis Theodardo martyre, Goare ac Severo confessoribus[b] cantus composuit.

Factus presbiter, tum vero accessit ad cor altum, quia totius iam intentionis atque ingenii vela in verum explicans austrum, de divinis officiis sive sacramentis, quae celebrantur in aecclesia per anni circulum, edidit libellos 12. Deinde in ęuangelium Iohannis

a, *addit manus saec. XV.* IIII *cod.* b) bus *postea alia manu add. cod*

15) De hoc viro cf. quae in Tomo XII. p. 624 sqq. collata sunt.

libros 14. De sancta Trinitate et operibus eius libros 42, ubi degustes omnia scripturarum poma, scilicet nova et vetera, quae dilecto se dicit servasse aecclesia. Apocalypsin petente Frederico archipresule Coloniensi 12 libris, similiter 12 prophetas 31 clarissime explanavit. De victoria verbi Dei 13[a] libros, et in ęuangelium Mathei item 13[a] scripsit, quorum scilicet declarat penultimo, quam mirabiliter, quam gloriose gratiam scribendi de sursum a patre luminum acceperit. Nanque ut litteris hoc mandaret, prorsus institit Cuno Sigebergensis abbas, qui invitum diutiusque renitentem per tremendum nomen sanctae Trinitatis adiuraverat. Divino quippe liberaliter dono adgaudebat, quo illum benivolus uti exactor instantissime hortabatur, et conferens cum eo sepius de scripturis, delectabatur in eius dictis vel scriptis, sicut in omnibus divitiis. Sacrarum siquidem erat studiosissimus lectionum, cuius scientiam mores egregii adornabant et religio. Qui Radisponensium[b] quoque postea factus est episcopus. Quin et ipse Robertus ecclesiae prelatus iam fuerat Tuiciensi, defuncto illius loci abbate. Circa quod ministerium quamvis satageret, atque instar Marthae sollicitus esset, interdumque turbaretur erga plurima, tamen instar Mariae unum sedulo preponebat necessarium.

Sedebat etenim secus pedes Domini et audiebat verbum illius, quandoquidem meditationi nichilominus sanctae et scribendi studio invigilaret. Cui mos etiam erat tam laudabilis, ut si quando minorem sibi adesse gratiam sentiret — nam corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa, maxime exteriora cogitantem — humi ante dominicum sese addiceret crucifixum, et a sancto et vero, qui habet clavim David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit peteret quod clausum erat aperiri. Humiliter querenti, fideliter pulsanti, mox aperiebatur, dum luce intellectui superfusa mirabili modo audiret, quid loqueretur in ipso dominus Deus, cuius utique lingua calamus scribae velociter scribentis, cuius qui appropinquant pedibus, accipient de doctrina illius. Adeo enim se diligentem ditaverat, adeo thesaurum pectoris eius repleverat, ut duo insimul aut tres vix possent excipere scriptores quae dictabat.

Qua ex re superfluum non fuit, quod aspexerat aliquando in visu noctis sapientiam Dei, verbum Dei se deosculans, cuius scilicet totum existeret corpus quasi de auro formatum purissimo, a quo et fistulae prominebant undique complures, quae vivas cum impetu
Ps. 118, 130. in illum aquas profundebant. Nam et psalmista: *Declaratio*, inquit, *sermonum tuorum Domine illuminat et intellectum dat parvulis*, id est humilibus, quo altorum notitia secretorum, quae solis debetur amicis, ditescant, affatimque irrigentur, quemadmodum ipsa
Eccli 24, 40–44. quoque sapientia dicit: *Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquae immensae de fluvio. Ego quasi fluvius Dorix, et sicut ductus aquae exivi de paradyso. Dixi, rigabo meum ortum plantationum, et inebriabo partus mei fructum, et factus est michi trames abundans, et fluvius meus propinquavit ad mare, quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque in longinquum.*

Itaque idem Robertus etiam in cantica canticorum scripsit libellos 7, in Samuelem sive David libros 15. De glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti libros 9. Tractatum quoque condidit 5 libellorum, quem *Anulum* titulavit, eo quod fidęi altercationem inter christianum contineat et Iudeum. Nec non super quibusdam capitulis regulae sancti Benedicti 4 edidit libellos, in quorum videlicet primo denarrat quantos invidorum assultus, quales passus sit molestias calumniantium quod esset hereticus, quod sacras pravis sensibus scripturas temeraret. Quocirca et iuvenculus ad Anselmum Laudunensem scolasticum atque Wilelmum Cathalaunensem episcopum, opinatissimos tunc Franciae magistros, libellum scripserat apologeticum de voluntate Dei, in quo illis repugnat, qui iuxta heresim Colitianorum dicerent, Deum velle malum fieri, non quidem malum afflictionis, quod plane interdum necesse est ad correptionem peccantium inferri, sed quodcunque passim malum, quod sit bono virtutique contrarium. Nonnulla etiam scripta. seu contra criminatores suos seu contra irreligiosos quosdam ediderat, quorum unus presbiter, immo concubinarius, presbiteros concubinis licenter uti posse, menstruatis astruxerat pagellis, alter de monacho clericus, immo de columba factus fuerat corvus, qui errorem suum allegationibus defensans improbis, mallet in seculo fluctuare et periclitari, quam apud Noe verum, id est Christum, intra monasterii archam requiescere et salvari. Evenit preterea, ut circumpositas Tuiciensi cenobio grave incendium officinas corriperet atque absumeret. Undique seviebant immaniter flammae, ipsum

a) *prius* XII. *ab eadem manu corr. cod.* b) *alia manus mutavit* Ratisp. *cod.*

iam cenobium subsideret periculo, nisi divina irrorasset miseratio. Ut enim videre aliquibus datum est, sydereae desuper claritatis persona astitit, quae sui amictus ora veluti quodam flabello insurgentes ignium globos eventilaret. Refugere igitur vapores, illesa emicuit domus illa, impleto haut dubie, quod ad Dominum propheta dicit: *Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis.* Hab. 3,2. Parrochitanam vero aecclesiam depasta sunt incendia. Sed ibi nichilominus Christi gloriose magnificata est dextera. Cum fuerit nanque tanta conflagratio, ut etiam campanas liquefecerit eiusdem ecclesiae, armariolum tamen ligneum, in quo pixide clausum corpus dominicum habebatur, corrumpi adustione non potuit, sacrosanctum scilicet suum servante Sancto sanctorum, cuius caro requievit in spe, cuius non derelicta fuit anima in inferno, cui datum est non videre corruptionem. Quin etiam corporale, quod in longo hastili quidam pretulerat e fratribus, in ipsas decidit flammas. Cum putaretur autem exustum, miro resilivit modo, atque in aera libratum, longius ab igne integrum se illibatumque in terram deposuit. Nec minus hoc fuit quam tribus pueris Babylonicam olim tepuisse fornacem, quando et beluinus extremuit tyrannus nil eos lesisse corruptionis, dum neque capillus capitis eorum adustus, neque sarabara sunt immutata, nec odor ignis cf Dan. 3,94 transivit per eos. Quae videlicet ad memoriale perpetuum ipse Robertus aureo et compunctionis pleno descripsit libello, quem intitulavit *De incendio*, alterum quoque subtexens *De meditatione mortis*. Cuius aliquantam partem dum confecisset, o! ille caelestis phylosophiae assessor, ille divini symmistes eloquii, mortem obiit, plenus utique dierum, sicut et ante aliquod sibi tempus per revelationem illud fuerat dictum, quod in Iob legitur: *In* Iob 5, 26. *abundantia ingredieris sepulchrum.* Oliva inquam fructifera in domo Dei o! subitae adusta est febris aura et emarcuit. Robertus scientia et virtutibus par doctoribus summis, appositus est populo sanctorum, inter quos verae pacis ac iocunditatis oleo, et divini lumine conspectus immarcessibiliter fruatur, iuxta quod scriptum est: *Qui docti fuerint, fulgebunt* Dan 12, 3. *quasi splendor firmamenti, et qui ad iusticiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

Viri tam illustris eruditus est magisterio Wazelinus abbas noster septimus, qui doctrinarum sationem dum bene excepit, bona virtutum germina edidit, quem ita columbae simplicitas mansuetum faceret, ut serpentis prudentia severum redderet. Gratiam ergo et disciplinam invenit coram Deo et hominibus, et dum scientiae gemmas auro illustrat religionis, opinione factus est odorifera quasi thus redolens in diebus aestatis. Periciae illius exhibet documentum liber quem scripsit de concordia ęuangeliorum et expositione eorum, opus equidem clarum et utile, et quod studiosus doleat lector remansisse imperfectum. Nec minus hoc addocent picturae seu vela quarundam aecclesiarum, ubi perlegas visu, colligas sensu luculentam ac singularem allegoricarum tam de veteri quam de novo testamento materiarum, illo dictante, consonantiam. Sancto denique Nicholao se prestitit officiosum, scilicet rubiginosa cuiusdam de vita vel miraculis illius scripta purgatioris dictatus ad limam revocando. De transfiguratione Domini, de sanctis Agaunensibus, de sancto Apollinare martyre[a] sollemnes composuit cantus. Quin etiam eo satagente oratorium sancti Georgii martyris penes nos, ut devote sic operose, ut pie sic apte exstructum est, quatinus sanctorum patrociniis transire mereretur in locum tabernaculi ammirabilis usque ad domum Dei.

Supra familiam Domini constitutus, dabat illis in tempore tritici mensuram, quia discretione preditus, eloquentia suavis, puplice ac privatim vel ammonere vel corripere erat oportunissimus. Iam porro senuerat, iam diutinus in servitio Christi labor, preterea nonnunquam interstrepens egritudo illum detriverant, sed indeflexa lectionis, orationum, contemplationis acie in verum solem oculos habens animae fixos, illustri quodammodo novitate repubescebat; hoc scilicet instar phenicis, quem dum extensius evum languidulo marcore contraxerit — fertur etenim ultra quingentos vivere annos — e virgulis struem aromaticis fabricat, plausuque alarum atque igneo solis radio usus, incendit se ipsum, sed post triduum ex suo reviviscit busto, puberemque assurgit denuo in avem unico et singulari exemplo. Hinc etiam congruenter seu a pheniceo, id est rubicundo colore, seu quod sit toto in orbe singularis, Arabum vocatur lingua, qui phenicem dicunt singularem. Quae nostro aliquatenus licet congruant Wazelino, attamen haec quam maxime tibi congruunt, ó Ihesu Christe, singularis et unice fenix, haec inquam specialiter asscribenda tibi sunt,

a) mre *cod.*

ó Ysaac unigenite, qui es risus et amor sanctorum, qui aromatibus omnis gratiae delibutus, super ligna crucis temet ipsum obtulisti Deo per karitatem Spiritus sancti, sed singulari novitate, sed unica pubertate post triduum e sepulchro refloruisti, immortaliter iam redivivus.

Alter hunc in abbatia Wazelinus antecesserat, qui simplex quidem ingenio, sed religionis sollers studio, a iuventute in senectutem aecclesiastica rite exsecutus est officia, nunc legendo, nunc psallendo, nunc orando, veluti bos nervosus sedule triturans in area Domini. Mansuetus erat et affabilis, ut Moysen sanctum magis quam Nabal imitaretur, illum Carmeliten, qui plus camelo tortuosus, nil aliquando rectum, nil effaretur pacificum. Wazelinum recolant studiosi, Wazelinus paterne coluit studiosos. Ipse amaro carens invi-
Ps 25, 8. diae, illud dulciter frequentare solebat: *Domine, dilexi decorem domus tuae.*

Lambertus fabulas Esopi commentatus est. Has vero ad figurandos hominum mores auctor sagaciter prescriptus finxit. Sed commentator noster moralitate posthabita, insudavit allegoriae, in hoc minime sagax, qui ex rebus huiusmodi sacratas voluerit res procudere, quasi de spinis colligantur ficus, aut de rubo vindemietur uva. Igitur Kalendis Martialibus liber ille in senatu soricum recitatus est, discussus est, abiudicatus est, sententiamque accepit corrosivam. Irruerunt proinde ex agris, irruerunt ex villis Palestinorum mures, ac effero dente invaserunt, corroserunt, dissipaverunt apices proscriptos. Quae autem spes recuperandi? Deerat Phylistinorum nobis inclita supellex, qui mures potuerunt aureos in sua expendere vota. Ne pergamena quidem suppetebat. Pergamum vero, quae scilicet prima pergamenis tam usu quam copia nomen indidit, adire arduum nobis ac difficile nimis. Ergo Esopicum illud ita disperiit sacramentorium.

Gislebertus agile clarumque ingenium exercitio effecit agilius, usu perinde clarius. Pectus etenim manumque iugiter conversabat, vel meditando aliquid vel scriptitando. Itaque versu heroyco scripsit hystoriam de Ioseph, unumque in volumen extendit. Deinde gesta David eodem metro, partiens opus per libellos 12. Planus et facilis est, veruntamen digne laudabilis, quia facile usus difficili est opera secundum hos suimet versiculos:

Carmina composui gratoque labore peregi,
Sane difficilem proponendo mihi legem.
Lex fuit, ut verbum curarem reddere verbo.
Ardua res certe, multa dignissima laude,
Et labor egregius est, ex sermone pedestri,
Ex humili prosa salienti currere versu,
Atque sequi cyclum patulum, sic ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret.

Neque illius opuscula gratae sunt utilitatis aliena, quando hystoricae narrationis campum mysticis amenet floribus allegoriarum. Qui dum caeteris polleret artibus, maxime tamen in musica dulces faciebat modos, quemadmodum liquet in cantibus, quos vel de sancto Georgio martyre vel de sancta Ragenufla virgine, necnon et[a] de sancta Begga composuit.

Quin etiam Iohannes tam spiritu quam carne illius frater, scolasticus et eruditione et officio fuit, cuius extremui plerumque ferulam puer, ut clavam Herculis nemo unquam plus extremuerit. Heu quotiens, dum nostra exigit aut discutit opuscula, et aduncis correptas manibus obliquo tabellas oculo intuetur! Heu quotiens illum Virgilii monoculum me putavi Poliphemum incurrisse! Idem aliquando infirmatus, miroque satis ordine extra se et supra se factus, plurima vidit memoratu digna, quae et gratia aedificationis scripto edidit. Binos etiam cantus composuit, id est de sancto Christophero martyre et de sancta Maria Aegyptia. Hystoriam Thobiae itemque martyrium sancti Stephani prothomartyris heroyco pede percurrit, et cantica canticorum aliquanta ex parte antiphonatim modulatus est.

Nec vero Nizonem omiserim nostrum, quem importunum quodammodo naturae, discendi sollemne habuimus exemplar. Quippe dum obtuso et quasi testudineo esset ingenio, tamen exercitiis acuebatur, donec meditatione seu lectione assidua quasi duabus alis in culmen assurgeret climati provectus. Claras edidit melodias de sanctis Iohanne et Paulo martyribus, de sanctis Nazario et Celso, de domno Frederico Leodiensi episcopo, ex cuius etiam gestis,

a) *supra lin. add. cod.*

obitu vel miraculis libellum scripsit. Falli poterat, fallere homo simplex ignorabat. Proinde nos pueruli cum ab illo doceremur, undelibet nobis iratum facile supplantabamus, ac veluti ex alto aere cadentia librantis et ferientis eludebamus verbera.

Eos quidem quos aliqua scripsisse comperimus, fratres nominatim nostros expressimus, quanquam fuerint plures quoque alii, tum scientia, tum religione commendabiles, quorum meminisse et dulce et utile sit, verum de his plura scribere noster nunc calamus non suscepit. Hoc omnimodis optamus, hoc te, ó Christe, imploramus, qui numeras multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocas, qui sanctorum scientissimus es calculator, ut scribas super eos nomen Dei tui, et nomen civitatis novae Iherusalem, quae descendit de caelo a Deo tuo, et nomen tuum novum, ut des inquam illis calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

FINIT LIBELLUS PRIMUS.

INCIPIT SECUNDUS.

Sicut eorum qui seculo iam dudum exempti sunt breviter annotavi studia vel opuscula, sic fratrum karissime nostrorum, qui adhuc superstites sunt, volebam ingenia tibi vel scripta retexere. Sed morantur me duo, scilicet ne aut livoris arguar, si remissius laudem quae laudanda sunt, aut detur adulationi, merita si dependam preconia. Igitur per se verius innotescent, propriis clarescent probabilius monimentis, quando alii non parit offensam, quod ex sese meretur gratiam. Quam ob rem petitioni iam tuae, immo importunitati satisfaciam, ac tibi dumtaxat soli meas retexam ineptias.

Aliquos super ecclesiae pressuris threnos metrorum atque rithmorum diversa edidi specie adolescentulus. Discendi quippe agebar studio, et magnos poetas ego poeta modicus temptabam utcunque imitari. Unde et opusculum de novo aç veteri testamento condidi, duobusque libris partitus sum. Hoc etiam *Pantherem* pro varietate appellavi, quod prosa esset ac metris velut multicoloriter distinctum. Quin etiam de compoto quaedam tunc composui. Denique libellum de suspendio scripsi prosaice cuiusdam latronis; martyrium quoque 7 Machabeorum fratrum versu heroyco.

Deinde illud de apostolo capitulum: *Nescitis quod hii qui in stadio currunt, omnes quidem* 1 Cor. 9, 24.
currunt, sed unus accipit bravium pede latius excurri Asclepiadeo. Sed quorum memini nunc opuscula, quidam nostrarum familiaris scedularum invito subripuit. Non enim suppetebant exemplaria, et quod verebar accidit, ut ita destituerer laborum primitiis. Nam conversionis ille gratia in aliam est regionem profectus, atque in pignus mutuae caritatis haec secum spolia deportavit.

Preterea dum arte instituerer musica, quo assignassem fructum studio, melodiam composui de sanctis Syxto, Felicissimo et Agapito. Quippe vegetatio ingenii sedulitas est exercitii. Simul quod mira vis indita probatur arti, ut piis cordibus multum affectionis, multum parere soleat compunctionis, sua dulcedine. Id minime quidam attendentes, ea sedulo cum exercerer, levitati et lasciviae deputabant; quorum videlicet unus, quem secundi prioratus tunc fulcirent tribunalia, arripiens tabellas quibus exiles impresseram cogitatus, aliquantisper consideravit. Interim oscitabam metu. Etenim torvus hominis vultus suspensaque supercilia, futurum michi malum presagiebant. O iudicem Minoe vel Radamanto[a] severiorem! Legens infremuit, cantans ex hoc in hoc inclinavit. Cum ecce veluti magna colaphizatus iniuria, caepit innocentes ceras obruere, et quae exarata erant, emulo unguis aratro confundere. Quid facerem? luctarerne, streperem, convitiarer? Virgarum fasces in capitulo, accusatores multi, ut recogitanda magnopere michi phariseorum esset saduceorumque tumultuatio, qua periclitatus olim Paulus fuerat in concilio. Pestem murmure inprecarer? Pressum dentibus nichil prodesset anathema. Quid igitur? Depono auriculas ut iniquae mentis asellus, cum gravius dorso subiit onus[16], ypochritarumque patientia mansuesco ad calamitatem. Num vero iterum ceris deleta mandarem? Unguis ille truculentior immineret. Menbranulis resarcirem? Arulam et prunas regis Ioachim et scalpellum Iudi scribae animo versabam, maxime cum nec ego Iheremias, nec michi Baruch esset notarius[17]. Ergo refrigueram ab incepto. Longum denique iam tempus decesserat. Revolvere tandem caepi, si quae eiusdem apud memoriam cantus reliquiae superessent. Qui tam prompte recuperatus est, ac si ante oculos haberem exteriores annotatum, ut

a) R. *manu saec. XV. in loco raso cod.* 16) Cf. Hor. Satir. I, 9, 20. 21. 17) Cf. Ierem. 36, 23.

senserim certe quodammodo vota non despicere Deum simplicia. Igitur dedi menbranulae, quod redditum erat memoriae.

Nec ociositatem sectabar, quae inimica est animae, cum dulce potius esset continue Prov 20,30 occupari. Nempe Salomonicum me illud excitabat: *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat, aperi oculos et saturare panibus.* Horatianumque illud:

Hor. Ep. I, 2, 34 sqq

Ut te ipsum serves, non expergisceris? Atqui
Si noles sanus, curres ydropicus: et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere.

Geminis ergo libellis conversionem descripsi sanctae Pelagiae, opusculumque hoc illustravi titulo: *Speculum penitentiae.* Dehinc passionem virginis Mariae Cappadocis aeque duplici libello explicavi, ita pretitulando: *Palmarium virginale.* Subsequenter vitam Tiebaldi heremitae duobus itidem libellis complexus sum, appellavique *Florem heremi.* Atque haec antea quidem, sed scabro dictationum fuerant stilo descripta. Quae ego monitu quorundam scientiolae qua potui lima purgavi. Parendum est quippe amicis pia iniungentibus. Sanctorum vero res gestae communis censentur materiae, nec vanitatis pungendus est nota, quem pietatis exercent studia. Opusculum denique confeci quod sic titulatur: *Libellus cuiusdam funebris super morte amici.* Cui et tetrasticon superscribendum tumulo adieci.

Gravissima post haec egritudinum tabes locum incesserat nostrum, et acutae febres, canicularium vapore dierum acriores, plurimos fratrum lectulis, aliquos addicebant sepulchris. Versus est in luctum chorus noster, dum aut infirmamur aut morimur, dum vel timore vel dolore concutimur. Sed tibi, ó vigil et sancte, qui non dormis neque dormitas, qui custodis Israel, tibi, ó Ihesu benigne, cura est de nobis, tu nos diebus omnibus actusque nostros prospicis a luce prima in vesperum. Quod tunc uni etiam fratrum perspicue ostensum est, cui nocturno dum interesset psallentio, atque dormitaret, quaedam astitit sydereae persona venustatis, leniterque pulsans: *Quid*, inquit, *dormis? Vigila et ora: promisit Deus coronam vigilantibus.* Evigilavit ille, et attendit quia in medio stans chori, eos qui tum excessuri vita essent, intelligibili quodam nutu designaret. Dein per gradus sanctuarii ascendens disparuit. Ego miseriae et infirmitatis vasculum, ego limus et ignobile lutum, virgam irae Dei super me vigilantem tunc graviter sensi, qua percussus, qua pene ad nichilum redactus sum. Siquidem egrotavi usque ad mortem, et Dominus universum stratum meum versavit in infirmitate mea, replevit me amaritudinibus, inebriavit me absintio. Spem vivendi signa iam funebria expulerant, cum per septimanam cybi penitus ac somni expers, tum et ignea febre exsiccato propemodum periclitarer cerebro, agerer fantasiis, loquerer aliena. Sed pia, sed sedula fratrum compassio, divinae genibus me advolvit clementiae, illique assignavit infimae corruptionis morticinum, qui habet claves mortis et inferni, qui fuit mortuus, nec vidit corruptionem, sed ecce vivit in secula seculorum. Igitur in criptam sanctae Dei genitricis ad sepulchrum domni episcopi Wolbodonis, cuius memini supra, delatus sum. Ibi ad mediam ferme noctem decubui. Languor qui totum depastus erat corpusculum, ad sedem etiam[a] irrepebat animae, claudendisque sensibus sera laetalis imponebatur, cum ecce sanctum video illum pura canitie floridum et caetero cultu festivum sacerdotali, a dextris astitisse lectuli ac tertio signum super me crucis exprimere. Benedictionis continuo sensi virtutem. Totis quippe quodammodo menbris frementibus, erupit sudor, ac vigiliis acescentes oculi, dulcem somnum[b] recepere, nec ab edulio iam stomachus, sed ab ieiunio dissentiebat. Sic beatae Dei genitricis compassione inaestimabili, dignatione mirabili, quae infantulum in cruce pendentem adorandum indignissimo exosculandumque obtulisset, sancti preterea confessoris interventu qui benedixisset,

Ad vitam ex ipsa sum mortis fauce retractus.

Verum anima quos evolvet gemitus, quas oculi stillabunt lacrimas? Tremens factus sum et timeo, ne mortis illa dilatio meae minus sit vitae correctio. Scio autem, Domine, quia non est hominis via eius, nec virtus eius, ut ambulet et dirigat gressus suos. Corripe ergo me, veruntamen non in iudicio et non in furore tuo, ne forte ad nichilum redigas me, sed qui cognoscis figmentum meum, sicut potes solida, quoniam sine te nichil est validum. Posteaquam sospitate vigoratus sum, quae possem inops exsolvi munuscula, scilicet ad

a) etiam *alia manu saec. XV. supra lin. add. cod.* b) somnii *cod.*

ipsam misericordiae matrem spiritus contribulati orationem, rithmice expressam, atque in divina elaboratam preconia de ipso confessore melodyam.

Denique haud puto supervacaneum, si attexam quid unus fratrum de alio fratre tunc viderit. In mortem hic agonizabat, ille admodum iacebat infirmus. Quodam diluculo dum vigilaret, vidit in eadem manifeste domo quandam iudiciariae[a] auctoritatis personam posito tribunali resedisse, apud quam candidati quidam viri causam morientis agebant, accusationibus vel obiectis respondentes demonum foris tumultuantium. Divina etenim quadam vi, ne irrumperent, inhibebantur. Illorum specie nichil tetrius, quorum etiam livor et malicia fellitis quodammodo et horrore sulphureo tabescentibus parebat ex oculis, ac velut indagine locum obsederant. Egrediente tandem anima, et iudice illo cum beatis spiritibus recedente, tum vero intolerabili tumultu et incondita vociferatione prosecuti sunt, ut nimiis totum aerem procellis crederes[b] laborare. O lacrimabilem horam! ó terribile examen! ó pavendam nimium necessitatem illam! Quam beatus, quem bona tunc reddiderit tutum conscientia!

Aliquanto dehinc omiseram tempore scribendi operam, eo quod vel lectione magis fruerer, vel eruditioni me fratrum pro viribus impenderem. Verum ab amico interpellatus pro aliqua necessitate, scriptum elucubravi diffusius, quod nuncupavi *Commonitorium pietatis.* Ne mucidis autem dormitantes tabellae ceris, stilus parieti affixus rubiginis lepra tabesceret, scripsi ad quendam familiarem opusculum de insignibus insularum Sardiniae et Syciliae, duobus versifice digestum libellis. Item ad alium duos libellos, primum de conflictu duorum ducum et animarum mirabili revelatione, secundum de quodam milite captivato et per salutarem hostiam liberato. Artem vero libentius illam quisque excolit, quam sibi et scientia et usu maxime compararit. Quapropter ut michi aliquantulam dictandi labor facultatem adquisisset, opus arripui quod excedere ingeniolum ipse non ignorarem, illius certe Horatiani[c] temerarius transgressor consulti: [ad Pis. 38 sqq.]

Sumite materiam vestris qui scribitis equam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Itaque hystoriam libellis utcunque sum 14 complexus, quae contineat qualiter Iherusalem sancta et aliae plures apud Orientem urbes sive regiones ab occidentalibus christianis circa nostram sint aetatem receptae, cuius est titulus: *Laurea peregrinorum Iherosolimitanorum.*

Infirmitas me postmodum gravis in lectulum deiecit. Iam pelli meae consumptis carnibus adheserat os meum, iam secundum prophetam fecerat Dominus vetustam pellem [Ier. Thren. 3, 4.] meam et carnem meam, contriverat ossa mea. Cybi defecerat omnino appetitus, sucique inopes venae somno illapsum negabant. Ad Deum ergo stillabat oculus animae meae, quia [cf. Iob 16, 21.] in me transibant irae eius, et terrores eius conturbabant me. Quippe et suis anima lacrimis rigatur, et confractione resoluta, inedicibilique sensu quodam affecta, tenerrimo ploratu, fortissimo gemitu ipsa Spiritus paraclyti viscera movet, mereturque consolationem. Accessit ad visitandum aliquis fratrum, qui dictaret, ut nomina sanctorum septem dormientium in scedula scribi facerem capitique circumligarem. Hoc nempe remedio piae fidei egrotantibus dormiendi nonnunquam restitui facultatem. Adhibui fidem, fęci ut iniunxerat, et aure iam quodammodo audiebam interiori: *Fides tua te salvum faciet.* Repente etenim per [Luc. 18, 42.] mentis excessum in quadam me vidi esse regia, quam lux inestimabilis, odor incredibilis perfunderet, quippe cum lucerna eius, gloria eius, exultatio eius, illa verae, illa unice desiderabilis, beatae et adorandae esset Trinitatis maiestas. Sed enim os intemperans atque procax frenandum est, ne meas infelix nimium gravem miserias. Hoc in gratiarum actionem dixisse solum sufficiat, quod inter choros purpuratorum atque albatorum qui aderant sanctos agnoverim illos aureis gloriose coronis et ostro rubente insignitos. Illic nova, dulcissima illic cantica resonabant, et responsorium illud organa modulabantur angelica: *Isti sunt sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, et in sanguine agni* [cf. Apoc. 22, 14.] *laverunt stolas suas.* Ad me autem reversus, attonitos circumferebam oculos, pene ignarus ubi essem. Interim frater familiaris lectulo assidebat. Qui dum magnopere quereret, cur

a) *ultimum* i *huius vocis ab alia saec. XV. quidem manu add. est cod.* b) crederis *prius ab ipso scriba corr. cod.* c) h *supra lin. add. cod.*

ita circumspectarem, quoniam probatae confidentia debetur amicitiae, retuli visionem. Quam non fuisse frivolam mox expertus sum. Sic menbra languore debilitata, sic dolore tanquam vinculis astricta erant, quod per septem dies nec surgere nec stare nisi alieno potuissem amminiculo. Verum de aspectu fortis illius, misericordis illius, qui in sanguine testamenti sui emisit vinctos suos de lacu, in quo non est aqua, ita solutus, ita confortatus sum, quatinus sine quovis sustentamine tunc surgerem, cum predicto fratre oratorium peterem, toto gratias profunderem affectu. Cita dein sospitate redintegratus sum, sanctisque dormientibus septem exile quidem et omnino impar, sed precordiale tamen laudis atque gratiarum actionis munus obtuli, videlicet compositam de ipsis melodiam At vero si quis gravabitur, si quis iactantiae deputabit quod talia scribam, num interdicere volet, ne miser miserationum Domini recordetur? Simplicem piamque intentionem nemo benivolus accusat. Secretum quidem regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Caeterum mentis est timoratae, non alta sapere, sed humilibus consentire, siquidem piis supernae revelationes non vicii sed virtutis instrumenta sunt. Quid vero impiis, ut Balaam, ut Nabugodonosor, divina prosit vidisse? Lippientes sol confundit oculos. Deum non sancta visio, sed sancta meretur actio. Scripsi etiam versifice libellum de adventu reliquiarum sancti Laurentii in Leodium ab urbe Roma. Quin et ad ipsum martyrem, et ad alios plures sanctorum dicendas rogatu fratrum plurimas conscripsi orationes. Libellum denique ad quosdam edidi sacerdotes de reverentia sacrorum locorum, acriter culpans, quod penes cimiteria seu corpora defunctorum, priusquam ad aecclesiam deferrentur, nocturnis maxime vigiliis puellares choros aliaque execranda agi, dici vel cantitari paterentur. Sophista vero qui sua extollere, nostra deprimere pugnaret, abstrusas questiones barbarasque dictiones undecunque congestas michi scripto proposuit. Dedali Laberintum et Minotauri cornua me putaveram incurrisse. Qua evaderem? Quibus regerer subtilis deerant fila ingenii. Quo defenderer facundi gladius oris nullus. Implexa tamen illa dissolvi, cornupetam dirum evasi, libellusque hunc accepit titulum: *Qui sophystice loquitur, odibilis est.*

Quia vero humanae inditum constat naturae, quod alternis recreatur, fastidiumque mutatio tergit, nunc prosa, nunc versibus, interdum musica studium variabam[a]. Qua de causa geminos cantus, scilicet de sanctis confessoribus Antonio ac Iheronimo orditus sum, precipue cum tantis aliqua patronis officia meae parvitatis cuperem impendisse. Ó me bestialem homunculum! ó curvam in terris animam et caelestium inanem! Tamen aliquando faciem ausus levare mentis, et pectore et lingua velut geminis evectus alis, angelica irrupi archana. Etenim de victoria Michaelis archangeli tres digessi versifice libellos, tam de illa videlicet qua ex antiquo dracone et angelis eius cum suis est clarificatus angelis, quam de illa qua pro christianis contra paganos dimicans gloriose innotuit, quando in monte Garganico novum instituit ac dedicavit sanctuarium. Non in illam quidem sunt expensae fabricam metallorum, marmorum, cedrorum congeries preciosae, sed enim rupes concava impolito expandit fornice sinus, plus religionis pretendens quam operositatis. Nam tibi, ó gloriose assertor, tibi inquam, ó magnifice secundum nomen tuum ammirator glorificandae et ammirandae Trinitatis! Enimvero quis sicut Deus? hominum magis[b] pectora placent fide, spe, caritate ditata, quam dives eiusmodi rerum materia. Quin etiam de sancto Servatio et de sancta Begga musice aliqua rogatus a canonicis quibusdam composui. De sancto Spiritu 7 ymnos ut contexerem frater petiit, cuius deberem dilectioni, quo satisfacerem devotioni. Qui scilicet dum familiari sepius me colloquio aedificaret, quiddam inter caetera retexit, quod venerabile, quod memorabile sit. Aliquando cum vigiliis atque invocationi eiusdem Spiritus sancti quam devote institisset, circa crepusculum in excessum factus, vidit a quodam claritatis penitus et suavitatis mirandae, quem albae super nivem nitidae infloraret accinctus, se in ecclesiam deportari, luce sollemniter seu odore preditam. Quae persona dulcissimo quidem amplectebatur illum affectu, utraque pectori manu apposita, quemadmodum pia mater ad dulcia solet lactentem infantulum ubera stringere, sed faciem suam occultabat, dum se frater crebrius ille converteret, ac desideranter eam temptaret inspicere. Intelligebat enim sanctum esse Spiritum. Tamen ad modicum vidit faciem illam, de qua reticendum est, quia cautius est inde compungi quam loqui, archana venerari quam de archanis disputare tutius est. Denique frater idem clementissimi plasmatoris, dignantissimi reparatoris dextram a pectore suo elevans atque

a) uariebam *cod.* b) a *ab alia manu saec. XV. add. cod.*

digitos illius ad signum crucis exprimendum propriis aptans manibus, ex eadem super cor, super lumbos renesque suos signaculum tertio salutare impressit, quatinus contra cogitationum molestias seu carnales concupiscentias tueretur ac roboraretur, choro candidatorum, qui aderat, canoris modulante vocibus: *Laetetur cor querentium Dominum, querite Dominum et confirmamini, querite faciem eius semper.* (1 Paral. 16, 10. 11.) Frivolam non fuisse visionem frater ille expertus est, dum sese quodam ex tunc lumine infusum mentis, et motuum assultus carnalium sibi plurimum mitigatos, contritę lacrimabiliterque assevararet. *Beatus* profecto, (Ps. 93, 12) *quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis.*

Preterea quinque exaravi libellorum opusculo, qualiter diebus nostris aecclesia Leodiensis Bulloniense castrum, pervasoribus triumphatis, divina receperit virtute, tituloque presignavi: *Triumphale Bulonicum.* Hoc ipsum musico quoque astruxi modulamine. De sanctis etiam martyribus Evermaro sive Urbano, exigente fratrum devotione, geminos cantus composui. Epithafia et epistolas conscripsi quam plurimas.

Talibus ergo vel similibus ineptiis miseram exegi vitam, ac monasticae conversationis oneribus haec etiam vicissim onera dorso nostri superimpressimus aselli. Absit autem, ut muricatos expectaverim quorundam obelos, quibus nostrae confodiantur scedulae. Nullius ipse censeo esse momenti quae scripsi aut scribo, quin potius indocta, quin potius inepta. Propria tamen utcunque malo fabricari quam aliena usurpare, et domestica incude quam extraria uti, nec de Latinis bonis Latina sarcire non bona. Predicabilis faber, ó quisquis es, novus intendas esse Tubalcain. Ad exemplum veteris exerce predicabilia. Proprius te ignis, proprium te predicet utensile. Inertis namque est artificis alienos semper malleolos ac folles appetere, et inglorii apud alienam iugiter mendicare fornaculam. Fontis latex non esse censetur, nisi quem de propria fundit vena. Quod extrorsum infunditur, alienum est. Michi ergo cavendum, michi retinenda potissimum illa est Flacci castigatio, qua monet amicum: (Hor. Epist. I, 3, 16 sqq.)

Privatas ut querat opes, et tangere vitet
Scripta palatinus quaecunque recepit Apollo,
Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

FINIT LIBELLUS SECUNDUS.

INCIPIT TERTIUS.

Meae quidem ineptiae quasi nigro calculatae sint lapillo. Nunc Parii vero crustula marmoris, nunc preciosas lactei aspectus exoptaverim uniones, quo calculus ea digerat clarus in numerum, quae disserenda intimus nuper proposuit amicorum. Quesitu etenim digna et scitu sunt utilia, et unus impetrat iure, quod pluribus velit prodesse. Videlicet quesivit, cur ante dominicum natale novem antiphonae ab *O* incipientes, novem aeque diebus super ęuangelium canticum ad vespertinam synaxim canantur in aecclesia? Item cur passio sancti Stephani prothomartiris secunda dominici natalis die, assumptio sancti Iohannis ęuangelistae tertia celebretur, dum alter secundum traditionem maiorum 3. Nonas Augusti passus, alter 6. Kal. Iulii ad perpetuam sit assumptus immortalitatem, moriendo quidem, sed celerius tamen reviviscendo? cur etiam quarta innocentibus sit deputata, dum non facile constet, quod tunc passio illorum provenerit. Haec itaque primo, dehinc caetera questionum, quas sciscitatus est, disseram, pro voluntate rogantis latius inde tractando, licet strictior esse maluissem. . . . . accepit sanguinaria.

CONTINUATIO REINERI
DE ABBATIBUS SANCTI LAURENTII LEODIENSIS.

Reinerus quum in libello de ineptiis cuiusdam idiotae quasi historiam monasterii sui, brevem quidem ac succinctam, dedisset, fieri non potuit quin desiderium moveretur opus iam inceptum continuandi. Itaque evenit, ut primo ab ignoto quodam usque ad abbatem Arnoldum, vigesimum totius seriei, nomina, gesta et sepulcrorum inscriptiones singulorum abbatum annotarentur, deinde ut Arnoldus de Borchout, noviciorum instructor et postea canonicus Sancti Materni, filum narrationis usque ad annum 1404. *produceret. Quae omnia, quamvis non magni momenti sint aestimanda, tamen complendi Reineri relationem causa, hic iterum lectoribus benevolis ex codice Bruxellensi* 9332, *chartaceo saeculi XV. proferre volumus, rogantes ut de ipsius codicis natura atque argumento quaerant in Annalibus nostris VIII*, 528.

Eccli. 50, 1-8. *De nono abbate.* Symon Onie filius sacerdos magnus a Ihesu filio Syrach predicatur quod in vita sua effulserit domum, quod in diebus suis corroboraverit templum, quod in sua effulserit gente quasi arcus inter nebulas glorie. Serio possunt hec eadem ad nostrum dirivari Everelmum[a] abbatem huius loci nonum, quoniam quidem ut lucerna super cande-
Luc. 6, 44. labrum posita omnibus qui sunt in domo Dei est conspicua. Et in ewangelio legitur: *Unaqueque arbor ex fructu suo cognoscitur.* Ipse namque domnus abbas Everelmus post casum fulminis in nostra ecclesia horribiliter sevientis et maius altare demolientis nobis nove dedicationis reformari procuravit viridem atque floridum statum. Circa cuius instaurationem Everelmum abbatem ita spectasses officiosum quasi Martham satagentem circa frequens Christi ministerium. Erat insuper vir magne industrie et sagacitatis, in possessionibus huius ecclesie necnon cotidianis fratrum stipendiis amplians, prout copiose reperitur in cartis ecclesie. Tumbam etiam domni Reginardi Leodiensis episcopi in medio oratorii preclaro insignivit et opere et decore, piis ossibus pietatis exhibens officiosum munus. Item oratorium sancti Iacobi construxit, cuius altari diversa sanctorum pignora interclusit, ante quod suum corpus humari ordinavit.

De abbate decimo. Balduinus abbas 10. appellatus est, de quo quia nulla reperta sunt scripturarum autentica testimonia, ideo nec ulterior memoria de eo est presentibus inserta.

De undecimo. Post hunc abbas 11. dictus est Gerardus, qui fuit abbas Sancti Iacobi Sanctique Laurentii, et est sepultus in medio ecclesie nostre, scilicet sub cruce marmorea, quam crucem secundum veterum relationem et ipse fieri ordinavit.

De duodecimo. Huic successit abbas 12. Ottho, qui dinoscitur fuisse decanus Sancti Pauli. Hic plures recreationes atque refectiones indulsit fratribus ut continetur in cartis ecclesie, et inter ceteras constituit talem ordinationem de adventu et celebratione reliquiarum beati Laurentii in hunc modum, qui sequitur:

In nomine sancte et individue Trinitatis Ottho Dei gratia abbas, Robertus prior totusque beati Laurentii in Leodio conventus omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Quia rebus gestis munimen grande est littera testis, presenti pagine committimus quod ad honorem Dei et pretiosi martyris nostri beati Laurentii fieri instituimus, factumque ut ratum permaneat et inconvulsum sigillo nostro confirmavimus, excommunicationis sententiam super eos qui econtra aliquid attemptaverint publice apponentes. Domnus quidem Albertus episcopus noster pretiosissimas reliquias de ipso corpore predicti martyris, de carne videlicet eius in craticula assata, sanguine tamen quasi recenter infusa, ut se intuentibus veritas adhuc ostendit, in curia Romana grandi

a) Euerelin. *cod. constanter.*

studio et labore obtinuerat; que in magna veneratione ab eo habite post decessum eius 3. Kalendas Maii ad nos translate in maiori altari sunt assumpte. De adventu earum ad nos facto festivam et annuam commemorationem instituimus, nichil enim boni possumus quin eius honori debeamus. Ut autem labori fratrum mercedem spiritualem in hoc attendentium aliqua etiam corporalis recreatio fiat, octo modios spelte super septem bonuaria terre in Glons, que frater Godescalcus adquisierat, refectioni eorum eo die assignavimus. Libram preterea cere debet eadem terra annuatim ad missam cotidianam in cripta nostra ad altare gloriose matris Domini pro censu eiusdem terre quam predecessor noster abbas Everelmus acquisivit; illam gloriose virgini reservantes, ne quid in posterum super his mutetur auctoritate Dei et gloriose matris eius et beati Laurentii martyris et patroni nostri inhibemus. Aliam preterea commemorationem celebramus 4. Idus Iunii de eodem patrono nostro, super adventu etiam aliarum reliquiarum eius de sagimine corporis ipsius, ad maiorem cautelam et ampliorem venerationem in principali altari nostro repositarum. Refectioni fratrum eo die decem solidi annuatim assignati sunt super quatuor bonuaria terre in Glons, quos ego Ottho abbas acquisivi. Utroque debito tenebitur fratribus predictis diebus quicunque procurator de Glons extiterit; de promptioribus bonis totius curie de Glons ea dabit. Actum est anno verbi incarnati 1200, presidente Romane sedi Innocentio papa III.

Item iste idem abbas Ottho fecit dedicari altare sub turri in honore sanctorum Iohannis baptiste, Vincentii, Lamberti martyrum sanctique Nycolai confessoris. In qua dedicatione concessit, fratres habere quatuor modios spelte pro refectione super bona de Glons. Que dedicatio statuta est celebrari proxima dominica post purificationem beate Marie virginis.

De abbate decimo tertio. Abbas tredecimus vocatus Iohannes in abbatiam successit, de cuius gestis, conversatione seu cursu vite quia nulla recolit autentica scriptura, ideo nec ulterior mentio presentibus interseritur de eadem[a].

De decimo quarto. Dehinc abbas 14. dictus fuit Henricus, qui inter abbates huius loci primus fuit mitra decoratus. Hic sepultus est sub corona in medio chori. Cuius epytaphium ita sculptum est:

Abbas Henricus, nigrorum flos monachorum,
Largus, pacificus, prefulgens lampade morum,
Lux patrie, decus ecclesie, speculum probitatis,
Iustitie cultor, venie pater et pietatis,
Pastor, ovis, forma, signum, dux, previa norma,
Cum magnis magnus, cum parvis mitis ut agnus,
Ex Hacur natus, primus mitra decoratus,
Hic iacet humatus cui, Christe, remitte reatus!

Anno Domini 1258. 12. *Kal. Septembris obiit pie memorie ipse domnus Henricus abbas quartus decimus*[b].

De abbate decimo quinto. Deinde prefuit huic ecclesie Gerardus abbas 15.[c] Cuius corpus requiescit ante altare sancti Stephani. Cui etiam tale epytaphium est appositum:

Anno Domini 1271. 9. *Kalendas Martii obiit domnus Gerardus abbas huius loci quintus decimus.*

Funde preces, ora pro me; perpende, quod hora
Stabis in orbe brevi. Flos est homo labilis evi.
Quantum durabis, statim quod posco rogabis.
Ut tibi fiat idem, mihi sis, homo, sis pius idem.

De decimo sexto. Huic successit Enoch abbas loci huius 16. Qui ante altare sancte crucis recepit sepulturam. Cuius monumentum tali decoratur epythaphio:

Moribus ornatus iacet hic Enoch tumulatus,
Abbas qui dignus, largus fuit atque benignus;
In prece devotus erat, instans pectore totus,
Unde placens factus in sacris prumptus et aptus,
Ut sibi donetur requies, hoc quisque precetur.

a) *alia manus coaeva in margine addit:* „Anno Dni 1239. Nonas Febr. obiit bone memorie dñs Iohannes quondam abbas S. Laurentii in Leodio, postea professus in valle sancti Lamberti. Anima eius requiescat in pace, amen.“ Predicta scriptura habetur super unum lapidem in valle sancti Lamberti, in claustro ante capitulum. b) *alia manus interlinearis saec. XVI. in. addit.* Hic primo gravavit ecclesiam, possessionibus multis venditis. c) *manus interlinearis addit:* Hic secutus est predecessorem suum in malo.

Hic[a], ut per instrumentum publicum patet, ammotus fuit ab amministratione et Iohannes decanus Leodiensis, Iohannes de Willenbringe[b] canonicus Leodiensis, et Everardus scabinus Leodiensis levaverunt omnia. Quod cessit in maximum dampnum ecclesie.

De abbatibus 17. 18. 19. *et* 20. Post mortem abbatis Enoch Iohannes de Pevereal[c] circiter sex annis prefuit, et per sententiam deponitur. Statuta die electionis duo in discordia eliguntur, scilicet Hermannus custos, qui privatus est ex quo non portaret habitum, et probatus fuit esse excommunicatus tempore electionis; et Gerardus de Fontanis, qui obiit. Et sic Wericus prepositus Sancti Nycholai factus est abbas miserabilis, qui et ab episcopo Leodiensi incarceratus fuit. Postmodum abbatie renuntiavit, et ad Sanctum Nicholaum rediit. Et sic Gaveridus successit, cui venienti processerunt obviam usque ad Namurcum, et sic patet quod de alieno monasterio fuerit assumptus nescio quo. Ipse secundum quod scribitur non invenit nisi nudos parietes et in quantum potuit imperare cepit. Campanas Iocundam et Pakettam fieri fecit Remis[c*]. Romam pro iuribus ecclesie defendendis ivit. Et videtur, quod videns se nichil posse proficere, ad locum unde venerat recesserit. Successit Arnoldus primus, abbas vigesimus, qui omnium videtur fuisse pauperrimus et per symoniam promotus. Ab episcopo Leodiensi ab amministratione depositus, ad papam appellavit et anno 1342. obiit.

Sequentia dictavit magister Arnoldus Borchout, qui fuit instructor noviciorum tempore domni Henrici Ade, investitus de Heris, et postea canonicus Sancti Materni, qui obiit anno 1450[d].

Senescente enim corpore ecclesie, proch dolor! spirituales eius oculi, prelati scilicet, non modo caligare, verum etiam eorum quam plures quasi penitus ceperant cecutire. Quapropter in lapidem offensionis et ipsi turpiter inpingunt, et hiis quibus in via morum ac mandatorum Dei lucere debuerant non solum non lucent, sed abiecto timore Domini ac disciplina salutari per exemplarem corruptibilitatem eos in profundum malorum una secum miserabiliter precipitant et horrendas manus Dei omnipotentis incidunt. Teste enim Salomone in proverbiis *in timore Domini declinatur a malo*. Et item: *Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam!* Hec idcirco dixerim; nam exigentibus personarum correctis demeritis et permittente illo, cuius incomprehensibilia sunt iudicia, ecclesia nostra tempore horum abbatum[e], ut dicere cepimus, ad tantam devenit desolationis immanitatem, ad tantam vastitatem ac ignominiosam egestatem, ut summa pensionum venditarum et annuatim solvendarum ascendebat quasi ad summam omnium reddituum ac omnium temporalium bonorum ecclesie antedicte preter alia debita innumera semel persolvenda. Suntque hiisdem temporibus bona monasterii a diversis diversimode hinc inde distracta, translata et alienata, alia Lombardis et feneratoribus inpignerata, alia ad comestus tam hominum quam equorum propter retardata debita applicata. Quare crescentibus undique debitis contra prefatum monasterium et personas eiusdem proceditur iuridice, monentur, excommunicantur, aggravantur, cunctasque incidunt ecclesiasticas censuras. Quorum omnium causa, compellente egestate, servitus Deo exhiberi solita, sed et sacre religionis observantia non solum diminute, sed quasi penitus abolite sunt et derelicte. Que enormis perversitas et perversa enormitas dum fama[f] referente clamosa importune pulsaret aures episcopi Leodiensis[g], idem episcopus huiusmodi nephandas abusiones et detestabiles insolentias amplius dissimulare nequiens, manus iniecit in abbatem[h], eumque iuxta habitationem leprosorum in Cornulhon[i. 18] custodie mancipavit, ubi per aliquos menses degens clam ad Brabantiam recessit. Et episcopus magistrum Iohannem cognomento Pinguis amministratorem omnium bonorum monasterii presentis constituit in detrimentum ecclesie.

Prov 16, 6.
Job 13, 18.

Ceteri vero monachi animadvertentes episcopum sic de rigore procedere ac abbatem in carcere detineri, fugam inierunt, diversas regiones et loca pererrantes, omnia que

a) *sequentia, prius breviora, ita in rasura scripsit manus alia correctrix saec. XV.* b) Willēbrīgē *cod.* c) alias de Nivella *addit m. interlinearis.* c*) *in folio ultimo huius codicis manus XV. ex. inter alia scripsit:* Super campanam que Paketta dicitur, habetur scriptum: „Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo et patrie liberationem." Super Iocundam sic habetur: „Mḡr Gerardus de Leodio me fecit a. D. 1334. tempore dñi Gaveridi abb. XIX.

Dum sono, vanescat, et plebs tua Christe quiescat,
Fulgur, tempestas, tonitrus sathaneque potestas.

d) *haec eadem manus correctrix in margine superiore posuit. Sequentia omnia alia manus saec. XV. exaravit.* e) incipiendo a primo mitrato *addit m. correctrix.* f) forma *cod.* g) domni Adulphi de Marka *addit m. correctrix.* h) Wericum *addit m. corr.* i) unde albi monachi recesserant *add. m. corr. Eadem sequentia* aliquos — detr. ecclesie *in rasura scripsit.*

18) Mons Cornillon prope Leodium.

de prefato monasterio asportare poterant rapientes et secum deferentes. Et ita remansit hec domus Dei vacua et sine inhabitantibus per decem menses deserta. Ad tantam namque devenit desolationis vastitatem, quod nec solus esset ei inhabitator. Sed quidam scriptor qui, ut veridica relatione seniorum didicimus, pater erat carnalis magistri Wilhelmi scriptoris huius civitatis excellentissimi, et hiisdem temporibus moram traxit in vico publico ante monasterium presens, solitus erat matutino tempore ostium ecclesie ab extra aperire propter devotionem fidelium, hunc locum licet desolatum votive visitantium, bestiis etiam, utpote vaccis, porcis et huiusmodi tota die libere ingredientibus et egredientibus et per septa monasterii vagantibus; nec erat qui ingressum earum prohiberet nec ingressas effugaret. Sed prenominatus scriptor advesperascente die rediens iterum firmavit valvas ecclesie secum referens clavem, non curans neque advertentiam adhibens, si que bestie intra accubarent. Heu domine Deus! quanta enormitas, quam ignominiosa vastitas, ut ubi dudum, scilicet permanente primeve sponsionis integritate, erat ortus delitiarum, paradysus voluptatis, locus cui benedixit Dominus, locus pascuorum virentium, in quo iuxta fluenta plenissima divini eloquii uberrime quondam irrigabantur non modo plantationes nardi, ulmus, buxus et cetera ligna campi, sed et voluptuose pascebantur ligna Libani et cedri paradysi, iam irritata fide priore facta est terra deserta, terra confusionis, locus horroris et vaste solitudinis, ut merito queque fidelis anima motu tacta compassionis dicat illud
Iheremie: *Deducant oculi mei lacrimam per noctem et diem, et non taceant, quoniam contri-* Ier. 14, 17
tione magna contrita est virgo, filia populi mei, plaga pessima vehementer. Et illud Trenorum: Thren. 5, 15.
Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri.
Cum et apud eundem prophetam alibi dicatur: *Numquid non istud factum est tibi quia dereli-* Ier. 2, 17.
quisti dominum Deum tuum? Et item: *Scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te* ib. 2, 19.
dominum Deum tuum, et non esse timorem eius apud te. Quodsi dixeris, in corde tuo: „Quare ib. 13, 22.
venerunt mihi hec?“ subditur: „Propter multitudinem iniquitatis tue revelata sunt verecondiora
tua, pollute sunt plante tue“. Item: *Et dicet unusquisque proximo suo: „Quare fecit sic Dominus* ib. 22, 8. 9.
loco isti?“ et respondebunt: „Eo quod derelinquerunt pactum domini Dei sui!“

Episcopus vero Leodiensis huiusmodi desolationis magnitudinem perspectans, et divinum officium penitus dimissum dolens, quendam constituit sacerdotem qui hunc locum sacrum adiret[a], missam quoque bis vel ter in ebdomade celebraret. Constituit insuper[b] viros duos[c], qui levarent omnia bona monasterio pertinentia; qui et annis singulis coram prefato episcopo computum redideraut. Ceterum episcopus diversis sollicitudinibus terrenis ac negotiis patrie prepeditus, perpendens multitudinem pensionum et debitorum ecclesiam magis ac magis in usuris, fenore et comestibus in dies onerantium tam valide, quod verisimile non erat, eam infra breve tempus hoc modo posse relevari, nec divina in eadem posse resumi, inquiri fecit de viro probo Deum timente, cui gubernatio Laurentiane predicte esset cordi. Et productus est in medium abbas monasterii Sancti Trudonis, Adam nomine, tanquam vir huiuscemodi. In cuius manibus episcopus prelibatus regimen atque gubernationem sepedicte ecclesie resignavit anno Domini 1302. Cuius curam regiminis dictus abbas exercuit per annos plurimos, ulteriorem quam potuit adhibens diligentiam. Duos etiam constituit procuratores ydoneos, qui omnia bona monasterii levarent ac inde pensionariis satisfacerent ac in defalcationem aliorum debitorum magis urgentium residuum converterent. Sed animo revolvens atque perpendens ipse abbas, quod nec tali modo pateret via exeundi debita, quibus multipliciter gravabatur ecclesia, quin potius bona ipsius cotidie per fenus usurariorum, per comestus creditorum diversis modis distraherentur; quodque divinus cultus longo post tempore non posset reassumi, cum non haberent officiantes unde sustentari: habito super huiusmodi consilio ac matura previa deliberatione, conclusum est secundum doctrinam Aristotelis, — minus malum esse de genere bonorum, respectu maioris videlicet — quod melius esset partem bonorum quibus ecclesia satis habunde fuerat dotata hereditarie vendere, quam processu temporis crescentibus undique debitis ex integro perdere. Quare ipse abbas prefatus, licentiatus et permissus ab episcopo Leodiensi[d], qui et omnium predictorum erat conscius, vendidit hereditarie pro utilitate monasterii tam in terris quam censibus, decimis ac domibus usque ad valorem mille

a) non videtur verum fuisse, quia fuerunt quinque monachi tunc *add. m. interlinearis.* b) domnus Adulphus de Waldege eps̄ Leod. *add. m. correctrix.* c) monachos duos sub domno Adam abbate S. Trudonis *add. m. corr.* d) Thebaldo de Barri *add. m. interlinearis.*

modiorum spelte. Quo tempore vendebantur decime de Ocep ipsis dominis de Orvalle, et plura alia, que omnia scripture commendare nimis esset prolixum. Pecunias vero de huiusmodi venditione hereditatis receptas ipse abbas debitis magis dampnosis et creditoribus magis oportunis applicavit. Illis etiam temporibus, prout a nostris predecessoribus accepimus, prefatus episcopus Leodiensis iurisdictionem temporalem de Auroto sibi vendicavit, ante monastici status collapsum cum omnibus suis iuribus et pertinentiis monasterio integre pertinentem[a]. Hiis itaque hoc modo peractis, quam cito ceperunt bona temporalia aliquantulum suppetere, visum est abbati Sancti Trudonis predicto paucos fratres qui dispersi fuerant ac fugerant ad monasterium revocare[b]. Sicque divino officio resumpto[c] et bonis temporalibus multiplicari incipientibus, ipse abbas cure atque regimini huius ecclesie, cui per quinquennium prefuit, resignans[d] in manus episcopi et fratrum eisque valedicens ad suum rediit monasterium[e].

De abbate 21. Post hanc lamentabilem desolationem postque gravem divine visita-
Exod. 20, 5. tionis animadversionem peccata hominum visitantis sicut scriptum est: *Ego Dominus visitans iniquitates patrum in filios usque ad quartam generationem*, ammodo non oblitus est misereri Deus neque miseriam suam penitus abscidit, sed cum iratus fuerit, miserie recordatus est et tempus huic ecclesie miserendi advenit, eo quod misericorditer dispensante domnus Walterus dictus Machar, Stabulensis monasterii decanus, in abbatem nostri monasterii assumptus est, vir per omnia laudabilis. Hic itaque adveniens invenit nimirum in monasterio omnia diruta, distracta, translata et annichilata. Aspirante tamen sibi divine bonitatis radio sollicite et in quantum potuit invigilabat reparationi et reformationi, monachos propter desolationem preteritam hinc inde dispersos cum aliis que secum transtulerant et asportaverant ad monasterium revocans, plures etiam monachos creans. Antiphanarios hyemales pulcros fecit fieri et estivales inchoari. Duo etiam gradalia comparavit in Lobbiensi monasterio, eo tunc desolato, venalia. Sicque monasticum statum tam spiritualibus quam in temporalibus in comparatione ad desolationem pristinam Domino sibi opitulante notabiliter reformavit. Non tamen secuta est perfecta spiritualium reformatio, quoniam, si perfecta fuisset, durabilior utique extitisset, nec ille antiquus humani generis adversarius, qui totiens huic ecclesie et eius membris prelium indixit, interim totiens adversus hereditatem Domini prevalere potuisset. Remanserunt, proch dolor! usque adhuc apud nos illius antique Babilonice captivitatis vestigia, necnon sub duro Pharaonis imperio Egyptiaca servitus miseranda. Quo sic ut plerisque ad eam que desursum est sapientiam lippientibus, sed terrenam et animalem amplectentibus, quibus etiam secundum poetam

— in solo est vivendi cura palato,

salva videntur omnia, dum hec viles bonorum temporalium sarcinule fuerint resarcite. Prelibatus etiam domnus Walterus abbas vehementiam desolationis preterite, cuius adhuc reliquie non pauce tempore suo remanserant, animo revolvens perpendensque eam principaliter propter incuriam et insolentiam abbatum predecessorum suorum accidisse, licet forte, ut pretactum fuit, verius dicatur transgressiones omnium tam prelatorum quam subditorum vulgariter id demeruisse, et precavere cupiens, ne in posterum simile quid huic ecclesie accideret ut vulgo dicitur:

Gualth. Alexandr. V, 301. *Incidit in Cillam cupiens vitare Caribtim.*

Nam ordinavit, permisit et gratificavit divisionem bonorum monasterii eo modo videlicet, ut ipse abbas quicunque pro tempore tertia parte dictorum bonorum debeat contentari, relique vero partes due succedere debeant conventui, ipsis fratribus de conventu
1348. huiusmodi divisionem laudantibus et approbantibus. Que divisio, sic ut prefertur, propter melius inchoata nimirum tantam desolationem quanta prius visa fuerat, ymmo verisimiliter maiorem, processu temporis erat causatura, nisi Dominus Sabbaoth sue Laurentiane instantia patroni gloriosi rectorem ydoneum suscitasset. Testante namque philosophorum principe in phisicis, *uno inconvenienti dato, plura concomitantur*. Quid vero inconvenientius,

a) *manus correctrix addit in margine:* Non est sic. Districtum de Auroto non pertinebat monasterio huic, sed districtum S. Laurentii tantummodo. Quod est medium inter Aurotum et Ans, et episcopus Leodiensis erat superior advocatus, quantum ad furem et latronem, falsam monetam, sturmam et burmam; reliqua pertinebant ad abbatem, quantum ad cippum et omnia genera placitamentorum, que deposita fuerant in pace clericorum, ut patet in litteris regis H. Romanorum V. de. b) Istud non fuit tunc, sed postea anno 1315. *add. m. interlin.* c) in vigilia nativ. Dni a. 1315. ineunte *add. m. interlin.* d) anno Dni 1306. *m. interlin.* e) non fuit sic, ut patet in registris que adhuc habentur *m. interlin.*

quid indecentius, quam cenobitas, quibus debet esse unitas cordium et communicatio rerum, talem admittere divisionem facultatum. Numquid non, attestante in euangelio Domino, divisio causa est desolationis et subversionis non modo regni ecclesie sed omnium universaliter regnorum? Cuius per orbem universum quasi tot suppetunt exempla, quot nostri ordinis sunt monasteria in quibus huiuscemodi inolevit divisio. Quod etiam ipsa divisio bonorum in hoc monasterio tempore domni Walteri progressum habuerit ad desolationem potius quam ad reformationem, ex hoc profecto convincitur, quod anno quinto post divisionem sepedictam, videlicet anno Domini 1352, reverendus pater domnus Engelbertus episcopus Leodiensis, in eodem monasterio visitationem et reformationem celebravit, hucusque apud nos scriptis conservatam, que visitatio in monasteriis raro fieri consuevit nisi transgressionum varietas et insolentiarum multiplicitas eam fieri postulaverit. Et quamvis iura humana propter vitare deterius quandoque hanc divisionem tanquam minus malum admittant, secundum tamen leges Dei ac forum conscientie, quibus ipsa regula sancti Benedicti et aliorum patrum innititur, facile convincitur non licere ac minime expedire. Non enim omnia, que humana iura propter deteriorum fugam seu utiliorum consecutionem tolerant aut permittunt, statim expediunt, dicente ad hoc beato Iheronimo: *Non esse pro lege communi habendum, quod aut utilitas pro tempore suasit aut necessitas imperavit.* Sed hec aliis omittendo ad propositum redeamus. Ipsi domno Waltero abbati dum vixit sui confratres de conventu, quia grata et accepta fuit eis divisio bonorum prescripta, modis omnibus applaudebant, eumque post eius decessum valde recommendaverunt et memoriam eius ut ita loquamur quasi ad sydera extulerunt. Ipse etiam de sue portione prebende acquisivit molendinum in Glons, affectans ut annuatim fierent exequie in redemptionem anime sue ac in suorum remissionem delictorum. Hic prefuit monasterio nostro circiter annos 13, et sepultus est in medio oratorii ante aquilam, cui et epitaphium ita scriptum est:

Iste monasterii presentis commodus abbas,
Nomine Walterus, proprio cognomine vero
Macharius, genere quamvis ac corpore magnus,
Corde tamen prorsus humilis, fameque nitore
Lucens exterius, animi dulcedine fragrans,
Celestem sapiat summi dulcoris odorem.

Anno Domini 1355. 11. *Kalendas Aprilis obiit pie memorie dompnus Walterus huius loci abbas* 21.

De casu fulminis. Nec pretereundum putavimus id quod post decessum domni Walteri[a] Macharii in hoc loco accidisse a nostris predecessoribus accepimus, cum quasi simile quiddam etiam ante hec tempora ex opusculo cuiusdam fratris suo amico familiariter scribentis[19] in eodem loco comperimus evenisse. Anno igitur inmediate sequente decessum domni Walteri[a] Macharii abbatis prelibati nocte quadam mugientibus circumquaque tonitruis, et fratribus ad laudes nocturnas surgentibus, ac quibusdam iam quindecim cantica graduum incipientibus, secundo etiam signo pulsato, ipse Dominus maiestatis virtutem terribilium suorum mundo exhibens ictu solito vehementiori intonuit, alluxeruntque fulgura eius orbi terre, ingerente se forsitan aerea potestate et quantum permittebatur seviente. Cuius fulminis materia pestifera, ingressa turrim ad latus sinistrum versus aquilonem, ipsum marticularium ad campanas tribulandas accelerantem invasit, terruit ac amentem penitus reddidit, qui et talis quamdiu viveret permanebat. Deinde turrim descendens pervenit ad foramen patulum penes celatas ecclesie, et inde ascendit celatas versus sinistrum in ea parte ubi hucusque cernitur pictura deesse, rursusque cathenam a qua ymago crucifixi dependit descendens ipsum non attigit crucifixum, sed et inde descendens ymaginem quandam levite similitudinem gerentem in medio oratorii vice pulpiti collocatam, prostravit ac in partes duas fidit, cistulam quoque cui mos est cantoribus insidere subvertit, ipsis monachis horribili terrore hinc inde prostratis, attonitis et quasi exanimis factis, quibusdam in oratorio, aliquibus vero in descensu dormitorii existentibus. Post hec versus altare maius volitans nec tamen ipsum attingens, transilivit cortinas eidem altari attiguas ac in murum retro altare, in ea parte videlicet ubi ymago beati martyris Laurentii depicta fuerat, tanta impegit vehementia, quod ex ipso muro varia frusta[b] evelleret ac ipsam ymaginem deformaret, quod et pluribus annis citra ab intuentibus cerni poterat. Sed et quandam laminam ferream,

a) W. *cod.* b) frustra *cod.* 19) Reineri libro allusit.

cui innitebatur basis sustentans seraphin versus sinistrum cornu altaris, aut asportavit aut taliter demolita est, quod ab illa hora citra nunquam cuiquam hominum nec sola eius particula appareret. Quo facto rursus se erigens ascendit cathenam a qua in medio oratorii corona dependit, rursusque descendens cum impetu versus sepulturam domni Macharii antedicti, ibidem ut videbatur terram subintravit ingenti fovea versus pedes sepulti relicta, nec postea comparuit. Tandem monachi indicibile horrore quasi emortui vix resumptis viribus inceperunt ymnum: *Veni creator Spiritus*. Fluxerunt autem a primo casu fulminis usque ad hunc secundum anni 173, ut patere potest datas hinc inde computanti.

De abbate 22. Preterea ecclesie nostre successit abbas 22. nomine Iohannes, natione Francus, vir industria pollens et scientia non mediocris, non tamen per electionem fratrum assumptus, sed per summum pontificem monasterio destinatus; qui domnus papa eo tempore cum sua curia Avenione residebat. A quo et ipse domnus Iohannes[a], eo tunc existens de familia cuiusdam cardinalis, abbatialem dignitatem pretactam impetravit, quam per septennium possedit. Residentia itaque in hoc monasterio per aliquot annos facta, occasionem capiens visitandi cognatos et amicos tam in Francia, unde ducebat originem, quam in curia Avenionis abiit, quendam de monachis nomine Iohannem[b] Blondin vice sui in temporalibus constituens, qui sibi annuatim portionem ad dignitatem spectantem, videlicet tertiam partem bonorum monasterii, destinaret. Quod et ita factum est. Ipse vero abbas noster denuo curiam accedens moram traxit cum cardinali prenarrato. Ecce qualia utilitatis primordia ipsa divisio bonorum sepedicte nostre ecclesie attulerit, dum abbas iste confidens, se absentem tertiam partem bonorum eque percepturum, ovium suarum cura relicta ac utriusque status sui monasterii spiritualis et temporalis spreto gubernaculo, alienis se ingessit negotiis, plus verisimiliter intentus ambitioni quam religioni. Nam anno septimo quo prefectus est monasterio nostro accidit, quod abbas Dygionensis monasterii cessit ab humanis; quod percipiens abbas noster sciensque dignitatem illam sue dignitati variis modis preponderare, eam ambivit, dominum suum cardinalem pro promotione eius ad eandem interpellando. Cui cardinalis: *De dignitate igitur Sancti Laurentii quomodo disponere proposuisti?* Et ille: *Est*, inquit, *in Ardenna prior quidam tenens prioratum in Eurincuria satis pinguem et opulentum, monasterio sancti Huberti in Ardenna subditum. Homo iste spectabilis genere, sed quod pluris est simplex, honeste conversationis et bone fame. Ad opus igitur ipsius domni Roberti prioris antedicti resignabo, si consulueritis, in manus domni pape dignitatem Sancti Laurentii; ipse vero prior suum prioratum ad opus vestrum, dum tamen uterque nostrum per vestram promotionem consequi valeat dignitatem concupitam.* Que omnia modo prescripto sunt consummata. Ipse vero domnus Iohannes olim abbas noster, tunc vero abbas Dygionensis, eodem anno prefate permutationis defunctus est. Abbas autem et conventus monasterii sancti Huberti in hoc facto multum offensi ipsum domnum Robertum quamdiu vixerat propter hoc odiose detestati sunt, facientes postmodum expensas non paucas pro redemptione sui prioratus, vigore permutationis, sicut prefertur, in manus cardinalis et ad curiam devoluti.

De 23. Hoc igitur modo ipse domnus Robertus dudum monachus monasterii sancti Huberti, auctoritate ac litteris fultus apostolicis super dignitate abbatiali huius monasterii, a fratribus eiusdem monasterii cum dedignatione et contra votum receptus est, cum ipsis fratribus videbatur eum non per ostium, videlicet per ipsorum electionem canonicam, sed aliunde subintrasse. Assumptus tamen in abbatem, pius animo, mitis atque simplex extitit et fortassis ultra quam expediverat. Nam ad statum prelationis, cui amministratio commissa est singulorum, non solum columbe simplicitas, sed et astutia exigitur serpentina. Et quamvis ut premissum est, genere satis esset conspicuus, statura tamen pusillus, exiguoque scientiarum titulo preditus, quam pluribus erat despicabilis et prelature quodammodo inutilis; tamque degebat remissus, ut subditi sibi monachi parum ei deferentes, sed adversus eum sese erigentes, divisionem bonorum prememoratam per eum gratificari et sigillari quodammodo extorquerent, necnon plures sibi libertates et singularitates dedecores et hactenus insolitas vendicarent, monachum quodammodo in canonicum, obedientiam in irreverentiam, et paupertatem pervertentes in prebendam. Hoc etiam tempore vendite sunt annue pensiones plurime, neque communem vitam duxit ipse cum fratribus. Insuper ipse domnus Robertus[c] abbas consulens non tam sagaciter quam simpliciter et

a) Io. *cod.* b) Iohannes *cod.* c) Ro. *cod.*

pueriliter, acquisivit duos modios spelte super quendam ortum in villari, vulgariter nuncupatum Vilheir-le-volhe, singulis annis in festo sancti Huberti fratribus distribuendos ob memoriam sui et honorem sancti Huberti antedicti, cuius etiam festum fecit apud nos solempnitatibus augmentari, quia in eius monasterio prius habitum sumpserat monachalem. Fecit etiam fieri de sua propria portione domum in Bodegang[a], quam et sepius causa recreationis solitus erat visitare. Eodem vero tandem declinante ad senium, impetivit eum morbus podagre, videlicet contractio articulorum manuum atque pedum. Fuitque ei capellanus monachus nomine Stephanus de Mariles, vir admodum in temporalibus astutus, genere ac scientia conspicuus, quantitatis procere et breviter in cunctis superficialibus et in hiis que exteriorem hominem concernunt, utpote sonoritate vocis, cantu, eloquentia, affabilitate, matre largiente natura habunde decoratus, et ob hoc a magnatibus civitatis et aliis quam pluribus qui talia magni pendunt adamatus. Anno autem dignitatis domni Roberti abbatis 27, persuadente sibi domno Stephano suo capellano antedicto, quod ipse morbo affectus et senio deinceps sibi ipsi consuleret, suique regimen monasterii, cuius utique status de die in diem propter nimiam remissionem et incuriam magis declinaverat, alteri committeret et sic sibi parceret et requiem caperet, consentiente statim abbate et applaudente sermonibus huiuscemodi conventionibusque et promissis inter ipsos duos initis, ipse domnus Robertus abbas ad opus domni Stephani sui capellani resignavit in manus domni pape suam abbatialem dignitatem, missa clanculo ambaxiata versus curiam Rhomanam pro confirmatione ipsius domni Stephani ad prefatam dignitatem obtinendam, deferentibus eisdem secum procurationes et litteras de premissis fidem plenariam facientes. Que cum conventui innotescerent, si olim adventum domni Roberti egre tulerunt, iam in ira maxima exarserunt et renisu quo poterant ipsis domno Roberto et Stephano resistere molientes, elegerunt capitulatim congregati domnum Raskinum priorem de Bertreyse, dudum priorem huius loci, in abbatem. Constituentes deinceps Wilhelmum suum confratrem suum in hac causa procuratorem, recipientesque ab eodem iuramentum fidelitatis corporaliter et solempniter in capitulo prestitum ad hoc negotium fideliter exercendum et sollicite prosequendum. Missus quoque ad Romanam curiam et legatos domni Stephani ibidem reperiens, concordiam quandam sive collusionem iniit cum eisdem. Expeditis item litteris apostolicis confirmatus est domnus Stephanus in abbatem huius monasterii. Deinde reversis utriusque partis legatis, domnus Arnoldus de Hoern, episcopus Leodiensis, percipiens legationem esse pro domno Stephano, precepit ne frater Wilhelmus, qui legationem conventus exercuerat, nisi de ipsius episcopi consensu ad monasterium admitteretur pro eo, quod minus fideliter egisset. Qui tamen postmodum impetrata pace reversus est ad monasterium et constitutus procurator ac receptor omnium bonorum ecclesie. Postea vero longo tempore transacto effectus est prior claustralis. Domnus autem Robertus[b] preexpressus modo quo prefertur dignitate exutus, quam possedit annis 27, post resignationem vixit annis octo. Sepultus est in cripta ante capellam sancti Dyonisii, cuius epytaphium ita habetur exaratum[c]:

Abbas Robertus morum virtute refertus,
Subiacet huic tumbe, vir dulcis more columbe.
Qualis eius vita fuerit vel quis redimita,
Hoc cenobite Laurey novere levite.
Quod cunctis suavis larga fuit sua vis,
Quidquid agant honores quoque mitre liquit honores,
Vocari domine nam rennuit ipse domi, ne
Perditio sistat, domus hec abs principe si stat.

Anno Domini 1396. 5. *Kalendas Novembris obiit pie memorie dompnus Robertus de Gynimont, quondam abbas huius loci vicesimus tertius.*

De abbate 24. Sed redeamus unde digressi sumus. Anno a nativitate Domini 1388. convenientibus in capitulo monasterii nostri venerabilibus viris, domno Stephano modo quo prefertur in abbatem confirmato, totoque conventu necnon consilio domni episcopi Leodiensis habitisque hinc inde disceptationibus, argumentis, collocutionibus et consiliis perdiversis super pace et ordinatione domni episcopi Leodiensis, que ibi lecta fuit, et eodem modo quo domnus Leodiensis ordinaverat, ambe partes fecerunt et tenere iuraverunt,

a) *atramentum iam fere evanuit.* b) Ro. *cod.* c) *sequitur in cod.* Versus.

super qua petita fuerant plura instrumenta et facta sigillis domni Leodiensis, abbatis et ecclesie sigillata. Tandem pace redintegrata factaque concordia inter domnum Stephanum et conventum, ob reverentiam sedis apostolice receptus est in pastorem, postea suo tempore benedicendus. Qui quamvis, ut premissum est, vir esset ingenio callens et in temporalibus astutus, parvum tamen per eum ecclesia nostra consecuta est progressum tam spiritualium quam temporalium; quin potius vice versa, ut cetera taceamus, ipsa ecclesia tempore suo quasi innumeris gravata pensionum et aliorum debitorum oneribus lugebat, crebras censuras ecclesiasticas per parrochias civitatis occasione debitorum plurium in se et in suis membris fulminari, omnibus eiusdem ecclesie filiis pretactis, scilicet tam abbati quam ceteris monachis que sua sunt singularia querentibus, et sic edifitiis monasterio pertinentibus undique ruinam minitantibus. Quod si intra monasterium, quanto magis extra, ut ipsa ecclesia rursus desolationi videretur valde proxima. Domus tamen in Bowar infra vivarium tempore suo fuerat instaurata. Hic postquam monasterio prefuisset annis circiter 16, decubuit in lecto graviter infirmatus usque ad mortem. Ministratis itaque sibi sacramentis ecclesie fratribusque omnibus congregatis et ad eius stratum assidentibus, superponens manum suam capiti fratris H. A. supprioris dixit omnibus: *Recommendo vobis filium meum hunc dilectum.* Quo dicto parvo post intervallo emisit spiritum. Hic obiit anno Domini 1404. 12. die mensis Martii, et sepultus fuit in cripta nostra inter capellam beate Marie et capellam sancti Dyonisii.

OPUSCULUM CUIUSDAM AD AMICUM FAMILIAREM DE CASU FULMINIS.

1182. Libellum ad te flebilem scripsi, o Frederice, postulantem scire, quomodo nuper plagati ab eo simus qui plagatus pro nobis in cruce est, quomodo inquam ceciderit corona capitis nostri, ab eo deiecta qui spineam tulit in passione coronam, ut dolenter cum Iob
Iob 19, 9. nostra dicere possit aecclesia: *Spoliavit me Deus gloria mea, et abstulit coronam de capite*
Thren 4, 20. *meo.* Vere ut ait Iheremias: *Spiritus oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris,* quia obscuratum est apud nos aurum divini timoris, mutatus est color optimus sanctae reli-
Ierem. 1, 11. gionis, atque ideo iuxta eundem prophetam virgam vigilantem irae Dei sensimus super nos.
Mart. 22. Nam presenti anno, qui est ab incarnatione dominica 1182, 11.[a] Kal. Aprilis, in crastinum scilicet post diem palmarum, mirabilis in altis Dominus intonuit super nos, fulmine cum maximo atque horribili fragore cadente. Quod licet extra ceciderit, ad sinistrum videlicet latus turris nostrae, tamen per maius ostium monasterii valvas feriendo ingressum et ultro citroque volitans ac discurrens, confudit omnia vapore, fumo, fetore secundum
Iob 18, 15. illud in Iob: *Aspersum est in habitatione nostra sulphur.* Attamen nullum penitus lesit, quanquam intro plurimi essent, adeo ut ne cortinas quidem modicum afflaverit, quae, sicuti mos in quadragesima est, ante crucifixum in medio aecclesiae et ante cancellum pendebant, pene celatis sursum, terrae deorsum attiguae. Tamen nunc supra easdem cortinas se elevando, nunc infra in modum explorantis quem feriret se deponendo, illius iudicio qui
Ps 65, 5. terribilis est in consiliis super filios hominum penetravit usque ad maius altare, et aliquandiu circumvolitans, nec quicquam aliud tangens aut ustulans, pallium dumtaxat, quo ipsum altare opertum erat, scidit non ussit; sigillum vero marmoreum in septem partes dissolvit, sancto Spiritu septiformi heu a nobis offenso! Eo deinde quo ierat modo reversum, atque circa crucifixum et cortinam ei appendentem volitans, per maius item ostium monasterii supra caput mulierculae cuiusdam, astantis et[b] sanctum Laurentium inclamantis, innocue egressum est. Res quoque accidit mira, quam amplectimur quasi miraculum a Deo. Nam sudarium, quo predictum tegebatur sigillum, ab ustione vel scissura

a) XI *in loco raso manu coaeva.* b) astantis et *recentiore manu in loco raso cod.*

inventum est illesum, servante procul dubio illud Sancto Sanctorum, qui suam in sepulchro [1182. Mart. 22.] faciem sudario dignatus est tegi, qui cum iratus fuerit, misericordiae recordatur.

Eramus itaque non parva turbatione attoniti, turbante illo, de quo propheta: *Ab aqui-* [Ierem. 1, 14.] *lone*, inquit, *pandetur malum super terram.* Siquidem et ab aquilonari parte coruscus hic et turbo pertonuerant, vehementi grandine ignem, qui e vestigio ruptis nubibus est secutus, tertio precedente. Luce clarius ergo exerti in nos sunt tres illi de psalmo versiculi: *Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Pre* [Ps. 17, 9. 13. 14.] *fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando et carbones ignis, et intonuit de caelo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grando et carbones ignis.* Forsitan cum Nadab [cf. Levit. 10, 1.] et Abiu, filiis Aaron, in turibulis nostris, id est in mentibus et corporibus nostris, ignem alienum et incensum non bene redolens optuleramus, quod ferre non potuerit levita castissimus, martyr purissimus, qui iuxta sancti Iob dictum probatus est quasi aurum, quod per [Iob 23, 10.] ignem transit, qui se ipsum optulit Deo in odorem suavitatis. [Ephes. 5, 2.]

Unde et pavendum horrifice nobis quod ait ad Hebreos apostolus: *Horrendum est* [Hebr. 10, 31.] *incidere in manus Dei viventis.* Quia terribilis est quedam expectatio iudicii et ignis emulatio, quae consumptura est eos qui filium Dei conculcaverint et sanguinem testamenti [Hebr. 10, 29.] pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt, et spiritui gratiae contumeliam fecerint pollute accedendo, temere tractando, indiscrete accipiendo corporis et sanguinis Christi sacramenta. Etenim quicunque manducat et bibit indigne, reus est corporis et sanguinis Domini, [1 Cor. 11, 27. 29.] iudiciumque sibi manducat et bibit, non iudicans corpus Domini. Novi siquidem et eterni testamenti hoc sanctum singulare dignius longe est, quam veteris et transitorii testamenti sanctum seculare, dum et euangelii per Christum gratia pluris multum sit, quam per Moysen legis iustitia; quam tamen si quis irritam fecisset, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moriebatur. Quocirca et idem apostolus Corinthios, non rite se ipsos probantes, immo irreverentius tantis se mysteriis ingerentes, redarguens: *Ideo*, inquit, *inter* [1 Cor. 11, 30.] *vos multi infirmi, et imbecilles multi, et dormiunt multi.* Languoribus enim tabescebant variis, et febribus inestuabant, et moriebantur plurimi. Quia igitur se ipsos minime diiudicabant, quatinus emendationi studerent, iudicabantur et corripiebantur a Domino, de quo ad Moysen angelus: *Dominus*, inquit, *zelotes nomen eius, Deus est emulator;* ad populum vero Moyses: [Exod 34, 13.] *Deus noster ignis consumens est.* Cuius scilicet quantum movere soleant zelum anathematis [Deut. 4, 24.] seu obedientiae contemptus, ut duo de innumeris ponam, exemplo est Achar, qui propter [cf. Ios. 7, 25.] anathema lapidibus fuit obrutus, suaque omnia igne combusta; itemque Saul, a quo propter inobedientiam scissa regni est purpura, dicente propheta cuius sciderat ipse pallium: *Scidit Dominus regnum Israel a te, et quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus* [1 Reg. 15, 22. 23.] *ne sis rex. Melior est enim obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idolatriae nolle adquiescere.* Materiae, mi frater, exigit triste fundamentum, ut tristia superedificem verba, nec vereor ne illo satyrici me notes elogio: *Plus aloes quam mellis habes*, cum [Iuvenal. 6, 181.] vereamur, cum doleamus haec fuisse potissimum mala, quae nos cybaverunt pane lacrimarum, quae nos potaverunt doloris abscinthio. Sed ceptae iam prosequar seriem narrationis.

Quando haec nos incessit subito tempestas, procedere debebamus in civitatem ad exequias cuiusdam canonici, et propterea illo mane maturius offitium aliquot horarum cum matutinali missa expleveramus, dispensante misericorditer eo, qui omnia in mensura et [Sap 11, 21.] pondere et numero constituit, ut non ad horam tantae animadversionis divina celebrarentur super ipsum altare mysteria, quod sine multo fieri non potuisset periculo tam in ministris quam in sacramentis. Miser ego ad tantam concussionem pavidus fugi in aecclesiam, ut ibi tutior essem, cum unus occurrit ex fratribus, dicens pallas altaris a fulmine tactas ardere. Inhorrui, extremui, sed tamen prompta in martirem fide excitus cucurri, negligensque mei — necdum enim vapor cum fetore, caligo cum horrore decesserant loco — levam altaris quam exuri putabam corripui ut excuterem, quae, vi quadam veluti a vento disiecta, partim super ipsum altare superiacente missali remanserat, partim in pavimentum defluxerat. Obstupui mansisse incombustam, dum sub ea scintillam ignis repperissem ardentissimam. In quam et aliquandiu intendi, atque consideravi quiddam fuisse vivacis ac subtilis substantiae, de qua martire sancto teste timui, ne michi aut insileret in faciem, aut sevum aliquid diceret. Quod cum vellem decutiendo extinguere, subito disparuit. Fuisse demonem

1182. Mart. 22. conicio, qui pro sua potuerit subtilitate per rimas seu cavernulas irrepere, et ignea quadam vi vel demoliri aliqua vel adurere. Nanque ut erratici, ita subversores sunt demones, quantum a Dei bonitate frigidi, tantum ex sui malitia igniti. Quomodo autem non pateat illi Ps 76,49. nos addictos sententiae: *Misit in eos iram indignationis suae, indignationem et iram et tribulationem, immissionem per angelos malos?* Pixidem denique argenteam, in qua corpus dominicum habebatur, inveni super altare deiectam, quia cathenulam, de qua ex more pendebat, ferream vis caloris velut stipulam siccam absumpserat, ut vix aliquantos inde anulos reperiremus. Ipsam gemebundus accepi firmiter quidem seratam, sed atramenti instar fuliginatam, et foramen modicum preter solitum habentem, quo nescimus tunc artifice factum. Fuliginem illam manibus terendo atque frigando abstersi, aperui, tresque oblatas intus integras, sed paululum obfuscatas inveni, circumstantibus ostendi, quoniam summa nobis erat trepidatio, ne corpus dominicum deperisset. Fratres porro altare circundantes, quatinus si quae resedissent ignis scintillae extinguerent, pallium quidem ut supra memini scissum, sigillum in partes divisum, sudarium neque scissum neque ustum invenerunt, nisi quod etiam in eo, sicut in pixide, modicum foramen, quantum fieri acu posset, videretur.

Igitur sigilli fragmenta cum lacrimis et merore multo levantes, plumbeam quae sub ipso fuerat capsellam, in qua sanctorum reliquiae continebantur, tutum in locum post altare transposuimus, ubi nec cura diligentior, nec lumen deesset continuum. Non enim ingrate accipimus, sed propensa gratiarum actione excolimus, quo ad tantum ut dixerim caminum, nec plumbum liquefieri, nec reliquiae consumi, nec potuerit cera resolvi. In predicta etenim capsella domnus Reginardus memorabilis episcopus, constructor aecclesiae istius, unica devotione suum ex cera cum reliquiis condiderat sigillum. Non advertis, quicunque pietatis donatus es spiritu, trium hic puerorum preconiale spectaculum, quorum cf. Dan. 3,94. neque saraballa, neque capillum saltem, septemplicis flammae valuit vehementia temerare? Etiam hic digito Dei athleta cooperatus est victoriosus, de quo veraciter dictum sit: *Cum transieris per ignem, flamma non nocebit te et odor ignis non erit in te,* quandoquidem et ipse de craticula se assantibus dixerit: *Infelices, non agnoscitis, quia carbones vestri non ardorem michi sed refrigerium prestant?*

Ante hunc ignem, flebiles ac si dicam termas, dixerat in visu cuidam sanctis illius advoluto genibus et supplicanti: *Ó frater, venio iterum assari.* Et quoniam minatur per Soph. 1, 12. prophetam Dominus: *Scrutabor Iherusalem in lucernis,* non habeatur frivolum, quod visus est idem vigil sanctus omnia monasterii nostri et claustri noctanter diversoria deambulasse et cum lucerna scrutatus fuisse, nec ut filios diei et lucis ambulare quosdam indignatus, virga minaci longius eliminasse. Hoc etenim de quibusdam accidisse magis est commiserandum, quam aliquem hoc vidisse insimulandum. Quid vero et illud, quod conspecta est imago Domini in cruce pendens et quasi vivens amaras fudisse lacrimas, illi qui hoc videbat, in mentem tunc veniente, quia videns Dominus Iherusalem flevit super illam? Qui videlicet tanto stupore ac tremore perculsus est, ut visionem non sustinens, nutabundo Eccl. 3, 7. vix gressu sese subtraxerit. Verum quoniam dicit aecclesiastes: *Tempus loquendi et tempus tacendi,* supersedeo nonnullis et visionibus et offensis, quae tantum nobis presignavere malum, pro similitudine quadam illud tibi Virgilianum, mi frater, ingerens, nam scolarium studiosus es litterarum:

Virg. Ecl. 1, 16. *Sepe malum hoc nobis, si mens non leva fuisset,*
De caelo tactas memini predicere quercus.

1 Cor. 4, 9. Quanquam igitur tam enormiter confusi — spectaculum quippe facti sumus mundo et Ps. 136, 2. angelis et hominibus — non tamen in salicibus Babylonis suspendimus organa nostra, immo Ps. 80, 8. ut scriptum est: *In tribulatione invocasti me et liberavi te; exaudivi te in abscondito tempestatis,* multiplicavimus laudare Deum super iudicia iusticiae suae variis satisfactionum modis, quos propter semet ipsum habeat acceptos, qui penetravit caelos Ihesus filius Dei, qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui posset salvum illum facere a morte, cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Ne desertum preterea usquequaque remaneret capitale nostrum, id est maius altare, oraculum attendimus pro- Ps. 49, 14. 15. pheticum: *Immola Deo sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua, et invoca me in die tribulationis, et eruam te et honorificabis me,* necnon licentia episcopali minus altare maiori nunc usque superponimus, sacratum a domno Thiewino venerabili Leodiensium episcopo.

Et quoniam aecclesia nostra 3. Nonas Novembris[16] a sanctis sacrata et dedicata est episcopis, Reginardo videlicet, Iohanne Portuensi apostolicae sedis legato, Pelegrino Coloniensi archiepiscopo, visum humilitati nostrae est, quatinus pro tantorum reverentia et prerogativa patrum, necnon et prime sacrationis pio respectu, denuo ipsa eadem die reconsecretur.

Proinde levamus oculos nostros in montes, unde veniat auxilium nobis, in te, ó benedicta[a] benedictarum virgo Maria, de qua, ut scribit Daniel, lapis abscisus est sine manibus, (Dan 2, 34. 35.) qui factus est in montem magnum, ita ut impleret universam terram, et in te, ó Laurenti mons craticulate, qui quanto inter tormenta detritus, inter flammas es liquefactus, tanto magis excrevisti usque ad celestes Christi ianuas, quas ingredi sole clarior meruisti, in vos etiam, ó sancti omnes, quos in canticis canticorum dilecta dilecto esse pronuntiat montes (Cant. 8, 14.) aromatum, quatinus vestrorum odoribus meritorum iuxta Zacharie dictum effundat Dominus (Zach. 12, 10.) super domum hanc et super habitatores eius spiritum gratiae et precum, ut secundum eundem prophetam simus benedictio, qui maledictio[b] esse nunc censemur a seculo. (Zach 8, 13.)

Siquidem haec nostra flagellatio facta est multis in scandalum, quasi et ille circuitor terrae et perambulator sathan Iob iustum non percusserit, Ihesu quoque sacerdoti magno non steterit a dextris ut adversaretur ei, et psalmista non dixerit: *Fui flagellatus tota die,* (Ps. 72, 14.) *et castigatio mea in matutinis,* innumeraque alia quae possunt obici, quando nec ipse sathan quantum voluit, sed quantum et quomodo et ubi permissus est, nos impetierit illius iudicio, cuius iudicia abyssus multa. (Ps. 35, 7.) Quod evidenter cuidam ostensum est, qui subsecuto parasceue, dum matutinali hora post vigiliarum et orationum munia sese in terram paululum quieturus coram altari quodam dedisset, supra se quodammodo factus, vidit ea parte aeris, qua fulmen deciderat, clarissimae lucis angelicam cohortem, quae obstiterit demonicae cohorti, nostram penitus in conflagrationem succensae. Sed sicut deficit fumus, defecit, sicut fluit cera a facie ignis, sic tartareus ille torris a facie martyris assati fumigans, defluxit. Nec fuit horridior fumus ille, quem vidit Ysaias implesse domum Domini, (Isai. 6, 4.) isto qui totum ita monasterium obfudit, ut ex fulgure illud accensum flebiliter discurrendo perstreperemus. Sed profecto angelus faciei Dei, angelus quem quartum in camino cum tribus pueris deambulantem vidit et obstupuit tyrannus, ille inquam qui excussit flammam ignis de fornace, hoc etiam abegit incendium, et ipsos in demones tanquam in Chaldeos, qui feroces interpretantur, retorsit.

Propterea miserationum, Domine, tuarum recordari equum est, laudationem tuam loqui os nostrum salutare, super omnia quae largitus es nobis secundum indulgentiam tuam et secundum multitudinem misericordiarum tuarum, omnia enim quae fecisti nobis in vero iudicio fecisti. Nec vero sit supervacuum, Ihesu Christe, sacerdos magne, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, quod te vidit quispiam cultu sacerdotali, cultu supercelesti, plus quam Aaron gloriosum, ad altare quod nunc videris ut tabernaculum Sylo reppulisse, mystica quedam et quae supra hominem sint, sacramenta celebrasse. Erat aecclesiae structura mirabili modo innovata, aromaticus odor diffusus, claritas ut civitas, quae iuxta apocalypsin *non eget sole neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminat* (Apoc. 21, 23.) *eam, et lucerna eius agnus est.* Illuminanti ergo mirabiliter a montibus aeternis supplicent omnes filii lucis, imploret atque impetret omnis ecclesia sanctorum, quatinus aecclesia nostra benedictionem accipiat et misericordiam a Christo domino, pontifice summo, salutari vero. Amen.

F. in Christo familiari amico suus R. Monet apostolus non alta sapere, sed humilibus (Rom. 12, 16.) *consentire. Iccirco quoniam instar David te scio humilem in tuis esse oculis,* (2 Reg. 6, 22.) *nec genere nec scientia extolli, simul nec vilipendere amici scripta quamlibet simplicioris, libellum ad te flebilem scribere gratum ac precordiale habui. Quem videlicet ut sic titularem, ratio dictavit materiae. Huic favorem, huic gratulationem te impensurum, prout ceteris soles opusculis meis, non ambigo, tametsi utilitas sit in eis modica. Sed magnipendis etiam minima pro tua indole bona. Nam mediocribus quoque scriptis amicorum benignitas scit favere, alienorum malignitas nescit ignoscere. Trahit invidus ad culpam, quod emendationis minus fuerit tractum ad limam. Sed habeo adversus te, quod karitatem primam reliquisti. Siquidem postquam Stabulaus abisti, postquam Stabulensis effectus es, nullum michi alloquium, nullam litterarum scedulam misisti, quasi arietes, oves, vitulos Arduenna non habeat, de quorum solent pellibus confici pergamenae.*

Et quae tanta fuit Stabulaus tibi causa videndi? (cf. Virg. Ecl. I, 26.)

a) *super lineam add. cod.* b) *sic correxi* maledictum *cod.*

16) 1034. Nov. 3.

Illicne legata tibi est stabulandorum cura equorum, qua detentus litterarum ad amicum itatenus subtraxisti offitium? Sed forsan causaberis onagros abesse, qui tuos ad nos deportent codicellos. Assunt autem commeantes plurimi. Si predones vereris, quorum ferax Arduenna est, ergo per tales mitte, quorum supellex ad instar sit Gabaonitarum, qui misero potuere habitu ipsos etiam hostes inclinare ad misericordiam. Reduc ad memoriam;

cf Boeth de cons. II cap 5. Cantabit vacuus coram latrone viator.

Quandiu autem non rescripseris, nec duos saltem cupreos a Samaritano denarios, nec a nobis vel stabularii vale accipies.

LIBELLUS GRATIARUM ACTIONIS AD BEATUM LAURENTIUM SUPER DEDICATIONE NOVA.

Post vocem commotionis magnae qua super nos Deus maiestatis intonuit, quemadmodum anteriore digestum est libello, nunc illa nobis voce exclamandum est quam audivit Ezech. 3,12. post se Ihezechiel sanctus, vocem similiter commotionis magne: *Benedicta gloria Domini de loco suo.* Ad tuum siquidem redisti locum, ó Laurenti, a quo per septem menses ac tredecim dies nostris relegatus offensis exulaveras. Proinde et nos, ut decalogi vere transgressores, per hanc tui exilii moram offensae Trinitati satisfacere, sanctum denique septiformem Spiritum impensius obsecrare non destitimus, et quasi septuplum nosmet ipsos variis penitendo modis punivimus. Tuis igitur avertas meritis, ne tali ulterius plaga feriaApoc. 15,1. mur; a septem denique plagis quae scribuntur in apocalypsi novissimae, quoniam in illis Ps. 134,21. consummanda est ira Dei, tuo defensemur patrocinio. Benedictus itaque Dominus ex Syon, qui habitat in Iherusalem, quia licet fueris, ó patrone exorabilis, aversus, sollemniter tamen ad pristinum es habitaculum reversus, ut non sollemniore spectaculo, non clariore triumpho ad suam de exilio redierit sedem clarissimus ille Christi dilectus Iohannes fideMarc. 11,10. lium proclamantibus populorum choris: *Benedictus qui venit in nomine Domini! Osanna in excelsis.*

1182. Nov. 3. O lampade solari splendidiorem nobis illam lucem, cum 3. Nonas Novembris, quae veteris dies fuerat dedicationis, ad novam dedicationem convenit in aecclesiam nostram magna devotione magna populi multitudo, et astante cum monachis clero abbatibusque religiosis antistes Leodiensis domnus Rodulfus, vir amplissimae nobilitatis, aecclesiasticae executus est sacrationis ministeria tam pio discursu, tam spectabili occursu, ac si Ihesum Zach 3,5. sacerdotem magnum mutatoriis et cydari munda cerneres infloratum. Quod fuerat igitur desolatum, fit altare consolatum, sacrosanctis renovatur mysteriis, aqua, oleo, chrysmate tuarum, Christe, ad instar plagarum signatur ac dedicatur. Capsella in qua dulcissimum nobis Man, id est martyris reliquiae, continebantur, cum iubilis cordium devotis et lacrimarum odoramentis reportatur, hec inquam urna Moysi aurea nobis preciosior in pristinum relocatur sacrariolum. Sigillum superinducitur marmoreum et firmatur, lapis benedictione iam et unctione non minus sacer illo, cui Iacob in Bethel superfudit oleum. Nec angelos deGen. 28,13. fuisse sanctos credimus, benignumque Ihesum, quem unxit Deus oleo letitiae pre consortibus suis, scalae innixum repropitiationis, desuper benedixisse astantibus, acceptasse fidem et Ioh. 12,3. vota sicut ungentum nardi pistyci preciosi aromatizantia, quod super caput ac pedes eius penitens effudit preciosa, cuius ex odore miro tota est domus repleta. Subinde ergo in voce cf Gen. 28,17. exultationis et confessionis cantavimus: *Terribilis est locus iste, hic domus Dei est et porta celi, et vocabitur aula Dei,* optulimusque sacrificium quasi vespertinum, quod te, ó Laurenti, passo, te in vespera sepulto, Iustinus optulit presbiter sanctus, panem vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae, de quo lacrimabili communicatu participati sunt qui aderant omnes christiani, super te gementes ut columbae, murmurantes in cordibus suis.

Saltaverit quidem totis viribus egregius ille saltus[a] David, percusserit in organis, obtulerit holocausta et pacifica, cum deduceret archam Domini exercituum in tabernaculum quod tetenderat ei, universo Israhel personante in iubilo et clangore bucinae. Rex quoque Salomon cum eandem magnifice transmigraret archam in oraculum templi in sanctum sanctorum sub alas cherubin, arietes mactarit atque vitulos, nos etiam iuxta Osee pro- Os 14,3. phetam reddidimus vitulos labiorum nostrorum, atque multimodas gratiarum actiones velut arietum adolevimus adipes. *Arietem*, inquit Dominus ad Moysen, *sumes, quem cum macta-* Exod 29, *veris, fundes de sanguine eius circa altare, et concisum atque lotum offeres totum in incensum* 16. 17. *super ipsum altare. Oblatio est Domino, odor suavissimus, victima Dei.* Quisquis cum Ysaac patriarcha bonum sentire odorem potes, sentias quod arietis huius instar Laurentius olfactui divino redoleverit, plane et ipse aries, spiritu contribulato et corde contrito saginatus valde, qui multiplicibus tormentis concisus, baptismoque lotus martyrii ab eo apud quem est fons vitae, ad ultimum oblatus est atque victimatus super aram craticulae, a toto sparsim corpore in carbones decurrente sanguineo liquore, de quo odoratus est Dominus odorem cf Gen.8,21. suavitatis tanquam de sacrificio Noe, qui *requies* interpretatur. Et quidem subsannans in sanctum subsannatione Decius, et frendens super eum dentibus suis: *Date*, inquit, *lectum ferreum, et requiescat in eo Laurentius contumax.* Allatus est autem lectus ferreus in modum craticulae cum costis tribus, desuper quo sanctae Trinitatis agonista invictus: *Ecce*, ait, *miser, assasti unam partem, regira et alteram, et manduca.* Carnifex qui ponebat morticina servorum Dei escas volatilibus celi, carnes sanctorum bestiis terrae, pro mirabili odore affectus est nidore gravissimo carnis adustae, quia quod fidelibus in vitam, hoc sibi factum est in mortem. Nec vero syderei vultus coruscamen eternae filius noctis sufferens, cum Valeriano complice absterritus et confusus, Tyberiani sese in latebras palatii ut lucifuga proripuit. At vero Laurentius, qui ut ait psalmista iam in lumine videret lumen, qui totus Ps. 35,10. intenderet ad illud Ysaiae: *Oculus non vidit, Deus, absque te que preparasti expectantibus te*, Isai 64,4. vultu vernans pulcherrimo: *Gratias*, inquit, *ago tibi, domine Ihesu Christe, quia merui ianuas tuas ingredi.* Igitur in eodem Noe vero requievit, obdormivit inquam in Domino.

Hic revera meritis non impar Stephano, tam a Iherosolima quam et a Constantinopoli causis interpellantibus oportunis prothomartyrem, attraxit eundem ad Romam, ut uno requiescerent in sepulchro, quibus fuerat, immo est cor unum et anima una. Sed quo sensu, quibus attemptaverim hoc verbis edicere? Illo michi dicto hic utendum est poetico:

Non michi si centum linguae sint oraque centum, Virg

Digna rei tantae valeam preconia ferre. Georg II,43.

Nam Laurentius, ó inaestimabilis dilectio karitatis! sese in latus vertit, et dimidium requiecionis suae, id est sepulchri partem, equa portione tanto partitus est coheredi, ostensumque est quod hereditas haec preclara esset eis, quibus tam beatae sodalitatis ceciderant funes in preclaris. Verum ut ita dixerim, ó mirum mirabile! quia dum ad corpora vel reliquias sanctorum mortuis vita, sanitas egrotis soleat interdum instaurari, quicunque tamen Laurentii exustum corpus videre, tanquam exanimes statim cecidere, nec infra dies 10 superfuit ullus qui morte non fuerit exemptus. Cur autem hoc acciderit, humano investigari sensu non potest, cum dicat apostolus: *Quis enim cognovit sensum Domini?* Cuius nimis Rom. 11,34. profundas esse factas cogitationes dicit et psalmista. Est autem supra hominem filios Ps. 91,6. vitae, quorum spiritus in celesti iam gloria Christus ineffabiliter dignificavit, velle carneis videre oculis maxime indignos. Quapropter tanto martiri quantum reverentiae, quantum debeatur honorificentiae, hinc estimandum est. Nec meam ipse debeo reticere miseriam, quia dum aliquando commendatas michi quorundam sanctorum reliquias publice videri et tractari exposuissem, tanto menbrorum sum tremore subito redargutus, quod incautelam paralysis meam vindicasset, nisi penitentiae mox antidotum succurrisset.

Ceterum quod in canticis canticorum sponsa dicit: *Dilectus meus candidus et rubicundus*, Cant. 5,10. hoc itidem tu dicere, ó Roma, potes: *Dilecti mei candidi et rubicundi.* Quae lylia enim Stephano et Laurentio candidiora? que rubicundiores rosae? a pigmentariis consitae, quae aromatum areolae redolentiores? Mirae confectionis ungentum, cuius et ipse fuit dictator dominus, quo etiam dictante unctum est tabernaculum et archa testamenti omniaque utensilia eius, de quo inquam unctus est Aaron et filii eius, thymiama quo uti alieno non liceret, quia sanctum sanctorum esset, paradysi floribus tantis nec odore suavius, nec fuit sacratius

a) saltes *cod.*

sanctitate. Dum enim esset inventum sacratissimum beati Stephani corpus, ait inventionis eius relator, terremotus factus est magnus, tantaque suavitas et fraglantia odoris inde egressa est, quantam nullus hominum sentire unquam potuerit, ita ut putaremus nos in amenitate paradysi esse positos. Et de ipso siquidem odore infirmi septuaginta tres a diversis sunt incommoditatibus sanati. Nichilominus et scriptor translationis eiusdem a Constantinopoli ad urbem Romam: *Aperto*, inquit, *tumulo eius tanta tamque miri et suavissimi odoris habundantia prodiit, ut qui aderant in illam celestem iam se patriam translatos esse putarent.*

Nec vero minore odoris gratia, nec impari virtutum mirificentia spiravit atque effulsit illa beati Laurentii sagina, que nobis ab urbe Roma divinitus provenit tempore domni Diewini Leodiensium episcopi, et primi aecclesiae huius abbatis Stephani. Quod etiam diligenter apud nos habetur descriptum, ideoque dicta prius supersedeo dicere rursum, presertim quod clare digesta vili obscurare stilo esset temerarium. Ut attingam tamen [1063.] breviter: Anno dominicae incarnationis 1063, a die autem primae dedicationis nostri [Iul. 12.] cenobii 37, 4. Idus Iulii tanto fuimus ditati thesauro, cum tam preciosum, tam desiderabile pignus ad nos est perlatum nobisque collatum, presente maxima cleri ac populi Deum et martirem magnificante frequentia. Sollemnizatur perinde a nobis dies ista quotannis, dulce ac pium memoriale, spirans tam redolenter mentibus piis quasi flos rosarum in diebus vernis et quasi thus redolens in diebus estatis.

[Isai. 1, 2.] Veruntamen ut scriptum est in propheta: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem contempnentes spreverunt me*, quidam aliquando ex senioribus nostris firmaverunt sibi sermonem nequam, ut a serpente antiquo supplantati acuerent et ipsi linguas suas sicut serpentes dicerentque, istam superfluo celebritatem fieri. Caudam draconis partem stellarum diceres traxisse, cum iuniores etiam simplici lucentes oculo eatenus obscurarint et post se traxerint, ut eodem superveniente festo, debiti cultus ac festivae servitutis fraudarent patronum honorificentia. Cum vero aeris esset magna tunc serenitas, tanta inhorruit vesperascente tempestas, quod pre tonitruis horribilibus et coruscis locus iste profundari ac subversum iri putaretur. Zelatores proinde nostri ex sua ingratitudine proterva conterriti et confusi, culpamque alterutris accusantes, a sinaxi vespertina omissae festivitatis officia repetierunt, temperata e vestigio tempestate[a] et conquiescente. Detestabile profecto est vitium ingratitudo. Hanc et ipse Christus Dominus in novem leprosis, qui gentis erant Iudaicae, improbans, unius qui erat Samaritanus gratias agentis gratitudinem commendat: [Luc. 17, 17. 18.] *Nonne*, inquiens, *decem mundati sunt, et novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Ergo, gratissime martyr, grate acceperis, quod quidam tuis tam sedulo assederunt reliquiis, totiens scrinium, in quod erant ab altari transpositae, amplexati sunt, affectuosaque figentes oscula infuderunt lacrimis, tanquam viderent et manibus [Apoc. 11, 19.] tractarent archam testamenti, quam aperto celo visam esse in templo Domini dicit in Apocalypsi Iohannes. Sed te hoc attendisse, hoc acceptasse, fusa interdum desuper lux declaravit.

Lapidibus ignitis equidem intercensendus ab igne ascendisti in montem sanctum Dei, de quo proiectus, de quo perditus fuit cherub ille antiquus, ad quem Dominus per pro- [Ezech. 28, 13.] phetam: *Omnis lapis preciosus operimentum tuum, sardius, topazius et iaspis, crysolitus et onix et berillus, carbunculus et smaragdus*, Lucifer inquam ille qui mane oriebatur propter superbiam obscuratus tanti perdidit cultus operimentum; tibi propter humilitatem illustrato [Iob 28, 16. 19.] posuit in capite Christus coronam de lapide pretioso, cui quemadmodum habetur in Iob, nec topazius de Ethyopia. nec sardonicus lapis preciosissimus vel saphyrus queant adequari ullo modo, et tinctis Indiae coloribus omnino preciosiore es purpura donatus, ab illo scilicet rege regum, qui sua fuit in passione clamide coccinea purpuratus. Et plane qui dixeras, inter extinctos lapides, hoc est infideles, positus: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt*, qui tota in flammis nocte agonizaveras, tyranno dicente: *Nox ista in te versabitur cum suppliciis*, matutino coruscante lucifero ad diem et requiem veram transisti, dicente tibi desiderato cunctis gentibus, dicente tibi Christo, collium eternorum desiderio: *Veni, desiderator bone, veni, desiderant te angeli mei, quoniam assatus non negasti me, probatus confessus es me.* Nam et auro puriorem obrizo, et omni clariorem carbunculo, te cuidam ostendere es dignatus, utpote qui luces, qui ardes ut seraphin.

[Tob 12, 7.] Sed scriptum est in Thobia: *Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est.* Referebat igitur nuper iuvenis quidam, quod captus

a) tepestate *cod.*

a quibusdam fuerit raptoribus, qui rebus suis inhyantes, gravem pecuniae summam ab illo exigerent. Quem et vinculis et inedia per aliquot dies confecerunt, et de loco ad locum traiciebant; in turri postremo satis alta concluserunt, pedes artissime illius in cippo constringentes. Iacebat ergo miserrime affectus ac pervigil; sciens vero vigiliam passionis tunc esse sancti Laurentii, tota mentis confractione martyrem interpellabat, cum sensit repente concuti cippum atque laxari, cuius erat tam vasta moles, ut illum Dedali quondam Laberinto destinatum suffecisset Mynotaurum cohibere. Ita extractis pedibus accessit ad fenestram turris circumspiciebatque, utrum valuisset sine periculo desilire. Diffidebat quidem precipitio, sed plus confidebat martyri. Itaque ab alto se misit deorsum, et virtute subvectus martyris directusque ducatu, quanquam esset viarum ignarus, tamen tuto ad nos itinere pervenit, quae sibi acciderant enarravit. Nos iuxta psalmographum nomen Domini, qui educit vinctos in fortitudine, alte concrepando invocavimus, cum ille ad maius (Ps. 67, 7.) altare accedens, vovit ut quoad vixerit, suam annualiter oblationem sancto dependat in gratiarum actionem. Item alius ab iniquis captus atque in compedem coniectus, nisi daret quod exigebatur, iniuriis angebatur. Spopondit tandem se daturum, et absolutus uxorem pro se suam vadem reliquit. In compedem pro marito mulier coniecta est. Aderat festum sancti Laurentii. Questibus et dolore lacrimoso misera per totam fere noctem importuna Laurentio, sanctum inclamabat, sanctum obtestabatur, cum subito dissiluisse boiam mirata est; animoque usa virili eam humero imposuit, cum ea profugit, quam et continuo per maritum gratias agentem, sancto Laurentio, qui solvisset compeditos, destinavit. Venit etiam puer cum boia, deductus a patre. Quomodo et ipse solutus sit, et ad invocationem martyris in ipsius festo ereptus de inimicis, innotuit coram populo. Unde et nobiscum populus dedit laudem Deo.

Igitur a prima dedicatione huius aecclesiae usque ad secundam dedicationem anni supputantur 151, ab anno autem dominicae incarnationis 1182. Denique 11. Kal. Aprilis (1182. Mart. 22.) divina fuimus animadversione plagati, sed eodem nichilominus anno, 4. scilicet Nonas (Nov. 2.) Novembris, divina miseratione sanati. Huius sanationis letitiam, hoc est dedicationis sollemnitatem exemplo Salomonis vel Machabeorum per 8 egimus dies, atque ut scriptum est, obtulimus holocausta precum et salutaria laudis, in canticis spiritualibus et gratiarum actionibus tanquam in vasis musicorum diversis, confitentes Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Dicit autem Ihesus filius Syrach: *Glorificantes Dominum* (Eccli. 42, 32-34.) *quantumcunque potueritis, supervalebit adhuc, et ammirabilis magnificentia eius; benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis, maior est enim in laude; exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim pervenietis.*

Ergo quoniam reposita est corona capiti nostro, id est maiori altari reddita est sua consecratio, nec pervenire possumus ad condignam laudem et gratiarum actionem, tu, ó sancte Laurenti, procide cum 24 senioribus de Apocalypsi ante sedentem in throno, et adora (Apoc. 4, 10.) pro nobis viventem in secula seculorum, mitte inquam tuorum coronam meritorum ante thronum, adiunctoque ad preces mirae karitatis, summae ad Deum gratiae Stephano, quemadmodum in celo sic etiam in sepulchro tibi mirabiliter coniuncto, exora cum illo et impetra nobis servientibus hoc in loco tuo, quatinus digne possimus dicere omni seculorum evo: *Benedicta gloria Domini de loco suo. Amen.* (Ezech. 3, 12.)

EPYLOGUS. Equum est preterea illius meminisse precordialiter, illum annotasse celebriter, cuius maxime impensis, cuius precipue cura nostrae quam exscripsi plagae sanitas est recuperata. Paterfamilias noster, domnus abbas noster Everelmus, quantum instar sancti Iacob luctatus sit cum angelo, quantum precibus, lacrimis atque ut ita dicam brachiis elemosinarum institerit Christo, pium fuerit memoratu. Sed bonarum sinceritas actionum adulationis non requirit fucum, quoniam quidem scriptum est: *Lux Dei est bene agentis vestigium.* (Eccli. 50, 31.) Tamen dici de ipso potest non temere, quod de supradicto luctatore propheta dicit Osee: *In fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum et confortatus est, flevit et* (Os. 12, 3. 4.) *rogavit eum, in Bethel invenit eum, et ibi loquutus est nobiscum.* In Bethel inquam, quod domus Dei sonat, in domo scilicet orationis, invenit magni consilii angelum, nempe qui et dicit: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Et ibi loquutus est nobiscum misericordiam (Isai. 56, 7.) post iudicium, ut aecclesiae mitteret Leodiensis angelum, id est episcopum, sacerdos enim angelus Domini exercituum est, qui nostrorum uredine peccatorum arefactae ut hederam Ionae, reformaret nobis novae dedicationis viridem atque florentem statum. Circa cuius

instaurationem Everelmum abbatem ita spectasses officiosum, quasi Martham satagentem circa frequens Christi ministerium.

Eccli. 50, 1. 8. Symon Oniae filius, sacerdos magnus, a Ihesu filio Syrahc predicatur, quod in vita sua suffulserit domum, quod in diebus suis corroboraverit templum, quod in sua effulserit gente quasi arcus inter nebulas gloriae. Serio possunt haec eadem ad nostrum derivari Everelmum, quandoquidem et lucerna super candelabrum posita, omnibus qui sunt in Luc. 6, 44. domo Dei est conspicua, et in euangelio legitur: *Unaqueque arbor ex fructu suo cognoscitur.* Denique a primo abbate huius aecclesiae abbas ipse est nonus, quem novem esse ordinis angelorum consortem et cupimus et oramus.

BREVILOQUIUM DE INCENDIO ECCLESIAE SANCTI LAMBERTI.[a]

Gravi et diutina detentus infirmitate distuli nunc usque, fratres mei, satisfacere voluntati vestrae ac petitioni, scilicet ut perstringam breviter Sathanae malignitatem, qua nos in commune, id est clerum et populum, impetiit graviter et concussit. Circuitor terrae et perambulator insidiosus, cuius instabilitas et vagatio semper intendit, semper grassatur ad nocendum, ille inquam qui tam dolenter Iob sanctum percussit, nec nostra equidem a percussione abstinuit, dum matrem nostram, videlicet ecclesiam sancti Lamberti, evertere nec non ad nichilum deducere per tantum, quod vidistis, incendium machinatus est.

Anno ab incarnatione Domini 1187, 4. Kal. Maii, quo die sancti Lamberti celebratur translatio, ad primam scilicet subsecutae noctis vigiliam, ignis a domo prorumpens cuiusdam canonici, circumpositas domos, dein claustrum claustralesque officinas repente corripuit et absumsit; nimiumque demonica exagitatione invalescentes flammae tuo, sancte Lamberte, monasterio incubuere, et tecta, quamvis convestita diligentissime plumbo, ambasque turres, nec non et palatium vetus cum ecclesia sanctarum virginum nonnullisque circum mansionibus ingenti conflagratione et ruina deiecere. Heu quis non dolere, heu quis a gemitu et lacrimis abstinere potuit super tua eversione, ó domus excellentis fabrice! ó nobilis atque illustris ecclesia, clero, institutionibus multisque insignibus gloriosa! Ecce divino qualiter percussa es iuditio! Ecce sonoritatis atque dulcedinis unice in terram campanae decidentes confracte sunt. Marmora pavimenti spectabilia, collapsarum mole trabium minutatim protrita, nullis iam esse usibus apta estimantur. Auguste operositatis corona[b], quae pendebat in medio, dum tumultuarie et raptim deponitur, immo deicitur, plurimum dissipata est. Lectritium, auro et gemmis insigniter fabrefactum[c] preciosis, exportatum est quidem, sed de ipsis sunt gemmis perditae prestantiores. Denique quid memorem altare sancte Trinitatis, aliaque sanctorum altaria fuisse demolita incendio et violata? Adeo tunc invaluit sathan, adeo tunc invectus est in sanctuarium Dei nebulo ille gehennalis, ille osor sanctitatis. Principale tamen altare, quod est sanctae Dei genitricis, mansit intemeratum; nec enim potuit temerare flamma, quod tanta voluit conservare patrona. Nonne et ipsa suam mirabiliter conservavit ecclesiam parochialem? Instar Caldaicae fornacis, in quam olim tres pueros coniecerat tyrannus, horrenda undique exundabant incendia, et illa tamen ecclesia quasi refugientibus et torpentibus flammis intacta perstitit et illesa.

At vero tua, beate Petre, domus, tua, ó apostole, decentis structure basilica, eodem incendio cum ecclesia parrochiali sanctorum Clementis et Trudonis combusta est. Claustrum quoque cum officinis claustralibus ignis vorax absumsit. Proh dolor! Propter peccata inhabitantium sic interdum sancta disperduntur habitacula, propter indisciplinatorum offensas sic interdum divina destituuntur sanctuaria. Sed tu, o piissima virgo Maria, tu, exorabilis misericordie mater, vosque magnifici patroni, Petre et Lamberte, vos inquam piissimi pastores, a vestris gregibus omnes sathane incursiones propellite, et domos vestras, id est ecclesias vestris dicatas meritis, orate ut ille dominus, ille sanctus reformet
Ps 92, 5. in melius et protegat in eternum, cuius domum, ut ait psalmista, decet sanctitudo in longitudine dierum. Amen.

a) B. d. i. *litteris rubris, quibus adiecit manus saec. XV. nigro atramento alia verba.* b) corrona *cod.* c) *sic corr. eadem manu ex* fabricatum *cod.*

CASUS MONASTERII PETRISHUSENSIS.

RECOGNITI A B. M. OTTONE ABEL ET LUDOWICO WEILAND PH. DD.

Monasterii paullo infra Constantiam ad Rhenum siti qui conscripsit origines et prima fata, modeste quidem nomen suum reticuit, quo vero tempore vixerit, quorum et familiarium et propinquorum usus auctoritate opus suum aggressus sit, ex chronico ipso satis patet. Sodalis quidem erat noster primo coenobii Wagenhusensis (IV, 20), quod ad Domum Petri iam pridem respectum habuit (III, 27), postea aut transiit aut rediit ad matricem ecclesiam, ubi translationi beati Gebehardi anno 1134 per Udalricum II Constantiensem episcopum factae se interfuisse et eiusdem sancti meritis ex infirmitate mirabiliter liberatum esse refert (V, 7). Avunculi sui saepius mentionem facit Gebinonis, qui non parvae in monasterio auctoritatis videtur fuisse et arte qua excelluit architectonis bene de eo meritus est (cf. II, 17. III, 38. 45. IV, 32—34). Unum eundemque hunc Gebinonem fuisse atque eum, quem circa annum 1134 ab Udalrico episcopo monasterio Wagenhusensi, itemque mox Fischingensi praefectum, denique anno 1156 mortuum esse noster tradit (IV, 40. V, 35), iam Mone monuit. Cui in hac quidem re consentiamus oportet; istam tamen opinionem eius omnino dubiam relinquimus, num cuius mentio fit inter sodales Theoderici abbatis (III, 14), avus ipsius Gebehardus idem sit ac Gebino, vocemque avus *hic lapsu calami pro voce* avunculo *posuerit noster. Contradicendum vero prorsus est Moneo contendenti, Gebinonem avunculum nostri fuisse illum Gebinonem nobilem de Pfrungen, cuius genealogia l. IV, c. 5 fusius exponitur. Hoc loco nostrum nullo verbo attigisse hanc suam esse familiam, cuius stemma modo evolverit, nobis numquam persuadere poterimus. Accedit quod aetas istius Gebinonis de Pfrungen, qui iam ante a. 1079 praedium quoddam monasterio Petrishusensi obtulit (II, 20), et cuius cognata Azala — neptis scilicet fratris sui Wezilonis — circa a. 1120 iam legitimae aetatis extitit (IV, 4), minime convenit cum aetate Gebinonis abbatis a. 1156 mortui. Ad hoc l. II, c. 20 compertum habemus, Gebinonem de Pfrungen fracto crure debilitatum usque ad mortem in monasterio remansisse (cf. IV, 5), Gebinonem autem abbatem ad Wagenhusense monasterium translatum, ibi diem obiisse supremum. His argumentis nobis evinci videtur, auctorem Casuum monasterii Petrishusensis nobili generi de Pfrungen non esse adscribendum.*

Cum ipse tradat (I, 6), se ante monasterii historiam iam conscripsisse vitam beati Gebehardi fundatoris loci, recte vir cl. Wattenbach iam a. 1852 eam, quae nobis asservata est, episcopi vitam[1] *nostro attribuendam esse censuit, protestatus:* et scribendi genus idem esse et rerum narrationem cum chronico

1) Vid. supra SS. T. X, p. 582.

convenire. *Cuius sententiae nos denuo inquisitione accurate facta non possumus quin accedamus. Non solum enim scribendi genus idem est, sed etiam verborum ac sententiarum nonnullarum usus in utroque opere repetitur, quod quatenus adnotavimus hic afferre liceat. Vit. Gebeh. praef. p.* 584*:* semet ipsos — Domino hostiam vivam immolantes — *Chron. praef. c.* 12 *fin:* qui semet hostiam vivam volunt offerri. *V. G. praef. fin:* Sed hiis intermissis nos Deo adiuvante ad narrandi ordinem veniamus — *Chr. praef. c.* 24 *fin:* Hiis ita premissis ad propositum Deo adiuvante veniamus. *V. G. I,* 1*:* columna ecclesiae — *Chr. praef. c.* 18 *fin:* columnae ecclesiae. *V. G. I,* 2*:* nutrici commendaverunt, adultumque litteris tradiderunt — *Chr. I,* 6*:* enutritus et litteris traditus. *V. G. I,* 14*:* privilegium ... perciperet — *Chr. I,* 26*:* privilegium percepit. *V. G. I,* 12*:* laquearia ... deauratis buculis — *Chr. I,* 48*:* laquearia ... bullis deauratis. *Notandum etiam videtur in bulla Iohannis papae, quam utrumque opus narrationi inseruit, in utroque occurrere lectionem* anobites, *postea correctam in* coenobitarum, *exortam nimirum ex difficultate legendi bullam Romano more scriptam, ut iam Wattenbachius animadvertit. Fortasse quis dicat, haec omnia quae modo allegavimus indicare, auctorem unius operis altero usum esse. Sed hanc rem se ita non habere facile intelliget, si accuratius res in utroque opere expositas inspexerit. Nam cum similia in Chronico aeque atque in Vita, et non contraria legantur, tamen ratio narrandi est talis qualem sequi solet non qui alius opus exscripsit, sed qui easdem res ex traditione maiorum cognitas sibi diversis temporibus et diversa intentione bis enarrare coactus est. Quae hic fusius tractantur, illic paucis verbis vix attinguntur, et vice versa. Sed longum est, hoc loco singulatim enumerare quae observavimus, sufficiat, ubi illa ratio inter Chronici et Vitae narrationem intercedit, suo loco admonere, ut lector facilius comparare possit et iudicet.*

Nos itaque persuasum habemus, auctorem Casuum monasterii Petrishusensis etiam Vitam sancti Gebehardi, quae usque hodie exstat, conscripsisse, idque ut videtur ante plus quam viginti annos. Nam finem facit scribendi in Chronico a. 1156 *aut paullo post (l. V. c.* 37*); Vita autem ante a.* 1134 *scripta esse videtur, quippe quae nullam faciat mentionem translationis sancti corporis hoc anno perpetratae, quam auctores huiusmodi generis narrationum operibus suis subiungere adamasse nemo est qui nesciat. Auctor noster stilum deposuit ut diximus a.* 1156, *narrata morte avunculi sui Gebinonis (V,* 35*) et additis duobus capitibus (*36. 37*) de heremitis et inclusis,* ut ad superiora, *i. e. ad praefationem,* parumper rediret, *ut ipse dicit. Hac sententia indicari videtur, eum sibi hucusque modo scribere proposuisse, aut, quod magis convenit, eum morte haud prohibitum esse, quin opus ampliaret, sed potius transmigraturum in aliud monasterium, forte Wagenhusense, operi leviter finem imposuisse. At continuator opus monasterio perutile statim excepit, cui id maxime lugubre negotium erat, incendium, quod a.* 1159 *monasterium sancti Gregorii penitus vastavit, memoriae tradere. Cui debemus c.* 38—48 *libri V. Tertius scriptor narrationem deduxit usque ad calcem c.* 21 *libri VI, scilicet usque ad a.* 1165. *Ussermannus enim iam recte animadvertit, in ultimo capitulo (*21*) mentionem fieri rei a.* 1165 *Apr.* 3. *gestae. Quae iam sequuntur tria capita minoris sunt momenti et per longa intervalla a diversis scriptoribus aequalibus vacuis Chronici paginis inscripta.*

Quod ad fontes, e quibus primus auctor rerum ante suum tempus gestarum cognitionem hausit, iamiam Ussermannus monuit diversis locis, eum Bernoldi chronico usum esse. Quod ad verbum factum esse in duobus modo capitulis,

nempe libri II, c. 43 et 47, demonstrabimus. Sed etiam in eiusdem libri c. 27. 28. 31. 32. 41. 48. 49. Bernoldum ei ante oculos fuisse verisimile est. Quae omnia pertinent ad historiam Heinrici IV. imperatoris et schisma per eum patratum. Attamen in his rebus narrandis nostrum alium quendam fontem habuisse gaudemus invenisse. Non est hic Bertholdi Constantiensis chronicon, ut putare videtur Mone, istud saepius in notis suis allegans, sed Bertholdi Zwifaltensis chronici cap. 8, quod verbotenus exscripsit noster cap. 26. 30. 36. 37. 41 libri II. Praeterea et enumerationem sex proeliorum inter Heinricianos et Saxones gestorum indidem mutuasse videtur, Bertholdum tamen depravans, cum, sexto proelio apud Gleichen omisso, e secundo proelio apud Strowam flumen (vulgo dicto apud Melrichstadt) duo fecit, unum apud Strowam, alterum apud Melrichstadt. Omnino narratio nostri de perturbationibus regni et ecclesiae tempore Heinrici IV. factis laborat erroribus, quos evitare potuisset, si Bernoldum secutus fuisset. Econtra praebet aliqua, quae et Bernoldum melius explicant, et quae nec hic nec alibi reperiuntur. Quae an ex Bertholdo Zwifaltensi integro, quem nobis mutilatum tantum asservatum esse dolemus, hauserit, an ex monasterii sui adnotationibus comperta habuerit, dubium relinquimus. Alios fontes scriptos nostro materiam praebuisse opus suum componendi negandum est. Nomen, quod ei indidit[2]*:* Casus monasterii Petrishusensis, *ex reminiscentia fortasse Casuum Sancti Galli, cuius monasterium forte antea visitaverat, codicemque ibi viderat, ortum esse Mone verisimile fecit. Opus ipsum, quod a. 972 defecit (cum continuatio altera a. 972—1200 saeculo XIII. ineunte demum compilata sit), nulli usui fieri potuit nostro a temporibus sancti Gebehardi narrationem incipienti.*

Libri manu scripti Chronici nostri, quos novimus, hice sunt:

1) *Codex membranaceus saec. XII. in fol. min. olim Petrishusensis, deinde Salemitanus, anno 1827 denique in bibliothecam Heidelbergensem translatus*[3]*. Praeter chronicon, quod fol. 35—98 absolutum est, codex continet in ultimo folio chronici catalogum abbatum a scriptore qui vixit tempore Udalrici II. abbatis inceptum, deinde ab aliis semper continuatum manibus, quem sub calce sistimus, annos regiminis Moneum secuti secundum Goldbachii Chronicon Petershusanum apponentes. Porro fol. 1—34 continet officium pro fundatore monasterii, sancto Gebehardo episcopo Constantiensi, et alia liturgica; post chronicon adnexa est vita sancti Gebehardi saec. XVI. ineunte exarata a Felice Manilio (quod apographon sub Nr. 2 descripsit praefatio Wattenbachii pag. 583) atque vita sancti Gregorii papae, patroni Petrishusensis.*

Codex noster omnia autographi prae se fert indicia: multa eadem manu et emendata et oblitterata et ampliata, tota capita in margine postea ab auctore adiecta, nonnulla vero quoque ab aliis postea erasa sunt aut in margine addita, quae omnia suo semper loco accurate subnotavimus. Capitum inscriptiones minio scriptae sunt, capitum numeri desiderantur. Prima manus defecit, ut supra iam diximus, in cap. 37 libri V. Capita 38—48 libri V. ab alia manu pallidiore atramento scripta sunt; quae sequitur continuatio altera usque ad cap. 21 libri VI. manu forti et eleganti. Pauca et parca additamenta variis temporibus a variis sed coaequalibus scriptoribus adiecta.

Apographa codicis nostri nobis cognita, quae tamen supervacaneum duximus, textum genuinum nacti, in nostros usus vertere, haec sunt:

2) bis: in exordio praefationis et in inscriptione operis ipsius. 3) Quem fusius descripsit Bethmannus noster in Archiv IX. p. 585—587.

2) *Sanblasianum quod laudat Gerbertus in historia Nigrae Silvae multis locis e. g. T. I. pag.* 351. 365—370.

2*) *Huius apographon Tigurinum (Stiftsbibliothek B.* 25 *in fol.) ut in titulo notatum est:* secundum exemplum, quod Sancti Blasii servatur, descriptum a. 1771.

3) *Aliud apographon eius partis chronici, quae attinet vitam sancti Gebehardi, Parisiis inter Collectanea Mabilionis exstat; vid. Archiv VIII,* 321.

Edidit chronicon primus quidem notisque adprime doctis, nunc etiam perutilibus illustravit a. 1790 *Ussermann Sanblasianus in Prodromo Germaniae Sacrae I,* 269—393, *ut ipse testatur ex codice saec. XII. Petrishusensi. Non tamen codicem ipsum in manibus habuisse eum, iam censuit Mone; ideoque non prorsus inculpandus est, si editio chronicon non integrum, sed graviter mutilatum mendisque non paucis depravatum sistit.*

Alteram et integram et multo accuratiorem editionem curavit ex autographo vir cl. Mone a. 1848 *in Quellensammlung der Badischen Landesgeschichte I,* 114—174.

Attamen et nobis denuo codice originali comparato nonnulla praesertim in orthographia restabant emendanda et castiganda

INCIPIT PREFATIO IN SEQUENTEM LIBRUM.

1. *Quod omnis institutio monachorum ex apostolicis actibus adsumpta sit.* Scripturus de casibus monasterii sancti Gregorii pape quod dicitur Domus Petri, primo libet prenotare, quanta auctoritatis dignitate prefulgeat monasterialis institutio; quoniam a quibusdam dubitatur et etiam omnimodis ignoratur, unde haec sacrosancta religio exordium primitus acceperit, et ideo a multis ei derogatur, quasi ab imperitis sit adinventa nullaque auctoritate fulcita. Qui in quantum desipiant, qui scilicet hanc sacram institutionem auctoritate carere putant, luce clarius ostenditur, cum haec ab ipsis fundatoribus aecclesiae, sanctis videlicet apostolis, principium sumpsisse demonstratur. Omnis namque coenobialis vitae institutio in apostolicis actibus, si diligenter queritur, manifestissime invenitur.

2. *Quod monachorum habitus ex habitu cherubim sumptus sit.* Haec enim sancta religio senis alis quasi cherubim a terrenis ad coelestia sublevatur, hoc est contemptu mundi, oboedientia, sequestratione a mundi strepitu, silentio, meditatione divinae lectionis et assidua oratione. Et haec est plenitudo scientiae, qua si quis divino munere repletur, per hanc sine dubio quasi quibusdam pennis ad alta sublevatur.

3. Nempe has senas alas ipse habitus monachorum manifeste demonstrat, quia sicut de cherubim scriptum est[4], sex alae uni et sex alae alteri et duae extendebantur super capita eorum et duabus volabant, duabus quoque velabant corpora sua: ita et indumentum monachorum ex utraque parte super caput extenditur, hoc est capitium, et latae manicae per brachia extenduntur quasi alae quibus cherubim volant, et duabus partibus inferiora teguntur quasi alis quibus cherubim corpora velantur. Haec de angelico habitu monachorum. Nunc vero, quia superius diximus has senas alas esse contemptum mundi, obedientiam et secretiorem vitam, silentium et meditationem atque assiduam orationem, et haec omnia ab apostolorum vita assumpta, debemus etiam dicere, quomodo haec omnia in eorum actibus reperiantur.

Matth. 19,27. 4. *De contemptu mundi.* Denique quomodo mundum reliquerint, dicit[a] apostolus Petrus: *Ecce,* inquit, *nos reliquimus omnia;* et quomodo Christo obedierint, adiungit: *et secuti sumus te.*

5. *De reclusione et nomine monachorum.* Quomodo vero a mundi strepitu se segregaverint,
Ioh. 20, 19. euangelista testatur dicens: *Cum esset sero die illo una sabbatorum et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudeorum, venit Ihesus et stetit in medio et dicit eis: „Pax vobis.“ Cum,* inquit, *esset sero:* sero namque, id est mundi termino propinquante, discipuli Domini primitus sunt congregati, quia quamvis a primordio seculi Deus semper suos cultores habuerit, nullus tamen legitur se propter Dei amorem reclusisse, set in seculari conversatione quam plures religiosam leguntur duxisse vitam. At vero postquam dominus Ihesus in fine mundi suam caritatem pro nobis moriendo, cum adhuc essemus peccatores, premonstravit, continuo die illo una sabbatorum fores clausae sunt, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudeorum, id est propter metum vitiorum in mundo tumultuantium. Vicem quippe amanti se Christo rependebant, quia sicut ille se sui corporis impotem, ut humano more loquar, omnia quippe potens, sui se impotem, clavis in cruce confixus, pro illis fecit, ita inquam et illi se propriae voluntatis impotes fecerunt in unum se constringendo et nec menti nec corpori liberum arbitrium ad vagandum concedendo. Verum antehac nusquam leguntur se reclusisse Christi discipuli, quoniam filii sponsi in gaudio erant quamdiu sponsus cum illis fuerat. Ablatus est ab eis sponsus, et confestim die ipsa quasi in carcere reclusi sunt. Ecce remota conversatio a mundi strepitu eorum qui Christo militari cupiunt quasi primitiae ab apostolis Deo consecrata est. Inde monachorum nomen exortum

a) *correxi ex* dicat *cod.*

4) immo de seraphim, Iesai. 6, 2.

esse videtur, quia *monachus* grece, latine dicitur *singularis*. *Singulariter*, inquit psalmista, *ego sum,* [Ps 141,10] *donec transeam.* Quomodo ergo David singulariter se esse dicebat, qui Israhelitici regni gubernacula tenebat? Set inter turbarum frequentias conversatus et eorum negotiis foris occupatus, intus tamen coelestia semper meditabatur, et ideo singularis, quia solus inter plures haec agebat; sicut et apostolus in medio hominum positus aiebat: *Nostra conversatio in coelis est.* [Phil. 3, 20.] Unde et coenobitae, quamvis sint semper in congregatione, tamen sine dubio sunt in singularitate. Quomodo ergo in id ipsum congregati, ab invicem non sunt segregati, quibus ad invicem non licet vel confabulari? Simul itaque sunt et singulares sunt, quia tantum silentium, tanta quies et concordia inter multos commanentes habetur ac si unus homo solus conversetur.

6. *De claustro.* Fores quippe erant clausae propter metum Iudeorum. Exceptis enim exterioribus ianuis, quae in monasteriis ita sunt clausae, ut nullus eas audeat etiam apertas transgredi, interiores fores tanta clausura sunt munitae, ut raro quisquam eas, etiamsi velit, valeat aperire. Nonne tibi videntur fores tunc bene clausae, quando os a loquendo, aures a vano auditu, manus a malis operibus, pedes vero a vago incessu cohibentur? Velit nolit, monachus tali claustro religatus erit. *Fores*, inquit, *clausae erant.* Hinc primo videtur claustri nomen exortum, quod utique sicut diximus manere semper debet intus et exterius undique clausum.

7. *Quare monachi recludantur.* Haec itaque reclusio fit propter metum Iudeorum. Quis est iste metus Iudeorum nisi formido irruentium vitiorum? *Quare,* inquit psalmista, *fremuerunt gentes, et populi* [Ps. 2, 1] *meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus christum eius.* Et post haec addidit: *Disrumpamus vincula eorum et proiciamus a nobis iugum* [Ps. 2, 3.] *ipsorum.* Qui itaque sunt fremitus gentium nisi importunitates innumerabilium vitiorum? Quae sunt acies regum et conventiones principum contra Christum assistentium nisi potestates et impetus demonum adversus salutem animarum conluctantium? Quorum vincula disrumpuntur et iuga proiciuntur, quando ianuae cordis et corporis, sicut superius diximus, a vitiis sancti Spiritus signaculo clauduntur et eis aditus non conceditur, ut in libertate gloriae filiorum Dei in monasteriis conversetur. Cum enim lingua coercetur, ut sileat etiam a bonis, et alii similiter sensus custodiuntur, ne vitiis obsequantur, tunc recte fores sunt clausae, ne hostes valeant irrumpere.

8. *Quis sit fructus reclusionis.* Tali clausura ianuis premunitis, ipse Dominus apparet ac pacis munera offert, sicut scriptum est: *Venit Ihesus ianuis clausis et stetit in medio et dicit eis: „Pax vobis!"* [Ioh. 20, 26] Ecce aperto opere adimplevit quod ante passionem promiserat dicens: *Ubi duo vel tres congregati* [Matth. 18, 20.] *fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* Hunc quoque modum eis ipse Dominus coelos ascendens tradidit dicens: *Sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* [Luc. 24, 49.] Igitur quam studiose quamque devote huic precepto obtemperaverint, Lucas testatur dicens: *Erant*, inquit, *omnes perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria matre Ihesus et fratribus eius.* [Act 1, 14.] Ubinam, rogo tanta instantia orationis sicut in monasteriis habetur, ubi pene nox et dies in Dei opere expenditur?

9. *De sanctimonialibus.* Ubi hoc quoque notandum, quod devote mulieres pariter cum sanctis discipulis Deo militabant, et ideo hoc exemplo non est vituperabile, set magis laudabile, si sanctimoniales feminae in servorum Dei monasteriis recipiantur, ut uterque sexus, ab invicem tamen sequestratus, uno in loco salvetur.

10. *De electione spiritalis patris et nomine abbatis.* In hac quoque discipulorum Christi tam felici commanentia etiam generalis electio patris premonstrata est. Nam Petrus surgens in medio fratrum dixit: *Viri fratres, oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit et* [Act 1, 21. 22] *exivit inter nos dominus Ihesus, incipiens a baptismate Iohannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis.* In quibus verbis principis apostolorum notandum est illud, quod etiam Paulus apostolus precipit, non neophitum, id est noviter baptizatum, ad magisterium eligendum, set longa conversatione probatum et Christi virtutibus atque doctrinis per omnia conscium. Quomodo enim quis alios potest docere quae ipse necdum inchoavit discere? Et ideo qui ignorat, ignorabitur, quia is in locum doctoris non debet attolli qui divinam legem probatur ignorare; patris enim accipit nomen et ideo filiis doctrinae debet porrigere panem. *Non enim*, inquit apostolus, *accepistis* [Rom. 8, 15.] *spiritum servitutis iterum in timore, set accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: „Abba pater".* Abba quippe pater dicitur, unde etiam abbas, id est pater, vocatur qui preesse monachis constituitur; quia boni monachi, non ut servi sub crudeli domino opprimi, set ut filii karissimi sub pio patre debent confoveri. Ecce habes ex apostolica auctoritate contemptum mundi, obedientiam, conventum fratrum et claustrum, generalem quoque patris electionem et remotiorem vitam.

11. *De coenobiali observantia.* De meditatione vero et perseverantia orationis et quietis silentio audi iterum quid Lucas referat in actibus apostolorum. *Erant*, inquit, *perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus;* [Act 2, 42.] et iterum: *Omnes etiam qui credebant erant* [Act. 2, 44—47.] *pariter, et habebant omnia communia, possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus prout cuique opus erat. Cottidie quoque perdurantes unanimiter in templo et frangentes circa domos panes sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem.* Et quibusdam interpositis iterum dicit: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una,* [Act. 4, 32—35.] *nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum dicebat, set erant illis omnia communia; neque enim quisquam egens erat inter eos*[a]. *Quotquot autem possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis,*

a) vel illos *superscripsit eadem manus cod.*

Act 5,13. *prout cuique opus erat.* Et post pauca: *Ceterorum autem nemo audebat coniungere se illis, set magnificabat eos populus.* Quid igitur omnis observantiae monasterialis videtur tibi deesse in hac prescripta forma? Ibi enim auditus verbi Dei, ibi communio sancta, ibi oratio, ibi fratrum commanentia et communis vita, ibi contemptus et distributio rerum secundum cuiusque indigentiam, ibi perseverentia in divino opere et elemosina, ibi communis mensa et spiritalis exultatio et simplicitas, ibi laus Dei continua et gratiarum actio, ibi unanimitas et concordia multitudinis et aspernatio rei familiaris et omnia prorsus quae in patrum regulis inveniuntur et in monasteriorum consuetudinibus observantur; haec inquam cuncta in apostolicis actibus luce clarius, ut prefati sumus, expressa cernuntur.

Act 18,18. 12. *De tonsura monachorum et clericorum.* De tonsura autem fratrum dicit idem Lucas: *Quoniam Priscilla et Aquila sibi totonderant caput in Ceneris: habebant enim votum;* quia omnis qui votum habet ministrandi Deo, sive in altari sive in monasterio, debet tonderi in capite. Ipse enim dominus noster Ihesus Christus semet ipsum pro nobis hostiam Patri oblaturus in ara crucis spineam in capite accepit coronam, significans quod peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, et sicut alibi dicit scriptura: *Spinis peccatorum suorum circumdederunt me,* et ideo non de proprii corporis substantia coronatus est, set de spinarum virgultis. Nos vero, quia unusquisque onus suum portat, de capillis proprio ex capite prodeuntibus coronamur. Non autem illa corona domino nostro Ihesu Christo inposita est pro gloria, set pro contumelia, et nos debemus nosmet ipsos deformari, improperium eius portantes. Et notandum quod sicut Christus ante coronatus est, quam ad altare crucis accederet, ita quicumque eius corpus et sanguinem in altario sunt oblaturi, vel qui semet hostiam vivam volunt offerri, hac nota eidem prius debent configurari.

13. *Item de tonsura.* Item alio modo: Sicut caput in supremo per tonsuram denudatur, ita et mens nostra per contemplationem a terrenis actibus debet denudari et pura atque munda coram Deo apparere. Set quia impossibile est, hominem hac mortali carne circumdatum ex integro semper esse contemplationi deditum, ideo parvus circulus ex capillis circa caput dimittitur, ut ostendatur, quia quamvis minimis tamen adhuc aliquantis, ut homo, mundanis cogitationibus perturbatur. Denique seculares clerici ideo maiorem circulum ex capillis dimittunt et minimam partem detondent, quia adhuc studiosius activae vitae deserviunt quam contemplativae.

14. *De hospitalibus.* Nec pretereundum, quomodo etiam xenodochia, hoc est hospitalia, tunc
Act 5,1–6. temporis in aecclesia primitiva acceperint exordia. Sic enim Lucas testatur euangelista: *In diebus illis crescente numero discipulorum factus est murmur Grecorum adversum Hebreos, eo quod despicerentur in ministerio cottidiano viduae eorum. Apostoli autem convocantes multitudinem dixerunt: „Non est aequum, nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis; eligite ex vobis viros boni testimonii, quos constituamus super hoc opus.“ Et elegerunt Stephanum diaconum et alios sex, et imposuerunt illis manus et ordinaverunt eos super hoc ministerium. Diaconus* itaque grece, latine *minister* dicitur, ut scilicet pauperibus ministrarent, et cum ab hoc vacarent, verbum quoque Dei cum apostolis predicarent.

15. *Quod nihil religionis monasteriali desit disciplinae.* Quid igitur sanctitatis deest huic sacrae religioni, in qua Christus per semet ipsum, sicut supra diximus, apparet, pacis munera offert, scripturas reserat, spiritum suum insufflat et remittendi peccata potestatem concedit, confabulatur cum illis et convivatur, benedictio ipsius promeretur, et ascendens in celum sedensque ad dexteram Patris conspicitur, visio angelica cernitur, et Spiritus sancti maiestas in ignis visione monstratur, et omnium linguarum noticia largitur?

16. *De canonicis.* Hactenus qua auctoritate monachorum professio surrexerit, prosecuti sumus, nunc autem consequens videtur, ut etiam de canonicis, id est regularibus clericis, aliqua disseramus. Denique post illam quietam et tranquillam atque speciali felicitate ac iocunditate preditam vitam, quam apostoli aliique Christi discipuli a resurrectione eius per quinquaginta dies in unum congregati et reclusi communiter in contemplatione Domini viventes duxerunt, ex qua utique eorum conversatione monachorum
Act. 2,1–4. religionem surrexisse credimus, sicut superius retulimus, euangelista Lucas protinus subiungit dicens: *Et cum complerentur dies pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco et factus est repente de coelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis et replevit totam domum, ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto et ceperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Confestim itaque de latibulis processerunt in publicum et verbum Domini cum fiducia predicantes loquebantur variis linguis magnalia Dei, ita ut una die tria milia et alia quinque milia Hebreorum ad fidem Christi converterentur, qui omnes unanimiter manebant in porticu Salomonis, communem vitam sectantes et doctrinis apostolorum obtemperantes. Quorum vicem adhuc in coenobiis barbati fratres gerere videntur. Omni autem die in templo et circa domos non cessabant apostoli docentes et euangelizantes Christum Ihesum. Quorum studium et conversationem imitari videntur clerici qui vocantur canonici, qui in unum congregati et tamen in aecclesia verbum Dei non cessant predicare, apostolicum habitum nitore vestium pretendunt et communem vitam ducunt, preposito obediunt, mundiciam cordis et corporis custodiunt et errantes quosque ad viam rectitudinis predicando reducunt, et sicut illi tunc omnes unanimiter erant in porticu Salomonis iuxta templum Domini, ita et isti sive clerici sive monachi, sive etiam feminae sanctimoniales habitacula sibi circa oratoria faciant, et cottidie sunt sicut et illi perdurantes unanimiter in oratione et simplicitate cordis, collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem.

17. *De nomine episcoporum.* Tunc quoque ordinaverunt Iacobum, fratrem Domini, episcopum Hierosolimorum, hoc premonstrantes, quod ecclesia Dei sine rectoribus nullatenus consistere possit.

Episcopus enim superintendens dicitur, et iuxta prophetam speculatorem domus Dei debet habere, qui Ezech. 3, 17. valeat superintendere et incursus inimici previdere.

18. *De pagensibus vel villanis clericis.* Sed haec tam felix discipulorum Christi commanentia non potuit diutius in Hierosolima celari[a], quoniam Christus aecclesiam suam per mundum latius voluit dilatare, aliamque beatam vitam post in aecclesia gerendam dignatus est prefigurare. Ait enim Lucas in eisdem actibus apostolorum: *Facta est persecutio magna in aecclesia quae erat Hierosolimis, et omnes* Act. 8, 1. *dispersi sunt per regiones Iudeae et Samariae.* Et iterum: *Igitur qui dispersi erant pertransibant euan-* Act. 8, 4. *gelizantes verbum Dei.* Horum vicem nimirum adhuc pagenses clerici gerunt in aecclesia, qui sicut illi per loca dispersi, magna instantia vineam Domini excolunt, curam animarum gerunt, filios Dei qui erant dispersi in unum congregare satagunt, ovilia Dei custodiunt. Hi itaque sunt sal terrae, lux mundi, columnae aecclesiae, lingua Dei, vicarii Christi, per quos coelum repletur, mundus illustratur.

19. *De sacris virginibus.* De virginibus autem dicit apostolus, preceptum Dei se non habere, cf. 1 Cor. 7, 25. consilium autem per se ipsum dat, ut sic permaneant sine dubio in virginitate. Virginitas quippe mandata legis excedit et ideo humanae fragilitati non iubetur set suggeritur, et qui hanc observaverit, humana transgreditur, angelica sectatur. Huius professionis dux et exordium est ipsa genitrix totius sanctitatis. Set et Matheus euangelista reginam Aethiopum et Thomas apostolus Indorum reginam in virginitate sacro velamine leguntur Domino consecrasse.

20. *De solitariis.* Solitaria vero vita a Iohanne baptista sive ab ipso domino nostro Ihesu Christo consecratur, qui post baptisma quadraginta diebus et quadraginta noctibus in solitudine ieiunus permansit, significans, quod illius professionis viri magis debent ieiuniis operam dare, et non, sicut nostri temporis solitarii solent facere, qui a turbis populorum iugiter gaudent frequentari, quibus sine intermissione non omittunt confabulari. Set sicut ipse totis quadraginta diebus et noctibus solus omnino permansit, ita et perfecti solitarii non debent se permitti a populis inquietari. Quomodo enim solitarius vocari potest, qui solus non est?

21. *De inclusis.* De inclusis vero nulla alia occurrit auctoritas, nisi quod sicut plerique sanctorum se in carceribus pro nomine Christi passi sunt includi, ubi plerumque vel ab ipso Domino vel ab angelis eius meruerunt visitari, ita et isti se pro Christo includunt et quodammodo semet ipsos vivos sepeliunt, ea scilicet spe, ut si Christo commoriantur, et convivificentur, et si consepeliantur, et conresurgant. Set et ipsi nostris temporibus reprehensibiles inveniuntur, quia statim ut includuntur, doctores et prophete videri volunt, futura fallaciter predicunt, turbas ad se attrahunt, raro orationi vel silentio student, cuncta quae aguntur apud seculares dinosci volunt, tota die cum aliis et aliis sermocinantur. Hi itaque, sicut et solitarii, ideo a nobis pre caeteris reprehenduntur, quia quasi lege contra iusticiam agere videntur. Clerici namque atque monachi, etsi aliquando iusta transgrediuntur, magisteriali tamen disciplina continue cohercentur, solitarii vero et inclusi, quia libero arbitrio utuntur, sanctum putant quicquid agunt et falluntur. Sanctum namque propositum est et bonum, set libertate vitiatum.

22. *De peregrinis.* Peregrinis vero, qui pro Deo proficiscuntur, ab ipsis sanctis apostolis auctoritas conceditur, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes et montibus et speluncis et in cavernis terrae. Hi ergo paternas sedes linquentes, in fame et siti, in frigore et nuditate incertis sedibus per mundum vagantur, ut cives sanctorum et domestici Dei efficiantur, qui pauperum et peregrinorum egenorumque adiutor et pupillorum pater dignatur vocari, quos in regno suo permittit consolari.

23. *De mendicis.* Mendicis quoque Lazarus ille euangelicus astipulatur, qui micas mendicabat, set non accipiebat, et vulneribus, ulceribus plenus, in fame et siti laborabat et omnes delitias ante oculos in domo divitis habens, nullatenus tamen contra Deum murmurabat, ac propter hoc ab angelis ductus est in sinum Abrahe. Quicumque ergo elemosinam accipit et orationis emolumentum rependit, nec amplius accipit quam indigentia deposcit, cum beato Lazaro in sinum Abrahe ab angelis deportatur.

24. *Quod diversae professiones vel consuetudines per unam complacent fidem.* Haec de diversis professionibus quae in aecclesia Dei habentur breviter digessimus, ne quis putet, in his aliquid novi a modernis conflctum, cum videat haec omnia ab ipso Domino vel ab eius apostolis exordia sumpsisse, et desinat stulte lacerare quae tanta noverit auctoritate pollere. Nam quamvis diversae sint professiones vel consuetudines, quicquid tamen condecorat una catholica fides, totum Deo placabile redditur, cui nihil sine fide placere probatur; set quaecunque fide fundantur, spe eriguntur, caritate Deo offeruntur, haec omnia ab ipso uno Deo et domino nostro Ihesu Christo in Spiritu sancto probata respiciuntur, confoventur atque ad fastigia coelorum sublimantur. His ita premissis, ad propositum Deo adiuvante veniamus.

EXPLICIT PREFATIO.

INCIPIUNT CASUS PETRISHUSENSIS MONASTERII. LIBER PRIMUS[b].

1. *De distinctionibus Galliarum.* Tres distinctiones Galliarum esse memorantur. Una siquidem Gallia Comata, quae et Italia[5], quam Longobardi atque Romani incolunt, vocatur, eo quod Italici antiquitus comas pre aliis nationibus diligentius nutriebant, sive

a) *in rasura eadem manu. Sensus* contineri, constringi *exigit, quocum et spatium congruit. M.* b) Lib. pr. *adieci; deest in cod.*

5) Comata Gallia erat Transalpina Romanis dicta, seu Celtica et Belgica; Braccatam constituebat Gallia Narbonensis; Togata vero Cisalpina dicebatur, seu Cis- et Trans-Padana. U.

ideo Comata dicitur, hoc est ornata, quod Romana urbe, quae fastigium imperii totius orbis retinebat, decoratur. Alia vero Bracata Gallia, quam Theotonici inhabitant, ideo nominatur, quoniam Theotonici bracis sive femoralibus plus aliis gentibus utuntur. Tertia autem Togata Gallia pro eo nomen accepit, quod huius provinciae incolae togis, id est vestibus diversi coloris et usque ad calcaneum pertingentibus, coutuntur, adeo ut hac tabe etiam alias circumpositas infecerit nationes. Et haec quidem ut diximus antiquitus singularum provinciarum erant propria, nunc autem singularum sunt communia.

2. *De parentela beati Gebehardi.* In hac igitur Gallia, quam Togatam diximus cognominari, erat quidam vir nobilissimo genere decoratus, cui rex Francorum, qui et imperator Romanorum, sororem suam dederat in matrimonium, ex qua duos genuit filios, qui ambo facti sunt sicut clarissimi genere, ita et animi virtute. Itaque cum adolevissent et rebus opulenti viribusque atque armis essent acerrimi, contigit ut inimicitiae venenum inter ipsos et regem ipsius provinciae irreperet, eorumque precordia in tantum inficeret, ut nullatenus antea cohiberi potuisset, quam regem manus gladii vita privaret. Rege igitur interempto, timentes hi duo conspirationem comprovincialium suorum, ad avunculum suum imperatorem augustum se contulerunt et ab eo gratanter suscepti, in Alemannia loca habitationis acceperunt quam plurima, et sicut multa ita et optima. Dedit quippe eis Potamum et Brigantium, Ubirlingin et Buochorn, Ahihusin et Tûringin atque Heistirgou, Wintirtûre quoque cum omnibus appendiciis eorum, et in Retia Curiensi Mesouch[6] et alia multa, quae vetustate temporum memoria deleta sunt. Talibus igitur ab imperatore dotati donis, cum ea adissent et suo iuri mancipassent, viris suis nobilissimis, qui secum venerant, ex eis dona largiti sunt, et uni quidem dederunt Tûringin, alteri Ubirlingin, alii vero Bouchorn, qui etiam postea cum eis conubia miscuerunt eisque affinitate coniuncti sunt. Igitur postquam Gallorum furor, quo contra hos duos germanos de regis sui nece exarserant, sopitus est, propinqui et amici eorum mittentes, ut in patriam suam redirent rogaverunt. Quorum unus magnis precibus devictus in patriam rediit, alter vero nomine Oudalricus[a] in Alamannorum provincia remansit et omnia quae ab imperatore data erant optinuit, et posteri eius usque in presentem diem.

3. *De Outzone*[a]. Ex huius itaque semine natus est Ouzo, pius et venerabilis comes, qui habitabat apud Brigantium, loco qui adhuc ruinas ostendit antiquae habitationis. [Hic accepit uxorem, nomine Diepirgam, secundum Deum valde religiosam, secundum seculum vero nobilissimam[b].]

De avibus. Hic Outzo tantae fuit pietatis et meriti, ut etiam aves eius sanctitatem sentirent et ad eius mensam intrepide advolarent et de eius manu cibum caperent, et cum aliae saciatae abirent, aliae denuo saturandae venirent.

De cerva. Item una die diluculo ad ostium eius cubilis cerva e silva adveniens pede pulsavit, cumque ostiarius aperiret et videret, ac renuntiaret bestiam asstare ostiumque pulsasse, ille pietate docente prenoscens, aliquam necessitatis causam bestiam illuc adduxisse: *Eia,* inquit ad servum, *sequere eam et vide, si quid forte velit.* Ille nil moratus secutus est precedentem. Quae duxit eum in silvam et ostendit ei partum suum in compede herentem pede, et stans demisso capite motu aurium quasi rogare coepit. Ille confestim dum pedem hinulo de compede exsolvit, cerva cum catulo leta in silvam abiit, et servus ad dominum suum rediit, eique quae gesta sunt nuntiavit. Talibus et his similibus sepius cum hoc venerabili viro Deus quasi ioculabatur, quia iocundus homo, qui miseretur in Domino, non commovebitur in aeternum.

[Alio[b] quoque tempore, cum idem venerabilis Houtzo comes in aula imperatoris demoraretur, contigit una die ut leo de cavea evaderet et more suo quaeque invadere poterat discerperet. Cumque ei nullus appropinquare auderet, set omnes ante eum fugerent, suggestum est imperatori a quibusdam, quatenus iam dicto viro Dei Houtzoni comiti diceret, ut leonem in virtute Dei aliquantulum mitigaret, dicentes, se experimento didicisse, ipsum in Domino tante virtutis fuisse, ut si voluisset facile leonis ferocitatem mitigaret. Imperator autem hec audiens nil moratus Huotzonem advocavit eique humiliter pro instanti

a) Ŏ *cod. semper, cui* Ou *substituimus.* b) *uncis inclusa manus paullo posterior in margine adscripsit.*

6) Bodmann; Bregenz; Überlingen; Buchhorn, nunc Friderichshafen; Ahausen inter Meersburg et Markdorf; Theuringen inter Markdorf et Tettnang; Haisterkirch seu Haidgau inter oppida Waldsee et Wurzach; Wintherthur; Misox seu Misocco in Grisonia meridionali. U. et M.

causa supplicavit. At ille primo humilitatis gratia se tanta temptare posse excusavit, ad extremum vero cunctis qui aderant simul cum imperatore postulantibus adquievit seque leoni sevienti obviam dedit. Statim ergo, ut eum leo vidit, cum omni ferocitate, quasi totum continuo eum discerpturus accurrit, set illo expansis manibus eum excipiente, repente suam feritatem leo oblitus totum se ante pedes viri Dei prostravit eosque lambere cepit. Quem ille manu demulcens magistris eius imperavit, ut eum absque pavore tenerent atque recluderent. Hoc viso imperator obstupuit eique venerabiliter obtulit dicens: *Quoniam,* inquit, *vos cum Deo agere video, ab omni vos deinceps regali servitio libens absolvo.*[a]]

4. *De progenie Outzonis.* Hic ergo quatuor genuit filios, unum nomine Oudalricum, alterum Marquardum, tercium Liutfridum, quartum vero totius decus generis Gebehardum. Ipsum Oudalricum ob leporem vocaverunt Ouzonem, et[b] fuit in bello, quod Otto imperator cum Ungariis pugnavit iuxta Vindelicam Augustam. Iste[c] Lindaugense monasterium suis 955.
ex prediis nobiliter ditavit, ubi et venerabiliter tumulatus quiescit, cuius posteritas adhuc apud Brigantium floret. Marquardus autem frater[d] eius comes effectus, in amicitia Ottonis imperatoris plurimum potuit.

5. *De Liutfrido eiusque progenie.* Igitur cum hi quatuor fratres defunctis iam parentibus hereditatem inter se dividere vellent, unus eorum Liutfridus superius nominatus, cum esset deses et inbellis ceterisque despicabilior, verens ne forte propter ignaviam suam a fratribus in divisione contempneretur, secum tractare coepit, qua arte eos circumveniret, ut sibi partem hereditatis non negarent. Multa igitur secum volvens et ad ultimum utile sibi suisque posteris consilium reperiens, sic unum ex fratribus suis, aliis ignorantibus, affatus est: *Scis*, inquiens, *frater, scis, quod ego vobis fratribus meis impar, nequaquam negotiis seculi idoneus appareo; sed si meis consiliis assensum prebueris, non modicum commodum tibi tuisque posteris prestabis. Te enim pre caeteris fratribus meis diligo tecumque habitare desidero, et ideo cum ventum fuerit ad divisionem hereditatis nostrae omni nisu satage, ut in meam partem cędat Wintirtura cum suis appendiciis, sciasque procul dubio, quoniam si haec in meam devenerint proprietatem, quod tibi ea sum traditurus, et ipse tecum deinceps, quemadmodum iusseris, ero permansurus. In hoc ergo tuae consule utilitati et meae obtemperare stude voluntati.* Sic fratri secundo, sic clam locutus est et tertio, singulis credentibus, quod haec sui amore loqueretur, omnesque hac spe promptos ad effectum suae voluntatis reddidit. Itaque cum ventum esset ad divisionem et unicuique sua sors caderet, singuli festinabant Liutfridi petitionem adimplere propter eius quam iam diximus promissionem, ignorantes singuli quod unicuique eorum equalia promisisset. Et quoniam omnium par erat voluntas, facile ad effectum est perductum quod omnes unanimiter voluerunt, et Liutfrido Wintirtura cum omnibus appendiciis suis confirmaverunt.

At ille merito letabundus sibi tradita adiens egregia predia, suo iuri mancipavit universa atque tali fratres fefellit astutia, atque agriculturae operam dedit et multa peculia congregavit. Acceptaque uxore, filium ex ea genuit nomine Adilbertum, qui cum beato Leone papa in Apuliam transiit, ibique pro causa sancti Petri contra Nortmannos, qui Apu- 1053.
liam invaserant, pugnans occubuit. Iun. 18.
Huius filia erat Adilheidis, quam comes Hartmannus senior de Dilinga in matrimonium accepit, quae ei peperit Hartmannum iuniorem et Adilbertum, qui adhuc superest, et totius patrimonii et matrimonii heres effectus est, et Oudalricum, qui apud Constantiam episcopus factus est, de quo postea forsitan aliqua dicturi sumus, filias quoque tres, quae modo in sanctimoniali habitu commorantur, quarum una genuit Uodalricum comitem de Gamirtingin et Adilbertum de Achalmin, qui ambo adhuc vita potiuntur.

6. *Quomodo Gebehardus hereditatem adeptus est.* Iunior igitur supra memoratorum fratrum, set ornamentum eorum, Gebehardus ex defunctae matris [Diepirge][e] utero excisus et quibusdam fomentis obvolutus est[7] usque ad tempus nativitatis, Deo eius vitam ad multorum salutem reservante. De talibus tamen excisis litterae testantur, quod si vita comes fuerit felices in mundo habeantur. Itaque enutritus et litteris traditus, apud Constantiam eruditus ibique canonicus factus est. Cuius vitam quoniam alio opere[8] ut potuimus executi

a) *uncis inclusa manu posteriori in margine inferiori adscripta sunt.* b) *restitui vocem* et, *quam primus auctor scripserat, pro qua tamen paullo post male superscriptum erat* cuius filius Oudalricus. c) *sic conicio; in cod. hoc loco verba* pater vero *manu paullo posteriore superscripta genuinum textum abscondunt.* d) *sic auctor scripserat, quod paullo post in* filius *mutatum est.* e) *alia manu superscriptum.* 7) Cf. Vit. Gebh. I, 26. 8) Vid. praefationem nostram.

sumus, nunc paucis attingemus. Denique cum fratres eius, sicut superius retulimus, sortes hereditatis inter se distribuerent, dixerunt, hunc esse clericum nec eorum hereditatis indigum, set ex facultatibus aecclesiae satis opulentum. Ille haec audiens, cum gravi indignatione portionem suam exquirebat, et quoniam eloquentissimus erat et efficax, comminabatur eis ad ultimum, quia si sponte sibi ius hereditatis suae nollent dare, se arma sumpturum seque gladio defensurum. Itaque hoc auditu percipientes, inviti fecerunt quod sponte noluerunt, eique partem suam ex integro tradiderunt[9].

7. *De his que ad Constantiam tradidit.* At ille, quoniam lex Dei erat in corde ipsius, terrenis diviciis non supplantati sunt gressus eius, set ad aecclesiam sanctae Mariae Constantiae partem prediorum suorum temporibus beatae memoriae Kounradi presulis[10] tradidit, super quae tale privilegium fecit.

8. *Privilegium de Obirndorf*[11]. *Noverint omnes tam presentes quam futuri, quod ego Kebehart, sanctae Constantiensis aecclesiae frater indignus, cogitans pro remedio animae meae, nec non euangelica et apostolica secutus precepta, cum consensu fratrum meorum, et manu advocati mei Oudalrici, iuris mei proprietatem, quam parentum successione in locis*
12 *Hoberendorf, Hakelinbach, Pilolfhinga, Liutherestoref*[12] *cum omnibus appendiciis ad eadem loca pertinentibus, aedificiis, mancipiis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, mobilibus et inmobilibus et cunctis ad eadem loca pertinentibus dinoscor habere, trado ad sanctum predictae Constantiensis aecclesiae coenobium, fratribus Deo ibidem assidue famulantibus, cui vir summae religionis ac doctrinae Chuonradus episcopus regimine spiritali prefectus esse videtur; ea tamen conditione, ut ego eandem ad me recipiens proprietatem, vel alius eiusdem fraternitatis, quemcumque voluero, censum inde persolvat, id est singulis quibusque abhinc in posterum annis, festivitate sancti patris nostri ac venerabilis papae Gregorii, predictis fratribus, sicut canonica monstrabit regula, serviatur. Actum Constantiae quarta Idus Martii, presente et confavente predicto advocato meo Oudelrico, nec non et aliis testibus, quorum subscripta sunt nomina. Eberhart. Liutfred. Hiltibolt. Chuzzo. Cozpret. Adilbret. Mereboto. Liupret. Sigipert. Hadepert. Dietger. Wern. Adilgoz.*

9. *Quomodo quesivit, ubinam monasterium construeret.* Cum autem placuit ei qui eum mirabili ordine de utero matris suae segregavit et vocavit per gratiam suam, ut esset in
cf Ioh. 5, 35 domo Domini lucerna ardens et lucens, continuo non acquievit carni et sanguini, ut indulgeret ocio vel voluptati, set mente pertractans, quomodo ad hoc vocatus erat, ut in vinea Domini laboraret eamque excoleret et melioraret, coepit investigare per consilium Spiritus sancti, quo ingenio se veluti dammula excuteret de huius mundi decipula, ut veluti Hebreus
cf Exod. 21, 2. servus septimo anno, hoc est post transactos labores huius mundi, liber sabbata agere posset in saecula. Denique omni intentione exquirebat, quonam modo Christo acceptissime quecumque habebat vel adquirere poterat offerre quivisset, et tale demum reperit consilium, nihil suae saluti melius profuturum, quam construere monasterium. Coepitque locum querere huic aptum consilio, in quo satisfacere posset suo desiderio. Cumque in quodam loco hac ex causa pernoctaret, eumque tota nocte ranunculi clamoribus ex palude inquietarent, et cum die facta locum lustraret, ut si ad eius votum utilis esset perspiceret, interrogasse fertur, quo vocabulo censeri deberet, si cella ibi constructa fuisset? Unus continuo ex obsequio ipsius respondit, ranunculorum cellam eam debere nuncupari, quorum strepitu eos nocte contigerat molestari. At ille: *Nequaquam*, inquiens, *hoc in loco construetur, si tali fedo nomine improbari debetur.*

Ps. 144, 19. 10. *Quomodo locum ipsum acquisivit.* Sed quia de Deo scribitur, *voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet*, citius famulo suo, ut credimus, locum ostendit in quo eius desiderium perfici placuit. Nam ripa Rheni opposita Constantiae civitati eius voluntati complacuit, eamque ad construendam cellam etsi minus utilem, tamen speciosam iudicavit. Porro isdem locus ad Augense monasterium pertinebat, sic et adhuc supra et infra, et tunc inhabitabilis, quia humidus in modum paludis. Vir autem Dei suum proprium, quod habuit apud Zurziacum[13] pro commutatione eiusdem locelli dedit. Nec totum quod

9) Cf. Vit. Gebh. I, 9. 10) 935—976. 11) Neugart, Cod. dipl. I, 615. M. 12) Oberdorf iuxta Langenargen; Hegelbach ad fluv. Argen, non eiusdem nominis vicus iuxta Isny; Billafingen iuxta Überlingen; Liggersdorf prope Stockach. M. 13) Zurzach. Chartam concambii cum Alawico Augiensi abbate a. 983. datam sistit Gerbertus in Hist. Silvae Nigr. T. III, p. 14, ubi hic annus primus monasterii Petershusani dicitur. Notandum tamen, nullum tunc huius nominis abbatem fuisse in Augia.

modo Augense monasterium in Zurziaco possidet a viro Dei accepit, set partem quae sui iuris erat et ad commutationem illius loci valebat. Confirmato igitur legaliter hoc concambio vir Dei idem prediolum in tres porciunculas divisit, et sibi quidem suisque successoribus, Constantiensibus pontificibus, unam, canonicis autem eiusdem aecclesiae alteram, tertiam vero ad construendam cellam deputavit.

11. *De iure habitatorum ipsius loci.* Et quoniam homines quos ibi manere constituit nihil preter habitacula domorum in quibus commanebant habebant, et neque agros, neque ligna, neque pascua habere poterant, tale ius illis omnibus eorumque posteris in subsidium attribuit, ut a mortuis exuviae non tollantur[14], set posteri ex integro quaeque relicta pos- 14
siderent, et tantum navigarent ad communem dominorum suorum necessitatem, eisque quibus hoc ingenii esset piscarentur. Hoc idem ius etiam monasterii famulis constituit, excepto eo, quod hi, quoniam aliquantulum in agris et pratis habent, cottidie dominis suis debent servire et ab eis annonam accipere[15].

12. *De capella sancti Michaelis. Pezilinus abbas.* Primo igitur capellam parvulam ibi construxit, quam in honorem sancti Michaelis 4. Kal. Augusti dedicavit, in qua etiam mortuum orando suscitavit[16].

13. *Pezilinus abbas. Quomodo Togingen acquisitum est.* In hoc initio Pezilinum[17] quendam habuit abbatem, sub quo predium apud Togingin et aliquantulum apud Epfindorf a Constantiensi aecclesia commutavit, super qua commutatione tale privilegium conscribi fęcit.

14. *Privilegium super Togingin*[18]. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Notum sit omnibus, presentibus scilicet et futuris, qualiter ego Gebehardus Constantiensis aecclesiae presul indignus cum manu advocati mei Chuzonis, cum Pezilino abbate sancti Gregorii monasterii, communi utilitati prospiciens, concambium fęci. Tale videlicet predium, quale aecclesia cui preesse videor habere dicitur in villa Toginga in pago Hegou, et in villa Epfindorf*[19] *in pago Para*[a], *ei suisque monachis potestative possidendum contradens, ea quippe ratione, ut, eadem cum manu advocati sui Eberhardi tradentes, mihi meisque successoribus firmiter habendum succederet quicquid monasterium, quod ipse regebat, in villa Lutwanga in pago Albegou*[b], *et in Rapirgahusa in pago Creggou*[c, 20] *legitimae proprietatis haberet. Huius autem concambii commutatio in nostri presentia, ambobus advocatis, mei videlicet et abbatis, ad hoc strennue confaventibus, est Constantiae facta atque roborata, presentibus his quorum nomina sunt sequenti subscriptione notata. Meginzo archipresbyter. Sigiboto decanus. Irinc archidiaconus. Gerhart archidiaconus. Albrich. Gunderic et aliis quam pluribus. Actum publice in sancta synodo Constantiensis aecclesiae anno dominice incarnationis nongentesimo nonagesimo quinto, feria 4. indict. 7.* 995.

15. *Monachus Roupertus. Ordinem primitus habuerunt de cella sancti Meginradi.* Ad idem monasterium primus Roupertus monachus ad conversionem venit. De cella quoque sancti Meginradi, quae dicitur ad Solitarios[21], suos monachos Gebehardus normam vivendi et regimen habere decrevit, quoniam monachi illius coenobii tunc temporis fuerunt religiosissimi.

16. *Quo tempore fundavit aecclesiam.* Anno igitur dominicae incarnationis nongentesimo octogesimo tercio iecit fundamenta basilicae. Fecit autem vallos ubique per locum ad exsiccandum humorem, et obtulit quatuor aureos[22], quos posuit sub singulos aecclesiae angulos. 983.

17. *De cripta*[23]. Fęcit criptam ab occidentali parte, in qua aquae puteum fodit, et

a) *verba* et in — Para *oblitterata cod.* b) Cleggou; *sed superscript.* Albegou *cod.* c) Erreggou *leg. Mone.*

Alawicus I. enim iam a. 958. aut seq. obiit, et secundus primum a. 997. abbas constitutus est. Forte Gebehardus adhuc canonicus cum priore Alawico hoc concambium fecerat, quod primum a. 983. ab Ottone II. confirmari fecit, quando iam episcopus monasterium aedificare coepit. U. 14) Cf. Vit. Gebh. I, 19. 15) Cuncta haec in mox citata concambii charta leguntur. U. 16) De hoc mortuo suscitato in capella S. Michaelis prolixius agit Vit. Gebh. I, 12. 17) Charta a. 995. infra posita evincitur, hunc Pezilinum unum eundemque fuisse, qui post c. 31 et 50 ad a. 993. Perigerus audit. Fugit hoc editores, fugit iamiam auctorem nostrum, quem secutus catalogus abbatum sub calce ponendus primum abbatem Pezelinum, secundum Perigerum statuit. 18) Neugart, Cod. dipl. I, 645. U. et M. 19) Thayngen prope Schaffhausen. Epfendorf ad Neccarum prope Rotweil. M. 20) Lutwanga vix est Langenwangen iuxta Fischen in pago Algau; de Rapirgahusa in pago Erilgau v. Stälin I, 293. M. 21) Einsiedeln. 22) scil. nummos. 23) De structura et ornamento ecclesiae cf. quae nuper disputata sunt in Freiburger Diöcesanarchiv T. II. 1866.

altare in honorem sancti Martini in ea collocavit, quod postea Gebehardus tertius[23] propter humorem destruxit.

18. *De cyborio.* Super criptam sanctuarium fecit, ubi principale altare in honorem sancti Gregorii papae constituit, super quod ciborium nimis speciosum fabricavit.

19. *De quatuor columnis.* Cum igitur columnas quatuor de ligno ilicis fecisset et figuras vitis in eis formari fecisset, urbanos Constantienses in unum congregavit eosque sic affatus ait: *Habeo*, inquit, *quatuor filias, quas me oportet nuptum tradere, set non possum eas sine adiutorio vestro ornare. Ea de causa vos modo convenio, et ut mihi aliquod solatium pro acquirendis ornamentis pro posse et velle vestro adhibeatis peto.* Cumque omnes respondissent, se libentissime facturos quecumque ille precepisset, iussit columnas proferri et dixit, se has columnas argento velle vestiri, et ut sibi ad hoc auxilium ferrent, coepit precari. Quod omnes animo promptissimo fecerunt. Nam eorum solatio columnas argento optimo vestivit easque super bases lapideas decentissime sculptas constituit ....[a]. Super columnas arcus quatuor posuit, quos ex una parte ex aurato argento, ex altera vero de aurato cupro vestivit ....[b]. Super arcus quoque et super columnas posuit tabulam tantae magnitudinis, ut totum operiret ciborium, habens in medio fenestram rotundam, et ipsam in circuitu intrinsecus aurato cupro opertam, inferius autem habebat marginem prominentem, quem argento vestivit, quod etiam quidam abbas abstulit et ipse plumbum affixit. Ipsa autem tabula erat per totum ex inferiori parte aurato cupro decenter operta, habens imagines quatuor euangelistarum elato opere aliasque perplures species. In transversu quoque eius per quatuor partes erant laminae affixae argenteae, et in unoquoque latere conscriptus erat unus[c] versus aureis litteris[d] de subscriptis:

Versus. *Hoc opus exiguum diversis artibus actum*
Fert tibi Gregori supplex devotio servi,
Praesulis indigni, quem tu cum plebe fideli
Coniungas turmis praecibus, pater alme, supernis.

Super tabulae fenestram erat cassis ligneis columnis tornatis superpositus angulosus et deauratus, et super hunc imago agni candidi ad populum prospicientis.

20. *De principali altari. De tabulis altari appositis.* Ipsum etiam altare erat cavum, habens ab oriente tabulam auro optimo et lapidibus preciosis decoratam, ab occidente vero alia erat tabula argento cooperta, habens in medio imaginem sanctae Mariae elato opere de auro optimo, appendens auri talentum, quam Bertoldus abbas tempore famis deposuit
24 et comminuit ac pro frumento distraxit[e. 24]. Super altare dependent diversa sanctorum receptacula reliquiarum.

21. *De choro.* Ad ipsum altare per gradus plures ascendebatur de choro, quos abbas Theodericus[25] abstulit, quando chorum ampliavit[f]. In supremo eorundem[g] graduum in medietate erat spacium submissum quantum altare fuerat latum, quadris lapidibus circumpositum, pertingens usque ad altare, ubi orantes genua flecterent, et iuxta altare tabula marmorea viridi coloris pavimento imposita, in qua genua flectentes deoscularentur. Chorus vero erat valde parvus, quoniam ascensu graduum erat diminutus.

22. *De pictura.* Muri quoque basilicae erant ex omni parte pulcherrime depicti[h], ex sinistra parte habentes materiam de veteri, a dextro autem de novo testamento[26], et ubicumque imago Domini fuerat, aureum circa caput circulum habebat. Venetiorum namque episcopus[27] modium plenum sibi de Graico colore, qui vocatur lazur, gratis pro caritate dederat, qui etiam optimus color abundantissime, sicut ipsi vidimus, muris undique illitus erat. Quam picturam Kounradus abbas[28] ex toto deleverat, quoniam antiquitas ei iam decorem abstulerat. Fęcit valvas incomparabilis decoris[29], et ante aecclesiam porticum admodum parvulum, quem Theodericus abbas ampliavit et melioravit.

23[i]. *De fonte.* Cum igitur aecclesia summo studio variis coloribus depingeretur,

a) *tertia lineae pars deleta est.* b) *una linea deleta est.* c) conscriptus *et* unus *eadem manu supra lineam.* d) de-scriptus *insertum, sed post linea subterducta deletum est.* e) quam Berth. — distraxit *oblitterata.* f) quos abbas — ampliavit *oblitterata.* g) earundem *cod.* h) depictae *cod.* i) *totum hoc capitulum in margine inferiore eadem, ut videtur, manu adiectum est.*

23) episcopus Constantiensis 1084—1110. 24) sc. erat patriarcha Gradensis Vitalis, vid. Ioh. Chron. Grad. SS. T. VII. 25) 1086—1116. 26) Cf. Vit. Gebh. I, 12 fin. 27) A. 967 — c. 1012. 28) 1127—1164. 29) De valvis e ligno sculptis cf. Vit. Gebh. I, 21.

accidit ut quodam die[a] loco eodem secederet et aliquamdiu redire moras faceret. Interim ergo perfidi pictores optimos quosque colores fraudulenter auferentes, in vicinum nemus abierunt ibique terram clanculo fodientes absconderunt. Cum vero sanctus presul reversus esset, coeperunt pictores importunis vocibus colores exigere dicentes, opus pre penuria colorum neglegenter tardare. Quod vir beatus audiens, parumper siluit et post haec ait: *Et si nobis modo deest, ut acquiratur necesse est. Ergo venite, sequimini me, forsitan nobis Dominus sua benignitate dabit quod queritis, ut opus maturare valeatis.* Et duxit eos sine indice ad locum, ubi ipsi colores absconderant, ibique baculum suum in terram defixit dicens: *Hic in Dei nomine fodite, et si aliquid inveniatis videte.* At illi mala conscientia perterriti, fodientes terram aperuerunt, et colores quos absconderant, quamquam inviti, tamen protulerunt. Quibus vir Dei laeto vultu dixit: *Iam nunc pergite, filii dilecti, et de hoc ipso, quod nobis Dominus ostendit, enixius operamini.* Illi autem perterriti abierunt, secum mirantes quod factum fuerat. Ex ipso autem loco fons statim limpidissimae aquae erupit, qui usque in presens fluere non desinit. Crastina vero die, cum vir Dei ad mensam sederet et pictores iam dicti confusi operi instarent, subito conciderunt et quasi exanimes iacuerunt. Quod cum beato Gebehardo adhuc prandio assidenti cum magno strepitu nuntiatum fuisset, tranquillo animo dixit: *Sinite*, inquit, *aliquantulum luere debuerunt quod in sanctorum rebus deliquerunt.* Haec dicens absque perturbatione mansit, donec mensa cum alacritate discessit. Deinde ascendit super instrumentum, ubi illi iacebant velut mortui, et baculo quem manu tenebat tangens eos ait: *Non*, inquam, *vobis pro hoc mercedem daturus sum, ut somno torpentes hic decubatis: surgite ergo et operamini.* At illi confestim levantes capita, surrexerunt sani et quasi nihil passi ceperunt operari.

24. *Quo tempore aecclesiam dedicavit.* Anno incarnationis Domini nongentesimo 992.
nonagesimo secundo, indictione quinta, decimo anno postquam coepit aedificare, ipse Oct. 28.
beatus Gebehardus episcopus dedicavit aecclesiam quam aedificavit, die 5. Kal. Novembris, in honore beati Gregorii papae in magna gloria.

25. *Quomodo privilegium acquisivit.* Denique Romam veniens in tantum a papa Iohanne pro sui veneratione honoratus est, adeo ut non tantum ei privilegium, prout ipse petebat, concederet, verum etiam hoc ei concessum est, ut manum mitteret ad corpus beati Gregorii papae; et hac conditione hoc ei permissum est, ut quicquid uno tactu de sacris ossibus manu levaret, hoc procul dubio secum deferret.

26. *De capite sancti Gregorii.* Unde Dei gratia caput eius cum aliis magnificis de eius corpore reliquiis sustulit, omnibusque ad libitum suum quecumque volebat impetratis, laetus repedavit[30].

Hoc siquidem dilectum caput invenimus in capsa, olim quidem firmiter valde solidata, set nunc iam pre antiquitate et incautela penitus resoluta, quae priscis temporibus, sicut audivimus, in altario sancti Petri in meridiana plaga erat recondita, in qua parte etiam Romae eius sepulchrum esse cognoscitur. Set nunc erat inde sublata et super altare sanctae Mariae collocata, et ideo iam dictum altare sancti Petri remanserat vacuum et violatum, ac propterea postea renovatum et a Kounrado Curiensis aecclesiae episcopo[31] est dedicatum. Denique aperientes ipsam capsam, invenimus in ipsa capsam rubricatam, sanctorum cineribus plenam, inter quos[b] dilectissimum thesaurum reperimus, capitis scilicet sanctissimi pape Gregorii, set comminutum per particulas doluimus. Quod unde acciderit, nunc usque scire non potuimus. Alias sane perplures reliquias in eadem capsa reperimus, quas eiusdem sancti patris Gregorii esse speramus, quoniam et non nisi unum brevem cum eis invenimus, et candorem eius ceterorum[c] ossuum ostentabant. Et integra quidem ossa collegimus et alias transposuimus, cineres vero reposuimus ubi et primitus invenimus. Quae capsa ad Miminhusin[32] est data, quando inibi aedificabatur capella.

27. *Privilegium monasterii in biblis primitus scriptum, quod et hactenus est in monasterio conservatum.* Hoc est privilegium, quod beatus Gebehardus a Romano pontifice Iohanne super locum ipsum percepit:

Iohannes[33] *episcopus servus servorum Dei. In nomine sanctae et individuae Trinitatis,* 989.
Patris videlicet, Filii et Spiritus sancti. Notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, qualiter Apr. 25.

a) de *cod.* b) quas *cod.* c) ceterarum *cod.*

30) Fusius de hac reliquiarum translatione agit noster in Vit. Gebh. I, 16, 17. 31) 1122–1150.
32) Mimenhausen prope Salmansweiler. M. 33) Privilegium hoc aeque legitur in Vit. Gebh. I, 15.

Gebehardus secundus, amabilis episcopus sanctae Constantiensis aecclesiae, dilectissimus confrater noster, orationis causa Romam veniens ad limina apostolorum principum Petri ac Pauli et ante nostram presentiam, retulitque nobis, quatenus ipse Dei nutu compulsus ecclesiam cenobitarum[a] *construxisset super ripam fluminis quod dicitur Rhenus, ad honorem beati Gregorii confessoris Christi, in quo loco regulam sancti Benedicti abbatis et monachorum fratrum luculentissime ordinaret; ubi devotissime de suis propriis prediis, quae a suis parentibus illi evenerunt, et partem de rebus sanctae suae aecclesiae devotissime obtulit ad sustentationem et stipendium illorum, videlicet monachorum qui in ipso sancto monasterio sedulo Christi laudes persolvere die noctuque non cessant. Pro quibus nostrae humilitatis supplicavit clementiam, ut predictus locus ipse sub tuitione et defensione sancti Petri et nostra nostrorumque successorum pontificum imperpetuum maneat, ita tamen ut nullus rex aut dux, neque marchio, nec etiam episcopus, qui per tempora in ipso episcopio fuerit, aut ulla persona audeant de omnibus quae ibidem ab ipso iam dicto Gebehardo concessa sunt alienare aut quoquo modo de ipso sancto monasterio extrahere; set tuta et stabilita atque firma usque in futura tempora concedimus permanenda. Set et hoc apostolica preceptione, rogante supradicto confratre nostro, interdicimus in nomine domini nostri Ihesu Christi, ne aliquis eidem monasterio preficiatur, nisi quem communi consensu fratres ibidem Christo sedulo servientes elegerint; electumque episcopus benedictionis titulo confirmare procuret. Et hoc ipsum de advocati electione decerni placuit. Si vero, quod absit, aliquando contigerit ut episcopus eiusdem sanctae aecclesiae hereticus vel scismaticus existat, fratres supradicti monasterii ex auctoritate sedis apostolicae habeant potestatem ecclesiasticos ordines requirendi, ubicumque catholicum noverunt esse episcopum, nec illę iniquus de hoc aliquam eis iniuriam inferre presumat. Nam si quis aliquis homo, cuiuscumque sit ordinis vel potestatis, quod non credimus, in aliquo disrumpere temptaverit ea quae ab ipso iam dicto confratre nostro in predicto monasterio concessa sunt, a iure et ditione ipsius monasterii auferre voluerit, nisi resipiscat, excommunicatus a corpore et sanguine domini nostri Ihesu Christi consistat, et anathematizatus a sanctis patribus omnibus et a nobis, nec in exitu vitae communicet, set etiam mortuo nomen eius inter missarum sollemnia nullo modo recitetur. Qui vero pio intuitu custos et procurator huius nostri precepti extiterit, benedictionis gratiam vitamque aeternam ab ipso domino Deo et salvatore nostro Ihesu Christo consequi mereatur in secula seculorum. Amen. Scriptum per manus Iohannis notarii et regionarii et scrinarii sacri Lateranensis palatii in mense Aprilis et indictione secunda. Data 7. Kalendas Maias per manus Gregorii episcopi sanctae Portuensis aecclesiae et bibliothecarii sanctae sedis apostolicae, anno pontificatus domini nostri Iohannis sanctissimi papae quarto.*

28.[b] *Quomodo ad sepulchrum sancti Oudalrici oravit.* Rediens itaque beatus pontifex Gebehardus a liminibus apostolorum, percepto privilegio ac sanctorum reliquiis, ut supra digestum est, cum Alpes transisset et in Alemanniam pervenisset, devenit Augustam Vindelicam, et ad sepulchrum beatissimi Oudalrici eiusdem civitatis episcopi, qui iam ferme
974 ante quindecim annos e mundo ad Dominum transierat, oraturus accessit. Cumque illic attentius oraret, audivit vocem quasi de tumulo sonantem, sibique dicentem: *Quid queris vel quid postulas, Gebeharde?* At ille quasi consuetam vocem audiret, intrepidus respondit: *Quoniam*, inquid, *nuper locum Domino dedicandum construxi, peto ut isdem locus tuo patrocinio illustretur et de sacratissimo corpore tuo aliquae reliquiae illuc deferendae pro tua pietate concedantur.* Cui iterum quasi de tumba responsum est: *Non*, inquiens, *hoc ullo modo fieri potest, quoniam integrum corpusculum meum hoc in loco diem supremum exspectare volo. Et quia me tuis precibus pulsare et inquietare presumsisti, continuo cum terram monasterii tui attigeris ultionem proinde experieris.* Tali oraculo percepto, recessit et ad propria remeavit. Igitur cum ad extremam partem agri qui ad monasterium pertinebat pervenisset, ecce vepris spinosa super viam dependens caligam transeuntis episcopi apprehendit eique tybiam vulneravit. Qui cum dolorem ex plaga sensisset, voce clara dixit: *Ecce quod sanctus Oudalricus verbo predixit, opere complevit.* Haec plaga postea de die in diem in peius accrevit et usque ad finem vitae eius nullo umquam deinceps medicamine curari potuit.

29. *De brachio sancti Philippi apostoli.* Otto quoque imperator capsam ei dedit argento vestitam, in qua brachium sancti Philippi apostoli cum aliis magnificis et multiplicibus

a) anobites, *sed superscr.* cenobitarum *cod.; similiter in Vit. Gebh. Cf. Wattenbachii not. critic.* b) *hoc capitulum ead. man. in margine adscriptum est.*

sanctorum reliquiis habebatur. Quod quidem brachium temporibus Theoderici abbatis inventum est, set in frusta comminutum, postea vero temperibus Bertholdi abbatis a Kounrado eius tunc capellano, set postea abbate, et a caeteris fratribus auro, argento et gemmis decoratum est, in cuius basi unus articulus digitorum sancti Gregorii papae cum aliis multis reliquiis reconditus est.

30. *Mater Ottonis fuit de Grecia.* Mater quippe iam dicti principis Ottonis de Grecia adducta fuerat, unde etiam dictum brachium secum veniens adportaverat.

31. *Quomodo Worndorf acquisitum est.* Isdem imperator rogatu Marquardi comitis, fratris scilicet beati Gebehardi, prediolum quoddam eidem monasterio concessit, super quod tale privilegium conscribi fęcit.

993. Iun. 2.

Privilegium super Worndorf. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Otto divina favente clementia rex. Omnium fidelium nostrorum presentium et futurorum piae devotioni pateat, quemadmodum nos ob petitionem et interventum Marquardi comitis et pro amore fidelis nostri Constantiensis aecclesiae venerabilis episcopi Gebehardi, qui nobis devotum servitium sepius exhibuit, ad aecclesiam sancti Gregorii in loco Petreshusa vocato honorabiliter constructam, cui modo Berichęrus reverendus et primus abbas presidet, de nostra proprietate dedimus quicquid habuimus in villis Worndorf et Crumaha[33] *dictis, in pago Goldineshundere vocato, ac comitatu ipsius iam dicti Marquardi comitis sitis. Atque eandem proprietatem cum omnibus utensilibus ad eam*[a] *rite pertinentibus, in areis, aedificiis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis, cunctisque aliis appendiciis quae adhuc dici possunt, ad prefatam aecclesiam tradimus, ea videlicet ratione ut eadem proprietas dehinc sub ipsius aecclesiae iure absque omnium hominum contradictione perpetualiter consistat. Et ut haec nostrae celsitudinis donatio per futura temporum curricula inviolabilis perseveret, hoc preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus. Signum Ottonis gloriosissimi regis*[b]. *Hiltiboldus episcopus et cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovi. Data 4. Non. Iunii anno dominicae incarnationis 993, indictione 6, anno autem tertii Ottonis regnantis decimo. Actum Birgila.*

32. *Quomodo beatus Gebehardus milites suos aecclesiis donavit.* Omnia quecunque habuit vel acquirere potuit Gebehardus ad suum monasterium fideliter Deo obtulit, nisi quosdam de ministerialibus suis, qui ditiores et potentiores erant, noluit illuc tradere, reputans prudenter, ne forte tenui loco detrimento potius essent quam supplemento.

33.[c] *De Niuheim.* Possessionem satis honorificam apud Niuheim[34] commutavit beatus vir a Marchtorfensibus.

34. *De Tegirwilare et Gotiliubon.* Quedam etiam matrona nobilis dedit ei suum predium apud Tegirwilare et Gotiliubon[d, 35], quod exinde per diversa tempora augmentatum est. Nam duae inibi vineae commutatae sunt duobus mansibus, quas domnus Adilgoz de Marstetin dederat monasterio in loco qui dicitur Ottinberch[36]. Item alius mansus ibi acquisitus est temporibus Oudalrici episcopi secundi[37], pro quo alius optimus mansus datus est apud Stalringin[e, 38]. Quorum possessionum mancipia constituit, ut cottidie in ipsa cella fratribus, ubicumque necesse esset, servirent, sicuti et hi qui in ipso loco habitarent, et ut de Niuheim arefacta ligna adveherent et semper ad omne ministerium parati essent.

35. *De ministerialibus. De Arbonensibus. De Bollensibus.* Et ut de fassallis, hoc est ministerialibus, plenius dicam, quendam Makkonem, parentem Roudolfi Arbonensis eiusque stirpis, et parentes Hachonis et eius cognationis de Bollingin cum omnibus quae possidebant aecclesiae Constantiensi tradidit. Iam dictus tamen Makko postea pergens Hierosolimam quibusdam donariis monasterio datis se redemit dicens, ne forte alicuius servitii illuc obnoxius esset, eo quod beati viri proprius famulus fuisset. Quendam vero nomine Turandum[f] eiusdem familiae et nobilitatis atque divitiarum monasterio tradidit, cuius

a) eum *cod.* b) Signum — regis *cum monogrammate in margine addita, ubi etiam rubris litteris legitur:* Otto imperator dedit Worndorf. c) *abhinc usque ad cap. 34. verba* quorum possessionum *omnia in rasura litteris minoribus scripta sunt.* d) *supra lineam.* e) ibi — Stalringin *in margine additum.* f) Turandomi *leg. Mone.*

33) Worndorf et Krumbach prope Mösskirch. U. 34) Villa nunc Neuhaus dicta haud procul Markdorfio in Linzgovia. U. Neuhäuser prope Mannzel ad lacum Potamicum. M. 35) Taegerweilen et Gottlieben infra Constantiam in Turgovia. U. 36) Märstetten et Ottenberg prope Weinfelden in Turgovia. M. 37) 1127 — c. 1140. 38) Staringen prope Radolfszell. M.

posteritas usque in presens apud Owingin[39] viget. Pauperiores quoque plures monasterio contulit, quibus omnibus hoc ius constituit, ut cum abbate equitarent eique domi forisque ministrarent, equos suos tam abbati quam fratribus suis quocumque necesse esset prestarent[40], monasterium pro posse suo defensarent, nullius servitio prorsus subiacerent, excepto solius abbatis eiusque monachorum.

36.[a] *De dote monasterii.* Hec sunt quae beatus Gebehardus episcopus monasterio suo de hereditate parentum suorum tradidit vel aliunde acquisivit: Ouwingin, Suldorf, Anslechiswilare, Rinisgemunde, et apud Hôste et Brugge, Rode, Stetin, Muleheim, Wanhartiswilare, Slate, Rinhart[41]. Quartam partem possessionis apud Epfindorf et Togingen de Constantiensi aecclesia acquisivit, datis illuc vicissim aliis de suis prediis, hoc est Liutwanga et Ratpirgahusin, Eicstetin[42], Epfindorf, Niuheim, Tegirwilare, Gotiliubon; Tuscinanc et Oberewangin[43], quorum unum de episcopii, aliud de monasterii rebus comparavit; Obirndorf de episcopio concessit.

37. *De libertate monasterii.* Nullum sane servitium, neque tributum, neque vectigal, neque legationem, neque alicuius omnino ministerii functionem tam Romano pontifici quam imperatori, set neque episcopo Constantiensi, nec alicui personae, cuiuscumque potestatis sit aut dignitatis, de hoc monasterio beatus Gebehardus impendere constituit, nisi soli Deo. Propterea et ipse locus usque in presens inviolabilis perseverat, ita ut nullus eum temerare presumat.

38. *De censu aliorum monasteriorum.* Alia nempe monasteria, quae libera vocantur, annuatim Romae aureum nummum quinque solidorum pretium habentem persolvere debent. Petrishusensis autem locus neque Romae, neque Constantiae, neque Mogontiae, neque regi, neque duci, set nec ulli aliquid debet, nisi tantum regulari vacare religioni.

39. *De ministerio in festivitate sancti Gregorii.* Sane quod nobis quidam solent imputare, quod in festivitate sancti Gregorii papae Constantiensibus fratribus debemus prebendam dare, noverint, hoc ante constitutum, quam hoc monasterium esset incoeptum. Siquidem, sicut superius retulimus, beatus Gebehardus, antequam fieret episcopus, Constantiensi aecclesiae suum proprium dedit, quod apud Obirndorf, Pilolfingin, Haggilinbach et Liutherestorf habuit, et ipse haec in beneficium recepit ea conditione, ut tam ipse, quam quicumque hoc post se beneficium haberet, iam dictae aecclesiae fratribus in festivitate sancti Gregorii pleniter ministraret. Postea vero quam episcopus factus est, monasterium fundavit et iam dicta predia ea ipsa qua diximus conditione illuc concessit, et versa vice eisdem fratribus constituit, ut ter in anno cum sollemni processione communiter id ipsum monasterium adeant et singulis vicibus pro eius anima missam cantent, et super haec in festivitate sancti Gregorii publicam missam de eo festive cum fratribus decantent et monachi chorum regant et ad altare ministrent, et clericis ea die sicut diximus de supradictis prediis duo talenta et quinque solidi ad servitium dentur.

40.[b] Modus autem ministerii eiusdem iste est: primo tres modii frumenti ad panes faciendos; deinde de occidentali mensa in refectorio de piscibus, et dimidius modius milii pilo tunsi et tres urnae de vino et quinque solidi nummorum. Hoc est ministerium quod debebatur singulis annis de supradictis. Sed Conradus abbas redegit istud ad hoc, ut darentur eis duo talenta et quinque solidi.

41. *De Eichstetin.* Erat quidam comes nomine Adilhardus, vir pius et religiosus ac timens Deum, beati viri Gebehardi iuxta carnis consanguinitatem propinquus, nequaquam tamen Suevigena[44], set habitans in terra longinqua, cui iure in hereditatem cesserant magna et multa predia in pago Ilrigou, hoc est[c] apud Eichstat et Breitinbach, Riedin et Husin atque Steinbach[45]. Is ergo quandocumque de terra sua adveniens iam dicta sua

a) *hoc caput in marg. inf. adscriptum est.* b) *totum hoc caput erasum est. Quod manu recentiori coniiciendo inter lineas scriptum et Mone legit, et ipsum iam penitus evanuit.* c) est *deest in cod.*

39) Owingen prope Ueberlingen. M. 40) Cf. Vit. Gebh. I, 20. 41) Haec loca hodie audiunt: Owingen, Sauldorf prope Möskirch, Andwil prope S. Gallum, Alten Rhein ubi Rhenus lacum influit, Höchst et Brugg ibidem sita, Roth prope Sauldorf, Stetten et Mühlheim prope Tuttlingen ad Danubium, Walpertsweiler prope Möskirch, Schlatt prope Engen, Renhartsweiler prope Saulgau. U. M. 42) Eichstetten prope Isny. U. 43) Dussnang et Oberwangen prope Fischingen in Thurgovia. M. 44) Adilhardus patruus S. Gebehardi, comes de Buchhorn, quem noster immerito Suevigenis non adnumerat. 45) Aichstetten, Breitenbach, Rieden, Oberhausen, Steinbach in praefectura Leutkirch. M.

predia adiisset, quod tamen rarissime faciebat, festinabant omnes habitatores, ut eum cum suis munusculis visitarent, sicut omnes servi dominis suis facere solent. At ille, cum esset benignus et misericors, interrogabat quid sibi vellent ista facientes. Cumque responderent, hos esse suos homines et cum debita benedictione advenisse, ut eum visitarent, ille subiunxit: *Facite,* inquit, *unumquemque eorum sua munuscula interim apud se conservare, usque dum post prandium ipse haec per memet valeam conspicere.* Deinde omnibus plene et abundantissime satiatis, addebat illis munuscula de suis nihil accipiens ab ipsis, et dimisit eos abire, ita ut gauderent, se illuc pervenisse. Hic ergo dedit Brigantinis cognatis suis predium apud Steinbach, quod postea per sponsalia devenit in potestatem Chilichbergensium[46].

42. *Adilhardus dedit beato Gebehardo Eistetin, Breitinbach, Riedin.* Ipse Adilhardus pius comes dedit nepoti suo beato Gebehardo episcopo quicquid habuit proprii apud Eichstetin et Breitinbach et Riedin et Husin ad quadraginta mansos[a] et eo amplius, in agris cultis et pratis, exceptis dumtaxat silvis valde spaciosis, cum populari aecclesia et decimis multis et pascuis et piscationibus et molendinis; et multos tributarios cum universis utensilibus, quae haberi vel dici possunt, iam dictus comes Adilhardus Gebehardo venerabili episcopo, nepoti suo, in proprietatem legitime contradidit, et ipse beatus vir monasterio suo, quod in honore sancti Gregorii papae construxerat, promtissima devotione absque ulla contradictione ad utilitatem fratrum ibi Deo servientium deinceps permanendum coram idoneis testibus perdonavit.

43. *De Burchardo duce.* Per idem tempus Burchardus[47] religiosus dux et Hadiwich eius coniunx, cum non haberent carnalem, Christum sibi elegerunt heredem, ac proinde in castello suo quod est in monte Duello[a*, 48] monasterium constituerunt, ubi ad sustenta- 48
tionem[b] monachorum predia et alia utensilia sufficientissime tradiderunt, reliqua vero per alia monasteria diviserunt. Huic monasterio primus prefuit abbas sanctus et venerabilis vir nomine Walfridus.

44. *De Steinensi monasterio.* Idem monasterium postea a Heinrico imperatore a monte Duello translatum et in ripa Rheni loco Steine dicto constitutum est. Et quoniam idem rex omnia quae fuerunt Burchardi ducis sibi in hereditatem vendicaverat, multa de eodem monasterio subtraxit et tantum quae paucis fratribus sufficerent reliquit, ac demum tam[c] ipsam abbatiam, quam omnia quae ad eam pertinebant et quae ipse subtraxerat, Babimbergensi episcopio, quod ipse iam tunc primitus construxerat, subiecit.

45. *Quomodo Epfindorf acquisivit.* Igitur supradicta Hadewic, relicta Burchardi ducis, post obitum ipsius dedit beato viro Gebehardo episcopo, nepoti suo, predium Epfindorf dictum ad stipendium fratrum in monasterio ipsius, quod dicitur Petrishusa, Deo servientium. Quod ipsum per auctoritatem et privilegium Ottonis imperatoris usque in presens optinuit. Quartam tamen partem eiusdem villae Steinense monasterium obtinet.

Privilegium super Epfindorf. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Otto divina* 994
favente clementia rex. Si piis petitionibus sacerdotum, quas pro aecclesiis sibi commissis auribus Nov. 4.
nostris infuderint, benignum prebuerimus auditum, hoc procul dubio ad presentis nostri regni statum et ad aeternae beatitudinis premium nobis profuturum fore credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum, tam presentium quam et futurorum, noverit sollers industria, quomodo domnus Gebehardus, sanctae Constantiensis aecclesiae venerabilis episcopus, nostram regiam adiens celsitudinem obnixe rogabat, quod[d] *predium quoddam Epfindorf vocitatum, cum suis appenditiis in locis et in villis Bosinga, Messinga, Ancencimbra, Harthusa, Ursilinga*[e, 49] *sitis, in pago Para et in comitatu Hiltibaldi comitis situm ad monasterium sancti Gregorii, quod iam dictus, Deo et hominibus dilectus Gebehardus episcopus a fundamento in usum monachorum inibi Deo sub regula sancti Benedicti servientium, ob remedium animae suae parentumque suorum devota mente construxit, nostro regio vellemus tradere et confirmare precepto. Nam, ut relatu nostrorum didicimus fidelium, per traditionem bonae memoriae domnae Hadewigae ducis supranominatum predium Epfindorf cum omnibus ad se respicientibus legitimę ad iam dictum sancti Gregorii pertinet monasterium. Unde nos vota et petitiones tam boni et nobis dilecti viri sequentes*

a) mansus *cod.* a*) *superscr.* Twêlo. b) sustentionem *cod.* c) *deest cod.* d) quo *cod.* e) Ursilinga *superscriptum.*

46) comitum de Kirchberg praefecturae Laupheim. 47) Burchardus II. 954—973. 48) Hohentwiel. 49) Bösingen, Hoch- seu Wald-Mössingen, Herrenzimmern, Harthausen, Irslingen, omnia prope Rottweil. M.

donamus atque largimur sepe iam dictum predium Epfindorf cunctaque sua pertinentia, scilicet cum areis, aedificiis, mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, vineis, vinetis, silvis, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis cunctisque aliis utensilibus quae adhuc dici aut nominari possunt eidem iam dicto monasterio in honore sancti Gregorii constructo, nec non et monachis sub norma sancti Benedicti Deo ibi militantibus, atque ex integro de nostro iure in eorum transfundimus ius. Insuper etiam omnia nostra regia auctoritate confirmamus quae iam a nostro dilecto episcopo Gebehardo vel ab alia qualibet persona, magna sive parva, ad id ipsum monasterium tradita sunt vel tradenda erunt, ita ut firma et inconvulsa ac perpetualiter ab omni infestatione incorrupta permaneant, ne importunitate malignantium sacro loco aliqua inferatur molestia. Et ut haec nostrae regiae donationis traditio ab hac hora inantea firma consistat, hoc nostre donationis preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare iussimus manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus. Signum domni Ottonis gloriosissimi regis. Hiltiboldus episcopus et cancellarius vice Willigisi archiepiscopi recognovi. Data 2. Non. Novembris anno dominicae incarnationis 994, indictione 7, anno autem tertii Ottonis regnantis 11. Actum Ingilnheim feliciter.

46. *De ornamentis aecclesiae.* Multa sane beatus Gebehardus satis preclara et honorifica mobilia ornamenta dilecto sibi loco acquisivit, quae magna ex parte quorundam hominum nequitia dissipavit. Nam[a] quidam professione quidam monachi, set actu sacrilegi, dorsalia serico facta furto diripuerunt sibique luxuriosas vestes ex eisdem fecerunt, et eo atque alio modo res monasterii vivendo luxuriose dissipaverunt[a].

47. *De duabus coronis.* Verum antistes Gebehardus duas coronas argenteas fecerat, quarum unam in choro, alteram suspendi fecerat ante crucem in vestibulo. Set[b] quidam ex monachis ambitione deceptus unam ex his confregit et episcopo pro comparanda abbatia[c] ipsius argentum dedit. Quod postquam[d] adeptus est, eum episcopus in abbatem fratribus perficere denegavit. Set ille infelix augens peccatum, alteram coronam comminuit et gratiam episcopi hac pecunia sibi reconciliavit[b].

48. *De laquearibus.* Laquearia siquidem basilicae undique per intervalla bullis deauratis ornavit[50]; super chorum vero in tabula singulari imaginem sanctae Dei genitricis Mariae auro et optimis coloribus depingi fecit, et per circuitum eius imagines duodecim apostolorum in modum crucis. Quae omnia istis iam temporibus antiquitas coegit desistere esse quod fuerant.

49. *De quadam muliere.* Preterea quedam matrona venit ad beatum pontificem Gebehardum et narravit ei, qualiter hostes viri sui una nocte domum eorum armati circumdedissent, volentes virum ipsius capere aut obtruncare sive interimere. Illo autem pre foribus viriliter reluctante et hostibus nullo modo introitum concedente, ad ultimum eum[e] vulneribus in tantum affecerunt, ut in terram concidens semivivus iaceret. Iam dicta mulier viro suo assistens ut vidit eum corruisse, arma corripuit, hostibus tota nocte fortissime repugnavit, vulneribus eos multis cruentavit, quosdam etiam interemit. Qui dum fatigati nimis et pene consumpti nullatenus domum invadere potuissent, mirari coeperunt et ad invicem dicere, quid hoc esset quod eis tam pertinaciter tota nocte indefesse resisteret. Allato igitur lumine ut viderunt mulierem contra se armatam assistere, admirantes nimium et maximo pudore acti discessere. Quae ut dictum est ad venerabilem Gebehardum adveniens, eius consilium et auxilium atque gratiam querens, qualiter pro tot homicidiis penitere debuisset. At ille gratia Christi perfusus ait ei: *Filia, noli propter hoc contristari, set vade et glorifica Deum qui tecum mirabiliter operatus est. Non igitur estimes, quod tuis viribus haec feceris, set dextera Dei subiecit inimicos tibi.* Et nichil omnino ei penitentiae iniunxit, set cum magna gratia consolatus est eam ac dimisit. Omnibus quippe gratiam exhibuit, quam et ipse plenissime apud patrem misericordiarum invenit.

993. 50. *Primus post consecrationem monasterii Periggerus abbas.* Anno dominicae incarnationis 993, post consecrationem monasterii anno secundo, Periggerus primus abbas constitutus est.

a) Nam quidam — dissipaverunt *semideleta at recentiori manu recte in margine restituta unde des. in ed. Ussermanni.* b) Set quidam — reconciliavit *cf. not.* a; *sed hic locus prorsus paene erasus.* c) *sic coniecit Mone pro* pro compensa abbatis *rec. man., cum litterae* nda *etiam nunc distincte cernerentur.* d) quod postquam *coniicimus pro* quarum priusquam *rec. man.* e) cum *cod.*

50) Cf. Vit. Gebh. I, 12.

51. *Quo tempore beatus Gebehardus vitam finivit.* Dehinc anno quarto, hoc est dominicae incarnationis 996, ordinationis ipsius anno 16, beatus et venerabilis episcopus Gebehardus temporalem vitam finivit et ad aeternam transivit, anno 12. imperii Ottonis tertii, indictione 9, sepultusque est in aecclesia quam ipse construxerat, in meridiana absida[51] feliciter atque gloriose. 995. Aug. 27.

52. *De sepulchro eius.* Denique sepulchrum eius venustissime decoratum preclaris ornamentis conspeximus. Nam a capite habuit altare in honore sancti Benedicti dedicatum, ubi cottidie prior missa canebatur. Eidem altario apposita erat tabula, in inferiori parte habens imaginem Domini, ad cuius dextram imago sancti Gregorii, in sinistra vero sancti Gebehardi, in superiori autem parte eiusdem tabule erant lamine de cupro factae affixae, in quibus hoc epitafium aureis litteris est conscriptum.

53. *Epitafium.* Versus.

Debita pars terrae fallentia tempora sperne,
Et memorare viae, quam testatur cinis istę.
Gentis honor nostrae iacet hic, gentis dolor atque.
Prefuit hic urbi, cuncto sed profuit orbi,
Hancque Deo sedem templi fundavit et edem.
Parti terrenae Deus ignoscens miserere,
Redde vicem iuste, quia te dilexerat iste[52].

54. *De alio epitafio.* Sed et aliud epitafium inveni in antiquo libro apud Steinense monasterium de hoc Dei famulo conscriptum, quod se habet in hunc modum:

Huc acies deflecte pias studiose viator,
Quo titulus radiat, despice quid lateat.
En tumulatus adest Gebehardus presul herilis,
Quo maior nullus constat in orbe manens,
Quemque patrem meruit felix Constantia mater,
Laetus anastaseos[a] *nunc gemit inducias.*
Pontificem vixit, magnorum stemmata gessit,
Virtutum cupidus, vir bonus ac sapidus,
Esuriens sitiensque Deum, presens fuit absens,
Corpore cum Martha, flamine cum Maria.
Gregorii meritis fabricam summaverat istam
Summi pontificis, contulit ac monachis.
Tam plenus meritis exemptus carne Kalendis
Senis Septembris sistitur atque polis. Aug. 27.
Dic, etiam dicant pariter iuvenesque senesque:
Omnipotens requiem det tibi perpetuam.

55. *De ornatu sepulchri.* In circuitu sepulchri in muro quinque columnae erant de gypso factae, quarum capitella et arcus eleganti sculptura ornati, set et desuper erant vites et volatilia et quadrupedia decenter formata. Ad caput autem eius imago crucifixi, et a dextro latere iacentis imago ipsius in medio tamquam ad officium altaris parati pontificalibus indumentis, cui assistebant a dextra levaque ministrorum eius figurae, una habens librum, altera vero linteum, et hoc totum optime de gypso formatum. Ipsum autem sepulchrum erat iuxta criptae introitum ex tabulis quadrinis a terra sublevatum atque tapeti iugiter coopertum. Ubi ad demonstrandam meritorum eius magnitudinem miserator et misericors Dominus plerumque diversis egrimoniis pro sua pietate medetur usque in presentem diem[53].

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIT SECUNDUS.

1. *Quomodo Tuscinanc acquisitum est.* Postquam beatus pontifex Gebehardus ex hoc mundo ad coelestia transivit, ei Lampertus monachus in episcopatum successit[54], et Periggerus abbas in monasterio sancti Gregorii, quod Petrishusin dicitur, in regimine[b].

a) *superscr. ead. man.* i. e. resurrectionis. b) *post hoc verbum erasum est.*

51) *in meridiana parte eiusdem templi* Vit. Gebh. I, 23; absida seu absis est capella. 52) Vid. idem in Vit. Gebh. I, 24. 53) Cf. Vit. Gebh. l. II, qui de miraculis agit. 54) 996—1018.

2. *Siggerus.* Per idem tempus Siggerus quidam nobilis et dives sua propria predia apud Tuscinanc et Oberewangin[55] cum suis appendiciis, aecclesiis scilicet et decimis et aliis omnibus ad haec loca pertinentibus, iam dicto monasterio vendidit. Et cum ipse Siggerus, quae convenerant, recepisset et iam dictam traditionem secundum iura Alamannorum confirmasset, Lampertus episcopus cum adiutorio Ottonis tertii imperatoris a Gregorio quinto huius nominis, qui et Bruno dicebatur, tam super ipsum monasterium quam super omnia quae illuc tradita fuerunt vel sunt vel adhuc erunt hoc privilegium acquisivit.

Privilegium Gregorii papae super monasterium et super Tuzzinanc. In[56] nomine sanctae et individuae Trinitatis. Gregorius, qui et Bruno, sanctae catholicae et apostolicae Romanae aecclesiae Dei gratia episcopus et servus servorum Dei. Desiderium, quod ad religiosum propositum et sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua est Deo auctore dilatione perficiendum, et quoties in quibusdam sanctae aecclesiae utilitatibus vel commodis noster assensus et solitum apostolicae auctoritatis exposcitur presidium, ultro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et ratum propositum pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc sanctorum veneratio locorum, salus et indemnitas profligatur[a]*, et nobis quoque lucri potissimum premium a conditore omnium proscribatur*[a]*. Volente ergo atque rogante tertio Ottone imperatore augusto et Lamperto sanctae Constantiensis aecclesiae episcopo quoddam monasterium in ripa Rheni iuxta Constantiam, in villa quae vocatur Petrishusa de Gebehardo beate memoriae episcopo in honore sancti Gregorii constructum apostolica defensione munimus, et preceptis Romanae aecclesiae eo tenore decoramus, quatinus id ipsum monasterium, cui nunc abbas Pericherus preest, cum omnibus ad se pertinentibus diversis prediis, cultis et incultis, colonis et familiis vel quecumque idem Gebehardus episcopus hereditario iure vel aliqua acquisitione ad idem monasterium contradidit aut quecumque de episcopio commutavit aut sine commutatione permisit, nec non quicquid prefatus Lampertus episcopus ad id ipsum monasterium in quocumque negotio concessit, cum Siggeri prediis Tuzzinananc et Wengin vocatis, in pago Tûrgewe sub comitatu Berhtoldi comitis sitis, quorum unum de rebus episcopii per episcopum Gebehardum, aliud de eiusdem monasterii rebus per abbatem Pericherum acquisitum est, vel quodcumque per aliquem Deum timentem ad eundem pium locum concedendum est aut concessum iam venit, apostolica beati Petri defensione et tuitione stabilitum et inconvulsum sub Christi testimonio permaneat et persistat. Hoc etiam apostolica iussione cum consensu tertii Ottonis imperatoris augusti et Lamperti supradicti episcopi, qui haec fieri rogaverunt, omnino interdicimus, ne forte aliquis eidem monasterio prefigatur, nisi quem communis fratrum ibidem Deo servientium concordia eligat; ad episcopum vero eum qui ita electus est stabilire tantum pertineat. Id ipsum etiam de advocati electione decernimus. Electo autem abbati vel monasterii advocato curae sit, res monasterii procurare easque dissipantibus resistere. Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea quae ab hac nostra auctoritate pie et firmiter per hoc nostrum privilegium disposita sunt contraire, vel haec quae a nobis ad laudem Dei pro stabilitate iam dicti monasterii statuta sunt refragari aut in quoquam transgredi temptaverit, sciat, se auctoritate beati Petri principis apostolorum, cuius vel immeriti vicem agimus, anathematis vinculo innodatum et cum diabolo atque Iuda traditore Christi aeternis incendiis concremandum. At vero, qui pio intuitu observator nostrae salutiferae preceptionis extiterit, benedictionis gratiam a iusto retributore Domino multipliciter consequatur, et vitae aeternae particeps effici mereatur in secula seculorum. Amen.*

1002. 3. *De Heinrico rege et Lamperto episcopo.* Post haec mortuo Ottone imperatore, cum Heinricus imperium suscepisset et Babimbergensem episcopatum construxisset, omnia quae fuerant Burchardi quondam ducis de monte Duello, et eius uxoris Hadiwigae in potestatem suam quasi hereditario iure redegit, et Babimbergensi aecclesiae tradidit. Hacque de causa etiam Steinense monasterium in potestatem ipsius aecclesiae devenit. Set nostrum monasterium, hoc est Petrishusin, tunc per privilegium Ottonis imperatoris Epfindorf retinuit, quod iam dicta Hadewic beato viro Gebehardo episcopo iam pridem in proprietatem tradiderat. Set cum iam dictus rex Heinricus undecumque ex aliis aecclesiis queque necessaria erant ad ditandum et ornandum locum quem construxerat studiosissime congregaret, multa loca rogando spoliavit, quousque locum suum ultra modum ditavit. Qua de re factum est, ut etiam Lampertum Constantiensis aecclesiae presulem rogaret,

a) *forte legendum* praefigatur *et* praescribatur. *U.*

55) Cf. supra p. 636. not. 43. 56) Bulla haec a Jaffeo (Nr. 2984) inter a. 998 et 999 ponitur.

ut et ipse, sicuti caeteri episcopi, de sua aecclesia sibi aliquot subsidium subrogare deberet. Unde factum est, ut idem Lampertus ex monasterio quod beatus Gebehardus construxerat multa de thesauro, quem ipse iam dictus Gebehardus Deo et beato Gregorio donaverat, per vim subtraheret, ut imperatoris voluntati satisfaceret.

4. *De thesauro beati Gebehardi.* Iste est thesaurus Gebehardi Constantiensis divae memoriae episcopi, quem ille dedit ad locum quem construxerat in honorem beati Gregorii papae, quem abstulit Lampertus episcopus successor eius. Nappus unus cum auro paratus. Pechina duo argentea. Nappi etiam argentei duo. Scutella una argentea. Coclearia duo argentea. Candelabra duo argentea. Numerus argenti 28 librae ad pondus. Dorsalia duo. Pechina duo. Pecten unum elefantinum auro paratum. Mensalia septem. Mantele unum. Tapetiolum unum. Sciphus unus argenteus. Stola una aurea et mappula eiusdem operis, cuius prependiculum quidam de monachis[a] subripuit et abscondit, quod et adhuc ibi habetur valde pretiosi operis.

5. *Ultio Dei super Lampertum.* Sed divinum iudicium nequaquam inultum reliquit, quod Lampertus pervicaciter in locum sanctum deliquit. Nam cum ei terminus vitae propinquaret, coepit ultra modum scatere humanis vermibus qui vocantur pediculi, ita ut nullo ingenio ab his eripi potuisset. Plerumque enim a famulis tam in Rheno quam in balneis lavabatur, ut imminens passio aliquantulum mitigaretur, set in ipsa aqua ex ipso quasi examina apum tam de auribus quam de singulis artubus sicut formicae de acervo prodibant, quousque sub hoc foedo tormento spiritum exalavit.

6. Ellimboldus abbas[57], qui Periggero successit, nullum[b] de se nobis monimentum 57 reliquit.

7. *Quomodo predium apud Campis acquisitum est.* Waltharius abbas[58] secundo anno imperii Heinrici regis acquisivit monasterio predium apud Campis et Essane, quod mutuatum est ad Snetzinhusin[c], et Quarabitis[d. 59] per concambium a quodam Burchardo, cui datum est in mutua vicissitudine a monasterio quod habuit proprium apud Burron et apud Berge et apud aliud Berge, et aecclesiam apud Lindinis[60]. Quod quidem predium quidam presbyter nomine Tiethere per partes acquisivit temporibus Ottonis imperatoris. Super quod plura quidem privilegia habentur, set ita non sunt dictitata, ut ea hic inserere velimus.

8. Sigifridus primum Constantiensis canonicus, deinde monachus apud Cellam Sancti Meginradi et ad extremum abbas constitutus est apud Sanctum Gregorium[61].

9. Erchimboldus abbas[62] nihil memorandum reliquit[e].

10. Folmarus abbas[63] acquisivit monasterio Rietilinis et Wegesaza[64], sicut subsequens privilegium testatur[65].

Privilegium super praedium Rietilinis. In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Notum 1043. Iun. 16. *sit omnibus Christi fidelibus, presentibus scilicet et futuris, quod ego Erimbreth rogatu Eberhardi Constantiensis aecclesiae episcopi tale predium quale visus sum habere in pago Nibelgewe in locis Ritilines et Wegesaza, curtilibus, agris, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, cultis et incultis, itibus et reditibus, et in silva Arinanc*[66] *ex parte mei predii, quantum his areis in predictis locis sufficiat ad aedificandum et ligna incidendum, cum pascuis, itibus et exitibus, cum manu uxoris meae Irmingardae, sine omni contradictione Deo et sancto Gregorio in loco qui dicitur Petershusa et monachis Deo illic servientibus potestativa manu tradidi. Preterea notum esse desidero, quod Eberhardus episcopus cum manu Folmari eiusdem loci abbatis et Heremanni advocati id ipsum predium in prefatis locis Rietelines et Wegesaza susceperunt, et quatuordecim mansus in loco Eichstat mihi et uxori meae usque ad obitum vitae nostrae in beneficio tradidit. Acta sunt autem haec anno dominicae incarnationis* 1043, *indictione* 11, *epactis septem, concurrentibus quinque,* 16. *Kal. Iulii, luna* 5, *presentibus his testibus. Oudalricus Prigantinus*[67]. *Switker. Wezel. Swigger. Ernest. Gerolt. Ruger. Landolt. Otgoz. Lupreht.*

a) de mon. *prorsus paene erasum.* b) nullum *oblitteratum.* c) quod — Snetz. *ead. manu superscriptum.* d) i. e. Grabidis unus manus *superscr.* e) nihil — reliquit *oblitterata.*

57) 1001—1003 secundum Goldbach 58) 1003—1012. 59) Gambs, in pago S. Galli, Eschen in principatu Liechtenstein, Schnetzenhausen praefecturae Tettnang, Grabs in pago S. Galli. U. M. 60) Lieuz in pago S. Galli ad Rhenum. 61) 1012—1018. 62) 1018—1030. 63) 1030—1044. 64) Riedlings in praefect. Wirtemb. Leutkirch; Wegesaza nunc destructum. M. 65) Legitur haec charta apud Lünig Spicil. eccles. P. III, p. 402. U. 66) Arnach prope Waldsee. 67) Hic Udalrici fratris S. Gebehardi filius fuisse videtur. U. Cf. Stälin I, 560 n. 11.

Sigipreht. Hartnit. Engilscalch. Enceli. Simpreht. Hunolt. Eppo. Ello. Alberich. Episcopus Eberhardus iussit hanc chartam fieri.

11. Preterea fertur, quod aurum quod in ostiolis fuerat illius tabulae quae principali est altari apposita tunc etiam sit ablatum, et pro iam dicto predio datum, atque deauratum argentum tabulae est affixum.

68 12. *Owiltingin.* Adelberti abbatis[68] temporibus dedit Swiggerus predium apud Owiltingen[69], de quo tale privilegium[70] habetur.

Privilegium super Owiltingin. Noscant omnes presentes atque futuri, qualiter ego Swig-
1058. *gerus trado cum manu uxoris meae Adelheidae et filii mei Goteshalchi ad monasterium sancti Gregorii in ripa Rheni situm in manum abbatis Adelberti eiusque advocati comitis Eberhardi[71] medietatem talis predii quale ego potestative visus sum habere in villa quae vocatur Owltinga, in pago Linzgouwe, in comitatu Ottonis comitis[72], ea videlicet ratione et pacto, ut quamdiu ego et predicta uxor mea vivamus, quandocumque nobis adesse placeat, in aedificiis et in omni fratrum utilitate fraternam communionem habeamus, post mortem vero nostram semper nostri memoria sicut unius fratrum cęlebretur, et si fieri possit, in utriusque, si non in illius cuius anima prius e corpore recedat anniversario die servitium fratribus iuxta constitutionem pręedicti dignitatis reverendae abbatis administretur. Actum est hoc in eadem sancti Gregorii aecclesia anno ab incarnatione Domini* 1058, *his presentibus, quorum nomina subscripsimus. Roudolf comes[73]. Eberhart. Oudalrich. Adelbret. Hezo. Hezil. Adelolt. Gerolt. Hereman. Alwich. Adelbero. Ratolt. Hezel. Roudolf. Marcwart. Ego Bernhardus diaconus scripsi et subscripsi, regnante parvulo quarto Heinrico rege, secundo post obitum patris sui anno, ordinationis autem beatae memoriae Rumaldi[74], presulis septimo, indictione* 12.[75]

13. Erat autem idem Adilbertus nobilis genere et formosus corpore. Obiit anno incar-
1060. nationis Domini 1060.[76]

14. Siggo[77] successit Adelberto.........[a]. Quo defuncto Arnoldus successit. Arnoldus deponitur, et Meginradus[78] substituitur.

15. *De Meginrado abbate.* Meginradus abbas tempore aliquanto, cum episcopus Constantiensis ad regale servitium deberet properare, coepit a iam dicto abbate commeatum importune querere dicens, sibi ex iure deberi ex eo monasterio spado cum limbone. Cumque Meginradus abbas vehementer reluctaret dicens, nihil ei omnino exinde ex iure deberi, et episcopus pertinaciter insisteret, ut daretur, ille abiecit virgam regiminis a se dicens, numquam se prorsus velle consentire, ut sacer locus libertatem suam per violentiam cogatur amittere. *Et quoniam iam,* inquit, *non valeo obsistere, melius est mihi abbatiam dimittere.* Sic ille abbatiam dimisit, et episcopus nihil ibi acquisivit. Attamen postea sedi suae restitutus, cum iterum quadam die episcopus sine ipsius rogatu missam in eodem monasterio vellet cantare, baculum pastoralem super altare proiecit et recessit.

16. *De capella sancti Iohannis baptistae. Oudilshusin. Iudintunberc.* Circa haec tempora Wolveradus[79] vir nobilis de Wilare et eius uxor Gotistiu nomine, Rumaldo presidente Constantiensi aecclesiae, construxerunt capellam in cymiterio monasterii in honore sancti Iohannis baptiste et sancti Nicolai et aliorum sanctorum, illucque Oudilshusin et Iudintunberch[80] in dotem contradidit, ipsamque capellam proprium habere sacerdotem instituit. Ubi etiam ipse et uxor eius ante sanctuarium in singulis sepulchris iacent tumulati, unum in dextro, alterum in sinistro pariete.

17. *Bozze. Gisilmarsruti. Swabirichishusin. Mâginbouch*[81]. Sed et Sigifridus filius iam

a) *sex lineae penitus sunt erasae, quam permagnam lacunam iam Ussermann notavit.*

68) 1044—1060. 69) Uhldingen prope Meersburg. U. 70) Legitur quoque apud Lünig l. c. p. 403, sed corrupte. U. 71) de Nellenburg ut videtur. U. 72) de Buchhorn. 73) de Pfullendorf fortasse sive de Achalm. 74) Rumoldus Constantiensis episcopus a. 1051. factus, a. 1069. demum obiit, unde verba *beatae memoriae* a nostro addita videntur. U. 75) Currebat haec indictio a mense Septembri anni 1058. U. 76) Iuxta Necrol. April. 23. U. 77) Hic infra l. IV, 27 obiisse dicitur altero ordinationis suae anno, ideoque circa a. 1062. U. 1060—1065. vero eum rexisse vult Goldbach. 78) 1066—1079. 79) In Necrol. notatur 4. Ian., ubi etiam uxor vocatur Gotistiu, et praedia Uoldishusin et Iudintunberch. Nobilis vero haec familia ignota. U. 80) Oggelshausen prope Buchau, Iudentenburg paroch. Burgweiler in princip. Hohenzollern. U. M. 81) Boos, Geiselmacher in praefect. Saulgau, Schwäblishausen, Magenbuch prope Pfullendorf. M.

dicti Wolveradi temporibus Ottonis episcopi[82] oratorium sancti Iacobi apostoli addidit eidem capellae et illuc in dotem dedit Bozze, Gisilmarisruti, Swabirichishusin. Sepulchrum sibi in ipso oratorio constituit, set Romam iens in redeundo apud Clavine[83] morte preventus 83 est[84] ibique sepultus. Iste quoque nimis locum nostrum dilexit, sepe illum visitavit ibique manebat. Unde factum est, ut dum quadam nocte, peractis vigiliis matutinis, ab aecclesia vellet egredi, per cecitatem noctis cecidit per gradus, quibus tunc ab ipso ostio aecclesiae in claustrum descendebatur, set nunc aliquantulum longius ab ostio transpositi sunt ab avunculo meo Gebinone. Statim itaque post illum casum Sigifridus dedit predium apud Mâginbouch ea conditione, ut omni nocte infra vigilias matutinas ante ipsum ostium lumen iugiter arderet.

18. *Brachium Thebeorum martyrum.* Et ut ad superiora parumper tempora redeamus, Herimannus senior de Hirzisegga[85] temporibus Counradi secundi imperatoris apud Agaunum acquisivit unum brachium unius de commilitonibus sancti Mauricii, quod cum debita veneratione patriam apportavit, et sarchofago exiguo set argento decorato inclusit ac monasterio donavit. Ipse Herimannus et frater eius dederunt duo predia apud Alminishus et Winiden[86].

19. *De Urso presbitero*[a]. Circa haec tempora advenit quidam venerabilis senex presbiter[a] peregrinus nomine Ursus[b], qui pre senectute visum amiserat et in villa Petrishusensi in cuiusdam mulierculae domo infirmatus lecto cubabat. Huic quedam matrona de Constantia causa Dei solita erat studiosissime ministrare, cum grandi tamen labore, quoniam scatebat humanis vermibus inremediabiliter, ita ut cum iam noviter lota vestimenta ei circumposita fuissent, antequam una hora transiret, sicut acervus formicarum iterum scatebat. Hunc cum venerabilis abbas Meginradus visitaret et coram eo sederet, dicere solitus erat: *Omnia,* inquit, *quae mihi a vaticinantibus et divinis predicta sunt, super me venerunt, nisi hoc quod dixerunt, ferro me necandum fore, et miror valde, quomodo hoc super me decrepitum et paralyticum perventurum sit.* Erat autem ipse presbyter litteris optime eruditus et corpore decorus. Cumque iam venerabilis matrona laborem non posset sustinere, ut tam sepe flumen deberet transire, transtulit eum Constantiae in domum suam ibique studuit ei ministrare. Accidit autem, ut in vigilia omnium sanctorum quidam homo freneticus mane manducans eandem domum intraret et insania agitatus huc illucque deambularet. Cumque eum venerabilis presbyter in lecto iacens audiret manducare, dixit ei: *Homo, hac hora non debuisti manducare.* At ille, quia scriptum est: *Increpationes odivit insipiens,* cum indigna- Prov. 12, 1. tione respondit dicens: *Quomodo sic loquitur episcopus ille?* Et aripiens fossorium percussit eum in cerebrum, ita ut statim emitteret spiritum. Cumque vellent eum qui hoc fecerat quidam patibulo suspendere, alii saniori usi consilio abduxerunt eum et dimiserunt abire illesum.

20. *De Gebinone, et eius predium.* Et erat vir quidam nobilis Gebino de Pfruwangin, qui habere coeperat familiaritatem ad locum sanctum, et dedit illuc de prediis suis apud Ringginwilare et Frimanniswilare atque Tanchiratiswilare[87]. Ipseque sibi habitaculum apud monasterium fecerat, ibique iugiter propter divinum servitium commanebat.

Quiddam mirum. Factum est autem, ut quadam die ei nescio quid eveniret, ut gravi ira furoris inardesceret, et recedere a monasterio volens ante altare sancti Gregorii accessit, ut ibi ira furens licentiam abeundi acciperet. Cumque ab altari per gradus descenderet, per quos tunc ab altari in chorum descendebatur, cecidit, et crus eius confractum est. Tunc exclamavit dicens: *O sancte Gregori, quam iusto iudicio me modo percussisti, quoniam a te recedere ignominiose volebam.* Ad hospitium famulorum manibus perlatus, numquam deinceps ullo medicamine os potuit coalescere, set semper servulorum manibus ad aecclesiam in sella deferebatur. Sic factum est, ut qui recedere voluit iratus, usque ad mortem remaneret coactus et debilitatus. Iste dedit casulam optimam crocei coloris. Sepultus est in porticu ante basilicam.

a) prespiter *cod.* b) *superscripsit eadem manus Bero.*

82) 1071—1086. 83) Cläven, Chiavenna. 84) Ex Necrol. April. 15. U. 85) Hirschegg prope Altshausen. M. 86) Almannsweiler et Winnenden in praef. Saulgau, aut Michelwinnaden prope Waldsee. M. 87) Pfrungen in praef. Saulgau, Ringgenweiler, Frimmenweiler, Dankelsweiler in praef. Ravensburg. M.

21.[a] Quodam tempore episcopus Counradus[88] saepe legumina ..... entur postquam ad frat..n..ex..ari posuerunt..simo die super sepulchrum beati Gebehardi dicentes: quia hic illis nihil aliud ad manducandum dare vellet, ut et ipse accideret. Tunc itaque per plures annos per omnem abbatiam nihil leguminis terra germinavit.

22. Igitur postquam se Meginradus abbas, sicut supra diximus, potestate abdicavit[89], Liutoldus[90] substitutus est.

23. *Hedewanc, Piginhusin, Adilberinwilare.* Per haec tempora multi procerum familiaritatem ad idem monasterium habebant locumque sepulchri inibi se habere gaudebant. 91 Inter quos Eberhardus comes de Potamo[91], qui Hedewanc[92] predium illuc dedit, in basilica ante dominicam crucem quiescit. Et Oudalricus comes senior Brigantinus, qui Biginhusin[93] dedit, in claustro pausat. Gero quoque comes de Pfullindorf, qui prediolum apud Adelberinwilare[94] dedit, ante ostium aecclesiae iacet, de quo quiddam mirabile a prioribus narrabatur[b]. Itaque cum sua genitrix eum in utero adhuc gestaret et iam vicina partui esset, nescio quae causa extitit, qua exigente per stagnum contra Constantiam navigavit. Igitur cum venissent circa locum qui dicitur Eichhorn[95] coepit in navi parturire, et quoniam res inopinata erat, et nusquam ad aliquod habitaculum divertere poterant, ibi in navi pedisseque eam circumdederunt et secretum fecerunt, ibique peperit filium [quem vocavit Gér][c]. Post multos autem annos temporibus Theoderici abbatis, cum mors cum eodem Gerone coepisset luctare, et ipse videret finem vitae sibi propinquare, iam dicto abbati oboedientiam promisit et ad monasterium navigio se perduci precepit. Cumque ad eum locum in quo natus fuerat, sicut superius retulimus, ut rectius notare potuerunt hi qui utrique rei interfuerunt, devenisset, in eodem loco defunctus est, et ut diximus in monasterio ante aecclesiam sepultus est.

24. *De nobilibus in eodem monasterio sepultis.* Eppo quoque de Sancto Monte eiusque coniunx Touta ad sanctum Petrum tumulati iacent in eadem aecclesia, quorum imagines super altare in muro depictae sunt, et virili imagini asscripti sunt hi versus:

Hic iacet Eppo bonus de Sancto Monte[95] patronus,*
Maii quindenis est mortuus ipse Kalendis.

Super muliebrem autem imaginem descripti sunt hi versus:

Istic tuta malis iacet eius conlateralis,
Illa Kalendis senis est tumulata Decembris.

Ex latere autem eiusdem parietis habetur tale epitaphium super Herimannum de Hirzisegga[96] et eius coniugem Perhteradam:

Perhterat aetherii Herimanque perennia regni
Petri suscipite precibus bona Gregoriique,
Vos et vestra decens post debita sabbata proles
Istinc octavam speratis adire beatam.

In altera parte aecclesiae ad sanctum Stephanum iacent quatuor nobiles viri qui simul occisi sunt, hoc est Wernherus, Burchardus, Herimannus, Wolfarnus.

25. *De Geroldo eiusque fratre Herimanno. Miminhusin. Ruti. Eschirichiswilar. Niuviron.* Per haec itidem tempora Geroldus et eius frater Herimannus dederunt apud Miminhusin, Rûti, Eschirichiswilare et Niuviron[97], et ipse Geroldus temporibus Theoderici abbatis venerabiliter valde in eodem monasterio conversatus est usque ad obitum suum, prius in barbatorum habitu, deinde in monachorum.

1056. 26. *De Heinrico rege quarto.* Anno ab incarnatione Domini millesimo quinquagesimo septimo Heinricus tertius imperator obiit, et filius eius Heinricus quartus successit adhuc

a) *totum hoc caput erasum manus recentior litterarum ductus secuta superscribere ausa est, quo factum est ut textus genuinus a Mone et nobis nequaquam restitui posset. Iam U. hic in cod. lacunam 5 linearum esse dicit.* b) nota *mirum in marg. adscriptum.* c) *uncis inclusum alia manu in margine adscriptum.*

88) Conradus episcopus Constantiensis temporibus in chronico nostro descriptis non occurrit, immo antea a. 935—976. 89) Infra l. IV, c. 27 Meginradum depositum esse, dicit. 90) 1080—1084. 91) i. e. de Nellenburg. 92) Herdwangen esse videtur apud Pfullendorf. M. 93) Bichishausen prope Möskirch Ussermann, Biggenmoos in praef. Tettnang Mone suspicatur. 94) Alberweiler in praef. Tettnang. M. 95) angulus peninsulae iuxta Petershausen, usque hodie dictus *das Horn.* M. 95*) Heiligenberg. 96) In necrologio legitur Mart. 1. U. 97) Forte Esseratschweiler in Lindaviensi capitulo et Neuffern in Rottwilensi capitulo. U. Neufrach et unum de tribus Weiler prope Salem, Reute prope Meersburg. M.

puer, annorum scilicet novem[1], qui per quadraginta et octo annos quasi ticio fumigans oculos fidelium terebravit. Etenim felicissimum Romanum imperium cum accepisset serenissimum, per omnia reddidit turpissimum et turbolentum, sicuti et matri ipsius, cum adhuc infantulus esset, fuerat in visione preostensum. Vidit enim in somnis, quasi ipse infantulus sederet in mensa pulcherrima atque latissima, sed ipse eam ex immensa egestione ventris per totum coinquinavit, in tantum ut nihil omnino incoinquinatum appareret. Ut enim inmatura libertate potitus est, quasi equus et mulus, quibus non est intellectus, absque mensura semet ipsum et omnes suos fautores libidini tradidit, in tantum ut legitime coniugis thoro spreto inauditis stupris sine cessatione vacaret. In tantam autem vesaniam prorupit, ut sicut tunc longe lateque ferebatur, etiam idolum occulte coleret et omnia aecclesiastica officia symoniace venderet et quoscumque religiosos episcopos scelera sua execrantes Berth Zwifalt. c. 8. resciret, eos propriis sedibus privavit, et ipse alios suis flagitiis faventes aecclesiis pretulit, et omnia tam aecclesiastica quam secularia iura confudit. Pervenit enim tunc super Romanum imperium illa maledictio, quae a Salomone prescripta legitur: *Vae terrae, cuius rex puer est;* et in Eccl. 10, 16. Iob: *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Iob 34, 30

27. Anno 1069. Rumaldus Constantiensis episcopus obiit, et Karolus quidam per 1069. symoniam a Heinrico rege eidem aecclesiae in episcopum transmissus[2], set in iam dicta heresi deprehensus, a clero Constantiensi refutatus in presentia regis, ipso quamvis nimium furente, reprobatus est. Tunc rex iracundia permotus ait: *Quoniam idoneum spreverunt, accipiant ignavum.* Et tunc Ottonem quendam Saxonem genere dedit eis episcopum.

28. *Quomodo Heinricus excommunicatus est.* Anno 1075. cum rex Heinricus per omnia 1075. tyrannice viveret et nec Deum nec homines vereretur et investituras episcoporum et abbatum pro velle suo distribueret et cum pro hoc sepe a legatis Gregorii pape admonitus esset nec emendari vellet, iam dictus papa Gregorius, qui et Hiltibrandus, congregata synodo excommunicavit eum et omnes sequaces eius, et iuratos illi atque federatos absolvit et abalienavit eos ab illo[3] et interdixit, ne aliquis ab eo aecclesiasticum officium vel investi- 3 turam susciperet; insuper clericis coniugia sub anathematis vinculo interdixit. Hac de causa tanta procella aecclesiam impulit, quae innumeros subvertit, et hactenus usque in presens, set nec usque in finem, ut credimus, navim Dei inundare et pulsare non desinit. Tunc adimpletum est quod Dominus dixit in euangelio: *Nolite arbitrari, quod venerim* Matth. 10, 34–36. *mittere pacem in terram. Non veni pacem mittere set gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum et filiam adversus matrem suam et nurum adversus socrum suam; et inimici hominis domestici eius.*

29. Anno 1077. Roudolfus dux Suevorum iussu Gregorii papae et consilio Berhtoldi 1077 ducis et Welfonis Baioariorum ducis aliorumque quam plurimorum catholicorum in villa Foricheim rex constituitur. Qui tribus et dimidio anno regnum contra Heinricum tenuit. Initium, immo incrementum dolorum haec; nam inde exorta sunt prelia et seditiones et multae sanguinis effusiones et, quod est deterius, multarum animarum perditiones.

30. *Quomodo Heinricus sacerdotium confudit.* Anno 1080. Heinricus rex anathemati- 1084. zatus Romam cum magno sibi favente exercitu tendit eamque sibi non immerito repugnantem obsedit Berth Zwifalt. c 8. armisque cępit, Gregorium papam sede apostolica pulsum in exilium satis impię trusit et Wipertum Ravennatem archiepiscopum ob scelera sua iam septennio[4] excommunicatum apostolicae sedi imposuit, et ab eo coronam imperii sibi imponi fecit. Hic nefandissimus heresiarcha sanctam matrem aecclesiam infestavit plus quam decem et novem annis. Erat tamen litteris adprime eruditus et lingua facundissimus et, si iustus, huic officio satis esset idoneus.

31. *Quomodo Heinricus regnum turbavit.* Cum igitur Heinricus rex aecclesiastica officia ut diximus perverse tractaret, et iam divino iudicio contritio et infelicitas viis eius propinquaret, cepit viam pacis perturbare et nec Dei timorem pre oculis habere, nec hominibus quae iusta erant exhibere. Et ut pauca de multis dicam, Ottoni duci Baioariorum ducatum abstulit et Welfoni de Ravinisburch[5] tradidit[6]. Bertolfum quoque de Zaringin ducatu Carintinorum privavit et Liutoldo Genuensi dedit[7]. Ad hec cum in Saxonia sepe

1) Leg. *septem.* U. 2) Cf. Bernoldum ad a. 1069. 3) Cf. Bernold. 1076, ex quo noster haec inde ab *et cum pro hoc,* verbis non modice immutatis, hausisse videtur. 4) *triennio* tamen Bernold. 1080, cui paullo post vocem *heresiarcha* deprompttam esse monuit M. 5) Huius filius, Heinricus Niger, a Bertholdo Zwifalt. c. 32 *de Rabinisburc* vocatur. 6) Cf. Bernold. 1071. 7) immo Marcwardo de Eppenstein, patri Liutoldi, qui unde Genuensis vocetur, nescimus. Factum est a. 1078.

moraretur, eo quod ipsa provincia imperatoris coquina esse perhibetur, coepit tam coniuges quam filias principum constuprare et in huiuscemodi facinoribus modum non habere. Has ignominias Saxones non ferentes, ad rebellandum sunt incitati et exinde gravia prelia et seditiones sunt experti[8].

32. *De bello apud Unstrout. Primum bellum.* Et ut ad superiora tempora parumper redeamus,
1075. Iun. 9. anno incarnationis Domini 1074. Heinricus rex congregato exercitu Saxoniam sibi rebellantem hostiliter intravit et apud aquas Unstruot cum eis pugnavit eosque devicit, multisque occisis et plurimis fugatis, quibusdam etiam sine conditione sibi traditis[9], victoriam adeptus est non suo merito, set, ut credimus, Deo felicem Romanam rem publicam honorante. In hoc bello cum rege fuerunt duces Suevorum, Roudolfus postea rex et Welf atque Bertholfus, quamvis ei suspecti essent. Ibi occisus est ex parte regis Ernist marchio Orientis et duo filii Eberhardi comitis de Nellinburch, qui Shafhusense monasterium fundavit.

33. *Quomodo Suevi rebellaverunt et Roudolfum regem constituerunt.* Igitur iam dicti duces Alamannorum statim post hanc pugnam regi rebellare coeperunt, ac diu inter se tractato consilio ad ultimum cum voluntate Gregorii papae, qui et Hiltibrandus, convenerunt in villa quae Forcheim* dicitur una cum Saxonibus, et Roudolfum ducem Suevorum** constituerunt regem, vivente adhuc Heinrico, set excommunicato. Actum anno dominicae
1077. Mart. 13. incarnationis 1077. mense Martio. Qui Roudolfus proximum pascha egit apud Augustam Vindelicam[10]; set Imbrieco eiusdem urbis episcopus noluit eum nec videre, nec salutare, set quae necessaria erant iussit abundanter ministrare. Inde digrediens Roudolfus rex obsedit castellum quod dicitur Sigimaringin; set comperto adventu Heinrici regis, qui per iuga Alpium cum exercitu veniebat ad liberandam munitionem, aufugit et in Saxoniam
1079. Mart. 24. perrexit. At rex Heinricus dedit Friderico de Stouphin ducatum Suevorum, et filiam suam iunxit ei in matrimonium, quae genuit ei Fridericum et Counradum postea regem.

1078. Aug. 7. 34. *De bello apud Strowe. Secundum bellum.* Item Heinricus congregato exercitu contra Saxoniam perrexit ad expugnandum Roudolfum. Set illi e contra congregati occurrerunt ei in provincia Baioarie loco fluminis quod dicitur Strowe, dicentes, nolle se regem longius fatigare. Ibi facta pugna vehementissima rex Heinricus cum suis terga vertit, et
11 ibi Diepoldum marchionem de Giengin[11] cum aliis multis perdidit. Saxones igitur adepta victoria suos saucios et occisos levantes conciti abierunt. Rex autem Heinricus, ipsa die superveniente duce Boemiorum, cum valida manu post fugam ad locum pugnae rediit, Saxones quesivit iterumque cum eis confligere voluit. At cum eos minime reperisset, suos quique tam occisos quam vulneratos levaverunt et abierunt ac circumquaque omnia preda, ferro et igni devastaverunt.

35.[a] *De bello apud Madilrichistat.* Tertium bellum fuit apud Madilrichistat, in quo iterum rex Roudolfus cum Saxonibus victor extitit, Heinricus autem fugit[12].

1084. 36. *Quomodo rex Romam cepit.* Post haec Heinricus rex Italiam perrexit, Romam cum exercitu venit eamque sibi rebellantem armis cępit, Gregorium papam eiecit post
1076. multas iniurias, quas ei fautores eius prius irrogaverant. Nam cum quodam tempore
Berth. Zwifalt c. 8. in sancta nocte nativitatis Domini in Romana urbe primo galli cantu missam, ut moris est, celebraret, a quodam Crescentio cive Romano regis fautore gladio est appetitus et forti ictu in capite percussus ad terram concidit. Deinde ad sui vesaniam cumulandam in captivitatem eum redegit et in turrim suam trusit; set eodem die a fidelibus ipsa turre destructa papa ante vesperam altario, unde impie abstractus fuerat, pie restitutus est et missam, quam in galli cantu coeperat, adhuc ieiunus et ab aliis sustentatus vespere complevit, nam eam prius ad communionem peregerat.

37. *De Wiperto.* Gregorio papa catholico expulso et in exilium satis impie detruso, Heinricus rex quendam scismaticum, nomine Wipertum, prius Ravennatem archiepiscopum, set iam septennio ob scelera sua a papa excommunicatum, sedi apostolice indigne prefecit et ipse ab eo consecrationem

* Ex hoc loco Pilatus Domini crucifixor ortus dicitur patre Ato, matre vero Pila, unde Pilatus est compositum. Et terra, ubi natus est, nullum umquam omnino germen gignit[13]. Unde tunc vulgus de Roudolfo concinebant, quod alter Pilatus surrexisset. *in marg. adscript. ead. man.*

** Hic gener fuit Heinrici regis, filiam enim eius habuit. *lineae superscript. ead. man.*

a) *hoc caput in margine adscripsit auctor.*

8) Cf. Bernold. 1073. 9) Cf. Bernold. 1075. 10) Cf. Bernold. 1077. 11) Cf. Stälin Wirtemb. Gesch. 1, 570. 12) Falso a nostro distinguitur inter pugnam apud Strowam et pugnam apud Melrichstadt, quod oppidum Streu flumen praeterfluit, quod falso in Bawaria ponit. 13) Cf. Mone Anzeiger IV, 421. VII, 526. M.

imperialem suis nequitiis satis condigne percepit. Hoc enim non consecratio, set magis execratio nominandum est. De hoc etiam superius[14] retulimus.

38. *De bello apud Elstere. Quartum bellum.* Interim rex Roudolfus congregato exercitu Boemiam voluit intrare eamque devastare, set dux Boemiorum cum Sclavis, adiunctis sibi etiam aliis complicibus regis Heinrici, occurrit ei in flumine quod vocatur Elstere, ibique facta pugna valida multi ex utraque parte ceciderunt. Ipse autem Roudolfus rex in ipso flumine lancea graviter vulneratus de equo in aquam cecidit, set a suis sublevatus et in campum delatus, supervenientibus episcopis, penitentiam et viaticum accepit. Cum autem iam esset in morte, caput, sicut fertur, elevavit et ait: *Quis*, inquiens, *habet victoriam?* At cum circumstantes dicerent: *Vos, domine*, caput reclinavit et ait: *Iam*, inquit, *non curo de mea morte, si eam excipio cum triumphi honore.* Ita rex Roudolfus eadem die vitam finivit apud Elstere atque a suis Mersiburch delatus ibique honorifice sepultus est in ipso choro basilicae, et imago ipsius ex ere fusa atque deaurata super tumulum eius transposita est. In hoc bello victoria dubia fuit, quoniam ex utraque parte fugerunt; attamen Sclavi regionem suam ab invasione Saxonum defensarunt. Actum anno dominicae incarnationis 1080. Idus Octobris. 1080. Oct. 15.

39. *De Herimanno rege.* Dehinc sequenti anno proceres Saxonum et Suevorum convenerunt in loco[a] qui vocatur Ohsonefurt, et Herimannum constituerunt regem, genere Francum de Glicberg, virum nobilem, decorum, strennuum et idoneum, anno incarnationis Domini 1081, regnavitque annis septem. 1081.

40. *De bello apud Hôste*[15]. *Quintum bellum.* Post haec dux Suevorum Fridericus et 1081. Aug. 11. Couno palatinus de Fohiburch cum ceteris Heinrici regis satellitibus congregati quasdam munitiones in Baioaria cęperunt et usque ad munitionem quae vocatur Werde[16] accesserunt eamque cęperunt. Inde cum abirent, ecce Herimannus rex cum exercitu Suevorum supervenit, eosque in loco qui vocatur Hôste comprehendit. Inito autem bello acriter ex utraque parte pugnaverunt, cumque animose pugnarent, et neutra pars cędere vellet, unus ex parte Alamannorum clamasse fertur magna vociferatione: *Eia*, inquiens, *Suevi, fortiter pugnate, ecce fugientes Baioarios videte; nullum ex eis abire dimittite.* Quam vocem audientes Baioarii et putantes ita esse, sicut ille malignus dixerat, omnes pariter terga verterunt et unus alium fuga prevenire cupierunt, plures autem ibi cęciderunt. Ibi cecidit Couno palatinus de Fohiburch cum aliis multis.

41. *Quomodo papa Salernam est pulsus exilio et quomodo Heinricum iterum anathematizavit.* Iterum rex Heinricus papam Gregorium multis blandiciis delinivit, ut se reconciliaret; set Berth Zwifalt. c. 8. ille tenax insticiae nullo modo deflecti potuit, nisi ille ab impietate sua resipisceret. Ac propterea pulsus 1084. patria Salernam petiit, ibique synodum congregavit ac iterum contra Wipertum et Heinricum gladium excommunicationis exacuit et contra omnes fautores eorum et erroribus eorum consentientes; excepit autem rusticos et pueros ac mulieres, quae nec armis nec consiliis eos iuvarent[17].

De obitu papae. In eadem civitate fine vitae suae preventus, hoc memoriale ante obitum suum dixisse narratur: *Quoniam iusticias dilexi et facientes prevaricationes odivi, ideo morior in exilio.* ibid. Obiit autem anno incarnationis Domini 1081. 1085.

42. Rex autem Heinricus de Italia in Theotonicas partes rediens, Welfonem ducem Vindelicam Augustam odio Sigifridi episcopi obsidentem reperit eumque inde exterruit.

43. *De bello apud Wirziburch. Sextum bellum.* Anno incarnationis Domini 1086. fideles sancti Bernold. 1086. Petri generale colloquium post festivitatem apostolorum prope Wirzeburch condixerunt. Quod rex Heinricus perturbare volens cum exercitu supervenit, set multitudine Suevorum cum principibus suis superveniente ad tempus locum dedit. Ipsis autem Herbipolim adiunctis Saxonibus circumdantibus, Heinricus rex exercitu viginti milium congregato ad civitatem liberandam aciem direxit. Illi autem erecta cruce obviam ei duobus miliariis non tam armis quam misericordia Dei freti processerunt. Interfectis autem ex parte regis valde multis, Suevi et Saxones victores extiterunt et ex sua acie non nisi tres tantummodo perdiderunt. Tulerunt autem non tantum scrinia cum regalibus vestimentis, set et episcoporum infulas, qui eo erant in bello, abstulerunt, et illa nocte in eodem campo inter cadavera occisorum castra metati sunt, deinde ad obsidionem revertentes civitatem sine sanguine ceperunt.

44. *De obitu Herimanni regis.* Igitur Herimannus rex cum in Alemannia commoraretur et regios sumptus non haberet, ut secundum regiam dignitatem conversari potuisset,

a) in loco *desunt in cod.*

14) scil. cap. 30, cuius verba partim repetuntur. 15) Höchstädt ad Danubium. 16) Donauwörth. 17) Exceptio haec respicit ad synodum anni 1078, vid. additam. ad Bernold. h. a. ex quo noster forte hausit.

eo quod nullus episcoporum ei subici vellet, devenit Constantiam civitatem et aliquod diebus ibi mansit, inde Rhenum transivit et in monasterio Petrishusensi fere septimanam transegit. Postea Saxoniam perrexit, et cum quodam tempore iuxta castellum quoddam transiret, unus ab arce fortuito casu saxum iecit regemque inopinato ictu in capite percussit, ex quo
1088. non post multum vitam finivit.

1093. 45. *De Kounrado rege, filio Heinrici regis.* Deinde post sex ferme annos Counradus filius Heinrici regis, patris, ut ipse fatebatur, scelera fugiens, ad Italiam transivit ibique
1101. pauco tempore regnavit et veneno vitam finivit atque apud Florentiam civitatem sepultus quiescit.

46. *Quod Heinricus solus regnum obtinuit.* Post has varias luctas et multas calamitates et immensas sanguinis effusiones et plurimas animarum perditiones, Heinricus demum solus obtinuit monarchiam, omnes pene principes ei reconciliantur, legitimum imperatorem fatentur. Habebat autem semper omnes civitates Rheno flumini adiacentes aliasque potentes et metropolitanas civitates foederatas, set et plerique episcoporum ei ita erant conexi, ut nulla ratione ab eo potuissent divelli.

De Ottone episcopo. In quibus Otto Constantiensis episcopus, cum iuramenta quae ei iuraverat nullatenus ex iussione et auctoritate apostolici infringere vellet, a religiosis catholicis repudiatus est.

Bernold. 1084. p. 441. 47. *De iterata dampnatione Wiperti et Heinrici.* Anno ab incarnatione Domini 1085. Gregorius papa, qui et Hiltibrandus, cum esset Salerni exul, collecta synodo iterum sententiam anathematis in Wipertum scismaticum et Heinricum regem dictum et in eorum fautores promulgavit. Hanc sententiam legati sedis apostolicae, videlicet Petrus Albanensis episcopus in Francia, Otto Ostiensis episcopus, postea vero papa, in terra Theotonicorum usquequaque divulgaverunt.

48. *De Hirsaugia.* Ea tempestate spiritalis disciplinae ardor quam maxime fervebat apud monasterium quod dicitur Hirsaugia, et multi tam nobilium quam ignobilium clericorum et laicorum, set et monachorum de aliis locis illuc confluebant et de procella anathematis, quae tunc navim aecclesiae vehementer impingebat, quasi de maximo naufragio emergentes, illic quasi ad portum confugiebant et quietem optatae salutis se invenisse
18 gaudebant[18]. Inter quos Gebehardus vir nobilissimus, frater Bertholdi ducis de Zaringin, qui prepositus erat apud Xantum, mundana relinquens ad iam dictum se contulit monasterium, et sicut habitum mutaverat ad religiosum propositum, ita arripuit et dignitatem morum.

1084. 49. *Quomodo Gebehardus III. episcopus Constantiensi aecclesiae prelatus est.* Igitur cum ex legatione apostolici Otto Ostiensis episcopus Constantiae advenisset et ipsam aecclesiam pastore viduatam propter damnationem Ottonis, qui ibi episcopus fuerat, invenisset, habuit consilium venerabilium patrum et religiosorum catholicorum, qualiter eiusdem aecclesiae gubernationi provideret.

Willihelmus abbas. Aderat tunc forte Willihelmus abbas Hirsaugiensis, vir inquam Deo et hominibus acceptus, quia erat litteris adprime eruditus et in regulari disciplina studiosissimus, humilis, mansuetus, mundi contemptor, monachorum et totius sanctimoniae diligentissimus amator. Hic cum huic conventui interesset et supradictum Gebehardum secum haberet, tractare coeperunt de eligendo episcopo catholico, quoniam spes non erat de Ottone dampnato. Inter huiusmodi colloquia Gebehardus venerabilis monachus retro altare sanctae Mariae secesserat ibique orationibus secretius vacabat Quid multa? Eundem Gebehardum episcopum Constantiensi aecclesiae eligunt, et post omnium unanimitatem, ipso rem prorsus ignorante, accedunt ad eum et dicunt: *Quia Dei gratia haec aecclesia te sibi episcopum elegit hodie.* Quo audito spiritus eius elapsus est ita, ut in terram corruens quasi mortuus iaceret. Resumpto tamen spiritu, invitum eum fecit ipsa die, hoc est in
Dec. 21. festivitate sancti Thomae, presbyterum et crastina die ordinavit episcopum. Otto vero depulsus, possessionem eiusdem aecclesiae quae dicitur Colmbra[19] adiit, ibique uno pene anno commoratus vitam finivit[20].

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

18) Cf. Bernold. a. 1083 fin. 19) Colmariam esse suspicatur Ussermann. 20) Cf. Bernold. 1084, quo, etsi brevior est, tamen nostrum usum esse patet.

INCIPIT TERTIUS.

1. *Quomodo Hirsaugienses ad Domum Petri venerunt.* Cum apud monasterium sancti Gregorii pape, quod dicitur Domus Petri, vigor regularis vitae iam iamque deficeret et nec proficue esset, nec deesset, et Gebehardus tertius pontificalem sedem ex apostolica auctoritate apud Constantiensem aecclesiam obtineret, dolens, in monasterio aecclesiae suae contiguo defectum divini ministerii excrevisse, interpellavit venerabilem Willihelmum Hirsaugiensem abbatem, ut de suo monasterio regulares viros ad Petrishusam dirigeret, per quos monasticus ordo inibi revivisceret. At ille, sicuti erat promptus ad omne bonum patrandum, misit egregios viros et valde religiosos et cum eis Ottonem quendam, qui eorum abbas esse deberet, si eius vita et mores post probationem eisdem complacerent. Set cum post modicum isdem Otto fratribus suis displiceret, eiusque magisterio nequaquam subici vellent, ad monasterium suum redire iussus est.

2. *Quomodo priores fratres sequentibus locum dederunt.* Liutoldus quoque abbas eiusdem monasterii et Roupertus scolasticus et alii quidam de prioribus fratribus, Hirsaugiensibus adventantibus, locum dederunt et ad Augense monasterium se contulerunt; quidam etiam se ad clericalem habitum transtulerunt. Iam dictus autem Roupertus egregius erat magister in omnibus liberalibus disciplinis, set et Bernhardus itidem eiusdem monasterii monachus summae sapientiae et doctrine vir. Qui tunc temporis ambo simul multitudinem magnam discipulorum in eodem loco nutrierant, quoniam scolis preerant et plerosque ad optimam eruditionem provexerant. Hic tamen Bernhardus, set et Wernharius pari pene pollens eruditione, anathema fugientes, Hirsaugiensi se monasterio iam pridem sociaverant.

3. *Quomodo Theodericus advenit, et de genere eius et conversatione.* Igitur transmissi a Willihelmo abbate Hirsaugenses monachi, viri valde religiosi, monasterium Domus Petri subintrantes et spiritalem militiam, prout destinati fuerant, fortiter exercentes, cum Ottonem sibi designatum magistrum in brevi reprehensibilem in quibusdam deprehendissent, protinus eum ad suos remiserunt et alium, qui eis preesse dignus esset, favente Gebehardo episcopo destinari petierunt. Quapropter Willihelmus abbas optimo consilio usus, misit venerabilem valde virum Theodericum, omni seculari et monastica eruditione adprime imbutum et huic regimini satis idoneum.

Huius pater Cuono comes concubinam habebat, nomine Berhtam, sibi valde dilectam, nec aliam uxorem duxerat preter eam, quae ei tres peperit filios, corpore valde formosos, animo vero non minus acutissimos, Liutoldum scilicet, Marquardum et Theodericum. Set Liutoldus et Marquardus, cum post obitum patris in ius Hartmanni comitis de Dilingin cessissent, eo quod ex ancilla nati essent, facti sunt tamen in omni re militari acerrimi et nimis animosi, adeo ut rex Heinricus Liutoldum inter duodecim, quos scelerum suorum semper secum conscios et fautores habuerat, assumpserit, quoniam erat fortis viribus et celer valde et omni militari strenuitate conspicuus, unde et ab eodem rege privilegium libertatis promeruit tam sibi quam suis posteris omnibus.

4. Theodericus vero in primevo iuventutis flore illecebris carnis, prout animus suggessit, indulsit, set maturius animum ab hac intentione coercuit. Litteris quippe ad unguem erat instructus, habitudinis optime, facundus lingua, forma satis veneranda. Monasterium sancti Oudalrici apud Augustam Vindelicam petiit ibique se primitus monachum fecit. Set quoniam virus anathematis tunc temporis non solum clericos et laicos, set etiam monasteriales quam plures infecit, venerabilis Theodericus huic se periculo subtrahens Hirsaugiam petiit ac se eidem monasterio socians, magisterio Deo digni abbatis Willihelmi se subiecit et sub hoc in omni regularis vitae disciplina in tantum intra breve spacium excrevit, ut non tantum subesse, quantum eum preesse deceret. Tum primum cuidam cellae quae appellatur Augia Leporis[21] prelatus est, ac deinde ad monasterium revocatus ac prior totius congregationis appellatus, strennue per aliquod tempus prefuit.

5. *Quomodo Theodericus ordinatus est.* Anno ab incarnatione Domini 1086. Gebe- 1086.
hardus tertius eiusdem nominis Constantiensis reverendus episcopus eximiis precibus impetravit a Willihalmo divae memoriae Hirsaugensi abbate, ut venerabilem virum Theodericum monasterio sancti Gregorii quod dicitur Domus Petri dirigeret, quatenus eidem preesset et regularem vitam inibi iuxta normam sui monasterii institueret. Quod cum

21) Notatur infra cap. 24. *Hasuunouwa* ab Udalrico comite Brigantino Petershusano monasterio donata, quae eadem forte est, cellam tamen ibi haud reperio. U.

1086. impetrasset et idem Theodericus transmissus advenisset, ex concordi petitione omnium fratrum ordinavit eum iam dictus episcopus abbatem eidem monasterio in festivitate sancti Iun. 11. Barnabe apostoli, eumque dilexit, fovit et in quibuscumque potuit ei semper solatio fuit.

6. *De industria eius.* Ordinatus autem omni religiositati operam dedit, animas et corpora subditorum omni sollicitudine procuravit, summa disciplina eosdem educavit, numerum discipulorum multiplicavit ita, ut in brevi plus quam quadraginta monachos et amplius quam quinquaginta barbatos fratres haberet, quibus omnem habundantiam victus et vestitus tribuit eorumque vitam in magna districtione coercuit.

7. *De choro.* Et quia chorus erat brevis, quoniam gradus, per quos in sanctuarium ascendebatur, locum occupabant, gradus diminuit lapidum et numerum ampliavit canentium, et lapides abstulit atque homines pro eis in locum eorum constituit. Chorum quippe sanctuario paene coequavit, uno tantum gradu sanctuario supereminente, atque ita in choro stantibus locum dilatavit; completo in hoc loco quod scriptura in persona Israel et aecclesiae Domino dicit: *Quoniam locus mihi angustus est et Dominus benedixit me, da mihi spaciosa ad manendum loca.*

8. *De aedificiis que construxit.* De ipsis autem gradibus, quos de choro sustulerat, alia deinceps aedificia decoravit. Lavatorium quippe fecit, ubi partem eorundem graduum posuit, et capitulum, et totum in circuitu renovavit claustrum. Ambitum quoque cellae muro circumdedit, set et porticum super sepulturas antecessorum suorum abbatum fecit. Haec autem omnia et alia dehinc narranda non ex reditibus, nec ex divitiis eiusdem loci, set ex donationibus fidelium consummavit, quoniam propter novitatem mundae vitae, quae nuper in istam processerat per eum provinciam, omnes eum excolebant et amabant, plures ei se suaque dedentes. Set et episcopus Constantiensis Gebehardus quam maxime eum iuvabat dando, et quoscumque sibi ob culpas suas obnoxios tam clericos quam laicos ei committendo, et quoniam idem pater facundus erat lingua, aurem benignam ei in omnibus accommodando. Ad hoc accedebat quod omnibus nimis erat largus, et sibimet ipsi parcus; nam corpus suum ieiuniis nimiis attenuabat, omnibus autem secum manentibus, set et adventantibus, omnem abundantiam tribuebat. Unde etiam semper in maximo angore erat positus, quoniam maximis debitis iugiter erat astrictus; attamen quoniam in Domino sperabat, ipse facili largitate cuncta reddebat.

1092. 9. *De capellis quas fecit.* Anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo secundo venerabilis abbas Theodericus capellam in meridiana plaga basilicae secus sanctuarium in edito construxit, quam in honore sancti Oudalrici episcopi et sancti Nicolai et sanctae Afrae Iun. 26. atque sanctorum Iohannis et Pauli 6. Kal. Iulii dedicari fecit. Collocavit autem ibi reliquias sanctorum Symonis apostoli, Stephani protomartyris, Ypoliti, Sebastiani, Pelagii, Alexandri filii Felicitatis, Paulini Nolanensis episcopi, Maximini episcopi, Galli et Magni, Felicitatis martyris, Agathae, Fortunatae, Eutropiae.

1093. 10. *De capella sanctae Mariae.* Dein sequenti anno, hoc est dominicae incarnationis 1093, indictione prima, fecit capellam ex aquilonari parte sacrarii, eamque 5. Idus Septembris dedicari fecit in honore sanctae Dei genitricis Mariae et aliorum sanctorum, quorum reliquie ibi habentur, hoc est sanctorum apostolorum Petri, Pauli, Andree, Bartholomei et Symonis, et beatorum martyrum Stephani protomartyris, Stephani papae et martyris, Blasii, Laurentii, Vincentii, Cyriaci, Ypoliti, Sebastiani, Georgii, Christofori, Alexandri filii Felicitatis, Cosme et Damiani, Pelagii, Pancratii et Mauricii, et confessorum Nicolai, Paulini Nolanensis, Maximini, Galli et Magni, et virginum Agathae, Ceciliae, Barbare, Hylariae, Eunomiae, Eutropiae martyrum et Verenae virginis.

11. Ad hanc capellam conventus omni die post vesperos et matutinos in honore sanctae Mariae solemniter procedit ibique post canticum et antiphonam atque orationem eius vesperos sive matutinos de omnibus sanctis et pro defunctis canit.

1094. 12. *De capella sancte Marie et sancti Michaelis.* Item anno dominicae incarnationis 1094, indictione 2, Theodericus abbas capellam sancti Michahelis[a] renovavit et auxit; erat enim parvissima, ita ut vix duodecim homines capere potuisset. Est quippe iuxta infirmariam, inter quam et iam dictam capellam erat edicula, in qua etiam plerumque infirmi cubabant, quam predictus abbas destruens capellae addidit ac novum altare fabricavit, eamque a venerabili Gebehardo episcopo tertio eius nominis sicut et superiores dedicari

a) Machahelis *cod.*

fecit die Nonas Iunii in honore Domini et sanctae crucis, specialiter vero in honore sancte Mariae matris Domini et sancti Michahelis archangeli et omnium sanctorum. Continentur autem in hoc altari reliquiae apostolorum Petri, Pauli, Andreae, Bartholomei, Symonis, et martyrum Felicis, Mauricii, Georgii, Pelagii, Venezlai, Pantaleonis, Anastasii, et confessorum Martini, Nicolai, Maximini, Paulini Nolanensis, Benedicti, Galli, Magni, et virginum ac martyrum Agathae, Ceciliae, Barbarae, Itae, Afrae, Hylariae, Eunomiae, Eutropiae. 1094. Iun. 5.

13. *De capella sancti Andree apostoli.* Sed et capellam sancti Andreae augmentavit et eidem addita aedificia barbatis fratribus deputavit, quae prius erant habitacula abbatum eiusdem loci. Ipsa autem capella erat valde parvula, et ante eam cancelli erant in claustrum prospicientia[a], quos ipse obstruxit et capellae adiecit eamque utiliter prolongavit.

14. *Quales discipulos habuit.* Habebat autem isdem venerabilis pater tunc temporis egregios viros valde religiosos optimae formae et doctrinae sub cura sua, in quibus erant Meinradus pridem abbas, de quo superius retulimus[22], Bernhardus scolasticus et Cuono atque Wernharius de Alshusin caligans oculis, Gozhalmus et Eberhardus atque Heinricus scriptor. Hi omnes ex antiquis fratribus; set et Sigiherus scolasticus et Eppo atque Gebehardus avus meus.

15. *Miraculum Gebehardi.* Hic ergo Gebehardus, cum adhuc iuvenis in clericatu apud eundem locum moraretur, quadam nocte infra matutinos sitiens de choro egressus, in criptam ad puteum, ut aquam sibi hauriret et biberet, descendit, set hydriam incaute deponens, ipse quoque subsecutus in puteum cecidit, cuius altitudo profunda est simul et angusta, capite deorsum, pedibus vero sursum. Quae ergo tunc spes vitae sibi? Non erat facultas emergendi, nec spacium caput erigendi, nullus adiutor, nulla vox clamoris. In hoc ergo articulo mortis opus erat oportuni adiutoris. Itaque repente in his angustiis constituto beatus Gebehardus, fundator loci, cuius sepulchrum tunc prope erat, fuit ei adiutorio, et per pedes ex aqua subtractum superis reddidit illesum. Cum ergo chorum sic distillans intraret, Wernharius, quem iam nominavimus, obstupefactus, eum interrogavit, unde veniret vel quid sibi contigisset. At ille rem, ut erat acta, retulit, omnesque in admirationem qui aderant commovit.

16. *De Geraldo et Gebehardo.* Idem Gebehardus una die adhuc iuvenis cum alio aequę adulescentulo, clerico subdiacono, nomine Geraldo, Rhenum fluvium confidenter balneandi causa estivo tempore intraverunt et in medio ipsius fluminis laetabundi natare ceperunt, cum subito Geraldus horrendis vocibus Gebehardum coepit inclamare, ut festinaret sibi in adiutorium venire; viribus enim defecerat et iam mergi coeperat. Gebehardus turbatus celeriter adnatavit eumque iam mergi vidit. Ille autem, ubi iste appropiavit, brachiis eum per collum fortissime ad se strinxit, itaque ambo mergi coeperunt. Gebehardus vero ut videt, quod eum non posset sustinere, timuit se pariter cum illo perire et vix se ab illo proripuit et concitus ad litus natavit. Cumque qui aderant, una cum Gebehardo Geraldum submersum viderent et clamoribus perstreperent, ecce subito in medio fluminis emergitur et brachiis in altum porrectis exclamavit: *Adiuva, Domine,* et iterum statim submersus obiit 18. Kal. Iulii.

17. *De Bernhardo.* Bernhardus, quem etiam superius nominavimus, doctor erat eximius, monasticae quoque disciplinae custos enituit diligentissimus. Hic quadam nocte visionem vidit, quam ipse litteris comprehendit, ita scribens.

18. *Visio Bernhardi.* „Post medium noctis, cum pulso torpore somnia sunt verissima, interim scilicet dum pulsabantur matutinae, videbar sub divo cum aliis quatuor stare. Ubi cum oculos ut fit in altum erigerem, ecce de foramine coeli maximus favillarum globus subito erupit, qui non preceps in ima cedidit, set transverse per aerem lapsus ad terram usque pervenit, cuius finis non erat. Ad haec scala, ut mihi videbatur, de terra in altitudinem porrecta erat, cuius summitas coelum, id est oram eiusdem foraminis, tangebat, per quam, ut divinitus decretum erat, homines coelum ascendere debuerant, ut superioris flammae, quae in coelo erat, incendio cremarentur, sicut et caeteri, qui in transacto mundi evo defuncti tunc resurrexerunt, et mox reprobi cum electis mixti in terram per favillas emitterentur. Hoc ego videns dixi astantibus: *Ecce quod semper de fine mundi audivimus, iam in manu habemus; videtis favillas volantes albas cum nigris?* Videbam enim favillas volare quarum maxima pars candida, pars autem aliquantula apparuit nigra. *Albae,* inquio,

a) *leg.* prospicientes.

22) L. II, c. 15 et infra c. 24. 25.

quae videntur favillae, sanctorum sunt animae, examinatorio igni purgatae. Et addidi: *Quid diutius moramur, quin et nos illuc ascendentes in favillas sicut caeteri redigamur, quandoquidem induciae nobis non dabuntur?* Igitur scalam quam dixi adivimus et per illam certatim scandere coepimus. Haec autem lex favillis dabatur, ut post pervolatum aerem in coelum per idem foramen reverterentur ibique carnem recepturae iuxta meritum iudicarentur. Superius vero custos foraminis positus erat, qui favillas post reversionem animatas ab invicem segregaret, ita videlicet ut bonos in eodem palatio in iudicis presentia deambulare permitteret, malos vero, mox ut cum electis ingrederentur, in quandam cameram proxime positam recluderet, ut scriptura impleretur: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Hoc totum mihi in summitate scalae stanti revelavit qui eidem foramini custos superstitit. Cuius foraminis os ita strictum mihi videbatur, quod quilibet homo solus vix ingrederetur. Ast ego in summitate scalae restiti differens introitum, donec flamma, quae superius corpora comburens[a] de coelo in aerem per favillas emittebat, mitigaretur, quasi qui differt ingressum estuarii, intus adhuc cessante densitate fumi. Quae etiam comparatio tum mihi visa est in somnio. Postquam vero flamma in coelo mitigata favillas eructuare desiit, mox omnibus collectis viribus, manibus et pedibus et ulnis innitens, ipsum foramen vix, custode licet non prohibente, intravi, hoc multum timens, ne qui mihi scelerum conscius fui, privarer gloria Dei. Revertentes autem favillae in ipso aditu foraminis sunt animatae, quas, sicut etiam mihi, priusquam intrarem, adhuc in scala stanti revelatum est, custos ipse mox separavit et, ut diximus, electos in presentia iudicis libere deambulare permisit, reprobos vero, mox ut ingressi sunt, in privatam cameram reclusit, nec tantum spacii illis concessit quod in os iudicis, qui presens erat, saltem rotatione oculorum quamvis citissima respicere valerent. De multitudine autem electorum in alba veste nitentium ingens strepitus fiebat, videlicet quo ordine eos daretur ad coenam agni recumbere. Ego igitur inter illos strepentes cupiens occultari, ne me iudex respiciens iuberet in cameram reproborum detrudi, sine cessatione illis sanctis, inter quos latebam, supplicavi, ut subveniendo recompensarent mihi, si quid alicui eorum in terra positus deservivi. Adhuc ut visum mihi fuit, iudex me inter illos occultatum non respexit. Tandem strepitu composito, residebant et ita se invicem ordinabant, ut ex una parte palatii usque in alteram, ubi introitus erat, in uno ordine essent locati, inprimis videlicet sancti patriarchae et prophetae, deinde alii sanctorum coetus ab initio mundi per temporum lapsus de seculo abstracti, deinde quasi in ultima mundi aetate sero vocati apostoli duodecim in extremitate eiusdem ordinis simul iuncti. Hic ordo in longitudine palatii positus erat, at ex altera parte idem in latitudine palatii, videlicet coram obtutibus apostolorum, positus erat thronus Domini, in fine autem sedis apostolorum nullum locale spacium restabat, nisi quod vix duos homines capere valeret. At ego in ordine sanctorum nusquam locum arripere valens, cum quodam socio meo, qui me comitabatur, furtim illum invasi quem in fine apostolorum vacuum perspexi, optans vel illic in extremis occultari. Timens vero iudicem, in cuius aspectu locum rapui, non ausus sum erectus sedere ut ceteri, set prostratus ut anguis in herba cum predicto comite meo latitare coepi. Nobis igitur sic locatis, custos supra dicti foraminis procedebat et secum innumeros candidissimos panes apportabat, et incipiens a primis in aula, id est patriarchis et prophetis, unicuique per ordinem panes singulos distribuebat, sicque dispensans usque in finem apostolorum perveniebat, qui in extremitate eiusdem ordinis simul residebant. Tunc duo panes superfuerunt, alter speltaneus, alter vero sigilinus[b], quos minister iratus nobis proiecit quasi indignans, nos qui adhuc a combustione eramus incorrupti purgatis sanctorum coetibus debere participari. Set sigilinus[b] mihi, qui socio meo inferior extiti, id est in aula extremus, sorte venit. Tunc iudex nos duos primum respexit et, quae dispositio panum fieret, similiter vidit et nescio quo hilari vultus sui nutu mihi innuit. At ego quid fieri vellet satis sentiens, surrexi — nam antea prostratus iacui — et in locum superioris socii mei prosilui et panem qui sibi positus est cum loco rapui, illum vero non invitum in locum in quo prius iacebam detrusi et ut alii panem quem rapui esuriens manducavi. Hoc autem mihi obtigisse tunc iure gratulabar, nam euangelicae lectionis recordabar, in qua ultimo
Luc. 14, 10. convivae dicitur: *Amice, ascende superius.* Cum autem dimidiam panis mei partem consumerem, egritudine animi gravatus dixi ad socium assidentem: *Iam panem licet suavissimum fastidio, cum poenas me postea luiturum pro meritis considero.* At ille: *Retice,* inquit, *hominum*

a) cumburens *cod.* b) *leg.* siligineus.

stultissime, nonne in libris quondam legisti: „Beatus qui manducabit panem in regno Dei?“ Luc. 14, 15. His verbis fretus iterum manducavi ut primitus. Interea minister denuo a primis incipiens unicuique cyathum vini obstulit, ad nos vero perveniens, quasi priori iracundia irritatus torva lumina nobis intorsit nihilque potus ut caeteris dedit. Iudex vero ut nos carere cyatho vidit, ministrum increpavit ob hoc quod nobis potum non dedit. At ille excusationem querens, vas se non habere dixit. Tandem a iudice compulsus vinum nobis obtulit et cyathum quem mihi primum apportavit pre ira parum declinavit, ita ut etiam aliquantulam partem in terram effuderit; socio autem meo nihil omnino dedit. Inter haec tamen, ut visum mihi fuit, solus iudex cibo abstinuit. Deinde ministrum reprobis in privata custodia reclusis cibum dare iussit, se non posse pati attestans, quod utrumque damnum sustinerent, quod et ipsius gloria et cibo carerent. Quod serviens mox ac libens implevit. Coena autem facta, subito in ipso palatio clibanus ardens post terga nostra apparuit, in quem, ut ibi dictum est, iudex reos mittere debuit. Ante quem ego positus flammam intuebar et nimia tristicia afficiebar, nam pro delictis quae in terra positus commisi has poenas me non evasurum scivi, quamvis iudex nulla peccata succenseret mihi. Quem venientem, ut in fornacem reos mitteret, subnixe rogavi, ut me dimitteret brevissima hora ad terram descendere et aliquid per verbera memet ipsum purgare, nam id genus poenitentiae citissimum dixi fore. At ille: *Non tibi,* inquit, *licet modo purgari, set olim in terra libere positum hoc oportuit premeditari; haec poenitentia per verborum ambages tantum prolata nimium est sera, quam etiam nunc frustra conaris proferre, quandoquidem per bona opera tunc dissimulasti penitere.* Iam iamque prope erat, quod me incendio traditurus erat et nescio, quomodo mihi indulsit et per quot menses, non annos, ultimum diem protelavit. Evigilabam et verum non esse gaudebam.“ Ipse Bernhardus descripsit formam palatii, quod ostensum fuerat hoc modo[23].

19. *Visio.* Cum autem idem Bernhardus in sancto proposito beato fine quievisset, postea cuidam fratri per visum nocte videbatur, quasi eundem Bernhardum super vivos carbones prostratum videret torreri. Quod cum fratribus retulisset, beatae memoriae Gebehardus Constantiensis tunc episcopus respondit: *De hoc visu nolite curare, quoniam qui eum viventem odisse probantur, nunc etiam de mortuo dura somniare videntur.* Nam beatus Bernhardus in hac vita sine querela Domino militavit, et ideo vere credendum est, quod iam beatam requiem perpetuo regnaturus intravit.

20. *Visio.* Item alio post non multum visum est, quasi ei in monasterio deambulanti isdem Bernhardus occurrisset, et cum frater ex eius visione, quem sepultum noverat, intremuisset, eum tamen interrogavit dicens: *Quid est hoc, quod hic deambulatis, vel quomodo habetis?* At ille: *Sicut,* inquit, *Domino placet, nam eius iudicio mihi pro poena concessum est, angulos huius claustri circuire et observare, et hoc tamdiu quamdiu eius misericordiae placuerit.* Erat namque idem subdiaconus, canis permixtus, litteris adprime eruditus, claudicans gressu, baculo semper sustentabatur, ac per hoc sacerdotio minus idoneus habebatur.

21. *De Cuonone.* Erat alius quidam presbyter Couno nomine in ipso monasterio, quem etiam antea nominavimus, vir inquam formosus valde, ex prioribus monachis, qui etiam Rinaugiensis[24] monasterii regimen promeruit. Illuc quippe in abbatem assumptus 24 fuerat, set quadam die contra servum ira commotus eum cum pessulo incaute percussit, ex quo ictu idem homo infirmari cepit et vitam finivit. Ea pro culpa non solum presbiterii[a] honore, set et regiminis est privatus dignitate. Ergo ipsum locum reliquit et in provinciam quae vocatur Rîez[25] abiit atque in eisdem partibus pontificatus officium sibi fraudulenter usurpavit, aecclesias dedicavit, homines oleo confirmationis fallaciter perunxit et alia officia pontificalia peregit et exinde non modicam peccuniam sibi aggregavit. Cumque in hoc voluntati suae plene satisfecisset, depositis vanitatis suae infulis ad monasterium suum pristinum, hoc est Domum Petri, rediit et se magisterio venerabilis Theoderici abbatis subdidit. Cumque altaris officio iure careret et tamen vir valde idoneus esset, abbas Theodericus obnixis precibus apud Gebehardum episcopum impetravit, quod ei tandem missas agere concessit. Cui iterum haec vanitas subrepsit, ut si quando missam privatim cantare voluit, maiorem calicem sibi eligebat et eum vino usque ad summum implebat talemque

a) prespiterii *cod.*

23) Descriptionem rubro colore pictam addidit auctor.

24) Cuno, Gerungi in abbatia Rheinaugiensi circa a. 1090. successor, primus ibi consuetudines Hirsaugienses ex suo monasterio introduxit. U.

25) das Ries, ubi iacet Nördlingen.

avaritiam in ipsis sacrosanctis mysteriis exquirebat. Quadam igitur nocte vidit in visione, quasi beatus antistes Gebehardus fundator monasterii et Adelbertus quondam abbas, de quo longe superius diximus[26], eum per manus in basilicam ante imaginem sanctae crucis deduxerint et eum vestibus spoliaverint atque acerbissime verberibus affecerint. Cumque hoc fecissent, ei sanctus Gebehardus sic ait: *Ecce hoc tibi pro vindicta scelerum, quae in hoc meo monasterio egisti, et adhuc adicietur tibi.*

Cum[a] non post multum una die sero, cum fratres post completorium ire vellent dormitum, idem Couno, de quo loquimur, secessum petiit et ecce subito retro cecidit et sensum perdidit et stridere atque anhelare nimis coepit. Quod audiens venerabilis presbyter Sigiherus, qui iuxta eum erat, surrexit et aspexit, quidnam esset, et vidit eum supinum supra secessum iacentem et anhelantem, ac primo suspicatus eum dormire et stertere, diu expectavit, sed cum nullo modo respiraret, tandem accessit et eum a secessu removit et in pavimentum prostravit, sicque demum fratres convocavit. Qui venientes, ex sensu sine voce et omnibus membris debilitatum invenerunt, et semianimem levaverunt et in infirmariam detulerunt. Ubi cum aliquamdiu gravi infirmitate detineretur, aliquantulum exinde convaluit, set tamen usque ad mortem suam mutus permansit.

22. *Visio Routhardi.* Alius in eodem monasterio erat venerabilis presbyter Routhardus nomine, cui quadam nocte in visione sanctus Petrus princeps apostolorum apparuit, quasi stans in supremo claustri iuxta imaginem Salvatoris nostri, conventu totius congregationis simul residente, et nutu digiti sui evocabat de fratribus quos volebat. Cumque ad nutum eius quique venissent, singulos confestim transmisit ad superos. Novissime et hunc ipsum Routhardum, qui haec cernebat, advocabat, et ipse sanctus Petrus confestim, antequam ille adveniret, evanescens ascendit ad coelos. Ille vero cum venisset ad stationem apostoli, coepit nimio merore contristari, quod desolatus ab apostolo remanserat, qui priores in coelum transmiserat. Cum ergo magno angore fatigatus consisteret, subito aureus funis demissus est e coelo et ei sub ascellis circumpositus, et sic est in coelum subvectus. Die autem sequenti cum idem presbyter abbati Theoderico hanc visionem retulisset, ille ei sub interminatione divini nominis interdixit, ne cuiquam eorum haec referret, de quibus ista vidisset. Post paucos dies coeperunt hi qui vocati fuerant eo ipso ordine mori quo fuerant a beato Petro evocati, et ad extremum etiam ipse migravit qui hanc visionem vidit.

23. *De Oudalrico Brigantiensi.* Circa haec tempora multi familiaritatis magnam gratiam habebant apud venerabilem Theodericum, eo quod ipse esset vir religiosus et prudens et utilis actu et consilio, et ideo nobiles et divites quique ad eum conveniebant undique et eius exemplo atque consilio proficere cupiebant. Inter quos Oudalricus Brigantinus comes[27], vir nobilissimus et speciosus, maximam habebat amicitiam cum eo et familiaritatem.

24. *De Andoltisbuoc.* Et erat quidam solitarius nomine Diedo, qui fecerat sibi oratorium et habitaculum in saltu qui vocatur Andoltisbuoch[28], et fecerat novalia circum se, et videbatur idem locus ad servitium Domini oportunus. Postquam vero iam dictus solitarius in Domino pausavit, Oudalricus comes rogavit venerabilem Theodericum, ut ibidem cellam aedificaret et regularem vitam inibi institueret. Quod ille prorsus se facere abnegavit, nisi eundem locum monasterio suo in proprietatem contraderet, ut si laboraret, aliquem inde etiam fructum perciperet. Inde diu habita deliberatione tandem comes consensit et reliquias sanctorum, quae in loco solitudinis iam dictus servus Dei in oratorio suo habuerat, ad monasterium sancti Gregorii transmisit, ac postea eundem locum qui vocatur Andoltisbuoc et aliam possessionem quae dicitur Hasuunouwa[29] Petrishusensi monasterio in perpetuam proprietatem et ministerium fratrum, Deo et sancto Gregorio per successiones temporum ibidem iugiter servientium, coram idoneis testibus absque ulla contradictione contradidit ea conditione, ut ibidem cella aedificaretur et monachorum habitatio pro facultate loci iugiter haberetur.

Hac donatione peracta, coepit abbas Theodericus eundem locum incolere et multo labore atque sumptu oratorium ibi et claustrum ex ligneis tabulatis construxit, quod in honore sancti Petri apostoli dedicari fecit, et deputatis illuc idoneis fratribus, Meinradum,

a) *in marg. adscript.* mirum.

26) scil. l. I. c. 12. 13. 27) Udalricus iunior, nepos fratris sancti Gebehardi, qui obiit anno 1097. 28) Andelsbuch in Vorarlberg. U. M. 29) Cf. supra I, c. 5.

de quo etiam superius retulimus, eis prefęcit. Cumque aliquamdiu illic demorarentur et numerus fratrum augeri coepisset, et propter longitudinem et difficultatem itineris victualia et queque necessaria illuc deferre minime potuissent, eo quod idem locus longe in saltu situs esset, inierunt consilium, ut cellam ad Brigantium transponerent, ubi fratres facilius et oportunius necessaria habere potuissent.

25. *De Brigantio.* Igitur abbas Theodericus venit ad locum qui dicitur Brigantium, et secum adduxit Gebehardum episcopum et Meinradum atque Oudalricum comitem cum aliis huic negotio necessariis, ut viderent, ubinam cella aedificari debuisset, quoniam quidem eam de saltu permutari placuisset. Diu ergo de his habita deliberatione placuit illis, ut iuxta aecclesiam eiusdem loci fieret, si Ludewicus comes suam partem eiusdem aecclesiae ad hoc permittere voluisset. Est enim ibi ecclesia baptismalis, cuius medietas sicut et silvae et omnium redituum earundem partium pertinet ad Pfullindorfenses proceres, sicuti et altera medietas ad Brigantienses. Itaque Ludewicus comes nequaquam acquievit, ut partem suam traderet. Qua de re cassato priori consilio verterunt se alio. Et quoniam prior cella quandam casellam iuxta possederat, hanc adierunt et circumquaque inter frutecta locum oportunum quesierunt ac Domino premonstrante invenerunt. Nam venerabilis Gebehardus, dum orando circuiret et loca circumspiceret et exploraret, uno in loco repente substitit et ibi cellam fieri iudicavit. Omnium ergo votis in id ipsum concordantibus, coepit Theodericus ibi cellam construere et sumptu atque stipendio sui monasterii, cui idem locus sicut et prior in proprietatem traditus fuerat, primo quidem oratorium, deinde claustrum, omnia ex tabulatu ligneo, aedificavit et in honore sancti Petri dedicari fecit, Meinradum autem ibidem abbatem constituit, sicut et olim apud Domum Petri fuit. Ipse tamen frequenter eundem locum visitabat et eius utilitatibus prospiciebat. Nam fere per quinque annos quicquid de Eichstetin ad Petrishus venire debuerat ad aedificationem harum duarum cellarum expendebat; ad haec sacras vestes et libros ac sanctorum reliquias, tam eas quae primitus directae fuerant de Andoltisbuoch, quam alias multas et magnificas.

26 *Item unde supra.* Deinde cum idem locus proficere coepisset et ditescere, coeperunt tractare, qua ratione idem locus libertati possit donari. De hoc igitur diu habito consilio invenerunt, nullatenus hoc melius posse fieri, nisi ut comes Oudalricus Petrishusensi monasterio predium quod dicitur Biginhusin, quod pater suus olim donaverat[30], redderet et ipse versa vice Brigantium a monasterio reciperet. Siquidem idem comes adhuc adolescens filiam Wernheri comitis de Habichisburc[a] sibi desponsaverat et ei sponsalia iuramento firmaverat, set priusquam eam acciperet, devenit cum Welfone duce ad Chalaminzam[31] et concubuit latenter cum Berhta filia Ruodolfi regis, remque latere voluit, set puella promulgavit, sicque factum est, ut propinquorum eius potentia ipsam in matrimonium accipere cogeretur, et iuramentum quod filiae Wernheri iuraverat emendavit, et omnia quae illi spoponderat de suis propriis reddidit. Unde factum est, cum quorundam ministerialium suorum reditus et beneficia illuc daret et eos alias poneret, ut etiam quosdam ad Biginhusin transferret, quorum posteritas adhuc ibi viget. Ergo ex hac, ut opinor, occasione idem predium monasterio subtractum fuerat.

Igitur, ut superius dictum est, ut Brigantium reciperet, Oudalricus comes monasterio quidem Petrishus Biginhusin restituit. De Andoltisbuoc et Hasuunouwa nihil est gestum, set quod primitus fuerat actum remansit intactum; ex neglegentia autem nostrorum cessit in usum Brigantinorum, quamvis etiam concambium Brigantinum non fuerit legitimum, quoniam et Biginhusin prius monasterii fuerat, et tunc iure etiam sine coemptione restitutum, quod fraude fuerat ablatum[b]. Pro ornamentis autem et utensilibus aecclesiae tam in sacris vestibus et metallis et libris, quam in sanctorum reliquiis, quae a monasterio illuc fuerant directa, ut illic permanerent, data sunt triginta talenta. His ita gestis coeperunt aecclesiam ex lapidibus aedificare.

Per idem tempus Oudalricus comes perrexit ad Bretingen et ibi per aliquod dies morabatur cum multitudine suorum. Et quadam die iuvenculi post prandium ascenderunt iuxta in supercilium montis excelsi et coeperunt saxa evolvere in vallem iocandi gratia. Et ecce unus nomine Opertus saxum evolvit et ut se observarent qui subtus in valle erant proclamavit. Accidit autem ut comes Oudalricus econtra deambularet, et ictum lapidis

a) de Habichisburc *super lineam.* b) et tunc — ablatum *in marg. addit cod.*

30) Vide supra l. II. c. 23. 31) Kellmünz ad Illeram. M.

declinare noluit, set saltu transilire voluit, set lapis eum in tybia percussit et confregit, et 1097. Oct. 27. non multo post mala vesica accrevit eumque in brevi extinxit. Itaque Brigantium delatus, cum aecclesia necdum esset dedicata, insepultus servabatur, quousque episcopus ad dedicandum oratorium convocaretur. Abbas autem Theodericus audiens eos murmurare, quod Biginhusin in suum ius iterum vellent retrahere, nullatenus episcopum permisit, ut aecclesiam dedicaret, antequam Bertha relicta Oudalrici cum manu filiorum suorum Roudolfi et Oudalrici Biginhusin coram plurimis et libertis et servilibus sancto Gregorio perpetuo in proprietatem confirmaret. Et sic Brigantium in libertate dimissum ea tamen conditione, ut ibi habitantes semper respectum ad Domum Petri haberent, consilium et auxilium, regimen et abbatem inde haberent et unum atque idem essent. Atque ita demum oratorium est dedicatum, et corpus Oudalrici inibi sepultum.

27. *De Waginhusin.* Et erat vir nobilis, cui nomen Tuoto, qui predium suum apud 32 Waginhusin[32] et alia omnia quae habebat ac semet ipsum ad Scafhusin obtulit et aliquanto tempore ibi in sancto proposito deguit. Postea se et omnia quae illuc tradiderat subtrahens, tantis eos molestiis afflixit, ut ei tandem tria predia traderent et se abdicarent, scilicet Waginhusin, ubi iam cellam fecerant, Capellam et Honstetin, ut saltem ipsi caetera quiete possiderent. Hoc patrato idem Tuoto iam dictam cellam Waginhusin cum omnibus appendiciis suis Constantiensi aecclesiae tradidit, astante Scafhusensi abbate Adilberto et eius advocato Adilberto comite de Morisberch et pluribus ex fratribus, nec contradicentibus, actum in publica synodo Constantiae coram plurimis idoneis testibus. Gebehardus autem episcopus traditum sibi locum Theoderico abbati commendavit, et ipse fratres idoneos illuc adduxit, per quos eundem locum multis annis excoluit. Post haec Scafhusenses et heredes Tuotonis coeperunt ipsum locum addicere asserentes, eum ad se iure utrique pertinere, ac per hoc incremento eius usque in presens maximum impedimentum fuere.

28. *De passione Diemonis archiepiscopi.* Per idem tempus grande scisma erat in aecclesia propter excommunicationem Heinrici regis et eius intrusi Wiperti, aliis his et aliis aecclesiae faventibus, ac per hoc aliqui episcoporum propriis pellebantur et peregre vagabantur. In quibus Diemo Iuvavensis archiepiscopus multis diebus exul cum Gebehardo Constantiensi episcopo apud monasterium Domus Petri morabatur ac postea Hierosolimam profectus, in ipso itinere a paganis captus et Corozaim[33] civitatem perductus et custodiae 1101. mancipatus ac postremo martyrio coronatus est.

29. *De Oudalrico patriarcha.* Igitur rex Heinricus abbatem monasterii sancti Galli patriarcham apud Aquilegiam constituit et utramque potestatem habere permisit, pro eo quod semper erroribus eius toto annisu favebat. Qui a Wiperto ordinatus, contra catholicos tyrannidem exercebat. Ea de causa etiam regem instigavit, ut venerabilem Gebehardum Constantiensem episcopum depelleret, et alium pro eo constitueret, eo quod ipse numquam ei vel alicui fautorum suorum ulla ratione communicare voluisset. Erat enim idem Gebehardus tunc temporis legatus et vicarius apostolici in Theotonicis partibus. Iam dictus ergo Oudalricus, diu cum rege conspiratione habita, demum obtulit ei unum de monachis suis nomine Arnoldum, de Sancto Monte progenitum[34], promittens, ut si ei episcopatum daret, ipse eum absque eius labore intruderet. Itaque cum rex votis eius satisfecisset, ille domum regressus cum magna manu militari Arnoldum Constantiam adduxit, set civibus ad arma concurrentibus et forti pertinacia resistentibus, inacti recesserunt.

30. Item Heinricus frater Arnoldi, advocatus[35] de Sancto Monte, congregata multitudine suorum advenit et in monasterio sancti Gregorii tyrannidem exercuit. Nam victualia fratrum temeraria manu invaserunt, gladios suos in eorum animalibus probaverunt et multa flagitiosa perpetrarunt. Inter has varias et multimodas conflictationes Gebehardus episcopus munitionem sibi construxit in capite Rheni fluminis in ipsis fluentis, ut ipse inibi tutus manere potuisset. Ad ultimum tam frater eius dux Bertholdus quam caeteri omnes pene corrupti sunt muneribus et abhominabiles facti sunt ei, et non erat qui ei faceret bonum usque ad unum Theodericum, quem in omnibus tribulationibus reperit fidum.

31. *De exilio Gebehardi.* Itaque eorum perfidiae locum dans recessit et usquequaque per regnum vicem domni apostoli cum magna gloria quamvis exul exercuit.

32) Wagenhausen ad ripam Rheni Helveticam e regione oppidi Stein. U. 33) Chorasan. 34) ex comitibus de Heiligenberg. 35) scil. Petrishusensis.

De Arnolfo intruso. Deinde quasi effrenati cum magno strepitu Arnoldum adduxerunt et cathedrae Constantiensis aecclesiae in purificatione sanctae Mariae imposuerunt anno 1103. Febr. 2. ab incarnatione Domini 1103. Haec werra per duodecim fere annos protracta nunc ad perfectum malum est perducta. Postquam autem Arnolfus episcopatum obtinuit, confestim misit et congregationem Domus Petri obnixe postulavit, ut quiete ac pacifice in monasterio suo residerent et Domino servirent, seque promisit nullam eis omnino molestiam illaturum. Ipse autem Romam perrexit et a Wiperto consecrationem accepit.

32. *De exilio Theoderici abbatis et fratrum eius.* At Theodericus abbas nullam quietem post discessum Gebehardi episcopi habere passus, quoniam eum ut animam suam dilexit, set ipso anno, hoc est 1103, reliquit monasterium suum, et monachos suos atque barbatos fratres dispertivit et commendavit per monasteria, ipse vero assumpsit secum duodecim quos elegit, et eos secum in Baioariam duxit ad monasterium quod dicitur Wezzinisbrunnin[36], et ab Adilberone venerabili abbate eiusdem loci honorifice susceptus et caritative 36 cum suis omnibus per aliquot menses habitus est.

33. *De Castellensi cenobio.* Deinde quidam nobilissimus vir et religiosus [nomine Fridericus][a] tulit eos inde et commendavit eis cellam, quam ipse ceperat in loco suo proprio in excelso monte qui vocatur Castellum[37], omnique eos humanitate fovit et honoravit. Denique idem bonae memoriae heros Fridericus nomine habebat filium Ottonem nomine, summae nobilitatis et decoris virum, qui una cum patre et cum aliis proceribus eiusdem provinciae, cognatis[b] videlicet et propinquis atque amicis suis, venerabilem Theodericum et fratres eius summo honore excolebant et locum magnis divitiis cumulabant, in tantum ut in brevi multos sibi fratres aggregaret et monasticam vitam honestissime inibi ordinaret.

34. *De Wernhario superposito.* Recedente igitur Theoderico de Domo Petri hi qui tunc remanserant constituerunt Wernherum quendam de Epfindorf natum sibi in abbatem et obliti regularis disciplinae, quam didicerant, remissius agere coeperunt. Arnolfus quoque intrusus episcopus beneficia inde suis concedere coepit, quod nulli umquam episcoporum facere licuit. Postquam autem Wernherus cum suis fautoribus et Arnolfus cum suis res monasterii ad ultimam penuriam et inopiam perduxerunt, ipse relicto abbatis nomine ad Theodericum se in Baioariam contulit eique se subiecit, quique eum benigne suscepit eique officium altaris invito episcopo Gebehardo restituit. Set non diu permansit cornu peccatoris.

35. *Quomodo Heinricus quartus rex a patre Heinrico recessit.* Anno denique 1105. 1105. Heinricus filius Heinrici regis tertii recessit a patre excommunicato, et consentientibus principibus regnum contra patrem arripuit. Inde maxima exorta est occasio rixarum; nam ipse pater Heinricus, cum non posset filium ad se revocare, congregato exercitu omnes fautores eius rapinis et incendiis maximis lacessivit, numquam tamen pugnae facultatem prebuit.

36. *De reditu Gebehardi episcopi et Theoderici abbatis de exilio.* Heinricus ergo postquam regnum optinuit, confestim expulso Arnolfo Gebehardum cum maximo honore in episcopatum suum restituit, Theodericum abbatem confessorem sibi elegit et monasterio suo restituit eique triginta marchas argenti transmisit, e quibus abbas res monasterii dissipatas oportune et utiliter reparavit.

Deinde Heinricus senior et Heinricus iunior generale colloquium Mogontiae fecerunt, ubi pater filio sceptrum regni et coronam cum caeteris regalibus tradidit, ipseque se ante Gebehardum, utpote sedis apostolicae legatum, in terram prostravit et multum flens absolvi se ab excommunicatione postulavit. Quod ille facere se propterea renuit, quoniam timebat ne, si forte eum absolvisset, regnum ad eum iterum transiret et fieret error posterior peior priore. Attamen cum non post multum Spire obisset, filio apud Paschalem papam impetrante, aecclesiasticam sepulturam promeruit propter satisfactionem, quam prostratus publice coram clero et populo facere non erubuit.

37. *De Castellensi monasterio.* Itaque venerabilis Theodericus cum monasterium Castellense fundasset, basilicam aedificasset[c], fratrum congregationem collegisset, venerabilem virum Altmannum abbatem eis constituit, et ipse cum suis ad Domum Petri remeavit.

38. *De Nernistheim.* Post haec Hartmannus comes senior de Dilingin rogavit eum, ut in montem qui vocatur Nernistheim, ubi ipse regulares canonicos constituerat, ipse

a) *alia manu super lineam scriptum cod.* b) cognotis *cod.* c) aedificare *cod.*

36) Wessobrunn in dioecesi Augustana, cui Adalbero ab anno 1065. usque 1110. abbas praeerat. U.
37) Castell in Franconia inferiore.

pater Theodericus monachos adduceret et monasticam inibi vitam institueret. Cuius petitioni assensum prebens adduxit idoneos viros, Bernoldum, quem priorem fęcit, Gebinonem avunculum meum, Wernherum superpositum suum, et alios eidem loco sufficientes. Et ut semel dicam de iam nominato Wernhario, cum in eodem loco operibus preesset et licenter ageret quecumque vellet et a cunctis contra meritum suum honoraretur, cum iam esset senex, recessit et habitum monachilem deposuit et secularem assumpsit, et cum cuidam turrim aedificaret, morte preventus periit.

1110. 39. *De investitura Oudalrici episcopi primi.* Anno 1110. Heinricus quartus rex magnus maximo cum exercitu Romam gloriosissime perrexit, ut a papa imperator fieret. Set cum papa investituras, quas reges usque tunc licenter pro velle suo tribuebant, ab eo reposceret, ut electio libera fieret, ille iratus Paschalem papam in captivitatem redigit, cardinales iniuriavit, infinitas rapinas et cedes Romanis intulit. Romani quippe bellum ei intulerunt, set rex victor existens inenarrabiles caedes exercuit.

Nov. 12. Interim ergo reverendae memoriae Gebehardus Constantiensis episcopus de hoc seculo migravit, et dum rex apostolicum in custodia haberet, venit nuntius, qui regi obitum Gebehardi episcopi nuntiavit et ei virgam pastoralem et anulum detulit. Quae ille continuo Oudalrico filio Hartmanni comitis de Dilingin prebuit et Constantiensibus episcopum designavit. Postea vero apostolicus et rex sibi invicem reconciliati, et ipse ab eo imperator consecratus recessit. Attamen Oudalricus ipsum papam infestissimum habuit, eo quod interim, dum ipse captus tenebatur, a rege investitus erat, nec umquam, dum ipse vixit, consecrationem impetrare potuit, ac propterea octo annis, quibus Paschalis superfuit, episcopatum absque consecratione tenuit.

40. *De Nernistheim.* Cum ergo Nernistheimensis cella ad hoc pervenisset, ut abbati idonea esset, Theodericus abbas quendam senem Sigibotonem nomine de Hirsaugia adduxit eumque abbatem constituit. Qui cum aliquanto tempore sine consecratione preesset et laborem sufferre non posset, reliquit ipsum locum et rediit ad monasterium suum. Quapropter Theodericus iterum rogatus Wernharium de Alshusin oculis caligantem, suum veteranum monachum, abbatem constituit, qui etiam aliquamdiu absque consecratione prefuit.

41. *De Rôtse.* Factum est autem, ut quodam tempore Oudalricus Constantiensis electus gravi necessitate pro acquirenda peccunia constringeretur. Ecce autem Theodericus abbas per idem tempus quoddam predium Totirnhusin[38] dictum pro decem marchis vendiderat, eo quod illud redimi non poterat ab his quibus illud Lambertus de Birhtilingin iam antea concesserat, qui illud monasterio tradiderat. Ergo hac oportunitate inventa abbas dedit Oudalrico electo octo marchas pro quadam augia Rotse[39] dicta, ubi olim quidam religiosus et Deo devotus monachus nomine Ratperonius basilicam magnam construxerat, cuius sepulchrum Deus crebris miraculorum signis clarificaverat. Ipse quippe beatus Ratperonius eundem locum a nobilitate, quae tunc apud Arnanch[40] floruerat, pro devotione in proprietatem acceperat, et ipse eum Constantiensi aecclesiae tradiderat ea spe ut inde sublimaretur; set ea spes frustrata erat. Postquam autem eum venerabilis Theodericus emerat, privilegium tale conscriptum pro eo esse constat.

42. *Privilegium Geilinowa et Rôtse. Notum sit omnibus qualiter Lampertus de Birthilingin homo nobilis duo predia, quae sui iuris erant ex hereditate parentum suorum, unum apud Geilinouwa, aliud apud Totirnhus, dedit ad monasterium sancti Gregorii papae quod dicitur Petrishusa, ad servitium fratrum qui illic die ac nocte Deo deserviunt, absque ulla contradictione in manum Heinrici advocati eiusdem monasterii coram idoneis testibus. Set cum idem Lampertus unum horum, hoc est Totirnhus, non posset redimere ab his quibus illud in beneficium concesserat, consilio accepto abbas eiusdem monasterii Theodericus vendidit iam dictum predium quod dicitur Totirnhusa pro decem marchis, et occasione inventa dedit ex hoc ipso pretio octo marchas pro quadam insula in pago Nibilgouwe quae vocatur Rôtse, quae ad Constantiensem aecclesiam pertinebat, et episcopus eiusdem aecclesiae Oudalricus accepto iam dicto pretio, id est octo marchis, tradidit eandem insulam cum oratorio eius et omnibus ad ipsum pertinentibus, agris scilicet, pratis et aquis, nemoribus, quaesitis et adquirendis, annitente et tradente atque accipiente advocato Heinrico de Sancto Monte, ad monasterium sancti Gregorii*

38) Dotternhausen in praef. Wirt. Spaichingen. M. 39) Röttsee in praef. Wirt. Wangen. U. M. 40) Arnach in praef. Wirt. Waldsee. U. M.

papae cui nomen Petrishusa, ad usum fratrum eiusdem monasterii. Et iam dictus episcopus eandem insulam cum omnibus suis appenditiis de iure suae aecclesiae transfudit in ius monasterii legitima traditione, et eandem traditionem confirmavit coram canonicis Constantiensis aecclesiae et aliis idoneis testibus.

43. *De werra, quae facta est sub Heinrico imperatore quarto.* His temporibus rebellabat regi Mogontinensis electus Adilbertus, cuius consilio et auxilio, ut tunc ferebatur, omnia illa mala egerat quae Romae perpetraverat; set nunc eum regno privare conabatur, quasi pro vindicta apostolici, set verius pro ambitione magis quam pro iusticia. Quem imperator captum in carcerem posuit et multis diebus acerrime afflixit. Ad ultimum ad peti- 1115. tionem Mogontiensium relaxatus et imperatori reconciliatus, post breve iterum scintillam emisit qua totum regnum inflammavit. Nam ipse et Fridericus Coloniensis archiepiscopus anathema super imperatorem infamarant, eo quod apostolicum in captivitatem redegerat, et intra breve totum regnum ita ab eo averterunt[a], ut in Theotonico regno non posset subsistere, set Friderico duci Suevorum, filio sororis suae, summam rerum commendavit et ipse in Italiam secessit.

44. *De Amilhardo.* Eo tempore quidam senex monachus nomine Amilhardus in cenobio Domus Petri cum de hoc seculo migraret, sicut ipse abbas Theodericus palam in capitulo referebat, auditae sunt voces canentium angelorum et eiulantium demoniorum.

45. *De Oudalrico episcopo primo.* Anno ab incarnatione Domini 1116. Oudalricus 1116. Constantiensis electus, nimio tedio affectus pro diutina dilatione suae ordinationis, multis precibus exoratum Romam transmisit abbatem Theodericum, sperans quod ipse sibi licentiam consecrationis ab apostolico impetraret pro familiaritate, quam dudum apud ipsum papam habebat pro multis collatis beneficiis eiusdem nuntiis. Profectus ergo Romam Paschalem papam pro Oudalrico interpellavit, set nihil profęcit. Hoc itinere fuit cum eo Gebino avunculus meus. Iterum sęcundo misit eum pro eadem causa; set in priore profectione satis accurate et se et locum procuravit, in secunda vero vix fratres suos salutavit et multis debitis involutos reliquit. Itaque per totam illam aestatem per Italiam vagabatur et aliquando quidem ad papam, aliquando vero ad imperatorem. Set cum diutius ibi moras faceret, Oudalricus secutus est eum et apud imperatorem mansit, quem tunc papa et caeteri utpote excommunicatum abhominabantur. Igitur cum abbas Theodericus cum suis se in insolito calore estatis Rome incautius observarent, circa Kalendas Augustas mori coeperunt. Videntes autem periculum sibi imminere, a Roma recesserunt qui adhuc superstites fuerunt, et ad Sutriam se contulerunt. Ibi itaque omnes pariter infirmati migrabant, donec illum solum infirmum relinquerent. Quid inquam ille tunc angoris, quid meroris, quam amaram mortem hauserit, viderit qui velit, cum nullum suorum remansisse conspiceret, se solum peregre et rebus et sociis orbatum moriturum. Contubernia mulierum ab ipso initio conversionis suae semper ut pestem devitabat, nullus etiam virorum corpus eius nudum non dico contrectare, set nec videre umquam potuît, quoniam verecundus et pudicissimus fuit. At tunc ad hanc miseriam venit, ut muliercularum ministerio contentus fuerit, quae ei sternebant, ponebant et sublevabant et balneabant atque caetera ministeria, quae ei necessaria fuerant, peragebant.

46. *De obitu Theoderici abbatis.* Cum congrua ergo poenitentia transiit de convalle lacrimarum ad gaudia civium supernorum, translatus, ut credimus, ad aethera 4. Non. Aug. 2. Augusti. Sepultus est venerabiliter apud quoddam oratorium eiusdem civitatis ac postea translatus in ipso sanctuario eiusdem oratorii in occidentali plaga contra altare positus est in sarcofago lapideo. Reliquorum obitus diem ignoramus qui cum eo peregrinati sunt, id est Sigifridi presbyteri, Operti barbati et trium laicorum Eberhardi, Reginboldi et Gozoldi.

47. *Litterae de obitu Theoderici abbatis.* Placentinae autem civitatis episcopus huiuscemodi litteris eius exitum intimavit:

A.[41] *Dei gratia Placentinae aecclesiae episcopus canonicis et omnibus sanctae Constantiensis aecclesiae fidelibus fraternam in Christo dilectionem. Gratias agimus inspectori cordis et renum Domino, quia visceribus matris aecclesiae feliciter incorporati, nobiliter procreati, lacte ipsius gratanter incrassati, solido pane eius confortati in virile robur excrevistis et per hoc cum gaudentibus gaudere, cum flentibus flere, in prosperis vel adversis medium decenter tenere plenarie didicistis. Igitur de obitu confratris nostri, scilicet abbatis de Petrishusen, hominis*

a) everterunt *cod.*

41) Addo, ex Ughelli T. II, 211. U.

inquam Deo dilecti, non turbetur cor vestrum, sed potius gaudeatis, quia feliciter migravit, certa pro incertis, pro temporalibus aeterna commutavit. Et quia credita sibi talenta multiplicavit ut fidelis et prudens dispensator, in gaudium Domini sui laetanter introivit. Vere credendus est regionem vivorum intrasse, quia scimus et testimonium perhibemus, eum in confessione pura et poenitentia condigna per nos exitum suum consummasse. Quapropter orationibus vestris et totius aecclesiae eum diligenter commendamus. De caetero certos vos facimus, confratrem nostrum, electum autem vestrum, domnum Ou., bene valere, nos quoque cum omnibus coepiscopis nostris causam ipsius et aecclesiae suae peragendam unanimiter in Christo suscepisse. Orate pro nobis. Obitus supra memorati confratris nostri abbatis 4. Non. Augusti.

48. Itaque cum hae litterae Constantiam perlatae fuissent, canonici unanimiter monasterium adierunt easque omni congregationi perlegerunt. Ortus est luctus intolerabilis ab omnibus, et planxerunt eum valde etiam hi qui parum boni ab eo consecuti fuerant. Res quas reliquit, imperator Oudalrico ex integro reddi iussit, quas ille expendit, nec fratribus aliquit dedit, ac de cetero eidem monasterio semper ingratus extitit.

49. Ordinatus est venerabilis abbas Theodericus anno ab incarnatione Domini 1086, centesimo vero tertio, ex quo fundatum est monasterium. Triginta annis prefuit, et sic in
1116. pace quievit in senectute bona anno ab incarnatione Domini 1116, et ex quo fundatum est monasterium 333. Bibliothecam nobiliter aucmentatam reliquit. Nam libros quos acquisivit ipse subnotari precepit. Missales libri quinque, quorum duo cum gradualibus[a], tres autem de sanctis et pro necessitatibus continentes. Liber euangeliorum unus, argento et osse decoratus. Libri lectionum duo. Officialis unus. Benedictionalis unus. Gradualis unus. Antiphonarium unum. Breviarium operis Dei. Liber consuetudinum. Gregorius super Ezechielem. Tertia pars moralium et quinta ex parte et sexta ex integro. Dialogus unus. Augustinus super Iohannem. Augustinus de consensu euangelistarum. Augustinus super primam partem psalmorum. Augustinus super epistolam Iohannis. Augustinus de opere monachorum, de bono coniugali, de virginitate, de viduitate, de orando Deo, de agone christiano in uno volumine. Item enchiridion Augustini. Flores Augustini. Augustinus de fide. Augustinus super quindecim gradus. Orienis super vetus testamentum. Regula sancti Benedicti. Pentateucum. Actus apostolorum. Exameron Ambrosi. Vita sancti Oudalrici. Matutinales libri duo. Omeliarum liber hiemalis. Hos abbas Theodericus libros conscribi fecit, quorum aliqui iam venundati sunt, maior vero pars adhuc manet.

50. *De statu et moribus Theoderici abbatis.* Erat autem idem pater procerus statura, optime habitudinis, subductis superciliis, veneranda canitię, submissa voce pre abstinentia, orationibus et lacrimis intentus, bonis amabilis, vitiosis horribilis, dicens magistrum debere esse in capitulo ut leonem, in conventu ut patrem, ad mensam ut matrem. Ipse quoque erat monasticae disciplinae et consuetudinis diligentissimus custos, ad hoc etiam subiectos instigans, litteris optime eruditus. Corpus suum crebris ieiuniis macerabat, virgis etiam semet ipsum sepius caedebat, maxime in secreto noctis silentio. Nullum divinum officium publice agebat, neque cantando, neque legendo, et quamvis ipse facere non posset, alios tamen studiosissime et honestissime agere, divinum opus facere adhortabatur[b]. Equisono cantu delectabatur adeo, ut plerumque in lacrimas moveretur; gracilem vocem viros cantare omnino prohibebat.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

1. *De electione Bertolfi abbatis.* Pervulgato obitu venerandi patris Theoderici, congregati sunt canonici Constantienses et venerunt ad monasterium Domus Petri et intraverunt capitulum fratrum, atque perlectis litteris tam de obitu abbatis quam etiam de exhortatione Oudalrici electi episcopi, qua hortabatur fratres ad eligendum abbatem, existimabant canonici, quod eorum arbitrio electio futura esset, quam et statim perfici hortabantur. Tunc seniores modeste et humiliter respondebant, non posse hoc ita prepropere peragi negotium, set moroso consilio per orationes ad Deum fratres inter se deliberare et prudenter pertractari oportere, quem ad hoc assumant, ut ei animam et corpus suum resque monasterii atque ipsum locum committerent[c], nec aliquem huic dicebant electioni debere interesse, nisi qui etiam electo velit subesse. Aderat tunc forte Couno venerabilis

a) GR *cod.* b) *deest cod., supplevit M.* c) *deest cod., supplevit iam U.*

abbas de Altorf, qui familiaris eidem monasterio semper existebat. Cumque canonici contenderent, interesse electioni se debere, omnis simul congregatio coepit uno ore contradicere, et fecerunt eos abire. Deinde habito inter se consilio elegerunt Bertholfum venerabilem senem, qui iam diu in eodem monasterio prioris fungebatur officio, nullusque omnino alienus huic interfuit electioni. Wernharius quippe, qui ad Nernistheim abbas datus fuerat, tunc aderat et principalem sedem occupaverat. Ordinatus est autem a Witone Curiensi episcopo anno 1116.

Deinde anno 1119.[a] Paschalis papa obiit et Gelasius successit. Tunc ordinatus est 1118.
Oudalricus episcopus a Mediolanensi archiepiscopo ac deinceps familiaris Romanorum fuit. Imperator autem comperto obitu Paschalis festinanter Romam advenit, sperans quod electio pape per manus eius transitura foret. Set Gelasius iam ordinatus audito imperatoris inopinato adventu per noctem aufugit, nec ullo modo eum videre vel exspectare voluit. Quem cum imperator ad se revocare non posset, constituit sibi alium nomine Burdinum et appellavit eum Gregorium, set Gelasius utrumque excommunicavit. Burdinus imperatoris potentia Romam obtinuit, Gelasius autem universitatem aecclesiae.

2. *De terre motu.* Antehac[b] anno dominicae incarnationis 1117, 3. Non. Ianuarii circa 1117.
tertiam noctis vigiliam, et iterum in ipsa die undecima fere hora, terrae motus ingens factus Ian. 3.
est longe lateque per orbem, ita ut aecclesiae multae et quedam urbes ex immensa concussione subruerentur.

3. *De visione Wolferadi.* Sub eodem tempore quidam frater nomine Wolveradus presbyter infirmus iacebat, et ecce una die infra prandium factus est in mentis excessu, ita ut venientes fratres putarent eum iam defunctum. Post paululum autem oculos aperuit et interrogante eum abbate et ceteris, quomodo se haberet, dixit, se mortuum fuisse et in coelo perductum claritatem eius vidisse ibique Theodericum in magna gloria et Sigifridum eius capellanum atque Opertum inter barbatos viros, et alia quedam, quae meae cognitioni non patuerunt. Idem iterum una nocte exanimis quasi mortuus iacuit, et pulsatis signis, cum nudatus esset iam ad lavandum, conversus dixit astantibus: *Numquid viventem me vultis sepelire?* Attamen ipse non multo post defunctus est.

4. *De Azala et Pfruwanga.* Per idem tempus matrona quedam nobilis nomine Azala dedit predium suum ad monasterium sancti Gregorii papae, quod habuit ipsa apud villam quae dicitur Pfruwanga[42], et ipsa in eodem coenobio usque ad finem vitae suae in habitu spirituali permansit. Quod tamen predium Bertolfus abbas a filiabus et sororibus eius multa peccunia vix redemit.

5.[c] Erat quidam nobilis in pago Lintzgo, nomine Couno. Huius erat villa quae cognominatur Pfruwanga, a parentibus sibi iure hereditario ex integro relicta. Hic genuit duos filios, quorum unus Meginzo, alter vero Couno dicebatur. Hi ergo patre mortuo diviserunt inter se iam dictam villam Pfruwangam. Post haec unus eorum qui dicebatur Meginzo dedit suam partem aecclesiae sanctae Constantiensi ea conditione, ut ipse quamdiu viveret et postea heredes eius tam investituram aecclesiae quam advocatiam sine ulla contradictione possiderent. Frater autem eius Couno duxit uxorem et ex ea duos genuit filios, quorum uni nomen erat Wezil, alteri vero Gebino. Igitur Wezil patre defuncto addidit aecclesiae apud Pfruwanga de suo proprio capellam unam eamque dedicari fecit in honore sancti Nazarii martiris, et de suis propriis servis dedit illuc in dotem unum nomine Gisilmarum, dans eidem uxorem ingenuam nomine Azalam, quorum posteri omnes, sicut hodie cernitur, ad eandem pertinent capellam. Frater quoque eius Gebino predium suum apud Ringginwilare dedit ad monasterium sancti Gregorii pape, Petrishusin dictum, aliaque perplura bona illic tunc degentibus ministravit et usque ad obitum suum inibi permansit. Igitur Wezil, de quo superius diximus, frater Gebinonis, accepit uxorem, quae ei peperit filium nomine Cononem. Pontifex vero Roumaldus predium quod supradictus Meginzo ad sanctam Constantiensem aecclesiam obtulerat, Heinrico advocato de Sancto Monte in beneficium concesserat, et ipse Bennoni de Speichin concessit. Iste scilicet Benno primitus litigare coepit cum Counone pro advocatia apud Pfruwanga, quam omnes progenitores ipsius Counonis absque ulla contradictione habuerant, et eo usque inter eos certatum est,

a) *primo* sequenti anno *scriptum, sed* sequenti *linea subterducta deletum est et numerus* ĪCXVIIII *in margine ab auctore adiectus.* b) *primo* antehac eodem tamen *scriptum erat,* eod. tam. *postea deleta sunt.* c) *hoc caput in margine ab auctore adscriptum est.*

42) Cf. supra II, 20.

donec temporibus Gebehardi tercii eiusdem nominis episcopi Constantiae in synodum eadem causa ventilanda perlata est. Itaque cum querela pro eadem causa esset perlata, et episcopus a synodo sententiam quereret, et diversi diversas sententias proferrent, ad ultimum inter-
43 rogabatur Liutolfus comes de Achalmin[43], quid sibi pro hac causa videretur, eo quod ipse esset maior natu et recti verique tenax. At ille dixit, sibi omnino iustum videri, ut per quorum parentes aecclesia id ipsum predium possidere[a] videretur, ab eis privilegium advocatiae sive investiturae nulla ratione tolleretur; et in hac sententia ea die synodus quoque terminata est. Igitur ipse Couno, de quo agimus, retenta advocatia et investitura, accepit uxorem et genuit filium nomine Counradum et quinque filias, quarum uni nomine Azala dedit quicquid ipse apud Pfruwanga possidebat. Cuius advocatus erat frater eius Counradus, qui apud Frikkinga[44] habitaverat.

6. *De Etinchofin et Heinrico.* Post haec Heinricus vir nobilissimus et prudens ad extrema vitae perveniens dedit monasterio dimidiam partem predioli apud Etinchofin[45], alteram vero medietatem dedit uxor eius Rihinza moriens, sub ea tamen conditione, ut[b] in anniversario die utriusque fratribus inde ministretur cum pane et vino et piscibus.

Audiens autem Adelbertus Mogontiensis archiepiscopus obitum Heinrici misit litteras, in quibus mandavit Oudalrico episcopo, ut proiceret corpus Heinrici de cymiterio, aut divinum opus in ipso monasterio cessaret, quousque ipse ibi iaceret. Cum enim Heinricus imperator in Italia esset, et Fridericus dux Suevorum Mogontiensem aecclesiam devastaret propter rebellionem qua Adelbertus eiusdem aecclesiae archiepiscopus imperatori rebellabat, idem Heinricus de Hirzisegga duci adiutorio fuit, ac ob hanc culpam archiepiscopus eum de cymiterio eici voluit. Ipse autem Oudalricus suis manibus eum sepelierat et inter ipsas eius exequias eius poenitentiae grande testimonium perhibuerat. Attamen in ipsa feria quinta coenae Domini opus Dei in ipsa aecclesia fieri prohibuit et rogatus a fratribus flebiliter, ut propter animam Theoderici abbatis, qui in eius obsequio mortem subierat, saltem in ipsis paschalibus festis cantare permitteret, iuravit per animam ipsius et per omnes animas, quod minime permitteret, et ita stricte obsignavit, ut nec privatas orationes quemquam in aecclesia vel in capellis ipsi adherentibus facere concederet. Set vix concessit rogatus, ut apud Sanctam Mariam iuxta infirmariam officia divina cęlebrarent. Actum
1121. anno dominicae incarnationis 1121. Perrexit autem ad archiepiscopum primo Waltherus, deinde Wisericus, monachi eiusdem loci, cum deprecatoriis litteris, et tandem miseratione permotus indulsit Deo servire et mortuum quiescere.

Apr. 25. 7. *De Heinrico imperatore.* Eo anno imperator venit Augiam ibique festum sancti Marci egit, indeque Constantiam venit ipse et regina, regis Anglorum filia. Set nullus clericorum fere ibi stetit, quoniam episcopus discessit et aliis interdixit, pro eo quia iam a Calisto papa dampnatus fuit. Nec ipse imperator propter hoc ira movebatur, nec ad monasterium Domus Petri accessit; set nec ipse, nec aliquis suorum cuiquam molestiam intulit.

8. *De Pfruwanga.* Tunc supradicta Azala bonae memoriae digna iterum coram primatibus predium apud Pfruwanga monasterio confirmavit, sicut subscriptum privilegium ostendit.

1121. Apr. 29. 9. *Privilegium de Pfruwanga. Notum sit omnibus Christi fidelibus, presentibus scilicet et futuris, quod quedam religiosa femina nomine Azala tradidit quoddam predium cum manu advocati sui Bertholdi ad monasterium sancti Gregorii papae, ad ripam Rheni situm, cui tunc preerat Bertholdus abbas, quod sine ulla contradictione visa est possidere in pago Linzgouwe, in comitatu Hartmanni comitis*[46]*, hoc est dimidiam partem villae quae dicitur Pfruwanga cum alio ad hoc pertinente prediolo, Taverna*[47] *vocitato, et aliis omnibus ad se pertinentibus, scilicet in areis, aedificiis, mancipiis utriusque sexus, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, aquis, piscationibus, molendinis, viis et inviis, exitibus et reditibus, quesitis et acquirendis cunctisque aliis utensilibus quae adhuc dici aut nominari possunt, eidem iam dicto monasterio in honore sancti Gregorii constructo nec non et monachis sub norma sancti Benedicti Deo ibi militantibus, ex integro legitime de suo iure in eorum transfudit ius. Haec autem traditio facta est apud Constantiam, anno dominicae incarnationis* 1121*, indictione* 14*, mense Aprili, die* 29. *eiusdem mensis, hoc est* 3. *Kalend. Maii, feria* 6*, regnante Heinrico imperatore*

a) possideri *cod.* b) *deest in cod.*

43) mortuus a. 1098. 44) in praef. Bad. Heiligenberg. 45) Ut videtur Ettishofen prope Ravensburg. M. 46) de Dillingen. U. 47) Tafern prope Pfrungen in praef. Bad. Heiligenberg. M.

iuniore, filio Heinrici senioris, qui et ipse eodem tempore una cum regina Constantiae erat, in cuius etiam presentia haec sunt gesta coram multis testibus. Eo tempore Romanam ecclesiam Calistus, qui et Guido, Constantiensem vero Oudalricus tenebant.

10. *De obitu Witonis episcopi.* Anno millesimo 122. Wito Curiensis episcopus obiit[48] 1122.
apud monasterium Domus Petri. Hic multam gratiam et familiaritatem semper habebat ad idem monasterium et multa bona fratribus prestabat. Qui cum ibidem defunctus esset, Bertholdus una cum fratribus suis de rebus monasterii induerunt eum, ut moris est, pontificalibus indumentis, et tunna incluserunt et cum magno honore Curiam perduxerunt, cum magno tamen labore. Cuius successor Counradus[49] dedit monasterio calicem argenteum, 49
quem abbas deauravit, et cappam purpuream, et tam abbatem quam fratres eius, qui aderant, singulos munusculis honoravit, inter quos Counradum capellanum tunc, postea vero abbatem, specialiter muneravit, dans ei unum zendâth[50], ex quo ille cappam fecit, et argenti libram, ad quam ille et reliqui fratres aggregaverunt et brachium sancti Philippi apostoli auro et argento, lapidibus preciosis ac margaritis venustissime ornaverunt.

11.[a] *De Wolferado.* Et erat in eodem monasterio camerarius quidam nomine Wolferadus, qui, cum fratres ab eo indumenta quererent, indigna dabat responsa nec tribuebat necessaria. Una ergo die barbati fratres iracundia concitati, fustibus illum usque ad necem colliserunt et caldarium plenum aqua putantes eam s..... super eum fuderunt. Ea de causa grande scandalum exortum.... min.. sed tamen, qui hoc fecerunt, publice coram episcopo et abbate Constantiae, clero et populo aspectante, ab....i et caesi cum ca.rin..u.. sunt monaster....... cuire et reatum suum palam indicare. Quod postquam fecerunt, gratiam et reconciliationem quaesierunt, set nullatenus, etiam episcopo interveniente, impetrare potuerunt, donec post multos dies Berhta comitissa de Brigantia adveniens cum multis precibus ut reciperentur impetravit.

12. *De Operto presbytero*[b]. Senex quidam presbyter nomine Opertus in eodem monasterio erat, psalmodiae nimium deditus. Nam nox et dies ei in hoc opere expendebantur, exceptis dumtaxat horis quibus corpori necessaria solvebantur. Hic ergo cum moreretur, erant quidam viatores in ripa Rheni sub divo in ipso noctis silentio, flumen transire cupientes, qui viderunt sub ipsa hora migrationis eius lumen magnum de culmine basilicae egredi et in altum sublevari ac postremo coelum penetrare. Inde cum starent attoniti et stupefacti, audiunt repente signa omnia pro obitu ipsius pulsare, et cognoscunt, hoc signum propter ipsum fuisse ostensum, et valde compuncti diem inibi prestolaverunt et sequenti die eius exequiis cum magna devotione interfuerunt.

13. *De turibulo furto direpto.* Erat in eodem monasterio turibulum nimis speciosum, argento et auricalco pulcherrime preparatum, quo in maioribus festis incensum ferebatur. Factum est autem per haec tempora, ut quidam ex monachis, diabolica cupiditate illectus, id ipsum turibulum furaretur in festivitate sancti Michahelis post vesperos, et ipsa quidem nocte abscondit, postea vero, oportuno reperto tempore, minutatim comminuit. Cum igitur ad matutinos turibulum quereretur, et altaria, ut moris erat, incensarentur, et minime reperiretur, Heribertus custos aecclesiae perturbatus valde quaesivit quacumque potuit et non invenit. Tunc homo quidam de Constantia Wolveradus, sero iuxta sacristiam deambulare visus, eiusdem furti est accusatus, qui negans ignitum ferrum portavit et innocens apparuit, incendium tamen magnum manu sensit. Universae igitur congregationi ex consulto indictum est, ut se prepararent, quatenus se singuli iudicio a furto purgarent. In magno igitur angore constituti omnes ad iudicium faciendum se paraverunt, et quia in festivitate sancti Michahelis furtum factum fuerat, in cuius octava sanctae Fidis martyris et virginis dies natalitius colitur, omnis congregatio fratrum pariter devovit, ut eius festa deinceps cum pleno officio celebraret, quatenus auctorem furti eius intercessionibus Deus quantotius manifestaret. Ad hoc septem diebus missae fiebant pleniter de Spiritu sancto, sicut in die pentecosten. Non diu differens Deus, contritos corde servos suos de tanta eos citius angustia liberavit. Una quippe die Herimannus quidam presbyter post prandium, ut se calefaceret, ad ignem consedit in edicula in qua fratres sanguinem minuebant, et ecce

a) *hoc caput, excepto lemmate, erasum est, ut pars legi non potuerit.* b) bresbytero *cod.*

48) In Necrol. 18. Maii notatur: *Wido episcopus Curiensis, iste benignus nobis fuit.* U. 49) Etiam de hoc in Necrologio d. 1. Mart. legitur: *Depositio Cuonradi episcopi Curiensis, iste benignus nobis fuit.* U. 50) zendalh, *cental, centatum,* pannus sericus. U.

repente conspexit particulam eiusdem turibuli iuxta se e terra fulgere, quam accipiens omnibus fratribus ostendit. Ipse enim primitus de colendo sanctae Fidis festo consilium dederat. Quid plura? Auctor sceleris eius [a] tunc deprehensus examinatus est. Tanta autem nequitia cor eius infecerat, ut etiam iam tunc reatum suum confessus, partem metalli iterum subtraheret, partemque representaret, donec postea vix a fratre et ab aliis persuasus reddidit. Argentum ipsum aliquantisper servatum, ut in pristinum reformaretur, set postea a Counrado abbate, necessitate ingruente, expensum est. Et quoniam ad aecclesiam venimus, de eius custodibus aliqua dicemus.

14. Sigifridus, qui cum Theoderico abbate in Italia obiit, custos aecclesiae multis temporibus fuit et res eius prudenter et optime tractavit.

De incendiis. Quadam die sacristia ex incuria igne succensa tamdiu quasi nolens arsit, donec trans Rhenum Constantiae in ripa deambulantes viderent et clamantes incendium indicarent. Festinatum est, et facile repressum.

Alia vice apud sanctum Oudalricum in tempestae noctis silentio cunctis dormientibus candela quae ibi ardebat cęcidit et omnia quae strata sunt incendit. Ergo ad crepitum flammae Sigifridus excitatus surrexit, et ut incendium vidit, pre festinatione adiutorem non excitavit, set solus accurrit et capellam plenam de incendio reperit, in cuius medium irruit ac restinxit, mirumque in modum ignis mattam et stipulam consumpsit, de lignis vero ac de aliis rebus nihil omnino tetigit.

15. *De Amizone.* Postquam vero Sigifridus obiit, Bertholdus abbas Amizoni commendavit, qui caduco morbo vehementer laboravit, quique inconsulte agens ad ultimam paupertatem sibi commendata redegit, multa de sacris indumentis pro cyrographis dedit. Cumque pene omnia quae ad luminaria pertinebant ad nichilum redegisset et multis debitis se constrinxisset, quadam die post prandium secessit in ediculam, qua candelae parabantur, ibique sedębat infra meridiem, quoniam coclearia et alia talia sciebat parare; et ecce repente caducus morbus eum invasit et absque mora necavit. Itaque mortuus inventus ac sepultus, ac postea requisitum, maximum inventum est detrimentum. Tunc abbas cyrographa obedientiariis solvenda distribuit, quedam tamen vix ubi essent investigavit.

16. *Incendium mirabiliter restinctum.* Idem Amizo quodam tempore post completorium accendit circulum candelae et aliquamdiu sedebat nescio quid legens. Cum ergo vellet ire cubitum, deposuit candelam sic ardentem, oblitus eam extinguere, super cancellos chori ligneos et ipse se collocavit. Flamma autem cum consumpsisset quod erectum erat de circulo candelae, ipsum circulum invasit et totum simul incendit. Super retentaculum quippe ligneum, quod ex duabus rotis ut solet compactum fuerat, ignis magnus arsit nec ipsum retentaculum cęra infectum nec parietem tetigit, nisi parum aliquid tantum, quasi ad ostendendum periculum, in supęrficie sui incendium premonstrabat retentaculum. Non tibi ergo hoc videtur mirum, quod multo lichno ardente et ex ardore cęra defluente ipsum lignum, super quo arsit, minime consumpsit?

17. *Item.* Preterea quidam caecus nomine Eberhardus per idem tempus in hospitali pauperum morabatur, qui de se ipso testabatur, quod sepius ignem stramentis supposuerit et numquam vel tegulam incendere potuerit. Tantis ac talibus miserationibus hactenus idem locus ab incendio noscitur sepius esse protectus, quoniam et seniores nostri affirmare solebant, quod ipse locus numquam cremaretur, quousque corpus beati Gebehardi ibi haberetur.

18. *De Wernhario caligoso.* Eo tempore Wernherus senior, qui ad Nernistheim datus fuerat abbas, promissionibus Oudalrici episcopi illectus ipsum locum dimisit et ad Domum Petri rediit. Cumque Bertholdus abbas alium pro illo dare nollet, episcopus Heinricum de
51 Zwivildensi monasterio adduxit eumque ibi abbatem fecit [51], sicque cura ipsius loci de Domo Petri dilapsa est, quae multis annis exinde habebatur.

19. *De visione et fine eius.* Ipse autem Wernherus, cum episcopus sibi nihil de promissis preberet, ad Erla [52] monasterium secessit ibique multis diebus permansit. Quadam autem nocte per visionem ductus est ad quoddam habitaculum, ubi vidit Petrum principem apostolorum cum aliis plurimis clarissimis viris consedere et ipsum principem apostolorum

a) cuius *cod.*

51) a. 1119. secundum Ann. Neresheim. 52) Monasterium Erlacense ad lacum Bielensem in territorio Bernensi. U.

pergrandem librum aureis litteris conscriptum manu tenere. Ipse autem Wernherus iussus ad pedes eius consedit ipsoque apostolo demonstrante nomen suum in libro, quem apostolus tenebat, aureis litteris clare conscriptum vidit. At ille de nomine Theoderici abbatis et patris ac matris nomine, si ibi haberentur, sollerter interrogavit, quae itidem ei apostolus omnia demonstravit. Ob huius ergo amorem visionis idem Wernherus se apud quoddam oratorium sancti Petri nomine consecratum inclusit et usque ad finem sui in Dei servitio permansit. Qui defunctus in eodem loco est sepultus, atque sanitates ibidem dicuntur divinitus exhiberi; quae quoniam certa relatione non didicimus, de his plura dicere pretermittimus.

20. *De Waginhusin.* Per hec tempora Waginhusensis cella curam et regimen a nostro monasterio habuit, set ex contentione Scafhusensium impedita usque in hodiernum parum profecit. Set tunc Folchnandus quidam senex presbyter illuc transmissus prefuit, sub quo et ego illic tunc eram, et habuimus foederatos iam Scafhusenses et Steinahenses, qui similiter suum esse ipsum locum certabant, et sepius ante vastaverant et adhuc devastant. Set cum satis ordinate tunc temporis divina et humana ibi haberentur, Oudalricus episcopus credens se citius quiddam magni patraturum, dimisit nos et Utonem quendam abbatem ibi fecit eumque in quibus potuit adiuvit. Set ad breve tempus profecit, sicut suo loco[53] stilus 53
noster forsitan ostendit.

21. *De tabula argentea.* Anno ab incarnatione Domini 1126. facta est fames valida, 1126.
ita ut multi penuria oppressi deperirent. Et erat in basilica sancti Gregorii tabula principali altario in occidentali parte apposita, quae auro et argento venuste fuerat operta, quae nonnisi in maximis festivitatibus aperiebatur. Hanc Bertolfus abbas ingruente inopia confringi fecit, et auri quidem inventum est habere unum talentum et quartam partem fertonis[54]; argenti vero ...[a], et hoc totum tam aurum quam argentum erat purissimum et optimum. De auro quippe in medietate tabulae erat elata imago speciosa sanctae Dei genitricis et in eius pectore species columbe; de argento vero in latitudine tabulae imagines apostolorum et aliorum sanctorum pulcherrime formatae. Ho ......[b]tae sunt.

22. *De Bôzze.* Ad hoc predium apud Bozze[55] cuidam Bernhardo pro duodecim libris argenti pro cyrographo dimissum est, quod postea Counradus abbas Rouperto de Otoldiswanc[56] tempore iterum famis vendidit, qui illud usque in presens possidet.

23. *Quomodo Bertolfus abbas depositus est.* Anno ab incarnatione Domini 1127. cum 1127.
iam Bertholfus abbas senio gravaretur, moribus quoque ita insolesceret, ut nec ipse faceret, nec aliis permitteret necessaria loci providere, et iam iamque omnia simul in defectione viderentur, quidam de senioribus coeperunt cum Oudalrico episcopo clam agere, ut Bertolfo persuaderet, quatenus abbatia se abdicaret et alium pro se ordinari permitteret, ipse vero reliquum vitae suae tempus privatus requiesceret; erat enim crassus nimis. Et quoniam episcopus eloquens erat et versutus, persuasit eum, quamvis diu reluctaret. Die ergo statuta advenit Oudalricus episcopus et Oudalricus Zwivildensis abbas, et consilio diu habito, venerunt ad capitulum et nuntiaverunt multitudini; cumque ille libens consentiret, ut privatus viveret, dixerunt quidam, ut ibidem rem conficeret, alii autem dicerent, ad altare eum debere pergere et ibidem se abdicare, episcopus ait: *Non est*, inquit, *necesse, virgam mihi regiminis reddat.* Tunc omnes reclamaverunt dicentes, hoc nullatenus ad eum pertinere. Ergo accessit ad altare et virgam deposuit desuper dicens: *Ecce quod Dei et vestri gratia habui depono, et omnes vos a mei obedientia absolvo.* Hoc dicto ad lectum rediit et Counradum capellanum primus elegit.

24. *Quomodo Counradus abbas electus est.* Deinde iterum conventus ad capitulum rediit. Episcopus vero secessit, et libera electione omnis congregatio Counradum elegit. Counradus et ipse secesserat, quoniam pro hospite hactenus ibi habitabat. Electione autem peracta, requisitus et inventus, clamans et multum reluctans violenter adductus et tandem laboriose devictus sedi est impositus.

25. *De obitu Oudalrici episcopi.* Post menses quatuor Oudalricus episcopus apud cellam sanctae Mariae in Brisgouwe[57], quorum etiam habitu enituerat, regio morbo

a) *dimidia lineae pars vacua. Ussermann, nescio quo Marte, pro* vero *legit* quinque. b) *dimidia lineae pars erasa.*

53) scil. infra c. 40. 54) Ferto pecuniae species seu quarta pars marcae. U. 55) Boos prope Saulgau. U. 56) forte Otterschwang in praef. Waldsee. U. 57) vulgo Sanct-Mergen in Silva Nigra. U.

depressus et violenter oculis de capite eiectis laborioso fine defunctus est, vir officio pontificali valde idoneus, si animo non fuisset adeo acerrimus. Ipse apud Sanctum Oudalricum
58 Constantiae canonicos instituit[58]. Corpus eius Constantiae delatum in choro basilicae sanctae Mariae est honorifice tumulatum.

26. *De fine et obitu Bertolfi abbatis.* Igitur Bertholfus abbas pridem cum primum se potestate abdicasset, aliquanto tempore ei diligenti cura ministrabatur, deinde multa neglegentia tractabatur. Ipse quoque post paucos annos paene amens effectus pueriliter versabatur. Nam indumenta et lectisternia eius ex ipsius urina putrefiebant, sepius absque cuculla claustrum pertransibat et alia multa absque sensu et loquebatur et agebat. Ille qui in diebus suis nulli vel propter senium vel propter debilitatem parcere consueverat, ille inquam ad hoc pervenit, ut ignarus temporum et horarum absque ordine ederet et biberet atque digereret et nec in precipuis ieiuniorum diebus ieiunare posset, et ita propriis sordibus involutus, ut non parvum foetorem emitteret. In extremis autem eius vix tantum ei sensus concessum est, ut viaticum quereret et acciperet. Defunctus tamen benivolentia fratrum sacerdotalibus, ut mos est abbatibus facere, indutus et in capite sepulchrorum abbatum sepultus est cum honore, absente tamen abbate Counrado[59].

27.[a] *Nota mirum quoddam.* Rem miram, quam dicturus sum, qui volet perpendat. Per annos quippe fere septuaginta, a temporibus scilicet Adelberti abbatis usque ad Bertolfum, nullus eorum qui in Domo Petri abbates fuerunt absque nota de hoc seculo migravit; nam quilibet eorum aut peregre moritur aut aliqua debilitate correptus periit. Adelbertus itaque apud Buochowa subita morte periit. Siggo confracto dorso altero anno ordinationis suae defecit. Arnoldus, Meginradus et Liutoldus depositi. Theodericus peregre obiit. Bertolfus depositus amens effectus defecit. Quis credat, hoc absque districto divino actum iudicio?

28. *De formicis.* Preterea cum Theodericus abbas olim capellam sanctae Mariae apud infirmariam augmentaret, erat edicula quae addita est capellae, set postes et superliminaria ostii obstructa erant in pariete, ex cuius ligni putredine nata est innumera multitudo formicarum, quae egredientes ascenderunt super altare et nulla quiete ibi poterat missa cantari. Quadam autem die quidam presbyter cum ibi cantaret et nullam quietem haberet, finita missa, adiuravit eas per nomen Domini et per omnes sanctos Dei et per omnem virtutem, quam nominare meminerat, ut abscederent et nullam deinceps Deo servientibus inquietudinem irrogarent. Quis credere potest tantam virtutem in re parvissima celebratam? Ex die quippe illa usque in hodiernum formice ex eo loco tam pleniter defecerunt, ut nulla usquam neque in altari, neque in pariete, neque in humo omnino appareret, cum prius nullo ingenio inde exterminari potuissent. Iterum alia die cum idem presbyter, sicut sepius solebat, ibi missas ageret et quasdam pennatas ibi repperiret, quasi illae de numero reliquarum non essent: *Et vos,* inquit, *abite locumque istum liberum amodo relinquite.* Ex illa hora pleniter abscesserunt nec ullatenus aliquam inquietudinem irrogaverunt.

29. *De Kounrado abbate.* Igitur Chounradus abbas in ipso initio promotionis suae coepit sibi suisque successoribus construere nova habitacula multisque temporibus operi insudans tandem cum decore consummavit. Eo tempore Oudalricus secundus eiusdem nominis episcopus munitionem suam Castellum dictam timore Roudolfi comitis de Brigantia destruxit, quam predecessor eius Oudalricus multo labore et sumptu construxerat, et laquearia duarum capellarum Counrado abbati concessit, quorum unum suae, alterum vero capellae sancti Iohannis baptiste affigi fecit. Fecerat enim duas capellas, unam super alteram.

1129. Oct. 29. 30. *De capella sancti Martini.* Anno ab incarnatione Domini 1129, die 4. Kal. Novembris dedicata est capella superior, quam aedificaverat Counradus abbas in honore sancti Martini et sancti Oswaldi martirum et aliorum sanctorum, quorum reliquiae inibi continentur. De ligno et de purpura Domini et apostolorum Petri, Andreae, Philippi, Bartholomei, Luce euangelistae, et sanctorum martyrum Stephani protomartyris, Sixti, Fabiani, Blasii, Cyrilli, Erasmi, Sulpitii, Serviliani, Cyriaci, Pelagii, Mauricii, Ypoliti, Gervasii et Protasii,

a) *hoc caput prius quidem extinctum manus saec. XVIII. restituit.*

58) Est hoc canonicorum collegium extra Constantiam Creuzlingen dictum. U. 59) In Necrolog. die 25. Sept. dicitur praefuisse *post Theodericum annis* 10. U.

Alexandri filii Felicitatis, Valentini. De sanguine Bonifacii, qui mortuus risit, Anastasii, Sigismundi, Valentis, Candidi, Innocentii, et sanctorum confessorum Nicolai, Augustini, Kuonradi, Ambrosii, Leonardi, Hylarionis, Arsenii, et sanctarum virginum Ceciliae, Agathae et de velo eius, Regulae, Margaretae, undecim milium virginum, Mariae Magdalenae, Afrae, Hylariae, Eutropie. Dedicavit autem eam Oudalricus secundus episcopus.

31. *De capella sanctae Fidis.* Anno ab incarnatione Domini 1134, indictione 12, die 1134. 10. Kal. Decembris dedicata capella inferior a venerabili Oudalrico episcopo secundo in Nov. 22. honore sanctae Fidis et sanctae Mariae Magdalenae et aliorum sanctorum, quorum reliquiae ibi continentur, hoc est sanctorum apostolorum Pauli, Iacobi, Thome, Mathei, et sanctorum martyrum Alexandri, Cornelii, Calisti, Stephani, Vigilii, Iohannis et Pauli, Sebastiani, Georgii, Pancratii, Tyburtii, Primi et Feliciani, Sergii, Gorgonii, Christofori, Victoris, Ursi, Exuperii, Gereonis, Metelli, Quiriaci, Sisinnii, Felicis, et sanctorum confessorum Martini, Maximini, Valerii, Gebehardi, Benedicti, Galli, et sanctarum virginum Regulae, Verenae, Walpurgae, Basillae, Dignae, Emeritae, Cantianillae, Hostiae, Leonidae, Numiae, undecim milium virginum, Mariae Magdalenae et aliorum sanctorum.

32. *De capella sancti Iohannis baptiste.* Anno ab incarnatione Domini 1129, indictione 7, 1129. renovata est capella sancti Iohannis baptiste a Gebinone avunculo meo, addito ei oratorio sancti Iacobi apostoli, qui prius proprium habuit altare, quod ille destruxit et duo oratoria in unum utiliter redegit, et laquearia habentia materiam sancti Iohannis baptiste depictam a Kounrado abbate impetravit et ibi suspendit. Dedicavit autem eam Oudalricus episcopus secundus die 9. Kal. Septembris in honore sancti Iohannis baptiste et Iohannis euangelistae, Aug. 24. Iacobi fratris eius, Philippi, Nicolai. Isti sunt ibi patroni. Continentur quoque ibi reliquiae sancti Bartholomei apostoli, Stephani protomartyris, Calisti papae, Marcelli papae, Apollinaris, Blasii, Cyrilli, Desiderii, Basilii, Vincentii, Cyriaci, Sebastiani, Georgii, Pancratii, Viti, Ypoliti, Christofori, Saturnini, Valentini, Antonini, Cosme et Damiani, Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii et Vitalis martyrum, et sanctorum confessorum Paulini Nolanensis, Nicetii et Agritii, Oudalrici; et sanctarum virginum Ceciliae, Barbarae, Gundelindae.

33. *Quomodo claustrum est ex parte innovatum.* Idem ipse Gebino claustrum iam dudum renovaverat, in duobus lateribus novas columnas cum suppositionibus earum de quadro lapide componendo.

34. *Gebino calicem fecit.* Ipse patravit calicem argenteum eumque auro et gemmis venusto opere decoravit. Set aurifex cum patenam deberet facere et multos lapides vellet imponere, castella et vermiculi nullatenus corpori patenae ex integro potuerunt congelari, et sepius inceptum semper invenit defectum, sicque opus diu est intermissum. Interim[a] necessitate subrepente, a Chounrado abbate est expensum. Sumsit et illud argentum quod aliquando fieret turibulum, de quo superius est dictum[a].

35. *Quomodo Bozze et Eilingin venundatum est.* Per haec tempora predium apud Bôzze venundatum est 17 marchis. Item Eilingin[61] datum est pro 40 marchis. 61

36. *De Witigone presbytero.* Sed et presbyter quidam Witigo nomine, ortus de Alospach[62], erat multo tempore capellanus Treverensis archiepiscopi et Coloniensis. Hic fere 40 marchas argenti probati transmisit ad Domum Petri pro agris comparandis, quos ille dum viveret haberet, et post suum obitum monasterio relinqueret. Set argentum totum est expensum et nihil ex eo emptum. Cum ergo ille veniret, ut quid actum esset videret, nesciens abbas et fratres eius quid agerent, ostenderunt ei possessionem monasterii apud Frichingen, quae tamen nuper aliquantulum de peccunia quae pro Eilingin sumpta fuerat dilatata erat, et dederunt ei eam pro peccunia sua, quae consumpta fuerat. Quam ille gratifice suscipiens, consentiente atque iubente abbate, tale super cyrografum conscribi fecit.

37. *Privilegium Witigonis.* *Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, qualiter* 1135. *ego Witigo Dei gratia presbyter divina inspirante providentia comparavi allodium apud villam* Mart. 12. *Frichingen in pago Linzgowe, in comitatu Heinrici comitis*[63]*, datis pro eo 22 marchis. Ad hoc sano, ut credo, usus consilio petii abbatem Chounradum simulque fratres Petrishusensis cenobii,*

a) Interim — dictum *paene extinctum cod.*

61) Ailingen in praef. Wirt. Tettnang. M. 62) Allenspach prope Reichenau. U. 63) de Heiligenberg secundum l. V, c. 24. U.

et concesserunt mihi in iustum beneficium curtim, quam idem monasterium apud eandem villam possidet, et ego illis versa vice alias 20 *marchas argenti pro eodem beneficio contuli, ea videlicet conditione, ut ego quamdiu vixero utramque partem iam dicti predii, et emptam scilicet noviter et ante habitam, sine ulla contradictione pro beneficio possideam et fructus eius in usus meos, ubicumque locorum sim, convertam, eandemque curtim uni ex fratribus eiusdem coenobii, quemcumque elegerim, committam, qui mihi universa, quaecumque ibidem acquisierit, fideliter conservet. Cum vero ex hac vita decessero, volo ut monasterium idem allodium perpetualiter possideat, ea videlicet conditione, ut in anniversario obitus mei die omni deinceps anno fratres communiter inde pietantiam habeant, tres scilicet maltros de speltaneo frumento ad similam faciendam, ex quibus unus modius specialiter fiat abbati, et tres urnas de vino, dimidiam abbati, duas vero et semim fratribus, et duodecim solidos pro piscibus comparandis. Duodecim quoque pauperes volo ut ea die reficiantur, et unicuique pauperi panis et cyatus vini et pulmentum detur. In anniversario quoque patris mei Operti, quod est* 4. *Idus Martii, unum maltrum similae, et duae urnae vini volo ut dentur omni congregationi generaliter. Simili modo de eadem possessione volo fieri in anniversario matris meae Pechildae, quod est* 15. *Kal. Septembris. Ut autem haec omnia sicut notata sunt inviolata conserventur, adiuro omnes, qui per successiones temporum in eodem monasterio futuri sunt, per omnium fidelium remuneratorem et per omnem virtutem, quae vel in coelo vel in terra Deo famulatur, ut nullus omnino vel abbas vel alius aliquis haec audeat violare, aut si, quod absit, fecerit, in consortio Iudae proditoris in extremo iusti iudicii die condempnetur. Actum et confirmatum anno incarnationis Domini* 1135, *in festivitate sancti Gregorii papae coram cunctis fratribus, et testibus Heinrico, Herimanno, Eberhardo, Liutfrido, Arnolfo, Burchardo, Adelberto aliisque multis.*

Obitus eiusdem Witigonis Non. Octobris.

64 38. *De Gisilfrido et Turinga.* Sed et Gisilfridus de Tiuringin[64] cum magna devotione advenit et unicum filium nomine Roupertum Deo et sancto Gregorio coram omni congregatione cum multis lacrimis obtulit, universaque predia quae in terra Suevorum proprietatis iure possedit, tam apud Tiuringin quam apud Ietinhusin[65], omnia itaque monasterio ex integro contulit in ministerium fratrum Deo inibi famulantium perpetuo iure possidenda, excepta portione fratris sui Geraldi. Vineam quoque apud Alospach emit 12 marchis et firmissimo pacto constituit, abbate presente atque consentiente et omni congregatione, ut omni ebdomada per evum semel una die missa pro omnibus parentibus eius defunctis cantaretur, et ipsa die monachis generaliter de iam dicta vinea vinum propinaretur, et ipsa missa quando cantaretur noto signo tantum uno nuntiaretur. Et ut ipsa vinea absque damno monasterii excoli potuisset, cum quedam matrona nomine Triutlint per idem tempus converti et agrum suum apud Fispach[66] offerri voluisset, et hanc abbas suscipere renuisset, idem Gisilfridus dedit abbati decem talenta, ut mulierem cum agro susciperet et eandem possessionem ad excolendam supradictam vineam servire permitteret. Acta sunc haec omnia inspicientibus idoneis testibus, Patre et Filio et Spiritu sancto, Philippo, Gregorio et Gebehardo.

39. Post haec obortis quibusdam iurgiis inter abbatem et eundem Gisilfridum, abstulit filium suum de monasterio iam monachizatum, et abalienavit predia quae dederat, id est Turingin et Ietinhusin; ipse tamen in habitu barbatorum plerumque in monasterio mansit ac non multo post obiit[67] et apud monasterium sepultus est. Filius autem eius post mortem patris armis sumptis iniqua hereditate potitus est.

40. *De Gebinone abbate.* Per idem tempus, cum Uto abbas Waginhusensis in infamiam incidisset, depositus est, et Gebino ab Oudalrico episcopo secundo a monasterio Domus Petri adductus et eidem loco abbas ordinatus est. Quem cum per aliquot annos idoneę rexisset, commissa est ei etiam nova cella quae vocatur Vishina[68], quae per illum monasticae vitae initiata est.

41. *De Waltrammo abbate.* Quam cum post aliquanta tempora laborem non sufferens dimisisset, Counradus abbas rogatus iterum ab Oudalrico episcopo constituit pro eo Waltrammum eidem loco abbatem, qui ibidem aecclesiam a fundamentis construere coepit et multa ornamenta aecclesiae et utensilia acquisivit.

64) Theuringen in praef. Tettnang. 65) Iettenhausen prope Friderichshafen. U. 66) Fischbach prope Friderichshafen. M. 67) In Necrologio notatur 6. Maii. U. 68) Fischingen seu Augia sanctae Mariae in Turgovia monasterium. U.

42. *De organis.* Post haec Counradus abbas conduxit monachum quendam nomine Aaron, presbyterum de Châmberch, musicae artis peritissimum, qui fecit ei organa elegantissimae modulationis et constituit ea ad meridianam plagam eiusdem basilicae. Ipse etiam iam antea eiusdem generis instrumentum Constantiensi aecclesiae fecerat, patrante Herimanno vicedomno et custodi tunc aecclesiae.

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

LIBER QUINTUS[a].

1. *Incipit de translatione beati Gebehardi episcopi.* Inter iustorum et peccatorum mortes hoc distare videtur, quod nomina peccatorum in bonis non memorentur amplius, memoria autem iusti cum laudibus, et in memoria aeterna erunt iusti. Mors quippe peccatorum pessima, preciosa autem in conspectu Domini mors sanctorum eius. Deus enim bonorum remunerator absque invidia non solum in coelo, set etiam merita sanctorum remunerare non desinit in terra. Cum enim videmus apud ossa mortuorum miracula fieri, viventes a mortuis auxilium flagitare[b], templa ornata in eorum nomine fabricari, predia et dona cumulari, ipsa eorum cinerum receptacula ambitiosius ornari, memorias eorum cum laudibus cęlebrari: quid aliud quam magna quedam remuneratio bonorum in terra humanis obtutibus premonstratur? Quid autem de spiritu ipsorum? Ut breviter dicam, abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominum; veraciter enim ab omni conturbatione hominum absconduntur, qui in conspectu Dei et angelorum gloria et honore perfruuntur. Set nec quidem hae tam ineffabiles retributiones sufficiunt Deo electis suis retribuere, insuper et adhuc adiciet. Non patitur quippe eorum corpora sub humo cęlari, super altare suum vult ea superexaltari, et si ęsset adhuc honorificentior locus, in hoc credo collocaret eos Deus.

Unde cum iam per annos circiter centum quadraginta duos beati confessoris Christi Gebehardi quondam Constantiensis episcopi, fundatoris vero monasterii quod dicitur Domus Petri, corpus sub humo more mortuorum quiesceret, et tamen eundem locum tumuli eius frequenter fidelis Deus, qui non obliviscitur, miraculis illustraret; cum iam ipsa basilica tam ex antiquitate quam ex fundamenti fragilitate undique per rimarum scissuras iam iamque casum minaretur, venerabilis abbas Counradus adortatione Hugonis Constantiensis aecclesiae canonici eam renovare aggressus est. Ex culmine quippe, quod ex occidentali parte in pinnam subrectum est, vis tempestatum cementum omne prorsus eluerat, et saxa nudata sua nigredine deforme et horrendum omne aedificium ostendebant. Hoc itaque primum renovare aggressus, novam et maiorem fęnestram fęcit, in qua Wernherus vitrarius, eiusdem monasterii famulus, vitream fenestram de suo collocavit. Superius autem in eodem pariete alias duas fenestras ex utroque latere constituit, ubi prius duae parvissimae et rotundae habebantur. Scissuras quoque et cavernas novo cemento perlinivit et picturas, quibus antiquitas decorem abstulerat, delevit et per totum dealbavit. Vetus etiam altare destruxit, quod erat parvulum et cavum, nihil in se habens sanctarum reliquiarųm secundum morem aecclesiasticum, set tantum ex quinque quadris lapidibus compaginatum, et ipse aedificavit novum maius et sublimius.

2. Fęcit quoque abbas Counradus sepulchrum de quadris lapidibus nimis speciosum et super illud altare novum et ostium et gradus per quos ascenditur ad altare et in chorum.

3. Anno igitur a partu virginis 1134, a condito autem monasterio 152, indictione 12, 1134.
abbas Counradus convocavit Oudalricum Constantiensis aecclesiae venerabilem episcopum, eiusdem nominis secundum, et aperuit tumulum beati Gebehardi episcopi et invenit corporis eius thesaurum preciosum, omni margarita cariorem. Ipse autem tumulus valde diligenter erat obfirmatus. In meridiana quippe parte iuxta introitum criptae erat, et ad caput quidem eius imago crucifixi de gypso et altare sancti Benedicti, a latere vero dextro in pariete imago ipsius sancti pontificis. et ex utroque latere ipsius imagines ministrorum eius, quasi altario assistentes, et columnae et arcus et vites et similitudo volucrum et pecudum, omnia de gypso venustissimę formata. In sinistro autem latere erat tabula in obliquum posita de quadro lapide, supereminens pavimento quasi duobus palmis, et item alia ad pedes altior caeteris et super hanc lignum, habens candelabra septem. Super tumulum vero lapis qui

a) Liber quintus *desunt in cod.* b) flagitari *cod.*

positus erat, inferius iacebat, his supereminentibus de quibus iam dixi. Quibus sublatis invenimus pavimentum lapide et cemento factum. Quo etiam ablato, invenimus iterum tabulam de firmissimo lapide, in quo erant duo circuli ferrei plumbo obfirmati. Sub hoc ergo sanctum corpus invenitur adhuc sacris vestibus circumvolutum; maxima quippe ex parte erant putrefactae, set ossibus herebant, quia eas manus non tetigerat. At cum manu tangi coepissent, ilico defecerunt, excepta stola et superiore partę planetae, quae de croceo fuerat pallio. Ex his ergo aliqua pars remansit integra.

1134. 4. Anno a condito monasterio centesimo quinquagesimo secundo advenit Oudalricus episcopus et ex monasteriis patres septem invitati a Counrado abbate iam sepe dicti monasterii. Set et turba clericorum et monachorum aliorumque fidelium affuit non modica, et cum immani gaudio et exultatione, cum ymnis et laudibus honorifice transtulerunt ossa et cineres beati confessoris Christi atque pontificis Gebehardi de loco prioris sepulchri et in sarchofago posita ambitum monasterii lustraverunt et postea cum magno honore in novo tumulo condiderunt.

5. *De dedicatione altaris sanctae crucis.* In ipsa die, hoc est 6. Kal. Septembris, qui
Aug. 27. est dies natalis ipsius, indictione 12, dedicatum est altare, quod est supra ipsum tumulum, in honore domini nostri Ihesu Christi et sanctissimae crucis ac genitricis Dei Mariae et sancti Gebehardi sanctique Benedicti et aliorum sanctorum, quorum reliquiae in eo sunt reconditae, hoc est sanctorum apostolorum Petri, Pauli, Andreae, Philippi, Bartholomei, et sanctorum martyrum Fabiani, Calisti, Felicis, Apollinaris, Blasii, Dionisii, Pelagii, Sebastiani, Viti, Cyriaci, Agapiti, Proti et Iacincti, Mauricii, Candidi, Maximi, Fidelis, et sanctorum confessorum Gregorii, Nicolai, Gaugerici, Galli, Barbatiani, et sanctarum Mariae Magdalenae, Dignae, Sophiae, Walpurge.

6. *De dedicatione basilicae sancti Gregorii papae.* Sequenti die dedicaverunt ipsam basilicam in honore sanctae Trinitatis et victoriosissimae crucis et sanctorum Philippi apostoli, Gregorii papae et Gebehardi episcopi. Hae autem reliquiae in ipso altari sunt reconditae: de ligno Domini, de vase in quo Longinus sanguinem Domini suscepit, de arbore quam Dominus plantavit, de capillis et de velo sanctae Mariae matris Domini; reliquiae de basilica sancti Michahelis archangeli, quam ipse dedicavit in monte Gargano, Iohannis baptistae, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Philippi, Bartholomei, et sanctorum martyrum Alexandri papae, Calisti papae, Fabiani papae, Marcelli papae, Felicis papae, et episcoporum Apollinaris, Dionisii, Blasii, Herasmi, Lamperti, et aliorum martyrum Pelagii, Georgii, Mauricii, Candidi, Sebastiani, Cyriaci, Viti, Pancratii, Cristophori, Hermetis, Cosme et Damiani, Agapiti, Crispini et Crispiniani, Tyburtii, Proti et Iacincti, Crisanti, Fidelis, Casti et Desiderii, Carpophori, Amandi, Aniani, Policarpi presbyteri, Heraclii, Constantii, Iuliani, Nicandri et Martiani, Maximi, Pergentini et Laurentini, et sanctorum confessorum Leonis papae, Gregorii papae, Nicolai, Severini, Materni, Maximini, Gaugerici, Gebehardi episcoporum, item Galli, Barbatiani, et sanctarum virginum Agathae, Luciae, Ceciliae, Dariae, Brigidae, Walpurgae, et aliarum sanctarum Mariae Magdalenae, Felicitatis, Dignae, Sophiae. Actum temporibus Innocentii pape secundi et Lotharii secundi imperatoris augusti, anno imperii eius decimo, indictione duodecima, die 5. Kal. Septembris feliciter cum gloria.

7. His diebus grandis infirmitas in ipsa congregatione grassabatur, ex qua me ipsum meritis beati Gebehardi mirabiliter fateor liberatum. Mobilitati quippe animum dederam, set quotiens recedere a monasterio disponebam, sicuti et antea feceram, gravi infirmitate reprimebar, si quando vero de viribus desperans animo consedi, tunc statim aliquantulum convalui, at vero cum me iterum obstinata mente pristino errori implicare temptarem, gravi animadversione repercussus concidi, et ita Deo teste sepe mihi illis diebus contigit. At vero cum aperto tumulo liber aspectus omnibus pateret adventantibus, ego quoque accessi, sperans me conspectu sacri corporis aliquantulum iuvari. Ea nocte tanta infirmitate attritus sum, ut vigiliis nocturnis nequaquam interesse potuissem, et in sequentibus sollemniis pene ex sensu iacerem. Hac itaque percussione perterritus — cognovi enim, quid portenderet, quoniam insensibilis non eram — nequaquam ultra approximare ausus fui, set ubicumque sacra ossa tractabantur — nam postea siccabant ea ad solem, ne putrefacta deperirent — ego me subtrahebam, nec contrectare, nec saltem videre audebam. Cum ergo nulla medicamina mihi adhibita proficerent, et tempus transiret, nec ulla prospera meo negotio succederent, defęci animo et mente consedi mobilitatique renuntiavi, ac sic quasi

iam reconciliatus Domino meo, confidens Heribertum custodem aecclesiae rogavi, ut mihi dentem sancti Gebehardi concederet, et posui eum in calice et desuper aquam fudi hancque bibi et continuo sanitatem recepi, atque ex eo usque in hodiernum diem innumeri hominum tali poculo a febribus sunt liberati.

8. *De campanis.* Post haec Counradus abbas fecit campanum satis honorificum, et Heribertus custos aecclesiae secundum, ego quoque unum parvulum ad Sanctum Iohannem. Et sacro lavacro perfusa et crismate consignata, unum quidem Osanna, aliud vero Alleluia, tertium vero vocatum est Benedicta. Deinde fecit domum campanarum super aecclesiam, quia prius pendebant in quatuor columnis iuxta aecclesiam.

9. *De dedicatione altaris sancti Petri.* Anno ab incarnatione Domini 1136, indictione 14, 1136.
die 16. Kal. Decembris dedicatum est altare sancti Petri apostoli secundo a Chounrado Nov. 16.
Curiensi venerabili episcopo. In quo continentur reliquiae istorum sanctorum: Iohannis baptistae, Petri et Pauli, Iohannis euangelistae, Mathie, sanctorum innocentum, Clementis papae, Calisti papae, Pelagii, Mauricii, Viti, Pancratii, Ypoliti, Sebastiani, Agapiti, Cosme et Damiani, Christofori, Genesii, et confessorum Martini, Nicolai, Gebehardi, Benedicti, Galli, et virginum Agnetis, Luciae, Eugeniae, Scolasticae.

10. Factum est autem, ut Heinricus presbyter, qui oratorium sanctae Mariae apud Rotse procurabat, e mundo migraret, et confestim Counradus abbas misit illuc Adelbertum monachum, virum utique satis idoneum, si forte fieri posset, ut divinum servitium per eum in eodem loco aliquatenus succresceret. Qui cum post paucos annos obisset, missus est illuc alius Adelbertus iunior eadem spe qua et superior. Hunc ergo locum, sicut longe superius diximus[69], venerabilis Ratperonius primus incolere coepit, et basilicam construxit. De cuius actibus huic operi aliqua innectere dignum ducimus, ne virtutes tanti viri penitus oblivioni tradantur, quarum memoria apud homines iam in supremo vix permodica habetur.

11. *Vita beati Ratperonii.* Vir Dei Ratperonius nobilibus et religiosis parentibus de Turingia ut fertur est ortus[a]. Quasi aurea fibula tota eius generatio in eo creditur ornata et conclusa. Hic itaque relicta patria transiit in Alamanniam seque sanctissimo presuli Oudalrico Augustensi coniunxit et sub eius regimine diu in regulari tramite vixit, quoniam idem pontifex tunc temporis Campidonense monasterium rexit[70]. Igitur cum eidem sancto presuli familiariter iungeretur et ab eo in omne opus bonum informaretur, contigit ut quodam tempore simul pergerent atque in loca Rubro Stagno contigua devenirent. Cumque in quodam prato post refectionem corporis aliquamdiu requiescerent, episcopus post quietem expergefactus predixit per spiritum beato Ratperonio, quod ibi in vicino quidam locus esset, qui eius labore excolendus foret, ubi etiam diem iudicii prestolaturus esset. Vir autem Dei Ratperonius, hoc oraculo percepto, huic statim animum constanter intendit negotio et coepit sagaciter apud proceres earundem regionum agere, quatenus sibi locum ad opus destinatum vellent concedere. Cumque ab eis fuisset contemptus, eisdem adversa est imprecatus, ac propter hoc actum creditur, quod posteritas eorum deleta est, sicut scriptum est: *Semen* Ps. 36, 28.
impiorum peribit.

12. Igitur ut Deus omnipotens vaticinium, quod per os famuli sui Oudalrici servo suo Ratperonio predicere dignatus est, adimpleret, tandem cuidam nobili viro nomine Berngario inspiravit, ut eius negotio et desiderio annueret, et de suis prediis donavit ei locum, qui nunc dicitur Rubrum Stagnum, tunc quidem sterilem et desertum, nunc autem quantum ad situm regionis fertilem et amenum. In hoc loco ut fertur pridem quidam latro crudelissimus habitabat, qui immanissima circumquaque latrocinia exercebat. Huic erat uxor mentis quidem humanae, set terrore viri parum proficue. Ad quorum habitaculum cum absente viro quidam peregrinus una die adveniret et hospitium quereret ibique pernoctare desideraret, mulier respondit, se quidem hospicium libentissime prebere, set virum suum, quoniam aliquantulum iniuriosus esset, formidare. Cumque ille obstinaci animo peteret, nec illa eum tamen hospitare absente viro auderet, tandem victa eius peticionibus eum recepit, nec tamen palam conservare ausa fuit, set in superiora domus eum ascendere fecit et iuxta culmen eum abscondit. Cum autem vir eius nocte adveniret, adduxit secum iuvenculam speciosam virginem decenter amictam et accendit ignem copiosum et suspendit

a) comes de Rappenberg alias Lantgravius *in marg. add. manus saec. XIV.*

69) L. III, c. 41. 70) ab anno 941 usque 962. U.

caldarium aqua plenum; et cum ebulliret, denudavit puellam et proiecit eam in ferventem aquam. Quae cum iactaretur, exclamare fertur: *Ve*, inquit, *mihi miserae de virginitate mea!* Uxor autem eius hoc viso piaculo exclamavit: *Ve ve de viro, qui latet in culmine!* Peregrinus vero videns quae fiebant per tectum erupit et aufugit, set et latro sentiens se deprehensum, continuo dedit locum. Ossa vero virginis in eodem loco sunt sepulta.

13. Beatus autem Ratperonius, ipso sibi tradito loco a supradicto Berngario de Arnanc, coepit ibi basilicam construere, cum infinito tamen labore, quoniam nihil pre manibus habens Ps. 36, 3. 4. aggressus fuerat opus ingens. Attamen per Dei adiutorium, qui dixit: *Spera in Domino et fac bonitatem et delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*, basilicam magnifico opere fundavit et ad perfectum usque perduxit.

14. Multas ergo idem homo Dei persecutiones, multas calamitates a circa manentibus clericis perpessus est in tantum, ut etiam Warmannum Constantiensem tunc episcopum[71] Ps. 33, 19. 20. in eum incitarent, qui eum multis iniuriis affectum demum etiam loco depulit. *Set iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde et humiles spiritu salvabit, et multae tribulationes iustorum, et de his omnibus liberabit eos Dominus.* Contigit enim, ut Warmannus episcopus post expulsionem hominis Dei pergeret Romam et in ipso itinere cum omnibus se comitantibus finiret vitam. Cui Eberhardus frater ipsius in episcopatu successit, qui beato viro Ratperonio clementissimus et misericors omni tempore fuit. Ipse enim vir Dei de Rôtse pridem expulsus ad alium commigraverat locum ibique sibi construxerat oratorium. Inde ergo ab episcopo ad priorem locum benigne revocatus, ibidem deinceps in Dei servitio est conversatus. Set et idem episcopus basilicam, quam homo Dei construxerat, in honore sanctae Dei genitricis dedicavit, eumque in quibus potuit adiuvit. Homo autem Dei eundem locum Constantiensi aecclesiae tradidit, quia inde eum in Dei servitio melius promoveri speravit.

15. Fuit autem nemus perparvum oratorio vicinum, de quo aliquantulum habere poterant necessaria lignorum. Cumque illud quidam maligni homines contra ipsius voluntatem devastarent et sepius ab eo rogati nequaquam desistere vellent, oravit Dominum, ut aquas ibidem inundare faceret, ne homines tali rapina se amplius pregravarent. Itaque mirum in modum continuo coepit ibi aqua in altum excrescere et ligna operire et stagnum speciosum, ut hodie cernitur, efficere, atque ex eo idem locus Rôtse vocitatus est.

16. Cumque et in ipsas aquas pisciculos ad solatium inhabitantium congregaret et eos quidam perversi sepius expiscarent, motus homo Dei imprecatus est illis adversa. Qui dum iterum quadam die piscarentur, unus eorum cecidit de navigio et aquis preventus submersus est in profundo. Ergo dum corpus illius a notis summo studio per multas moras undique per gurgites quereretur, ut sepulturae traderetur, et minime inveniretur, tandem compuncti coeperunt hominem Dei exorare, ut defuncto veniam dignaretur dare et ubinam corpus eius deberent querere demonstrare. Qui protinus veniam dedit et digito locum per spiritum demonstravit. At illi continuo ad designatum locum pervenientes, in eodem loco invenerunt corpus erectum sub aquis non longe a terra stare et per capillos extractum tradiderunt sepulturae.

17. Igitur per multos agones et labores beatus Ratperonius Spiritu sancto plenus migravit ad Dominum 7. Kal. Augusti, et corpus eius in basilica quam exstruxerat honorifice tumulatum quiescit, ubi usque in hodiernum diem multis beneficia prestare non desinit.

18. *De morte preciosa iustorum.* Erat in monasterio Domus Petri quedam soror, quae in viduitatis sanctimonia multis annis Deo serviens et ad postremum sacro velamine consecrata omni bonitate erat conspicua. Haec Adilheit dicebatur. Huic dum finis vitae propinquaret atque egritudine correpta lectulo decubaret, quadam die elevatis oculis suspexit et dixit: *O quantum lumen video splendere desuper.* Cui respondit sanctimonialis virgo quae custodiebat eam: *Et videtis lumen, soror karissima?* Et illa: *Utique video lumen valde splendidissimum et elegantissimum.* Hoc dicto clausit oculos continuo et per aliquot dies, quos supervixit, carnale lumen post spiritale numquam conspexit et ita quievit.

71) Ab a. 1026. usque 1034. De Warmanni autem obitu in itinere Romano nihil produnt reliqui auctores. Sed et annorum memoratorum computus combinari vix potest, nisi Ratperonium usque ad decrepitam aetatem pervenisse dicamus. Qui enim anno salutem 962. iam S. Udalrici discipulus fuit, tempore Eberhardi episcopi circa a. 1035. ad minimum centum vitae annos numerare debuit. U. Cf. Neugart episc. Constant. I, 446. M.

19. Alia in eodem monasterio sanctimonialis virgo Meginrat nuncupata usque ad maturos annos in summa castitate et bonitate perseveraverat, et cum ei nec victus nec vestitus a monasterio tribueretur, illa tamen omnibus prompto animo operabatur et serviebat atque plerumque cum magna penuria beatam vitam ducebat. Huius pacientiae cum remuneratio proximaret, infirmitate pregravata cum maxima patientia et silentio atque munditia multis diebus recubabat. Huius exitus hora dum adveniret, suspiciens oculis sursum dixit: *Euge domina sanctissima Maria, quoniam huc advenire voluisti.* Et haec dicens reverenter oculis depressis emigravit.

20. Fuit et alia nomine Regillinda, quae etiam dum quodam tempore egrotaret et una die sola sero vigilans iaceret, coepit odorem thuris incensi naribus suaviter haurire et coepit secum tacita de tanta suavitate fraglantie mirari, et sollicita cogitabat, quod iam deberet migrare, atque vehementer dolebat, ut ipsa postmodum referre solita erat, quod nullam tunc sororum sibi adesse cernebat. Et ecce apparuit ei vir canitię venerandus, qui de manu eam tenens duxit eam per amenissima loca virentia, corusco lumine et omni suavitate repleta, in quibus innumeros hominum vidit, nitidissimo aspectu et inauratis vestibus circumdatos, qui quasi in curribus semper ad superiora paulisper ascendebant, et quanto altius tanto etiam clarius lumen aspiciebat. Audiebat quoque eos interrogantes, quisnam esset qui transiret per eos, et respondebant alii, quod sanctus Martinus transiret, et illi iterum: *Ille,* inquiunt, *omni honore et reverentia dignus habetur.* Referebat autem, quod inante multo splendidiora fuerint loca, ad quae ipsa non est tunc perducta. Nihil ergo ductor eius locutus est cum illa, set iam dicta visione conspecta, continuo ad superos est reducta[a].

21. Sed et antea temporibus Theoderici abbatis erat quidam frater barbatus nomine Lanzilinus, despectus quidem et exilis forma set simplicitate precipua. Hic ortulani sepius adiutor erat. Hunc cum extrema egritudo occupasset et eum sacerdos corpore Domini et oleo sacro muniret et adhuc lecto iacentis cum aliis asstaret, ille aperta voce coepit dicere: *Ubi est,* inquit, *sanctus Petrus apostolus, qui hic modo asstabat? ecce vidi eum ibi modo assistere.* Et post non multum contigit eum feliciter migrare.

22. Anno ab incarnatione Domini 1139. Innocentius papa habuit Romae concilium 1139.
inauditae magnitudinis. Huic concilio interfuerunt — sic dicebant — episcoporum octingenti et abbatum mille cum clericis et laicis innumeris, ubi inter multa utilia decreta statutum est, ut incendia domorum non fierent, quod etiam per annos aliquod diligenter observatum est. Huic synodo intererat etiam Counradus abbas, indeque rediens attulit duo palliola, ex quibus duas cappas fęcit.

23. Anno ab incarnatione Domini 1142. Hugo prepositus Constantiensis dedit quinque 1142.
talenta et emit prediolum apud Altheim[72], quod quidem prediolum bonae memoriae Gisila 72
iam antea monasterio dederat; et cum emisset illud iam dictus Huch ab abbate Counrado, presentibus fratribus et aliis multis reddidit illud iterum et tradidit monasterio sub ea conditione, ut omni anno in diebus obitus ipsius, qui est 15. Kal. Maii, omni congregationi de eodem predio, prout possibile sit, ministretur.

24. Anno ab incarnatione Domini 1143. Gerungus presbiter[b] dedit monasterio cum 1143.
manu advocati sui Heinrici in manum advocati nostri Counradi de Sancto Monte duo prediola, unum apud Schuwindorf, alterum apud Wangin[73] in pago Linzgou sub comitatu Heinrici de Sancto Monte absque ulla contradictione, legitima traditione coram multis idoneis testibus. Ipse autem Gerungus ad monasterium veniens, infirmatus est et usque ad mortem benigne tractatus est. Eodem anno Gundelo de Constantia dedit predium suum apud Gerboltiswilare[74], et simul obtulit filiam suam.

25. Anno ab incarnatione Domini 1146. fames magna populos longe lateque premebat, 1146.
ac per hoc inopia cogente quedam personae se de Triboltingin[75] et Tegirwilare ad monasterium contulerunt, se suasque possessiunculas illuc tradiderunt, quam traditionem quidam eorum minime stabilire potuerunt, quoniam possessiones ad Augiam tributarie fuerant.

26. Anno ab incarnatione Domini 1147. Counradus abbas renovavit partes aecclesiae, 1147.
et capellam sancti Oudalrici renovavit et auxit et optimis picturis adornavit. Dedicavit

a) *legendum esse videtur* reductus. b) prespiter *cod.*

72) Plures sunt in hac regione huius nominis vici, prope Mösskirch, prope Ueberlingen, prope Bieberach. M. 73) Schickendorf inter Ueberlingen et Meersburg; Wangen prope Markdorf. M. 74) Gebhartsweiler prope Schickendorf. U. M. 75) Tribeltingen in Turgovia. U.

autem eam Herimannus Constantiensis aecclesiae episcopus 12. Kal. Ianuarii in honore sancti Oudalrici episcopi et sanctae Afrae martyris, sanctae crucis ac sanctae Mariae virginis. Continentur autem ibidem reliquiae sancti Iohannis baptistae, Petri et Pauli, Bartholomei, Symonis et Mathie apostolorum[a]; martyrum quoque Stephani protomartyris, Blasii, Pelagii, Iohannis et Pauli, Ypoliti, Sebastiani; confessorum etiam Gregorii papae, Nicolai, Counradi, Gebehardi, Galli et Magni; sanctarum virginum Mariae Magdalenae, Agathae, undecim milium virginum, Fortunate, Eutropie.

1147. 27. *De expeditione contra paganos.* Factum est autem temporibus Counradi regis, ut Eugenius papa litteras mitteret Ludewico Francorum regi, set et Bernhardus abbas monasterii quod dicitur Claravallis aliique transirent per Gallias et predicarent, ut omnes tam maiores quam minores qui Dei voluntati parere vellent armati pergerent ad debellandos paganos et maxime contra Sanguinarium quendam tyrannum, qui Edissam civitatem, que olim Rages dicebatur, invaserat et christianos omnes, quos ibi repperit, aut occidit aut in captivitatem redegit, et Dei sacra predavit et polluit atque evertit. Hac igitur fama pervulgata, factus est motus magnus in terra, ita ut ipse Counradus Romanorum rex et Ludewicus Francorum rex cum ducibus et comitibus aliisque proceribus multis, cum populorum infinita multitudine ex diversis regionibus, set et ex monasteriis quam plurimi se Deo offerrent et mente devota atque promptissima se suaque ad hoc iter studiosissime prepararent. Perrexerunt igitur armati, exercitus infinitus nimis, per Pannoniam et Bulgariam silvam, et copiosa navium multitudine per Danubium, portantibus[b] arma et quelibet necessaria. Cumque venissent in Gretiam, honorifice suscepti sunt a rege Grecorum, et ipsius ducatu perducti sunt in heremum vastissimam, ut venirent, sicut putaverunt, ad terras gentium. Igitur cum quadam die castra ponerent in loco quodam, ubi vallis erat inter eos, ibique fixis tentoriis fessi requiescerent, ecce subito intempesta nocte venit inundatio maxima, et queque in valle repperit idem torrens vehemens in mare transduxit. Hoc primum infortunium postea diversarum cladium portentum fuit. Nam cum primum in Dei timore humiliter et pacifice pergerent, cuncta eis prospera obvenerant. At vero postea cum elati in superbiam rapinis inservire coepissent, diversis cladibus consumpti sunt. Nam cum per desertum pergerent et escas non invenirent, multi fame perierunt, alii inedia laborantes a paganis aut perempti, aut in captivitatem redacti disperierunt, quidam quoque glorioso martyrio coronati sunt. Rex vero Counradus cum videret, quod nil suae voluntati perficere potuisset, reversus est Constantinopolim ad regem Grecorum et ab ipso directus est navigio per mare Hierosolimam.

28. *De fratre regis.* Frater autem regis Otto Frisingensis episcopus iam pridem recesserat ab exercitu qui regem sequebatur, et volebat per regiam viam transire Hierosolimam et cum illo de exercitu ad 30 milia armatorum. Et his ergo paganorum exercitus supervenit eosque paene omnes interemit.

29. *De Gallorum rege.* Rex quoque Francorum Ludewicus cum uxore et multa ambitione sequestrati[c] cum suo exercitu perrexit, quousque Antiochiam civitatem pervenit. Ibi a principe civitatis honorifice est susceptus, et cum ibi aliquantis diebus quiesceret, sicut fertur, stuprata eius uxore a principe civitatis, ipse rex cum paucis vix evasit et ad Counradum regem, qui tunc apud Accaron morabatur, pervenit, a quo benigne receptus ac postea uxori ad se revertenti reconciliatus est.

30. *De expeditione contra Damascum.* Post haec Counradus rex cum multo exercitu Hierosolimam petiit et a rege atque clero illius civitatis officiosissime susceptus est. Qui statim condixit expeditionem suam cum duobus regibus et eorum exercitibus contra Damascum, quam cum obsiderent, et iam expugnanda esset civitas, Dei milites corrupti pecunia ab his qui intus erant, abduxerunt exercitum et abierunt inacti.

31. *De nostratibus.* In hac profectione quidam de loco nostro profecti adhuc minime redierunt. Multi autem christianorum, qui a paganis captivi abducti fuerant ab Armenis precio redempti sunt ac in patriam redire permissi.

32 *De expeditione ultra Albam fluvium.* Igitur Counradus dux de Zaringin designavit se cum aliis innumeris, quibus illud iter, de quo iam retulimus, laboriosum visum est, ut et ipsi per Saxoniam pergerent contra illos paganos qui trans flumen Alba dictum consistunt. Quo cum pervenissent, invenerunt terram inviam et valde aquosam et paludibus plenam, habitatores vero illius terrae non simul commorantes, set dispersos, ita ut non

a) Sym. ap. et Math. *cod.* b) *leg.* portantium. c) *leg.* sequestratus.

facile inveniri possent. Exercitus ergo christianorum ignorantia locorum extediatus, sine aliquo rerum effectu reversus est.

33. His temporibus ingruente inopia nostrates abstulerunt argentum de columnis propitiatorii et expenderunt illud. Campanum quoque permaximum satis bonum eisdem temporibus fecerunt. Porticum etiam ante basilicam novis structuris atque picturis innovarunt.

34.[a] *De obitu Waltrammi abbatis.* Per idem tempus cum Waltrammus abbas apud Vishinun multa bona operatus esset, visum amisit et ad monasterium nostrum reversus visum medicamento recepit et in bona conversatione deinceps in congregatione permansit ac demum beato fine quievit.

35. *De obitu Gebinonis abbatis.* Anno ab incarnatione Domini 1156. Gebino abbas 1156. apud Waginhusin diutina infirmitate detentus plerumque, nescio utrum in veritate an per fantasias, videbat quasi quasdam personas ante se, aliquando quidem venerabiles, quibus et locum dare iubebat hos qui iuxta se erant, aliquando vero tetras, quas et abire aperta voce iubebat et etiam baculo quem manu gestabat abigebat[b]. Hic cum iam obiturus esset, convocata familia indulgentiam eis optavit et ut ipsi sibi similiter facerent rogavit.

Item alius nomine Folmarus multas fantasias patiebatur in extremis suis.

36. *De heremitis.* Et ut ad superiora[76] parumper redeam, quidam ex fratribus singu- 76 larem vitam diligentes recesserunt in heremum ibique laboriosam vitam duxerunt, Winihardus scilicet, Marquardus, qui ambo erant illitterati, et Dietericus presbyter, diversis tamen temporibus atque locis. Omnes autem hi in bona conversatione vitam suam consummaverunt.

37. *De inclusis.* Item Walcounus monachus et Meriboto atque Hartmannus barbati fratres, Iudinta quoque valde religiosa fęmina, Bertha etiam ex sororibus se incluserunt. Viri tamen isti omnes paene ita erant importuni animi, ut non facile in congregatione permanere potuissent[c].

38. Anno 1159. Burchardus de Husin obiit et predium suum quod apud Biribtilingin[77] 1159. habuit monasterio dereliquit.

39. Per idem tempus cum quidam homo, qui habebat officium fullonis in monasterio, per plurimum tempus auditu paene caruisset, quadam die venit ad sepulchrum beati Gebehardi episcopi, et cum nec sonitum campanarum nec voces psallentium audire prevaleret, apposuit caput sepulchro et cum lacrimis coepit orare, ut dignaretur ei sanctus Gebehardus orando ad Deum auditum reddere. Post paululum igitur, antequam de sepulchro recederet, coepit aperte omnia audire et omnibus qui audire volebant aperta voce narrare Deumque ac sanctum Gebehardum glorificare. Adhuc quoque permanet ei haec gratia, et laeta voce fatetur quae circa eum sunt facta.

40. *De Heiggou.* Anno 1159. venundatum est predium, quod monasterium habuerat in villa quae dicitur Heiggou[78] sexaginta talentis, qua peccunia resoluta est predii portiuncula apud Fegiswilare, et persolutum est magnum debitum quod debebatur cuidam matronae apud Constantiam.

41. *De Miminhusin et Asiheim et tabula aurea.* Eodem anno venale factum est predium, quod monasterium sancti Georgii[79] martiris quod situm est in Nigra Silva habebat in villa Miminhusin dicta. Ergo quoniam nostrum monasterium in eadem villa predium habebat, quod ei Geroldus bonae memoriae quondam dederat cum se ipso et aliis prediis suis, Rûtti scilicet et Eskirichiswilare atque Niuviron, idcirco toto nisu nitebatur, ut et hoc acquireretur. Ea de re factum est, ut tabula, quae in principali altari sancti Gregorii ex orientali[d] latere contra chorum apposita erat et erat auro et gemmis decentissime cooperta, auro nudaretur. In huius[e] tabulae medietate erat circulus gemmis pretiosis densissime per circuitum adornatus, cuius in medio imago domini nostri Ihesu Christi quasi in maiestate sedentis pulcherrimo opere habebatur, et in circuitu per planum cherubim, in uno collo habentes quatuor facies et senas alas, et rotae habentes alas et oculos, et novem ordines angelorum habentes in manibus fialas, et viginti quatuor seniores, quasi mittentes coronas

a) *hoc totum capitulum in rasura.* b) abiegebat *cod.* c) *hic primi manus auctoris desinit.* d) orienti *cod.* e) In huius — consumpta sunt *delersa et obliterata in cod.*

76) i. e. ad praefationem totius operis, quod mox absoluturus erat primus auctor. 77) forte Bichtlingen in capitulo Mösskirch. U. 78) Haidgau in capitulo Wurzach. U. 79) S. Georgen prope Villingen. M.

suas ante thronum Domini. Imagines quoque quatuor euangelistarum in singulis electris pulcherrimo opere habebantur, et per circuitum circuli gemmis pleni, et in ceteris electris aliae imagines, in umbone vero vites, et haec omnia ita pulchro opere erant optimo auro formata, ut delectaret te videre. Haec itaque hoc pretioso tegumento ex toto nudata est anno 1159. Apr. 27. incarnationis Domini 1159, die 5. Kal. Maii, indictione 8. Hoc consumptum[a] est totum decus quod in auro et argento fuerat in basilica sancti Gregorii. Fuerant enim, ut nos ipsi conspeximus, due tabulae, una auro, altera argento et auro, columnae quatuor cyborii argento opertae, turibulum argenteum valde preciosum, calices plus quam novem. Haec omnia nostris diebus consumpta sunt. Igitur hoc auro, quod de iam dicta tabula sumptum est, comparatum est predium apud Miminhusin, quod habuerat illic monasterium sancti 80 Georgii. Insuper datum est pro eo predium, quod habuimus apud Asiheim[80], quod dederat quondam dux Bertolfus de Zaringin, frater Gebehardi episcopi tertii, pro hospicio violenter apud nos sumpto.

42. *De incendio.* Igitur cum iam inusitato modo ab omni debito, quamvis cum grandi dampno, absoluti essent, et tam locus quam totum monasterium optime excultum esset, cf. Prov. 16, 18. accidit sicut scriptum est: *ante ruinam exaltabitur cor.* Erat quippe edicula infirmariae adherens, in qua caminus et iuxta caminum ex utraque parte stramenta, in quibus fratres recubabant et[b] commessationibus atque potationibus et confabulationibus illicitis sepissime vacabant[b]. Ibi itaque pueri monasterii ignem incaute accendentes, ignis stramenta iuxta posita invasit, et in momento totum pervasit monasterium, basilicam quoque sancti Gregorii et omnia simul aedificia monasterii flamma consumpsit[81]. Fratres igitur ad cenam post vesperos considentes et hoc tam periculoso nuntio immaniter perculsi et omnia que inter manus habebant obliti, que etiam omnia igne consumpta sunt, discurrunt et[c] quicquid subripere potuerunt de suppellectili abstulerunt[c]. Non credentes autem, quod Deus permitteret basilicam sancti Gregorii igne consumi, neglegentius extulerunt, quousque multa quae efferri potuissent igne consumpta sunt, tam ex codicibus quam ex suppellectilibus. Tunc consumptum est principale altare cum omnibus ornamentis suis, et in hoc sanctimonium argento opertum, in cuius supremo marmor rubrum valde pulchrum, in quo olim brachium sancti Philippi apostoli inventum est, et adhuc multae sanctorum reliquiae in eo continebantur, et precipue sancti Apollinaris et Auberti et aliorum multorum sanctorum, que omnes pariter consumpte sunt. Cyborium cum omnibus ornamentis suis, in quo pixis auro et argento operta cum corpore Domini dependebat, et aliis multis pulcherrimis reliquiarum receptaculis, crucifixus pulcherrimus et in hoc multae reliquiae, cancelli, qui per totum imaginibus pulcherrimis delectabili opere erant perornati, et altare ante crucem, chorus preclaro opere factus et analogia multa satis pulchra, codices multi satis boni, dorsalia et vela multa preciosa, capellae septem, capitulum, cuius omnes sedes utpote in sollemnitate pentecoste erant ornatae variis velaminibus, et regula satis bona continens duo martyrologia, unum sanctorum, alterum defunctorum, et euangelia, et Ysidorus sententiarum, refectorium cum omnibus utensilibus suis, coquina et cellarium cum his que ibi erant, armarium valde bonum cum multis que in eo recondita erant, habitacula domni abbatis cum multa satis bona suppellectili, codices optimi tam altaris quam divini officii cum optima paratura flamma consumpsit, campane multae incomparabiles, cymbala et organa deperierunt. Sacristia tamen et librorum repositorium vix reservata sunt cum his quae intus erant. Erat enim videre miseriam. Dormitoria tam monachorum quam exteriorum fratrum consumpta sunt, et multi miserabiliter denudati. Habitaculum namque sororum, quod flamma non tetigit, statim tamen prorsus dissipatum est, et ipse usquequaque dispersae. Set et monachorum quidam quacumque poterant in monasteriis transmissi sunt.

Actum anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono, a primitus condito ipso monasterio centesimo septuagesimo septimo, indictione septima, die Iun 2. secunda mensis Iunii, hoc est 4. Non. Iunii, feria tertia sacratissimae ebdomadae pentecostes, quando Spiritus sanctus super discipulos Christi venit in igne, non tamen consumens set illuminans, super nos autem, ut meriti fueramus, venit ignis consumens et devorans, muros deiciens et duros lapides comminuens.

a) consummatum *cod.* b) et — vacabant *oblitterata in cod.* c) et quicquid — abstulerunt *oblitterata in cod.*

80) Aasen in praef. Bad. Hüfingen. 81) De hoc incendio et monasterii restauratione agit notitia dedicationis novae basilicae Petershusii apud Gerbert, Hist. Nigrae Silvae T. III. p. 118. U.

Sedato ergo incendio, irruerunt tam viri quam mulieres, maiores et minores, set[a] et quidam de monachis[a], et quicquid subripere poterant in auro et argento et aliis metallis, quae flammis supererant, funereas predas agebant; custos autem et ceteri fratres inmani tristicia ita amentes effecti fuerant, ut nec considerarent, nec observarent, donec paene omnia preciosiora exportata fuissent, et grande dampnum multis diebus fiebat.

44. Inter reliquos quedam muliercula advenit de Constantia et accessit ad altare sancti Gregorii, quod iam totum combustum et confractum fuerat, et de cineribus sanctorum, quae adhuc in altari ardebant, collegit et domum attulit. Habebat autem parvulum filium, omnibus membris infirmitate debilitatum; huic ergo balneum fęcit et de allatis sanctorum cineribus iniecit et sic puerum imposuit et balneavit, ex quo confestim meliorari coepit, quousque in brevi integram adeptus est salutem.

45. Divina officia agebantur tunc apud Sanctam Fidem; illud enim altare solum et sancti Iohannis baptistae integra reperta sunt, et illuc omnes capsae sanctorum et etiam sarcofagum sancti Gebehardi deportatae sunt. Illuc cum mulier de alia villa venisset, deferens in brachio filium parvulum, cui unum brachium deciderat, ita ut illud nullatenus per multos dies elevare potuisset, posuit eum super sarchofagum et postea non post multum gavisa est sanatum.

46. Seniores nostri olim prophetaverunt, quod locus iste numquam igne cremaretur, set sicut Dominus per Hieremiam comminatur dicens: *Subito loquar de gente et regno, ut* Ier. 18, 9. 10
edificem et ut plantem illud, si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, penitentiam agam et ego super bono, quod locutus sum, ut facerem ei.

47. Illis diebus defecit apud nos omnis rigor disciplinae et operis Dei, sicut scriptum est: *Dissipati sunt, nec compuncti.* Ps 34, 16

48. Erat quidam venerabilis presbyter in proximo inclusus. Hic cum inter orationes suas lugeret excessum loci istius et diceret: *Domine, quare tantum malum permisisti venire super tantum locum?* audivit subito vocem dicentem sibi: *Quia ipsi abstulerunt decorem domus meae*[b].

49. *De instauratione aedificiorum.* Consumptis igitur paene omnibus quae antiquitus sive noviter fuerant fabricata vel congregata, abbas Counradus et Herimannus prior consurgentes accinxerunt se viriliter ad restaurationem predictarum rerum. Et adiuverunt eos reliqui fratres, alii quidem onera portando cum exultatione, alii vero regiones circumeundo cum sanctorum reliquiis et petendo tam divites quam pauperiores subsidium ad instaurationem incendio consumpti monasterii. Ex tali ergo collatione coeperunt edificare primitus quidem habitacula abbatis, duas capellas, unam super alteram, superiorem quidem in honore sancti Martini et sancti Oswaldi, inferiorem vero in honore sanctae Mariae Magdalenae et sanctae Fidis virginis et martiris.

50. Dedicatio Sanctae Fidis perseveravit sicut prius erat 10. Kal. Decembris, quoniam illud altare integrum repertum est, et ibi agebantur divina officia.

Edificabant quoque duo refectoria, unum super alterum, et coquinam et cellarium et torcular, calefactorium quoque et infirmariam et capellam sanctae Marie, capitulum quoque atque dormitorium. Ad hoc itaque combusserunt calcem magno sumptu iuxta Tettingin in silva et maximum liquamen magnarum trabium et aliorum lignorum conciderunt in silva iuxta Brigantium, quod adduxerunt plus quam quinquaginta remiges per latum stagnum usque ad nos. Monasteria quoque alia miserunt cum bona voluntate sua dona, Hirsaugienses quidem pallium bonum et carradam vini, de cella sancti Petri[82] unum calicem, Zwivildenses unam casulam et albam atque stolam, alii vero alia munuscula, quae omnia Deo sint accepta.

51. Anno ab incarnatione Domini 1161, indictione 9, die 6. Idus Decembris, dedicata 1161
est capella sanctae Marie iuxta infirmariam a venerabili Herimanno Constantiensi episcopo, Dec. 8.
patrante abbate Counrado, in nomine sanctae Trinitatis, id est Patris et Filii et Spiritus sancti, et in honore sanctissimae et victoriosissimae crucis. Et quoniam prior capella erat etiam in honore sancti Michahelis dedicata et alia capella erat prius desuper constructa in honore sancti Andreae apostoli, ubi exterioribus fratribus cantabatur, et haec iam nunc incendio defecerat, has igitur tres cęlebrationes nunc in ista una capella fecerunt contineri. Et dedicaverunt eam in honore sanctae Dei genetricis Mariae et sancti Michahelis archangeli, sancti quoque Andreae apostoli et aliorum sanctorum, quorum nomina hic subnotantur:

a) set — monachis *obliterata*. b) *hic desinit manus primi continuatoris*. 82) S. Peter prope Freiburg. M.

Iohannis baptistae, de ligno Domini, Petri et Pauli, Iacobi, Philippi, Bartholomei, Iohannis euangelistae, Iacobi, Thomae, Symonis et Iude, Mathie apostolorum; Stephani protomartyris, sanctorum Innocentum, Fabiani et Sebastiani, Clementis, Blasii, Apollinaris, Georgii, Mauricii, Bonifacii, Viti, Ypoliti, Euticetis, Felicis papae, Pelagii, Iohannis et Pauli, Cyriaci, Calisti papae, Cosme et Damiani, Proti et Iacincti, Dionisii episcopi, Pancratii, Eugenii, Genesii, Agapiti martyrum; Gregorii papae, Silvestri papae, Martini episcopi, Nicolai episcopi, Augustini episcopi, Lulli episcopi, Oudalrici episcopi, Counradi, Gebehardi episcoporum; Benedicti, Galli, Magni, Othmari, Wicperti, Maximi, Leonardi, Egidii confessorum; Mariae Magdelenae, Agathae, Agnae, Ceciliae, Luciae, Margaretae, Barbarae, Scolasticae, undecim milium virginum, de capite sanctae Walpurgae virginum.

83 52. Quidam autem miles nomine Helias preteriens venit usque Wolmuotinga[83], ibique mortifere vulneratus est ab inimicis suis; et statim misit et vocavit fratres eisque se commendavit obnixe, et dedit equum suum et prediolum quod habuit in pago Hêgou villa Lône[84], et rogavit sibi sepulturam fieri in monasterio, quod et ita factum est. Nam cum defunctus esset, perlatus est ad monasterium et sepelivit eum episcopus honorifice et statuit, ut in ipsa die dedicationis illius capellae deinceps omni anno, prout possibile esset, fratribus communiter ministretur ex ipsa possessiuncula, quam dederat predictus miles Helias, qui erat ministerialis sanctae Mariae Dei genitricis et sanctae Constantiensis aecclesiae. Dedit quoque eam in dotem eidem oratorio.

53. Eodem die dedicavit idem episcopus Herimannus capellam sancti Martini, et recondidit illic reliquias quae et antea ibi fuerant, quae superius prenotatae sunt. Ab hoc die egerunt divina officia in supradicta capella sanctae Mariae. Ad haec aedificia expensum est omne aurum, quod superfuerat emptioni predii apud Miminhusin.

EXPLICIT LIBER QUINTUS.

INCIPIT SEXTUS[a].

1. Tempore illo quo incendium grassabatur in basilica sancti Gregorii, tunc erat tanta vis flammae, ut eramenta magnarum campanarum liquefacta defluerent velut aqua et cadentia de alto in terram dissilirent ita minutatim, ut vix postea pars aliqua ex eis recolligeretur; ex quibus iterum aliqua signa fusa sunt, quarum quidem aliqua statim confracta sunt, quedam vero adhuc manent. Diversa quoque utensilia preparaverunt in lignis et ferramentis ad magnas moles lapidum et lignorum: columnae quippe et alii quadrati lapides dissiluerant ex calore et pene inutiles facti sunt, ita ut nullus permanere posset in eo quod[b] fuerat. Unde matrona quedam nomine Mahtilt comparavit aliquas columnas cum capitellis et basibus.

1159. 2. *Dedicatio iterata capellae sancti Iohannis baptistae.* Sed et ante, hoc est anno
Dec. 26. dominicae incarnationis 1160. Herimannus Constantiensis episcopus dedicavit capellam sancti Iohannis baptistae in cimiterio 7. Kal. Ianuarii et collocavit illic reliquias quae et prius ibi fuerant, sicut superius prenotatum est.

1162. 3. *Instauratio aecclesiae.* Anno ab incarnatione Domini 1162, indictione 10, die 17. Kal.
Mai. 16. Iunii, regnante Friderico imperatore, presidente Constantiensi aecclesiae Herimanno episcopo, sub abbate Counrado, in vigilia ascensionis Domini locatum est primum fundamentum novae structurae aecclesiae Gregorii papae in loco sancti Gebehardi episcopi fundatoris primi eiusdem aecclesiae, et positum est limen ostii, quod vergit in claustrum ex occidentali parte, tertio anno postquam incensum est idem monasterium. Eo tempore Romana aecclesia destituta erat certo rectore, quia duo eam sibi usurpabant, hoc est Alexander et Victor; imperator favebat Victori, Alexandro orientales aecclesiae.

4. Per idem tempus Fridericus imperator Mediolanensem civitatem obsiderat, iamque cives eius magna vis famis ad deditionem coegerat. Itaque per huius civitatis excidium, quia inter omnes civitates Italiae potentissima erat, timore correptae omnes civitates, quae antea repugnaverant, infinitas pecunias imperatori pro gratia eius deferebant. Ex his ergo et ex aliis, quas antea et postea quacumque conditione acquisierat, deliberavit decimas

a) quintus *cod.* b) *lege* eo loco quo. *M.*

83) Wollmatingen prope Petersbausen. M. 84) Lohnerhof prope Wollmatingen e regione Gottlieben. M.

dari monasteriis in elemosinam tam per Italiam quam per Theotonicam. Hac de causa etiam nobis tunc quinque marchas direxit[a]. Dehinc paulatim de die in diem basilica sancti Gregorii exstruendo reformatur, Wezilone quodam de Constantia exclerico opifice.

5. Per idem tempus resolutum est prediolum apud Liuprehtisruti[85] sex talentis, quod dederat Roudigerus cum manu filii sui Eigilwardi et domini sui Counradi advocati de Sancto Monte. 85

6. Eodem anno, hoc est 1162, imperator Fridericus rediens de subversione Mediolanensis civitatis habuit colloquium apud civitatem quae vocatur Tula[86], item aliud Ulme, tertium quoque Constantiae. Tuncque iterum dedit nobis quinque libras argenti. Alias quoque quinque dedit nobis Heinricus dux de Saxonia, qui et tunc se separavit ab uxore sua. Ipso anno dedit nobis Heinricus de Niuviron prediolum quod habuit apud Mose.

7. Temporibus igitur Bertolfi abbatis erat quidam apud nos vestiarius, qui solebat pre insolentia sua contumeliosa responsa dare fratribus, cum ab eo aliquid peterent, et hoc crebrius faciebat. Factum est autem quadam die, ut iterum aliqui exteriorum fratrum quiddam ab eo importunius exigerent et ille econtra indigna responsa redderet; in furorem versi irruerunt in eum et in terram colliserunt et tam pugnis quam lignis eum tundere ceperunt, quousque ipsis et illi visum est satis esse. Quapropter expulsi et excommunicati et abhominati sunt ab omnibus, quia grande scandalum exinde longe lateque obortum est. Tandem post longum ad petitionem episcopi et aliorum multorum ad penitentiam recepti sunt et publice Constantiae, inspectante clero et populo, attonsi et verberati sunt et iussi sunt circuire omnia per provintiam monasteria et omnibus palam facere reatum et confusionem suam[87].

Similiter et nuper contigit duobus exterioribus fratribus, qui duos interiores male tractaverant; publicam penitentiam agere coacti sunt, et tam episcopus quam clerus ac populus vix multis petitionibus impetrare potuerunt, ut reciperentur. Hec exempli causa dixerim.

8. Ceterum Counradus antequam abbas fieret, cum adhuc esset capellanus Bertolfi abbatis, quidam laicus ad conversionem veniens partem pecuniae contulit monasterio et aliquam partem more Ananiae et Saphirae sibi in posterum reservare voluit eamque Counrado utpote amico suo custodiendam commendavit. Post paucos dies ipse Counradus factus est abbas et eandem pecuniam ex toto expendit in edificatione mansionum suarum, cumque ille reposceret pecuniam suam, cum gravi indignatione illum exterruit et multis probris affecit nihilque ei omnino nisi multa mala retribuit.

9. Item cum Counradus Curiensis episcopus ibi diutius pro caritate maneret et pecunias suas inibi commendaret, ianuae, ubi repositae erant, aliquando confractae sunt et pecuniae direptae. Qua de re cum omnes multo angore contristaremur et multa inquisitio inter nos fieret, ventum est ad hoc ut iudicio inquiri debuisset, quis hoc nefas inter nos perpetrasset. Cum ergo omnes tam maiores quam minores haec angustia constringeret, repente inventus est quidam iuvenis faber ferrarius, qui numquam illuc venerat ubi pecunia fuerat, nec cognoverat nec audierat, si vel haberetur vel si esset aut fuisset. Cum hoc ergo, ut dicebatur, actum est, ut ipse clam acciperet pecuniam ab eo qui furatus fuerat, eamque redderet ac diceret, quod ipse eam abstulisset. Ergo cum hoc coram cunctis fratribus palam fateretur, irruerunt in eum pene omnes presente abbate et iniecerunt in eum manus et colliserunt eum pugnis et capillis traxerunt, usque quo satis esset; et sic eum expulerunt. Factus est ergo tumultus magnus et varia acclamatio, et tam episcopus quam abbas cum maxima indignatione recesserunt de monasterio, ac post multos dies, sopito furore, redierunt.

Item presbyter de Constantia commendaverat illuc pecuniam suam. Quam cum reposceret, sensit, quod pars aliqua inde sublata fuisset. Unde in furorem indignationis instinctus, multis convitiis et obprobriis nos omnes insectatus est.

10. Item alius pecunias suas nobis, sicut longe superius retulimus[88], commendaverat. Quas cum omnes illo inscio expendissemus, venientem et pecuniam suam requirentem callide eum cum possessionibus monasterii vix compescuimus. De his tamen omnibus

a) derexit *cod.*

85) Lippertsreute in praef. Ueberlingen. U. M. 86) Tullum in Lotharingia. M. 87) Cf. supra l. IV, c. 11. similem narrationem primi auctoris, quae tamen huius capitis gratia fortasse manu secundi continuatoris deleta est. 88) Cf. l. IV, c. 36.

criminabantur tam ipsum Counradum quam fratrem eius, quem de Vrisberc[89] subtraxerat, ubi primitus habitum commutaverat, et ob hec atque propter alias noxas eiectus est de prioratu, ac cum postea factus esset abba apud Fishinun, post modicum etiam inde recessit et multa monasteria in Baioaria pervagatus est, ac postremo apud Brigantium abbas constitutus est.

11. Ergo Counradus, cum primitus abbas constitihtus est, contra omnium voluntatem aedificavit sibi sumptuosa habitacula, cum nos essemus sicut et plerumque in magna penuria, et obtenebravit nostrum refectorium, quia duae fenestrae erant super principalem mensam, quas obstruxerat et necessarium suum iuxta refectorium constituerat. Atrium quoque ipsum arboribus maximis multis et pomiferis consitum erat, quas omnes exterminavit.

12. Insuper bonam curtim apud Eilingin et plures vineas optimas apud Alospach, predia quoque apud Heiggou et Snetzinhusin, Totirnhusin quoque et Triboltingin atque Asiheim vendidit, tabulam auream altaris auro spoliavit et ciborium argento nudavit, calices et codices multos distraxit, argentum de turibulo expendit. Hec tamen omnia pro communi necessitate fecit. Set de his hactenus, nunc autem stilum vertamus.

13. Antequam factus esset Counradus abbas, manu sua scripsit exameron Ambrosii, auro et argento operuit brachium sancti Philippi apostoli. Postquam autem factus est abbas, multa preclara opera fecit, quae tamen ignis consumpsit. Postea tamen institit quantum potuit pro restaurandis aedificiis et aliis utensilibus. Aliqua quoque prediola apud Niuheim a libertis tributariis comparavit, ex quibus tam suum quam predecessoris sui Theoderici abbatis, nepotis sui, anniversarium celebrari constituit. Et in suo quidem anniversario, qui est .....[a], decem solidos, in nepotis vero sui tres solidos expendi decrevit. Sub eius tempore et auxilio renovatae sunt aecclesiae et dedicate, et oratoria aedificata apud Eichstetin et apud Epfindorf, apud Obirewangin quoque et apud Mimminhusin, set et apud Niuheim et apud Rinhart. Duo quoque turibula de auricalco et aliquos codices, set et ediculam in novissimis ad reponendos libros patravit.

1164. 14. Anno igitur ab incarnatione Domini 1164. mense Iunio coepit abbas Counradus infirmari, et cum nec adhibita medicina, nec aliqua causa ei adhibita posset proficere, et iam iamque, quamvis invitus coepisset desperare, dedit nobis unam stolam satis bonam et redemit unum gemmatum et deauratum calicem, quem olim vendiderat. Advocavit quoque episcopum, cui familiaris fuerat, et alios quosque optimos; et cum eis, ut credo, causam Iun. 28. suam accurate locutus est, et migravit anno ordinationis tricesimo septimo, die 4. Kal. Iulii, et ipso die honorifice sepultus est iuxta ostium basilicae in claustro.

15. In ipsa die mirum quiddam contigit, quoniam quidam barbatus his omnibus sanus et alacer interfuit, habens cocturam in cruce, ex qua sanguis in tantum erupit et restringi nullatenus potuit, ut in momento deficeret et corpus Domini vix acciperet et statim emigraret.

16.[b] Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto, die dominico, id est 4. Kal. Iulii, convenerunt fratres communiter, et libera electione, nullo alieno interessente, elegerunt Gebehardum virum idoneum et inprehensibilem, et constituerunt sibi abbatem canonicę et regulariter cum magna libertate. Episcopus quoque Heremannus Iul. 11. ordinavit eum cum maximo honore in translatione sancti Benedicti, astantibus et faventibus cum omni alacritate omnibus canonicis Constantiensis aecclesiae cum multa plebe. Factum est ergo magnum gaudium, laus et tripudium in illa die de tali consensu fratrum, quia eo tempore in aliis monasteriis magna disceptatio inter plerosque versabatur; et ideo magnopere nobis congratulabantur, quod nullus omnino ex nobis nec maior nec minor a caeteris discrepabat.

1163. 17. Anno ab incarnatione Domini 1163. Roudolfus monachus noster presbyter ex collatione fidelium suo rogatu aliquantulum pecuniae ad opus monasterii contulit, et etiam brachium unius militis ex legione Thebeorum martyrum, sociorum sancti Mauricii, auro et argento atque lapidibus decoravit. Hoc itaque brachium contulit monasterio nostro Herimannus senior de Hirzisegge, quod quidem ipse acquisierat a quodam preposito noto sibi

a) *spatium vacuum cod.* b) *ante hoc caput legitur* incipit liber sextus, *errore rubricatoris positum, qui maiore spatio litterae initiali relicto deceptus est.*

89) Videtur hic indicari coenobium Friensperg seu Aurora ord. Cistert. in ditione Bernensi. U.

Agaunensis[90] loci, quando ipse de Italia pergens eumdem locum pertransivit. Isdem Roudolfus tunc temporis redemit etiam calicem bonum, quem Chounradus abbas iam dudum vendiderat.

18. Anno 1164. Counradus abbas melioravit rotam sancti Gregorii et Otto presbyter 1164. brachium sancti Philippi apostoli, ubi confractum fuerat, instauravit. Nec adhuc de memoria dilecti abbatis Counradi conticescam, set quedam de eius industria memoriae tradam. Erat enim peritus metrice ac musice artium, optimi ingenii, serena voce, affabilis colloquio, veneranda canitię, modestus moribus et verbis. Multa aedificaverat preclara, quae ignis consumpserat.

19. Eo tempore Roudolfus comes de Rammisberch emit a Kounrado de Sancto Monte castellum quod vocatur Rinegge, quod ille habuerat in beneficium a Constantięnsi aecclesia. Cumque hoc idem castellum incoleret ibique maneret, cognovit quod monasterium sancti Gregorii quod Petrishusin vocatur ibi in proximo possessionem haberet, que sibi valde oportuna esset; et cepit agere cum abbate Counrado, quatenus eadem possessio, quae vocatur Rinisgemunde, sibi pro pecunia concederetur usque ad finem vitae suae, ut ibi peculia enutriret et exinde pabula et pascua habere potuisset, postque mortem ipsius tam ipsam possessionem quam omnia quae tunc inibi invenirentur, absque ulla contradictione ex integro reciperet. Hec omnia tam diu importuna exactione et multimoda promissione exegit, quousque supradictum abbatem sibi et fratres consentire persuasit, et decem quidem talenta se daturum spopondit, eorumque aliquam partem dedit, aliquam vero adhuc retinuit, possessionem vero apud Rinisgimunde sibi contiguam in suam potestatem contraxit. Super his omnibus ergo privilegium tale conscribi fecit idque suo sigillo obfirmavit.

20. *Privilegium super Rinisgimunde. In nomine sanctae Trinitatis, Patris videlicet, Filii et Spiritus sancti. Ego Roudolfus comes de Rammisberch notum facio omnibus scire volentibus tam presentibus quam et futuris, qualiter ego divina favente providentia coepi agere cum abbate Counrado et fratribus eius de monasterio sancti Gregorii papae quod dicitur Petrishusin, ut mihi concederent tale predium quale visum est idem monasterium habere in loco qui dicitur Rinisgimunde, quia eadem possessio mihi vicina est et oportuna ad alenda peccora, et homines mei non valebant devitare, quin nocerent eis. Et hoc mihi visum est melius, ut ego Roudolfus darem abbati Counrado de Petrishusin et fratribus eiusdem monasterii decem talenta, et ipsi mihi concederent iam dictum predium apud Rinisgimunde ea conditione, ut ipsi ob memoriam et confirmationem huius pacti anniversarium matris meae Adilheide cum fratribus suis annotarent et celebrarent, et ego ipsa die de meo facerem propinare vinum fratribus singulis annis, quoad viverem, et hoc pro tributo et memoria presentis conditionis Post obitum autem meum nullus omnino heredum meorum qualemcumque potestatem habeat in eadem possessione, vel in omnibus quae tunc inventa fuerint in ea tam in pecudibus quam in aliis supellectilibus vel in qualicumque substantia; set abbas, qui tunc fuerit presidens monasterio Petrishusensi, et fratres eiusdem loci ex integro totum absque ulla contradictione possideant pro remedio anime meae et matris meae et omnium parentum meorum. Et ego Roudolfus testamentum istud conscribi precepi, ea scilicet ratione, ut nullus ex heredibus meis hoc factum meum infringere vel predictos fratres in predio isto inquietare audeat post obitum meum. Actum anno incarnationis Domini* 1163, *regnante Friderico imperatore, Herimanno Constantiensi episcopo, sub abbate* 1163. *Counrado. Et ego Gebehardus presbyter scripsi hoc privilegium anno primo Gebehardi abbatis. Testes huius actionis uxor mea Elisabeth et frater meus Arnoldus, Roudolfus de Gutingin*[91], *Adilbertus comes, Roupertus de Turingin, Adilbertus presbyter de Tale, Diemo de Brigantia, Arnolt de Criessa*[92], *Bertoldus de Lustinouwa*[93] *et alii multi.* 92

21. *De Mathilda.* Et erat apud Constantiam civitatem matrona quedam nomine Mathilda, habens apud nos filium nomine Heinricum presbyterum bene litteratum, set heu! diu nimis egrotantem. Haec ergo pro amore eiusdem filii sui Heinrici diverso modo persolvit nobis quadraginta talenta sub tali conditione, ut filius eius Heinricus usum fructuarium acciperet de curti quae vocatur Ouwingin, quatenus inde habere potuisset necessaria, que non posset habere de communi annona, et hoc ad subsidium suae infirmitatis absque diminutione indubitanter haberet, quamdiu in hac vita maneret. Haec omnia firmissimo pacto confirmata sunt in presentia Gebehardi abbatis et fratrum eiusdem monasterii, sub

90) St. Maurice in Wallis. 91) Güttingen supra Constantiam. M. 92) Kriessern prope Altstetten in territ. S. Galli. M. 93) Lustnau ad Rhenum prope Brigantium. U. M.

tali conclusione et confirmatione, ut quando obirent, utrorumque anniversarius in suo tempore cum officio defunctorum memoriter celebraretur et fratribus sive omni congregationi ea die de eodem predio caritative atque pleniter ministraretur. Ipsa tamen Mathilda post
1165. paucos dies eodem anno, die 3. Idus Aprilis[1], de hac vita migravit nobisque iterum quinque
Apr. 11. libras argenti donavit, seque apud nos sepeliri rogavit, quod et factum est cum magno honore. Acta sunt haec anno ab incarnatione Domini 1164, regnante Friderico imperatore, Herimanno episcopo presidente Constantiensi aecclesiae, sub abbate Gebehardo feliciter. Amen[a].

---

22. Anno ab incarnatione Domini 1170. multae calamitates oppresserunt monasterium sancti Gregorii, de quibus me tedet amplius aliquid ulterius dicere. Abbas quippe Gebehardus depositus est[2], et locus iste graviter oppressus est et spoliatus.

Anno ab incarnatione Domini 1173. locata sunt fundamenta aecclesiae sancti Gregorii ab orientali parte.

23. Anno 1202. episcopus Herbipolensis occiditur.

Anno 1203. Philippus exercitum contra lantgravium movit. Amen.

1249. 24.[b] Anno dominice incarnationis 1249. consacratum est hoc altare iuxta ianuam
Febr. 14. monasterii ante chorum 16. Kal. Martii a venerabili domino Heinrico Semigalliensi episcopo, fratre ordinis Minorum, in honore sancte Marie virginis et omnium sanctorum. Sunt igitur ibidem recondite reliquie subscripte: de ligno Domini, de columpna in qua flagellatus est Dominus, de sepulchro Domini, de linteamine in quo involutum est corpus Domini, de vestimentis sancte Marie, de vestimentis sancti Iohannis euangeliste, reliquie sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Andree, Thome, Bartholomei, Iacobi apostolorum, Mauritii et sociorum eius, Gereonis et sociorum eius, Pelagii, Fidelis, Calisti papae, et martyrum Stephani, Laurentii, Sebastiani, Pancratii, Vicentii martyrum, Gregorii, Gebehardi, Nicolai, Martini confessorum atque pontificum, Magni, Benedicti, Leonardi confessorum, sancti Heinrici regis, sanctarum Marie Magdalene, Margarete, undecim milium virginum, sanctarum virginum Balbine, Torpeiadech, Patrialie et aliorum multorum sanctorum. Constituit eciam venerandus H. pontifex ad peticionem[c] conventus, ut eadem dedicatio in octava pasche perpetuo celebretur et omnibus ad predictam sollempnitatem cum devotione concurrentibus annum et 40 dies omnium peccatorum suorum indulsit, et hanc indulgentiam deinceps in anniversario dedicationis per octo dies continuos digne petentibus perhenniter attribuit. Acta sunt hec temporibus Innocentii papae IV, Eberhardi electi Constantiensis, annuente atque favente Uolrico abbate, promovente Heinrico sacerdote monacho et hospitalario huius ecclesie et aliis discretis et honestis personis, ad laudem et gloriam et honorem domini nostri Ihesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

NOMINA ABBATUM MONASTERII IN PETRIDOMO.

Pezilinus. Periggerus[3]. Ellenboldus[4]. Waltharius[5]. Sigefridus[6]. Erchenboldus[7]. Volmarus[8]. Adelbertus[9]. Siggo[10]. Arnoldus[11]. Meginradus[12]. Lutoldus[13]. Theodoricus[14]. Bertholfus[15]. Cuonradus[16]. Gebehardus[17]. Heinricus[18]. Eberhardus. Cuonradus II. Uodalricus. Heinricus II. Heinricus III. Diethelmus. Uodalricus II. Cuonradus III. Burkardus. Iohannes I. Iohannes II. Heinricus IIII. Burkardus Lúczler. Hainricus Semly.

Iohannes Fryg, qui preerat tempore magni concilii Constantiensis, primus infulatus, monasterium Petridomus multis annis laudabiliter rexit et in bonis edificiis valde luculenter edificavit, thesaurumque temporalem copiosum suis monachis reliquit.

a) *hic desinit secundi continuatoris manus; quae sequuntur a variis sunt scripta autoribus.* b) *hoc caput in ultimo chronici folio scriptum est.* c) petionem *cod.*

1) Haec in praesentia Gebehardi gesta mense Aprili ad a. 1165. referenda sunt, cum hic eo mense a. 1164. necdum abbas fuerit. U. 2) Haec consistere nequeunt cum charta Hermanni Constantiensis episcopi a. 1183. (Hist. Nigrae Silvae III, 108), ubi inter Tiepertum S. Blasii et Gebehardum Petrishusensem abbates controversia fuisse dicitur. Theopertus autem primum a. 1174. abbas factus est. Unde Gebhardus necdum a. 1170. depositus est, aut postea iterum restitutus. U. Anno 1175 quoque occurrit Gebhardus in charta episcopi Constantiensis apud Dümge, Reg. Bad. Nr. 98. 3) Cf. quae adnotavimus ad l. I, c. 12. 4) 1001—1003. 5) 1003—1012. 6) 1012—1018. 7) 1018—1030. 8) 1030—1044. 9) 1044—1060. 10) 1060—1065, cf. tamen ad l. II, c. 14. 11) 1065. 12) 1066—1079. 13) 1080—1084. 14) 1086—1116. 15) 1116—1127. 16) 1127—1164. 17) 1164—1171. 18) 1171—1182.

Iohannes Amfeld, secundus infulatus, de novo edificavit custodiam; in sua dignitate vixit 16 menses.

Diethalmus Wissz, tertius infulatus, emit pro Heinrico Rogwiler milite et fratre suo Mantzone decimam cum torculari an der Egerd pro mille et octingentis florenis Rinensibus.

Iohannes Hir, quartus infulatus abbas, rexit competenter, de post factus leprosus non diu perseverans.

Nicolaus Roschach, quintus infulatus. Martinus 6. Brülin. Ioannes Merk, septimus infulatus, de Lindow, huius monasterii instaurator.

Andreas Berlin electus 1524.

Gebehardus Dornsperger electus 1526, oriundus de Stockach.

Christophorus Funk eligitur 1556. die 8. mensis Iulii.

FUNDATIO
MONASTERII GRATIAE DEI

EDENTE HERMANNO PABST, PH. D.

Eorum in numero, quos Norbertus, magnus ille Praemonstratensium ordinis auctor atque archiepiscopus Magdeburgensis, oratione et exemplo adduxit, ut relicto saeculo bona omnia coenobiis delegarent seque ipsos vitae canonicae secundum regulam beati Augustini devoverent, fuit etiam Otto de Reveningen[1]*, nobili Saxonum genere ortus. Qui quidem parte bonorum avitorum beato Mauritio Magdeburgensi oblata alteram partem eamque maiorem contulit Christi pauperibus a Norberto in loco Gratia Dei*[2] *institutis, ubi et ipse postea reli-* 2
gionem professus est. Unde exortum monasterium, quod initio pluribus motibus concussum inde ab anno fere 1147 laetissima incrementa cepit.

Atque haec quidem coenobii primordia usque ad Ottonis fundatoris mortem continet narratio, quam hic proponimus. Cuius auctor quis fuerit certo vix affirmaveris[3]*: constat tantum, fuisse eum monasterii fratrem secundae, ut ita dicam, generationis*[4]*, scripsisse inter annos 1190 et 1225, quippe qui de Friderico I. imperatore tamquam mortuo agat*[5]*, deinde ab auctore chronici Montis*

1) Röblingen (Ober- et Unter-Röblingen) prope Schraplau comitatus Mansfeldensis. Cfr. diploma Burchardi II. archiepisc. Magdeburg. datum 1300, Mart. 9. apud Leuckfeld, Antiquitates Praemonstratenses de monasterio Gratia Dei p. 73: *Cum honorabilis vir Anno prepositus totusque conventus monasterii in Gratia Dei bona in Reveninge sita iuxta castrum Scrapelo ....* 2) Gottesgnaden ad Salam fluvium, e regione oppidi Calbensis. 3) Winterus quidem (Die Praemonstratenser etc. p. 324) persuasum habet, Guntherum praepositum libellum composuisse. Sed in eius ratiocinatione ea tantum causa cuiusquam momenti est, Praemonstratum coenobium ita describi, ut auctorem ipsum id vidisse manifestum sit. V. cap. 2: *Praemonstratum appellavit, ubi, sicut in presenciarum est videre....* Praemonstratum autem praepositos inprimis adisse satis notum est. Patet tamen, certi quidquam hac ex re statui non posse. 4) V. cap. 1: *Cuius ecclesie primitivam constructionem utile videtur ut breviter ostendamus, sicut a senioribus qui tunc temporis erant accepimus.* 5) Cap. 12: *orto videlicet scismate inter magnum Alexandrum et sanctae memoriae imperatorem Fridericum.*

Sereni iam in usus sit vocatus[6]. *Scripsit sermone plerumque ad grammaticorum leges composito*[7], *nec tamen satis vario: saepius eaedem verborum coniunctiones, quin etiam tota enunciata repetuntur, id quod singulis in locis annotavimus. Adhibuit praeter narrationes fratrum seniorum chronicon quod vocant Magdeburgense*[8], *cuius prima pars haud dubie circa annos* 1138 *vel* 1142 *confecta est, et complures chartas monasterio Gratiae Dei concessas, imprimis diploma a Conrado archiepiscopo Magdeburgensi anno* 1135 *datum, quod totum fere exscripsit*[9]. *Qui quidem fontes cum nobis quoque pateant fere omnes, libellus vix magni videtur aestimandus.*

6) V. chron. Mont. Ser. ad a. 1131. 1134. 1157. 1160, denique 1164, ubi tamen Fundationis verbis auctor chronici nova quaedam adiecit. — Ceterum tempus, quo Fundatio confecta sit, arctioribus etiam finibus videtur circumscribi posse. Ex universa enim narratione veri fit simillimum, eam vivo Gunthero praeposito esse compositam. Qui tamen obierat certe anno 1195, quo *Heidhenrico preposito in Gratia Dei* diploma dedit Ludolfus archiep. Magdeburg. apud Leuckfeld l. l. p. 42.

7) Unus tantum extat nominativus qui dicitur absolutus cap. 4.

8) apud Meibom, Rerum German. Script. tom. II, p. 269—329.

9) Typis dedit Leuckfeld, l. l. p. 17—26. Nos intercedente v. cl. de Lancizolle autographum in archivo Magdeburgensi asservatum nacti, diploma mendis purgatum iterum proponimus: *In nomine sanctę et individuę Trinitatis. Ego Cůnradus Dei gratia sanctę Magadeburgensis ecclesię archiepiscopus. Si semper sunt confirmanda quę piis desideriis congruunt, quanto potissimum ea quę divini cultus prerogativa ... sunt roboranda et privilegiis communienda. Quapropter cupimus notum fieri omnibus sanctę ecclesię fidelibus hęc legentibus vel audientibus, quod quidam nobilis Otto de Reveninge instinctu sancti Spiritus ob spem vitę ęternę se ipsum cum omnibus suis bonis Deo obtulit et in consilium et dispositionem predecessoris nostri, venerabilis archiepiscopi Norberti magni et incomparabilis viri, sese prorsus deposuit, eiusque consilio et legitimorum heredum consensu m..... beneficiis beato Mauricio tradidit. Proposuit etiam idem Otto pro sua suorumque parentum salute, ut in aliquo fundo allodii sui canonici regulares secundum institutionem eiusdem Norberti ordinarentur, in quorum usus omnia reliqua bona eius cederent, et inter quos ipse sub eadem professione pauper Cristi Cristo militaret. Quia vero predictus Norbertus in sua parrochia religionem propagare semper studuit, rogavit eundem Ottonem, ut hoc in suo potius episcopatu vellet facere, promittens se omnem diligentiam tam in spiritualibus quam in temporalibus adhibiturum. Qui tandem eius petitioni annuens partem bonorum suorum, videlicet curtim Cruttorf cum omnibus suis appendiciis et curtim Ekkensteden cum omnibus suis appendiciis et curtim Rinbecche cum suis appendiciis ad locum, qui Gratia Dei dicitur, beato Victori in usus pauperum Cristi contulit, quos in eodem loco venerabilis Norbertus in regulari professione nuper ordinaverat. Porro de reliqua parte bonorum suorum, videlicet de Reveningin et eius appendiciis, distulit donec videret, si religionem ibidem ex consilio eius aliquando posset iniciare. Interim autem beatus Norbertus archiepiscopus transivit ad Cristum, et de Reveningin et eius appendiciis nec per eum nec per Ottonem quicquam ad religionem dispositum vel ordinatum est. Postquam autem divina clementia nos in vicem tanti viri archiepiscopali dignitate substituit, communicato fidelium Cristi consilio, volente quoque ac consentiente eodem Ottone, cuncta que possederat tam in (Reveni)nge quam in cęteris locis ad predictum locum qui vocatur Gratia Dei attitulata et contradita sunt, ut in usus fratrum ibidem Deo regulariter servientium in perpetuum maneant. Et nos castrum quod dicitur Reveninge cum reditibus 7 talentorum in (conc)ambio pro supradicto loco qui dicitur Gratia Dei, qui de pertinentiis erat ęcclesię nostrę, cum omnibus illius appendiciis volente Ottone nobis et ecclesię nostrę retinuimus, ea videlicet ratione, ut nullus archiepiscopus idem castrum alicui in beneficio prestet, nisi ex consilio et consensu prepositi et fratrum predicti loci et eius utilitate; liberi quoque sicut et ministeriales cum suis beneficiis ad nos et ad successores nostros respiciant. Predictę vero canonicę prepositum hoc donamus libertatis privilegio, ut nullius expeditionis aut alterius servitii incommoda exactione gravetur. Si vero concilia sanctorum patrum aguntur, vocatus adveniat et debitum honorem et reverentiam episcopo exhibeat. Canonici autem defuncto patre alterius professionis clericum non cogantur accipere, sed quem in ipsa canonica vita probatum, moribus exornatum perspexerint libere et concorditer eligant et sibi ... prepositum efficiant. Quodsi in eligendo preposito vota partium se diviserint, aliis alium clamantibus, sanior pars favente gratia episcopi quem elegerit obtineat. Statuimus igitur et auctoritate apostolorum Petri et Pauli et venerabilis papę Innocentii et predecessoris nostri Norberti et nostra sancimus, ut nulla ęcclesiastica secularisve persona locum aut fratres vel omnia eis pertinentia inquietare vel molestare audeat; sed ipsi libere et quiete Deo serviant et tam in mancipiis quam in terris, cultis et incultis, agris, vineis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve discursibus, piscationibus, molendinis, mobilibus et immobilibus, vel si quid aliud dici potest liberam habeant facultatem in proprios usus convertendi vel etiam si voluerint commutandi. Et ut hęc nostri scripti pagina firma et inconvulsa permaneat, sigilli nostri inpressione eam roborare curavimus. Si quis autem huius confirmationis et privilegii transgressor extiterit et eosdem fratres inquietare seu bona eorum alienare temptaverit, corporis et sanguinis domini nostri Ihesu Cristi se reum esse et anathematizatum noverit; qui vero observaverit pio intuitu, benedictionem et peccatorum remissionem a Domino consequatur.*

Huius autem nostrę sanctionis hi sunt idonei testes.

Editus est unice adhuc a Wintero urbis Schönebeck sacerdote in libro qui inscribitur: Die Praemonstratenser des 12. und 13. Jahrhunderts, und ihre Bedeutung für das nordöstliche Deutschland *p.* 324—341, *adnotationibus bonae frugis adiectis, textu tamen plurimis in locis depravato.*

Nobis, cum novam editionem parandam aggrederemur, unicum opusculi codicem in archivo Magdeburgensi servatum vir cl. de Mülverstedt summa liberalitate transmisit. Est chartaceus in fol., saec. XVI, sign. XXX, 1; continet primis 13 foliis narrationem nostram, cui adiecta sunt complura privilegia ad res Praemonstratensium, Magdeburgensis praesertim circariae facientia. Quo quidem codice denuo excusso, textum in capita divisimus, fontes indicavimus, corruptis denique locis coniiciendo mederi pro parte laboravimus.

Berolini m. Maio 1866.

H. PABST.

1. Celestis altitudo consilii omnia in sapientia disponens postquam humane salutis sacramentum divinitatis sue dispensatione celebravit, regnum celorum vim pati et violentos Matth. 11,12 illud diripere piissima dignationis sue gracia concessit, ut[a] inciperent esse filii Dei per graciam liberam, omnibus indulgens facultatem et viam salvationis, non solum bonis et iustis, verum eciam hiis, qui longe erant a Deo in regione dissimilitudinis. Proinde sancta ecclesia[b] regina a dextris eius in vestitu deaurato circumdata varietate astitisse describitur, Ps 44,10 quia diverse nationis, sexus et etatis fideles multarum[c] varietatumque studiis in lege mandatorum Dei se exercentes ad superos transmisit. Quorum quidam confessionibus gloriosis aut proprii cruoris effusione regnum celorum sunt mercati; alii, cum deessent foris persecutiones, in semet ipsis persecutionem virtutum adversum vicia concitantes vestimenta sua non inquinaverunt, celibem pro Christo vitam ducentes; alii vero ad honorem Dei et Apoc. 3,4. sanctorum eius copiosas possessionum suarum inpensas pleni zelo Dei deputarunt et crucem suam baiulantes Christumque sequentes semet ipsos abnegaverunt. Sed heu! nostris nunc Matth. 16,24. temporibus maxima pars omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat Rom. 3,12. bonum. Et quoniam abundavit iniquitas, refriguit charitas multorum. Siquidem non tantum Matth. 24,12. mediocres et in rebus tenues, verum eciam domini rerum desiderio habendi[d] insaciabiles domumque ad domum coniungentes et agrum agro copulantes ecclesias Dei, quas ante- Ies 5,8. cessores eorum de suis large dotaverunt et extulerunt, non reverentur[e] aut defendunt, verum et in earum possessionibus terminos, quos statuerunt patres eorum, sepe transiliunt. Proinde magnorum virorum pietatis opera charitate informata cum sub eterne vite mercede refulgeant, dignum est, ut hec eadem exempli gracia in oblivionem non cadant; eorum precipue, quos cum mundana felicitas speciali privilegio tam honoris quam rerum eleganter, insigniter et ambitiose attolleret, ipsi tamen florentem mundum mentis despectu calcantes[10] et crucem suam baiulantes, ad honorem Dei et sanctorum eius, ut dictum est, rerum suarum impensas deputaverunt[11], rebus transitoriis eterna comparantes. Quorum beata 11 exempla vir illustrissimus Otto de Reveninge[12] secutus se suaque Christo obtulit et ecclesiam in Gracia Dei cuius fundator extitit stabili testamento, sicut presens pagina testatur,

a) *deest cod., addidit ed.* b) *in margine addit cod.* c) multorum *cod.* d) hñdi *cod.* e) reverenter *cod.*

Nostrę ecclesię suffraganei videlicet: Udo Cicensis episcopus, Meyngotus Mersburgensis episcopus, Anshelmus Havelburgensis episcopus, Godeboldus Misnensis episcopus, Lůdolfus Brandeburgensis episcopus, Arnoldus abbas de Monte. Canonici sancti Mauricii: Frithericus prepositus, Gezo decanus, Frithericus prepositus de Bivera, Bodo scolasticus, Gerhardus cellerarius, Theodericus, Hazecko, Lambertus prepositus Hallensis, Wikerus prepositus sanctę Marię Magadeburgensis, reliquo clero annuente ac consentiente. Principes: Henricus marchio et advocatus, Cůnradus marchio, Adelbertus marchio, Reynardus comes, Růtholfus comes, Frithericus comes palatinus. Nobiles: Lůthewicus, Burchardus, Lambertus. Ministeriales: Hathamarus, Růtholfus, Svitherus, Richardus, Sifridus.

Data quarta Nonas Martii apud canonicam sanctę Marię Dei genitricis Hallo, quę dicitur Novum Opus, a venerabili Cůnrado Magadeburgensi archiepiscopo, presentibus Anshelmo Havelburgensi episcopo, Hallensi preposito reverendo Lamberto et Gratiadeensi preposito primo, religioso Evermůdo cum aliis pluribus.

Anno dominicę incarnationis 1135, *indictione* 13, *presidente sanctę universali Romanę ecclesię Innocentio secundo papa, regnante imperatore Lůthario tercio.*

10) Similia infra cap. 2. 11) Eadem paulo supra. 12) V. supra p. 683 adn. 1.

attitulavit. Cuius ecclesie primitivam instructionem utile videtur ut breviter ostendamus, sicut a senioribus qui tunc temporis erant accepimus, non quod grande aliquid oculis intuencium quasi ostentandi gracia presentare cogitemus, sed ut filii ipsius ecclesie tam 13 futuri quam presentes[13] suum principium agnoscant et Creatori pro universis donis et elemosinis suis in recordatione tanti viri grati existant.

Chr Magd. 2. Ruckerus[14] duodecimus Magdeburgensi ecclesie presedit archiepiscopus obiitque anno incarnationis 1125. dominice 1125, 13. Kalendas Ianuarii, cui Norbertus decimus tercius successit archiepiscopus seditque annis octo, Dec. 20. septem hebdomadibus minus. Hic primo in ecclesia beati Victoris apud oppidumque Xantum[15] erat canonicus, quem Henricus imperator quintus in suo sepius habebat palacio, quia non solum opibus pollebat, verum et omni genere probitatis, prudencia quoque et secularium negociorum industria laudabiliter insignis erat, unde non tantum imperator, verum et cuncti aulici gratum et dilectum habebant. Secularibus ergo negociis implicatus seculo placere studebat viasque adolescencie iocunde perambulans voluntati famulabatur carnis[a], spiritu ancillante. Sed divina miseratio fragilitatis humane conscia secularia eius studia pacienter tolerabat[b], quem in continenti vas electionis sibi futurum previdebat. Siquidem brevi post tempore, conscientia interioris hominis accusante, timore Dei correptus carnis conatus edomare et mundi gloriam repente calcare[16] cepit, habitumque simul cum moribus permutavit, prioremque hominem cum artibus suis exutus tunica et cilicio asperrimo se induit, gravem Deo penitenciam pro commissis suis in multa spiritus tribulatione retribuens. Romam quoque pergens limina apostolorum visitavit, ibique beato Petro eiusque vicario successori flebili conquestione vulnerum suorum cicatrices ostendens veniam postulavit[17]. Cum autem secundum Eccli 35,5. apostolum deprecatio pro peccatis est recedere ab iniusticia, proposuit a via timoris Domini deinceps non recedere atque in ipsa permutacione irreprehensibili constancia perdurare[c] usque 1118. ad finem fidelis. Unde accepta ab apostolico et suo episcopo predicandi auctoritate, quia erat mire eloquencie et in scripturis pulchre intelligencie ac doctrine singularis, plurimos sibi per doctrinam attraxit et ad vite sue proprositum informavit, sicque per septem et eo amplius annos in preparationem euangelii pacis discurrebat, primo nudis pedibus, postea iussu pape calciatus. Quandoque eciam cum insueti laboris nimia eum lassitudo ex itinere afficeret, defatigato corpori[d] asello sedens subvenire consueverat. Postmodum cum iam multos sua predicatione, ut diximus, sibi attraxisset, in loco quodam Francie proposito vite suo oportuno et congruentissimo monasterium et fratres instituit ipsumque Premonstratum appellavit, ubi sicut in presenciarum est videre, non solum lata et spaciosa amenitas cum multiplici uberitate incolis arridet, verum et locus ipse a cohabitatione secularium personarum longe remotus gratam ibi Deo servientibus quietem indulget. Ibi ergo pauper pauperibus Christi serviebat, omnibus verbo et exemplo preambulus erat, ibi in multa austeritate et paupertate carnis trivit superbiam potus cibique parcitate[e]. Ipsi namque mundi gaudia et blandimenta noxia caduca vite deputantes et supernorum desiderio contemnentes, contra multiplices antiqui hostis temptationum incursus perfectissima conversatione diu conflixerunt. Inter quos multi ideo filii nobiliter et sancte sunt educati, sicut postmodum subsequenter apparuit, quia plerique ex hiis episcopatibus aliisque dignitatibus sunt in diversis locis prefecti. Deinde et in aliis multis locis secundum regulam beati Augustini et propriam institutionem Norbertus fundator extitit ecclesiarum. Sunt et alia multa et magnifica que tunc temporis gessit eius opera relatione digna, sed uti proposuimus brevitatis via ad sequencia transeamus.

3. Ruckero Magdeburgensi archiepiscopo, ut dictum est, humanis rebus sublato, eiusdem ecclesie capitulum[f] ad celebrandam electionem convenit, factisque partibus ex diversarum personarum denominatione vota eligencium in unum congregari nequiverunt. Hecque dissensio per annum fere[g] dimidium duravit, et ecclesia Magdeburgensis pontificali interim provisione caruit. 1126. Tandem maiores ecclesie accersiti a dive memorie Lothario rege et a nunciis apostolici[18], ipsorum consilio abdicatis personis, quas in electione denominaverant, commendatione[h] favorabiliter accedente, Norbertum, cuius iam fama probatissime conversationis in dies virtutum preconiis attollebatur, episcopum elegerunt. Quia vero huiusmodi Deum[i] timenti locus altus non tam causa ambitionis quam timoris est, Norbertus vires suas humiliter excusans se imparem tante dignitati affirmabat. Sed tam apostolice sedis quam serenissimi regis iussio urgebat. Vocationi ergo pontificali acqui- Iul. 18. escens, cum sacramento regi debito regalibus ab eo investitus et 15. Kal. Augusti[19] cum magno concursu procerum, cleri ac populi magne exultacionis festivitate applaudente Magdeborch suscipitur et octava hinc[k] die, hoc Iul. 25. est in festo beati Iacobi, ab Udone[20] Cicense episcopo, aliis quam plurimis episcopis cooperantibus consecratur,

a) carne *cod.* b) tollerabat *cod.* c) perdurans *cod.* d) corpore *cod.* e) paratate *cod.* f) capittulum *cod.* g) et *addit cod.* h) comenta *cod.*, *corr. ed.* i) dm̄ *cod.* k) huic *cod.*, hinc *ed.*

13) Eadem verba infra capite 8 auctor repetit. 14) V. Chron. Magd. p. 324–326 15) Xanten ad Rhenum fluvium prope Wesel. 16) V. supra cap. 1, adn. 10. 17) Diversa Norberti itinera Chron. Magdeburg. scriptor hoc loco confundit. Poenitentiam egit, praedicandi licentiam accepit Norbertus non Romae, sed apud Sanctum Aegidium a. 1118; Romam demum a. 1126. adiit. Cfr. Vita Norberti cap. 5. 14. 18) Honorii II. 19) Ita recte noster, falso Chron. Magdeburg.: 10. *Kalend. Augusti, quae tunc evenit dominica.* Dominica enim in diem 15. Kal. Augusti incidit. Cfr. Jaffé, Lothar p. 245 adn. 3. 20) I. (1125—1148).

eique pallium ab Honorio[21] papa transmittitur. In pontificatu constitutus pontificalis officii debitum
congruenter est operatus, secundum nomen suum magnus in salute electorum Dei et secundum apo- Eccli 46, 2.
stolum omnibus omnia factus, dignitatibus huius seculi gratus, dilectus et honorabilis, discolis atque 1 Cor. 9, 22.
elatis plenus auctoritate effulsit, religiosis[a] autem et pauperibus pacemque sectantibus be-
nignum[b] et affabilem se exhibuit, ita ut omnium curam gerens pater omnium appellari
potuerit. Divine vero legis abundancius emulator existens secularibus negotiis, quibus
eum insolubiliter teneri necesse erat, specie tenus quidem deserviebat, sed interioris hominis
conservata innocencia ecclesiastice religioni propagande obnixius intendebat, ei maxime,
sub qua Christo iam diu militaverat. Unde apud suam metropolim in ecclesia beate Marie pro[c] paucis
admodum canonicis magnum conventum secundum regulam beati Augustini, ut supra dictum est[22], et propriam 22
inventionem instituit similique[d] permutacione Poledensem ecclesiam pene dilapsam restauravit.

4. Erat eo tempore in Saxonia nobilis quidam Otto de Reveninge de principum editus progenie, Dipl. Conr.
qui in respectu nobilitatis sue diviciis quoque equipollenter cumulatus erat, nec minus
honestate et industria quoad secundum seculum graciose vigebat, eaque genuina nobilitate
insignitus non carebat honore et gracia iuxta magnorum nomen, qui sunt in terra. Qui
licet adhuc in etate florida constitutus esset, necdum tamen matrimonium contraxerat aut
heredem habebat, ad quem patrimonii sui larga possessio transiret. Unde[e] venerabili
archiepiscopo, cum augmentande professionis sue religioni eo quo dictum est studio cogi-
taret, visum est hun● nobilem ad honorem Dei et ecclesie reservatum esse. Et quia erat
potens in exhortando, familiari eum allocutione convenit diligenter admonens et instruens,
ut, ex quo heres temporalis deesset, Christum sibi et ecclesiam heredem faceret et tempo-
ralia commutacione eternorum relinqueret. His et similibus cum iam aliquocies eum con-
venisset, illustrissimi viri animus inclinari cepit, vilescebatque mundus iste inter verba
cum delectationibus suis usque adeo, quod omne patrimonium suum ac ministeriales suos et uni-
versa que in seculo possidere videbatur eius voluntati et ordinacioni supposuit. Super his ergo ordinandis
consilium inter se capientes in eo convenerunt, ut ecclesiam conventualem in loco compe-
tenti in honorem beate Marie virginis et sanctorum Thebeorum martirum, Victoris, Gereonis
et sociorum eorum, construeret, quia venerabilis archiepiscopus beati Victoris reliquias, cum
patronus suus esset, de Xanto secum transportaverat[23] eiusque sanctissimam memoriam
cum ratione patrocinii tum eciam sociorum Thebee legionis honorari volebat. Voluntatis vero
domini Ottonis erat, ut in aliquo fundo allodiorum suorum claustrum fundaretur, quatenus tanto tenatius et
evidencius tam locus quam loco contradita hereditas sui memoriam posteris presentaret.
Archiepiscopus vero cum modis omnibus sue diocesis terminos extendere et in hiis Deo placentem religionem
iniciari et convalescere operam daret, diligencius instare cepit, quatinus id in suo episcopatu fieri concederet, promittens,
quod ipsam ecclesiam confovere, attollere et honorare deberet, eamquė speciali affectu suum reclinatorium
faceret. In eo ergo sicut et in ceteris cum eius tandem admonitioni accederet in loco idoneo et situ
iocundo, sicut visu melius iudicari potest, super ripam Sale fluminis huic operi insistere
ceperunt, anno incarnacionis dominice 1131. primos fundamento ecclesie lapides venera- 1131.
bilis archiepiscopus et nobilis ille propriis manibus imponentes. Locus autem ille ex vicinia
iam dicti fluminis palustris existens paucos admodum habuit habitatores, qui simul cum
mansis ecclesie eidem adiacentibus ad episcopales redditus Magdeburgensi ecclesie pertinebant. Et ut
ipsa in hac parte indemnis esset, postmodum per Conradum archiepiscopum successorem Norberti castrum in
Reveninge cum septem talentorum redditibus Magdeburgensi ecclesie in concambio est assignatum. Consequenter
deinde comes Otto perficiendo operi summam manum imponens, patrimonium suum[24]
sancte Marie et beato Victori devota interioris hominis alacritate obtulit, de Reveninge autem dona-
tionem adhuc distulit donec videret, quo divine ordinacionis voluntas super incepto opere ver-
geret, et si verbis benignitatis archiepiscopi iuxta promissum opus accederet. Archiepi-
scopus vero affectum mentis circa locum istum attestatione declarans operis, ipse nichilo-
minus contulit in donatione sancto Victori villam Drosswitze[25] cum omni attinentiarum
suarum integritate et decem mansos sitos Gelverstede[26]. Quamquam enim sancti Dei

a) religiosus *cod.*, *corr. ed.* b) se *addit cod.* c) p̄ *cod.*; pro *ed.* d) simulque *cod.*; similique *ed.* e) cum *addit cod.*

21) II. 22) Cfr. cap. 2. 23) Cfr. Chron. Magdeburg. p. 327: *in honore beati Victoris patroni sui prioris, cuius et reliquias de Xanto adduxit.* 24) id est Kruttorf, Eggenstädt et Rinbecche. 25) Drosa prope Wulfen, a Köthen inter septentrionem et occidentem. 26) Ilberstädt prope Bernburg. W. Diplomata ipsius Norberti de his rebus videntur perisse, sed enumerantur et confirmantur haec dona charta Wichmanni archiep. Magdeburg. ap. Ludewig Reliquiae manuscriptorum XI, 558. Cfr. infra cap. 8.

mundanarum rerum cupiditate simul et necessitate exuti nullo indigeant, utpote quibus sola Dei visio salus et vita est: nos tamen miseri, adhuc in valle miserie constituti et ad consortium felicitatis eorum aspirantes sacratissimam eorum memoriam devotionis nostre ac donationis studio frequentamus, ut quod propriis artibus non meremur suffragantium meritis consequamur. Qua consideratione et spe venerabilis archiepiscopus et comes Otto beatam Virginem et gloriosos Thebee legionis martires suis donationibus affectuose hono-
Chr Magd rabant. Simili quoque donatione reliqua quecunque possidere videbatur[27], cum universis ministerialibus suis, exceptis paucis quos illi loco dimisit, beato Mauricio et ecclesie Magdeburgensi cum beneficiis suis contradidit. Hisque rite gestis in ipsa civitate coram ecclesia seculo abrenuntians religionem secundum regulam beati Augustini est professus, tunica[a] ibidem se induens et in loco, cuius iam fundator esse ceperat, Deo se serviturum promittens.

5. Venerabilis ergo archiepiscopus hec omnia non sue industrie sed divine misericordie attribuens eique graciarum actiones cum multa spiritali leticia resultans ipsum locum, sicut per visionem commonitus erat, Graciam Dei appellavit et Emelricum quendam quem de Francia secum adduxerat prepositum illi loco primum ordinavit, qui et postmodum in
28 ultramarinis partibus factus est episcopus[28]. Fratres quoque et clericos et laicos instituens omnem eis regularium consuetudinem secundum tradicionem beati Augustini in vestibus, exceptis paucis specialibus, sicut et in Magdeborch fecerat, indulsit: ut videlicet nigras cappas et superpellicia desubtus portarent et tunicas satrochiis tegerent, tenorem autem cantandi et in horis canonicis iuxta consuetudinem maioris ecclesie in Magdeborch et secularium clericorum, secundum quam ipse primum apud Xantum informatus erat, observarent.

6. Nomina vero eorum[b] qui in ipso principio ibi erant, et per quos plantata est ecclesia, sunt hec: magister Cono, qui de seculo intravit, Iohannes, item Iohannes, uterque sacerdos, et Eilbertus, qui de seculo venerunt, Bone de Colonia, Otto, Albertus et Riquinus, ambo apud Stadium[29] prepositi, Bertoldus, Fridericus frater prepositi Gunteri, Henricus de Steden, Richardus, Albero, Mersilius, item Iohannes, Thieczelinus, Marquardus qui et Azone prepositus[c], Dippoldus, Reinboldus, Guntherus — et hii omnes aut de seculo venerant vel cum archiepiscopo de Francia transierant —, Siboldus, qui de maiori ecclesia Magoncie canonicus ibi erat professus[30]. Laicorum nomina sunt hec: Marquardus, pater prepositi Gunteri, Udo, Betzelinus, Liuderus[d], Arnoldus, item Arnoldus, Hezzo, Dudo — qui se ipsum prope domum hospitalis diaboli persuasione seductus qui se ei in angelum lucis transfiguraverat in Sala mersit, unde et ab eo adiacens insula nomen accepit —, Hillevardus, Reinmarus, Osmannus, Gerardus cognomento Hezeke — et hic de Cappenberch venerat et iterum rediit — Fridgerus, Sterckfridus, Lodevicus, Theodericus, Hermannus — isti quatuor de Katelinberch[31] venerunt —, Swiderus — hic deposita milicia, cum esset vir strenuus et nominatus, religionem est professus. Hii omnes sicut et clerici de seculo ad locum illum se transtulerant, exceptis paucissimis, qui aut de Premonstratensi ecclesia vel de Florepheia[32] vel de Kappenberch venerant. Item Gumbertus laicus: hic solus de Magdeborch venit et post modicum rediit, ibique se ipsum suspendio interemit.

7. Sicut dictum est, primus illi loco Emelricus[e] ab archiepiscopo institutus est prepositus. Qui cum postmodum postulata licencia transmarinasset, venerabilis interim archiepiscopus Evermodum qui et postmodum Raceborch episcopus non prepositum, sed provisorem loci ordinavit. Necdum autem locus ille apostolicis aut imperialibus sive episcopalibus privilegiis munitus erat, nec libertas electionis ecclesie indulta fuerat, omnes eciam subditi archiepiscopo Norberto quoad vixit, non prelatis obedienciam faciebant. Venerabilis archiepiscopus sollicitudinem ecclesiarum suarum, ut ostensum est, gerens, non tantum religiosis
Chr. Magd. locis intendit, verum eciam in metropoli sua veterem[f] structuram, quam auguste memorie imperator Otto imperfectam reliquerat, nescio an spe fidentiori an animo promptiori ad decorem ecclesie consumare decreverat; sed hec[g] sicut pleraque eius pie devocionis studia mors nimium festinata interclusit.
1134. Siquidem octavo episcopatus sui anno egritudine correptus tota quadragesima[32*] lecto incubuit. Sed instante
Apr. 1. paschali solemnitate, excussa modicum egritudine, crisma consecravit et in die sancta non sine magna

a) tunicam *cod.* b) *deest cod.* c) *ita cod., fortasse legendum* qui et Azo. d) Linderus *cod.* e) Emelbertus *cod.* f) omnem *cod.; veterem Chr. M.* g) licet *cod.,* hec *chr M.*

27) 1100 *mansos* habet Chron. Magdeburg. l. l. 28) Sydoniae in terra sancta. 29) id est in coenobio S. Georgii prope Stade. W. 30) Verba *qui — professus* repetita infra cap. 10. 31) Katelenburg prope Northeim. W. 32) Floreff prope Namur. W. 32*) Febr. 18. — Mart. 24.

virium suarum contradictione divina celebravit, iterumque lectum doloris ascendens viribus usquequaque destituebatur. [1134. Apr. 1.] Cumque dolor vehemencius incresceret, et iam redituram salutem decrederet[32], disponens singula, que illius temporis instancia postulabat, inter cetera domnum Conradum maioris ecclesie canonicum convocavit et familiari collatione diligentissime admonuit, ut, si ipsum per divinam ordinationem post discessum suum episcopari contingeret, novellam plantationem suam, ecclesiam videlicet in Gracia Dei, sibi commendatam haberet, ut ea, que ibi iniciaverat, autenticare et sub certam formam redigere curaret. [Chr. Magd] Idem enim Conradus et genere et moribus nobilissimus erat, unde post discessum Ruckkeri archiepiscopi predecessoris Norberti tocius in eum capituli electio convenerat, solo abbate[33] Sancti Iohannis et maiore preposito[34] exceptis, qui electioni eius reclamabant, canonem ei tantum obicientes, non licere videlicet subdiacono ad gradum episcopalem ascendere; eaque tantum ratione eius electio tunc temporis fuit retardata, sed ad oportunum magis tempus reservata. Cui[a] ea consideratione Norbertus ipsum successorem sibi magis futurum arbitratus diligentissime iniunxit, ut consumationi ecclesie in Gracia Dei studium impenderet. Hisque et aliis que ordinatione necessaria erant dispositis, dissoluta huius habitationis domo obdormivit in [Iun. 6.] Domino.

8. Conradus ergo subsequenter canonica electione factus episcopus nitorem fame sue, [Iun. 29.] quam a primo ingressu adolescentie sibi laudabiliter contraxerat[35], de virtute in virtutem proficiens cotidie[b] augebat. Unde inter cetera memor commissi ecclesiam in Gracia Dei paterna benignitate et affectu colere cepit, ita ut eius memoria apud filios eiusdem ecclesie tam futuros quam presentes[36] merito in benedictione manere[c] debeat. [36] Siquidem predecessoris sui opera favorabiliter prosecutus sciensque quia generatio hominum perversa est et[d] infideles filii, [Deut. 32, 20.] quecunque vel a Norberto archiepiscopo vel a fratre Ottone fundatore ecclesie donata erant privilegio confirmavit[37] et ab Innocentio[38] papa confirmari obtinuit[39], ipsumque fundatorem induxit, [Dipl. Conr.] ut donacionem bonorum in Reveninge quam adhuc distulerat simul cum alio patrimonio suo ecclesie faceret, excepto castro et attinentibus septem talentorum reddilibus, que Magdeburgensi ecclesie, ut supra[40] dictum est, in concambio dimisit sub ea distinatione, ut Magdeburgensis episcopus sine requisitu prepositi et fratrum consensu neminem illo castro inbeneficiare possit. Decem quoque mansos Gelverstede[41], quos Norbertus archiepiscopus ecclesie contulerat[42], cum post eius discessum a quibusdam[43] intricarentur, coram generali placito quod vulgo lantting dicitur expedivit et ecclesie retinuit[44]. In donacione autem privilegiorum liberam electionem ecclesie constituens, ea prepositum libertate donavit, ut Magdeburgensi episcopo sive ad curiam sive ad expeditionem eunti vel in alio quocunque negocio constituto in nullo prorsus subservire teneatur, sed si consilia patrum aguntur, ipse quoque ad concilium accedens debitam episcopo reverenciam exhibeat. Ex peticione fratris Ottonis fundatoris comitem Lodowicum de[e] Wippera[45] filium matertere sue advocatum super bona ecclesie ordinavit eiusque legitimos[f] heredes, ita determinans[g], ut advocatus, nisi a preposito vel fratribus vocetur, advocatiam non intret, vocatus quicquid ordine iudiciario lucratus fuerit in usus fratrum addat[h], tribus causis exceptis, furto, sanguinis effusione et violencia mulieribus illata, que eciam non vocatus iudicabit[i], et de acquisitis duas partes fratribus dabit, terciam sibi retinebit, nec peticionem in bonis sine licencia prepositi faciet[46].

9. Sicut dictum est, Evermodus, cum ecclesia adhuc libertate electionis careret, eidem loco non prepositus sed provisor erat a Norberto archiepiscopo ordinatus, qui usque post datam ecclesie liberam electionem, cum Emelricus de itinere transmarino non rediret, provisionem ipsam vice prepositi administravit, zelum quidem habens Dei, sed non secundum scientiam. Siquidem inter ceteras suas inventiones quibus clericis et fratribus materia scismatis erat vehementer instituit, ut in quadragesima et in adventu Domini alternis[k] diebus in pane et aqua ieiunaretur. Unde tam fratribus universis quam eciam fratri Ottoni fundatori molestus erat, ita ut eciam de eius remocione consilium caperetur, presertim cum libertatem electionis haberent. Contigit interim ecclesiam beate Marie[47] carere [1138. Aug.]

a) cuius *cod.* b) cottidie *cod.* c) iuvare *cod.*; manere *ed.* d) ut *cod.* e) *deest cod.* f) legittimas *cod.* g) determinante *cod.* h) adat *cod.* i) iudicabat *cod.* k) alterius *cod.*; alternis *ed.*

32) i. e. non crederet. 33) Arnoldo. 34) Friderico. 35) Cfr. Chron. Magdeb. p. 321. 36) Eadem verba supra cap. 1. 37) dato a nobis supra p. 684 adn. 9. 38) II. 39) 1038, Dec. 8. Jaffé n. 5651. 40) cap. 4. 41) Ilberstädt. 42) V. supra cap. 4. 43) id est a Martino, Halberstadensi quondam praeposito, tunc vero deposito. 44) Haec non ad Conradum, sed ad Fridericum eius successorem spectare, docet charta Friderici data 1147, Aug. 8. apud Beckmann, Geschichte des Fürstenthums Anhalt I, 474. 45) Wippra comitatus Mansfeldensis. 46) Cfr. diploma Friderici archiep. Magdeburgensis datum 1147, April. 16. apud Ludewig, Rell. XI, 548—550. Conradi diploma de hac re iam non extare videtur. 47) Magdeburgensis. W.

1138. Aug. preposito et eam in predictam personam, quia de eius gremio transierat, convenire; eoque tali occasione amoto fratres de Gracia Dei primam electionem celebrantes Henricum prepositum elegerunt, qui nichilominus novarum institutionum emulator, gravis discordie auctor fuit eatenus, quod eciam frater Otto fundator pro interminabilis discordie malo presenciam suam claustro subtraxit. Prepositus autem cum in se immutabilis esset, et liti quotidie[a] lis accederet[b], saniori tandem parte[c] conventus contra eum insurgente, depositus est et remotus et postmodum Rode[48] factus est prepositus[49].

10. Nec pretereundum[d] quod, cum Evermodus postmodum episcopus adhuc in Gracia Dei provisor esset, Tiezzo cum fratre Godefrido de ecclesia sancte Marie hac ratione ad
1135. Apr. 21. locum illum transivit. Episcopo Conrado, ut dictum est, canonice intronisato, cum instaret pascalis solemnitas et hymno Ambrosiano, qui vigilia pascali ad consecrationem cerei recitari consuevit, nominato domno apostolico et imperatore, nomen quoque domni archiepiscopi recitandum fuisset, idem Tiezzo cuiusdam simultatis racione nomen ipsius, cum cereum consecraturus esset, omisit. Pro quo temeritatis ausu archiepiscopus implacabili adversus eum indignatione commotus et presenciam eius Magdeborch sustinere non valens de claustro eum sancte Marie et a civitate removit; vixque postmodum, cum nullis precibus animadversacio domni episcopi circa ipsum revocari posset, ut redire scilicet licitum esset, intercessione quorundam id obtinuit, ut ad aliud claustrum Magdeburgensis episcopatus transiret. Unde auxilio provisoris in Gracia Dei iam sepe nominati ad ipsum locum se transtulit, quem quidem concanonicus eius Godefridus est secutus, qui et postmodum
50 primus in Arnesten[50] abbas extitit, et Tiezzo, cum esset magna honestate et industria conspicuus, ipsius loci prioratum administravit. Amoto, ut dictum est, racione scismatis preposito Heinrico, Siboldum quendam prepositum ..... [e] qui in maiori ecclesia Mogoncie fuerat canonicus et ibi religionem est professus[51]. Cum ergo factus est prepositus, vix exacto uno mense efficium prelationis materiam gravissimi oneris magis quam honoris reputans, deposita prepositura in Daciam transivit et post annos aliquot iterum est reversus. Eodem quoque tempore prepositus de Polede Conradus in Gracia Dei fuit electus, peractisque singulis que electionis solemnitas ex more postulabat, ad resignandam priorem preposituram Polede perrexit, nec postmodum in prepositura Gracia Dei apparuit.

11. Facta iterum electione vota eligentium sunt divisa, ipsaque divisione perdurante episcopi Anselmi[52] et aliorum patrum qui aderant arbitratui se submiserunt, facta compromissione[f], quod ipsorum consilio starent et ordinationi. Lambertum ergo de ecclesia beate Marie eis prepositum dederunt, episcopo Anselmo aliquamdiu renitente, quia tenuis sciencie in scripturis erat, cum tamen suam inscitiam[g] factus prepositus multiplici virtute et pro-
Iob 1, 1. babili conversatione colorabat. Erat enim vir simplex et rectus et timens Deum et recedens[h] a malo, et in dispensatione tam interiori quam exteriori sollicitus et discretus. Temporibus antecessorum eius racione dissensionis fraterna unitas sepe vulnerata fuit, que dissensio diebus suis amico federe conquievit, ipsaque ecclesia sub bono pacis viguit et floruit.

1157. 12. Iam autem annus ab incarnatione[i] dominica 1157. vertebatur, eratque illud tempus iam, quando lapis angularis a coniunctione parietum ecclesie et imperii abstractus fuerat, orto videlicet scismate inter magnum Alexandrum[53] et sancte memorie imperatorem Fridericum[54]. Hoc autem scisma, sicut publica scripta testantur, per 20 annos duravit[k], nec
1177. aliquatenus sopiri potuit, donec tandem, apostolico Veneciis constituto, magnus ille Magdeburgensis archiepiscopus Wichmannus partes suas interponens cum multo labore ad hunc finem perduxit, quod imperator Venecias in occursum domni pape processit; studioque predicti archiepiscopi inter eos scrupulus discordie est sublatus, omniaque simul compla-
Ps. 84, 11. nata et firmissimo nexu amicicie federata, ita ut diebus illis dici potuerit: *Iusticia et pax*

a) quottidie *cod.* b) acciderel *cod.* c) parti *cod.* d) pretereundem *cod.* e) *deest* elegerunt *vel tale quid.* f) commissione *cod.* g) insiciam *cod.* h) recedit *cod.* i) incarnationis *cod.* k) duratum *cod.*

48) Rode sive Hildebergrode, hodie Klosterrode prope Sangerhausen. W. 49) Haec non ante a. 1147. contigisse, apparet e charta Friderici archiep. Magdeburgensis anni 1147. apud Bruns, Beiträge zur kritischen Bearbeitung unbenutzter alter Handschriften etc. p. 228 sqq., ubi inter testes enumerantur: *Heinricus praepositus de Gratia Dei et frater Otto eiusdem loci fundator.* 50) Arnstein ad Lahn fluvium. W. Cfr. Vita Lodewici comitis de Arnstein apud Böhmer, Fontes III, 331—336. 51) Verba *qui* — *professus* e cap. 6 auctor repetit. 52) Havelbergensis (1126—1155), postea archiep. Ravennas (—1158). 53) III. 54) I.

osculate sunt. Ipsa quoque forma pacis ut inobliviscibili memoria inter sacrum imperium
et sacrosanctam ecclesiam teneretur per manum tabellionis est[a] conscripta[55]. Sed quia id
incidenter et per excursum diximus, ad propositum revertamur[b]. Prepositus Lampertus
cum 13 annis prefuisset iam sepedicte ecclesie, ipso anno 9. Kal. Decembris in pace obiit 1160.
et in manica aquilonari est sepultus. Bona eciam in Risen[56], que prepositus Heinricus Nov. 23.
a Bodone de Tribule[56*] ecclesie emerat, cum postmodum a filiis ipsius intricarentur,
coram Magdeburgensi archiepiscopo et marchione[57] Alberto datis eis 9 marcis et dimidia 57
expedivit et privilegio confirmari obtinuit. Bona vero in Curne[58] prepositus Henricus a
Conrado[59] rege et marchione Alberto per concambium acquisivit[60]. Eius eciam studio,
prepositi Lamperti scilicet, iam dictus marchio dedit ecclesie bona in Precone[61] et partem
bonorum in Groz[62] et partem in[c] Rysen. Tres etiam mansi in Risen et dimidius et septem
mansi in Groz et dimidius a nobilibus de Tribule sunt empti. Reliquum ecclesia ex bonis
marchionis possidet.

13. Preposito Lamberto humanis rebus sublato, prepositus Guntherus successit[63].
Hic quarto sue promotionis anno monasterium consumavit et a supradicto archiepiscopo, 1164.
multis episcopis et ecclesiarum prelatis cooperantibus, principibus et terre nobilibus presentibus, in multa expensa et honorificentia dedicari fecit[64]. Inter cetera, quibus ecclesia diebus ipsius fructuose profecit, acquisivit bona secus Alstram a comite Friderico de Brenen[65], datis ei 90 marcis[66], et a Martino episcopo[67] decimam ipsorum bonorum[68]. Item bona in Iuterbock[69] et vineam curie[d] adiacentem et tres mansos in duabus villis Eckkenstede[70] et Eilwardestorp[71] a Magdeburgensi episcopo Wichmanno acquisivit; bona nichilominus in Wardenberch[72] ecclesie contraxit[73].

14. Sicut supra dictum est, frater Otto fundator racione discordie, que temporibus prepositi Henrici inter conventum et ipsum vertebatur, ad seculum se contulerat, in quo usque ad tempora prepositi Guntheri dissimulato habitu et professione perduravit[74], cum interim infirmitate correptus lecto decubuit, timensque dissolutionem sui corporis imminere, ad claustrum Hallensis ecclesie[75], quia in vicino erat, se deduci fecit. Ibi ergo penitudinem retroacti erroris gerens habitum resumpsit, promittens se amodo[e] in ecclesia sua Deo serviturum. Sed quia superni arbitri dispositio non capit dilacionem, egritudine predominante diem clausit extremum, et in Gracia Dei ante altare sancte Crucis sepelitus, sed postmodum in chorum est translatus. Requiescat in pace!

a) sunt *cod.* b) revertantur *cod.* c) *deest cod.* d) curia *cod.* e) am̄odo *cod.*

55) V. supra Legum tom. II, p. 151—161, et Waitz, Nachrichten der G. A. Universität zu Göttingen a. 1867, p. 389—393. 56) Rehsen prope Coswig. 56*) An Trieben prope Rosslau? Commemorantur domini de Tribule inter imperii scabinos in der *bord der herren*, spec. Saxon. ed. Homeyer p. 139. 57) Brandenburgensi. 58) Kühren prope Aken. 59) III. 60) Chartam nuperrime dedit Heinemann, Albrecht der Bär p. 459. 460. Datam eam esse m. Martio a. 1147, probavit idem l. l. p. 160. 369. 61) Pretsch prope Wittenberg. 62) Grötz prope Bitterfeld. Hoc ante 1152. Ian. 14. factum esse, constat e diplomate Wichmanni apud Ludewig l. l. XI, 558: *addimus .... villam que vocatur Grosze, quam venerabili Friderico predecessore nostro et ecclesia Magdeburgensi presentibus marchio Albertus manumisit et eisdem fratribus .... possidendam dimisit.* Illa enim die obiit Fridericus. 63) Apparet primum inter testes in diplomate Wichmanni dato 1161, Nov. 20, apud Ludewig Rell. V, 13: *Guntherus in Gratia Dei prepositus.* 64) Hoc 1164. Oct. 10. factum esse tradit auctor Chron. Mont. Sereni ad a. 1164. 65) Brehna, ab Halle inter septentrionem et orientem. 66) Hoc m. Ianuario a. 1176. factum esse, docuit Fechner in Forschungen zur Deutschen Geschichte tom. V, pag. 526, adn. 2. 67) Misnensi (1170—1190). W. 68) V. chartam Theoderici marchionis apud Ludewig, Rell. XI, 565. 566 et Martini ep. Misnensis in Cod. dipl. Saxon. reg. I, 59. 69) Cfr. diplomata Wichmanni et Sifridi ep. Brandenburgensis apud Bruns, Beiträge I, 230—234. W. 70) Eggenstädt prope Wanzleben. 71) Eilsdorf prope Köthen. 72) Wartenburg ad Albim prope Wittenberg. 73) Rem confirmavit, decimam addidit Wichmannus 1168, Iun. 7. apud Ludewig XI, 554. W. 74) Testatur tamen simul cum Gunthero in diplomate Wichmanni a. 1164. apud Leuckfeld, Antiqq. S. Mariae Magdeburg. p. 98: *Guntherus prepositus ecclesie sancti Victoris Dei Gratie cum Ottone eiusdem ecclesie fundatore.* 75) Neuwerk prope Halle. W.

ANSELMI EPISCOPI LUCENSIS
VITAE PRIMARIAE FRAGMENTA

EDENTE

WILHELMO ARNDT PH. DR.

Quum haud raro contingat, ut in hoc curioso litterarum aevo manuscripti libri detegantur, quos olim sodales nostri frustra inter varias variarum bibliothecarum copias reperire studuerunt, nobis quoque inter codices qui recentioribus annis additi sunt bibliothecae Burgundicae Bruxellensi oblata est altera pars illius codicis, ex quo supra Reineri opera emendata dedimus, quamque Bethmannus v. d. frustra se quaesivisse in annalibus nostris VIII, 484 *testatus est. Nobis autem hunc codicem evolventibus prima erat cura, ut inspiceremus vitam sancti Anselmi Lucensis episcopi, quam prorsus alia ratione confectam quam litteris supra datam recognoscentes, exscribere et quamvis mutilam lectoribus nostris proponere in animo erat. Non est enim dubitandum quin vita memorata hic exstet originaria forma, impressa autem sit nil nisi redactio continuatorum, qui quamvis coaevi singula operis primarii membra discerpentes, interpolationes aliave addiderunt. Quomodo enim aliter explicari possunt verba:* Quantae abinceps religionis fuerit nec lingua possum referre, nec stilo satis valeo exprimere[1], *nisi ea auctoris ipsius habes, qualis quoque in fine ubivis offenditur? Sed videamus de codice. Est ille membranaceus signatus* 18644—18652 *saeculi XII. exeuntis, minoris formae, quam octavam vocamus. In tegumento leguntur haec:* Ms. XII. S. Sti. Laurentii. *Vitas sancti Amoris et sanctae Landradae excipit nostra, sed quod multum est dolendum post duo folia initium vitae continentia integer excidit temporis ingratia quaternio, ita ut graviori parte deperdita nil nobis relictum sit nisi principium finisque. Inter has duas vitae partes agglutinatum est indocta manu religatoris unum folium sermonis sancti Anselmi, qui sequitur vitam una cum eiusdem episcopi epistola ad Wipertum. De caeteris volumus ut lectores inspiciant Annales nostros loco supra laudato, id solum addentes, quod homiliae decem Eusebii eadem qua reliqua pars codicis sunt exaratae manu.*

Vita quae inter Bollandistarum apparatum hodie in eadem bibliotheca Burgundica sub N. 3196 *asservatur ex codice Ultraiectino descripta, tota ex nostro manuscripto derivata est, ita ut hoc olim Ultraiecti asservatum fuisse videatur. Quum autem alia manu in margine adnotata sint haec verba:* Vide insignem vitam inter opera contra Schismaticos perg. 4° in museo, *adductus*

1) In vita impressa sic exstant M. G. XII. p. 14. 15. cap. 5: *Quantae igitur abinceps religionis fuerit, nec lingua potest referre, nec manus scribendo valet exprimere.*

sum, ut investigarem inter Bollandistarum Bruxellensium codices manuscriptos, quo in studio me opera reverendissimi patris Victoris de Buck bene adiutum iterum spes fefellit, quoniam antiquo virorum doctorum museo longo abhinc tempore disperso, ex naufragio illo perpauca tantummodo rudera iam ibidem existunt.

In margine addendos curavimus numeros capitum alterius vitae, in quibus singula verba sententiaeve sint positae.

Scribebamus Bruxellis mense Martio anni 1867.

W. ARNDT.

VITA SANCTI ANSELMI LUCENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Devotis quorundam precibus cogimur, ut vitam sanctissimi patris nostri Lucensis epi- c. 1. scopi domni Anselmi, quam presentes vidimus, compendioso explicemus labore, quae tot certe ac tantis preclara fulsit virtutibus, ut minime nos ad iniunctum tale negotium sufficiamus. Atqui dum venerabile illorum desiderium perpendimus, tametsi non sufficimus, utcunque tamen quod expetunt incipimus, quoniam fidelibus cunctis fidei est firmamentum, excommunicatis autem confusio, verecundia, detrimentum et pernicies, aliis quidem in ruinam, aliis vero in resurrectionem. A pueritia quippe sua qualiter vixerit, tum quia pleniter c. 2. non novimus, tum quia reticere in presentiarum satius aestimamus, pretermittimus. Studiosum tamen iam tunc in scolaribus libris legendis fuisse, ipso sepius referente cognovimus. Quod et rei evidenter probavit effectus, quia omni arte grammatica et dialectica probabiliter extitit peritus. Dum autem videretur iam idoneus ut in honorem sublimaretur episcopatus, mittitur a reverentissimo papa Alexandro ad regem, dato sibi comite religioso episcopo Sanctae Rufinae nomine Maginardo. Sed quia perfecte iam caeperat odisse, ut sacri ordines aecclesiastici a secularibus darentur potestatibus, quacumque occasione vel racione absque dignitatis dono discessit. Rex autem quasi despectum se et confusum doluit, et regalis imperii tamquam magnum detrimentum deploravit.

Defuncto itaque predicto papa Alexandro, dum sanctissimus Gregorius in Romanum c. 3. pontificem sancti Spiritus instigatione ac voto communi clericorum et laicorum, diu renitens, esset sublimatus, ut sequeretur eum iste in omnibus in Lucanam aecclesiam est et ipse electus episcopus, atque ab illo postmodum gloriose consecratus.

Igitur dum aliquanto tempore cum eodem religiosissimo ordinatore suo moraretur, vitam c. 3. eius consideravit mirabilem ac per omnia laudabilem. Veritas enim et iustitia nunquam[a] ori eius defuit, immo quod magis est mirandum, in ipsis secularibus negotiis sepius excessit mente, exhilarato spiritu suo caelesti contemplatione. At si privatus interdum existeret, revelationibus etiam divinis iocundatus est et confortatus. Huius inquam vestigia c. 4. dum exequi ferventer desiderat, incipit oblivisci mundum, ac totis viribus mentis et corporis die ac nocte suspirare in Deum, committens se non solum assiduae lectioni, verum etiam continuae afflictioni. Nam seculi blandimenta et corporis delicias, quibus gaudent c. 27. homines, ipse sibi iam tunc convertit in tormentum, abhominando quaeque tamquam venena. Cibos quoque delicatos quoniam habebat exosos, dum a circumsedentibus interdum sumere cogeretur, infirmitatem aut votum vel quamlibet occasionem honeste finxit, ut et desideratam observaret parsimoniam et convivantibus non inferret tristitiam. Incipit deinde c. 4. talem etiam vitam suae dampnationis aestimare atque accepti ministerii grave oneris periculum non honoris gaudium cogitare, illud ante omnia metuens, quod post legitimam electionem de manu regis anulum suscepit et virgam pastoralem. Disponit ergo orationis c. 4. causa, sanctorum aliqua visitare limina, et nescientibus qui cum ipso erant parentibus ac fidelibus, fit subito Cluniaci monachus[2]. Qui non post multa a beatissimo papa Gregorio invitus revocatur. In cuius etiam manum quicquid acceperat reddidit et refutavit, omnisque datio regis in illo evacuatur, ipse vero in plenitudinem dignitatis mutato tantum habitu restauratur. Quantae abinceps religionis fuerit, nec lingua possum referre, nec stilo satis valeo exprimere. Monachi tamen et canonici vitam pariter et ordinem conabatur explere.

a) *add. ead. manu supra lineam in cod.*

2) Cf. Vitam supra l. c. p. 14. cap. 4: *fit subito monachus, regulae sancti Benedicti et Cluniacensium consuetudini subiectus.*

c. 27. De abstinentia illius quid dicam? Vinum fere ut venenum fugit, per totam mensam non
bibit. Verum si ardentius sitis incubuit circa vesperam modicum aquae privatim hausit.
c. 29. Nam et in[a] ipsa aqua gulae castrimargiam aestimavit, laqueum timuit. Summae eius
c. 28. deliciae aut fructus fuerunt aut herbae. Quodsi necessitas naturae non cogeret, insomnis
omni tempore permaneret. Nocte legit tota, aut scripsit, aut oravit, et si gravior insisteret
somnus, aut stans aut usque genua provolutus dormitavit. In lecto quidem rarissime, nisi
summa cogente verecundia aut necessitate quievit. Venias in nocte perplurimas petiit, ad
c. 29. tertiam usque diei horam sepius in oratione stetit. Dum omnem sibi fere victum subtra-
c. 28. heret, plus tamen omnibus laboravit. Ipsam paene devicerat naturam, ut non iam videretur
c. 29. corpus, sed spiritus totus. In consecrandis vero aecclesiis vel altaribus, quasi plenus
spiritu totus infremuit et ferventi semper devotionis[b] amore quicquid erat ecclesiasticum
peręgit. Mirabamur omnes tenuitatis eius inexuperabiles vires, quia penitus lassis nobis,
solus laborabat, librum ubivis repperit, statim diligentissime perscrutari studuit, ut quic-
c. 11. quid diebus percurrendo carperet, id noctibus ruminaret. Dum autem cum Maria penitus
desideraret sedere securus, ecce facta est in omni Romano imperio inaudita persecutio.
Episcopi namque et principes paene omnes non solum inoboedientes, verum per omnia
rebelles facti sunt sanctae sedi Romanae. Sed inventa est sola comitissa Mathildis in fide
permanens, zelum Dei habens. Haec ut sanctissimam domni papae Gregorii vitam et fidei
cognovit ardorem, totam se tradidit illius dispositioni, accipiens ab eo in remissionem pec-
catorum hoc precepti, ut quasi altera Debbora populum iudicet, militiam peragat, hereticis
et scismaticis resistat. Atque ne sola deficiat, custodienda commendatur[c] prescripto Lucensi
episcopo Anselmo, tanquam magni consilii angelo[3], cui tantam contulit Deus gratiam, ut
contra totius imperii furorem, milites sapienter regeret, invictos custodiret, in fide reser-
c. 25. varet. Ipsi denique qui aut sensu perverso excaecati aut avaritiae seculi perniciose impli-
cati, catholicae et apostolicae restiterunt sententiae, dum secum racionari caeperunt,
racionabilem eius mirati sunt eloquentiam, nec resistere poterant sapientiae illius. Nam
c. 26. ut domni papae sententiam eiusque universa facta atque precepta canonicis confirmaret
racionibus, et approbaret orthodoxis auctoritatibus, studuit die ac nocte sacras scripturas
legere atque ad haec utilia investigare. Unde ex diversis sanctorum patrum sententiis
c. 25. unum compilavit non modicum corpus. Multos libellos propriis conscripsit manibus. Multa
sibi in sacris scripturis divinitus revelata cognovimus, quorum aliqua scripta, aliqua reti-
nemus in memoria. Denique in Iheremiam expositionem fecit dilucidissimam. Psalterium
quoque luculentissime exposuit, brevitate utili usque in locum ubi ait: ***Benediximus vobis
c. 29. in nomine Domini.*** Si quando in expeditione aut itinere, in campo aut in domo fuit, lectum
suum modica circumdabat cortina, ubi solus legeret vel scriberet. Fatigatus corpore non
c. 30. cibum lautiorem sumpsit, aut in lecto quievit. Dum tota sepius staret die inter secularium
colloquia vel consilia, aliquid divinum secum semper meditabatur. Etsi suum fideliter
c. 31. secuti sunt tandem consilium, sicut predixit, sic et illis evenit. In divinis siquidem officiis
quo affectu, quave contritione fuerit, non sufficit depromere. Per singulas aecclesias intra[d]
terra supradictae matronae regularem clericorum vel monachorum composuit vitam, qui
et malle se inquit ut in aecclesia nullus esset vel clericus vel monachus, quam inregularis
et non religiosus. Ordinem et concordiam tam in cantu quam in lectionibus, prout sancti
patres statuere, conatus est conservare. Psalmos quidem ut caute ac meditatim canta-
remus precepit, alioquin aspere increpavit. Novit Deus quoniam videbar inibimet aliquando
tamquam plenus spiritu ex ipsius aspectu, et quasi mei oblitus, videbatur ille mihi velut
angelus. Inter divina misteria nunquam vel raro sedebat, missarum sollempnia nunquam
sine lacrimis explevit. Ante omnia vero id studium semper habuit, quatinus sanctissimum
magistrum suum papam Gregorium imitaretur, illius meritis attribuens quicquid in illo fuit.
c. 32. Dum vitam rememoravit monasticam et solitariam . . . .
. . . .
. . . .
quam se crebro deflevit amisisse, consolatus in eodem magistro est, quia oboediens sibi
c. 32. usque ad id factus est. Beatissimus itaque ac tantus magister Gregorius[e] moriens mitram
capitis sui transmisit discipulo fideli, dans ei vice sua potestatem ligandi atque solvendi.

a) *supra lin. add. cod.* b) devonis *cod.* c) *sic corr. superscribendo ex* mandatur *cod.* d) *vox haud satis certa cod.* e) .G. *cod.*

3) Cfr. Sirach 39, 8.

Verum non multo post preclara quaedam fecit clam per eandem mitram mirabilia. Man- c. 32. tuanus episcopus Hupaldus multis annis gravissime toto corpore ulceratus ita ut vix stare posset, vix etiam iacere, qui et multa in medicos erogaverat, nihilque profecerat, apposita eadem mitra ubi maior ingruerat dolor, pristinae redditus est sanitati. Fecit siquidem et c. 33. bonus discipulus multas visibilium signorum virtutes, quia secutus est per omnia pium magistrum, perfecto odio partem odiens excommunicatorum, et unitatem diligens atque defendens catholicorum. In ipso enim et per ipsum heretici ac scismatici alii convertuntur et alii confunduntur. Quorum in ore dentes confringuntur ipsorum, dum ipsius Domini verbis respondetur eis: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes euangeli-* Matth 11, 5. *zantur.* Vidimus presentes in vita ipsius subdiaconem eius Theozonem, qui infirmos semper c. 34. habebat oculos, qui etsi preter solitum quid vigilavit interdum, diu postea vix quicquam potuit videre, legere prorsus non potuit. Aquam itaque qua manus suas domnus episcopus post sacrificium abluit, accepit, oculos lavit et sanos abinceps habuit[a]. Vigilare ac legere minus nobis aliis non potuit. Similiter et presbiter eius Wido febres patiens, aquam ablutionis manuum eius accepit, bibit et evasit. Item Iohannes diaconus suus, dum apud Medio- c. 35. lanum infirmaretur, festinavit sibi mandare, hoc addens in legatione, quod mox audita eius passione vellet in se virtutem benedictionis suae sentire. Factumque est ut credidit. Statim sensit et paulo post pleniter evasit, quem et presbiterum postea idem domnus episcopus ordinavit. Revelationes quoque digne memorandas vidit sepissime, quarum aliquas c. 37. libet breviter perstringere. Quodam enim tempore dum in ecclesia sancti Pauli apostoli in territorio Mantuano iuxta episcopium consecraret quoddam altare ad honorem sanctae Mariae, vidit ipsam corporeis oculis in eodem altari inter ipsa sollempnia consecrationis. Alio quoque tempore in purificatione eiusdem gloriosae virginis, dum tardior ad aecclesiam veniret, cantantibus iam clericis invitatorium, ubi ait: *occurrens Domino tuo*, vidit intranti sibi Christum venire in occursum. Altera vero vice dum in magna compunctione cordis et lacrimarum cantaret psalmum: *Inclina, Domine, aurem tuam*, sensit ad se Dominum incli- Ps. 85, 1. natum et tanquam aurem adhibere ad auscultandum. Multa quidem et alia fecit atque vidit, quibus festinantes modo[b] supersedemus.

Postremo quam felicem fecerit finem, multi episcopi et clerici nobilesque laici pre- c. 38. sentes viderunt. Testamentum non fecit, quia unde faceret non habuit, imitatus etiam in hoc magistrum, quem pauperem in exilio novimus defunctum. Qui etiam in extremis suis sicut ab ipsius discipulis religiosis didicimus, post omnia inquit: *Dilexi iustitiam et odio habui iniquitatem. Iccirco moriar in exilio.* Equidem quod in vita sua magister et discipulus docuerunt, hoc et in morte quasi testamento confirmaverunt. Ille quos oboedientes sibi adhuc vivens benedixit, moriens quoque Domino precibus commendavit. Wibertistas[c] quos ipse excommunicaverat, nisi post magnam paenitentiam reprobavit. Hic presentibus nobis in verbo Domini precepit, ut in fide et doctrina beatissimi papae Gregorii permaneamus. Quod et cum benedictione nobis indidit et in remissionem peccatorum nostrorum commendavit. Quanta deinceps signa clarissima Deus per ipsum sit operatus, quid me refert c. 39. dicere, cum constat perplurimos presentialiter quaedam vidisse. Primo itaque rogavit quoad c. 40. vixit, quatinus in capitulo[d] monasterii sancti Benedicti, quod est in ripa fluminis Eridani, sepulturae commendaretur. Et cum concedentibus episcopis[e] atque comitissa caeterisque omnibus, iam deferretur ad monasterium corpus, affuit subito reverentissimus Sutriensis episcopus Bonizo[f], quem et Spiritus sanctus suscitavit ut clamaret, dignum esse ut in episcopio episcopus sepeliretur. *Tanta*, inquit, *lucerna non decet ut abscondatur. Ipse adhuc vivens tamquam indignum se humiliavit, nos autem ut vere dignum exaltare oportet, hominem quem fuisse scimus sanctissimum.* Acclamatum est idem statim[g] ab universis, rapiturque a monachorum exequiis, in episcopium defertur, ibique venerabiliter sepelitur. Mirabantur[h] c. 41. hoc quasi magnum primo miraculum nescientes quod abinceps satis mirabilius erat futurum. Nam et id quoque primo notavimus, quod multi episcopi et cardinales, magna etiam multitudo militum die obitus eadem in civitate convenerant, qui et ipsius transitum et clara miracula viderunt post obitum. Comitissa quoque Berta, uxore comitis Bernardi, de se ipsa[i] cf. c. 39. narrante, aliud cognovimus miraculum, sancto viro adhuc manente in carne factum. In quadragesimali ieiunio ad sanctum virum Mantuae venerat, cupiens cotidiana eius laetificari

a) h *supra lin. add. cod.* b) *supra lin. add. cod.* c) Heinricianos *alia vita.* d) capituli *cod.* e) episcopus *cod.* f) B. P. *cod.* g) *supra lin. add. cod.* h) mirabamur *alia vita.* i) Bernardi de suspina de se ipsa *cod.*

cf. c. 39 benedictione ac toto quadragesimae tempore ipsius sancti pontificis missarum sollempniis interesse, quae Dei famulus devotissime et lacrimarum inundatione celebrabat cotidie. Fatigabatur autem in capite quadam egritudine, quam requisiti quam plures medici nullatenus poterant curare. Tanta denique frigiditate continue possidebatur vertex eius capitis, ut videretur sibi semper habere superligatam glaciem. Et quia pannorum velamento nimia non poterat expelli frigiditas, ex more pulvinar aut pelles igni calefactas ad depellendum frigus superponebat. Quod si etiam aestivo tempore contingeret eam in die incaute dormire non cooperto capite, ea die et caput vehementi opprimebatur dolore, et oculi vertentes se pre dolore videbantur de loco suo exilire. Sanctissimus autem pater previdens diem dissolutionis suae advenisse convocari ad se fecit domnam Mathyldem atque ipsius capellanos, ut quasi alter Iacob filiis quos educaverat benedicens, confirmaret in eis testamentum fidei et doctrinam sancti papae Gregorii, quam predicare non destitit. Concurrentibus omnibus undique, properavit et ipsa Berta ad tanti patris benedictionem accipiendam. Devote itaque postulante ea sanctum pontificem se benedicere, et ut ipsius pedes se deosculari permitteret, vir sanctus dans sibi benedictionem, super caput ipsius manum imposuit, ubi fuerat egritudo frigoris. Sicque ad ipsius manus impositionem et frigus recessit et salubris calor deinde vertici eius semper insedit, in tantum ut plerumque velamen pre calore a capite deponeret. Gaudens itaque cunctis annuntiat, misericordia Domini et sancti Anselmi gratia preterita infirmitate se optime liberatam.

c. 42. Igitur anno dominicae incarnations 1086, episcopatus vero sui anno 8, post transitum autem beatissimi papae Gregorii septimi mense nono, diebus 23[a], obdormivit in Domino venerabilis dominus et pater noster Anselmus Lucensis episcopus 15. Kal. Aprilis, in civitate Mantua, ubi ab inimicis veritatis et excommunicatis de sede propria expulsus, pro fidei et sanctae matris aecclesiae defensione exulabat. Haec de vita et quibusdam miraculis sancti patris nostri Anselmi, quae vel ipsi oculis nostris probavimus, vel fidelium qui et ipsi quoque oculis ea viderunt attestatione comperimus, plena fide conscripsimus, multa pretermittentes, quae iam facta novimus, et paene fieri cotidie videmus.

a) XXX tribus *codex*.

HERBORDI
DIALOGUS DE VITA OTTONIS
EPISCOPI BABENBERGENSIS.

EDIDIT RUD. KÖPKE P. P. E.

Quum ante duo fere lustra vitarum Ottonis Pomeranorum apostoli edendarum munus in me susciperem, in hoc potissimum iusta mea querela versabatur inter tot tantaque praesidia deesse primum idque firmissimum cui inniti liceret fundamentum, codicem qui Herbordi libri prae caeteris magni faciendi textum non mutilatum aut interpolatum, sed integrum et genuinum exhiberet. In constituenda igitur editione una mihi relicta erat via, quam felici conatu ingressus erat in ingeniosa commentatione Klempinus V. Cl., ut tentarem quid mutilatorum codicum ope a critico meo ingenio, qualecumque sit, impetrare possem[1]. *Hanc tamen bonam spem in re tam dubia amplexus sum, fore ut ex latebris monasterii nescio cuius adhuc inexplorati emergeret aliquando codex ille unice necessarius. Iam factum est quod optari magis quam sperari licebat. Delitescebat enim codex in monasterio quodam Babenbergensis dioecesis, quod sancti Michaelis Neuenkirchen auf dem Brandt in Franconia superiori situm*[2], *anno* 1314 *conditum, nostris litteris huc usque paene nullum fructum praebuerat. Praeterito demum anno fortuna fautrice in lucem protractus est liber, et Halmio V. Ill. Monacensis bibliothecae praefecto oblatus, tandem, ut in eum inquireret, traditus est Wilhelmo Giesebrecht, viro de historia Germaniae meritissimo, qui quam gravis felicisque argumenti sit cognovit, detectumque Herbordum publici iuris fecit. Quum vero nihil antiquius haberemus quam ut nostra editio ad huius codicis normam exigeretur, Pertzio rogante vir mihi amicissimus in usum Monumentorum summa humanitate eum nobis transmittere non dubitavit. Anceps sane erat quaestio, quid hic valuisset ars critica, num vera invenisset an pro veris somnia sua vendidisset, sed feliciorem quam sperari poterat eventum experti sumus; nam neque Klempinus neque ego a via quae tenenda erat haud ita longe aberravimus. At inter Monumenta historica talem locum merito sibi vindicant rerum scriptores, ut libri genuina qua eas mente conceperint forma posteris tradantur; cui officio ne desimus, verum, ut erat, Herbordum iam in virorum doctorum conspectum producimus.*

Cod. Lat. Monac. 23582 *mbr. saec. XIV. fol. inscriptus:* Iste liber est ecclesie S. Mychaelis canonicorum regularium in Newenkirchen, *continet folia* 201 *in vetusto tegumento ligneo, in cuius tergo recentiori manu legitur* 1404.

1) M. G. Script. XII, 721 sqq. Baltische Studien IX, 1 sqq. 2) Landgericht Graefenberg; vid. Bavaria III, 1, 681.

Exaratus est manu firma, litteris maioribus, distinctis, si vis elegantibus, in singulis paginis lineae 33 *atramento sunt praescriptae, initiales minio confectae. Scribendi compendiis non supra illius saeculi modum usus est librarius, at ubique, ut solent illi,* e *et* ci *loco* ae *et* ti *posuit. Qui codicem conscribi iussit, hoc praecipue egit, ut collectionem haberet et vitarum et aliarum rerum memorabilium, quas de sanctis Babenbergensis ecclesiae patronis ex diversi generis auctoritatibus sibi delibaverat. Primis foliis leguntur orationes ad sanctum Michaelem sanctosque Ottonem, Heinricum et Kunigundam; f.* 4' *sequuntur nonnulla de Heinrico imperatore fundatore Babenbergensi eiusque successoribus duobus; f.* 5' *fragmentum ex Ebbonis vita Ottonis I, prolog.* Anno Domini 1015 *etc.* 1—3 assignavit, *ita inscriptum:* Nota quando et quibus Mons monachorum et alias dictus Mons s. a. Mychahelis inhabitari primo cepit conscripta ab Ebone prespitero et monacho Sancti Michaelis ibidem. *Probant igitur vel haec verba prologum de abbatibus Sancti Michaelis, de cuius auctore dubitari poterat, ab ipso Ebbone esse conscriptum*[3]. *Fol.* 7 *denique:* Incipiunt capitula libri primi de vita et operibus beati Ottonis Babenbergensis episcopi, *Herbordi dialogus integer* 9 *quaternionibus sexque foliis conscriptus, quem f.* 84' *excipiunt miracula quae dedimus SS. XII,* 917, *additis aliis quibusdam fragmentis, de quorum indole agemus infra. F.* 90: Incipit sermo in memoriam beati Ottonis; *f.* 94: Pro commendacione pii Ottonis et de gestis eius, *carmen quod ex codice Stetinensi legitur SS. XII,* 910, *desiderantur versus ultimi, nam exscissus est quaternio* 13. *totus. Desunt itaque capita* 1—14 *decimique quinti maxima pars Vitae Heinrici II. imperatoris ab Adalberto conscriptae, quae exstat f.* 95, *sequente Vita sanctae Kunegundis miraculisque amborum, quae omnia vid. SS. IV,* 798. 814. 821. *Vitae denique sanctorum Monicae, Augustini, Annae nullius sunt momenti.*

Hunc unicum sui generis codicem signavi numero 1, *quocum comparatos reliquos omnes comprehendi uno nomine codicum mutilatorum. Quo vero magis in aperto sit quae debeamus illi supplementa, et quo modo iam inversus sit capitum ordo, sequentem ob oculos pono conspectum textus genuini, editionis prioris et codicum mutilatorum i. e. duarum recensionum, quas Andreas abbas Sancti Michaelis confecit a.* 1487 *et* 1499, *et codicem Anonymi Canisii; illas* A 1. 2, *hunc* B *signavi. Codicis* 1 *supplementa in prima columna primis ultimisque verbis indicavi.*

TEXTUS GENUINUS Cod. 1.	TEXTUS EDIT. PRIORIS.	CODICES MUTILATI A. 1.	A. 2.	B.
Capitula lib. I.				
Dialogus loco prooemii.				
I, 1—13	I, 13—25	I totus legitur exc. c. 40.		I, 1 — *vel liberalitatem.*
14	26. 27		I, 12—18	7—17 — *tibi sufficiant.*
				18 *mundus iste suscepit.*
			19 — *palatii*	19 — *palatii.*
15—21	28—34		20. 21	20 *promovere.*
22 *quid illi gratiarum — rem*	35			21 33
23—34	36—47		23 -34	34 — *cura fuit.*
35	48		35	35 — *coaptavit.*
36 40	49—53		36—39	36—38
41	III, 33			40—42
42 *hic meae — amen*	34. 35			

3) Vid. edit. prior. p. 822 n. 1. Lectiones variae in his capitibus vix exstant, nisi quis ita vocare velit lacunas trium pluriumve verborum vel linearum quae haud raro deprehenduntur. Est textus negligenter scriptus.

TEXTUS GENUINUS Cod. 1.	TEXTUS EDIT. PRIORIS.	CODICES MUTILATI		
		A. 1.	A. 2.	B.
Capitula lib. II. Prooemium.				
II, 1—42	II, 1—40	II. totus deest	II. totus legitur	II. leg. except. c. 35 singulisque dialogis.
Capitula lib. III.				
III, 1	III, 1	III. totus deest exc. part. 41		III, 1—21
2 *Tiemo — incedam*	2			
3. 4	3. 4		III, 4	
5 *Tiemo - Babenberc*	5			
6	6		6	
7	7			
8—14	8—14		8—14	
15—17	15—17			
18—21	18—21		18—21	
22 *Tiemo — coepisti*	22		22	22 — *trucidassent.*
23—28	23—28		23—28	23—28
29	29. 30		29	29
30	31		30	30
31 *Et ecce — edicam*	32		31 — *astringentes*	31
32 *ut — perduxissent*	I, 1			32
33—40	2—9			33—40
41 *Ecce — obedienciarium*	10—12 41	*Otto — valete Paschal.— largiente*	*Otto val. Paschal.— larg.*	41.

Quibus inter se comparatis, iam vides in libro II. toto mutatum esse plane nihil, in hoc vero maxime inter se differre duas editiones, quod prioris capita I, 1—12 *in III,* 32—41, *et III,* 33—35 *in I,* 41. 42 *migrarint. Ipse vero cod.* 1 *ab omnibus mendis minime liber est, ita ut pluribus locis mutilatorum subsidio carere nequeat; occurrunt etiam lacunae trium pluriumve verborum sensui necessariorum. Ex* 1 *autem illorum codicum descriptum esse nullum, his argumentis apparet: Haud paucae in* 1 *suppleri vel emendari possunt corruptelae ope* A 1. 2; *illud I,* 36. 38. 41. 42; *II,* 3. 6. 18. 24. 26. 35. 36 40. 42; *III,* 6. 13. 19. 22; *hoc I,* 2. 19. 27. 39. 42; *II,* 2. 18. 23. 24. 30. 31. 37; *III,* 8. 17. 26. *Nonnullis locis* 1 *etiam ex* B *corrigi potest: I,* 27. 36. 41. 42; *II,* 3. 6. 8. 9. 25. 36. 38; *III,* 13. *Contra vero consentit* 1 *cum* A *in capitum inscriptionibus, quae desunt in* B, *et in lacunis et in mendis II,* 9. 14. 18. 25. 29; *III,* 6. 8. 26; *rarius consonat cum* B *in lectionibus notae melioris I,* 27. 42; *II,* 14. 25. *Itaque* 1 *et* A 1. 2. *ex uno codice deperdito,* B *ex alio promanasse videntur, qui ambo ex tertio antiquiore descripti erant.*

Si quaeris quid fructus ex his supplementis percipi possit, de ipso Ottone, fatendum est, nihil novi habemus; eo maioris aestimanda sunt ob Herbordum, cuius non modo ingenium in conscribendo libro, sed vita etiam nova quasi luce donatur. Quanta arte dialogum composuerit, quam fuerit sibi conscius tali consilio longe se recedere ab illorum temporum consuetudine, in prooemio libri primi probavit his verbis: Fietque ut de industria ordo artificialis, dum ea quae primo facta sunt, postremo dicuntur. *Dramaticorum poetarum more legentium animos vult commovere, ut exspectatione intenti res gestas prosequantur, et ita factum est ut, inverso narrandi ordine, a fine ad origines, a morte et operibus Ottonis ad iuventutem vitae spatium quasi remetiatur. Haud male igitur monachus Sancti Michaelis in Miraculorum prologo de Herbordo tulit sententiam* dramatico carmine vel etiam prosa decurrente *eum libellum composuisse*[4]. *Nam in scenam*

4) SS. XII, 917.

Exaratus est manu firma, litteris maioribus, distinctis, si vis elegantibus, in singulis paginis lineae 33 *atramento sunt praescriptae, initiales minio confectae. Scribendi compendiis non supra illius saeculi modum usus est librarius, at ubique, ut solent illi,* e *et* ci *loco* ae *et* ti *posuit. Qui codicem conscribi iussit, hoc praecipue egit, ut collectionem haberet et vitarum et aliarum rerum memorabilium, quas de sanctis Babenbergensis ecclesiae patronis ex diversi generis auctoritatibus sibi delibaverat. Primis foliis leguntur orationes ad sanctum Michaelem sanctosque Ottonem, Heinricum et Kunigundam; f.* 4' *sequuntur nonnulla de Heinrico imperatore fundatore Babenbergensi eiusque successoribus duobus; f.* 5' *fragmentum ex Ebbonis vita Ottonis I, prolog.* Anno Domini 1015 *etc.* 1—3 assignavit, *ita inscriptum:* Nota quando et quibus Mons monachorum et alias dictus Mons s. a. Mychahelis inhabitari primo cepit conscripta ab Ebone prespitero et monacho Sancti Michaelis ibidem. *Probant igitur vel haec verba prologum de abbatibus Sancti Michaelis, de cuius auctore dubitari poterat, ab ipso Ebbone esse conscriptum*[3]. *Fol.* 7 *denique:* Incipiunt capitula libri primi de vita et operibus beati Ottonis Babenbergensis episcopi, *Herbordi dialogus integer* 9 *quaternionibus sexque foliis conscriptus, quem f.* 84' *excipiunt miracula quae dedimus SS. XII,* 917, *additis aliis quibusdam fragmentis, de quorum indole agemus infra. F.* 90*:* Incipit sermo in memoriam beati Ottonis; *f.* 94*:* Pro commendacione pii Ottonis et de gestis eius, *carmen quod ex codice Stetinensi legitur SS. XII,* 910, *desiderantur versus ultimi, nam exscissus est quaternio* 13. *totus. Desunt itaque capita* 1—14 *decimique quinti maxima pars Vitae Heinrici II. imperatoris ab Adalberto conscriptae, quae exstat f.* 95, *sequente Vita sanctae Kunegundis miraculisque amborum, quae omnia vid. SS. IV,* 798. 814. 821. *Vitae denique sanctorum Monicae, Augustini, Annae nullius sunt momenti.*

Hunc unicum sui generis codicem signavi numero 1, *quocum comparatos reliquos omnes comprehendi uno nomine codicum mutilatorum. Quo vero magis in aperto sit quae debeamus illi supplementa, et quo modo iam inversus sit capitum ordo, sequentem ob oculos pono conspectum textus genuini, editionis prioris et codicum mutilatorum i. e. duarum recensionum, quas Andreas abbas Sancti Michaelis confecit a.* 1487 *et* 1499, *et codicem Anonymi Canisii; illas* A 1. 2, *hunc* B *signavi. Codicis* 1 *supplementa in prima columna primis ultimisque verbis indicavi.*

TEXTUS GENUINUS	TEXTUS EDIT.	CODICES MUTILATI		
Cod. 1.	PRIORIS.	A. 1.	A. 2.	B.
Capitula lib. I.				
Dialogus loco prooemii.				
I, 1-13	I, 13—25	I totus legitur exc. c. 40.		I, 1 — *vel liberalitatem.*
14	26. 27		I, 12—18	7—17 — *tibi sufficiant.*
				18 *mundus iste* — *suscepit.*
			19 — *palatii*	19 — *palatii.*
15—21	28—34		20. 21	20 *promovere.*
22 *quid illi gratiarum — rem*	35			21-33
23—34	36-47		23-34	34 — *cura fuit.*
35	48		35	35 — *coaptavit.*
36—40	49—53		36—39	36—38
41	III, 33			40 42
42 *hic meae — amen*	34. 35			

3) Vid. edit. prior. p. 822 n. 1. Lectiones variae in his capitibus vix exstant, nisi quis ita vocare velit lacunas trium pluriumve verborum vel linearum quae haud raro deprehenduntur. Est textus negligenter scriptus.

TEXTUS GENUINUS Cod. 1.	TEXTUS EDIT. PRIORIS.	CODICES MUTILATI A. 1.	A. 2.	B.
Capitula lib. II. Prooemium.				
II, 1—42	II, 1—40	II. totus deest	II. totus legitur	II. leg. except. c. 35 singulisque dialogis.
Capitula lib. III.				
III, 1	III, 1	III. totus deest exc. part. 41		III, 1—21
2 *Tiemo — incedam*	2			
3. 4	3. 4		III, 4	
5 *Tiemo - Babenberc*	5			
6	6		6	
7	7			
8—14	8—14		8—14	
15—17	15—17			
18—21	18—21		18—21	
22 *Tiemo — coepisti*	22		22	22 — *trucidassent.*
23—28	23—28		23—28	23—28
29	29. 30		29	29
30	31		30	30
31 *Et ecce — edicam*	32		31 - *astringentes*	31
32 *ut — perduxissent*	I, 1			32
33—40	2—9			33—40
41 *Ecce — obedienciarium*	10—12 41	*Otto — valete Paschal.— largiente*	*Otto val. Paschal.— larg.*	41.

Quibus inter se comparatis, iam vides in libro II. toto mutatum esse plane nihil, in hoc vero maxime inter se differre duas editiones, quod prioris capita I, 1—12 *in III*, 32—41, *et III*, 33—35 *in I*, 41. 42 *migrarint. Ipse vero cod.* 1 *ab omnibus mendis minime liber est, ita ut pluribus locis mutilatorum subsidio carere nequeat; occurrunt etiam lacunae trium pluriumve verborum sensui necessariorum. Ex* 1 *autem illorum codicum descriptum esse nullum, his argumentis apparet: Haud paucae in* 1 *suppleri vel emendari possunt corruptelae ope* A 1. 2; *illud I*, 36. 38. 41. 42; *II*, 3. 6. 18. 24. 26. 35. 36 40. 42; *III*, 6. 13. 19. 22; *hoc I*, 2. 19. 27. 39. 42; *II*, 2. 18. 23. 24. 30. 31. 37; *III*, 8. 17. 26. *Nonnullis locis* 1 *etiam ex* B *corrigi potest: I*, 27. 36. 41. 42; *II*, 3. 6. 8. 9. 25. 36. 38; *III*, 13. *Contra vero consentit* 1 *cum* A *in capitum inscriptionibus, quae desunt in* B, *et in lacunis et in mendis II*, 9. 14. 18. 25. 29; *III*, 6. 8. 26; *rarius consonat cum* B *in lectionibus notae melioris I*, 27. 42; *II*, 14. 25. *Itaque* 1 *et* A 1. 2. *ex uno codice deperdito*, B *ex alio promanasse videntur, qui ambo ex tertio antiquiore descripti erant.*

Si quaeris quid fructus ex his supplementis percipi possit, de ipso Ottone, fatendum est, nihil novi habemus; eo maioris aestimanda sunt ob Herbordum, cuius non modo ingenium in conscribendo libro, sed vita etiam nova quasi luce donatur. Quanta arte dialogum composuerit, quam fuerit sibi conscius tali consilio longe se recedere ab illorum temporum consuetudine, in prooemio libri primi probavit his verbis: Fietque ut de industria ordo artificialis, dum ea quae primo facta sunt, postremo dicuntur. *Dramaticorum poetarum more legentium animos vult commovere, ut exspectatione intenti res gestas prosequantur, et ita factum est ut, inverso narrandi ordine, a fine ad origines, a morte et operibus Ottonis ad iuventutem vitae spatium quasi remetiatur. Haud male igitur monachus Sancti Michaelis in Miraculorum prologo de Herbordo tulit sententiam* dramatico carmine vel etiam prosa decurrente *eum libellum composuisse*[4]. *Nam in scenam*

4) SS. XII, 917.

quasi produxit Tiemonem et Sefridum collocutores suos, qui ipsi erant rerum auctores, viros gravissimos, Ottoni amicitiae et verecundiae vinculis coniunctissimos. Talem artem menti angustae reliquorum scriptorum et librariorum fuisse obscuriorem, quam quae ab iis comprehendi servarique posset, nemo mirabitur. Hanc ob causam iam saeculo decimo tertio Anonymus Canisii dialogum in narrationem transfudit, hinc querelae Andreae abbatis de libri sublimitate, quam vix aliquis infirmorum percipere possit, de obscuritate eius, ut difficile pateat quo oratio tendat, qui ideo sententia apertiori, ut ipse dicit, eum reserare conatus est[5]*: quod prospere sane non cessit. Nam nunc tandem Andreas ipse in nativa sua, ut ita dicam, nuditate apparet, et quam addictus fuerit describendi servituti. Non modo quae profert de Tiemone et Sefrido testimonia descripta sunt, sed etiam quas ei dederam capitum inscriptiones, immo quae in praefationibus de se ipso dicit mutatis verbis paucissimis ex Herbordi libro desumpsit*[6].

De sua enim vita Herbordus gravissimum testimonium dedit in prologo libri primi his verbis: Nam ego advena sum apud vos et peregrinus, ante annos tantum bisenos et unum Dei et vestra misericordia in consortium vestrae fraternitatis adoptatus. — Ipsum autem *(scilicet Ottonem)* in carne non vidi, eo quod ante hoc tredecennium introitus mei ad vos sex ille annos iam habebat in tumulo. *Quibus iisdem verbis tempus etiam quo librum composuit, accuratius videtur circumscripsisse. Peregrinus, id est in alia quadam dioecesi episcopali educatus, Babenbergam venit* 1145, *proximo anno ante Egilberti episcopi, sex annos post Ottonis mortem, quem suis oculis non vidit. Tunc inter fratres Sancti Michaelis receptus, tredecim annis post librum conscripsit anno, ut dicat unusquisque,* 1158. *Nam dubitari nequit quin dialogum eodem tempore revera composuerit, quo eum a se suisque amicis habitum esse dicit*[7]. *At mirum est, ne vel sic quidem omnes scrupuli adempti sunt. III,* 5 *enim Udalrici presbyteri Sancti Egidii, Ottonis fidissimi adiutoris, qui Ebboni in vita scribenda summus erat auctor, mentio fit tali modo:* Cuius *(Udalrici)* memoria semper in benedictione sit, ut postea saepe iocari solebat —. *Quae verba, si quid video, de mortuo tantum viro proferri poterant, minime de vivo; at non* 1158, *sed, si fides habenda Necrologio Sancti Michaelis, d.* 23. *Martii anni* 1159 *obiit Udalricus*[8]. *Quod quin in dubium vocem, quum a librariis fere coaevis confectum sit, ab animo vix impetrare possum; itaque coniiciam tredecennium illud ab Herbordo ita numeratum esse, ut expletis tredecim annis decimo quarto, id est* 1159, *librum ad finem perduxerit. Scholasticum se esse auctor ipse non dicit, at ubique doctissimum talique munere dignissimum se praebet; ideo non reiiciendum testimonium monachi Sancti Michaelis, qui eum in prologo Miraculorum ita appellavit, seque ipsum haud parem alumnum talis praeceptoris professus est ante annum* 1201[9]. *Eodem munere functus est ante illum Tuto, cuius nomen in publicis tabulis ultimo obvenit* 1144[10], *et qui supremum diem obiit* 5. *Aprilis anni, si audis Iaeckium,* 1145[11]. *Est idem ille annus quo Herbordus advena*

5) Praef. 1487. 1499. SS. XII, 904. 905. 6) XII, 906. 7) In priori editione p. 738 ann. 6 librum circa annos 1150—1152. scriptum esse conieci, ob quaestionem II, 41 propositam, num in Pomerania esse possint coenobia, et primum Stolpense monasterium a. 1153. conditum. Herbordum videtur latuisse, quum statueret in terra tam feraci posse habitari coenobia, illud revera iam habitatum esse. 8) Vid. Siebenter Bericht des historischen Vereins zu Bamberg 1844. p. 67, Schweitzer, Auszug der vorzüglichsten Calendarien des Fürstenth. Bamberg. p. 140: 10. *Kal. April. Udalricus pbr. et m. c. n. sacerd. S. Egidii* 1159. *Hic preter alia pietatis sue monumenta nobis contulit calices* 2, *casulam aurifrig., thurib. argenteum, fistulam auream, antiphonarium et librum musicum et marcas* 12. 9) Praef. edit. prior. p. 745. 10) Ussermann episcopat. Bamberg. Cod. probat. n. 100. p. 95. 11) Cal. eccles. cathedr. in Siebent. Bericht p. 148: *Non. Apr. Mgr. Tuto diac. fr. nr. ob.* De anno cf. Iaeck Beschreibung der Bibliothek zu Bamberg II. p. V.

in fraternitatem Sancti Michaelis primum receptus est. Dein in duobus praeceptis anni 1152, *ultimis diebus Conradi regis conscriptis, inter testes exstat* Heberhardus *vel* Eberhardus magister scholarum, scholasticus[12]. *Haud scio* 12 *aliusne sit an idem qui Herbordus; hoc nomen enim, Herbardus hinc inde scriptum*[13], *in illo Heberhardo, etsi non idem est, latere posse coniiciat aliquis. Sed hoc in medio relinquo, neque repetere in animo est quod de eo in priore editione disserui*[14]. *Obiit, ut legitur in Calendario Sancti Michaelis* 5. Kal. Oct. Herbordus pbr. n. c. 1168[15].

Sed etiam de eius auctoribus Tiemone, Sefrido et Ebbone, nonnulla quae in priori editione proposui, paulo accuratius retractanda sunt.

Herbordo igitur, non Andrea teste, Tiemo Ottonis erat alumnus rerumque eius domesticarum particeps[16]. *Qui in Babenbergensibus diplomatis annis* 1122—1142 *nominatus*[17], *munere per quadraginta annos functus, die* 18. *Octobris* 1168 *mortuus est*[18]. *Sefridus, cui de iuventute, vita curiali et apostolatu Ottonis debentur omnia, in contubernium et amicitiam eius venit anno* 1124, *quod Herbordus in prologo his disertis exprimit verbis:* Sed quid te illius operum morumve lateret, qui annos ferme quindecim numquam ab eius contubernio abstitisti? Etenim quae hoc spatio gessit, tu ut cooperator omnium oculis presentibus aspiciebas; *et paulo post ipse Sefridus appellatur* homo curialis et in curia enutritus. *Initium cepit amicitia a primo itinere Pomeranico, ut narrat Ebbo*[19]; *illum, ingenio acutum, strenuum ac fidelem ab Udalrico presbytero Sancti Egidii, tunc aegrotante, sui ipsius loco itineris socium commendatum esse, quem Otto* intimae dilectionis visceribus ex tunc et deinceps fovere non desiit. *Ideo* bonae indolis adolescens *et clericus antea vix in episcopi notitiam venerat, et sine dubio alius est ille Sefridus capellanus, testis in Babenbergensibus tabulis annorum* 1119 *et* 1121[20]; *an noster sit Sefridus* 20 *canonicus annorum* 1132 *et* 1137 *non probari at facile coniici potest*[21]. *Obiit post Herbordum die* 6. *Maii* 1169[22].

Ebbo, alter vitae Ottonis scriptor, quum in eadem ecclesia vitam degerit annoque 1163 *die* 16. *Maii excesserit*[23], *quin communis vitae societate cum Herbordo coniunctus fuerit, dubitari nequit. In priori editione persuadere posse mihi videbar illum in suo libro conscribendo huius vestigiis inhaesisse*[24], *sed post inventum codicem, quaestione iterum iterumque examinata, illorum amplector sententiam, qui Herbordum Ebbonis librum ante oculos habuisse statuerunt. Scripsit enim Ebbo, quod iam tunc probare conatus sum*[25], *ante Udalrici presbyteri Sancti Egidii, auctoris sui, mortem* 1159, *post eam sed eodem anno Herbordus. Saepissime conveniunt ambo in libris I et III, in quibus Ebbo primarium illum habet testem, in secundo itinere Ottonis socium; at vix uno alterove loco libri II, in quo Sefridum suum, in primo itinere comitem Herbordus secutus est. In illis igitur iunioris narrationem auctoritate senioris Udalrici munire*

12) Unum Eberhardi II. episcopi 1152. (falso 1153.) *ind.* 15. 16. *Kal. Mart. fer.* 5. *tenente monarchiam Rom. imp. rege Conrado sed graviter aegrotante;* alterum ipsius Conradi a. 1152. sine die, Ussermann ep. Bamberg. Cod. prob. n. 115. 116. p. 107. 108.
13) Ita in Calend. S. Michael. Bericht p. 139.
14) p. 737.
15) p. 260.
16) I, prooem.
17) Ita ex Andreae diplomatario probavi in praefat. edit. pr. p. 738. Apud Ussermann Cod. prob. n. 74. p. 72 in tabula Ottonis a. 1122. occurrit inter testes *Thammo praepositus,* de quo dubitari potest, an sit Thiemo praepositus S. Stephani qui obiit 17. Sept., Cal. eccl. cath. p. 254, in alia n. 84. p. 78 a. 1127. *Thiemo.*
18) Calend. S. Mich. p. 273: 15. *Kal. Nov. Tiemo prior n. c.*
19) II, 3.
20) Ussermann Cod. prob. n. 71. 72. p. 69.
21) Ibid. n. 89. 90. p. 83. 84.
22) Calend. S. Mich. p. 170: 2. *Non. Mai. Sefridus pbr. et m. n. c.* 1169.
23) Ibid. p. 177: 17. *Kal. Iun. Ebo pbr. n. c.* 1163.
24) SS. XII, 742 ann. 53.
25) Ibid. p. 741 ann. 37; et nunc nullum reperi locum quo mortuum Udalricum indicare videtur, ni dicas talem esse II, 1, quo de hoc scribit: *cuius — fidei ita me necesse fuit credere.*

voluit. In omnibus locis, in quibus locutiones similes apud utrumque deprehenduntur, in hominum nominibus, in numeris aliisque singulis rebus accuratior quam Herbordus est Ebbo, ita ut ille ex huius, non vero hic ex illius libro 26 *hausisse censendus sit*[26]*. Neque obstat Ebbo I,* 17, *ubi paucis illis quae habet de monasteriis ab Ottone fundatis finem imponit his verbis:* Quae hic omittenda censentur, quia alias accuratius descripta inveniuntur[27]*; quem locum ex longioribus capitibus Herbordi I,* 12—17 *desumptum esse putari possit. At ni fallor eidem fonti sua debent ambo; nam praeter carmen de Ottone*[28] *chartularium, in quo monasteriorum tabulae continebantur, illius generis quod habebat Andreas abbas*[29]*, in suum usum verterunt.*

Sed haud rarius Ebbone accuratior est Herbordus; ita de iuventute Ottonis, de monasteriis ab eo conditis, aliisque singulis rebus domesticis, in itinere primo, hinc inde quoque in secundo[30]*, in morte denique et exsequiis describendis. Et haec est causa, cur post illum librum alium eiusdem argumenti componendum in se sumpserit. Etsi episcopum numquam viderat, ardebat tamen veneratione summi viri, neque aliter sibi satisfaciebat, quam ut ipse etiam monumentum, si fieri posset et plenius et iustius, litteris commendaret, quo apostoli memoriam posteritati consecraret. Itaque vel nunc tuenda est sententia, scribendi palmam ei ab Ebbone praereptam non esse. Est enim vir haud mediocris ingenii, cordatus, acutus in rebus perspiciendis, et quod illis temporibus obvenit rarissime, animo liberiore prae multis excellens, superstitionis tenebris minus obfuscatus, etiam in ecclesiasticis rebus diiudicandis veram rerum scriptoris indolem probat. Sine angusto ordinis sui studio perstringit et monachorum avaritiam, novarum rerum cupiditatem, luxuriam*[31]*, et episcoporum superbiam*[32]*, falsamque miraculorum curiositatem et bonorum operum admirationem censurae suae subiecit*[33]*; ipsum Ottonem modestiore laude ornat, et non uno loco facta eius lenius in dubium vocare audet*[34]*. Habet etiam, quod apud illos vix umquam reperitur, benignam quandam venam hilaritatis, iocorumque luminibus dialogum frequentare a se non alienum putavit*[35]*.*

Iam restat, ut memorias Ottonis, quas eidem codici debemus, paucis absolvam.

F. 84′ Incipit prologus in miracula eiusdem *(Ottonis) et f.* 90 *textum sequuntur verba:* Explicit de miraculis et virtutibus beati Ottonis Babenbergensis episcopi patroni nostri et Pomeranice gentis apostoli. *Et revera sunt hae pagellae conscriptae et de miraculis et de virtutibus Ottonis, quatuor partibus iisque longe diversis compositae. Primo loco habemus Miracula (omisso capite ultimo), quae collegit Herbordi ille discipulus monachus Sancti Michaelis*[36]*; f.* 88 *sequitur fragmentum de Ottone verbi divini oratore incipiens his verbis:* Sed ut ad id redeam, unde sum rerum necessariarum annotatione digressus *etc.; tertio Prieflingensis vitae I,* 21—26 *usque ad* decrevit, *de monasteriis ab Ottone conditis capita; denique f.* 89′ *brevis laus virtutum viri sancti, optime meriti de populo christiano et ethnico:* Iam vero compassionem pie mentis *etc. Quae omnia inter se diversissima unius auctoris esse librum, nullus facile sibi per-*

26) Cf. hos Ebbonis locos I, 4. 7. 8. 9; III, 2. 7. 15. 20. 22. cum Herbordianis I, 36. 39; III, 15. 5. 17. 24. 29. aliisque quos in textus margine apposui. 27) III, 1 Ebbo verbis *de primo* (itinere) *alias scriptum est* ad suum librum secundum respicit. 28) SS. XII, 910. 29) Excerpta ex catalogo abbatum S. Michaelis SS. XII, 908 cf. cum Herbordo I, 17. 30) Cf. III, 2. 3. 4. 6 cum Ebbone III, 4. 8. 31) I, 1. 19. 20; II, 41. 32) I, 34. 33) I, 18; II, pr. 35. 34) I. pr. sub fin. 18. 26; III, 22. 35) II, 7. 25; III, 5. 36) Variae lectiones et paucae sunt et nullius momenti, si forte excipias unam c. 3 *Clocnisa* pro *Docniza.*

suadebit, quum nullo alio quam Ottonis nomine societatis vinculo inter se coniungantur. A librario sunt consarcinata. Fragmenta enim, quae tribus locis posterioribus leguntur, cum Miraculorum libello non cohaerere, vel inde patet, quod illis ineptus rubricator saepius inscriptionem intrusit: Item miraculum, *quod corrector, qui ea ex Miraculis minime descripta esse intelligebat, iure delevit; neque leguntur in* A 1. 2; *Andreas igitur in suo codice ea non habebat. Quorsum denique spectant verba illa* Sed ut ad id redeam *etc.? Minime ad Miraculorum librum, cuius auctor hoc unum sibi proposuit, ut signa post mortem Ottonis facta litteris mandaret. Unde deflexit oratio? Minime a virtutibus, sed nunc deflectit a miraculis. Penitus igitur desiderantur illa, ad quae post rerum necessariarum annotationem rediturus est auctor. Neque Prieflingensis vitae fragmentum cum Ottonis laudibus cohaeret, aut praecedentibus aut sequentibus. Sunt haec capita partim ex Herbordo partim ex Ebbone descripta*[37], *sed in* 1 37 *textus est paulo locupletior quam in nostra editione. Facile igitur coniicias hic deprehendi fragmentum genuini textus vitae Prieflingensis, in tribus vero legendariis, quibus innititur editio, exhiberi textum hinc inde recisum*[38].

Duo denique reliqua fragmenta secundo quartoque loco, ni fallor, ex uno eodemque sermone delibata sunt, quem haud ita diu post Ottonis mortem in memoriam eius habuit nescio quis, qui imaginem eius vividissimis coloribus depinxit. Habitus est ante canonisationem a. 1189, *est enim Otto* pius, felix, beatus, *sanctus non appellatur; est Otto* noster, *Babenbergensis igitur erat auctor. Quae profert, ut dicit* exteriora, *de eius* voce praedicationis, de sonoritate, de sermone sapientiae sale condito, non prolixo, *quo auditorum corda contriverit, ab eo demum dici poterant, qui virum viderat, et talis ingenii vis quid valeret, expertus erat ipse. Eodem fere modo in quarta parte descriptae sunt virtutes Ottonis, et verba quae redolent alium locum vitae Prieflingensis de captivis ab episcopo liberatis*[39], *non ex hac sed a monacho ex memoria petita esse credam. Est igitur haec haud contemnendum artis oratoriae specimen, quod longe praeferam Imbriconis Wirzeburgensis episcopi laudationi funebri, quae apud Herbordum legitur*[40]. *Non eiusdem momenti, sed non absona est secunda memoria, cuius partem dedi maiorem; f.* 90 Incipit sermo in memoriam beati Ottonis, *qui ut ipsis verbis probatur* anniversario depositionis die, *aeque ante canonisationem habitus videtur. Quas orationes reiiciendas ideo non censui, ut omnia quibus magni Pomeranorum apostoli vita illustretur, colligantur.*

Codicum mutilatorum lectiones varias graviores illas servavi, quibus appareat, quae ratio inter eos et 1 *intercedat; in singulis vocibus scribendis non huius saec. XIV. modum, sed ut in priori editione codices* B *saec. XIII.*

37) Ut probavi SS. XII, 744. 887.

38) Lectiones varias cod. 1 hic subiicere liceat:
p. 887 lin. 41 post *suscepit* addit *privilegium Calixti pape.*
" " " 42 *episcopus* deest.
" " " 45 post *Michelvelt* addit *S. Marie virginis in Lancheim.*
" " " 48 pro *defendenda* leg. *defensandam.*
" " " 54 pro *fatigationibus* leg. *vexationibus.*
" " " 55 pro *utilitati* leg. *usibus.*
" 888 " 4 post *suis* add. *pius Otto.*
" " " 6 post *suscepit* add. *privilegium Innocencii pape;* sed privilegii loco haec scripsit librarius: *Require in primo libro cap.* 20 (i. e. Herbordi) *de confirmacione ordinis in monasteriis.*
p. 888 lin. 23 *Neque — quod* desunt.
" " " 26 *fontem* deest.
" " " 27 pro *quae* leg: *quas.*
" " " 30 pro *constituit* leg. *statuit.*
" " " 31 *nam et* desunt. Loco verborum *dignus — coluit* leg. *plenus Otto fidelissimo semper amore dilexit.*
" " " 32 post *sublimavit*: *hunc coluit huius profectum semper amavit in ipso se sepeliri decrevit.* Haec sunt ultima verba fragmenti.

39) III, 2.

40) I, 42.

secutus sum. Longiores quas tunc dedi annotationes recidi paene omnes, repetivi brevissimas tantum quae ad declaranda vel nomina vel tempora spectant, novas adieci paucissimas. De reliquis, si cui forte operae pretium videatur, recurrat ad priorem, quam scripsi praefationem.

Scr. Berolini mense Martio 1866. *R. KOEPKE.*

fol. 7. INCIPIUNT[a] CAPITULA LIBRI PRIMI DE VITA ET OPERIBUS BEATI OTTONIS BABENBERGENSIS EPISCOPI.

fol. 8. EXPLICIUNT CAPITULA PRIMI LIBRI.

a) *index deest codd. mut.; in A singulis capitibus praecedunt inscriptiones.* b) epyschopi 1. c) quam *(sic)* — datur *est inscriptio novi capitis* A. d) Babenbergensi *add.* A. e) *deest* item *in sequentibus inscript.* A. f) De conf. ord. in monasteriis A; *reliqua desunt.* g) s. Otto *add.* A. h) cop. 1. i) iussit A. k) sancti *add.* A. l) Herbipolensi A 2.

DIALOGUS[a] LOCO PROHEMII IN VITAM BEATI OTTONIS EPISCOPI.

Ecce prae manibus est dies anniversarius depositionis domini tui et nostri[1], *felicis memo-* Iun. 30. *riae Ottonis episcopi Babenbergensis. Quid expectas? Redde promissum. In hac enim die, quam gratam nobis atque iocundam facit ipsius recordatio, velim, narrare incipiens omnia quae ab illo gnaviter ac sancte gesta sunt, prout scire potuisti, exponas moresque viri ac vitae instituta. Sed quid te illius operum morumve lateret, qui annos ferme* 15 *numquam ab eius contubernio abstitisti? Etenim quae hoc spatio gessit, tu ut cooperator omnium oculis presentibus aspiciebas; quae vero ante adoptionem tui presulatu in ipso, vel etiam ante presulatum gesserit, tam ipsius quam aliorum haut dubio relatu conperta retines universa.*

Fateor, inquit Sefridus, *nec me latet quicquam omnium quae de illo sunt, gratumque habeo quod postulas. Sed ecce, qui supervenit Tiemo*[b], *prior optimus, id fortasse pro me munus inibit dicetque tibi quod petis; nam eque ut ego ipse novit omnia. Iste quippe est quem aiunt ipsius mimulum fuisse quinquennem, habuitque dominus meus super eum oculos bonos, eo quod illustri esset parentela et ab ipsis cunabulis ad monasterium translatus, et quod esset puer gratiosae pulchritudinis, iocundus valde atque mirabilis factis et dictis, factis omnes lectificans. Ecce, ad nos sedere declinat.*

Prior itaque dum assurgentes sibi manu repressisset ubi assedit: *Quid*, inquit, *est, quod tam intente confertis? Poterone audire? Iterum, ut opinor, sermo vobis est de Ottone nostro?*

Tum ego: *Recte*, inquam, *hodie de illo sermocinamur qui omni domui nostrae, immo civi-* fol. 8'. *tati universae communis est materia letitiae. Anniversarius enim iste instar habet natalis et magni festi alicuius imaginem. Tanta quippe hodie apud nos frequentia populi fuit, tam festiva de domo cathedrali aliorumque clericorum collectio, abbatum quoque et aliorum religiosorum hospitum et secularium personarum venerabilem beati viri tumbam pie visitantium conventio, ut festo patroni nostri sancti Michahelis aut dedicationi ecclesiae huius diei gratiam pene audeam adequare. Nec sane minima gaudii portio pauperum fuit multitudo, qui de perceptis consolationibus per turmas suas in conspectu ecclesiae ibant et tripudiabant exultantes, et bona illi sanctissimae animae imprecantes et nobis quoque, a quorum manibus eas percipere meruissent. Huiusne oblivisci poterimus qui suas elemosinas nostras fecit, dum eas manibus nostris erogandas instituit? Num eius oblivisci poterimus qui oculis nostris tot egregia et preclara sui monimenta quo advixerimus contuenda ingessit? Omnes enim has magnas edificationes, tam monasterii quam omnium officinarum eius intus exteriusque, a fundamentis usque ad arces tectorum, opera eius esse dicitis; ac sepe, dum mentio fit horum, stupor et ammiratio inter loquentes oritur, quoniam videlicet episcopus, tam multis et variis negociis occupatus, tantam circa nostrum locum promovendum sollicitudinem tantamve potuisset habere diligentiam. Miramini etiam expensas et impensas pene supra modum liberales et largas, cum sub centenario sepe ac millenario numero marcarum ac talentorum pecuniam profunderet Domino in sumptus edificiorum ac prediorum coemptionem. Nam vobis ita ferentibus audivi, quod hanc rem nostram, quam eius educatione vehementer in brevi adultam videmus et cum magnis iam caput equantem*[c] *monasteriis, exilem quodammodo vos meministis et paupertinam, et quae modo* 100 *monachis, si rectores habeat industrios, sufficiens est et ampla satis, olim fratribus* 24 *tenuis fuit et angusta. Itane est ut assero? Certe; si quid erro, ad eos culpam depositum eo a quibus ea didici auctoribus. Nam ego advena sum apud vos et peregrinus, ante annos tantum bisenos et unum Dei et vestra misericordia in consortium vestrae fraternitatis adoptatus, consocius*[d] *et conparticeps effectus consolationum et bonorum omnium per eum vobis collatorum. Ipsum autem in carne non vidi, eo quod ante hoc tredecennium introitus mei ad vos* 6 *ille an-* 1145. *nos iam habebat in tumulo.*

Tiemo: *Minime*, inquit, *ambigas, quin ita sese habeant omnia, quae te a nobis accepisse fateris; verum ea parva sunt ac pene nulla conparatione illorum quae adhuc de illo auditurus es, si tamen audire libuerit. Quanti putas emit eum in quo requiescit locellum? Nichil ei certe de mille talentorum precio arbitror imminutum. Atqui gratis hunc habere poterat, si voluisset; sed occasionem beneficentiae et communicationis exquirere solitus, apud nos quos in*

a) prooemium *deest codd. mut.* b) Timo 1 *hoc et aliis locis, saepius vero* Tiemo. c) equante 1. d) *ita Andreas in sua praef.* A 2; conscius 1.

1) Sunt verba Herbordi Sefridum alloquentis. Caeterum vid. I, 41 et praefationem.

Christo diligebat gratuitam sepulturam habere nolebat[a], *ut et sibi et nobis uno eodemque prodesset commercio. Sic muros vel officinas nostras, sic fontis venam et plumbeis fistulis ab ortu suo deductam, qua labio plumbeo cernis emergentem, sicut constare poterant censu apprecjavit eternae retributionis avidissimus negociator, ut omnia coram Deo sibi asscriberentur. Quantam putas pecuniarum summam in* 18 *monasteriis, partim in melius reparandis partim etiam rudi fundatione construendis, insumpsit? Quid in coemendis prediis et possessionibus ad sustentationem inibi Deo militantium expendit? Nullum quidem suae dioceseos monasterium* fol. 9. *vel canonicam suae beneficientiae reliquit exsortem, sed melioratis atque amplificatis omnibus quas pridem habuerat, congregationes* 15 *episcopatui quas non habuerat apposuit et cellas* 5.

Tum ego: *Semen*, inquam, *cecidit in terram bonam, et ideo fructificavit multum. Sed perge quaeso; quoniam igni meo aspersisti oleum, virtutum atque benefactorum eius ammirationi meae seriem totam expone. Sic enim auguratus est Sefridus iste, videlicet te veniente ad nos se exsarcinatum fore, tamquam tu pro eo laborem huius narrationis subiturus sis.*

Tum ille: *Non*, ait, *haec dies michi libera est, quoniam caritas hospitum me occupatum reddit, neque his dicendis dies integra sufficiet. Sed si vis, partito in equum onere, ille quid in peregrinis et barbaris nationibus egerit episcopus, quia horum conscius est magis, et quomodo apud principem in curia deguerit, vel qua oportunitate in curiam venerit et inde ad pontificatus dignitatem, homo curialis et in curia enutritus aptius explanabit; ego autem homo simplex, velut Iacob habitans in tabernaculis cum Rebecca matre mea, quae domi agere solitus erat, et de fundationibus vel renovationibus cellarum et cenobiorum cenobita edicam, ut potero.*

Tum ego: *Optime*, inquam, *partitus es. Sed tuam partem hodie, si potes, explicato, ut crastina dies illius sermoni accommodetur; fietque ut de industria ordo artificialis, dum ea quae primo facta sunt, postremo dicuntur.*

Tiemo: *Sequar quocumque vocabis. Sed cavendum, quia multum diligere scimur eum de quo loquimur, ne ob eius dilectionem rem non vere auxisse videamur. Itemque summopere cavendum, ne laude mortuorum vivis derogemus. Multi enim ad iniuriam viventium magnis et inportunis laudibus benefacta efferunt mortuorum; sed hos ego non laudatores veros sed figurativos*[42] *criminatores arguerim.*

EXPLICIT PROHEMIUM. INCIPIT NARRATIO.

1. Otto quidem beatae semper memoriae multis[b] virtutibus enituit, sed una in eo tanta claritate resplenduit, ut in morem solis caetera sidera prementis[c], sua luce alias quodammodo minus redderet fulgentes. Dico autem beneficientiam vel liberalitatem, quam[d] etiam bonitatem, largitatem, benignitatem et munificentiam appellari invenio. Pluribus enim vocabulis unam rem nominari non est rarum. Quam si velim, sicut in eo fuit singularis, singulari efferre praeconio, possunt qui hoc audiunt aestimare, nos monachos[e], qui tamen avari notamur, callide adulari divitibus, et idcirco liberalitatem divitis, quae licet multa fuerit in multos, maxima tamen fuit in monachos, praedicare. De nobis enim dicunt: *Licentiam habent accipiendi, non tribuendi;* semper enim peccatis nostris facientibus ad accipiendum quam ad tribuendum paratiores invenimur. Sed hanc callidae adulationis notam ut ab isto eradam[f] sermone, quid de ipsa benignitate sentiendum aestimem, tam divitibus quam non divitibus, id est tam habentibus opes quam non habentibus, aperio.

Cic. de offic. II, 15. 2. Duplex est enim ratio benignitatis, secundum duplicem indigentiae rationem; aut enim opera proximi proximus indiget aut pecunia. Et ideo aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia. Operam[g] vero prudentiam accipe, vel consilium et industriam, vel quicquid ad interioris hominis spectat eruditionem; pecunia exteriores opes complectitur. Itaque beneficientia aut opera constat aut pecunia. Posterior haec facilior est, praesertim locupleti, sed illa lautior ac splendidior et viro gravi claroque dignior. Nam licet in utroque genere benefaciendi insit liberalis voluntas, altera tamen ex archa, altera ex virtute proficiscitur. Sed quae ex re familiari fit largitio, fontem ipsum benignitatis exhaurit, et ita quodammodo de benignitate benignitas tollitur, quia quo illa in plures usus fueris, eo minus in multos uti poteris. At qui opera, id est virtute et industria, liberales sunt, primum quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores habebunt. Deinde usu etiam et consuetudine crescit industria, quoque magis se-

a) volebat 1. b) *verba* multis virtutibus — vel liberalitatem *desiderantur in* A 2. c) pronitentis B 3*. d) *ab hoc verbo sequentia usque c. 7 in codice mutilato uno leguntur* A 1. e) monachi 1. f) evadam *cod. mut.* g) opera 1.

42) i. e. dissimulantes, irridentes.

cundum illam operando exercemur, eo magis habundamus, ut operari valeamus, et paratiores atque exercitatiores erimus ad bene de Deo et hominibus promerendum. Sed qui tantum largitione hominum benivolentiam consectandam putant, sicque se caros et claros fore autumant, saepe in contrarium labuntur, ita ut saepe his primo sordescant, quos ad sibi favendum[a] pecunia corrumpunt.

3. Temeraria enim largitas et ipsum qui largitur viliorem, et eum qui accipit deteriorem facit. Usu enim facile accipiendi etiam ad impudentiam petendi depravantur aliqui, vel ad ea quae data sunt contempnendi; quam ob rem id quidem dubium non est, quin illa benignitas, quae constet ex opera et industria, et honestior sit multo[b] et latius pateat, atque sine detrimento sui et auctoris valeat prodesse pluribus. Nonnunquam tamen largiendum est; neque hoc benignitatis genus omnino repudiandum. Sed praecipue in mendicis et pauperibus atque domesticis fidei in nomine Domini sacrificandum[c], et saepe de saeculo etiam idoneis et honestis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum est. Neque ibi benefacta locantur male, quia inde nonnunquam gratior fructus proveniet. Sed omnia diligenter atque moderate fiant; multi enim inconsulte largiendo patrimonia effuderunt. Ergo ita largiendum, ut semper id posse inveniaris. Quid autem stultius atque[d] dementius quam id, cum honeste quid agimus, non procurare, ut id agere diu possimus? Atqui etiam consequuntur largitionem rapinae. Cum enim inconsulte dando egere coeperint, alienis bonis manus inferre coguntur, et ita, cum benivolentiae comparandae causa benefici vocari appetunt, malefactores fiunt, nec tantam benivolentiam assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta incurrunt odia eorum, quibus ademerunt.

4. Quam ob rem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut passim pateat omnibus. Modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debet omnis qui liberalitati studet, ut de summo, non de fundo tribuat, et ita de toto fundat, ne totum effundat.

5. Duo autem sunt genera largorum, quorum alii prodigi, alii liberales sunt. Prodigi sunt, qui epulis et c. 16.
viscerationibus et ioculatorum muneribus et superfluo cultu vestium aliisque vanitatibus pecunias profundunt; in quibus profecto memoriam post se aut nullam aut brevissimam sunt relicturi.

6. Liberales autem sunt, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus rediment, aut obligatos aere alieno miserati absolvunt, aut amicos et propinquos adiuvant in rebus quaerendis vel augendis, et qui recipiunt iustum in nomine iusti, ut mercedem iusti accipiant. In hoc genere largorum non temere Ottonem constituo, qui talium sumptuum facultatem fructum putavit divitiarum.

7. Tanta vero[e] in dando usus est discretione, ut nunquam prodigus, semper autem liberalis inveniretur. Inmanes autem iacturas et sumptus infinitos parvipendebat, si aut suae aut etiam alienae subveniendum erat necessitati, aut si dignitatis[f] conservandae aut etiam augendae ratio postularet. Equidem homo gravis omnia facta sua certo iudicio ponderabat. Unde si aliquando res maior aut utilior magna largitione acquirebatur, nequaquam manum contraxit. Causa igitur largitionis semper ei fuit aut utilitas aut necessitas, aut honestas aut divinae remunerationis intuitus. Huic autem super omnia intentus, omnium indigentium vel qualibet calamitate oppressorum commune fuit asilum[g]. Hiis tamen beneficientiae modis plus afficiebatur, quorum memoriam posteris relinqueret.

8. Post Dei autem honorem, quem in cunctis factis suis glorificare iocundum habebat, etiam ecclesiae cui praeerat gloriam et decorem cumulare satagebat. Unde factum est, quod in ipso introitu suo — cum eatenus quandam specialis honorificentiae praerogativam Babenbergensis ecclesia, usum videlicet crucis et pallii quater tantum in anno haberet — ille, quando[h] ex more pro accipienda episcopali benedictione Romanae matri venerandum caput offerebat, non quidem ex ambitione, quod illa vehementer execrari solet, sed ex gratuita ipsius matris benignitate, quae dignos filios honorare gaudet, eundem honore duplicato usum pallii et crucis quatuor aliis vicibus, eo quod idoneus et honore dignissimus videretur, ad omnes successores suos transmittendum, a beatae memoriae papa Paschali percepit, in sacrosancto die pentecostes ab ipso in episcopum sancti Spiritus cooperante virtute consecratus. 1111. Apr. 15. Ex eo igitur tempore, operante in se gratia eiusdem Spiritus sancti, tam in saecularibus quam in spiritualibus causis et negociis consilio viguit et prudentia, ita ut conf. Ebbo I, 12 et dignitatem sibi augeret et gratiam apud omnes quidem, sed apud illos specialius, quibus non magis praeesse quam prodesse incipiebat.

9. Itaque multa ei cura fuit iura et instituta nosse maiorum, et quicquid honoris vel emolumenti alicui ordini vel professioni vel etiam dignitati debite vel gratuito exhibere

a) faciendum 1. b) nullo *codd. mut.* c) sanctificandum 1. d) et *codd. mut.* e) enim *codd. mut. excepto* A 1. f) dignitati 1. B. g) consilium B. h) quoniam A.

potuit, nunquam sponte praetermisit. Actionum sinodalium et legum provincialium vel eciam feodalium processus et excessus summe cognitos habebat, atque ad depromendum quod sentiebat gravi et grata et ornata dicendi facultate[a] comptus erat.

10. Unde licet non philosophicae neque tam profundae in litteratura esset eruditionis, tamen in populari sermone, ad erudiendos in divinis et ecclesiasticis rebus homines, nichil eius eloquentia praestabilius, quod admiratione audientium et aedificatione compunctorum et peccata sua deplangentium saepe constat probatum. Huic enim ab omnibus sui temporis pontificibus in docendo populum naturali sermone principatus minime negabatur, quia disertus et naturali pollens eloquio, usu et frequentia in dicendo facilis erat, quid loco, quid tempori, quid personis competeret, observans.

Sallust. Catil. 3. 11. Sed quia pluris est benefacere quam benedicere, licet utrobique valuerit et utrumque rectoribus ecclesiarum conveniat, tamen plerumque contingit in altero aliquem esse propensiorem. Unde ad benefaciendum maluit esse proclivior, et in eam partem bonitatis quae ex fonte rei familiaris emanat in proximos, quia copia sinebat, studium inflexit; multaque in praesentes erogans, etiam posterorum et absentium vel nondum natorum oblitus non est. Hinc est quod illis rebus, quae posteris etiam manere possent, maiores sumptus impendit, ut sunt muri, pontes, aquarum ductus, et quicquid ad multorum in longum posset durare commoditatem.

Cf. carmen de Ottone. 12. Et[b] primitiae quidem operum eius duorum fuit structura coenobiorum in episcopio
1108. Herbipolensi, quorum alterum[c] Uraugia[43] dicitur sub patrocinio beati Laurentii, alterum[d]
1128 | Ura in honore beati Petri apostoli[44]. His autem honesta et eleganti fabrica compositis, sicut
1139. omnibus coenobiis suis faciebat, praedia emere, silvas et agros et prata comparare, vel aliis
iustis modis acquirere satagebat. Ipsa vero nominare et enumerare universa, ne longus
aut fastidiosus fiam, omitto. Deinde in Babenbergensi episcopio tertia et quarta aedificatio
1119. duorum coenobiorum fuit, quorum unum Michelnfelt[e] dictum in honore sancti Ioannis euan-
Mai. 6. 1132. gelistae, alterum Lancheim[f] in honore beatissimae virginis Mariae de ordine Cisterciensi.
Nam illa tria de ordine fecit Cluniacensi, sed Michelnfelt et Uraugia in patrimoniali fundo
ecclesiae, Lancheim vero et Ura[g] in adventicio locata sunt.

1121. 13. Porro in Ratisponensi episcopatu 6 monasteria construxit; 5 de ordine Cluniacen-
Mai. 12. sium[h], quorum unum Entistorf dictum in honore sancti Iacobi apostoli; secundum est
Pruveningen[i, 45] sub patrocinio beati Georgii martiris; utraque autem in adventicio fundo
sita[k] sunt. Tertium est coenobium cognomento Monasterium[l, 46], quod cum adiacente par-
rochia eiusdem nominis auri et argenti precio ab Heinrico[47] duce Bawariae[m] et a Diepaldo[n]
marchione[48] comparavit, et regali privilegio imperatoris Lotharii in proprietatem sanctae[o]
1133. Babenbergensis ecclesiae collatum suscepit. Quartum est Biburc, quintum Madelharte-
1109. storf[p, 49]; sed Biburc sub[q] patrocinio beatae Mariae perpetuae virginis[r], illud autem in ho-
nore sancti Iohannis euangelistae, utrumque autem fundi adventicii. Sextum est Winde-
bergen[s], de ordine clericorum regularium quos vocant Norpertinos, in honore sanctae Dei
genitricis Mariae, et ipsum de fundo adventicio.

1127. 14. In episcopatu Halberstatensi undecima ei est congregatio Regenstorf[t, 50] de or-
Conf. Ebbo III, 3. dine Cluniacensi, sub patrocinio beati Ioannis baptistae. Abbaciam enim Wicenburc[u], quae
nunc mutato loco et nomine Regenstorf appellatur, cum omnibus ad illam pertinentibus,
a munificentia domini Heinrici imperatoris iunioris[v] acceptis privilegiis regiae auctoritatis,
sanctae[o] Babenbergensi ecclesiae adiecit. Bona quoque eiusdem coenobii duplicavit. Nam
cum prius non nisi 62[w] mansos habuerit, eundem numerum totidem appositis[x] ipse ampliare
1132. curavit. In[y] episcopatu Eichstetensi quae Halesprunne[51] dicitur, et[z] duodecima illi est con-

a) promptus et *addit* B 1. b) *in* A 1. 2. B 1. 2. 3 *omnia* — *c.* 17 dicta tibi sufficiant *unum caput.* Verba Thimonis A 2. *ad marginem in rasura.* c) primum B 1. d) vero *add.* A 2. 3. e) Michělvelt B 2. f) Lancheim A 2. 3; Lanchem B 2. g) Urah B; Urach B 2. h) Cluniacensi B 2. i) Brůveningen B 2. k) locata B. *exc.* B*. l) Munster B. m) Baioarie B 2. n) Dygpaldo A 1; Dipaldo B 2. o) *deest codd. mut.* p) Malhartsdorf B 2. q) *deest* 1. A 1. 2; in A 3. r) Dei genitricis B. s) Windberg B. t) Regiosdorf B 2. u) Vicenburg A 2. 3. v) ab Heinrico imperatore B. w) sexaginta B. x) additis B. y) *in codd. mut. novum incipit caput.* z) *deest codd. mut.*

43) Aurach. De hoc reliquisque monasteriis vid. not. XII, 758 sqq. et Excerpta ex Andreae cat. abbat. S. Michael. ibid. pag. 908. 44) Herrenaurach. 45) Priefling. De consecrationis die vid. Notae Pruvening. SS. XVII, 610. 46) Mönchmünster. 47) Superbo. 48) Vobburgensi. 49) Mallerstorf. 50) Reinersdorf. 51) Heilsbronn.

gregatio de ordine Cisterciensi, sub patrocinio beatae Dei genitricis Mariae. Ipsum autem
fundum ingenti pecunia comparatum magnis sumptibus promovit in abbaciam[a].

15. In episcopatu Pataviensi ei tertia decima congregatio est quae dicitur Alrispach[b, 52]. 1139.
Et quarta decima Clunica[c, 53] sub patrocinio beati Andreae apostoli iuxta fluvium Anisum[d]. 1121.
Hanc autem a Liupoldo[54] marchione[e] datam suscepit, in cuius promotionem 20 mansos et
50 marcas impendit.

16. Et in patriarchatu Aquileiensi quintum decimum coenobium in castro Arnolde-
stein[55], destructa munitione, constituit[f]. 40 vero et 5 annis hoc castrum cum 95 mansis ad se 1107.
pertinentibus ab ecclesia Babenbergensi abalienatum fuerat[g]; quod[h] ipse multo labore et im-
pensa recuperavit, et appositis[i] ei[k] 60 mansis, abbatiam esse fecit. Has quindecim congre-
gationes opera illius et benignitas numquam infecunda[l] propagavit.

17. Quinque insuper cellulas quasi totidem grana seminis seminare curavit, sciens,
quod *neque qui seminat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* 1 Cor. 3, 7
Ex eisdem igitur granis quidam iam surculi pullulant, poteruntque Deo incrementum
praestante in arbores consurgere. Sunt autem hae: Una quae dicitur Aspach in honore
sancti Matthaei apostoli et euangelistae. Ipsum autem fundum et praedium eius multo
tempore Babenbergensis ecclesia perdiderat, sed ipse[n] sollerti cura requisitum cellam
fecit monachorum, iamque in abbatiam convaluit, copiosa praediorum donatione ab ipso
primum, deinde ab aliis fidelibus ditata. Secunda est in loco Babenbergensi in domate sancti 1124.
Michahelis sita[56], sub patrocinio sanctae Fidis virginis et martiris. Primo hanc sanctimo- Conf. Ebbo II, 3.
nialium esse voluit, sed altiori consilio 7 monachis eam instituit, et cum omnibus pertinen-
tiis suis sancto Michaheli consignavit. Tertia est Rotha sub patrocinio sancti Georgii mar- 1137. Mai. 25.
tiris in episcopio Herbipolensi. Quarta est Vezzera in eodem episcopio, in honore sanctae
Dei genitricis Mariae, de ordine Norpertinorum. Sed alterius fecunditas alteri fecit sterili-
tatem; Rotha enim in sua permanens tenuitate[o] proficienti Vezzerae tamquam meliori ad
serviendum subdita est. Hoc tamen sciendum, quod episcopus Rotham ab Agnete palatina
et eius sorore Adelheida cum 60 mansis ecclesiae Babenbergensi donatam suscepit, circum-
iacentia vero eidem cellae bona emit 265[p] marcis cum ministerialibus scilicet et agris,
silvis et pratis, pascuis ac molendinis, et cum omni utilitate ac iure, quo Chuno dux[57] idem Cf. Excerpt. ex Andreae cat. p. 908.
praedium noscitur habuisse. Vezzeram autem Gothboldus[q] comes[58] aedificare inchoaverat, 1135.
quam episcopus ab eo sibi datam suscipiens, suis eam promovit impensis. Quinta ei cella
fuit in episcopio Herbipolensi Nithardeshusen[r] in pago Tullefelt. Atque si quod verum est
fateri liceat, sextam illi Tuckelnhusen[s, 59] in eodem[t] episcopio annumerare debemus. Huius
enim structores dum eius promotioni minus sufficerent, scientes episcopum talium rerum
studiosissimum, ut eius opitulatione locus promoveretur, ipsius hunc titulo ascripserunt,
atque ut eum Babenbergensi ecclesiae omni iure firmarent, coram idoneis testibus promi-
serunt. Hac igitur conditione multa eidem loco impendit. Haec de cellis et monasteriis eius
dicta tibi sufficiant.

Tum *ego:* Distincte, inquam, atque succincte satis ea digessisti, et ego si bene nume-
ravi, 21 cellarum et monasteriorum summa perfecit[60]. Uni episcopo satis fuit, immo vero
tribus aut quatuor.

18. Sed[u] quare, obsecro, tantam pecuniam in talia proiecit? Certum est enim, quod
non sine magnis sumptibus ista constiterint. Sed sicut ea reprehendere non audeo, ita vel
laudare, nisi alicuius prudentissimi hominis de hiis sententiam audirem, non praesumo.
Mundus enim, inquiunt, *coenobiis et monasteriis plenus est.* Quid igitur necesse est tanta
fieri monasteria?

a) ipse autem fundus a venerabili Ottone multa p. comparatus m. s. i. ab. promotus est B. b) Aldenspach dicta B c) Clunic B 1; Cluin B 3*. d) Anisam A; Anesum B 1. e) per manum cuiusdam Rudegeri *add.* A 3. f) construxit *codd. mut.* g) fuit A. h) quos *codd. mut.* i) additis B. k) eis *codd. mut.* l) fecunda semper B. n) illud *add. codd. mut. excepto* B 1. o) sterilitate B. p) 275 *codd. mut.* q) Gotboldus A 1; Goteboldus B. r) Neitharlshausen B 2; Nichardehawsn B 3*. s) Tuckelnhawsen A 2; Tucchelenhusen B. t) edem 1. u) *haec verba nomine non apposito eidem interlocutori tribuit ut ultima cap. 17; in margine eadem manu adscriptum est* Nō; *legitur in codd. mut.* Sefridus.

52) Aldersbach. 53) Glunick, Glinck in Austria superiori. 54) quarto, Austriae marchione. 55) Arnoldstein. 56) in occidentali parte montis S. Michaelis. 57) Zaringiae. 58) de Henneberg. 59) Dinkelhausen. 60) 20 tantum numerat in prooemio.

Timo: Non tu primus[a] ista causatus es; etiam cum eo ipso talis de his non semel a suis familiaribus habita est quaestio. Sed quia hunc valde prudentem fuisse non ambigis, ipsius tibi de hac re dico sententiam, si placet.

Tum *ego:* Non alius, inquam, sicut eius aeque grata michi super ipsius opera nunquam poterit esse sententia.

[Luc. 10, 33.] *Timo:* Parabolam, inquit, illam euangelicam de Samaritano et homine a latronibus caeso et stabulo atque stabulario ad suam causam inflectebat, quando familiariter ab aliquo [2 Cor. 5, 6.] de talibus operibus conveniebatur. *Mundus,* ait, *iste totus exilium est, et quamdiu vivimus in hoc seculo*[b], *peregrinamur a Domino, unde stabulis egemus atque diversoriis.* Stabula vero et diversoria cellas dicebat atque monasteria, et ea non indigenis sed peregrinis seculi esse opportuna. *Qui multa,* inquit, *vel nimia esse vel fieri queruntur diversoria, non se in peregrinatione positos putant sed in patria. Quodsi a latrunculis occupati fuerint, si spoliati, caesi*[c] *atque plagati fuerint, et ita semivivi*[d] *relicti, certe vel inviti experientur, quam melius est iuxta esse stabulum quam procul. Cum enim repentinus supervenerit interitus, et dolor sicut in utero habentis, ita ut evadere non sperent*[e], *quomodo illuc levari poterunt, si procul est? Et si tales multi in locis multis, nonne melius est stabula multa esse quam pauca? Si enim pauca fuerint,* [1 Ioh. 2, 18.] *quomodo multis peregrinis, multis sufficient aegrotis? Praeterea,* inquit, *novissima hora est,* [1 Ioh. 5, 19.] *et*[f] *mundus in maligno positus est; sed propter eos qui ab illo fugere ac salvari cupiunt, quia homines multiplicati sunt super terram, et coenobia multiplicari absurdum non est. Ab initio saeculi, cum pauci essent homines, necessaria erat hominum propagatio, et ideo non continebant se, sed nubebant omnes et nuptum dabant; nunc autem,* inquit, *in fine seculorum*[g], *multiplicatis hominibus super numerum, continentiae tempus est; continere debent homines, quicumque possunt, atque vacare Deo. Continentia vero et alia sanctitatis opera in coenobiis melius quam extra observari potest*[h]. *Haec michi causa,* inquit, *fuit, haec intentio multiplicandi coenobia. Et ut aliquid secundum hominem loquar, dum proficiunt atque succrescunt coenobia studiis et oblationibus fidelium, sicut in plerisque locis videmus — quia tribuente Deo promptua-* [Ps 143, 13.] *ria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum fetosae, habundantes in egressibus suis, boves eorum crassae, ipsorumque providente sollertia non est ruina maceriae, neque transitus inutilis in satis et pratis eorum — possunt nonnunquam honori atque utilitati esse suis episcopis; si vero tenues*[i] *et pauperes, habent successores mei aput quos oportune collocent elemosinas suas, et occasionem*[k] *inveniunt benefaciendi honestam, si meos surculos irrigando suas arbores faciunt, sicut et ego aliorum meas feci aliquas. Et facilius quidem est inchoata promovere, quam ea quae nulla sunt inchoare. Initia enim rerum difficilia sunt. Unde si qui ad inchoandum talia tardi fuerint et timidi, vel meis iniciis meisque fundamentis in nomine Domini superaedificare accingantur.* Tales suorum operum ille rationes reddere non dedigna- [2 Petr. 4, 11.] tus est, hoc fine omnia concludens, ut in omnibus honorificetur Deus et proximus adiuvetur. Nec eum utique spes fefellit; multa enim bona ex eius studiis in ecclesia provenere atque proveniunt cottidie. Quid enim putas in tot cellis et coenobiis Deo servitii et honoris, quid proximo solatii exhibetur et utilitatis? Signa illic et portenta per eum et per eius opera[l] fiunt cottidie, et si non corporaliter, profecto, quod melius est, fiunt[m] spiritualiter. Ibi enim [Matth. 11, 5] caeci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. His enim malis et incommodis circumventi, homines de saeculo peccatores ad meliorem vitam secundum animam in coenobiis convalescunt. Ibi lectiones sacrae, psalmodia et orationes, missae atque divinarum rerum contemplationes, ieiunia et vigiliae, et pugna iugis contra spirituales nequitias, ibi carnis contritiones et cordis, elemosinarum largitiones et multae hospitalitates. Quis neget ex magna parte meritis eius haec omnia posse asscribi, cuius labore et impensa ipsa coenobia[n] contigit fundari? Considerans autem, quod ipsorum coenobiorum suorum structura robustius consisteret, si eam apostolicae auctoritatis petra solidaret, nec facile posse convelli, si vallata esset munimine Petri, sub eius defensione omnia constituens, a sede apostolica huiusmodi scripta suscepit:

[1123. Apr. 3.] 19. *Kalixtus*[61] *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni, Babenbergensi*

a) primo A 2. b) mundo B. c) caesi — inviti *desunt* A 1. d) seminudi B*. e) non possint vel sperent B*; possint *rell.* B. f) et — est *desunt* A 1. g) *deest* A 1. B*. h) possunt A 1. i) sunt *add. codd. mut.* k) occasiones 1. l) operam B*. B 2. m) *deest* A 2. n) ipsa coen. *desunt* A 2.

61) Reg. pont. 5131

episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Bonis fratrum nostrorum studiis non solum favere, sed ad ea ipsorum etiam debemus animos incitare. Tuis ergo, karissime et venerabilis frater Otto, Babenbergensis episcope, supplicationibus inclinati, monasteria, quae ipse propriis sumptibus extruxisti, et Babenbergensi ecclesiae conferens, apostolicae sedis roborari munimine quesivisti, in beati Petri eiusque Romanae ecclesiae protectionem suscipimus contra pravorum hominum nequiciam defendenda[a]*. Statuimus ergo, ut possessiones, praedia et omnia bona, quae et fraternitas tua eisdem monasteriis divini amoris intuitu contulit, quaeque aliorum fidelium iusta oblatione concessa sunt, aut in futurum iuste legaliterve acquiri vel offerri contigerit, firma eis et illibata Domino auctore permaneant. Ordinationes sane abbatum vel monachorum suorum a catholicis episcopis diocesanis accipiant. Rerum vero ipsorum monasteriorum curam et administrationem in tuo tuorumque successorum arbitrio et potestate manere censemus. Nulli itaque hominum facultas sit eadem monasteria perturbare, aut eorum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare*[b]*, sed omnia integra conserventur eorum, pro*[c] *quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens infregerit*[d]*, seu*[e] *contra eam temere venire temptaverit, secundo tercIove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo córpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eisdem monasteriis iusta servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant.*

Scriptum per manum Gervasii scriniarii regionarii et notarii sacri palatii.

Tum *ego*[f]*:* Ecce, inquam, quia de tam multis coenobiis faciendis ipsius qui ea fecit congruas accepi rationes, et eorumdem ab apostolica sede confirmationes, et quia sedes apostolica non confirmat nisi ea, quae sine dubio recta novit et bona, ergo fiducialiter infero, quod ante non praesumpsi, bonum esse et valde bonum, quod tantam pecuniam in talia proiecit; multo enim fenore iam eam totam recepit. Ergo bonum est, non cito, non temere iudicare, sed meliorem sententiam expectare. Sed vellem, sicut in rebus extrinsecis firmitatem et immutabilitatem[g] suis coenobiis per apostolicam auctoritatem providere studuit, ita et in religione ac rebus intrinsecis aliquam eis stabilitatem atque immutabilitatem per eiusdem sedis apostolicae providisset auctoritatem. Non est enim finis, non est modus mutandae religionis et consuetudinis, maxime in ordine Cluniacensi. Pro suo arbitratu quisque abbatum sine consensu et consilio coabbatum suorum, magno saepe fratrum detrimento, adicit at reicit quod vult.

Tiemo: Vetus, inquit, illa de ordine nostro querela est. Sed in promptu est me tibi ostendere, qualiter eius sagacitas huic morbo, quantum in illo fuit, obviare studuerit. Accipe ipse, lege et perlege.

20. *De*[h] *confirmatione ordinis in monasteriis. Innocentius*[62] *episcopus, servus servorum* 1139. Ian. 23.
Dei, venerabili fratri Ottoni, Babenbergensi episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis salutem et apostolicam benedictionem. Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire cognoscitur, animo nos decet libenti concedere et congruum impertiri[i] *suffragium, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Proinde, venerabilis frater Otto episcope, petitionis tuae desideriis ex consueta sedis apostolicae mansuetudine clementer annuimus, in primis siquidem statuentes, ut tenor religionis, qui in ecclesiis tibi commissis est per tuam diligentiam cooperante Domino institutus, firmiter in eis perpetuis temporibus conservetur. Constituimus etiam, ut in eisdem ecclesiis nullus per simoniacam heresim statuatur, sed honestae personae, quibus utique morum et status dignitas suffragatur, inibi ordinentur. Sane in coenobiis, quae vel antiquitus in tua parrochia constructa sunt, vel tu ipse devotionis intuitu constituisti, seu aliis iustis modis ecclesiae tuae unire poteris, vel ab aliquo deinceps fidelium infra tuam diocesin divina inspirante gratia construentur, sacrae religionis ordinem manere decernimus. Nec alicui liceat eiusdem institutionis formam ullatenus permutare, nisi forte ad melioris status praerogativam praestante Domino promovere voluerit; nec id alicuius singu-*

a) defensanda *codd. mut.* b) fatigationibus vexare B. c) *deest* 1. A 1; per B*. d) *deest* 1. B. e) *deest* 1; *addit* A 1. f) Tum ego *usque ad finem capitis ex codd. mut. leguntur in uno* A 1. g) mutabilitatem 1. h) *ita hoc loco* 1. i) impartire A.

62) Reg. pont. 5673.

lari iudicio committatur, sed omnium monasteriorum ad Babenbergensem ecclesiam pertinentium aut sanioris partis consilio ac consensu fieri debere sancimus. Si quis autem huic nostrae constitutioni temere contraire temptaverit, secundo tertiove commonitus[a], *si non factum suum digna satisfactione correxerit, a*[b] *sacratissimo corpore et sanguine Dei ac domini redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Conservantes*[c] *eisdem locis quae iusta sunt, omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostram gratiam consequantur.*

Hiis ita se habentibus, nonne tibi manifeste[d] videtur beatum Ottonem satis, quantum in se fuit, providisse, ut in omnibus coenobiis suis ordo et tenor religionis sacrae, qui per eius diligentiam cooperante Domino institutus est, firmiter perpetuis temporibus conservetur? Nonne satis aperte sancitum est ab auctoritate Romana, ut in eisdem eius coenobiis sanctae institutionis formam nullatenus alicui mortalium liceat permutare, nisi forte ad melioris status praerogativam praestante Domino voluerit promovere? Hic se tueantur novitatum inventores! Dicant, quod dicunt, et quod certe intendunt, scilicet ad melioris status praerogativam religionem nostram se velle promovere. Sed qualiter id, quaeso, si necesse est, fieri oportet? Ita nimirum, ut sacrosanctae Romanae auctoritatis sigillum non violetur. *Neque hoc*, inquit auctoritas, *alicuius singulari iudicio committatur, sed omnium monasteriorum ad Babenbergensem ecclesiam pertinentium, aut sanioris partis consilio ac consensu fieri debere sancimus.* Iuste ergo, quod iustum est, exsequantur! Si quid adiciendum, si quid reiciendum temporum, locorum aut personarum ratio postulaverit, quod utique pro salute et fructu animarum, pro melioratione et statu ecclesiarum et ordinis promotione plerumque fieri oportet, domini et patris nostri in tantum illi beatae animae[e] Ottonis deferant, in tantum etiam beati Petri sigillo deferant, ut illud consilio atque consensu monasteriorum omnium ad Babenbergensem ecclesiam pertinentium vel sanioris partis, prout sancitum est, faciant! Sed mirum, quod nostro ordini contigerit, quod generale capitulum non admittit, cum Augustiniani, Cistertienses et Nortbertini hoc polleant honore; omnia enim faciunt cum[f] consilio, et ideo multa gubernantur sapientia. O utinam Babenbergensis episcopii abbates, memores Ottonis sui, memores[g] apostolicae sanctionis, et exemplo animati de aliis ordinibus abbatum et praepositorum, de suis quoque actionibus incipiant communi tractare consilio et formulam inire capituli! Profecto, si gnaviter se agent, et se suosque
Eccl. 14,22. sapientia gubernare volent, et in his immorari, sicut dicitur: *Beatus vir, qui in sapientia morabitur*, proficiendo proficient, suique profectus[h] multos cito imitatores invenient. Omnia magna a modicis coeperunt, ne forte de paucitate causentur. Et Cistertiense capitulum, quod modo maximum est, a paucis coepit. Sed ea quae restant, his omissis, edicam.

1111? 21.[i] In diebus ipsius semper honorandae memoriae Ottonis kathedralis ecclesiae
1081. April. 3. monasterium, quod sub antecessore suo[63] Deo permittente usque ad solos muros superstites conflagratum erat incendio, multis sumptibus ab eo ad pristini decoris nobilitatem reparatum est. Ipse pavimentum stravit, columpnas ecclesiae, quas ignis afflaverat, opere gipseo et firmavit et ornavit, chorum sancti Georgii exaltavit, picturas quoque non ignobiliores prioribus effecit, et ne ultra similes formidare debeat eventus, totum monasterium et
Ebbo II, 17. turres cupreis tabulis contexit, speras quoque et[k] cruces turrium deauravit, omnia denique aedificia claustri per officinas singulas renovare et in meliorem statum promovere curavit. Quantum vero eidem ecclesiae bonorum et praediorum, praeter ea quae a fundatoris liberalitate[l] pridem habuerat, sua benignitate ipse superaddiderit, latior et lautior multo quam fuit, testis est mensa canonicorum.

1117. Ian. 3. 22. Nostra quoque sancti Michahelis ecclesia[m] quid illi gratiarum actionum debet? Nam illa structura vetus cum in ciborii emisperio rimam haberet intrinsecus, ne forte collapsa monachos percuteret, quasi de occasione gavisus, destructo veteri sancto Michaheli maioris fabricae monasterium novum construxit, ipsamque rem fratrum talentis plus quam 90 redituum per singulos annos cumulavit. Multa quoque ornamenta eidem loco contulit, quia hunc fidelissimo amore, tanquam locum requietionis suae semper amavit, ipsumque venerandi corporis sui gleba dotavit. Multa[n] hic studio brevitatis praetereo, quae huic et aliis

a) admonitus A 1. b) a. s. c. *desunt* 1. c) autem *add.* B 1. d) *deest* 1. A; *addit* B. e) in tantum i. b. a. dom. et pat. n. A 1. f) *deest* 1. g) Ot. s. mem. *desunt* A 1. h) suisque profectibus A 1. i) B 1. 3 *unum est caput usque* privilegium porrexit. k) *deest* 1. l) ipsa *add.* B*. 2. 3*. m) ecclesiam quoque s. M. *ita* B; *desunt verba usque* cumulavit A 1. 2. n) multa — negavit *desunt* A 2.

63) Ruperto.

coenobiis et ecclesiis suis ab ipso collata sunt in palliis, stolis et casulis, in calicibus[a] aureis et argenteis, in crucibus, in capsis, in urceis, in ampullis[b] aureis et argenteis, in thuribulis et acerris, in candelabris et variis ecclesiarum utensilibus, in cortinis, auleis et tapetibus, in libris utriusque testamenti et variis codicibus, quorum omnium tam ingens copia est, ut numerus existimationem videatur excedere, mirumque est ab uno episcopo tot locis tanta potuisse conferri. Sed haec omnia de fonte rei familiaris hauriens, Deo subministrante habundantiam, ipsum non exhausit, quia, sicut fateri consuevit, quanto magis in opera Dei erogabat, tanto magis quod erogaret habebat. Nam licet totus in Deo fuerit, et omnia sua in coelestes thesauros praemittere festinaret, ipse tamen, utpote prudens et potens, Deo quae Dei erant reddidit, et mundo quod suum erat non negavit.

23.[c] Regibus quippe seculi super omnes regni pontifices honorifice ac fideliter domi forisque servivit, principum quoque sibi familiaritates et amicitias intimas conciliavit, ministerialibus et feodatis ecclesiae suae propria iura et honorem intemeratum conservavit, familiam denique et omnia sibi adhaerentia firmissimo pietatis praesidio et maternae affectionis ala confovendo protexit.

24. Stipendia episcopalis mensae nullius unquam necessitatis occasione minoravit, sed quid de patrimoniali fundo ecclesiae matricis propter adiacentiam et oportunitatem coenobiis contulit, empticiis et adventiciis praediis recompensare cum augmento ei curavit, quia de iniusto non posse fieri dicebat elemosinam. Iniustum autem, immo iniuriam maximam esse affirmabat, aliqua largitione aut feodatione sine recompensatione tabulam minuere successorum. Ad hanc ergo excludendam suspicionem, et ne cuiquam succedentium sibi episcoporum fas sit dispositioni eius quicquam superordinare, vel ab ipso bene ordinata rescindere, sedes apostolica eius postulatione super hiis omnibus huiusmodi ei confirmationis privilegium porrexit[d]:

25. *Calixtus*[64] *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni, Babenbergensi* 1124. Apr. 13. *episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Sanctorum patrum praeceptis et canonicis sanctionibus demonstratur, quod praedia et possessiones ecclesiarum, quae vota fidelium, precia peccatorum et pauperum patrimonia non immerito nuncupantur, vendi vel alienari non debeant. Quae enim divinae maiestatis obsequio et coelestium secretorum usui sunt dicata, non decet in alienum ius redigi, vel in alterius servitii formam transmutari. Nempe ut beati Symachi papae verbis loquamur: „Possessiones, quas unusquisque ecclesiae proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis aut distractionibus vel sub quocunque argumento non patimur.“ Ea propter nos tuis iustis postulationibus annuentes, mansos qui episcopalis mensae tuae servitio dediti sunt, in eodem statu, in quo bene a te dispositi cognoscuntur, futuris temporibus permanere praesentis scripti nostri confirmatione sancimus, statuentes, ut nulli successorum tuorum vel alicui hominum liceat eos vendere, sive in laicorum beneficium tradere, aut in usus alios commutare. Sed sicut a te dispositum est, de unoquoque praedictorum mansorum denarius unus annis singulis*[e] *Babenbergensi ecclesiae pro anima imperatoris Heinrici fundatoris eius ad concinnanda*[e*] *luminaria conferatur. Abbatias vero et regulares canonicas, per industriam tuam in religionis ordine stabilitas, et alia a te recte constituta, nulli hominum facultas sit in posterum immutare. Si quis autem contra hanc nostram confirmationem venire temerario ausu praesumpserit, excommunicationis vinculo subiacebit*[f]. *Data Laterani Id. Aprilis, indictione* 2.

26. Rem quoque familiarem episcopii, sicut praediis et possessionibus, ita etiam aedifidiis et castrorum munitionibus adiuvit atque sublimavit. Nam per diversa loca et curtes episcopii 14 basilicas et 4 coenacula elegantis fabricae construxit. Praeterea 1112. 6 castella, quae pridem non habuit, dominio episcopatus adiecit, unum videlicet Albuinestein[65], secundum Liupoldestein[66], tertium Geulenruit[g, 67], quartum Hemphenfelt[h, 68], quin- 62 tum Ebersperc[69], sextum Eskenvelt[70]. Castrum vero Albuinestein, quod etiam dicitur Botenstein, fere in meditullio situm episcopatus, 800 argenti libris nec non 17 auri talentis comparavit, providens in hoc et sibi et posteris non modicum pacis subsidium, quia bonis ecclesiae in circuitu positis defensio est et terror inimicis. Multa quidem commemorare possem, quae illius studio ac labore in rebus temporalibus episcopatui accesserunt, sed

a) ampullis *codd. mut.* b) calicibus *codd. mut.* c) *in* B* *cum antecedente coniunctum.* d) donavit B 1. e) a. s. *desunt* A 1. e*) *ita* 1 *manu correct. in margine; in textu* continuanda. f) subiacebat A 2. g) goulenreut A 1. 2. h) hemfenvelt A 1.

64) Jaffé 5177. 65) Cf. diploma Heinrici V. 27. Apr. 1112. Böhmer 2018. 66) Hilpoltstein. 67) Gailenreuth. 68) Hensefeld. 69) Ebersberg. 70) Eschenfeld.

parcius haec laudanda puto, quia paene omne genus hominum acquirendi studiosum est et sua cumulandi, neque, ut id faciant, egent exemplo, sed ne male id faciant. Hic ergo non in eo quidem magno opere laudandus, quod rem familiarem quaerere et augere solicitus fuit, sed hoc in eo non temere laudatur, quod his rebus instaret[a], a quibus abesset turpitudo et avariciae suspicio, diligentia videlicet et frugali parsimonia, quae sane hinc adverti potest:

27. Tempore quodam in domo episcopali domestice, habens renonem forte nuper emptum, vestiebatur, videns et probans, si apte sederet corpori. Et ecce, Bruno quondam
71 Argentinensis episcopus[71], eloquio et moribus adprime festivus, adveniens: *Bene est*, inquit, *bene est! senior noster bonum habet pellicium!* Erat autem ad oras capitii et manicarum modice vulpinis adumbratum, nam cetera pars cute leporina constabat. Et episcopus: *Sic est*, inquit. *Sed miserum me! caro michi venit; bis binis unciis constat.* Videsne qui tam benignus in alios exstitit, quam parcus in semet ipsum fuit? Non in veste, non in cibis, rebus episcopii unquam indulgentius uti voluit, nec voluptati sed necessitati suae tantum providebat. Quin etiam aiunt illum humilitatis causa ocreas vel subtalares dissolutos[b] plerumque ad sartorem misisse. Murmurantibus autem de hoc aliquibus: *Sinite*, inquit, *fratres, sinite. Res episcopii elemosinae sunt fidelium, vanis usibus eas profligare[c] non debemus.*

28.[d] Haec in vestitu ei frugalitas fuit. At in victu quomodo se restrinxerit, vix ulli credibile videbitur. Nam dixisse hunc pro certo accepimus, nunquam se ad sacietatem panem in episcopatu comedisse. Semper enim sobrius ac paene ieiunus de coena vel prandio surrexit, apposita omnia infirmis, pauperibus ac mendicis impertiens. Quodam ieiunii tempore multa piscium penuria fuit, sed quidam procurator eius lucium parvae quantitatis, emptum duobus solidis, prandenti attulit bene paratum, modeste obsecrans, ut se uberius reficeret vel cibo qui tam magno precio[e] constabat. Cui episcopus: *Quanto?* inquit. Procurator: *Duobus*, ait, *solidis*. Et episcopus: *Absit ut miser Otto solus hodie tot denarios absumat!* levansque discum: *Defer*, ait, *hunc preciosum cibum Christo meo, qui michi[e] me ipso preciosior esse debet; defer, inquam[f], ei, sicubi aegrotus in lecto iacet[g] vel paraliticus. Nam ego robustus hoc me pane reficiam.* Sic ille in opulentia sua deliciis affluebat.

29.[h] Praeterea in consuetudine habuit a manibus sacerdotum in conclavi corporales accipere disciplinas, sane adeo acres, ut cruor aliquando latera eius tingeret. Ipse quoque
Apoc 3, 19 pater coelestis, qui ait: *Ego quos amo arguo et castigo*, suo interdum verbere ad eruditionem eum tangebat.

30. Referam unum de flagellis eius, causamque sive ordinem monstrabo, quidve inde boni provenerit. Dum forte in vico[i] qui dicitur Buchenbach[k, 72] divinarum rerum studiosus cartulam patrociniorum legisset, et in ara[l] ecclesiolae multas et permaximas sanctorum reliquias reconditas agnosceret, ad nobiliora loca eas transferre cogitabat, ubi ampliori honore divinae servitutis a religiosis colerentur. Itaque assumptis clericis, ieiunio et oratione praemissa, pia, ut dictum est, intentione sigillum altaris solvi praecepit, sed haesitantibus cunctis atque trepidantibus, ipse ferramentum corripiens[m]: *Absit*, inquit, *ut tantum decus sub tam vili scemate remaneat.* Cumque bis aut ter sigillum malleo percuteret, sanguis de scistula plumbi cucurrit acsi de corpore animalis. Sed quid? Turbatur episcopus, ferramentum proicit[n], stupent omnes, opus coeptum omittitur, ad orationem tam ipse quam omnes qui aderant se prosternunt, commissi veniam postulantes. Sed Pater omnipotens, sapiens et benignus, qui ad disciplinam filium erudire parabat, gravi statim languore tetigit Ottonem suum, adeo ut vitae terminum putaret. Igitur invalescente morbo cum evadere non speraret, eum quem maxime fidum ac familiarem habuit, abbatem Sancti Michahelis Wolframmum vocavit[73], ut sive ad vitam sive ad mortem res vergeret, fide et obsequio fidelis amici uteretur. Qui dum eius lectulo assisteret, eiusque dolores modis[o] quibus poterat relevare curaret, Otto beatus, monasticae religionis praecipuus[p] amator, habitum monachicum[q] ardentissime flagitabat, a multis annis se dicens in proposito habuisse depositis pontificalibus in paupertate spiritus et contritione cordis Deo servire sub magistri

a) *deest* 1. A 1. 2. B 2 b) dissutos 1. c) consumere A. d) *in* B. *caput cum priori coniunctum.* e) *deest* A 1. f) inquit A 2. g) iaceat *codd. mut.* h) *est in* B. *cum antecedente coniunctum.* i) *deest* A 1. k) Buchebach A 1. 2; Buchelbach B. l) arca B 2. m) arripiens A 2. n) proiecit 1. o) consolationibus B. p) semper *add.* B. q) monachi B.

71) 1123—1131. 72) Büchenbach. 73) Abbas erat 1112—1123; vid. Ebbo I, 20.

obedientia. Verum abbas, vir gnarus ac prudens et magni consilii, obedientiam quidem aegrotantis[a] suscepit, desiderium laudans ac petitionem, porro de habitu distulit ingeniose. Hinc post aliquot dies melioratur aegrotus, voti memor[b] habitum quaerit religionis, disponit de rebus suis, ad monasterium se portari mandat[c]. Abbas igitur laetus de fervore votivi sui, adhibitis sui nominis compluribus honestis viris, de hoc verbo cum eis communicat. At hi quidem perspectis omnibus, inutile factum dicunt, personam talem ecclesiae et pauperibus Christi tam necessariam ad silentium monasterii transire. Itaque cum reverentia episcopum interrogat, si promissam sibi obedientiam implere vellet. Ille vero: *In eius*, inquit, *nomine qui pro nobis Deo Patri usque ad mortem obedivit, tibi obedire paratus sum.* Cui ille: *Et ego*, inquit, *in nomine ipsius tibi iubeo, pater sanctissime, sub onere*[d] *accepti regiminis usque ad diem vocationis tuae permanere, ad honorem et utilitatem ecclesiae, ad consolationem egenorum et pauperum Christi, in sublevationem viduarum et orphanorum facere, sicut facis, ad consummanda coepta tua in operibus bonis, et ut brevius dicam, facere quod facis, operari quod operaris, pro aeterna vita et centuplo. Quis enim monachorum tantae perfectionis est, ut eius merita vel paupertatem tuis divitiis adaequemus?* Igitur post haec tempora episcopatus Babenbergensis totus in elemosinas, totus in hospitalitates pauperum et peregrinorum versus est. Quicquid frumentorum aut victualium, quicquid auri vel argenti usquam vel unquam inveniri potuit, per egentium[e] manus in thesauros coeli transmissum est.

31.[f] Eo tempore orientalis Francia sterilitate annorum magna panis inopia laborabat. 1125. Ipsi namque opulentiores famis etiam extrema necessitate squalebant, inopes et mendici passim per plateas et agros mortui iacebant, ita ut prae multitudine in cimiteriis humari[g] non possent. Sed vir Dei misericordia plenus, memor Tobiae, modo per se modo per alios sepeliendi officium complevit. Ubi autem cadaverum multitudo sepulturam ordinatam fieri non sinebat, ingentes fossas praeparavit, et centenos ac millenos simul quandoque terrae mandabat, precio conducens homines, qui talibus officiis iugiter inservirent. Ipse autem per se omnia lustrabat, vicos, plateas ac domos pupillorum, vespere, mane et meridie, nec non etiam nocturno tempore visitando aegros[h], reficiendo famelicos, omnique ingenio bene operandi vias inquirebat.

32. Accidit ergo die quadam aestu meridiano, quando intus in umbraculis et refrigidariis suis soporantur homines, episcopus, accito cubiculario, more suo ad hospitale pauperum pergebat. Dum autem iret, foetor inhumati corporis non procul a via desub urticis nares eius tetigit. Substitit ergo et cubiculario suo digito locum demonstrans: *Sentio*, ait, *tanquam illic corpus humanum iaceat.* Pergente puero, sequitur episcopus, diligenter quaerunt, ac tandem inter herbas et silvam stantis urticae proiectum ad sepem cadaver inveniunt mulieris lacero vultu et ab avibus comesto. Episcopus[i] conspecta miseria ferit pectus, sortem deflet humanam, flagellum divini confitetur iudicii. Postremo se ipsum culpabilem, se reum addicit, qui ea die qua haec fame perisset, multis panibus habundaret[k]. Dehinc dicta breviter oratione pro anima iacentis, manum mittit ad corpus, cubicularium hortatur levare secum. At ille: *Noli*, ait, *domine, noli sacras manus tuas inquinare. Curram et vocabo alios, ac sepeliemus eam.* Cui episcopus: *Absit*, inquit, *ut sororem meam, filiam Adae, immo filiam ecclesiae, tangere despiciam. Portabo mortuam, quam vivam pavisse debueram. Sed tu, rogo, iuva me, certus, quod a Deo et a me quoque mercedem accipies.* Ille autem, etsi horrore pariter et foetore propelli potuisset, tamen dum luctantem et laborantem ipsique[l] oneri humerum iam aptantem videt, vicit semet ipsum, et clausis naribus aversoque vultu dorsum invisae subiecit sarcinae, et cum episcopo communicato labore, ad cimiterium cadaver fetidum deportant[m], cantante ac flente sacerdote: *Heu michi, Domine! quia peccavi nimis in vita mea, quid faciam miser? Ubi fugiam nisi ad te, Deus meus? Miserere mei, dum veneris in novissimo die!*

33. Videns ergo, quia tempus eum moneret[n], omnes apothecas suas aperuit, panes praeparat, alit egentes, et ecce, quasi ad universales[o] nundinas de tota provincia famelicorum turbae concurrunt, de monasteriis virorum ac feminarum[p] praepositi ac dispensatores, omnesque quos annorum egestas premebat, ad promptuaria episcopi currunt[q],

a) promittens B. b) non immemor A 1. c) iubet B. d) honore *codd. mut.* e) egenorum A 1. f) B 1. 2. 3 *unum caput usque in* saeculum saeculi. g) sepeliri B 2. h) aegrotos *codd. mut.* i) autem *add. codd. mut.* k) habundasset *codd. mut. exc.* B 2. l) ipsumque A 1. B; ipsi quem A 2. m) deportavit A 1. 2. n) movet 1; monet A 2. B. o) ordines *add.* B. p) mulierum B 2. q) currebant B.

sperata subsidia sine mora invenientes. Cumque messis appropinquaret, et maturae iam segetes ubique locorum falcem postularent, multa milia falcium pauperibus, quos toto 1125. Iul. 25. anno aluerat, praeparata distribui fecit, atque refectis omnibus, in festivitate beati Iacobi: *Ecce*, inquit pater optimus, *filioli mei, terra coram vobis est, finita est dierum malitia.* Et accipiens singulas falces, singulos addidit denarios, unicuique denarium et falcem dans[a], instrumentum operis et viaticum; sicque valefecit eis, in[b] bonitate et gaudio eos dimittens[c]. Is modus, id officium ei fuit omnibus annis inopiae ac sterilitatis.

34. Dux Poloniae Bolezlaus omnesque meliores terrae illius summa ei amicitia iuncti erant. Frequenter ei salutatorias[d] litteras mittebant[e], donariis suis eum magnifice[f] visitabant[g], meritis ipsius ac precibus se aput Deum iuvari posse plurimum confidentes[h]. Alii quoque principes ac divites de omnibus terris, audientes famam operum eius, audientes elemosinas et largitates eius circa egentes[i], multa ei, saepenumero ingentia dona[k] mittebant, socios se fieri et conparticipes studiorum eius devote postulantes. Quadam[l] vice tegimentum nocturnale mirabilis precii, de serico, auro et megalina pelle confectum, inter alia dona ei allatum est, ipseque auctor doni specialis amicitiae signum hoc esse nuncians, obnixe rogabat, ut in recordationem sui eius usum dignaretur, neve de profligatione rei causaretur, devote promittit, hoc detrito vel parumper absumpto, aliud se transmissurum. At[m] praesul, accepta veste, plicat eam ac replicat, et diligenter undique perspectam vestiario suo commendat. Dein portitoribus et legatis sub persona mittentis reverenter inclinat, gratiasque agit dicens: *Siquidem munus hoc magnae dilectionis testimonium est, et ego in memoriam datoris in perpetuum illud servare curabo, ita sane ut nec fures michi[n] furentur, nec tinea demoliatur vel aerugo.* Habebat autem cognitos et ex nominibus propriis notatos omnes paraliticos, languidos, cancerosos seu leprosos de civitate sua, modum, tempus et qualitatem languoris eorum per se investigans, congruaque subsidia omnibus providebat et curatores. Vocato ergo vestiario: *Tolle*, ait, *praeclarum illud et carum michi tegimentum, ac pone super illum paraliticum;* nomine unum[o] designans, quem sciebat longis doloribus adtrectatum[p], ulceribus scatentem et vermibus, cuius fetorem vicinia tota perhorrebat. Abiit ille, ac mandatum implevit pontificis[q] et delicatissima veste misserrimum illum cooperuit, mirantibus ac stupentibus omnibus qui hoc videre potuerunt[r].

Sefridus: Huius rei ego testis sum; sed confiteor peccatum meum. Illis diebus sic affectus eram, ut hoc idem factum deliramento compararem. Sed non solus ego de hoc murmurabam, erant complures maiores me ac nobiliores, talia dona de manibus illius accipere consueti, qui spe huius delusi, vix ab iniuria linguas tenuere[s], aientes, non opus esse megalinis tegi pellibus leprosos et paraliticos, quibus utique ovium aut leporum vestimenta sufficere potuissent. Sed nunc scio prudentiam sancti[t] viri duplici hoc ratione fecisse, scilicet ut exemplum misericordiae in pauperes memoria dignum posteris ostenderet, et impraesentiarum curatores aegroti de precio vestis solatia perciperent.

Tiemo: Recte interpretatus es rem. Sed novimus aliquos episcoporum si hanc vestem 73 corpori proprio subtraherent, sanguini[u] [73] fortasse non negarent; qui terrenae sapientiae dediti, tales sumptus fatuitatem vocant, qui cor trahentes in terra, lingua coelum pulsant, qui terrenum habent[v] fundamentum, rem suam humanis praesidiis tutandam putant, moles turrium et inertem massam murorum multis sumptibus coacervantes, spiritualia munimenta flocci pendunt[w]. Verum Ottoni beatissimo non ea mens erat, omnem fiduciam suam in divinitatis ope collocabat. Castra quidem et urbes ad terrenos usus quandoque parabat, sed longe maior ecclesiarum vel monasteriorum ei cura fuit. Quae res etsi probatione non egeat, eo quod manifesta sit, tamen quia in mentem venit, rem parvam dico, unde cordis eius directio altius intelligi possit.

35. Faber quidam peritissimus de arte sua episcopo innotescere cupiens, telorum ac diversi generis sagittarum, ad opus bellicum mirabiliter praeparatarum, sportam plenam apportavit, ut in urbibus et propugnaculis episcopi futuris necessitatibus servari debuissent.

a) *ita* B 1; *deest* A 1. 2. B 2. 3. b) et *codd. mut.* c) dimisit *codd. mut.* d) ei litteras *desunt* A 1; frequentes ei salutationes et litteras B*. B 1. 3*; frequentes eum salutantes B 2. e) mittentes B 2. f) magnificis eum B 1. g) honorantes B. h) confidebant *codd. mut.* i) egenos B 2. k) munera B 2. l) vero *addit* B 1. m) *exscissum est folium in* A 1. *et desiderantur omnia usque* 1, 38: En inquit filiam; *leguntur apud Jaschium.* n) nec michi vel ulli B. o) illum *codd. mut* p) affectum A 1; attrectum A 2; adtractatum B. q) *deest codd. mut.* r) viderant B. s) retinuere dicentes B. t) tanti *codd. mut.* u) iniuriam inferri *add.* B. v) habentes *codd. mut. exc.* B w) vilip. B.

73) i. e. cupiditati, innatae avaritiae.

Episcopus vero gratias quidem egit homini, pro munere dignam mercedem illico rependens, sed manu propria unam levans, quae triplici acie ac longo acumine visu etiam terribilis erat: *Quare*, inquit, *istam tam longam, tam subtilem, tam acutam fecisti?* Faber: *Tales*, inquit, *facimus ad penetrandas loricas et clipeos; impulsu enim balistae tales sagittae nec scuto nec thorace tueri sinunt hominem.* *Episcopus: *Ego*, inquit, *agam, ut mortales se de his non interficiant*[b]. Iubetque levari omnes simul, sicut erant in cophino, portitoribus dicens: *Ferte eas abbati Hermanno*[74], *rogantes diligenter, ut eas mei causa in opus Dei*[c] *expendat, ne* 74 *mortibus hominum coaptentur.* Habebat autem abbas[d] opus in manibus, tectum videlicet consummati monasterii nostri[e]. Acceptis ergo sagittis, patula retro haesimenta[f] omnibus convolvi iussit, ac de nobilissimis sagittis clavos tegularum fabricans, tecto ecclesiae illos coaptavit. Quae res quidem, tametsi magna non est, magnae tamen bonitatis indicio valet; sicut enim ex habundantia cordis sermo, ita etiam ex eadem actio dirigitur. Exterior enim homo celare non potest, qua dispositione interior inbutus[g] sit. Flagrant enim ad proximos per exteriorem studia hominis interioris. Verum ego cuncta singillatim, quae ipsius sunt, perstringere non potero, unum tamen adhuc narrabo, quo eius diligentia et ingenium, quod habuit ad bene agendum, magis clarescat.

36. Quidam economorum eius Rudolfus, vir bonus ac prudens, ad eum propter causas domesticas veniebat, cumque pro explicandis rebus aliquandiu aput eum moraretur[h], episcopus more suo egressus visitare xenodochium, stabulum transivit economi[i], vidensque duos equos fortes eleganti corpore, a comitantibus, cuiusnam[k] sint hi inquirit; dicunt ei hos esse procuratoris sui. *Bene*, inquit, *magni sunt et fortes; certe portare habent precia et redemptiones captivorum in terram Pomoranorum* Audierat enim quosdam de baptizatis suis in civitate barbararum gentium fuisse captivatos. Sublatis ergo equis, economus re agnita[l] ad episcopum venit, de via sua et negociis suis insinuat, equitaturas repetit, quas si rehabere[m] non possit, ad omnia se impeditum dicit. Cui episcopus: *Non irascaris, obsecro, lucrum quoddam et negociationem cogitavi; esto socius meus. Agamus pariter, ut de fructu et lucro actionis pariter gaudeamus. Decem equos pannis oneratos in Pomoraniam missurus, opera tua indigeo. Omnem igitur annonam, quae ad usus nostros in partibus Saxoniae reposita servatur, inargentabis, insuper omnes pecunias de redditibus earundem partium ad nos pertinentium, quas colligere poteris, cuncta simul ad nundinas Hallae portabis. Nosti etenim nobiles, puros et preciosos pannos, in terra Pomoranorum caros, frugi mercatu Hallae*[n] *inveniri*[75]. *Igitur quicquid ex praefata pecunia fustani et purpurae, prunati*[o], *friscalii*[p] *quoque, seu alterius cuiuslibet optimi generis vel coloris pannorum coemere poteris, in sarcinas concludes, aliasque species gloriosas*[q] *et res pulchras emens, omnia his iumentis in Pomoraniam diriges, partim dona maioribus, reliqua vero, cauta venditione habita*[r], *precium captivis, quos in barbaras nationes abductos constiterit*[s]. *Haec autem si, ut dictum est, ita exequi potuerimus, nec*[t] *tu nec ego fructu inanes, ac sine mercede in futura vita remanebimus. Hac etenim occasione*[u] *equitaturas tuas abstuli.* Abiit homo, et quia fidelis ac strennuus erat, omnia, sicut episcopus ordinaverat, haut segniter implevit. Munerantur honestiores, institor Ottonis laudatur, forum eius ac distractio populo rudi admirationi fuit et exemplo, cunctique certatim rapientes, res duplo emebant, tum pro dilectione pontificis, tum etiam quia precium sciebant esse redemptionis.

37. His omnibus ad votum episcopi explicitis, eundem economum mittit ad regem Hunorum, illum beatae semper memoriae Belam, qui a patruo suo Colomanno[76] rege cum patre suo Almo duce in diebus adolescentiae luminibus privatus, postea in regnum sublimatus 1113. est, oculisque fidei ac sapientia mentis praeditus, rem publicam Ungarorum per annos 1131. 1141. plures gnaviter administravit[77]. Certus itaque de strennuitate ac prudentia Rudolfi, episcopus[v] — cuius memoria semper[w] in benedictione sit — qui ad omnia studia misericordiae sedulus ei minister erat, ad regem praedictum Belam, magnum elemosinatorem, cum litteris

a) cui *add.* B. b) mortificent *codd. mut.* c) obsequio domini B 1. 2. 3. d) *deest codd. interp. exc.* B. e) ecclesiae s. Michaelis archangeli B. f) haurimenta 1. B. g) ambitus *codd. mut.* h) demor. B. i) enconomi 1 *et sic porro.* k) cuiusnamque A 1. 2. l) cognita A. B. m) habere *codd. mut.* n) have 1. A 2; haud A 1. o) brunati 1. A 2; brussati A 1; purinati B 2. p) fritsali 1. A 1; fricalii B 2. q) gloriolas 1. r) adhibita B 2. s) colliges *add.* B 1. t) nec — inanes *desunt* 1. u) causa B. v) episcopi 1. w) *deest* A.

74) montis S. Michaelis 1123—1147. 75) Vid. III, 1. 76) Belae II. avus Lambertus et Geisa II, Colomanni pater, erant fratres. 77) usque ad annum 1141. Vide Katonae Hist. crit. regum Hungariae III, 334, Jaffé Lothar. p. 151.

ac donariis eum direxit, parare amicicias et notitiam[a] societatemque ac parilitatem studiorum in operibus misericordiae, accendere hominem sanctum ad desiderium futurae expectationis, ad gaudium aeternae vitae atque beatitudinis. Bela ergo accepto nuncio auditisque litteris episcopi, spirituali gratia et divina consolatione plenis, laetificatus est valde, atque in festivitate paschali, quae apud Ungaros etiam propter ipsius terrae maximam ubertatem multa epularum largitate splendide ac delicate celebrari solet, magnifice habuit nuncios, Ottonis vitam, eius conversationem, statum et opera crebro interrogans, miraturque[b] omnia quae de illo audivit, magnae felicitati asscribens, quod talis viri notitiam per nuncios, dona et litteras accipere meruisset. Consummatis ergo diebus, cum tempus esset dimittendi legatos, multa devotione sacris orationibus beati viri rex sese[c] commendans, dona multiplicat, vasa aurea et argentea et vestes preciosas mittit, insuper 20 libras excocti auri, specialiter obsecrans, ut has in aliquos divinos usus in recordationem sui expendere dignaretur. Episcopus ergo acceptis donis et auro, nil moratus beato Michaheli hoc obtulit, crucis decus in nomine Salvatoris de hoc fieri mandans, additque de suo auri quantitatem, et gemmas et clusorem conducens, insigne 300 argenti marcas valiturum, ad honorem Dei et utilitatem ecclesiae fabricatus est.

38.[d] Sed quia beati Belae Ungarici regis mentio incidit, pauca de filia eius Sophia, quae in proposito virginitatis sub sacro velamine inter sanctas virgines Admuntensis monasterii
1139. Iun. 11. laudabiliter degit[e], ad aedificationem narrare incipiam. Haec etenim ante annos nubiles petita est in matrimonium Heinrico puero, Teutonicorum regis Chuonradi[f] filio primo-
78 genito[78]. Bela ergo cum saepe rogatus tandem[g] acquievisset hanc illi dare, et nuncii pro ea venissent archiepiscopi et episcopi aliique primates de regno Alamanniae, ut iuxta imperialem magnificentiam clare ad nuptias duceretur, hoc ordine, hac oratione ad sponsalia eam direxit: *Domine Deus*[h] *coeli ac terrae, tu omnia vides, ego autem nichil video. Tua enim*[i] *ordinatione, sicut voluisti, Domine, cecus factus sum; sed tu vides omnia, vides*[k] *abdita cordium, vides*[l] *praesentia, praeterita et futura indifferenter.* Et manus ponens super caput filiae: *Haec,* inquit, *Domine, michi unica filia*[79] *est; hac me sola feminea prole in tua miseratione beasti, hanc hodie te teste, te invocato in auxilium nostrum, ad nuptias mitto, hanc*[m] *te comitante praesentibus nunciis committo, tali fixa inter me ac te, domine Deus, conditione, ut nunquam eam deseras. Et si forte is qui eam petit filio suo, domnus imperator Cunradus, unquam mali quicquam adversus eam cogitaverit, tua in protectione tibi hanc commissam habeas.* Ad legatos autem: *En,* inquit, *coram vobis est, tollite filiam meam, ducite hanc imperatori vestro, et quia mea vita ipsa michi carior est, omne quod carum vel preciosum habeo cum ea transmitto.* Iussitque apportari[n] omnia regalia sua, capellam suam totam cum patrociniis sanctorum, cum universis[o] paraturis et utensilibus aureis et argenteis, cum tentoriis et papilionibus, cum iumentis optimis ad subvectionem rerum, insuper aurum et argentum absque ulla aestimatione, dona genero suo ac filiae. Et apprehendens scrinium, in quo erat patrocinium beati Blasii, statuit super hoc filiolam; dehinc ad legatos: *En,* inquit, *filiam meam*[p] *cum patrono suo in haec verba, ut locutus sum, in nomine Domini vobis praesento*[q]. Igitur abeuntibus nunciis, exita iam Ungaria cum ad Thaurum montem Carinthiae propinquassent, imperator Cunradus obviam eis mittens, ad sacras virgines Admuntensis monasterii dominam cum duabus puellis suis interim collocari fecit, donec oportuno tempore solempni habita curia, convenienti honestate ad nuptialia sacramenta vocaretur. Dona vero et omnes divitias, quae allatae cum ea fuerant, sibi apportari fecit. Itaque diversis negociis occurrentibus[r], quae regum etiam animos a proposito[s] retardant, rem explicare impeditus[t] est. Puer etiam infirmitate praeventus, domina in monasterio permanente,
1150. hominem exivit[80]. Bela quoque requievit in Domino, et filius eius Giso[81] ei successit in regno. Qui videns frustratas esse nuptias sororis suae, nuncios misit, ut reducerent eam[u]; sed illa noluit redire. Secundo et tercio misit; sed illa venire[v] noluit. Ad extremum

a) ac societatem notitiam quoque B. b) mirabaturque B 1. c) Deo *add.* A 1. B. d) Vita s. Sophie 1 *in marg.* e) elegit 1. f) Cunradi 1; Cŏonradi *sic porro* B 2. g) *deest codd. mut.* h) inquiens B. i) etenim *codd. mut.* k) intueris B. l) *deest* A. m) hodie *repetunt codd. mut.* n) portari 1. o) immensis B. p) *incipit textus cod.* A 1. q) committo B. r) ingruentibus B. s) propositis B 2. t) praepeditus *codd. mut.* u) reduceretur B. v) redire B.

78) tunc duorum annorum. Vid. cont. Wissegrad. Cosmae 1139. SS. IX, 145; Jaffé Konrad III. p. 83. 119. 79) Si fides posterioribus, alia Gertrudis nupsit Mieceslavo III. duci Poloniae; Katona III, 501. 80) Jaffé Konrad III. p. 203, ann. 44. 81) tertius; obiit 1161.

reputans aput se, vi fortasse teneri a rectoribus monasterii sororem suam, indignari coepit adversus locum, et nisi quantocius ei redderetur, excidium vastationemque minari. Sed virgo castissima mente et corpore ad omne bonum disposita, Deo magis quam seculo adherere cogitabat, apertisque hostiis claustri, cum abbas[82] in eius deliberatione posuisset, intus manere vel ad nuncios fratris sui foras egredi[a], intus manere delegit, et a proposito virginitatis nunquam recedere. Rex vero[b] nimio affectu germanitatis circa sororem suam afflictus, cum secundum seculi huius magnitudiuem eam sublimare vellet, modo vi, modo astu et ingenio eam teneri querebatur, habitoque cum necessariis suis consilio, ire parat in manu forti eam liberare. Sed viri prudentes et magni, quos in consilio suo habuit[c], regem monebant non abire[d], nec cito regno Teutonicorum importari bellum oportere sive causas belli; optimum factu[e] esse ut missa persona publica et honesto comitatu cum decore ac disciplina dominam repeteret, quae si inordinate negaretur[f], iustas tunc[g] fore[h] causas commotionis. Sed quid multis? Licet aegre, fracto animo suo rex audivit consilium; mittit ducem unum, virum fortem, cognatum suum et amatorem gloriae suae, et cum illo militiam magnam. Et ecce, ventum est Admunti. Abbas vero et fratres, conspecta multitudine et potentia legati, rem serio agi vident; turbantur, praesidia orationis querunt. Deinde egressi ad legatos, responsa tiranni tristes accipiunt, scilicet aut reddant puellam, aut graves[i] Ungarorum inimicicias experiantur. Abbas vero Admuntensis, vir dignae auctoritatis, gnarus ad omnia, et multo pollens consilio, meritis ac religione decus et firmamentum monastici ordinis, ad verba legatorum haec paucis[k]: *In hac causa,* inquit, *nichil*[l] *a nobis perperam actum est aut agetur. Sed hodie curam corporum vestrorum, quia itinere fatigati estis, velim agatis. Crastina dies negocium vestrum expediet.* Itaque lauto epularum apparatu multaque diligentia eis ministrabat[m]. Sequenti vero die abbas ad legatos: *Et quid,* inquit, *facietis, si domina vestra sponte sua vobiscum venire noluerit? Numquid invitam abstrahetis? Numquid nolenti et renitenti violentas manus inicietis? Si quidem hoc regibus ac reginis extremum dedecus est, vi trahi ad quod nolint, et subici, quando non velint, atque alienae voluntati seu violentiae mancipari, non puto id convenire ingenuae libertati.* At illi: *Sic est,* inquiunt, *et nos eam libertati suae restituere venimus*[n], *et non vim inferre, sed obsequium praestare ad suos redeunti*[o]. *Denique si ab indigna coactione soluta, suaeque libertati restituta fuerit, sane quicquid propria deliberatione delegerit*[p], *neque nos neque vos prohibere debemus, et dominus noster rex Ungarorum invictissimus indecenter vel contra decus regii sanguinis habitam germanam suam couterinam causari non poterit.* Placuit sermo abbati et fratribus, et venientes in atrium basilicae ante fores claustri, quo virgo sacra cum virginibus sacris clausa degebat, duos globos faciebant, seorsum legati et milites populusque multus qui ad spectaculum venerat, et seorsum abbas cum fratribus et monachis. Reserantur postes, ianuae claustrales panduntur, regina exire ad nuncios rogatur. Negat illa; nichil sibi et eis esse dicens, lege se loci limen ianuae, nisi morte obita, non esse transituram. Docetur ergo quid inter abbatem et legatos sententiae ac rationis de ipsa constiterit; illam desub claustris in apertum egredi oportere, liberam[q] fieri, coactione solvi, caeterum in eius arbitrio locandum, quam viam postea sibi arripere velit[r]. At illa corpore femineo viriles animos gerens, ubi videt, quia sic necesse est, neque aliter litem decidi posse, pede suo super limen posito[s]: *En,* ait, *sancta Maria, domina mea, patrona mea, mater domini mei Iesu Christi, sponsi mei, salva gratia et pace tua, te duce, te comitante, limina tua transeo, te adiuvante et protegente, cito reversura; tibi commendo causam meam, virgo virginum. Et tu, beate Blasi, martir Christi, patrone Admuntensium, domine ac dominator loci huius, qui me a parente*[t] *meo tibi commendatam divina ordinatione in haec tua tecta suscepisti peregrinam, obsecro, ne me derelinquas.* His dictis flebant virgines, flebant monachi et fratres[u]; egreditur illa, modesto ac lento gradu in medium tendens. Stabant legati inmobiles, vestes tantum ac purpuram gemmasque preciosas in seculi cultum ei allatas offerentes ac protendentes, ad reginae animos pelliciendos. Omnes igitur qui aderant inmoti stabant, avide spectantes

a) fratris exire B. b) autem *codd. mut.* c) asciverat B. d) *ita unus* B 3*; ab re 1 *et rell. codd. mut.* e) factum A 1. 2. f) detineretur B. g) demum B. h) forte 1. i) regis *add.* B. k) respondit verbis *add.* A 2; his resp. B. l) *deest* A 1. m) ministravit A 2; ministratur B. n) restituemus *codd. mut.* o) praebebimus eunti B. p) elegerit A 1. B. q) liberam — solvi *desunt* 1. r) accipere A 1. s) limini imposito B. t) patre A. B 1. 3. u) fratres flebant universi B.

82) Gotfridus; obiit 1165. Contin. ann. Admunt. SS. IX, 583. Vit. Gebebardi arch. Salisb. 19, SS. XI, 44.

1139. *praebuit[a], sedem posuit, mensam aptavit, necessaria omnia benigne ac liberaliter ministravit. Defuncta est inquam, non solum ministra et hospita Christi, sed minister et hospes ac susceptor omnium christianorum. Et quis stabit in loco sancto eius? Quis nobis vicem ministerii huius implebit? Quis, rogo, aget pro eo, quae iste agere consuevit? Omnibus gradibus, omnibus ordinibus, omnibus personis ecclesiae vita eius utilis fuit. Ecce, defunctus est, ut vere dicam, servus servorum Dei! Quid facietis monachi? Quid facietis clerici? Quid facietis pauperes et mendici? Quis vobis restituet matrem vestram? Ubi amodo illa materna ubera, ubi maternos affectus quaeretis? Sed quaerere ubique potestis, vobis denuncio, nusquam invenietis. Sui temporis saecula — confidenter dico — hunc solum, hunc unum tantae misericordiae virum habuerunt. Ut enim de aliis virtutibus eius taceam, quae plurimae fuerunt et clarae, in misericordia et misericordiae operibus tantus erat, ut nullum penitus ex omnibus michi notis ei ausim adaequare. Sed quid[b]? doleo vicem miserorum, doleo vicem eorum, qui in suis miseriis ad hunc misericordem fugere consueverant. Doleo, ut verum fatear, vicem meimet ipsius. Ut enim ita dicam, me miseret mei, meritoque merore conturbor. Multum enim praesidii, multum consolationis in hoc amico perdidi. Hic enim in civitate ipsa commodus, societate et amicitia oportunus, magnum michi praesidium fuit. Cum hoc fiducialiter ac tute omnes curas meas, omnia negocia mea seu consilia pensiora communicare solebam. Hic michi, ut breviter dixerim[c], in omnibus oportunitatibus meis magnus[d] sublevator fuit. Sed de me quid dico? Nam mei nominis ordo, universus videlicet ordo pontificalis, hoc adempto[e] compare, merito lugebit. Hic nobis gemma, hic decus[f], hic splendor fuit. Conventus[g] nostros in conciliis sive curiis virtutum suarum radiis collustravit. In hoc, ut ita dicam, quasi viventi libro, quomodo nobis vivendum vel quid agendum esset conspicere potuimus. Sancta enim exempla, sanctae actiones magis erudiunt quam verba. Sed doctrina haec, o dolor! modo rara est in terris. Omnes enim paene quotquot sumus eloquio magis quam opere proximos aedificare studemus. Sed iste docuit verbo, docuit exemplo, dixit et fecit. Talem ergo lucernam de medio nostri ablatam aequa[h] mente ferre poterimus? Sed vado ad altiores. Huius enim[i] interitum et tu, o Romane pontifex, caput[k] sanctae matris ecclesiae, senties, et tu, regnator orbis, rex Alamanniae, imperator Romanorum auguste, casum quoque huius experieris. Ambo permaximi, magna clade mulctati estis. Magnus enim Ahot ille ambidexter vobis occubuit. Occubuit[l] ille, qui utraque manu pro dextera utebatur, Israheliticae gentis ductor egregius. Occubuit, inquam, ille[m] qui*
Matth 22,21. *potis erat et industrius et prona voluntate reddere caesari quae caesaris sunt, et Deo quae Dei sunt. Non tibi, o imperialis maiestas, non tibi[n] cito consurget alia columpna, cui[o] tam fiducialiter inniti queas; hic te quidem non solum divitiis et prudentia saeculari, sed, quod utroque maius est, meritis ac sanctitate suffulsit. Sanctitate, inquam, et virtutum meritis imperatorem pariter et imperium sublevavit. Iusticia enim et sanctitas in dextera eius. Non[p] parva res acta est, non parva haec mutatio in ecclesia Dei. Non ergo leviter ferenda est talis viri ablatio. Ubi amodo tale ingenium, talem prudentiam, talem inveniemus bonitatem? Sed redeamus ad monachos, redeamus ad populum spiritualem; detrimenta illorum lamenta nobis facient. Quid fiet de illis? Quid fiet de monachis et pauperibus, qui ad has manus spectare consueverant? Lugetis, video, et fletis Ottonem vestrum; et certe non inmerito. Vobis enim ille occubuit, vobis ablatus est. Vos enim, vos, o monachi, specialiter populus pascuae eius et oves manus eius. Hic profecto erat qui de habundantia divitum huius mundi vestram inopiam supplere sollicitus fuit; hic magnae auctoritatis exemplo gloriari solebat, dicens: „Spoliavit Egyptios, ditavit Hebraeos.“ Nam revera sancte ac religiose multa saecularibus extorsit, quibus[q] penuriam sublevaret spiritualium. Sancta et religiosa fraude, ut ita dicam, divites circumveniebat, ut elemosinas facerent quandoque non cogitatas. Argumentosus enim[r] erat*
Luc. 1, 66. *in divinis lucris; nam et manus Domini cum eo erat. O quam multos divites cum omnibus divitiis suis ad spiritualem vitam traiecit! quicquid personarum, quicquid rerum vel opum saeculo auferre potuit, Deo coaptavit pietatis ac misericordiae obtentu! Sed quid multis? misericordia eius super omnia opera eius! Misericordia Dei ante oculos eius semper fuit. Orate ergo, dilectissimi fratres, orate attentius, ut et ipse hodie misericordiam consequatur. Orate, ut illa beatissima anima, quam credidit, quam speravit, quam dilexit, re ipsa Dei*

a) praebebat B. *et sic porro.* b) dicam *add.* A 1. B. c) dicam B. d) maximus *codd. mut.* e) adepto 1. f) hic decus *desunt* 1; hic sp. fuit *desunt* B. g) quippe *add.* B. h) esse qua m. A. i) certe B. k) *deest* 1. A. l) *deest* A 1. m) *deest codd. mut. exc.* B 2. n) *deest* A 2. o) cui — queas *desunt* 1. p) non — est *desunt* A 1. q) quibus — spiritualium *desunt* 1. A 1. 2. r) *deest* A 1.

videres viduarum et orphanorum longa examina, clericorum et monachorum intrantium et exeuntium multitudinem[a], pii, ut ita dicam, mercatoris, iam abire parantis, sanctissimas nundinas frequentantium. Quid enim nisi forum sacrum aut nundinas sacras dixerim, ubi terrenis coelestia, temporalibus aeterna bona comparantur? Fervebant sane circa illius lectum coeli terraeque negocia sancta, et Martha, semper sollicita et diu turbata circa multa et innumerabilia humanitatis officia, nec languida iam mortique vicina cessavit ab operibus suis plurimis, propter unum quod sciebat esse necessarium. Cum abbatibus enim et prepositis, cum procuratoribus et dispensatoribus suis de omnibus ordinavit ecclesias et coenobia, hospitalia infirmaria[b] et diversoria sua intima retractatione digessit, singulisque, prout oportunum videbatur, sumptus et necessaria supplevit. Cerneres iam oleam uberem et fructiferam, solita ubertate uberiorem et copiosissimis fructibus onustam, totam sese carpentium manibus inclinare. Et revera mirum valde est, quod haec inexhausta benignitatis archa, quae tot[c] ante diebus et annis ad erogandum iugiter patuit, adhuc in extremo tempore tantum quod erogaret habere potuerit[d]. Sed o Martha, Martha! devota hospita domini Iesu, quando vel quomodo sentires egestatem? Quis enim donando donanti omnia unquam egens factus est? Interea vero languor magis magisque luctantem spiritum urgebat, riteque dispositis omnibus, quaecumque post se victuris praestare potuit, supplici et pura confessione praemissa, olea illa placida et sancta, unctione sacri olei delibuta, propiciabile viaticum corpus Domini percepit, et circumstante illo suo semper familiari collegio virorum religiosorum, tam monachorum quam clericorum, psalmis et orationibus agonem eius devote Deo commendantium, plenam operibus bonis et elemosinis, plenam honoris et gratiae animam exalavit in coelum[83]. Quid multa? Flebat civitas uni- 1139. versa, iuvenes et virgines, senes cum adolescentibus[e], flebat omnis ordo, flebat omnis Iun 30 religio, divites et pauperes, nobiles et mediocres cum plebe rusticana, omnes pariter patrem ademptum tanto lugebant amarius, quanto ab omnibus illis carius ipse amabatur. Porro monasteria et ecclesiae longe vel prope positae, sed et magnates et capitanei provinciae, fama dormitionis eius exciti[f], ex omni parte confluebant, infelices sese atque inertes arbitrati, si eius quem viventem dilexerant funeri non adessent, vel si debitos honores tantis exequiis non praestarent.

42. Supervenit quoque sacrae semper memoriae Imbrico[g] Herbipolensis episcopus[84], vir clarus et prudens, tam eloquii venustate quam ingenio et sapientia praepollens. Supervenit, inquam, amicus ad amici exequias invisas, et dolenti et ardentissime flenti ecclesiae lugendo ipse ac dolendo luctum auxit et dolorem. Iam enim per totum triduum dormitionis Iul 2. eius dilecti corporis gleba per omnes ecclesias circumlata, iugi sacrificio, indefessisque orationibus et multis elemosinarum largitionibus beata eius anima Deo dicata et commendata fuerat ab omnibus. Quarta igitur[h] die, ubi ad locum ventum est tumuli, episcopus Iul. 3. commendationem celebravit, atque inter missarum solempnia, quae pro dilecti patris et amici anima multa intentione devotus agebat, ad merentem et lugentem conversus multitudinem, brevem quidem, sed gratiae ac dulcedinis plenum intulit sermonem, ita dicens: *Ecquid*[i] *fiet? Quid erit consilii? Mortua est Martha! Ecce, ubi iacet! Quis ergo*[k] *venientem dominum Iesum in hoc castello amodo suscipiet? Equidem defuncta est Martha, quae illum suscipere consuevit*[l]. *Defuncta est hospita domini Iesu Christi, quae venienti hospicium*

a) multitudines non inmerito pii B. b) infirmarias 1. c) *deest* A 1. d) potuerat 1; potuit B. e) iunioribus B. f) excitati B 2. g) Ymbrico A 2. h) quarto ergo A 2. i) *incipit caput in codd. mut.* k) rogo A 1. l) consueverat B.

83) In Calend. S. Michaelis in Siebenter Bericht des hist. Vereins zu Bamb. p. 204 haec est Ottonis memoria: 2. *Kal. Iul. Otto pius Eps. Bbbgn. Pater noster. Hic est dominus nr. piissimus Otto eps. cognomento Pater pauperum, Christi apostolus gentis Pomeranorum, restaurator huius cenobii, fundatorque aliorum* 18 *monasteriorum, cuius memoria in omni ore quasi mel indulcabitur, quia ipse revera divinitus in hunc locum est directus, quem per* 30 *et* 6 *annos Deo propitiante gubernans, cultu interiori et exteriori tam nobiliter augmentavit, ut quousque mundus iste volvitur, eius laudabile meritum semper accipiat incrementum.* In Calendario ecclesiae Cathedral. ibid. haec leguntur: *Otto felix ep. ob. qui dedit predium in Bockesdorf, unde datur servitium omnibus congregationibus. Dedit quoque Rote et Seligenstat, unde datur* 1/2 *tal. singulis septimanis pro piscibus, ad quod supplendum ppls. summus* 6 *tal. Idem quoque ordinavit quod de oblationibus pluribus datur cottidie ad vesperas propina vini et panis oblationis. Addit etiam Atenwinden ad excolendum vineas. Dedit etiam Erlich ad comparandum vinum. Hodie danda sunt* 2 *fercula de Slawendorf.* Cf. etiam Annal. Babenberg. SS. X, 4; Notae sepulcr. Bab. XVII, 641. 84) Obiit 10. Nov. 1146. Vid. Jaffé Conrad III, p. 262.

et opperientes, quid esset factura, nullo ei aut hinc aut inde propinquante. Sacrae autem virgines stabant ardentissime flentes et orantes, admodum veritae, ne quavis occasione tantum decus societatis amitterent. Itaque ubi libertatem et absolutionem suam in medio posita satis omnibus ostenderat, ad nuncios conversa, regia virgo modeste inclinans, valefecit eis. Deinde via qua venerat ad sorores rediens, clara voce, multam compunctionem omnibus excitans, cantare coepit: *Regnum mundi et omnem ornatum seculi contempsi;* succinentibus caeteris virginibus, quae[a] illam in limine stantes opperiebantur, succinentibus[b] et monachis, et prosequentibus eam in gaudio et lacrimis usque ad introitum ianuae. Omnis quoque populus voces et laudes dedit in excelsum, gratias agens Deo, quod virgo nobilis et tenera tam virili mente saeculi delicias abiecisset. Nuncii quoque non minus aliis Dominum magnificant, omniaque ornamenta seu vestes, quas ad[c] usum seculi ei portaverant, monasterio conferunt, et reginae valefacientes eiusque orationibus se commendantes, in pace et gaudio ad dominum suum revertuntur, ut gesta erant omnia referentes. Mitigatus est rex, ultro[d] desinens a proposito suo revocare illam. Haec de initio conversionis beatae Sophiae, quoniam occasio data fuit, retinere non potui.

Sefridus: Grata nimis et accepta digressio. Nempe auri occasione gemmam acceptabilem tuae narrationi affixisti.

39. Sed redi, obsecro, ad Ottonem nostrum, qui omnibus hominibus omnia factus, praecipue autem nobis monachis non solum pater, sed ut verius dicam, mater fuit.

Tiemo: Cedo, inquit[e]. Nam et tu me ad viam revocasti. Senes nostros ut patres venerabatur, iuniores vel pueros ut filios diligebat, inter nos quasi unus ex nobis ambulabat, immemor quandoque potentiae ac magnitudinis personae suae, presbiteris ad altare ministrabat, modo stolam offerens, modo cingulum porrigens praeparandis, aquam etiam manibus illorum manu propria fundens, calicem praebens, et ad cetera ministeria sese plerumque de inopinato ingerens, miris modis omnium in se affectus excitabat. Omnes nos facie ac nomine notos habere volebat, singulorum causas vel statum, defectus vel profectus nostros diligenter investigans; curaque de omnibus non modica ei fuit. Quid dicam de multimodis humanitatibus omnibus ac singulis nobis ab eo indesinenter exhibitis? Etiam fratribus ad refectionem consedentibus, cibos optimos, suis sumptibus praeparatos, manibus propriis nobis intulit, suscipientium manus caro affectu deosculans. Nonnunquam etiam, expleta ferculorum positione, conviva nobis idem ac minister assedit, nobiscum convescens obtentu propagandae caritatis.

1121. 40.[f] Quodam tempore dum monasterii nostri consummatio dedicationem expectaret, et omnia quae huius officii ratio postulabat in corporalibus et spiritualibus, laute ac diligenter praeparata fuissent, omnibus in expectatione positis, praesul grandaevus molestia corporis laborare cepit, adeoque infirmatus est, ut ad opus consecrationis vires minime habens[g],
Aug. 31. misso nuncio, in vigilia beati Egidii ad aliud tempus dedicationem transferendam statueret. Sed quia parata erant omnia, et cupientibus animis omnis dilatio invisa est, duplici moerore ecclesia turbari coepit, pro languore videlicet episcopi, et pro frustrato desiderio expectatae consecrationis. Quocirca orationes non cassas mittunt ad Dominum, vires ac sanitatem praesuli obnixe postulantes. Igitur meridiano tempore in lecto recubans, et paululum sopore pressus, puerum coram se per sompnum ludentem et saltantem videt
Ps 121, 1. Ebbo I, 23. episcopus, ac de psalmo versum crebro cantatem: *In domum Domini laetantes ibimus.* Expergefactus vero, aegros prius[h] artus fortes invenit et vegetos, corpus levat, sentit gratiam sanitatis redisse; cubicularios citat, interdictum consecrationis mutat, proximaque
Sept. 1. die, in festivitate[i] sancti Egidii, sicut antea voluerat, in magna totius ecclesiae laetitia dedicationem peragit, Domino sibi vires administrante.

41.[k] Beatus Otto, tam morbo quam senio exhaustis viribus corporis, in dies dissolvi coepit, et labore infirmitatis continuae ad laborum finem tendere. Itaque cum sese acrius premente languore, in proximo ad Dominum[l] speraret migraturum, illud sibi amicum semper ac solitum opus elemosinae tanto ardentius exercuit, quanto illi constabat, quod diu illud exercere non posset[m]. Omnia igitur loca, omnes[n] domos et curtes circa illum positas, immo totam civitatem, eo[o] volente atque iubente, peregrinis et pauperibus repleri

a) succinentibus — opperiebantur *desunt* A 1. b) pariter et *add.* A 1. 2. c) in *codd. mut.* d) ultra 1. e) credo inquam *falso* 1. f) *deest caput* A 1. 2. g) haberet 1. *In margine eadem manu:* Nota: Illo tempore erat in Botenstain. h) quidem 1. B*. i) festo B 1. 2. 3*. k) legenda eius *superscriptum in* 1. l) et speraret ad dom. A 1. m) hoc ex. n. daretur B. n) omnesque A 1. o) eo vol. atq. iub. *desunt* 1.

misericordiam hodie percipiat. Equidem non surdis auribus illud euangelicum accepit: „Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.“ Et: „Estote misericordes, sicut pater vester misericors est.“ Nullus autem misericors esse potest, qui humilis non fuerit. Omnis ergo misericors etiam humilis est. Unde bene inferre possumus, quod veram et coram Deo probatam humilitatem habuit spiritus eius, qui tantae misericordiae fuit. Interventu ergo beatae[a] *Dei genitricis Mariae, cui semper devotus extitit*[b], *interventu beati Michahelis archangeli, cuius ecclesiae reparator et sublimator hodie conspicitur, quem patronum et servatorem et corpori et animae suae delegit, interventuque omnium*[b*] *beatorum spirituum spiritus eius divinam misericordiam consequatur. Ipsorum, inquam, atque omnium sanctorum suorum meritis*[c], *si uspiam, sicut est humanae fragilitatis, tanta eius opera, tantae ipsius miserationes et benefacta, humana laude vel humanae laudis intentione titillata sunt vel maculata; nichil enim satis purum coram summo iudice. Rogate, quaeso, rogate attentius; oremus, omnes oremus*[d] *pariter, ut hoc abolere, hoc tollere dignetur ipse, qui tollit peccatum mundi, agnus Dei, dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus*[b*] *in saecula saeculorum.* Quanta vero vociferatione, quanto mugitu, quantis affectibus et lacrimis omnes *Amen* responderint, dici non potest. Sic ergo finita missa, in loco ubi cernitur in ecclesia beati Michahelis, comitibus, marchionibus seu aliis quibuslibet nobilibus feretrum eius certatim gestantibus, sarcofagum levantibus, sȩu alia quae ibi necessaria erant more operariorum suis manibus devotissime paragentibus, corpus eius tumulatum est anno dominicae incarnationis 1139. 3. Nonas Iulii feliciter. Amen.

[Margin: 1139. — Matth. 5, 7 — Luc. 6, 36. — Iul. 3.]

Hic meae narrationi terminum cum sinaxi vespertino impono, non quo a me dicta sint omnia quae dici copia suasit, sed ne multiloquio vos gravem, et hora haec silentium mandat, et crastina dies hunc Sefridum suam partem explicare nostra ex conventione compellet. Amen. Amen.

EXPLICIT LIBER PRIMUS DE VITA ET OPERIBUS BEATI OTTONIS BABENBERGENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS CHRISTI ET POMERANICAE GENTIS APOSTOLI.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI[e].

a) beatae *add.* A 1. B. b) fuit B. b*) *deest* 1. c) *deest* 1. A 2. d) *deest codd. mut.* e) *deest index codd. mut.; A. praecedunt inscriptiones singulis capitibus.* f) *aut superflua est haec inscriptio, aut sequens caput in duo dividendum, cum singulis inscriptionibus capita aliter non respondeant.* g) *deest haec inscriptionis pars* A 2. *Abhinc numeri inscriptionum iterum non quadrant in textus capita, ideo correxi.* h) *deest* A 2. i) suam A 2.

EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

INCIPIT[g] PROHEMIUM LIBRI SECUNDI IN VITAM ET PEREGRINATIONEM BEATI OTTONIS EPISCOPI.

Postera die, ubi denuo consessum a tribus nobis erat, tum ego: *Perge*, inquam, *mi Sefride, dominique tui et nostri peregrinationem peregrinationisque laborem, et quomodo gentem Pomeranorum ad fidem traxerit ecclesiae, quoniam id muneris tibi potissimum servatum est, edicito. Nam universorum operum eius, licet magna sint omnia, nichil est quod huic valeat conparari; unam quippe animam Deo lucrificare maioris apud Deum arbitror, quam mille auri talenta in elemosinis expendere.*

Tiemo: *Magni quidem meriti est animam errantem Deo lucrari per fidem; sed hiperbolen fugere sermo expetit castigatior.*

Quem Sefridus intuens: *Si congrua*, inquit, *auctoritate non firmavero quod dictum est, assertionem eius fidem excedere, merito redargues. Scimus quidem elemosinae substantiarum*
Sirach 3, 33. *quas laudes in scripturis habeant: scimus scriptum quia sicut* aqua extinguit ignem, ita ele-
Luc. 11, 41. Prov. 13, 8. mosina extinguit peccatum, *et:* Date elemosinam et omnia munda sunt vobis; *et:* Redemptio animae viri propriae divitiae, *et plura in hunc modum elemosinam commendantia. Sed bonum differt a bono in estimatione, sicut stella differt a stella in claritate. Audi euangelium:*
Luc. 15, 10. Amen, *inquit,* dico vobis, gaudium est angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente. *Ecce, ne sobriis sermonibus hiperbolen irrepsisse queraris, gaudium in omni celo fieri ex unius animae conversione, non michi sed euangelio crede; ac perinde unius animae salutem mille auri talentis in elemosinam expensis certissime collige coram Deo esse maioris. Non umquam enim dignaretur veritas gaudium predicare angelorum super expensa mille auri talentorum, quod tamen non dedignatur de conversione unius peccatoris; neque dominus Iesus pro talentis argenti vel auri lucrandis vel erogandis, sed pro hominibus salvandis sanguinem fudit precium redemptionis. Absit igitur ut aliquid sit in rebus creatis, quod humanae animae preferendum*

a) metente 1. b) *deest* A 2. c) domi 1. d) *deest* A 2. e) alleviatione 1. f) reversione 1. g) *prooemium deest codd. mut.*

putem, quam ipse creator tanti voluit estimare, ut pro illa redimenda semet ipsum usque ad mortis iniuriam inclinaret.

Tum ego: *Satis*, inquam, *pro causa, nam et prior noster tam indomitae contentionis non est, ut audita racione sedari non queat; neque tu sine pectore id michi detulisti officii, quia pro me respondens etiam tuae narrationi animos attentiores nobis erexisti. Sed iam, precor, iniunctum exsequens,*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando

egerit, quia hae circumstantiae non modicum lucis rebus infundunt, conversionem gentis Pomeranae aggredere, ut explices.

Sefridus: *Ut potero*, inquit, *iubenti obedio caritati.*

EXPLICIT PROHEMIUM.

INCIPIT LIBER SECUNDUS DE SITU POMERANIAE.

1. Pomerania provincia ex ipsa nominis etimologia qualitatem sui[a] situs indicare videtur. Nam pome[b] lingua Sclavorum *iuxta* sonat vel *circa*, moriz[c] autem *mare*; inde Pomerania quasi Pomerizania[d], id est *iuxta vel circa mare sita*[e]. Est autem terra haec, si totam eius positionem tam in stagnis et refusionibus marinis quam in locis campestribus considerare velimus, quasi figura triangula, quia tribus lateribus, quasi tribus lineis per capita sibi cohaerentibus, tres angulos habere deprehenditur; ita tamen, ut unus angulus duobus reliquis sit extensior, qui etiam usque ad Leuticiam et prope Saxoniam, versus aquilonem ad fluctus oceani paulatim recurvatus demittitur. Itaque Pomerania post se in oceano Daciam habet et Rugiam insulam parvam sed populosam, super se autem, id est ad dexteram septentrionis, Flaviam[85] habet et Prusciam et Rusciam, ante se vero, id est 85 versus aridam, parva extremitate se attingentes fines rescipit Ungariae ac Moraviae; dein Poloniam spaciosa contiguitate usque ad confinia Leuticiae et Saxoniae se habet attingendo extendentem. Gens ista terra marique bellare perita, spoliis et raptu vivere consueta, naturali quadam feritate semper erat indomita et a cultu et fide christiana penitus aliena. Terra vero ipsa piscium et ferarum copiosam incolis praebet habundantiam, omnigenumque frumentorum et leguminum sive seminum fertilissima est; nulla mellis feracior, nulla pascuis et gramine fecundior. Vinum autem nec habent nec querunt, sed melleis poculis et cervisia curatissime confecta vina superant Falernica. Sed de his alias[86]. Nunc autem expediendum, quod multis admirationi est, quare videlicet hi homines tam procul ab orientali Francia et a Babenbergensi ecclesia, immo a toto pene orbe divisi, non alium quemquam de vicinioribus regnis vel ecclesiis baptistam et praedicatorem quam Babenbergensem episcopum habere potuerunt[f]. Sed hic fructus ad incrementum beatitudinis eius a Deo illi donatus est.

Tiemo: A Domino, inquit, factum est istud, et est mirabile in oculis nostris, unde quonam id ordine factum sit, nos audire delectat.

At *ille:* A re, inquit, paululum digrediendum est, ut concurrentium causarum[g] eventus et ordinem possim digerere.

2. Tempore quo dominus meus episcopus Babenbergensem regebat ecclesiam, Bolezlaus[h], vir strennuus et prudens, et ingenuae atque avitae nobilitatis decore illustris, ducatum Poloniae administrabet[87]. Qui dum se[i] gnaviter et provide gereret, omnes terrae[k] suae terminos sub praedecessoribus suis hostium violentia invasos et perturbatos, et castra urbesque a sua potestate[l] alienatas[m] manu robusta recuperare praevaluit. Cumque bellicos actus suos felici exitu saepe prosperari videret, erga Deum quidem, a quo sibi sciebat praestari victoriam, humilior atque devotior, erga hostes vero erectior atque animosior factus, mutua vice terminos eorum ferro et igne attemptare, praedasque et manubias frequenter abstrahere et personas captivare solebat, quousque assiduis cladibus ac terrore confracti, multis obsequiis et donorum impensis animum eius delinirent, datisque et acceptis dextris, federa pacis firmissime pangerent et pacta reciperent.

a) *add.* nominis et A 2. B. b) pomme A 2; pommo B. c) moritz A 2; moziz B 2; mory B 3*. d) Pommorizania B. e) posita vel sita B*; posita *rell.* B. f) potuerint B. g) et *add. eodd. mut.* h) Polizlaus *et sic porro* B. i) *deest* 1. k) ditionis B*. l) vi *add.* B. m) alienatos 1.

85) *Slaviam* legendum coniiciam pro *Flaviam*, quod habent codd. omnes; nam quid sibi velint Polowci ad dextram septentrionis inter Pomeranos positi et Prussos, non liquet; sed vid. II, 2. 4. 86) II, 41. 87) 1102–1139; obiit 28. Oct.

3. Erant autem cum quibus divisim diversis temporibus certamen habebat, ex parte una Poloniae, Bohemi, Moravi, Ungari, ex alia Rutheni, gens crudelis et aspera, qui Flavorum, Pruscorum et Pomeranorum freti auxiliis, acrius diutiusque illi restiterunt; sed frustra, quia tandem superati ab eo et contriti, post multas clades pacem ab eo postulare cum rege suo decreverunt. At ille[a], ut erat bellis ac laboribus semper infractus, non continuo de pace acquiescere voluit, nisi prius aliqua memorabili honorificentia satisfactionem accepisset.

88 4. Rex[88] vero et omnes principes Ruthenorum sine amicitia et pace ducis non se quietos fore perpendentes, viam inveniendae mutuae pacis et gratiae illius prudentiae ac fidei committendam[b] praesumpserunt. Ille vero hanc honestissimam ratus viam statuendae
1103. atque firmandae pacis, filiam[89] ipsius regis petivit et accepit uxorem, videlicet ut hoc affinitatis commercio tam principes ipsi quam subditi eis terrae utriusque populi pacem ad invicem haberent perpetuam, atque in necessitatibus et oportunitatibus suis mutuo sibi contra hostes praesidio forent atque auxilia portarent. Colebant ergo se mutuis beneficiis socer et gener, magnificatusque est Bolezlaus et confortatus ac prosperatus undique, nec ulla ei erat contradictio, universis potestatis suae terminis hoste nullo turbatis. Verum ea perfunctoria et brevis erat tranquillitas. Nam post annos paucos Ruthenissa uxor Bolezlai moritur, unum tantum ei filium relinquens[90]; unde quasi rupto vinculo, quo tota inter generum et socerum constabat amicitia, dudum composita bella paulatim recrudescunt. Bolezlaus igitur feritate gentis permotus, cum suis consilium habuit, quonam modo[c] rediviva mala haec propulsare potuisset. Habebat autem Petrum quendam militiae ductorem, virum acris ingenii et fortem robore, de quo dubium utrum in armis an in consiliis maior fuerit, qui erat praefectus a duce super viros bellatores. Hic ascitus consilio: *Si suis tantum*, inquit, *Rutheni viribus dimicarent, illos a nobis conteri difficile non*[d] *esset, sed habent Flavos, habent Pruscos, habent etiam Pomeranos, gentem idolatram invisam ac nimis indomitam; quos omnes simul in arma provocare quam durum sit, inexperti non sumus, quamvis ante de his triumphos habuerimus. Quocirca meo animo consilium incidit Ruthenos arte melius superari. Et ne quis inpossibile hoc aestimet*[e], *ecce, vadam ad illos, et incruentam nobis de tiranno victoriam reportabo, Deo michi praestante ingenium.* Sed quid multis? Placuit duci et principibus experiri, si effectum habere verba Petri queant. Assumptisque viris quasi 30 robustissimis, ficta necessitate Petrus ad regem transfugit Ruthenorum[91], eumque arte sermonis circumventum, quod male de duce sentiret, aestimare fecit. Et rex eo quod fidem haberet homini, quem etiam prudentem sensit, ad multa negocia sua eius familiaritate usus est, sperans, quod tandem per eum de Polonia tota posset triumphare[f]. At Petro aliud mentis erat. Nam cum die quadam fictus transfuga ipsiusque socii cum rege in saltu nemorum venandi gratia vagarentur, rex nichil mali suspicatus occasione ferarum longius a moenibus abscesserat, elongatisque aliis Petrus cum suis circa illum remanserat. Qua fretus oportunitate, capto rege incruentam, ut pollicitus erat, de Ruthenis victoriam domino suo duci reportavit; mirumque dictu, effera gens illa hoc facto ita edomita est, ut nunquam postea vivente duce nec quidem de bello cogitaret. Nam pro ereptione sui tirannus, quicquid maiorum suorum studio ac sollertia in thesauris collectum habere poterat, dare coactus est, aurum et argentum et quaeque preciosa in vasis et vestibus et variis opum speciebus, quadrigis et camelis in Poloniam apportantibus, ita ut Ruthenia tota insolita
1120? paupertate contabesceret. Deinde ubi foedera mansurae pacis iureiurando tam rex quam optimates Ruthenorum solidaverant, etiam hoc polliceri fide firmissima rogati sunt, ne Pomeranis ultra forent auxilio. Contra illos enim totis viribus dux manum levare cogitavit.

5. His omnibus ergo ipsius ad votum compositis, Pomeraniam insultibus crebris concutere, vastare ac populari coepit. Et quia paganismo tenebantur, dux eos aut penitus elidere, aut ferro ad fidem christianismi conatus est impellere. At illi suis fisi viribus, eo quod civitates et castra natura et arte firma in introitu terrae haberent quam plurima, se inexpugnabiles fore arbitrati sunt, omnemque substantiam suam in urbibus collocantes, armorum praesidia praeparare moliuntur. Sed quia Deo placuit aliquos ex eis conterere,

a) *verba* at ille — accepisset *desunt* 1. b) committendum 1. B 3'. c) studio B 1. d) non esset laboriosum B. e) existimet *codd. mut.* f) triumpharet B.

88) Suatopolk princeps Kiewensis. 89) Zbyslava a posteris vocatur. Roepell I, 231. 257. 90) Wladislavum. 91) Hic est Wolodar princeps Haliczensis. Cf. Ortlieb. Zwiefalt. SS. X, 91.

ut caeteros ad fidem converteret, ingenium et vires contra eos Bolezlao ministravit, ita ut multis et magnis cladibus eos frequenter afficeret. Nam et civitatem Stetinensem, quae 1121. stagno et aquis undique cincta, omni hosti inaccessibilis putabatur, quae etiam totius Pomeraniae metropolis fuit, hiemali tempore strictam per glaciem non sine periculo exercitum ducens, inopinata clade percussit. Naclam[a, 92] quoque civitatem munitam et fortem 92 valde fregit et succendit, et omnem in circuitu[b] regionem eius igni et ferro vastavit, adeo ut ruinas et adustiones et acervos cadaverum interfectorum incolae nobis per diversa loca monstrarent[c] post annos tres acsi de strage recenti. Tam gravissime autem in illarum 1124. civitatum expugnatione subacti sunt, ut quos neci et captivitati dux superesse passus est, cum suo principe[93] christianos se atque tributarios fore[94], quod iurare licuit, pro lucro ingenti ducerent. Ferunt autem, quod 18000 virorum pugnatorum neci traditis, 8000 cum uxoribus et parvulis ad terram suam captivos abduxerit, et in periculosis marchiarum locis, in urbibus et castris eos collocans, quo terrae suae praesidio forent, et cum hostibus suis, gentibus scilicet externis[d], bella gererent, indixit, hoc addito, ut abdicatis idolis christianae se religioni per omnia conformarent. Sed cum reliquos de gente perfida, quos in terra propria tributarios dimiserat, dux fidei christianae apponere curaret, omnes episcopos terrae suae conveniens, nullum persuadere potuit, ut illo ire atque in tenebris et umbra mortis sedentibus lumen vitae vellet ostendere, singulis suas excusationes praetendentibus. Sicque per triennium dilata est praedicatio, duce ipso satis aegre ferente dilationem.

6. Tandem instinctu admonitus divino ad hoc opus Ottonem Babenbergensem episcopum, cuius tunc fama late in regnis effloruit — eo quod et hunc in adolescentia eius patri suo capellani more obsequentem, notum et carum habuerit — invitare decrevit, oportunum fore autumans, cum tali viro et antiquas renovare amicitias, et tam sancti operis gratiam illius iniungere sanctitati. Mittens ergo legatos et munera, scripsit ei litteras secundum verba haec[95]: *Domino suo et patri amantissimo Ottoni, venerabili episcopo, Bolezlaus,* 1123. *dux Polonorum, filialis obsequii humilem devotionem. Quia in diebus iuventutis tuae apud patrem meum decentissima te honestate conversatum memini, et nunc quoque Dominus tecum est, firmans te et benedicens tibi in omnibus viis tuis, si tuae non displicet dignitati, veteres tecum renovare animo[e] sedit amicitias, tuoque consilio simul et auxilio uti ad[f] Dei gloriam promovendam, ipsius gratia coadiuvante. Nosti enim, ut arbitror, quomodo Pomeranorum cruda barbaries, non mea quidem sed Dei virtute humiliata, societati ecclesiae per baptismi lavacrum se admitti petivit[g]. Sed ecce, per triennium laboro, quod nullum episcoporum vel sacerdotum idoneorum michive coaffinium ad hoc opus inducere queo. Unde, quia tua sanctitas ad omne opus bonum prompta et indefessa praedicatur, rogamus, pater amantissime, non te pigeat, nostro comitante servitio, pro Dei gloria tuaeque beatitudinis incremento id laboris assumere. Sed et ego tuae paternitatis devotus famulus, impensas omnes et socios itineris et linguae interpretes et coadiutores presbyteros, et quaecunque necessaria fuerint, praebebo, tu tantum, sanctissime[h] pater, venire dignare.*

7. His auditis, episcopus, quasi de coelo vocem loquentis Dei accepisset, toto pectore habundantia laetitiae[i] repletus, gratias egit omnipotenti Deo, quod ad tale negocium suo uti dignaretur ministerio. Habito igitur chori et cleri sui consilio, missis ad apostolicam sedem legatis, cum licentia et benedictione atque obedientia venerandae memoriae domni Honorii[96] papae, huic gravissimae[k] sarcinae humerum devote applicuit. Sed quia terram Pomeranorum fama ferente opulentam audiverat, et egenos atque mendicos penitus non habere sed vehementer aspernari, et iamdudum quosdam servos Dei praedicatores egenos ac censu tenues propter inopiam contempsisse[97], quasi non pro salute hominum sed pro sua necessitate relevanda officio insisterent praedicandi; studiose procuravit, ut non solum

a) *ita* 1; Naclam A 2; Nadam B; Vadam B 3*. b) in circuitu *desunt* A 2. c) monstrarentur B. d) extraneis *codd. mut.* e) meo *add.* B*. f) ad Dei — promovendam *desunt* 1. g) petunt *codd. mut.* h) sanct. p. *desunt* 1. i) habundanti laetitia *codd. mut.* k) gratissime 1.

92 De nomine Nakel accuratissime scripto in codice 1 iam dubitari nequit. Sed ne sic quidem de Poloniensi Nacla ad Netzam cogitandum videtur; vera ni fallor vidit Quandt Balt. Studien X, 2. p. 130, qui coniicit eandem esse civitatem dirutam, quam haud procul a Colberga sitam eisdem fere verbis descripsit Sefridus post annos tres testis oculatus II, 38. Ceterum cf. II, 30 et SS. XII, 777 ann. 30. 93) Wratislao. 94) II, 29. 95) i. e. per annos 1121–1123; 24. Apr. 1124. Otto ingressus est iter. II, 8. 96) Calixti II. qui obiit 13. Dec. 1124. 97) Bernhardum. Ebbo II, 1.

illis non indigens, verum etiam opulentus appareret, nec opes eorum sibi sed ipsos potius velle Deo lucrari. Assumptis igitur clericis idoneis, et eisdem ad iter habunde procuratis, missales aliosque libros et calices cum indumentis sacerdotalibus, et alia quaeque altaris utensilia, quae in gente pagana subito inveniri non posse sciebat, provida liberalitate secum fecit portari[a], ne sine instrumentis[b] agricola fidus in agrum Domini sui exire videretur. Vestes quoque et pannos preciosos aliaque donaria, nobilibus ac divitibus apta, euangelista simplex et prudens in viam portavit euangelii[c], ne forte indigentiae causa paganis videretur euangelizare, sed novellae plantationi sua potius conferre quam illius appetere.

Tiemo: Parum te hic submoneo; non tibi sit iniuria. Video equidem quibus causarum eventibus ad illam gentem tam longinquam Ottonem nostrum ire contigerit; sed qua illic iter egerit, et quo tempore in viam ierit, leviaque sive aspera viae dicere non omittas, ne errare incipiam, si et ego eo ire velim.

Sefridus: Ut vis, et in hoc ego obediam.

1124. 8.[d] Paratis[e] omnibus quae profectioni erant necessaria, proxima die post festum
Apr. 24. beati[f] Georgii martiris, salutato clero et populo suo, tanquam hoc opere viam sanctificaret,
1 duas ecclesias unam in Luckenberge[g 1] et alteram in Vohendreze[h, 2] consecravit. Hinc
Apr. 28 transito nemore Boemico per abbatiam Cladarunam[i, 3] ventum est[k] Bragam, inde per
Apr. 29. Satischam[4], in Albe fluminis ripa sitam ecclesiam, ad castrum ducis Boemici[5] quod
Apr. 30. Mileciam[6] dicunt, ubi a duce ipso magnifice susceptus et donis honoratus est. Inde per
Mai. 2. aliud eius castrum Burdan[l, 7] nomine usque ad[m] Nemeciam[8] urbem ducis Poloniae; atque
Mai. 3. inde per tres episcopatus Poloniae, Brezlawensem videlicet et Calissensem[9] atque Pozenanensem usque ad archiepiscopatum Gneznensem cum gaudio et pace conducti sumus, omnibus illis ecclesiis una salutationis forma dominum meum[n] suscipientibus, festive scilicet processionis honore, gaudentesque per loca singula uno eodemque exultationis cantu, eius proposito alludentes: *Cives apostolorum et domestici Dei advenerunt hodie* et caetera quae in illo responsorio sunt devote cecinerunt.

Mai. 20. 9. Praeterea dux ipse et omnes optimates Poloniae, quasi 200 passibus ab urbe
Gnezna[10] nudis pedibus procedentes, cum magna susceptum reverentia principalem usque ad ecclesiam conduxerunt. Dux ergo tali hospite laetissimus et gloriosus, per dies 7 eius fruens praesentia, multa nobis exhibita humanitate et benignitate[o], omnia etiam viae[p] necessaria sollerti cura instituit praeparare, deditque domino meo de gente illa tam Sclavicae quam Teutonicae linguae gnaros satellites ad diversa eius ministeria, ne quid incommoditatis per linguae ignorantiam in gente externa pateretur. Quid dicam currus et quadrigas ordine longo victualia et omnes sarcinas nostras portantes? Monetam quoque illius terrae liberalitate contulit ingenua, nulla nos sustinens laborare inopia, sed neque propria expendere, acsi omne illius viae meritum suis impensis emere cogitaret. Tres etiam sacerdotes capellanos de latere suo princeps episcopo sociavit coadiutores verbi, et cen-
11 turionem quendam nomine Paulicium[11], virum strennuum et catholicum, qui etiam naturali facundia idoneus esset concionari ad populum.

Mai. 27. 10. Taliter a duce Poloniae dimissi, per Uzdam[q, 12] castrum in extremis Poloniae
finibus transeuntes, nemus horrendum et vastum, quod Pomeraniam Poloniamque dividit,
Mai. 28. intravimus; sed viam in invio quam difficile est[r] tenere, etiam illic experiri potuimus. Nemus quippe hoc nulli ante mortalium pervium erat, nisi quod superioribus annis[13] dux[s] latrocinandi causa, priusquam subegisset totam Pomeraniam, sectis signatisque arboribus viam sibi exercituique suo exciderat. Quae signa tenentes, magna quidem difficultate propter serpentium ferarumque monstra diversarum, nec non et gruum in ramis arborum nidos habentium, nosque garritu et plausu nimis infestantium, importunitatem, simulque

a) portare 1. b) instrumento B. c) euangelium B. d) *usque* oportunos exhibentibus *sub finem c.* 14. B 1. 2. 3* *unum est caput.* e) igitur *add.* B 1. 2. f) sancti *codd. mut.* g) liuckenberge B 1; luckenb. B 2. h) vohendrese A 2; vohendretze B 1. i) cladarun B; cladarum B 2. k) venit B. l) Burda *codd. mut.* m) *deest* 1. n) episcopum s. B. o) et ben. *desunt* 1. A 2. p) vite B 2. q) quoddam B*. r) sit *codd. mut.* s) superius memoratus dux annis sup. B 2.

1) *Leuchtenberg.* 2) *Vohenstrauss.* 3) *Kladrau.* 4) *Satzka*, ecclesia collegiata. 5) Wladislai I. 6) *Milletin* in circulo Bidschowensi. 7) *Warthe* ad Neissam; vid. Ottonis itinerarium, quod dedit Quandt l. l. p 133. 134. 8) *Nimptsch.* 9) Calissensis non exstabat episcopatus. 10) De die cf. Ebbo II, 3. 4. 11) comitem de Zantok, cf. Monach. Priefling. II, 2. 12) *Uscz* ad Nitzam; cf. SS. XII, 779 ann. 50 52. 13) II, 5.

propter loca palustria quadrigas et currus praepedientia, vix diebus 6 emenso nemore, ad 1124. ripam fluminis, qui limes Pomeraniae est, consedimus. Iun. 2.

11. Dux vero Pomeranorum Wortislaus dictus[a] adventus nostri praescius, cum 500 viris occurrens, ex alia parte aquae castra metatus est, moxque amne transmisso cum paucis episcopum salutat atque salutatur ab illo, et quia christianus erat, occulte autem propter metum paganorum, corde magis quam ore locutus, in amplexu pontificis diu pendens, alta devotione super viae causa Dei clementiam collaudat. Episcopo autem et duce cum interprete et Paulicio seorsum in colloquio demorantibus, caeteri qui cum duce venerant homines barbari, quia clericos aliquantum trepidare videbant, ficto eos terrore amplius vexabant, ita ut articulum passionis imminere metuentes, confessione, orationibus atque psalmodia Domino nostrum commendaremus agonem.

Tiemo: Modicae fidei quare, inquit, timuisti?[b] Matth.14,31.

Sefridus: Non, inquit, sine causa; primo illic paganos vidimus, et qua mente dux advenerit, nondum omnes sciebamus. Sed et horror solitudinis, et loca insolita, et nuper evasi nemoris nigra densitas, et crepusculum noctis propinquae, et hominum barbarorum crudelis aspectus, materia nobis non parvi timoris erant. Nam et cultros acutissimos educentes, vivos nos excoriare aut transfigere, ac humi nos defodere usque ad verticem, coronasque nostras eisdem cultris punctare ac secare minati sunt; et alia multa genera tormentorum, rictu fremituque nos terrentes, nobis imminere dixerunt, quae omnia certe, si bene te novi, tuam quoque animositatem effregissent. Sed cito respiravimus, duce ipso nos placidae benignaeque consolationis eulogio relevante, quodque inani pavore pulsati fuimus, tam nobis quam illis ioco esse coepit. Nam ubi nobis ducem ipsum aliosque milites, qui nos terruerant, christianos occultos esse compertum est, primo quidem paulatim animari, deinde fiducialius agere, ipsosque etiam adhortari ac docere praesumpsimus, quos ante vel intueri, metu perculsi, non potueramus. Ipsis ergo iam mansuescentibus, et religioni christianae magis magisque deferentibus, repletum est gaudio os nostrum et Ps. 125,2 3. lingua nostra exultatione, dicebantque inter gentes, quorum Deus tetigerat corda: ***Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes; quia vobis venientibus ad nos dissolvet Dominus captivitatem nostram, sicut solvitur glacies a sole meridiano.***

12. Episcopus itaque bene agendi semper avidus, bene se venisse ominatus, donariis ducem honorans, baculum quoque dedit eburneum, quo ille statim usus ipsoque incumbens gratulabundus huc illucque deambulabat, conversusque ad milites: *Qualem*, ait, *patrem nobis dedit Deus, et qualia patris dona, et haec nunc quidem magis quam alio tempore gratiora?* Hinc ad castra discessum est. Factoque mane dux de viris qui secum venerant Iun. 3. ductores et ministros reliquit episcopo, mandans in tota Pomerania per cuncta loca possessionis suae liberalia ei praeberi hospitia. Nos vero transito fluvio terram Pomeranorum in nomine Domini intravimus, et conductoribus nostris viam domonstrantibus, iter ad castrum Pirissam[14] dereximus. Dux vero a nobis ad sua negocia divellitur.

13. In ipso autem itinere viculos paucos bellica pridem vastatione dirutos et raros incolas, qui nuper se post dispersionem recollegerant, invenimus, qui de fide christiana conventi, et an credere vellent interrogati, humiliter pedibus advolvuntur episcopi, cathezizari se atque baptizari postulantes. Hos ergo quasi primicias messis dominicae in aream domini sui messor devotus cum gratiarum actione componens, baptizavit illic homines 30, fidemque sanctae Trinitatis et decalogum legis in numero tacite considerans, opus euangelii[c] mystice a se inchoatum gavisus est.

14. Inde ad castrum ducis Pirissam undecima hora diei propinquantes, ecce, illic[d] hominum ad 4000 ex omni provincia confluxisse, ut eramus eminus, aspeximus; erat enim Iun. 4. nescio quis[e] festus dies paganorum, quem lusu, luxu cantuque gens vesana celebrans, vociferatione alta nos reddidit attonitos. Non igitur utile vel cautum nobis visum est, illa nocte in turbam, potu laeticiaque ferventem, nos tam insolitos hospites advenire, sed manentes ubi fuimus noctem illam insompnem duximus, nec ignem in castris habere ausi, nec verbis apertioribus ad invicem loqui praesumentes. Mane vero episcopus Paulicium Iun. 5. et nuncios Bratizlai ducis ad castrum mittit. At illi, salutatis maioribus ex nomine ducum,

a) W. d. *desunt* 1. B. b) dubitasti *codd. mut.* c) euangelicum *codd. mut.* d) turbam *add.* B 1. e) n. quis *desunt codd. mut.*

14) *Pyritz.*

1124. ab eis missum nunciant episcopum, qui fidem et religionem christianam terrae illi debeat praedicare. Atque sub eorundem auctoritate mandant et suadent, ut digne ac reverenter susceptum audiant, addentes virum esse[a] honorabilem, domi divitem, et nunc quoque in aliena terra suis opibus sufficientem; nichil illum petere, nullius egere, pro illorum salute advenisse, non quaestus[b] gratia. Memores sint fidei ac sponsionis suae, memores divinae ultionis et recentis exterminii, ne[c] denuo iram Dei exasperent[d]; orbem universum christianis legibus deditum, se solos universitati resistere non posse. At illi diu cunctabundi et diversas excusationes molientes, indulgentiam temporis consilio petunt, non oportere dicentes rem tam grandem subito aut inconsulte aggredi. Paulicius vero et legati astu[e] ea dici animadvertentes: *Non*, inquiunt, *tempus est productioris consilii; quod facturi estis, facite citius! Ecce, iuxta est! Sero ad vos intraturus erat domnus antistes, sed quia ludo et iocis occupatos audivit, distulit intrare, in campo figens tentoria; sed vestrae hoc convenit prudentiae, ut non illum despectiva dilatione contristetis, ne forte et domni duces se doleant super hoc iniuriatos. Et est*, inquiunt, *tam prope?* Quibus ita esse respondentibus: *Et omnia*, inquiunt, *consilia nostra ruptum eunt. Quoniam ergo rerum convenientia sic postulat, faciamus sponte et alacres, quod facturi sumus. Nam et altissimus Deus sua nos virtute circumventos undique trahere videtur. Declinare non possumus, sequamur ergo trahentem ad vitam, ne reluctantes bonitati eius praecipitemur in mortem. Dii nostri, sicut apparet, dii non sunt;*
Iudith 13,17. *contra eum nos iuvare non possunt. Melius ergo est, ut relictis desertoribus ad verum Deum, qui non deserit sperantes in se, ex toto corde*[f] *transeamus.* Verum ubi eam sententiam tam bonam tamque salubrem diligenti retractatione probaverant, primo quidem apud se in conclavi, deinde vero cum legatis et Paulicio ad plenum vigorem laxiori consilio firmaverant, cum eisdem ad populum egressi, qui, sicut ad festum confluxerat, contra morem indispersus Dei nutu in loco manebat, nec in rus discesserat. Luculenti sermonis dulcedine, multo benivolentiae captu eos de hoc verbo allocuti sunt. Sed quid multa? Mirum dictu, quam subito, quam facili consensu omnis illa multitudo populi, auditis primatum verbis, in eandem sese convenientiam[g] inclinaverit. Et quia dici audiunt episcopum in proximo esse, facto ingenti clamore, ut advocetur[h], rogant, quó illum videre queant et audire, antequam soluto coetu singuli in loca sua discedant. Redeuntibus itaque Paulicio et legatis, abierunt quidam de castellanis cum eis ad episcopum, qui obnixa veneratione ad se illum invitarent, salutatum ex parte nobilium plebisque universae, quique fidem facerent, sine omni periculo vel iniuriae metu eum ascendere posse, quin etiam in omnibus ei obauditturos se ex animo. Episcopus vero tam quieto successu rebus se promoventibus, gratias agens Deo, ad castrum se levabat. Sed ecce, ubi quadrigas, vehicula et sagmarios nostros victualia portantes, iumenta quoque et populum qui nobiscum veniebat eminus videre coeperunt, quasi apparatum belli suspicantes, modicum turbati sunt; re autem sicut erat recte agnita, pavore abiecto, in modum torrentis omnis populus in occursum nostrum effunditur, ambiens et circumdans, ammirans et contemplans et nos et omnia nostra, usque ad hospitii locum nos conducendo. Fuit autem ante introitum castri area spaciosa, quam occupantes, fiximus tentoria in eodem loco, ipsis barbaris mansuete ac familiariter nos adiuvantibus, et in omnibus se nobis oportunos exhibentibus.

15.[i] Interea vero episcopus pontificalibus indutus, monente Paulicio et primatibus
15 de loco editiori populum cupientem ore alloquitur interpretis[15], ita dicens: *Benedictio Domini super vos, benedicti vos a Domino! Benedicimus et gratias vobis referimus in nomine Domini, quia grata et iocunda et benigna susceptione nos refovistis. Et causa quidem adventus nostri ad vos quae sit, forte iam audistis, et iterum, si dignamini audire, debetis et diligentius attendere. De via longa venimus. Salus vestra, beatitudo vestra, gaudium vestrum tantae nobis viae causa fuit. Nam salvi, laeti atque beati eritis aeternaliter, si creatorem vestrum agnoscere et illi soli servire vultis.* Haec et his similia, quae inserere studio brevitatis omitto, populo rudi simpliciter euangelizante pontifice, omnis illa multitudo, quasi unus homo, fidei sanctae concordantes, illius doctrinae se commiserunt. At ille cum clericis et sacerdotibus 7 diebus eos cathezizans, et de omnibus quae christianae religioni conveniebant, diligentissime instruens, indicto trium dierum ieiunio, iussit, ut corpora sua balneis mun-

a) eum esse virum B 2. b) questu 1. c) *deest* A 2. d) exasperant A 2. e) astute B. f) *ita* 1; to *alia manu superscr.* B; ex t. c. *desunt* A 2. g) consensum B*; voluntatem B 1. h) universi *add.* B. i) B 1. 2. 3* *unum caput duo sequentia.*

15) Adalberti.

darent, et lotis albisque induti vestibus, mundo corde et corpore mundoque habitu ad sanctum baptisma concurrerent. 1124.

16. Interim vero tribus exstructis baptisteriis, ita ordinavit, ut ipse solos mares pueros in uno baptizaret, alii autem sacerdotes in aliis feminas seorsum et viros seorsum[16]. Tanta 16 quoque diligentia, tanta munditia et honestate pater optimus sacramenti operationem fieri edocuit, ut nichil indecorum, nichil pudendum, nichil unquam quod alicui gentilium minus placere posset, ibi ageretur. Namque dolia grandia valde terrae altius immergi praecepit, ita ut ora doliorum usque ad genu hominis vel minus de terra prominerent, quibus aqua impletis, facilis erat in eam descensus. Cortinas circa dolia, fixis columpnellis funibusque inductis, oppandi fecit, ut in modum coronae velo undique cuppa cingeretur; ante sacerdotem vero et comministros, qui, ex una parte astantes, sacramenti opus explere habebant, linteum fune traiecto pependit, quatenus verecundiae undique provisum foret, ne quid ineptiae aut turpitudinis notaretur in sacramento, neve honestiores personae pudoris occasione se a baptismo subtraherent. Cum ergo ad stadium cathecismi turbae venirent, sermome qui talibus competeret episcopus eos omnes communiter alloquens, sexumque a sexu dextrorsum et sinistrorsum statuens, cathezizatos oleo perunxit, deinde ad baptisteria digredi mandat. Igitur ad introitum cortinae venientes, singuli tantum cum patrinis suis intrabant, statimque vestem, qua fuit amictus is qui baptizandus erat, et cereum, illo in aquam descendente, patrini suscipiebant, et ante faciem suam illam tenentes, expectabant, donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos vero qui ad cuppam stabat, cum audisset potius quam vidisset, quod aliquis esset in aqua, velo paululum remoto[a], trina immersione capitis illius misterium sacramenti[b] perfecit, unctumque liquore crismatis in vertice et alba imposita, reductoque velo, de aqua iussit exire baptizatum, patrinis veste quam tenebant illum cooperientibus atque deducentibus. Hic modus, haec species, hic ordo nobis fuit baptizandi viros et mulieres et pueros adultos, qui a sacerdotibus in aquam levari non poterant, tam in Pirissa quam in aliis urbibus et castellis, ubicunque populi copia nos moram facere coegisset.

Tiemo: Miror oppido, unde tam disciplinatam et honestam baptizandi formam acceperit. Et in hieme, quaeso, quomodo sustinebant?

Sefridus: Neque tunc, inquit, eius diligentia quod tempori commodum esset, invenire neglexit. Nempe in stupis[17] calefactis et in aqua calida eodem nitore atque[c] verecundiae observatione, infossis doliis et cortinis adhibitis, thure quoque et aliis odoriferis speciebus cuncta respergentibus, veneranda baptismi confecit sacramenta. Nec mirum te ista mirari; etenim qui ea vidimus mirabamur et ipsi tam haec quam alia complura morum eius atque virtutum insignia. Ipse namque in omni actione sua, quod et paganis dignum laude videbatur, quandam a Spiritu sancto — hoc enim potissimum credo — cuiusdam singularis munditiae atque, ut ita dixerim, elegantis et urbanae disciplinae praerogativam habebat, ita ut nichil unquam indecens aut ineptum inhonestumve quid in cibo aut potu, sermone, gestu vel habitu admitteret, sed in omni officio exterioris hominis, quaenam esset compositio interioris, ostendebat, bonitate, disciplina et prudentiae cautela conspicuus. Sed redeamus ad rem.

17.[d] Mansimus autem in eodem loco quasi diebus 20, euangelizantes populo et baptizantes eos in nomine Domini, dicentes[e] servare unitatem fidei in vinculo pacis, instruentes de festivitatibus et observationibus christianae religionis, de ieiuniis quatuor temporum, de quadragesimali ieiunio; de incarnatione, de nativitate, circumcisione, apparitione, Cf. Epist. Ottonis praesentatione, baptismate, transfiguratione, passione, resurrectione atque ascensione Ebbo II, 12. domini nostri Iesu Christi; de adventu Spiritus sancti, de vigiliis et nataliciis apostolorum et aliorum sanctorum, de die dominico, de sexta feria, de distributione mensium et institutione totius anni secundum christianos. Exstructoque altari et sanctuario — totum enim corpus basilicae tam subito fieri non potuit — altare sanctificavit, et interim missas illic celebrari fecit[f], dans eis sacerdotem, libros et calicem, paraturam et omnia utensilia, quae ad officium altaris pertinebant. Quae omnia illi cum multo gaudio, alacritate ac devotione suscipientes et gratias agentes, omnes veteres et profanas superstitiones suas et gentiles observantias penitus abiciebant, et exuti veterem hominem cum actibus suis, in vitae

a) amoto A 2. b) misterii sacramentum 1. A 2. c) at 1. d) B 1. 2. 3' *unum caput* 17 *et* 18. e) eos *repetunt codd. mut.* f) praecepit B.

16) Cf. II, 20. 36. 17) *Stube.* Cf. II, 24.

1124. novitate ambulare coeperunt et proficere. Erat autem numerus conversorum ibi ad fidem Rom 6,4. quasi 7000. Videns autem episcopus, quia messis multa, et quia et aliis civitatibus oportet eum euangelizare regnum Dei, cum inde processurus esset, vocata concione hoc sermone allocutus est ecclesiam, novellam plantationem suam:

2 Cor 11,2 18. *Fratres, „aemulor vos Dei aemulatione"! Vos enim omnes, qui in praesentiarum ad me audiendum convenistis, et me docente Christo credidistis et christiani facti estis, una in Domino ecclesia estis desponsati per fidem domino meo Iesu Christo. Una, inquam, vos omnes ecclesia estis, una et unica sponsa domini mei Iesu Christi, quia unicae*[a] *universali ecclesiae per fidem incorporati estis. Sed quia ego per eius gratiam huius vestrae desponsionis* 2 Cor 11,2. *auctor esse videor — nam ego ei „uni viro despondi vos, virginem castam exhibere Christo" — hinc est, quod aemulor vos, non tamen qualibet, sed Dei aemulatione. Nam et mala aemu-* Gal 4,17 *latio esse potest iuxta illud apostoli: „Sunt quidam qui aemulantur vos non bene." Aemulari* 1 Cor 12,31 *autem est, velle indignari, licet pro imitari nonnunquam positum inveniatur, ut est „aemulamini carismata meliora". Volo autem vobis indignari, et paratus sum vobis indignari, quod pridem dixi, aemulor vos; quia sine tristitia et indignatione ferre non possum nec potero, si*[b]*, quod absit, ad iniuriam domini mei Iesu Christi, cui per fidem vos despondi, cum diis alienis vos denuo contaminare volueritis. Hoc enim est fornicationis genus, quod maxime separat a* Gal 3,27. *Deo. Fratres, attendite!*[c] *Ecce, „omnes in Christo baptizati estis, et omnes Christum induistis", originalium et actualium peccatorum indulgentiam accepistis ab ipso, mundi estis et sancti, non* Apocal 1,5. *per nos*[d] *sed per eum mundati et sanctificati, quia ipse in sanguine suo lavit peccata mundi. Nolite ergo iterum inquinare vos cultura idolorum; nam haec est immundicia, qua omnino Deus offenditur, et penitus separat a Deo*[e]*; nolite vos prostituere corruptoribus et immundis spiritibus. Soli Deo creatori vestro, nulli autem creaturae divinum honorem exhibete, ne indignatio eius et furor veniat super vos, sed magis in fide et spe et caritate proficite, ut benedictio eius veniat super vos et super filios vestros, et ut ei credentes et fidem operibus, exor-* 1 Petr 2,9 *nantes, vitam habeatis in nomine ipsius, „qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen suum". Certi enim esse et nullatenus dubitare debetis, quia si hanc in qua hodie positi estis innocentiam*[f] *et*[g] *sanctificationem ipsius adiutorio servare usque ad finem vitae vestrae studueritis, non solum mortem evadetis aeternam, sed etiam gaudium regni coelestis possidebitis in* Iob 7,1 *aeternum. Sed quia vita praesens sine peccatis duci non potest — luctamen*[h] *enim et temptatio est vita hominis super terram — discessurus a vobis, trado vobis quae tradita sunt nobis a Domino, arram fidei sanctae inter vos et Deum, septem videlicet sacramenta ecclesiae, quasi septem significativa dona Spiritus sancti, quibus utendo in laboribus et certamine huius vitae non deficere sed proficere vestra possit ecclesia, suosque valeat*[i] *defectus reficere. Videte ergo et tenete, ut*[k] *sciatis diligenter enumerare quae tradimus vobis, discedentes*[l] *a vobis*[m]*. Primum ergo sacramentum est, quo iam imbuti estis, sacrosanctus baptismus. Hoc sacramentum, fratres mei, abhinc et semper tenere et venerari debetis, et parvulis vestris oportuno tempore, scilicet in sabbato sancto paschae ac pentecostes, per manus sacerdotum tradere debetis, certissime scientes, quod quicunque sine illo de hac vita emigraverit, et regno Dei carebit, et insuper maledicti originalis poenas luet aeternas*[n]*. Secundum sacramentum est confirmatio; id est unctio crismatis in fronte. Hoc sacramentum victuris est necessarium, videlicet ut Spiritus sancti corroboratione muniantur et armentur, contra omnes temptationes et nequitias vitae praesentis pugnaturi. Non autem usque in senectam differendum est, ut quidam putant, sed in ipsius adolescentiae fervore percipiendum, quia illa aetas magis obnoxia est temptationibus*[o]*. Tertium sacramentum est unctio infirmorum, quod ideo morituris est necessarium, quia in illa unctione per virtutem Spiritus sancti remissio datur peccatorum, et ipse qui moriturus est, contra spirituales nequitias, id est contra malignos spiritus in exitu vitae animabus insidiantes, eadem Spiritus sancti virtute pugnaturus armatur. Hoc omni christiano in agone mortis ardentissime desiderandum et devotissime percipiendum est, utpote remedium animae certissimum*[p]*. Quartum sacramentum est eucharistia*[q]*, id est corpus et sanguis Domini. Hoc sacramentum victuris et morituris est necessarium. Sive*[r] *vivimus, sive morimur, hoc viatico semper est utendum. Est enim cibus animae verus, vitam in se habens aeternam. Unde frequenter*

a) *deest* 1; unica B 3*; ac *add.* B 2. b) sed 1. B 3*. c) intendite 1. d) vos *codd. mut. except.* A 2 B 1. e) gratia dei *codd. mut.* f) servaveritis *addit* B. g) istam *addunt codd. mut.* h) lucta 1. A 2; noxa B*. i) *deest* 1. B 2. k) et ut 1. l) discentes 1. m) *sequitur inscriptio* de septem sacramentis primum 1; de baptismo B 2. n) *inscriptio* secundum 1; de confirmatione B 2. o) *inscriptio* tertium 1; de unctione B 2. p) *inscriptio* quartum 1; de eucharistia. B 2. q) euchar *deest* 1. A 2. r) enim *add. codd. mut.*

missae celebrandae sunt, et vos ad easdem devote convenire debetis, ut saepius huic viatico 1124. *communicetis. Quod si non potestis, quia carnales estis, huic tam sanctissimae rei per vos*[a] *ad*[b] *omnes missas participari, saltem per mediatorem vestrum, scilicet sacerdotem, qui pro vobis communicat, fideliter, reverenter ac devote missas audiendo communicate. Oportet tamen et vos ipsos ter vel quater in anno, si amplius fieri non potest, et confessionem facere atque ipsi sacramento communicare*[c]. *Quintum sacramentum est per poenitentiam reconciliatio lapsorum, id est ipsorum qui post baptismum propter graviores culpas ab ecclesia proiecti, per satisfactionem poenitentiae iterum ei reformantur. Et hoc sacramentum quasi malagma et recuperatio est cadentium in pugna et vulneratorum*[d]. *Sextum sacramentum est coniugium, id est copula matrimonialis. Quinque autem superiora sacramenta quasi generalia sunt et omni christiano necessaria, istud autem quasi particulare est, quia non omnibus necessarium, sed eis tantum qui se continere non possunt, et sicut ad superiora sacramenta omnes homines trahendi sunt et invitandi, ita nullus ad hoc trahendus vel invitandus est, nisi qui, ut dictum est, se non continent, sed vago et illicito concubitu sese polluunt et commaculant. His enim suadendum est, ut infirmitati suae honestiori subveniant remedio. Vos autem qui usque ad haec tempora non christiani sed pagani fuistis, sacramentum coniugii non habuistis, qui fidem uni thoro non servastis, sed qui voluistis, plures habuistis uxores; quod deinceps vobis non licebit. Sed unus vir unam tantum habere debet uxorem, et una unum; quod amplius est, a* Matth. 5, 37. *malo est. Si quis ergo in vobis est, qui plures habuerat uxores ante baptismum, nunc unam de illis, quae sibi magis placet, eligat, dimissisque aliis hanc solam habeat ritu christiano. Et* Epist. Otton. Ebbo II, 12. *partus*, inquit, *femineos, audio, quia vos, o mulieres, necare consuevistis. Quod quantum abominationis habeat, exprimi sermone non potest. Videte, si hoc vel bruta faciant animalia fetibus suis. Parricidium hoc non fiat amodo in vobis, quia sine gravissima poenitentia dimitti non potest. Sive igitur sit masculus sive femina, diligenter enutrite partus vestros; Dei enim est et marem procreare et feminam*[e, 18]. *Septimum itaque sacramentum est ordinatio sive con-* 18 *secratio clericorum, quod et ipsum particulare est et non generale, quia non omni homini necessarium. Quamvis enim omnes homines indigeant clericis, non tamen est necessarium omnes homines fieri clericos. Ad ipsum tamen sacramentum, qui moribus et scientia magis idonei sunt, invitandi sunt potius quam trahendi. Unde adhortor vos et invito, quia cogere non debeo, ut de liberis vestris ad clericatum tradatis liberalibus studiis prius diligenter instructos, ut ipsi per vos, sicut aliae gentes, de lingua vestra latinitatis conscios possitis habere clericos et sacerdotes. Ista igitur septem sacramenta, quae iterum vestri causa enumerare libet, id est baptismum, confirmationem, infirmarum unctionem, eucharistiam, lapsorum reconciliationem, coniugium et ordines, per nos, humiles suos paranimphos, sponsus coelestis in arram verae dilectionis vobis, ecclesiae ac sponsae suae, transmittere dignatus est. Quapropter omni honore ac reverentia eadem sacramenta servate, diligite et veneramini; docete ea filios vestros, ut memoriter teneant, et diligenter observent in omnes generationes. Ecce, habetis ecclesiam, habetis sacerdotem de his omnibus, et quaecumque sunt necessaria vobis, habundantius vos instruere scientem. Ipsum ergo, sicut me, audietis, honorantes et amantes eum, et quaecumque vobis dixerit facientes. Et nunc ego vado, iterum cito reversurus ad vos. Valete, in Domino dilectissimi*[f]*!*

19. Forte videor alicui nimis plenarie historiam exequi, et longior esse quam in tali narratione oporteat. Quid sentitis?

Tiemo: Perge, quaeso, sicut coepisti. Dilectoribus siquidem Ottonis quicquid de illo est, quoniam bonum est, superfluum aut longum videri non potest.

Sefridus: Ibo, inquit, ut vultis. Postquam confirmata et instructa est ecclesia in Pirissa, uberrime lacrimati populoque primitivo nostro caro affectu valefacientes, legatis nos deducentibus, ad civitatem ducis Caminam[19] devenimus. Erat autem illic ducissa, uxor Iun. 24. videlicet ducis legitima, et licet inter paganos, christianae tamen religionis memor. De nostro adventu laetissima efficitur, et cum omni domo sua tanto nos devotissime[g] suscepit, quanto et hoc marito placere, suaeque et illius saluti profuturum non dubitavit. Nobis etenim Pirissae demorantibus, omnia quae illic gerebantur, immissis clam exploratoribus, diligenter edidicit, magnoque tripudio cordis de illuminatione illius plebis exultans, ipsa quoque suae fidei scintillam, quasi sub mortuis cineribus eatenus consopitam, inter suos

a) nos 1. b) *deest* 1. A 2. c) quintum 1; De penitentia B 2. d) sextum 1; De coniugio B 2. e) septimum 1; De ordinatione B 2. f) *deest* 1. A 2. g) devotius *codd. mul.* 18) Cf. II, 33. 19) *Cammin.*

1124. familiares modeste primo, deinde fiducialius apud omnes quos potuit ventilare coepit. Et Eccli. 11, 34 quia scriptum est: *De scintilla consurgit ignis*, totam illam civitatem, etiam ante nostrum introitum, tantus ardor fidei sanctae, operante Domino per matronam, invaserat, ut non solum nichil contradictionis, verum etiam totius populi consensum de suscipiendo baptismo invenerimus in multa gaudii plenitudine.

20. 40 ergo ferme [a] diebus in eodem loco manentes, tam ipse pontifex quam alii eius cooperatores, sacerdotes et clerici, id pene solum operis habuimus, suscipere venientes [b] ad fidem, docere, cathezizare, praedicare et baptizare; videbamurque in tam copiosa mense pauci messores. Nam et ipsius loci atque circumiacentis provinciae populus catervatim accedebat cottidie ac recedebat; quibus omnibus dum satisfieri oporteret, immenso labore, maxime qui fuit in baptizando, episcopum nostrum, licet solos mares pueros tingeret, saepenumero sudantem aspeximus, adeo profecto, ut alba eius ab humeris usque ad umbilicum ante et retro sudore manaret. Saepe etiam ipsius ministerii nimietate lassatus, brevi sessione vires recuperans, modicumque sedendo respirans, quasi animosus operator et strennuus, denuo se sublevabat in idem opus sibi dulcissimum, gratias agens omnipotenti Deo, quod ipsius praestante clementia tot manipulos in eius horrea cum sudore ac lassitudine sua congereret.

21. Dum ea Caminae gerebantur, atque de successu rerum et nos et populus civitatis cum ipsa matrona nobilissima et christianissima spirituali gaudio frueremur, ecce, cum suo comitatu dux terrae Vratizlaus [c], non modicum laetitiae salutaris augmentum, super- Aug. 3. venit [20], nichilque moratus, quasi filiali fiducia, in amplexus ruens episcopi: *Salve*, inquit, *pater sanctissime*. Deinde: *Non, quaeso*, ait, *irascaris, quod post primam illam et momenta-* 21 *neam salutationem* [21] *tam diu fui te non videns, sed causa* [d] *fuere inexcusabiles rei publicae administrationes* [e]. *Nunc autem ecce, assum paratus* [f] *parere ac servire tuae paternitati, prout vis. Etenim nos ipsi et omnia nostra tui sumus; utere sicut vis.* Et haec dicens, conversus ad clericos et ad alios quosque meliores de comitibus nostris: *Et hos*, inquit, *pater, tuos collaboratores tua licentia salutabo*, apprehendensque manus singulorum tenebat, et benedicebat illis atque deosculabatur, eos filios et fratres appellans carissimos, benedixitque Deum omnium bonorum largitorem, quod hospites tam gratissimos sua domo suscipere meruisset. Quia vero deinceps navigio de civitate ad civitatem eundum fuit, omnes equos et iumenta nostra villicos suos ad oportuna [g] loca terrae pastus gratia deducere iussit; nec [h] ante nobis reddebantur, quam etiam consummatis omnibus de terra fuimus iam exituri. Quos certe ita recepimus alteratos, ut prae crassitudine vix cuique suus nosceretur [i]. Milites ergo, qui cum duce venerant, cathezizati statim et baptizati sunt, multique ex eis qui prius christiani fuerant, sed ex consortio incredulorum metas christianitatis excesserant, ex quorum numero ducem ipsum fuisse constat, per confessionem et poenitentiam ecclesiae reformati [k] sunt, promittentes se deinceps omnia quae christiano inimica sunt nomini respuere, et ea quae sunt apta sectari.

22. Dux etiam: *Scio*, inquit, *christianae sanctitati esse contrarium plures uxores vel concubinas habere;* simulque tactis sanctorum reliquiis, sicut christianis iurare mos est, coram episcopo populo aspiciente, 24 concubinas, quas ritu gentili suae legitimae uxori superduxerat, publice abiuravit. Quod videntes alii complures eiusdem enormitatis praesumptores, abiurata et ipsi coniugum pluralitate, uni thoro exemplo ducis fidem se servaturos polliciti sunt. Crevit ergo ecclesia in loco illo, et confortata est ambulans in timore Dei [l], et Spiritu sancto replebatur, episcopo et clericis instantibus et euangelizantibus regnum Dei. Exstructa quoque illic basilica, et sanctificato altari et sanctuario collatisque illuc per ducem praediis ac dote in sustentationem sacerdotis, pater liberalissimus, sicut omnibus ecclesiis in terra illa faciebat, libros contulit et indumenta sacerdotalia, calicem quoque argenteum cum caeteris utensilibus, deque suis sacerdotibus unum, qui populum instruere posset, eidem praefecit ecclesiae.

23. Cum haec omnia rite peracta essent [m], et non solum de civitate, verum etiam de rure populus ad ecclesiam omni die conveniret, et diem dominicum aliasque sollempnitates

a) *deest* 1. b) poenitentes B*. c) Wratislaus A 2; Vrotizlaus B 2. d) causae *codd. mut.* e) administrationis *codd. mut.* f) *deest* 1. A 2. B 2. 3*. g) optima A 2. h) neque *codd. mut.* i) cognosceretur B. k) conformati B 1; confirmanti B 3*. l) domini *codd. mut.* m) fuissent *codd. mut.*

20) elapsis illis quadraginta diebus, i. e. 3. Aug. 21) II, 11.

devote observaret, vidua quaedam in rure non longe a civitate Caminensi, dives ac nobilis 1124. valde, christiana religione contempta, patrios deos se colere, nullaque occasione vanitatis novae a parentum suorum veteri traditione declinare se velle dicebat. Erat autem multam habens familiam et non parvae auctoritatis matrona, strennue regens domum suam; et, quod in illa terra magnum videbatur, maritus eius, dum viveret, in usum satellitii sui 30 equos cum ascensoribus[a] suis habere consueverat. Fortitudo enim et potentia nobilium et capitaneorum secundum copiam vel numerum aestimari solet caballorum. *Fortis*, inquiunt, *et potens est ac dives ille;* [b] *tot vel tot potest habere caballos;* sicque audito numero caballorum, numerus militum intelligitur. Nullus enim militum praeter unum caballum illic habere consuevit. Sunt autem[c] magni et fortes equi terrae illius, et unusquisque militum sine scutifero militat, manticam per se gestans et clipeum agiliter satis et strennue, sic militiae suae officium exequentes. Soli autem principes et capitanei uno tantum vel si multum est duobus clientibus contenti sunt. Factum[d] est ergo in una die dominica tempore messis, populo undique ad ecclesiam properante, praefata matrona nec ipsa veniebat, nec suos permittebat, sed magis turbulenta: *Ite*, inquit, *metite michi agros meos! hoc enim utilius est quam vacare illi nescio cui novo Deo, quem de terra sua nobis affert ille Otto Babenbergensis episcopus; quid nobis cum illo? Videtisne quanta bona et quantas divitias nobis dederint dii nostri? Ipsorumque largitate, opibus et gloria omnibusque rebus habundantes sumus; quare ab eorum cultura discedere non levis iniuria est. Ite igitur, sicut dixi, ad metendas segetes nostras, et, ut minus timeatis, parate michi vehiculum; ecce, ego vobiscum ipsa in campos messura descendam.* Cumque in agrum venisset: *Quod me*, inquit, *facere videritis, omnes similiter faciatis.* Moxque rebrachiatis manicis succinctaque veste, falcem dextra corripuit[e], stantes vero calamos sinistra tenens, secare[f] visa est. Sed mirum dictu, subito, in actu ipso, ut erat inclinis, misera diriguit et quasi marmoris effigies, nec semet ipsam erigere, nec falcem e manu dimittere potuit nec segetem, sed muta et nichil loquens, similis simulacro stabat, tantum intuens intuentes se. Videntes autem famuli timuerunt valde, et concurrentes circumstabant eam, aspicientes et operientes, sinam melius esset habitura. Rogant etiam, ut a temeritate sua resipiscat, dicentes fortem esse Deum christianorum. Sed illa nichil respondebat. Iniectis ergo manibus violenter illam trahentes, erigere conati sunt, et falcem segetemque de manibus extorquere; sed minime potuerunt. Stabat enim[g] quasi moles immobilis terrae affixa. At ubi satis miraculi ac stuporis hoc habitu infelix illa intuentibus ostenderat, ipsique famuli dolore ac taedio affecti, iam abire illamque dimittere vellent, soluta illa repente corruit, sontemque animam in ignem tartareum efflavit. Quam levantes in vehiculum: *En*, inquiunt, *qualem de agro manipulum die dominico reportamus!* Quod factum ubi perferente fama passim vulgatum est — nam famuli statim ad ecclesiam currentes, baptismum postulant, stupidi quae acciderant referentes — et credentibus quidem fides aucta est ex miraculo, non credentes autem, et si qui adhuc blasphemi remanserant[h], ad credendum ex poena mulctatae mulieris eruditi sunt. Dies autem dominicus et aliae sollempnitates reverentius observari coeperunt, nos quoque ipsos et omnem doctrinam nostram, praecipue autem episcopum amplius reveriti sunt.

24.[i] Expletis autem illic ferme 50 diebus, acceptis a duce legatis et conductoribus, Aug. 13. de ipso loco civibus, Domizlao[k] videlicet et filio eius, viris honoratis, per lacus et refusiones marinas Iulinam[22] vecti sumus navigio. Est autem civitas haec magna et fortis; hominesque[l] ipsius loci crudeles erant et barbari. Cum autem appropinquassemus[m] civitati, Ebbo II, 7. conductores nostri haerere, pavere atque inter se mussitare coeperunt. Quod intelligens episcopus: *Quid est*, ait[n], *quod ad invicem confertis?* At illi: *Timemus*, inquiunt, *pater, tibi ac tuis. Populus iste durus semper et indomitus fuit. Si ergo placet tibi, applicemus, et moram in littore usque ad crepusculum noctis faciamus, ne forte civitatem manifeste ingrediendo tumultum populi super nos suscitemus.* In singulis autem civitatibus dux palacium habebat et curtim cum aedibus, ad quam si quis confugisset, lex talis erat, ut quolibet hoste persequente securus ibi consisteret et illaesus. Dixerunt ergo: *Si per noctem ad ducis tecta intramus*[o], *freti securitate, paulatim cives conveniendo negociumque nostrum illis pedetemptim insinuando, melius fortasse proficiemus.* Placuit consilium; et cum dies abscessisset, tecti

a) assessoribus 1. b) qui *add. codd. mut.* c) enim A 2. d) Nota de die dominica miraculum *in margine* 1. e) arripuit A 2. B 2. f) metere B. g) autem *codd. mut.* h) exstiterant B. i) B 1. 2. 3* *c.* 24 *et* 25 *unum.* k) Domezlao B. l) que *deest codd. mut.* m) propinq. 1. n) *deest* 1. A 2. o) migramus B*. 22) *Wollin.*

1124. umbra noctis, curtim et moenia ducis invasimus illis ignorantibus. In crastinum vero ubi nos viderunt, et quinam essemus, et unde et quare venerimus, maligni homines scrutati sunt. Primo quidem moveri ac sensim turbari, currere ac discurrere, videre nos[a] iterumque videre, et alii aliis nunciare. Postremo vero insano furore correpti, magno tumultu, securibus et gladiis aliisque telis armati, sine ulla reverentia in ipsam ducis curtem irrumpentes, mortem nobis sine ulla retractatione, nisi quantocius de curia et de ipsa civitate fugeremus, comminabantur. Erat autem in ipsa curti aedificium quoddam fortissimum, trabibus et tabulis ingentibus compactum, quod stupam vel pirale vocant, in quod scrinia et clitellas et cappellam episcopi et pecuniam et quaeque praeciosa de navi portaveramus, quin et propter impetum furentis populi cum episcopo clerici omnes illuc confugerant. Ego autem eo tempore magna febri tenebar, in alia domo iacens et aegrotans; ultra vires tamen, audito strepitu et clamore bachantium, de stratu erectus, ad ostium domus constiti, et ecce, omnia plena hominum tela et arma portantium! Vociferabantur autem et clamabant, exire nos compellentes. Sed moram nobis facientibus, quasi a furore illi essent cessaturi[b], magis eorum exarsit insania, factoque impetu stupam aggrediuntur et dissipant, tecto[c] primum, dein parietibus disiectis et excisis. Tunc vero episcopus ad coronam passionis se invitari sperans, nobis aliis trepidantibus, quibusdam etiam prae pavore lacrimantibus, ille spiritu iocundo et hilari vultu stabat intrepidus, optans et gliscens, ut vel unum ictum aut vulnus in nomine Iesu accipere dignus habeatur. Paulicius vero et legati videntes, quia vere insaniunt omnes, et quia illic moram facere deterius est atque deterius, in medium populi exilientes, validissimo clamore, acsi et ipsi furerent, extentis manibus silentium fieri postulabant. Quibus ad modicum sedatis, illi continuo prosecuti: *Quid est hoc?* inquiunt. Et causam totam in semet ipsos transferentes: *Si nos,* aiunt, *hic in curia domini nostri ducis pacifice consistere non sinitis, saltim pacifice hinc exire permittite! Quid furitis in nos? Quem laesimus ex vobis?* At illi: *Impostorem*[d], inquiunt, *illum episcopum et ceteros cum eo christianos, deos nostros blasphemantes, interficere venimus. Sed si eos salvare vultis, ecce, damus locum, cito eos extra civitatem deducite.* Plateae autem civitatis palustres erant et lutosae, et pontes exstructi, et tabulae undique positae propter lutum. Arripiens ergo Paulicius per manum trahere coepit episcopum et deducere, adhortans modeste, ut, si posset, properantius iret. Ut autem per medium turbae nos omnes non inperturbatis passibus extra curtim usque ad pontes devenimus, ecce, quidam de turba vir barbarus et fortis, librata quam gestabat ingenti phalanga, vasto ictu caput ferire nisus est transeuntis episcopi. Sed ille avertens caput, humero ictum suscepit, eodemque geminante commissum, et alio eminus in eum iaciente contum, inter manus Paulicii ac Hiltani sacerdotis, ducentium illum, a ponte in lutum prosternitur Otto noster. Paulicius vero et[e] animo et corpore ibi se virum exhibens, iacentem episcopum nec propter imminentia tela deseruit, sed proprii corporis obiectu crebras percussiones excipiens, inque coenum a ponte inguetenus descendens, sublevabat de luto prostratum. Similiter et alii sacerdotes et clerici, dum protegunt illum et iacenti manus porrigunt, fustibus et contis iuxta suum pontificem in nomine Iesu vapulaverunt. Tandem multo discrimine ponte arrepto, rursum ire et abire coepimus extra civitatem, illique a prudentioribus civitatis[f] sedati, cessa-
23 verunt a nobis. Abeuntes ergo trans lacum[23], disiecto ponte a tergo nostro, ne iterum impetum super nos facerent, in campo inter areas et loca horreorum decumbendo respiravimus, videntes et dinumerantes socios, et quia nullus defuit, Deum benedicentes.

Tiemo: Hic, primum hic audio quoddam veri apostolatus indicium; plagas videlicet
Act. Apost. 5, 41. et livores, sicut scriptum est: *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sed dic, obsecro, mi apostole, num in aliquo particeps fuisti huius apostolicae benedictionis?

Sefridus: Me miserum! Infirmitate mea conspecta, talibus bonis me indignum ipsi iudicavere pagani. Puduit tamen, ut verum fatear, aliis de suis portionibus postea satis iocunde gloriantibus, me nichil ibi accepisse.

Tiemo: Consolare, inquit, si quid minus circa te in illo capitulo actum est, in nostro poterit impleri. Sed perge ad cetera, et qualiter in tam dura terra euangelii radix tandem convaluerit, explicato.

a) illos *codd. mut.* b) cassaturi 1. c) tectoque *codd. mut.* d) in pastorem A 2. B*. e) *deest codd. mut.* f) *deest* 1. B.

23) Diwenow; Mon. Priefling. II, 7.

25. *Sefridus:* Postquam nos respiravimus et illi desevierant, Otto beatissimus: *Proh* 1124. *dolor!* inquit, *bona spe cassati sumus. Palma in manibus erat; vos eam — Deus vobis ignoscat, filii et fratres! — extorsistis de manibus nostris. Vix omnes ictus illi unius passioni sufficerent, sed dum omnes ad coronam prosiluistis, nec unum pervenire dimisistis.* Cui Paulicius: *Satis,* inquit, *domine, nobis visus es accepisse. Parum,* inquit ille, *quia voto minus. Tua quoque avaricia*[a] *meam ex parte magna praeripuit*[b] *benedictionem.* Hoc autem dixit de ictibus quos ille intercepit. Constat tamen episcopum tribus plagis vapulasse. Mansimus ergo per dies 15[c. 24] trans stagnum quod cingebat civitatem, expectantes, si forte meliori animo fierent. Interea vero et nostri saepe ad illos ibant et redibant; similiter autem et eorum primates Aug. 20. veniebant ad nos, excusare se, stultis hominibus et vilioribus de plebe culpam illius tumultus imponentes. Habuit ergo episcopus[d] cum eis verbum de fide christianismi, quasi per ambages hortans eos et suadens. Praeferebat etiam nomen et potentiam ducis Polonici[e], et quomodo ad illius iniuriam spectet illata nobis contumelia, quidve mali contra eos inde oriri queat, nisi forte illorum intercedat conversio, insinuavit. At illi consilium se accepturos dicebant, regressique ad suos, omnia haec tractabant diligenter ac[f] retractabant, tandemque in unius sententiae formam consenserunt[g], videlicet super hoc verbo, se facturos quicquid facerent Stetinenses. Hanc enim civitatem antiquissimam et nobilissimam dicebant in terra Pomeranorum matremque civitatum, et satis iniustum fore, se[h] aliquam novae religionis observantiam admittere, quae illius auctoritate prius roborata non fuisset.

26. Quibus auditis, episcopus Stetinam nichil cunctatus adire festinat, et quendam de Iulinensium[i] civibus Nedamerum nomine, ut viam nobis monstraret, assumpsit. Hic autem familiaritate nostra bene utens, cum filio suo quasi alter Nichodemus, occulte nos frequentabat, et quae dicebantur libenter audiebat. Alii quoque nonnulli de ipsa civitate occulte Christum colebant, tam viri quam mulieres. Isti etiam frequentabant nos, dum ibi moras faceremus, deque suis rebus nobis humanitatem honeste impendentes, spirituali consolatione[k] ab episcopo recreati sunt, optantes, ut Stetina recipiente verbum Dei, Iulina quoque recipere ex ratione pacti conveniatur, quo ipsis quid de Christo sentiant publicare licitum fiat. Igitur Nedamero duce ac filio eius Stetinam navigavimus, sed illi Stetinenses offendere veriti, si nos adduxisse viderentur, priusquam ab eis videri possent, nobis valefacientes, in locum suum[l] reversi sunt. Nos vero per crepusculum noctis applicantes civi- Aug. 21. tati[m], egressi naves, curtim[n] ducis intravimus. Mane facto, Paulicius et legati primates Aug. 22. adeunt, ex parte ducum se cum episcopo missos referunt, causam viae ponunt[o] euangelium, dant consilium, promittunt et terrent. At illi: *Nichil,* inquiunt, *nobis et vobis! Patrias leges non dimittemus; contenti sumus religione quam habemus. Apud christianos,* aiunt, *fures sunt, latrones sunt, truncantur pedibus, privantur oculis, et omnia genera scelerum et poenarum christianus exercet in christianum. Absit a nobis religio talis!* Haec et his similia protestantes, obturaverunt[p] aures suas, ne audirent verbum. Omnibus igitur obstinatis, per duos menses et plus ibi morantes[25], nichil paene profecimus. Dum ergo tam longa et inutilis Oct. 22. mora nobis turbationi esset, consilium incidit legatos mittere ad ducem Poloniae, sciscitari, quid de nobis iuberet, utrum manere illic an redire, et de contradictione civitatum quid ei videretur. Quod consilium ubi civibus compertum fuit, timebant quidem, tamen rogabant, ut mitterentur legati, suos cum illis hac ratione profecturos dicentes, ut si apud ducem perpetuae pacis stabilitatem obtinere tributumque alleviare queant, his ibi coram suis et nostris legatis ex[q] scripto firmatis[r], christianis se legibus sponte inclinarent. Abeuntibus ergo cum Paulicio nostris et eorum legatis, nos interim bis in ebdomada, in diebus scilicet mercatus, per medium fori, populo ex omni provincia conveniente, sacerdotalibus[s] induti, crucem portavimus, et de fide atque agnitione Dei populum incredulum oportune et importune alloquendo, iugulum neci quodammodo cottidie aptavimus[t], sed Deo protegente nos laesi non sumus. Plebs autem quae de rure fuit, et simplicitate sua et rerum novitate capta, negociis suis postpositis, praedicationem libentissime accepit, quamvis credere non auderet. Et quia

a) audacia B. b) subripuit A 2. c) *ita* 1 *et codd. mut.* d) *deest* 1. A 2. e) Poloniae *codd. mut.* f) atque *codd. mut.* g) concesserunt 1. B. h) si 1. i) Iulinensibus B. k) *deest* 1. l) occulte *add.* B. m) Stetinae *add.* B 1. n) curiam B. o) proponunt eis B. p) obdurav. 1. q) *deest codd. mut.* r) formatis A 2. s) vestibus *add.* B. t) optavimus 1 *in rasura.*

24) Dies 15 cum sequentibus non concordant; praeferenda lectio Ebbonis II, 7 *dies septem* et Mon. Priefling. II, 7 *una hebdomada.* 25) Ebbo II, 8. Mon. Priefling. II, 8: 9 *hebdomadas.*

1124. certis diebus crux portabatur et sermones fiebant, magis propter verbum quam propter forum ruricolae confluebant. Ego in illis diebus crucem cum Symone in angaria portavi. Nam vellem nollem, per medios barbaros, per forum et turbam incredulorum opprobrium crucis, animo et corpore tener agoniteta, coram episcopo portare iubebar[a]. Deus autem pius et misericors, sciens timiditatem meam et pavorem meum, laedi me non sinebat.

27. Cottidie autem[b] fidei retia laxantibus et nichil nobis capientibus, et multum super hoc taedentibus, tandem benignus Dominus sedulitatem boni servi sui Ottonis, laborem quoque ac moestitiam miserando respexit. Nam duo pulcherrimi adolescentes, filii cuiusdam nobilis de civitate[26], domum nostram frequentare et familiares se praebere, paulatimque de Deo nostro et de fide quaerere coeperunt. Episcopus autem sentiens, quia in bono veniunt, futurorum bonorum ex his captando praesagium blandis mulcet alloquiis, atque de mundicia et honestate christianismi, de immortalitate[c] animarum, de resurrectione corporum, de spe et gloria aeternae vitae adolescentibus per singulos dies euangelizavit. Quae omnia flante Spiritu sancto pueri altius suis inbibere pectoribus, neque diu cunctati, credere se velle atque baptismum percipere dixerunt. Episcopus ergo laetissimus pueros statim catezizat, ac de omnibus quae christianae religioni competebant diligenter instructos iussit, ut loti et lotis induti, cum cereis suis et albis sese praeberent baptizandos. Illi, ut moniti erant, silenter exequentes omnia, die statuto, parentibus insciis, loti et purificati novisque ac mundis vestibus induti, cum albis et cereis, percepturi sanctum baptisma, se manibus episcopi obtulerunt. Videres humano in corpore vultus angelicos, videres, expulsa daemonici squaloris inertia, in vultibus iuvenum Christum, novum hominem gratioso iam coruscare aspectu. Pontifex ipse omnesque alii sacerdotes et clerici gavisi sunt et admirati
Oct. 25. super gratia, quam videre in pueris. Sed quid multa? Baptizati sunt[27], et propter octavam
Nov. 1. purificationis 8 dies apud nos commorantes, in domos parentum non sunt reversi.

28. Mater vero illorum puerorum — nam pater domi aberat — ubi quae gesta sunt audivit, pueris nondum exalbatis[28], ultra quam dici queat gaudio perfusa, cuidam de pueris suis: *Vade*, inquit, *nuncia domino meo episcopo, quia ipsum et filios meos videre venio.* Erat enim matrona magnae honestatis et potentiae in civitate illa. Episcopus ergo audiens illam advenire, desub tecto exiens, in graminis cespite sub divo consedit, suosque regeneratos, adhuc in albis positos, circumsedentibus clericis, ad pedes suos collocavit. Sed ubi matrem eminus advenientem conspiciunt, modeste consurgentes et episcopo prius inclinantes, quod advertere pulchrum fuit, quasi petita licentia obviam ei vadunt. Quos illa intuens albatos, magnitudine gaudii quasi amens et stupida, soluta in lacrimas subito in terram corruit. Accurrit episcopus, accurrunt clerici[d], levant, tenent, consolantur; putabant enim, quod nimietate doloris defecisset. At illa recuperato flatu: *Benedico te*, inquit, *domine Iesu Christe, totius spei et consolationis auctor, quod filios meos tuis sacramentis inbutos tuaeque fidei veritate aspicio illustratos. Scis enim, domine Iesu Christe, quod hos* — tenensque osculata est pueros et amplexata — *in secreto pectoris mei tuae miserationi iam per multos annos commendare non cessavi, petens, ut hoc eis faceres quod fecisti.* Deinde ad episcopum: *Benedictus*, inquit, *introitus tuus in hanc civitatem, domine et pater reverentissime, multum enim populum tua perseverantia Domino hic habet acquirere. Non te dilatio fatiget. En ego ipsa, quae coram te asto, Dei omnipotentis adiutorio, et tui, pater, animata praesentia, sed et pignerum meorum freta subsidio, christianam me confiteor, quod hactenus non audebam.* Sicut enim protestata est, in diebus adolescentiae suae de terra christianorum per rapinam ablata fuit, et cum esset ingenua et speciosa, gentili homini marito suo, diviti ac praepotenti viro, copulata est, et eosdem filios ex illo suscepit. Episcopus ergo super his omnibus Deum benedicens, confitenti et confidenti matronae verbo confortationis fidem auxit et fiduciam, suaeque liberalitatis non immemor, griseae pelliculae clamidem preciosam ei dedit, et eadem petente atque cum fiducia iam euangelizante, omnes eius domesticos aqua tinxit regenerationis, deinde[e] etiam omnes convicinos eius et familiares, viros ac feminas cum parvulis suis, eadem fidei societas paulatim involvit. Pueros quoque ipsos post expletos 8 dies

a) videbar *codd. mut.* b) dum haec geruntur *codd. mut.* c) mortalitate 1. d) accurrunt clerici et episcopus B. e) dein *codd. mut.*

26) Domuzlai; Ebbo II, 9. 27) *in die Crispini et Crispiniani* Mon. Priefling. II, 9. i. e. 25. Octobr. 28) quum albas nondum deposuissent, i. e. intra octo illos post baptismum dies.

in die depositionis albarum duabus camisiis de subtili panno vestivit, et easdem camisias aurifrigio in ora capicii et sutura humerali atque brachiali ornari eis fecit, duosque cingulos aureos tradens et calciamenta picturata, verboque doctrinae et sacramento eucharistiae eos communiens, cum gaudio in domum matris remisit. 1124.

Tiemo: Miris modis aurum suum et donaria Otto noster expendit. Ut enim salvi essent homines, et precio conduxit et verbo instruxit, rudesque alumpnos et spiritualibus documentis informabat, et corporalibus beneficiis conciliabat.

Sefridus: Optime animadvertisti. Sed quanto fenore donaria sua in thesauros Domini sui aliquotiens congesserit, ex his poteris conicere.

29. Praefati etenim pueri cum ad suos coadolescentes pervenissent, et quomodo ab episcopo habiti et instructi essent, et quanta esset apud illum disciplina et honestas, quanta pietas et mansuetudo ruminare coeperunt, mox etiam quantae munificentiae ac liberalitatis circa omnes extiterit, praedicare obliti non sunt. Atque in argumentum rei: *Cernite,* inquiunt, *his indumentis post omnia beneficia sua nos induit, his aureis cingulis honoravit. Pecunia sua captivos redimit, suis impensis eosdem vestit, cibo reficit, et liberos abire permittit*[a]*; quid unquam simile visum auditumve est in terra Pomeranorum? quid simile pontifices nostri et sacerdotes faciunt? Hunc certe aliquem visibilem deum inter homines advenisse, ipsa gratuita redemptio captivorum, in cippis et compedibus putrefactorum, multos cives nostros fecerat autumare; sed ille hoc negans, non deum se, sed Dei altissimi servum pro nostra salute ad nos directum dici et credi optat, et animae immortalitatem et corporum resurrectionem et aeternae vitae gloriam doctrinam dicit esse christianorum. Quare non credatur ei?* Haec et his similia pagana iuventus a iuvenibus audiens, aspirante gratia Dei tracta est, et attracta per eosdem in eundem fidei fervorem; reversique ad episcopum pueri fide recenter imbuti, more columbarum alias trahentium, gregem non modicum adduxere coaevorum euangelii rudimenta suscipere cupientium. Quid multa? Cathezizantur, baptizantur, et a pueris et iuvenibus cana patrum prudentia se passa est erudiri; flammaque fidei paulatim progrediente, concaluit civitas universa, neque iam occulte vel pauci, sed publice ac multi simul cottidie veniebant ad fidem. Interea praefatae coniunx matronae et pater primitivorum in via domo[b] absens ubi audivit, quod uxor et filii totaque domus eius, proiecto paganismo, ritu viveret[c] christiano, mori voluit prae dolore. Sed uxor provida cognatos eius et amicos, qui malagma ei consolationis apponerent, obviam direxit aegroto; ipsa vero domi pro illius conversione preces Domino et vota non irrita offerre non cessavit. Itaque reversus ille cum non solum domesticos suos, verum et alios vicinos et concives suos, veterem hominem exutos in novitate vitae conspiceret ambulantes, ad conformandum se illis, Deo visitante cor illius, facile inclinatus est.

30. Dum ea geruntur in civitate, Paulicius et legati tam illorum quam nostri a duce Poloniae veniunt, pacti mandata et scripta tiranni secundum haec verba reportantes: *Bolezlaus, omnipotentis Dei favente clementia dux Poloniorum et hostis omnium paganorum, genti Pomeranicae et populo Stetinensi promissae fidei sacramenta servanti pacem firmam et longas amicitias, non servanti vero caedem et incendia et aeternas inimicitias. Si occasiones quaererem adversum vos, iusta esse poterat indignatio mea, quod quasi fidei vestrae transgressores vos retrorsum abire conspicio, et quod*[d] *dominum et patrem meum Ottonem episcopum, omni honore ac reverentia dignissimum, vita et fama in omni populo et gente praeclarum, vestrae saluti a Deo vero et nostro ministerio destinatum, sicut oportuit, non suscepistis, neque hactenus secundum Dei timorem illius doctrinae obedistis. Omnia haec vestrae valebant accusationi, sed interpellavere pro vobis responsales et mei et vestri, honorati viri ac prudentes, praecipue autem ipse pontifex apud vos manens, euangelista vester et apostolus. Horum ergo consilio ac petitioni acquiescere dignum iudicans, servitutis ac tributi pondus, ut iugum Christi eo alacriores suscipiatis, hoc modo relevare decrevi: Tota terra Pomeranorum duci Poloniae, quicumque sit ille,* 300 *tantum argenti marcas publici ponderis annis singulis persolvat*[e]*. Si bellum ingruerit ei, hoc modo eum iuvabunt: Novem patres familias decimum in expeditionem armis et impensis habunde procurabunt, et*[f] *eiusdem familiae interim domi fideliter providebunt. Ista servantes et fidei christianae consentientes, nostram pacem porrectione manus et aeternae vitae gaudium consequemini, et in omnibus oportunitatibus vestris praesidia semper*

a) dimittit 1. A 2. b) domi 1. A 2. B 2. 3*. c) viverent B. d) quia A 2. e) persolverit 1; persolvent A 2; persolvant B 3*. f) et — providebunt *desunt* A 2.

1124. *et auxilia Polonensium tanquam socii et amici experiemini.* Igitur habita concione, ubi coram populo et principibus verba haec recitata sunt, multo quam dum apud Naclam[a] armis subacti essent[29] laetiores facti[b], sacramenta devote suscipientes, remota omni controversia, euangelicis traditionibus se submiserunt. Episcopus ergo arrepto tempore pulpitum con-
Philipp. 4, 4. scendens: *Nunc*, ait, *ad nostri sermonis officium ventum est.* Et incipiens: *Gaudete*, inquit[c], *in Domino semper! iterum dico, gaudete! Modestia vestrâ, fides et conversio vestra nota sit omnibus, nota sit omni mundo. Nam totus mundus pro vestra doluit infidelitate. Totus enim mundus, fratres karissimi, usque ad hunc terrae vestrae angulum lumen veritatis agnoscit, et vos in tenebris remanere voluistis. Pudeat et poeniteat vos creatorem vestrum hactenus non agnovisse! Nunc ergo tanto devotius, quanto serius ad ipsum convertimini, currite, festinate, ut eos qui vos in fide praecesserunt, consequamini, hoc agere soliciti, ut qui de vestra cecitate pie doluerunt, de vestra illuminatione possint in Christo gloriari. Et primo ipsis deceptoribus, diis vestris surdis et mutis, sculptilibus, et inmundis spiritibus qui in eis sunt, signo crucis armati, quantocius renunciate, fana diruite, simulacra conterite*[d], *ut hostibus eius eiectis a vobis dominus Deus vester, Deus vivus et verus, in medio vestri habitare dignetur. Nisi enim omnes alios*[e] *abiciatis ipsum habere propitium non potestis. Fugit enim et indignum sibi reputat aliorum consortium deorum, et nulla communicatio templo eius cum idolis. Sed scio, quia nondum satis confiditis; scio, quod timetis demones, inhabitatores fanorum et sculptilium vestrorum, et idcirco non audetis ea comminuere. Sed pace vestra sit, ut ego ipse cum fratribus meis sacerdotibus et clericis simulacra et continas illas aggrediar; et si nos crucis sanctae signaculo praemunitos illaesos permanere videritis, eodem crucis muniti tropheo, vos omnes nobiscum in securi et ascia excisis ianuis et parietibus, deicite illas et incendite.*

31. Quod cum audissent et annuissent, episcopus et sacerdotes, celebrata missa et accepta communione, armati securibus et sarpis[30], continas aggrediuntur et fana, comminuentes et excidentes omnia, scandentes tecta et convellentes. Stabant autem cives aspicientes, quid dii facerent miserrimi, utrumnam tecta sua defenderent necne. At ubi destructoribus nichil mali evenire vident: *Si*, inquiunt, *aliquid divinae virtutis haberent isti, quorum sacra et templa convelluntur, utique defenderent se. Si autem se defendere aut sibi prodesse non valent, quomodo nos defendere vel nobis prodesse poterunt?* Et haec dicentes[f] facto impetu diruunt et comminuunt omnia, ipsamque lignorum materiam inter se diripientes, ad domos suas in usum foci coquendis panibus et cibis comportabant. Et quia plus rapienti plus habere fas erat, omnes illae continae numero 4 mira celeritate confractae sunt ac direptae.

Tiemo: Quare templa illa vocabant continas?

Sefridus: Sclavica lingua in plerisque vocibus[g] latinitatem attingit, et ideo puto ab eo quod est continere continas esse vocatas[31].

32. Erant autem in civitate Stetinensi continae quatuor, sed una ex his, quae principalis erat, mirabili cultu et artificio constructa fuit, interius et exterius sculpturas habens, de parietibus prominentes imagines hominum et volucrum et bestiarum, tam proprie suis habitudinibus expressas, ut spirare putares ac vivere; quodque rarum dixerim, colores imaginum extrinsecarum nulla tempestate nivium vel imbrium fuscari vel dilui poterant, id agente industria pictorum. In hanc aedem ex prisca patrum consuetudine captas opes et arma hostium, et quicquid ex praeda navali vel etiam terrestri pugna quaesitum erat, sub lege decimationis congerebant. Crateres etiam aureos vel argenteos, in quibus augurari epulari et potare nobiles solebant ac potentes, in diebus solempnitatum quasi de sanctuario proferendos ibi collocaverant. Cornua etiam grandia taurorum agrestium deaurata et gemmis intexta, potibus apta, et cornua cantibus apta, mucrones et cultros, multamque suppellectilem preciosam, raram et visu pulcram, in ornatum et honorem deorum suorum ibi conservabant, quae omnia episcopo et sacerdotibus, ubi fanum dirutum fuerat, danda censebant. Sed ille: *Absit a me*, inquit, *ut a vobis ditemur, nam talia et his meliora domi nobis habundant; vos ea potius quorum sunt in vestros usus cum Dei benedictione distribuite.* Et

a) Nadam *codd. mul.* b) pacti 1. B. c) *deest codd. mul.* d) convertite B 3*. e) deos *add.* B. f) dicens 1. g) dictionibus B.

29) Cf. supra II, 5. 30) i. e. sarculis. 31) Polonis est *konczyna* finis, fastigium; continae igitur aedificia fastigata. Vid. Hering Beiträge zur Topographie Stettins, Balt. Stud. X, 1. p. 10.

aqua benedicta omnia conspergens[a] et crucis super ea benedictione facta, iussit, ut inter se 1124. illa dividerent. Erat autem ibi simulacrum triceps, quod in uno corpore tria capita habens Triglaus vocabatur; quod solum accipiens, ipsa capitella sibi cohaerentia, corpore comminuto, secum inde quasi pro tropheo asportavit, et postea Romam pro argumento conversionis illorum transmisit, scilicet ad videndum domno apostolico[32] et universali ecclesiae, quid ipse illius obedientiarius vellendo et plantando, aedificando et destruendo, apud illam Ierem. 1, 10. gentem profecisset. Tres vero aliae continae minus venerationis habebant minusque ornatae fuerant. Sedilia tantum intus in circuitu exstructa erant et mensae, quia ibi conciliabula et conventus suos habere soliti erant. Nam sive potare sive ludere sive seria sua tractare vellent, in easdem aedes certis diebus conveniebant et horis. Erat praeterea ibi quercus ingens et frondosa, et fons subter eam amoenissimus, quam plebs simplex numinis alicuius inhabitatione sacram aestimans, magna veneratione colebat. Hanc etiam episcopus cum post destructas continas incidere vellet, rogatus est a populo ne faceret. Promittebant enim nunquam se ulterius sub nomine religionis nec arborem illam colituros nec locum, sed solius umbrae atque amoenitatis gratia, quia hoc peccatum non sit, salvare illam potius quam salvari ab illa se velle. Qua suscepta promissione: *Acquiesco*, inquit episcopus, *de arbore; sed illud unum, vivum numen sortium vestrarum, de medio tolli oportet, quia nec augurium nec sortilegium*[b] *exercere christianis licet.*

33. Habebant enim caballum mirae magnitudinis et pinguem, nigri coloris et acrem valde. Iste toto anni tempore vacabat, tantaeque fuit sanctitatis, ut nullum dignaretur sessorem, habuitque unum de quatuor sacerdotibus templorum custodem diligentissimum. Quando ergo itinere terrestri contra hostes aut praedatum ire cogitabant, eventum rei hoc modo per illum solebant praediscere: Hastae 9 disponebantur humo, spacio unius cubiti ab invicem disiunctae[c]. Strato ergo caballo atque frenato, sacerdos, ad quem illius pertinebat custodia, tentum[d] freno per iacentes hastas in transversum ducebat ter atque reducebat. Quod si pedibus inoffensis hastisque indisturbatis, equus transibat, signum habuere prosperitatis et securi pergebant; sin autem[e], quiescebant. Hoc ergo genus sortium aliasque ligneas calculationes, in quibus navalis pugnae vel praedae considerabant auguria, quamvis multum renitentibus[f] aliquibus, Dei tandem auxilio penitus abrasit, ipsumque profani vaticinii caballum, ne simplicibus esset offensionis laqueus, in aliam terram vendi praecepit, asserens hunc magis quadrigis quam propheciis idoneum. Cumque omnes superstitiones et enormitates suas episcopo docente abiecissent, monuit[g], ut omnes christianos fratres suos reputantes, nec venderent, nec interficerent, neque captivando torquerent, nec terminos eorum turbarent, nec praedas ex eis tollerent, sed fraterne ac socialiter se cum omnibus gererent, eademque ab illis mutuo sperarent. Et quod omni immanitate crudelius erat, femineos partus enecare[h], ne ultra[i] fieret, mulieres collaudare monebat. Nam usque ad haec tempora, si plures filias aliqua genuisset, ut ceteris facilius providerent, aliquas ex eis iugulabant, pro nichilo ducentes parricidium[33].

34. Emundata igitur civitate ab immanitate scelerum et spurcitiarum, abdicata etiam coniugum pluralitate, adiuvantibus et coeuangelizantibus illis qui ante universalem populi consensum fidem quasi privatim acceperant, fiunt cathecismi per vicos et capita platearum, tuba insonat euangelii, cruces eriguntur, crucifixus adoratur, omnis aetas, omnis lingua Christum nominat, Christum ruminat, verbaque fidei aut discunt omnes aut docent. In tam ingenti autem civitate, quae 900 patres familias absque parvulis et mulieribus et reliqua multitudine numeratos habebat[34], non est inventa persona, quae post generalem consensum ab euangelii veritate se retrahere[k] niteretur, nisi tantum[l] solus ille sacerdos, qui praefati caballi habebat curam[m]. Hic autem cum multis importunitatibus fatigaret episcopum, et bono semini zizania superiaceret, die quadam, cum multa prece ab omnibus rogatus et ab episcopo multis rationibus superatus, ex obstinatione nullo modo vellet acquiescere veritati, nocte ipsa divina ultione percussus, tumore ventris ac dolore crepuit et mortuus est. Quod factum universae civitati magnum incussit terrorem, omnesque Christum laudantes, fortem Deum suaeque legis aemulatorem vocitabant.

a) aspergens B 1. b) sortilogium 1. c) separatae B. d) tantum A 2. e) minus *add.* A 2; si attingebat B*. f) renuentibus *codd. mut.* g) etiam *add.* B. h) necare B. i) ulterius B. k) subtrahere B. l) *deest codd. mut.* m) c. susceperat B.

32) Honorio II. 33) cfr. II, 18. 34) De his cfr. Hering l. l. Balt. Studien p. 21.

1124. 35. *Tiemo:* Miror, quod tantae pietatis homo neque hunc sacerdotem neque viduam illam, quam etiam superius a Deo percussam meministi[35], ut converti possent, a morte suscitavit. Nam de quibusdam sanctorum legitur persecutores suos hominesque impios conversionis gratia revocasse ad vitam.

Psal. 35, 7. *Sefridus: Iudicia Domini abissus multa!* Et illi quidem, quia praedestinati erant ad vitam aeternam, idcirco huic vitae redditi sunt, ut converti possent et salvari. Isti autem, quia praedestinati non erant, nec resuscitati sunt nec salvati, sed propter blasphemiam in Deum a Deo iuste dampnati sunt, et condempnatione istorum alii docti sunt atque correcti[a].

Tiemo: Ut video, quia blasphemia Spiritus sancti irremissibilis est, idcirco tamquam blasphemos a vita eos irrevocabiliter sentis esse defunctos. Sic enim Phariseis blasphemantibus a Domino dictum recolo: Matth. 12, 32. *Omnis qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque hic neque in futuro seculo.* Timide quidem et caute de divinis iudiciis disputandum est, sed quia fides catholica de incredulis omnibus generalem ante me fixit sententiam, eiusdem orbitam non excedere iustum puto. Videntur etenim hi, de quibus sermo est, blasphemi contra Spiritum sanctum sensisse, quod est verbum corde firmare — nam hoc proprie dici potest blasphemia — et idcirco non esse ad vitam reparatos. Sicut enim salvandi his ascensionis ad vitam nituntur gradibus, fide scilicet spe et caritate — nam profecto fide incipimus, spe proficimus, caritate consummamur[b] — ita e diverso hi qui pereunt per oppositum iter descensionis tendere videntur ad interitum. Initium enim perditionis perfidia eis est, profectus perditionis — quamvis insolite dicatur, quia melius defectus vocatur — desperatio, consummatio autem perditionis blasphemia aliquibus videtur. Sicut enim caritas, quae consummat hominem semper diligit et gratias agit, ita eius contrarium, quod blasphemiam dicunt, negligit, id est nequaquam diligit, sed bonis et donis Dei semper ingrata est, quod est iniuria Spiritus sancti. Unde hi, aliis contribulibus et concivibus suis cum gratiarum actione verbum salutis recipientibus[c], et fide incipientibus, spe proficientibus, ut ad arcem perfectionis, quae caritas est, quandoque pertingerent, proh dolor! in perfidia sua remanentes, in desperationis baratrum atque in blasphemiae abissum corruerunt.

Sefridus: Negare non audeo. Sed argute satis blasphemiam caritati dicis contrariam. Equidem, si recte perfidiam fidei dicimus contrariam et desperationem spei, quid magis contrarium sit caritati quam blasphemia, in omni genere vitiorum invenire non possum. Sed caritas est summum bonum, ergo eius contrarium, quod est blasphemia, est summum malum. Quomodo enim non summum malum, quod neque hic neque in futuro seculo praedicatur remittendum? Si autem summum malum est, summo bono maxime contrarium[d] est.
1 Tim. 1, 5. Iterum caritas est diligere Deum de puro corde et conscientia bona et fide non ficta. E converso blasphemia est de impuro[e] corde et mala conscientia et fide ficta odisse Deum. Nam de impuritate cordis et mala conscientia nascitur desperatio, fides autem ficta perfidia peior est. Ergo ex perfidia et desperatione perfidi et desperati homines, malo et servili timore timere incipientes, etiam odiunt eum, a quo sine dubio se dampnandos sciunt. Eo etiam ordine hostis antiquus in abissum descendit. Perfidus enim est, quia non credit in Deum, desperatus, quia non sperat, blasphemus, quia serviliter metuens, etiam odit eum, a quo se dampnatum et dampnandum novit. Perfidia est infernus, desperatio infernus inferior, blasphemia infernus infimus, quod est abissus. Ibi religatus tenetur ille infelix suae obstinatio-
Sap. 2, 25. nis ac divinae districtionis catena, nunquam ab illa exiturus blasphemia. *Imitantur autem illum, qui sunt de parte illius.*

Tiemo: Et in his omnibus tecum sum contra blasphemos et tu mecum. Atque proh dolor! iuste factum est, quod homines ingrati ad vitam se vocanti divinae bonitati, pro malo blasphemiae suae morte multati, resuscitari non meruerunt, cum tamen illorum resuscitatio recenti ecclesiae quemadmodum et extinctio[f] lucro fuisset. Ast hic Herbordus quare ad haec omnia silet?

Egone? inquam: Satis superest illis vestra de illorum morte sententia; sed tamen circa hoc, quod resuscitati non sunt, quod sentio dicam, si placet. In historiis omnibus, tam veteris quam novi testamenti, ubi a prophetis et apostolis vel ab ipso Domino mortui resuscitati leguntur, aut fide aut peticione propinquorum id effectum considero. Sic Heliseus fide ma-

a) correpti A 2. b) consummamus A 2. c) et *add.* A 2. d) contraria A 2. e) in *alia manu superscr, eadem in margine adscripsit* et inmundo 1. f) extincto 1.

35) II, 23.

tris puerum suscitavit, sic Petrus Thabitam, sic et Dominus Lazarum a mortuis revocavit. 1124. Unde, si fides aut petitio proximorum pro his interpellasset, episcopo virtutem Dei ad miraculum non defuisse, haud dubium est. Quis sanctior Christo? et de ipso euangelista dicere non cunctatur: *Non poterat autem Iesus ibi facere quicquam propter illorum incredulitatem.* Matth. 13,58. Hinc manifestum est viventium fidem necessariam esse ad mortuorum resuscitationem. Et de paralitico, quem per tegulas propinqui submiserunt ante Iesum, vide, quid dicat euangelium: *Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralitico: „Tolle lectum tuum" et cetera*[a]. Luc. 5,20.24. Sed audite quaeso adhuc! Dona Dei diversa esse quis nesciat? Petro datum est mortuos suscitare, infirmos curare, demones effugare, aliaque multa in hunc modum corporalia beneficia praestare per miracula, quibus ad spiritualia bona suos alliceret auditores; argentum autem et aurum, quod egenti daret, non habebat, sicut ipse pauperi claudo stipem poscenti respondit: *Argentum et aurum non est michi; quod autem habeo, hoc tibi do.* Sed ab eo, qui dat Act. ap. 3,6. unicuique prout vult, Ottoni datum est multas opes habere cum bonitate et largitate admirabili. 1 Cor. 12,11. Petro igitur orante Christus languidos et debiles curavit, Ottone autem largiente Christus vincula et captivitates absolvit. Petri oratio et Ottonis largitio in salutem populi ab uno Christo dispensabantur. Alter sanctitate, alter liberalitate pollebat; ille prodigaliter, iste[b] liberaliter beneficus[c] erat; uterque carceres aperuit, vincula solvit[d], sed ille prece, iste pretio; ille mortuos suscitavit, iste ne morerentur homines morbos fugavit. Quid enim fames, sitis, gelu et alia incommoda vitae nostrae nisi morbi sunt, qui nisi congruis effugentur medicinis, profecto extinguunt hominem? Non tamen Ottonem Petro me quisquam putet velle adaequare, nisi forte ut Mantuam Romae, ut Maro quadam proportionis ratione res aequales fingit dicens:

Sic canibus catulos, sic magnis matribus hedos Virg. Eclog. 1, 22.

assimilant; naturae scilicet ac formae proportione, non magnitudine corporis aut quantitate. Sed tu, quod coepisti, evolve!

36. Destructis igitur fanis, collisis simulacris, mulctato divinitus sacerdote, victoria crucis erigitur, construuntur baptisteria, dolia humo infodiuntur, cortinis velantur, omnibusque religiose ac sancte aptatis, populus per aliquot dies ante catezizatus ac instructus, ad aquam regenerationis cum multa gravitate ac disciplina se offerebat[36]; toto corpore balneis prius abluti, ac lotis et mundis vestibus induti, cereos ardentes et albas suas gestantes, et Spiritus sancti accensi desiderio, singuli apud se in cordibus suis cantantes: *Tanquam cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te*[e], *Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* Psal. 41,2.3. Pater etiam[f] spiritualis fervorem et studia filiorum tacita mente considerans, habundantia laetitiae spiritum excitante, obortisque prae gaudio lacrimis, inter agendum in vocem exhortationis[g] erupit dicens[h]: *Venite. filii, audite me! timorem Domini docebo vos; accedite ad eum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.* Ps. 33,6.12. Neque ab re fuit talis in ore sacerdotis exhortatio. Videbat enim, quod et nos alii cum magnae admirationis tripudio contuebamur, quodque ipsi cives nos contemplari monuerunt, in vultibus scilicet omnium baptizatorum quendam iocundum et spiritualis gratiae rutilare fulgorem, ita ut baptizati a non baptizatis, veluti lux a tenebris, facile discerni possent; quidve tenebrosus demon suis cultoribus, et quid Deus, lucis auctor et amator, suis dilectoribus conferre habeat, omnibus intueri promptum fuit. Currebant ergo de ipsa civitate et de omni circum provincia felices animae, ad regales nuptias ingredi festinantes[i]. Et episcopo seorsum tingente solos mares pueros, aliis autem et aliis sacerdotibus seorsum viros et seorsum[k] mulieres[37], apud omnes opera Dei fervebant, et de Egiptia servitute populo acquisitionis transito mari liberato, velut olim ad montem Synai, lex panditur euangelii, et quid christianis fugiendum sequendumve sit, sicut fide plena docentur, sic et plena intentione discunt et facere ardent. Mansimus ergo in eodem loco negociosi operatores fere aliis tribus mensibus[l.38], destruentes et aedificantes, evellentes et plan- Ierem. 1, 10.

a) et c. *desunt* A 2. b) ille A 2. c) beneficiis A 2. d) vincula solvit *desunt* 1. e) ad te — mea *desunt* 1. f) vero A 2; eorum *add.* B. g) exultationis B. h) exhortando B. *add.* i) cupientes B. k) viros et seors. *desunt codd. mut.* l) *ita* 1 *et codd. mut.*

36) cfr. II, 16. 37) cfr. II, 15. 20. 38) Otto per alios tres menses post 25. Oct. (cfr. II, 26. 27.) Stettinae commoratus esse nequit. Vetant duo menses postea exacti Iulinae II, 37 usque 2. Febr. Ebbo II, 18. et reditus Bambergam 28. Mart. 1125. Mon. Priefling. III, 2. Inter Domuzlai filios matri redditos 1. Nov., II, 27, legatorum ex Polonia reditum II, 30, templorum eversionem II, 31 et adventum Iulinae primis diebus Decembris quatuor vel tres circiter hebdomades praeterlapsae sunt.

1124 tantes et plantata irrigantes, ipso agro dominico suis cultoribus grata et gratuita fecunditate victum praebente necessarium. In omnibus enim victui nostro competentibus liberales nobis extiterunt et humani, optantes ut, si fieri posset, nunquam a se divelleremur. Ordinatis autem illic omnibus quae rudi ecclesiae profutura credebantur, exstructaque basilica diligenti artificio[a] in medio foro Stetinensi, collatisque omnibus quae sacerdotalis officii ratio poscebat, qui populo praeesset, sicut ubique faciebat, sacerdotem investire curavit.

37. Iulinenses autem episcopo et nobis ignorantibus, quosdam homines cautos et gnaros Stetinam miserant, exploraturos[b] tacite, quidnam illic ageremus, si ab eis reciperemur an non, et qui omnes vias nostras et studia nostra diligenter conspicerent[c] atque referrent. At illi ubi habita exploratione diligentissima nichil imposturae aut doli circa nos invenerunt, et Stetinenses, licet tarde, fidem tamen unanimiter suscepisse viderunt, reversi ad suos, more apostolorum vel euangelistarum, pagani paganis, nobis absentibus, quanta bona vidissent et audissent, et quam bona, quam munda esset fides et doctrina christiana, praedicare non cessabant. Eorumque verbis paulatim scintillantibus, quasi arundinetum tota civitas incanduit, et iam taedere atque horrere super suis abominationibus, suaque idola et errores, quibus involuti tenebantur, execrari coeperunt. Episcopus autem tenorem pacti quo ab eis recesserat[39] mente habens, cogitabat quidem statim post conversionem Stetinae ad eos properare; sed rogatus est duo prius invisere castella, Gradiciam[40] videlicet et Lubinum; quae in confinio posita ad pagum pertinebant Stetinensem. At ubi homines illi, velut arida imbrem sitiens, verba euangelii suscipientes, fidei sacramentis imbuti sunt, extructo altari et sanctificato per castellum utrumque, atque ordinatis illic sacerdotibus, per
c. 1. Dec. Odoram flumen in mare[41] lapsi, vento meliori ad Iulinae litora navigavimus. Quanto autem exultationis tripudio illic[d] recepti fuerimus, et quanta humilitate illorum et satisfactione priores iniurias oblivisci nos rogaverint, dicere non valeo. Quicquid autem suscipiendi christianismi ratio exigebat, discere et facere, assumere vel reicere non morabantur, ita ut[e]
Ps. 148, 5. Psal. 17, 45. impleri videres[f] quod scriptum est: *Ipse*[g] *dixit, et facta sunt*, et: *Populus quem non cognovi servivit michi, in auditu auris obedivit michi.* Haec autem fuit mutatio dexterae excelsi. Nam quos prius contis et fustibus a suis terminis satis inclementer exturbaverant, postmodum quasi angelos de coelo venientes summo studio venerati sunt, sanctum arbitrantes atque divinum, quicquid a nobis dictum vel factum est. Sed quid multis[h]? Tota civitas et provincia cum populo suo apposita est ad Dominum, tantaque fuit multitudo virorum et mulierum et utriusque sexus puerorum, ut in spatio duorum mensium[42], quamvis sine cessatione instaremus operi, vix omnes tingere possemus. Quantum et illic sudoris et laboris sanctae semper memoriae Otto loquendo et clamando in turba, baptizando et multa faciendo pertulerit, qui videt omnia viderit Deus. Sed quia civitas haec in meditullio sita est Pomeraniae, civesque Iulinenses fortes et durae cervicis[i], tam dux Vratizlaus quam principes terrae sedem episcopatus illic constituendum fore censuerunt, scilicet ut gens aspera ex iugi doctoris praesentia mansuesceret, nec ad pristinos rediret errores, et quod de medio ad omnes terminos terrae crisma et alia, quae ab episcopo[k] accipienda sunt, facilius deportari possunt. Itaque duas illic basilicas fieri praecipiens[43], altaria tantum et sanctuaria consecravit[l], quia reliqua pars interim consurgebat, et perfectionem expectare longum erat ad alia festinanti.

38. Moventes autem a Iulina Clodonam[m. 44] venimus, nichilque difficultatis aut contradictionis illic invenientes, sanctae crucis tropheum[n] ibi ereximus, et quia locus nemorosus erat et amoenus, et ligna ad aedificandum suppetebant, in honore sanctae crucis ingentem ecclesiam de nobili artificio fundavimus, et cum laetitia et gaudio populum catezizantes et[o] baptizantes, quia messis multa erat, ad ulteriora[p] festinavimus. Transito autem flumine qui Clodonam praeterlabitur, civitatem quandam invenimus, magnam quidem ambitu et spaciosam, sed raros incolas. Nam ferro et incendio se vastatam, adustionum signis et cadaverum acervis spectantibus indicabat[45]. Ipsi autem incolae tenues illorum

a) cura B. b) explorantes 1. c) diligenter *omisso* discerent *codd. mut.* d) *deest* A 2. e) illic *add. codd. mut.* f) impleretur B. g) dominus B. h) plura B. i) sunt *add.* B. k) ipso *codd. mut.* l) sanctificavit *codd. mut.* m) *ita* 1; Dodonam A 2. B' *constanter; Ebbonis codd. habent* II, 18. Dodinensis locus, *Mon. Priefling.* II, 19. Cloden. n) ibi vexillum B 2. o) et b. *desunt* 1. p) progredi *addunt codd. mut.*

39) II, 25. 40) *Garz* ad Oderam et *Lubzin.* 41) Frische Haff. 42) Intra quos itinera fecit Otto, II, 38. 39. 43) SS. Adalberti et Wenceslai et S. Petri; Ebbo II, 15. 44) *Klötikow* ad Regam; Quandt Balt. Stud. X, 2. p. 127. 45) cf. II, 5.

se fuisse clientulos, qui a duce Poloniae illic interfecti erant et captivati, asserebant, et a 1124 facie gladii salvatos se fugae praesidio. Fecerant autem ex ramis et virgultis circa ruinas parietum tuguria et umbracula quibus tegebantur, quousque tecta meliora instaurarent. Hos pater optimus verbis consolans et stipe relevans, benignissime instruxit et baptizavit. Multi etiam de viculis circumpositis ruriculae illic confluentes, fidei percepere[a] sacramenta.

39. Inde Colobregam[b. 46] pervenimus, quae super litus maris sita est. Sed quia cives *6 illius paene omnes institorum more ad exteras insulas negociandi causa navigaverant, illi qui domi[c] reperti sunt, absentibus suis concivibus nichil se novi aggressuros dicebant, atque sub tali occasione aliquandiu restiterunt euangelio. Tandem exhortationibus crebris ab episcopo superati sunt. Confirmatis ergo eis in fide sanctae Trinitatis et baptismo regeneratis, et fundato altari et sanctuario, caeterisque quae nascenti ecclesiae utilia credebantur ordine peractis, diei unius itinere distantem a Colobrega Belgradam[d. 47] petens, simili operum effectu illic laetificatus est, omnibus se Domino sponte applicantibus. Quod ubi factum erat, visum est ei bonum esse, omissis 4 quae supererant civitatibus cum pagis, viculis et insulis suis, Uznoimia[e. 48] videlicet, Hologosta[49], Gozgougia[f. 50] et Timina[51], quia tempus eum revocabat — hiemps quippe erat — id quod plantaverat interim irrigare, ne forte dilatando tantum agrum suum et non etiam excolendo, in vacuum curreret aut cucurrisset. Quin etiam, si ulterius procederet, ante diem palmarum, sicut disposuerat, redire ad suam sedem consecraturus crisma minime potuisset.

40. Discretus ergo pontifex apud Belgradam terminum ponens euangelii, omnia loca et civitates superius nominatas, in quibus semina fidei sparserat, fidus agricola denuo perlustravit, cogniturus quomodo se haberent sata, et ecce, omnes quas imperfectas reliquerat[g] basilicas et ecclesias, perfectas invenit. Ad opus ergo dedicationis devotus et laetus accingitur, atque inter dedicandum crismatis unctione populum confirmans, etiam quam plurimos invenit baptizandos, qui generali baptismo prius interesse non poterant, eo quod in exteris partibus peregrinati, negocia sua exercerent, quorum profecto Clodonae, Iulinae, Stetinae maxima erat copia. Mira quippe aviditate, audito quod episcopus ab eis discedere vellet, ad eum confluxerunt, infelices se reputantes, quibus sine illius benedictione remanere contingeret. Quae res in singulis locis aliquandiu nobis remorandi causa fuit. Nullam autem civitatem aut locum plantationis suae relinquere voluit, quam non semel aut saepius ante exitum a terra confortationis et consolationis causa reviseret. Talibus ergo visitationibus regione peragrata, consolando, confirmando atque salutando 1125. amicos patrinos et filiolos nostros, in pacis osculo dimisimus eos, et dimissi sumus lacrimis Febr. 2 et gemitibus divulsionis, dolorem utrinque temperantes. Multotiens etiam toto conamine nos iugiter apud se retinere moliti, dominum meum, ut episcopatum ibi gubernaret, ardentissime rogabant, se ipsos et omnia[h] sua illius ditioni servire pollicentes. Et ut verum fatear, tanto amore suae plantationis flagrabat episcopus, quod voluntatem plenariam apud eos remanendi haberet, sed a clericis suis dissuasus est.

41. *Tiemo:* Ut video, inquit, tua narratio ad sedem suam reducere vult Ottonem nostrum; sed de ipsius terrae quam deseris oportunitate vel fecunditate vellem aliquid diceres. Possentne illic esse coenobia?

Sefridus: Possent utique, et maxime huius temporis sanctorum, qui terram uberem quam scopulos aridos vel squalentem heremum incolere malunt, suae memores imbecillitatis. Nam piscium illic, tam ex mari quam ex aquis et lacubus et stagnis, habundantia est incredibilis, carratamque pro denario recentis acciperes allecis, de cuius sapore vel crassitudine gulositatis arguerer, si dicerem quod sentio. Ferinae cervorum, bubalorum et equulorum agrestium, ursorum, aprorum, porcorum omniumque ferarum copia redundat omnis provincia; butirum de armento et lac de ovibus cum adipe agnorum et arietum, cum Deut. 32, 14. habundantia mellis et tritici, cum canapo[i. 52] et papavere et cuncti generis legumine, atque si vitem et oleam et ficum haberet, terram esse putares repromissionis, propter lignorum habundantiam fructiferorum. Sed episcopus vitem illi terrae deesse nolens, in secunda profectione cuppam surculis plenam attulit et implantari fecit, ut tellus ea vel sacrificio

a) percipere 1. b) Colobergam *et sic porro* A 2. c) erant *addit* 1. d) Belgradiam B. e) Unxnoimia B 1. 3; Uxnoimia B 2. f) Cozgougia A 2. g) dimiserat B. h) *deest* 1. i) canavo 1. A 2; canopo B 1. 3*.

46) *Colberg.* 47) *Belgard.* 48) *Usedom.* 49) *Wolgast.* 50) *Gützkow.* 51) *Demmin.* 52) i. e. cannabi.

1125. vinum procrearet. Tanta vero est fides et societas inter eos, ut furtorum et fraudium penitus inexperti, cistas aut scrinia serata non habeant. Nam seram vel clavem ibi non vidimus, sed et ipsi admodum mirati sunt, quod clitellas nostras et scrinia serata viderunt. Vestes suas, pecuniam et omnia preciosa sua in cuppis et doliis suis simpliciter coopertis recondunt, fraudem nullam metuentes, utpote inexperti. Et quod mirum dictu, mensa illorum nunquam disarmatur, nunquam deferculatur, sed quilibet pater familias domum habet seorsum mundam et honestam, tantum refectioni[a] vacantem. Illic mensa cum omnibus quae bibi ac mandi possunt nunquam vacuatur, sed aliis absumptis alia subrogantur; non
53 sorex, non sorilegus[53] admittitur, sed de mappa mundissima fercula teguntur, comesuros expectantia. Quacunque igitur hora reficere placuerit, hospites sint domestici sint, omnia parata inveniunt intromissi ad mensam. Et de his satis dictum est.

Febr. 11. 42. Reverentes autem de terra illa rursum[b] transitum fecimus per patrem nostrum ducem Poloniae. Retribuat illi dominus Iesus in die agnitionis[c] omnia bona quae ostendit omnibus[d] nobis! Nam tantae affectionis tantaeque benignitatis circa nos extitit, ut etiam in Pomerania positis hiemis tempore ille vir optimus vestes nobis mitteret hiemales, episcopo et unicuique secundum suam personam idoneas, tam clericis quam militibus sive scutiferis omnibus. Nunc ergo consummatis his ad quae nos vocaverat, ipse ad se reversos omnes nos ut filios carissimos excipiens[e], episcopum et caeteros quosque congruis honoribus
Febr. 24. habitos, nullum reliquit[f] indonatum. Dein quia festinantes vidit, cum multa gratiarum actione dimissos usque in Boemiam nos fecit conduci. Episcopus vero propter festinantiam de episcopatu Pomeraniae pro voto suo tunc ordinare non potuit, sed de prudentia ducis confisus, ei ex otio commisit ordinandum. At ille unum de cappellanis suis Adalbertum nomine, quem de latere suo cum aliis duobus sacerdotibus in adiutorium concesserat episcopo, praesulatus honore in gente illa sublimavit. Itaque, ut brevius sim, iuxta pro-
Mart. 28. positum suum ante diem palmarum[54] ad sedem suam Otto reversus est[h].

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII IN VITAM SANCTI OTTONIS EPISCOPI[i].

1. *De secunda profectione quomodo et qua ierit.*
2. *De periculo vel causis periculi in introitu terrae.*
3. *De colloquio ducis et principum Uznoimiae, et res fidei quomodo ibi promotae sint per ipsius ducis exhortationem.*
4. *De dissensione vulgi super conversione principum, et de impostura sacerdotis Hologostae.*
5. *De divisione apostolorum, et de periculo duorum apud viduam latitantium Hologostae.*
6. *Item de periculo clericorum in eadem civitate, et de uno ad templum fugiente.*
7. *De operibus eius Gozgaugiae.*
8. *De legatis suis et[k] marchionis Adalberti de Saxonia.*
9. *De Mizlao rectore civitatis et benefactis[l] eius.*
10. *De pavore Pomeranorum, et quomodo per episcopum liberati sunt.*
11. *De Verania insula et gente barbarissima.*
12. *De Udalrico sacerdote illuc directo euangelizandi gratia.*
13. *De apostasia Stetinensium, et quomodo episcopus illuc ire volens prohibitus sit.*
14. *Quomodo tandem illuc pervenerit, et quae pericula illic invenerit.*
15. *De Witscaco cive illius urbis quomodo per episcopum liberatus sit et testimonium fidei perhibuerit.*
16. *De causis apostasiae per divinationem sacerdotum.*
17. *Item quomodo Witscacus episcopo ad omnia servierit, miraculum predicans liberationis suae.*
18. *De impietate sacerdotis impedientis episcopum, et de correcta populi temeritate*[m].
19. *De pueris in plateis ludentibus.*

a) refectione 1. A 2. b) russum 1; *deest codd. mut.* c) suae *add. codd. mut.* d) *deest* 1. e) recipiens A 2. f) dimisit B. h) *est finis libri secundi in omnibus codicibus* B. *In* A 2. *sequuntur capita 42—45 ex Ebbone desumpta.* i) *deest index codd. mut.; leguntur singulorum capitum inscriptiones exceptis* 1—3 *in* A 2. k) s. et *desunt* A 2. l) factis A 2. m) multitudine A 2.

53) *soricilegus* corrigit Gretserus. Estne felis? 54) i. e. 22. Mart. sed falso; accuratius Ebbo II, 18. Mon. Priefling. III, 1.

20. *De consilio maiorum et de fidelitate Witscaci.*
21. *De insolita piscatura.*
22. *De incisione nuceae arboris et periculo episcopi.*
23. *De profunda inclinatione Adalberti presbiteri post evasionem periculi.*
24. *Quomodo Stetinenses fidei reconciliatos duci suo reconciliaverit, et de interitu sacerdotum episcopo insidiantium.*
25. *Quomodo episcopus transitis insidiis Iulinam venerit et ipsam de apostasia correxerit.*
26. *De illuminata ibi ceca muliere.*
27. *De filio militis lunatico in papilione reliquiarum liberato.*
28. *Item*[a] *de alio milite frenetico liberato.*
29. *De Boccheo presbitero et segete incensa in die sancti Laurentii.*
30. *De rupta societate Ruthenorum propter fidem Stetinensium, et de archiepiscopo Danorum.*
31. *De bello inter Ruthenos et Stetinenses et de victoria Stetinensium, ac de reditu episcopi.*
32. *De ortu, studiis ac profectu Ottonis pueri.*
33. *Quomodo in Polonia duci Boleslao iunctus inde ad curiam imperatoris Heinrici senioris transierit.*
34. *Quibus modis in curia imperatoris prosperatus sit.*
35. *Quod illis diebus investituras ecclesiarum imperatores dare solebant.*
36. *De opere Spirensis monasterii.*
37. *De insignibus ad imperatorem allatis in obitu Ruperti Babenbergensis episcopi.*
38. *De postulatione cleri et populi ad Sanctum Michahelem pro idoneo rectore agentibus nunciis apud imperatorem, et qua imperatoris commendatione Otto eis designatus sit.*
39. *Qua honestate illum ad sedem direxerit et quomodo susceptus sit.*
40. *De litteris ad apostolicum pro sua causa directis, et de responso ipsius apostolici.*
41. *Quomodo*[b] *investitus et consecratus sit per manus domni apostolici.*
42. *De litteris ipsius apostolici ecclesiae suae ipsum commendantis*[c].

EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

INCIPIT LIBER TERTIUS[d] IN VITAM BEATI OTTONIS EPISCOPI POMERANICAE GENTIS APOSTOLI.

1.[e] Post quadriennium vero[f], licet[g] multis domi teneretur negociis, ipse tamen amore novellae coloniae suae flagrans, omnibus postpositis illam revisere aggreditur[55]. [1127. Mart. 31. April.] Sed ne forte gravaret, per quos dudum transierat, ducem Boemiae[56] vel ducem Poloniae aliosve illius viae hospites et amicos suos, per Saxoniam iter disposuit, et apud Hallam naves victualibus onerans, per Albam flumen in Habalam prolapsus, Leuticiae littora usque adductus[h] est. Et ne inanis et vacuus adveniens sponsae suae vilesceret, neve hi qui adhuc convertendi erant, si modo cum sumptu poneret qui prius sine sumptu posuerat euangelium, contra se murmurarent, in auri et argenti copia, in purpura et bisso et pannis preciosis, et muneribus magnis et variis pro varietate personarum, dives studuit advenire, cunctaque Hallae coempta[57], et navigio usque in Leuticiam portata, curribus et quadrigis 50[58] cum [57] annona imponens, ibi per terram Leuticiae usque Timinam, civitatem Pomeraniae, transportavit. Quo ubi cum labore ac fatigatione ventum esset[i], multos horrores et pavores illa nocte ibi sustinuimus. Nam civitas illa, Dei adhuc ignara, cruda quodammodo et barbara fuit christianis, et nos ignoti ad ignotos venimus. Solum tamen urbis praefectum in priori peregrinatione cognitum habentes, ipsum de hospicio convenimus, sed ille amice nos suscipiens, et alios quoque se hospites habiturum dicens, aream iuxta civitatem in veteri castello nostrae mansioni designavit, in qua fixis tentoriis nos requieturos sperantes, vanis terroribus tota illa nocte agitabamur.

2. Nam dux Pomeraniae populaturus Leuticiam, cum exercitu eadem nocte illo ven- [Mai.] turus erat; Timinenses autem Leuticios audierant ad pugnam ibi ei occursuros, unde non

a) *deest* A 2. b) Quo 1. c) commendatis 1. d) *in* A 1. *legitur unum caput* 41; *in* A 2. *capita* 1. 2. 3 *desunt.* e) Post haec triennio domi detentus *praemittunt* B. f) *deest codd. mut.* g) quamvis *codd. mut.* h) perductus B 1. i) est 1.

55) i. e. quarto anno numerato a primi itineris anno 1124. De 31. Mart. 1127. vid. Ebbo II, 16. III, 3. 22.
56) Sobezlaum. 57) Vid. I, 36. 58) 30 Havelbergae Ebbo III, 3.

1127. modica trepidatio fuit in civitate. Ingruente igitur noctis silentio, exercitus ducis per tur-
Ebbo III, 5. mas suas illuc confluxit, factumque est, ut una[a] cohors peditum et altera cohors equitum
e diverso iuxta civitatem convenientes, quia nox erat utrumque se hostes suspicati, diutissime gladiis se caederent. Nos vero strepitu ac tinnitu[b] armorum excitati et exterriti, ignem in castris nostris aqua perfudimus, fugam meditantes. Interea socios se agnoscentes, illi a pugna desierunt. Praefectus vero misso satellite causam illius tumultus nobis insinuans, ne timeremus rogavit, sicque animati, constitimus in loco nostro. Facto mane, dux cum exercitu omni ad praedam festinans, episcopum videre non potuit, sed missis nunciis ibidem illum die illa rogavit se expectare. Circa meridiem vero Leuticiam quaqua versum fumigare aspeximus, signum omnia vastantis exercitus. Ad vesperum autem, ecce dux, voti compos, multa onustus praeda, cum suis omnibus laetus et incolomis revertitur. Nobis ergo inspicientibus dividebant spolia, vestes, pecuniam, pecora et aliam diversi generis substantiam; homines quoque quos captivaverant inter se distribuebant. Ibi vero fletus et gemitus et dolores innumeri, cum ad diversos dominos, pro ratione divisionis, vir ab uxore et uxor a viro, et filii a parentibus et parentes a filiis discedebant. Et quamvis pagani essent omnes communis quos huiusmodi miseria involverat, episcopus tamen pius semper et misericors, conditionem miseratus humanam, lacrimas tenere non potuit. Dux vero, et successu rerum et de adventu episcopi laetissimus, videns quia hoc eius voto placuit, teneriores et infirmiores quosdam absolvi iussit[c], et quibus separatio dolori erat, manere simul eius interventu ordinabat, auditoque eo multa faciebat et libenter eum audiebat. Episcopus etiam multos precio absolvit, quos tamen[d] fide imbutos baptismoque novit regeneratos, liberos abire permisit[e]. Dein cum mutuis se colloquiis recreassent et
59 invicem muneribus honorassent, duce ad sua negocia digresso[59], nos omnem substantiam nostram Timinae navibus imponentes, per Penae fluminis undam tribus diebus Uznoimiam vecti sumus, episcopo itinere terrestri cum paucis gradiente. Nec mora, euangelico vomere agrum Domini sui proscindens, semen spargit fidei; neque ibi difficultas erat in opere, quia civitas illa praecompluta[f] fuerat imbre doctrinae salutaris. Sacerdotes etenim, quos pater beatus operis sui vicarios in gente illa reliquerat, Uznoimiam ex magna parte converterant; reliqua vero pars per episcopum apposita est ad Dominum.

Tiemo: Ne[g] festines, obsecro, sed huius quoque secundae profectionis eius operatio qua specie, modo, vel ordine processerit, diligentius exequere. Memineris meum esse quod refers, unde et in referendo nobis morem gerere tuum est, quem sanctae obedientiae lora constringunt.

Sefridus: Obedio et, ut vultis, licet succinctus mallem, ad imperium vestrum distinctus incedam[g].

3. Igitur in hac civitate, quia prope fuit festum adventus Spiritus sancti, dux terrae Wortizlaus, toto corde christianus, instinctu Ottonis baronibus et capitaneis totius provinciae ac praefectis civitatum in festo pentecostes conventum indixit, causam simul Christi mandans, euangelium et euangelistam iterum advenisse Ottonem episcopum. Itaque statuto
Mai. 22. die congregatis omnibus, adducto in medium episcopo, dux ait: *En, ad quod venistis! En coram est nuncius Altissimi! Pacem fert, non arma; neque vestra sibi, sed vosmet ipsos Deo lucrari quaerit. Attendite, oro. Ante hoc quadriennium*[60] *in superioribus huius terrae partibus*[61] *docens, me teste — nostis quoque et ipsi — omnia replevit euangelio. Et tunc quidem has partes visitare volebat*[62], *sed Deo prosperante negocia sua, toto anno illo sanctis operibus illic tenebatur occupatus, emensoque anno ad sua reverti suae sedis rationibus cogebatur, nec ad vos venire praevaluit. Sed, quaeso, una mecum*[h] *et huius et illius viae causas diligenter advertite; quodque in omni causa fieri solet, quis, quid, quare, quomodo agat, altius con-*
Ebbo III, 6. *templemur*[i]. *Et primo de persona id vobis constat, quia homo religiosus senio et canicie venerabilis est, hoc enim et ipsi videtis; de cuius nobilitate opera testantur et virtutes, et alta, ut fida relatione didicimus, avorum et proavorum eius linea*[k] *nativitatis. Porro si dignitatem quaerimus, praesulari fulget officio, et universis Teutonici regni principibus speculum est et lucerna. Imperatori quoque Romano et apostolicae sedis pontifici gratus valde est et unice*

a) parva B*. b) tumultu B*. c) praecepit B. d) *deest* 1. e) dimisit 1. f) prae eo abluta B*; compluta B 2; p̄conpoluta B 3*. g) Ne — incedam *desunt* B. h) itineris B*. i) contemplemini B. k) origo B*.

59) Similis locutio II, 11. III, 7. 60) i. e. 1124, ut III, 1. 61) in Oderae ripa dextra. 62) supra II, 39.

1127. Mai. 22.

familiaris; in auro quoque et argento, in ministerialibus et feodatis, in agris et possessionibus, et quaecunque hic mundus preciosa vocat, domi eum divitem novimus et gloriosum. Huc etiam opulentus advenit vestrae saluti ministraturus, nec aliunde quam de suis sumptibus apud vos vivere propositum habens. Sed rogo, quid intendit, ut quid tantae viae laborem aggressus, nec proprio corpori nec sumptibus parcit? Sed ut breviter dicam, sicut et pridem, nichil aliud quaerit, nisi vos omnes separare a diabolo, et per fidem catholicam iungere domino Iesu Christo. Sed quonam modo? Non fraudulenter, non violenter, non lucri alicuius terreni sed vestrae tantum salutis et Dei honoris gratia[a]. *Et nunc quidem nichil iustae excusationis a vobis inveniri poterit super hoc tali viro, quominus eum audire debeatis. Neque enim is est, cui necem aut patibulum ob circumventionis vel imposturae culpam intentari conveniat, vel alterius generis iniurias, quemadmodum peregrinis et pauperibus Christi praedicatoribus paulo ante fecistis, suspicati dolo et fraude quaestusve gratia nudos homines et inopes rerum loqui verbum Dei. Sed illi quidem plagis et verberibus pro veritate*[b] *subacti, a vestris finibus abscesserunt*[63]*, vos autem huc usque in infidelitate perstitistis. Pudeat iam et poeniteat vos longi* 63 *erroris et ignorantiae, et qui noluistis audire mendicos euangelistas, audite opulentos. Dixistis namque, et subsannando blasphemastis, quia Deus christianorum omnibus diis vilior esset atque inferior, qui suae doctrinae ministros habere non posset, nisi tantum homines imperitos et rusticos, mendicitati egestatique addictos. Et vos quidem in insania vestra haec dixistis; ille vero pius et misericors et praestabilis super malitia, quasi moram*[c] *gerens insipientiae vestrae, de imperitia vel rusticitate, de inopia*[d] *vel mendicitate legati, omnem vobis detrahendi abstulit occasionem*[e]. *Superest modo, ut nos, qui primi et maiores dicimur ac sumus, nostrae dignitati consulamus, tam dignissimae ac sanctissimae rei consentientes, ut populus, qui nobis subiectus est, nostro possit erudiri exemplo. Quicquid enim religionis vel honestatis secundum Deum vel homines aggrediendum est, iustius atque decentius autumo, ut a capite hoc in membra, quam ut a membris derivetur in caput. Et in primitiva quidem ecclesia, sicut audivimus, religio fidei christianae a plebe et plebeiis personis incipiens, ad mediocres progressa, etiam maximos huius mundi principes involvit; reddamus vicem ecclesiae primitivae, ut a nobis principibus incipiens et usque ad mediocres progressa, facili proventu totum et populum et gentem sanctificatio divinae religionis illustret.* Sed quid plura? Affuit Spiritus sancti gratia, et sermonem ducis omnium cordibus altius quam dici queat inplantavit, omnesque pari voto, pari consensu faciendum spondent, quicquid episcopus suaderet. Igitur occasione ipsius temporis de adventu Spiritus sancti, de remissione peccatorum, de variis carismatum donis, de bonitate et clementia divina, sermone mirabili praesul[f] eos alloquens, euangelizavit illis Iesum. Et quosdam quidem iam dudum christianos, sed errore paganismi denuo inquinatos, praesenti sermone ad conpunctionem et validam cordis contritionem emollitos, cum magno fructu aspicientium, per manus impositionem ecclesiae reconciliavit; alios autem certatim sese offerentes, cathezizatos ac pro tempore breviter instructos, baptizavit, et totam illam ebdomodam doctrinae sacrisque operibus instabat gaudio ingenti, adeo ut Mai. 29. vere Spiritus sancti praesentiam illic adesse certissime constaret. Itaque concilium hoc non antea solutum est, quam principes ipsi et omnes qui cum eis advenerant baptismi sacramenta percepissent.

4.[g] Porro fama facti repente in universam provinciam vulgatur, villas et vicos in studia diversa conscindens, aliis dicentibus quia *bene est,* aliis autem dicentibus quia *non! sed magis seductio magnates apprehendit.* Ipsi vero sacerdotes idolorum non minima causa Ebbo III, 8. huius conscissionis[h] erant, appositi eis quibus displicebat quod factum fuerat, sua nimirum lucra cessatum iri non ignorantes, si cultura daemonum illic aboleretur; unde modis omnibus rem praepedire moliti, varia calliditatis suae argumenta visionibus, sompniis, prodigiis et variis terroribus confinxerunt. Quin etiam in Hologosta civitate, quo tunc proxime adventurus nunciabatur episcopus, sacerdos qui illic idolo ministrabat, nocturno tempore vicinam silvam ingressus, et in loco editiori secus viam inter condensa fruticum sacerdotalibus indutus astabat, et mane summo quendam rusticum de rure ad forum gradientem his alloquitur: *Heus tu,* inquit, *bone homo!* At ille respiciens in eam partem, unde vocem audierat, inter virgulta personam candidis indutam, quamvis dubia luce, videre coepit et

a) sal. gratia et D. h. benignitate B. b) varietate 1. c) morem 1. d) improperio etiam B; imperio B 3*. e) excusationem B. f) episcopus B 2. g) *legitur* A 2. h) concisionis 1. B 2. B*; conscisionis A 2; dissensionis B 1.

63) Bernhardus, Ebbo II, 1.

1127. timere. Et ille: *Sta!* inquit, *et accipe quae dico. Ego sum deus tuus; ego sum qui vestio et graminibus campos et frontibus nemora; fructus agrorum et lignorum, fetus pecorum, et omnia quaecunque usibus hominum serviunt, in mea sunt potestate. Haec dare soleo cultoribus meis, et his qui me contempnunt auferre. Dic ergo eis qui sunt in civitate Hologostensi, ne suscipiant deum alienum, qui eis prodesse non possit; mone etiam*[a], *ut alterius religionis nuncios*[b], *quos ad eos venturos praedico, vivere non patiantur.* Haec ubi attonito ruricolae daemon visibilis edixerat, ad densiora nemoris se contulit impostor. Rusticus vero quasi de oraculo stupidus, corruens pronus, adoravit in terra. Deinde abiens in civitatem, coepit annunciare visionem. Quid plura? Credidit populus; iterum[c] atque iterum circumdantes hominem, eadem saepius narrare cogebant, moti videlicet monstri novitate. Postremo, acsi nescius omnium, advenit sacerdos, indignationem primo simulans quasi de mendacio, deinde[d] attentius audire et obtestari coepit hominem, ut vera tantum narrans, nullo figmento populum sollicitaret. At ille, ut erat rusticanae simplicitatis, manus tendere, oculos ad coelum levare magnisque iuramentis et forti protestatione rem ita se habere asserens, etiam locum ipsius apparitionis se ostensurum pollicetur. Tunc sacerdos conversus ad populum, vane suspirans: *En, hoc est,* inquit, *quod toto anno dicebam! Quid nobis cum alieno deo? quid nobis cum religione christianorum? Iuste movetur et irascitur deus noster, si post omnia benefacta eius stulti et ingrati ad alium convertimur. Sed ne iratus occidat nos, illis irascamur et occidamus eos, qui nos seducere veniunt.* Quod dictum cum placuisset omnibus, firmaverunt decretum, ut, si Otto episcopus vel quisquam de societate eius civitatem intraret, sine mora occideretur. Item firmaverunt sibi sermonem nequam, scilicet ut si nocte vel clam intrantes quisquam tecto reciperet, simili sententiae subiaceret[e]. Et haec agentes multis opprobriis et verborum iniuriis religionem nostram blasphemantes deridebant.

5.[f] Interea vero apud Uznoimiam rebus feliciter consummatis, solutoque coetu primatum, dux cum episcopo remanens, de his quae post agenda videbantur, et de progressione vel quonam diverteret, consilium habuit, multaque devotione studiis episcopi gratias agens: *Ecce,* inquit, *terra omnis coram te est; securus esto, domne pater; non est qui tibi contra-*
Iun. *dicat, maioribus natu ac principibus omnibus iam fide imbutis.* Qua[g] securitate fretus antistes,
Ebbo III, 7. quasi exemplo domini Iesu Christi[h] binos et binos de discipulis suis praemittebat ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Contigit ergo Uodalricum et Albwinum, duos presbiteros simul pergentes, Hologostam intrare, ubi a matrona quadam, uxore videlicet praefecti, hospicio suscepti atque satis humane tractati sunt. Nam haec, quamvis pagana, multum hospitalitati dedita fuit ac divino timori ac religiosa valde, adeo ut esset eis admirationi. Post refectionem vero Albwinus[i], Sclavicae linguae gnarus, matronae[k] adhuc ignoranti rem omnem secreto aperit, scilicet quinam essent et quare advenissent. At illa vehementer attonita[l]: *Me miseram!* inquit, *o domini mei, quare ad me intrastis? De vobis*[m] *enim iam apud magistratus data sententia est, et de me quoque, si vos non prodidero.*

Tiemo[n]*:* Putasne hic trepidabant apostoli?

Sefridus: Reor inquam. Nam ipse Uodalricus noster, cuius memoria semper in benedictione sit, ut postea saepe iocari solebat, tutior ad larem sancti Egidii sedisset cum
64 sororibus suis in Babenberc[64].

Sed divina clementia servos suos ubique tueri novit. Nam matrona illa divinitus, ut puto, commonita, in superiori quodam coenaculo eos abscondit, et quasi Raab Ierichontina ne proderentur effecit. Equitaturas etenim illorum et sarcinas, et quaecunque habere poterant, illa per pueros suos subito extra civitatem deduci et in praedio[o] suo collocari fecit. Quibus deductis, ecce, gladiatores et turba populi cum telis et fustibus tecta matronae irrumpunt, cum tumultu et clamore valido[p] illos ignotos homines sibi exhiberi iubentes. At illa: *Fateor,* inquit, *homines ignoti ac peregrini, ut saepe solent, ad me declinaverant; sed accepto prandio, mox in viam suam abierunt.* At illi scrutantes omnia, cum nec iumenta nec vestes nec ulla signa itinerantium invenissent, furere desierunt. Porro illis per triduum ibi latitantibus, nec usquam prodire nec ullo modo vel mutire praesumentibus, episcopus

a) *deest* 1. b) viros B. c) iterumque 1. d) deinde *ut saepius corr. alio atramento* 1. e) sentencia dampnaretur B 2. f) *deest hoc caput* A 2. g) qui 1. h) *deest* 1. i) albuinus B 2. k) matroni 1. l) heu *add.* B 1. m) duobus B 3*. n) Tiemo — Babenberc *desunt* B. o) praesidio B. p) magno B.

64) De his vide Ebbonem II, 3. III, 14.

cum duce ab Uznoimia profectus, multa manu militum et sociorum Hologostam intravit, [1127.] spem salutis et praesidium portans apostolis in conclavi latitantibus.

6.[a] Itaque urbem ingressus, duce fideliter ac strennue ad omnia cooperante, semen sparsit euangelii, et dura incredulorum corda placidae praedicationis ungento[b] paulatim detumescere faciebat. Interea quidam de sociis nostris Uodalricum et Albwinum, de latibulis suis emergentes et iunctos nobis timorem suum referentes, deriserunt, et quasi eis insultantes, securius sese habere coeperunt, et longius a suis digressi, fana etiam idolorum, episcopo sermonem exhortationis protrahente[c], speculatum vagabantur. Verum quidam maligni homines, apud quos radix paganismi adhuc valentius vigebat: *En*, inquiunt, *isti explorant quomodo templa nostra incendant.* Et congregantes se in platea, etiam arma portare ac fustes coeperunt[d], et qua transituri videbamur nobis obviam stare. Uodalricus autem intuens illos eminus, et subsistens: *Non advertitis*, inquit, *hos non sine causa convenire? nam et turbulenter se habent et arma portant omnes*[e]; [Ebbo III, 8] et prioris periculi recordans: *Nolo*, inquit, *totiens temptare Deum meum.* Et conversus, illo ubi episcopum dimiserat, redire coepit, aliis omnibus eum sequentibus praeter clericum quendam nomine Theodericum, qui longius ante illos progressus, iam fores delubri tenebat. Videntes autem pagani qui convenerant illos a coepta[f] via reversos, persequi eos quidem non audebant, sed ad illum clericum interficiendum omnes accurrerunt. Quo viso, ille aliud quo declinaret non habens, fanum ipsum audacter, quamvis exterritus, intravit. Erat autem illic clipeus pendens in pariete mirae magnitudinis, operoso artificio, auri laminis obtectus, quem contingere nulli mortalium liceret, eo quod esset illis nescio quid in hoc sacrosanctum ac paganae religionis auspicium, in tantum ut nunquam nisi belli solummodo tempore a loco suo moveri deberet. Nam, ut postea comperimus, deo suo Gerovito, qui lingua Latina Mars dicitur, erat consecratus, et in omni proelio victores sese hoc praevio confidebant. Clericus autem, vir acris ingenii, dum metu mortis in templo huc illucque diffugeret, telum aliquod vel latibulum quaeritans, clipeum corripuit[g], et a mento collo iniecto, laevaque loris inserta, in medium turbae furentis e ianua prosiliit. Rustici vero prodigialem armaturam videntes, partim in fugam conversi, partim etiam quasi exanimes facti in terram cadunt[h]; ille autem proiecto clipeo, versus[i] hospicium ad socios currere coepit, et pedibus timor addidit alas. [Aen VIII, 224.] Cumque anhelans et pallidus ad suos pervenisset[k], de ipsa huius trepidatione et eorum qui praemissi[l] fuerant triduana occultatione apud omnes, praecipue vero apud episcopum et ducem, tota nocte illa iocunda erat narratio. Monuit tamen pius pater filios suos et discipulos propter insidias latentis inimici, ut se circumspecte agerent. Tam diu ergo mansit in loco illo[65] disputans et suadens de regno Dei, quousque omnis populus fidei [65] sacramenta suscipiens[m], fana sua destrueret et ecclesiae sanctuarium cum altari[n] praepararet. Quod episcopus consecrans, Iohannem presbiterum eis ordinavit, et ut reliquam basilicae fabricam post suum discessum promoveret, ammonuit.

7.[o] Dein omni populo valefaciens, et in multa caritate omnipotenti Deo illos com- [Iun.] mittens, ad Gozgaugiam iter divertit. In hac siquidem civitate mirae magnitudinis ac pulchritudinis templum fuit, sed episcopus cum de fide christianae religionis eos per interpretem alloqueretur — nam dux ad sua negocia iam ab eo discesserat — illi ad omnia se paratos asserebant, si modo fanum eorum intactum remanere potuisset; magnis enim sumptibus nuper exstructum fuerat, multumque in illo gloriabantur, eo quod videretur magnum totius civitatis esse ornamentum. Temptabant etiam, occulte immittentes quosdam, pontificis[p] animum lenire muneribus pro aedis conservatione, tandem rogantes, ut vel in basilicam ordinaretur[q]. Sed episcopus constanter agens, indignum esse dicebat, aedem sub titulo demonis aedificatam immundoque ritu profanatam divinis usibus mancipari. *Nam quae* [2 Corinth. 6, 15 16.] *conventio Christi ad Belial, aut quae communicatio templo Dei cum templo idolorum*[r]*?* Dicebat autem illis et similitudinem: *Numquid seminatis frumenta vestra super dumos aut spinas? Non puto. Sicut ergo de agris vestris spinas primo*[s] *eradicatis ac tribulos, ut, iactis bonis seminibus, optatas segetes ferre queant, ita et hanc radicem idolatriae spinamque perditionis de medio vestrum funditus exstirpari oportet*[t], *ut de bono euangelii semine corda vestra*

a) *legitur* A 2. b) ingenio B. *exc.* B*. c) proferente B. d) *deest* 1. e) habent A 2. f) accepta 1. A 2. B*. B 2. g) arripuit B 2. h) corruerunt B 2. i) secus B. k) devenisset B. l) missi 1. B 2. m) percipiens B. n) altario 1. o) *deest caput* A 2. p) episcopi B 2. q) ordinaret B 2. r) cum idolis B. s) *deest* 1. t) exstirpate B.

65) unam hebdomadam, Ebbo III, 9.

1127. *fructificent in vitam aeternam.* His et aliis huiusmodi sermonibus oportune importune, obsecrando, increpando, arguendo per singulos dies insistens, duros gentilium animos tandem ita emollivit, ut ipsi aedem execrabilem, de qua tota quaestio fuit, suis manibus confringerent et simulacra protererent[a].

Ebbo III, 10. 8.[b] Dum ea gerebantur, legati marchionis Adalberti de Saxonia supervenere, opera et statum episcopi studiose inquirentes. Marchio etenim, cum esset amicus valde ac familiaris episcopo, in gente barbara hunc periclitari[c] metuebat, unde si opus haberet, praesidium ei et opem ferre cupiebat. Affuere simul ipsius episcopi economi et procuratorum nuncii, aurum et argentum, vestes quoque et alia necessaria ei deferentes; ut enim supra 1 Cor 9, 14. dictum est[66], licet euangelium annuncians[c*] de euangelio vivere deberet, ipse nichil horum Ebbo III, 9. uti volens, suis se tantum sumptibus[d] transigebat[e]. Igitur legatos omnes apud se ibi tam diu retinuit[f], quousque videndo et audiendo discerent, quid de ipsius operibus aut statu 67 referre deberent[67]. Porro baptizatis omnibus tam viris quam mulieribus totius civitatis, ad dedicationem altaris ac sanctuarii iam surgentis basilicae, multa exultatione populi, devotus praesul accingitur, omni studio ac diligentia ipsi festo decorem et reverentiam procurans, quatinus de amissione prioris fani vel celebritatis minime dolerent, melioris solempnitatis tripudio et melioris fabricae ornamento consolati.

Ebbo III, 12. 9.[g] Inter agendum vero, quid ipsa dedicatio vel quid singula opera dedicationis significare haberent, rudi populo antistes exposuit, praecipue vero Mizlaum, ipsius civitatis principem, quem pridem in pentecoste cum aliis primatibus Uznoimiae baptizaverat, ut in eo caeteros erudiret, de omnibus his alloquitur, sacramentum dedicationis ad animam cuiusque fidelis pertinere sufficienti sermone demonstrans, quae sancti Spiritus templum efficitur[h], vel in cuius corde Christus per fidem inhabitat. Dein sermonem ad ipsum principem ex toto convertens: *Tu es*, inquit, *fili karissime, vera domus Dei. Tu ipse hodie dicandus et dedicandus es omnipotenti Deo creatori tuo, ut emunis ab omni alieno possessore, ipsius tantum mansio fias atque possessio; non ergo impedias dedicationem tuam, fili karissime. Nichil enim prodest istam quam cernis domum foris dedicari, nisi etiam dedicatio ipsa ad cordis tui sanctificationem proficiat.* Ille vero hac[i] exhortatione compunctus ait: *Et quid est, pater sancte, quod me iubes facere, ut dedicatio ista in me compleatur?* Episcopus autem intelligens adesse Spiritum sanctum: *Ex parte*, inquit, *fili, domus Dei esse coepisti; fac, ut ex toto sis. Iam enim idolatriam fide commutasti, baptismi gratiam consecutus, nunc sequitur, ut fidem pietatis*[1] *operibus exornes, impietates, violentias et crudelitates, oppressiones, rapinas, homicidia et fraudes penitus devita, postremo, quicquid tibi fieri ab alio non vis, alii ne feceris. Captivitates quas habes absolve omnes; quodsi non omnes, vel eos*[k] *certe qui christiani sunt, tuae fidei consortes.* Tum ille parum haesitans: *Durum*, inquit, *michi est, pater, dimittere omnes, quia magnis rationibus ac debitis quidam ex eis michi detinentur.* Tunc episcopus: *Debita*, inquit, *pro debitis dimitti et sermo euangelicus et dominica suadet oratio; sic enim omnium debitorum tuorum apud Deum certam remissionem consequeris, si omnes debitores tuos in eius nomine absolvis*[l]. At ille altius ingemiscens: *En*, inquit, *in nomine domini Iesu omnes absolvo, ut, secundum verbum tuum, dimissis peccatis meis, dedicatio ista hodie in me compleatur.* Et vocans ministrum qui super captivos erat, omnes dimitti praecepit. Erat autem inter eos adolescens nobilis, filius cuiusdam potentis de Dacia. Iste absolutis aliis in cavea quadam subterranea vinctus cippo et catenis tenebatur, eo quod pater eius, 500 librarum debitor, hunc vadem posuisset. Cumque de absolutione captivitatum, de obedientia et religione Mizlai principis multa esset tam populo quam episcopo et omnibus qui aderant in Domino exultatio, et ad consummationem dedicationis ministri ac sacerdotes alacriter festinarent et necessaria praepararent, habitis omnibus, vas cum cineribus, quod ad aram positum erat, inveniri non potuit. Cumque ministri commixtionem salis et vini et cinerum facturi, de non inventis cineribus turbarentur, Uodalricus sacerdos correpta[m] concha[n], vicinas domos unam vel duas scrutatus, in eis cinerem non invenit. Deinde ad tertiam currens, criptam quandam subterraneam, in qua praedictus adolescens in abditiore parte claudebatur, intravit. Sed captivus per fenestram manu porrecta et sonitu facto currentem sacerdotem ad se vocat, rogans, ut pro sui liberatione episcopo significet.

a) contererent B 2. b) *exstant capp.* 8—14 *in* A 2. c) predicari 1. c*) *ita corr.* 1. d) usibus A 2. e) transiebat 1. A 2. f) detinuit 1. A 2. g) B 1. 2. 3* *capp.* 9 *et* 10 *coniuncta* h) efficit A 2. i) *deest* 1. k) *deest* 1. l) dimittis B. m) arrepta B. n) conca 1. B 2.

66) III, 1. 67) cf. III, 10.

Sacerdos vero, correptis[a] cineribus, properanter ad ecclesiam rediit, et operienti episcopo 1127. aliisque fratribus de illo captivo insinuat. Episcopus vero, quamvis misericordia moveretur: *Tanta*, inquit, *praestitit nobis, ut amplius eum rogando gravare non audeam. Tamen ne gaudium festi huius aliqua ex parte claudicet, super huius quoque miseria Dei misericordiam invocemus.* Et conversus ad orientem, cum ministris quasi hora una preces fudit ad Dominum. Deinde sacerdotibus ait: *Seorsum accipite Mizlaum, et quam modestius potestis super hoc*[b] *verbo exhortamini.* Quod cum facerent, Mizlaus ait: *In hoc uno homine parcat michi velim prudentia vestra, nam pater eius maioribus michi debitis astrictus est, quam ut gratis absolvi possit. Sufficiat vobis, quod tantos absolvi.* Tunc illi: *Revera*, inquiunt, *multum est quod fecisti. Miratur*[c] *hoc domnus episcopus, miramur et nos, nec in longo tempore a christianis tale quid in terra nostra*[d] *comperimus, unde et domnus noster episcopus et omnes fratres gratias tibi referunt, et honori te habent et semper habebunt, Deoque omnipotenti, cuius te servum exhibuisti, quo de omnibus vicem tibi rependat, devote supplicabunt. Nam et domnus episcopus tam magni pendit quod fecisti, ut ultra quicquam rogare te iniuriam putet; unde quasi parcens dilectioni tuae, ore proprio te rogare verecundatus est. Sed noveris in veritate, quoniam, si quo pacto te ipsum vincens, hoc bonum caeteris tuis meritis superaddere posses, magna tibi gratia magnaque recompensatio apud Deum cumularetur; magnus etenim dominus Deus noster, et magna virtus eius, morisque illi cum sit pro parvis magna restituere, quanto magis pro magnis maxima? Quod si hoc magnum et difficile tibi pro ipso feceris, non sine mercede maxima ab eo indonatus remanebis.* Sed quid multis? Ingemit homo, tactusque ab intus spiritu pietatis, totus solvitur in lacrimas. Deinde cum ipsis clericis ad episcopum tendens: *En*, ait, *pater sanctissime, in ista quoque petitione Deum meum et te, servum eius, dominosque meos sacerdotes, ministros tuos, honorabo; quin imo pro nomine domini mei Iesu corpus meum et omnia mea, si ratio postulaverit, devotus impendam.* Et iubens adduci vinctum ferro et catenis oneratum, flentibus omnibus qui aderant, in hostiam et oblationem Deo arae[e] imposuit, petens sibi remissionem peccatorum a Domino pro ipso recompensari. Ita ergo in plenitudine gaudii spiritualis tota illa ecclesia fervente, et laudes Deo super universis bonis ac donis eius concinente, dedicatio consummatur, omnesque alii exemplo Mizlai principis vias suas correxerunt, unusquisque ab iniustitiis et violentiis seu oppressionibus suis temperando et vi ablata proximis suis restituendo.

10. Ecclesia igitur proficiebat et crescebat, et, licet invidente diabolo, ambulans in timore Domini Spiritu sancto replebatur. Sed hostis antiquus dampna sua non ferens, opera Ebbo III, 13. Dei turbare molitus, validis terroribus universam provinciam concussit. Nam Bolezlaus, dux Poloniorum invictissimus, in multa fortitudine et copioso militum apparatu de terra sua veniens, iam in ipsis[f] terminis Pomeraniae castra metatus ferebatur[68], in furore gravi terram ipsam ingressurus. Audierat enim, quod post priorem beati Ottonis praedicationem nec pacti secum foederis nec susceptae religionis iura servare curarent. Insuper compertum habebat, quod civitates quae pridem conversae fuerant cum his quae conversae nondum fuerant, remissi tributi veniam aspernati[69], suique mediatoris obliti, viribus suis se deinceps tutos fore confiderent, munitionibus et castris, quae bellica vi complanata fuerant, ex magna parte hoc intervallo reparatis. Unde quasi iustam commotionem habens dux, iterum eos conterere veniebat, suaeque ditioni subiugare. Quod illi audientes, missisque saepius atque remissis exploratoribus, exercitum iam in proximo cognoscentes, multum ubique trepidare coeperunt, partimque fugere ac res suos ad loca munita deferre, partim etiam arma contra movere, finesque suos defendere meditabantur. In ipso tamen articulo, ut puto a Deo inspirati, omnes, quasi oves ad pastorem, sic ad episcopum confugientes[g], quid facto opus esset consilium quaerebant. At ille pietatis visceribus affluens, ecclesiam rudem et neophitam bellico tumultu vexari perniciosum sciens, de divina misericordia, simul etiam de Bolezlai ducis amicitia, non vane praesumens, bellum simul et causam belli, si modo consiliis eius parere velint, dissolvere pollicetur. Quo audito, illi prudentiam et sanctitatem doctoris sui attendentes, nec sinistre casurum arbitrati negocium, quod ille in timore Domini suscepisset, communi decreto semet ipsos et omnia sua consilia eius sapientiae commiserunt. Assumptis igitur clericis, pater venerabilis sarcinas quidem et omnem

a) arreptis B 2. b) *deest* 1. c) miratus 1. d) *deest* 1. e) altari B 2. f) terrae *add.* A 2. g) confugiunt et B.

68) Vid. II, 10. 69) II, 30. Quod 1126 factum esse vid. infra III, 26 et Ebbo III, 1.

1127. Iun. ex. supellectilem suam ibi[70] relinquens, obviam se parat[a] exercitui, iunctis sibi viris honorabilibus de terra, qui a duce obiectis respondere et omnibus controversiis decidendis hinc inde exortis possent sufficere. Ubi ergo ad castra venit, a duce honorabiliter susceptus est, mirumque dictu, quam facile divinis eloquiis animi eius feritate delenita[b], ad omne quod volebat[c] principem inclinaverit. Ille namque multum protestabatur, non alia ex causa hoc tempore bellum contra eos suscepisse, quam ob iniuriae Dei omnipotentis ultionem et mutui foederis ruptionem, quia et christianismi iura in plerisque locis rediviva paganitate violassent, et initae societatis et compositionis legem minime servassent. Episcopus ergo haec omnia emendatione dignissima fassus, legatosque aliquantulum pro his obiurgans, ad pristinae compositionis pactum partem revocat utramque, sese tunc temporis, quemadmodum et nunc, pacis mediatorem extitisse commemorans. Placabat autem maxime ducem Poloniae Vratizlai[d] ducis fides et devotio ab episcopo laudata, quia et in priori et in secunda praedicatione aeque fidelis inventus, multa bona praedicatoribus ostendisset[e]. Stetinensibus vero, quod aliqui ex eis ad errores pristinos revoluti essent, divinae indignationis ac suae[f] mandat non defore vindictam, nisi quantocius apostasiae immundicias congrua diluant satisfactione, indulgentia petita doctoris. Dux itaque talibus modis a beato viro mitigatus, licet nimis murmurantem exercitum, utpote praedae avidum, versis aquilis ad sua redire prae-
Iul. cepit. Porro episcopus voti compos cum legatis rediens, attonitis gregibus suis optatae pacis et securitatis nuncium reportavit. Et quantum illi pridem de metu belli moestificati fuerant et concussi, in tantum alacres facti sunt et in fide christiana[g] fundati, sane doctori suo ascribentes patriae liberationem; servusque Dei magnificatus est vehementer in terra Pomeranorum. Illi vero nichil meritis suis tribuens, tanto se humiliorem apud Deum et homines exhibuit, quanto sine illius auxilio se nichil posse sciebat; dimittensque nuncios, de quibus supra dictum est[71], marchioni et Saxonibus gratias egit pro bona voluntate, de Dei operibus et de suo statu mandans quae audissent et vidissent ad Dei gloriam domi narrare.

11.[h] Erat autem Uznoimiae illis diebus dux pariter et episcopus. Est autem insula quaedam non longe a civitate illa, habens mare interiectum quasi itinere unius diei, Vera-
Ebbo III,14. nia[i] nomine. Sed loci huius[k] incolae duri erant et barbari, singulari feritate crudeles. Hii praedicatione beati viri dudum comperta, omnia quae de illo dicebantur aspernati, mortem ei, si ad eos veniret, minabantur. Sed quo amplius duras eorum minas audierat, eo amplius in animo suo fixum habebat illo ire, sperans ibi martirii coronam se adepturum. De hoc vero cum duce et aliis familiaribus suis dum consilium tractaret, propter inmanitatem periculi ab omnibus dissuasus est. Quod aegerrime ferens, ingeniosus agere coepit, quomodo se nescientibus eis illo proriperet. Hoc sentientes illi, cautius eum observabant, nullamque secreti oportunitatem, quo id aggredi posset, ei concedebant, salutem illius vitamque longiorem multis utilem ac necessariam memorantes. Verum desiderii magnitudine nichil huiusmodi rationum audire potuit, illos potius modicae fidei arguens, ac pusillanimitatem eorum increpans[l], fidem christianam factis magis firmandam aiebat quam verbis satisque inertes aeternae vitae praedicatores, qui pro illa vitam praesentem expendere formidarent: *Et quid*, inquit, *fieret, si in his barbaris nationibus euangelizantes pro Christi nomine omnes occumberemus? Nimirum gloriosior esset praedicatio, quae martirum sanguine firmaretur. Sed, o dolor! de tanto fratrum numero nec unus, puto, dignus habebitur, morte sua vitae quam speramus perhibere testimonium.* Atqui verbis talibus verecundia nata est trepidantibus.

12. Udalricus autem venerabilis sacerdos constantior factus, sciens hoc etiam seni
Ebbo III,14. placere, huic se periculo intrepidus offerebat, comitem tantum et[m] viae ducem postulans. Accepta igitur benedictione, paraturam sacerdotalem, calicem quoque ac librum et caetera, quae faciendae missae ratio postulat assumens, navem conscendit. Sed nos videntes fratrem nostrum unice carum solum ad martirii palmam properantem, cum dehortari eum non auderemus, viam eius lacrimis uberioribus prosecuti sumus. Qui horis quasi tribus prosperis flatibus navigans, fere iam ab[n] oculis nostris ablatus fuerat, et ecce, tempestas oritur, ventisque contrariis ratem huc illucque pellentibus, viam tenere non potuit, sed ad litus unde exierat post multam fatigationem appulsus est. Ille vero, tametsi tempestatis iniuria et imbribus desuper irruentibus, et procellis navem deorsum implentibus; totus esset

a) pergit B 1. b) lenita *codd. mut.* c) volebant 1. d) Wratizlai A 2; Frotizlai B. e) ostendissent 1. f) illis *add. codd. mut.* g) christianismi *codd. mut.* h) B *c.* 11 *et* 12 *unum.* i) Verania 1; Verania B 1 *et sic porro.* k) *ita* B 2; illius 1. l) increpitans *codd. mut.* m) ut 1. n) ob 1.

70) Uznoimiae. 71) III, 8.

madidus vixque spirare videretur, a coepto desistere noluit, neque ad terram exivit[a], sed 1127. sedens in navicula tranquillitatem maris expectabat, interim aquam de navi vasculo proiciens. Ventis itaque paululum sedatis, iterum navigare coepit[b], iterumque simili modo impeditus est. Tertia quoque vice ire temptans, sed nichilominus nocte ac tempestate ingruente, ponti[c] saevitiam vix et quasi per miraculum evasit; tempestas vero infra 7 dies non cessavit. Intellexit ergo vir Dei Veranos[d] euangelicae gratiae indignos, currensque cum clericis discipulum, quasi de palestra coronatum, de litore duxit ad tectum, super ipsius constantia fideique magnitudine Dominum benedicens. At ubi coenatum fuit, fratres de navigatione Udalrici iocari coeperunt: *Et quis*, inquiunt, *si perisset homo, reus homicidii teneretur?* Adalbertus autem interpres, cui maxime factum displicuerat[e]: *Quis iustius*, inquit, *homicidium, lueret, quam is qui hunc ad tale periculum direxit?* Verum episcopus, quamvis ab eodem fratre de hoc verbo ante pulsatus fuerit, nil motus, ad euangelium se convertit, et exemplo domini Iesu discipulos quasi oves inter lupos mittentis, factum suum defendit. *Quis enim*, ait, *homicidii reus tenebatur, discipulis qui a Domino mittebantur interfectis? Qui oves ad lupos misit, profecto a lupis oves devorandas scivit. Devoratae sunt oves a lupis, interfecti sunt apostoli a tirannis.* Deinde parabolam hanc facto suo coaptans, plena rationis doctrina discipulos animavit, dignisque exhortationibus in gaudio spirituali magnam partem noctis expendit[f]. Et mane facto, quidnam agerent vel quo diverterent, inter se tractabant. Verum haut diu nutabundi, quod superfuit de opere in agro Domini, coloni fideles inter se distribuunt, aliis retro ad Thiminam, aliis autem ad alia loca euangelizandi gratia divertentibus.

13. Episcopus vero ad Stetinam iter proposuit cum ministris suis, de apostasiae nequitia in spiritu vehementi arguere[g] superbos. Sed clerici, qui cum ipso ituri erant, Stetinenses barbaros et crudeles agnoscentes, suae pariter et illius saluti metuebant. Unde ne[h] illuc veniat, dehortantur studiosius. Cumque illi molesti essent: *Video*, ait, *tantum ad delicias venimus; quicquid asperum vel difficile occurrit, totum declinandum iudicamus. Sed esto! nam ad gloriam martirii sicut nullum cogere volo, ita, si fieri posset, omnes vos hortari vellem. Rogo autem, si iuvare non vultis, saltem ne me impediatis. Suae vitae potestatem habeat unusquisque; liberi estis vos, liber et ego. Dimittite me michi, obsecro.* Et eiectis omnibus, sese in cubili suo usque ad vesperam in orationem dedit. Deinde vocat puerum familiarem, praecipiens ut, clausis undique ostiis, a se omnes dimoveat, nullumque admittat sine ipsius[i] conscientia. Quo facto, secreti sui compos, fugam meditatur; itineralia induitur, succingitur, indumenta sua sacerdotalia cum libro, calice aliisque utensilibus in mantica[k] ponens, omnia in humeros[l] levat, tectusque umbra noctis, clam[m], cunctis nescientibus, incomitatus urbem egreditur, viam carpens quae vergit Stetinam. Cumque aspexisset[n] huc atque illuc, et nullum se comitari videret, laetus et alacer de prosperitate furti, Deum benedicens, matutinale inchoat officium, gliscens et properans totum iter nocte illa complere. Cumque nocturnus viator viam ardenter carperet, hora noctis decima iam instabat. Clerici autem e diversis stratis consurgentes, cum ad dicendas matutinas se colligerent, quidam ex eis[72] suspenso gradu ad cubiculum pergunt episcopi, utrum dormiat an vigilet, vel quid agat, explorare cupientes. Verum ubi propius propiusque admoti, episcopum non inveniunt, consternati sunt animo. Et diligenter omnia scrutantes, cubicularium ipsum[o] et alios qui iuxta erant crebro sciscitantes, quod factum fuerat tandem ediscunt. Quid multis? Turbantur omnes, aliique pedibus, alii vero vero ascensis equis, huc illucque pontificem[p] quaesituri discurrunt. Factoque mane, hii qui in equis fuerant, directo calle ac concito gradu versus mare viam insequuntur abeuntis, et abeuntem consequuntur. At ille ubi eminus venientes iam intraturus navem[q] agnovit, turbatus est valde, et altius ingemiscens: *Heu*, inquit, *domine Iesu, unice Dei, unice virginis, dulce nomen spei meae, numquid me fraudabis a desiderio meo? Fac, oro[r], ut hi, qui veniunt[s], aut mecum eant, aut me a proposito meo non impediant.* His dictis, illi accurrebant, moxque ab equis desilientes, pedibus illius prosternuntur. Sed quid? prosternitur et ipse; levantur[t] illi, levatur[u] et ipse; flebant illi[v], flebat et ipse, vocemque moeror ac tristicia et his et huic diutissime interclusit. Tandem post multas lacrimas in hanc vocem senior moestus erupit[w]: *Ad quid venistis? Redite, quaeso, ad hospicium, et ego pergam viam quam coepi.*

a) exire voluit B. b) coeperunt 1. c) maris B 2. d) Vreanos 1. e) displicuit B 1; displicebat B 2. f) expendebat B 2. g) increpare B. h) nec 1. i) sui *codd. mut.* k) sua *add.* B 2. l) suos *add.* B 2. m) clam c. nesc. *desunt* 1. n) circumspexisset B. o) episcopi B. p) episcopum B. q) iam intraturos naves A 2. r) Otto 1. s) veniant A 2. t) levant A 2. u) levat A 2. v) *deest* 1. A 2. w) prorupit B. 72) Udalricus; Ebbo III, 15.

1127. At illi: *Absit,* inquiunt[a], *sufficit nobis haec tam grandis confusio; amodo te nequaquam deseremus. Si redire vis, laeti redibimus tecum; sin autem progredi mavis, tecum progrediemur. Sed placeat sanctitati tuae consilium nostrum. Redeamus pariter ad fratres et ad pueros nostros hodie; cras, ecce, coram Deo loquimur, sive in vitam sive in mortem omnes*[b] *tecum veniemus.*

Iul. ex. 14. Tali ergo pacto episcopus cum eis reversus, crastina die omnibus se comitantibus eandem viam ingreditur, ascensaque navi prosperis flatibus Stetinam vecti sumus. Homines autem de civitate inter se divisi erant, aliis adhuc in fide manentibus, aliis autem ex maiori parte ad paganismum reversis. Fuit autem basilica[73] ante introitum civitatis in area spaciosa, quam ipse in priori profectione dedicaverat; quam ingressi, hospitari coepimus[c]. Fideles igitur de adventu episcopi gaudebant, infideles autem turbabantur. Prae omnibus autem nefandi sacerdotes furere et furorem in turba excitare festinant, adeo ut collecta manu armatorum ecclesiam undique cingerent, et insanis tumultibus debachantes, aedem ipsam convellendam[d], et omnes qui erant ibi una cum magistro interficiendos clamitarent[e].
Ebbo III, 15. Episcopus vero martirii avidus, pontificalibus se induens, arma sua, crucem tollit et reliquias, psalmosque ac ymnos cum clericis personans, agonem suum Domino commendabat. Barbari vero audito cantu mirati sunt valde, quod quasi in articulo mortis positi cantare potuissent. Et auscultantes mutuoque se invicem respicientes, virtute, ut puto, verborum incantati, clementius se habere coeperunt, et iam non viribus sed ratione magis opus esse dicebant, ad talia recipienda vel etiam propulsanda. Dein sapientiores quique super his rebus ipsos sacerdotes secretius conveniunt, ipsorum esse dicentes congruis rationibus religionem suam defendere. Talia inter se mussitantes, paulatim singuli[f] ad sua digrediuntur. Erat
Iul. 29. autem 6. feria[74], et episcopus cum suis illa die sabbatoque ieiuniis et orationibus sacrisque meditationibus usque in diem[g] dominicam intensius[h] operam dabat.

15.[i] Interea civis quidam nobilis eiusdem civitatis Witscacus nomine, in conventu populi, in plateis et domibus, ubicunque et quandocunque facultatem habuit, regnum Dei et fidem praedicare non desiit, christianas traditiones et omnia documenta episcopi sana et sancta et veritatis plena contestans[k]. Hic etenim non longo tempore[l] ante adventum piissimi Ottonis cum aliis concivibus suis contra paganos piraticam[75] exercendo, dum incautius ageret, in hostes inciderat, multisque ibi trucidatis, cum aliis vitae relictis in captivitatem ductus fuerat. Cumque ferro et catenis et tenebrosi carceris custodia clauderetur, orando ad Dominum per merita episcopi liberatus fuit. Nempe cum diuturna oratione fatigatus in sompnum resolutus esset, episcopum Ottonem, qui eum baptizaverat et de sacro fonte levaverat, sibi assistentem videbat. Quem dum ille agnosceret[m], rogat iterum et genua flectit pro ereptione. At ille: *Ad hoc ipsum,* inquit, *veni; sed tu liberatus, ea quae Stetinensibus mando, ferre ne dubites.* Et mox datis mandati verbis, et signo crucis ad eum facto, captivum exire iubet. Expergefactus homo de visu laetatur[n], movet gressum, effectum probat visionis. Et ecce, catenae omnes et vincula solvebantur, progreditur ad ostium, et carcer apertus erat. Sentit ergo virtutem adesse divinam, altumque suspirans gratias agit omnipotenti Deo, ac timido gressu invisam domum exivit, suspectisque locis leniter transitis, cursum tendit ad mare, diuque huc illucque discurrens navem quaerebat, sed nullam inveniens admodum anxiari coepit; nam se denuo capi, denuo incarcerari metuebat. Sed quid faceret? Ad ultimum, formidine[o] maioris mali, cum iam sine remige corpus in undas mittere pararet, Ottonem suum nominans, ingemuit ad Dominum. Et ecce, de insperato cimba litori adlabitur, quam sibi a Deo paratam videns, cum gratias egisset, ascendit, manibusque ambabus fluctus verberans, ratem convertit in altum, mirumque dictu, quam citissime prosperante Deo patriis oris[p] appulsus est. Quod miraculum assiduo relatu notum fecerat, et Stetinam veniens, responsa episcopi civibus in unum congregatis, ut iussus erat, praemissa ex ordine liberatione sua, ita exposuit: *O cives, doctor et magister noster beatus Otto sic et sic fecit michi, et haec mandat vobis. Gravis et dura nimis ab omnipotente Deo*

a) domine *add.* B 2. b) omnes *deest* A 2. c) coeperunt 1. *codd.* d) destruendam B 1. e) clamarent *codd. mut.* f) *deest codd. mut.* g) *deest* 1. h) intentius *codd. mut.* i) *sequentia tria capita desunt* A 2. k) miraculum 1 *in margine.* l) longe *omisso* tempore B. m) cognosceret B. n) letus efficitur B 2. o) formidinis 1. p) horis 1.

73) S. Petri; Ebbo III, 1. 74) Si in computationibus ad Ebbonem III, 13. SS. XII, 869 datis stare liceat, erat 29. Iul. et dies dominica decima Trinitatis 31. Iul. 75) Danos 1126; accuratius Ebbo III, 2.

vindicta super vos et super civitatem istam ordinata est, pro eo quod eius fidem et culturam 1127. *polluitis, partim cum eo, partim pro eo idolis servientes.*

16. Nefandi quippe sacerdotes, dum peste ac mortibus homines et iumenta quodam anno[76] ex inaequalitate aeris ibi laborarent, a diis malum hoc immissum[a] asserebant, et voluntate populi ecclesiam sancti Adalberti martiris, tintinnabulo et campanis deiectis, destruere coeperant; unusque illorum dum malleo cementarii altare percuteret, subito languore ac stupore a Domino percussus est. Cumque malleus de manu eius caderet, cecidit et ipse. Dein post longum spiritu parum resumpto, populum astantem, quasi ex plaga emendatus, sic adorsus est: *Frustra, o cives, nitimur; Deus christianorum fortis est, et nostra vi a nobis expelli non potest. Michi autem consilium videtur, ut illum habeamus, et tamen antiquos deos nostros non dimittamus, et iuxta illius aram nostris quoque diis aram constituamus, ut eos omnes pariter colendo, illum et istos pariter habeamus propicios.* Quid faceret populus? Territus prodigio consilium probavit, exstructoque nefando altari iuxta dominicum altare, Deo servierunt et daemonibus, iuxta historiam antiquitatis, qua dicitur: *Populus Samariae deos gentium colens, nichilominus Domino serviebat.*

17. Witscacus ergo fidei zelo calens, non semel aut bis legationem quam acceperat egit ad populum, sed ex quo a captivitate rediit, numquam cessavit regnum Dei euangelizare, misericordiam Domini et merita liberatoris sui civibus inculcans, et nisi ab errore quiescant, divinam eis ultionem intentans. Tota vero civitas, exceptis sacerdotibus, factum hoc cum veneratione mirabatur[b], et tamen praevalente consuetudine a paganismi ritibus cessare non potuerunt. Sed iam de praesentia domni[c] episcopi responsalis eius audentior factus, linguam laxat eloquio, victorque idolorum et vatum vana de his vaticinantium, ad servum Dei veniens cum amicis et cognatis suis, pronus adorat, gratias agit, remque omnem refert ex ordine, ipsumque ardenter ad opus praedicationis instigat, auxilium ei et consilium ex sua suorumque parte ad omnia pollicitus. Itaque die dominico, completis Iul. 31 missarum sollempniis, sicut erat sacra indutus armatura, vexillo crucis ex more praelato, Ebbo III, 15. in medium forum[d] civitatis duci se rogavit. Cumque ad portam ventum esset, ecce, per quam sine remigio trans mare Witscacus vectus erat, navicula poste pendebat, et admotus lateri pontificis: *Vides,* ait, *pater?* Et feriens eam hasta: *Haec,* inquit, *cimba testimonium sanctitatis tuae, firmamentum fidei meae, argumentum legationis meae ad populum istum.* Erat autem alveus[e] brevissimus, qui a duobus viris[f] facile portaretur. Substitit episcopus et diligenter rem considerabat, perpenditque, quod in pacatissimo[g] amne vix conto[h] gubernatus[i] unam personam portare sufficeret, nedum in fluctibus marinis sine omni gubernaculo, nisi hoc divinae virtutis esset gubernaculum. Gratias agit Deo beatus antistes, quod incredulae genti virtutem suam tali facto demonstrasset. Liberatus autem subridens: *Hanc idcirco suspendi feci ad portam, ut ingredientes et egredientes hoc facto discerent, quid in suis necessitatibus de misericordia Dei ac de tuis meritis, sanctissime pater, sperare deberent.* His dictis in confertissimas turbas paganorum, ministris comitantibus in medium forum sese intulit[k] episcopus. Erant autem ibi gradus lignei[77], de quibus praecones et magistratus ad populum[l] concionari soliti erant. In quibus stans minister euangelii, sermonem coepit; fremitum autem dissidentis populi Witscacus vice praeconis manu et voce sedabat.

18.[m] Cumque omnes conticuissent, et verbum exhortationis pars maxima libenter audiret, ecce, unus sacerdotum, vir Belial[n], plenus furore, pinguis et procerus, in medium turbae sese fortiter intrudens, cambucam suam manu gestabat, spiransque et anhelans usque Ebbo III, 16. ad ipsos gradus accessit, levataque manu semel et bis columpnam graduum validissime percussit. Dein clamore magno et verbis nescio quibus contumeliose prolatis, silentium mandat loquenti, suaeque vocis grossitudine magnum tonans, sermonem interpretis et episcopi pariter oppressit, populoque ait: *Sic, o insensati, stulti et inertes, quare decepti et incantati estis? Ecce, hostis vester, et hostis deorum vestrorum! Quid expectatis? Ferentne impune et*

a) esse dicebant B. b) mirabantur 1. B 2. 3*. c) *deest* 1. d) fori B. e) *uta* B*; alnus 1 *et* B. *rell.* f) *deest* B. g) pacissimo 1. h) remo B 1. 2. 3*. i) gubernata 1 *et* B. k) contulit B. l) ad pop. *desunt* 1. m) *capp. sequent. leguntur in* A 2. n) notabile miraculum 1 *in margine.*

76) 1126; Ebbo III, 1. 77) Ebboni pyramides. Vid. Hering Beiträge zur Topographie Stettins. Balt. Stud. X, 1. p. 8.

1127. *contemptum et iniuriam?* Omnes autem incedebant hastati. Ait ergo[a]: *Haec dies omnibus erroribus eius finem imponet!* Omnesque adhortans, singillatim quosque de quorum malignitate certus erat, propriis nominibus compellabat[b]. Et quicunque spiritu vesano agitabantur, quibusque familiare fuit audacter magis quam consulte rem agere, ad dicentis vocem inflammati, hastas levant. Quas dum ad iaciendum vibrant, actu rigent in ipso, mirumque dictu, nec hastas iacere, nec demittere dextras, vel de loco moveri poterant. Stabant igitur ut simulacra immobiles, fidelibus et religiosis facti spectaculum. Quotquot enim erant infideles et maligni, qui a fide christianismi defecerant, et in infidelitate sua pertinaci dementia stantes, impias manus contra servum Dei levaverant, hac poena tam diu mulctati stabant[c], quousque in sua fide boni firmarentur, et illi a pravitate cordis per poenam corporis corrigerentur. Nam et episcopus arrepta miraculi occasione: *Cernitis,* inquit, *fratres, quanta sit potentia Domini. Certe, ut video, divinitus ligati estis. Quare non iacitis hastas? Quare non demittitis dextras? Quamdiu in hoc nisu apparebitis?* Illi autem, nescio an prae confusione aut prae stupore, nichil respondebant. Tunc ille: *En,* inquit, *dii vestri, pro quorum religione certatis, si quid possunt, auxilientur vobis. Sed et iste vester tumultuosus sacerdos invocet nunc deos suos super vos, det consilium, det auxilium! Si quid novit, si quid potest, iam tempus est.* Ille vero iamdudum eventu rerum stabat attonitus, iam ulterius nec mutire praesumens. Cumque ingenti pavore omnes silerent, episcopus miseratione tactus: *Gratias,* inquit, *tibi, domine Iesu Christe, qui potentiam fortitudinis tuae, cum tempus est, ad terrendos adversarios et ad protegendos servos tuos exercere soles. Sed quia pius et misericors es, ignosce, rogamus, ignorantiae sive temeritati populi huius, et usum corporum suorum, quo te ligante privati sunt, solita illis[d] miseratione restitue!* Quo dicto, crucisque signo ad eos facto, effectus orationem mox insecutus est. Et subiungens: *En,* inquit episcopus, *si audire hactenus noluistis, tangite saltem et sensu ipso probate, quanta sit misericordia Dei nostri, quanta sit veritas fidei quam praedicamus vobis;* et longius de iudicio et misericordia Dei et de praesentis vitae incerto et de perseverantia aeternorum profunde disputans, conterritos in Syon peccatores erudivit, tandemque medicamine salutaris eloquii aliquantum mansuefactos benedixit, et coetum dimisit. Descendens vero de gradibus, ecclesiam sancti Adalberti cum fidelibus, zelo zelatis pro domo Dei, visitavit[e], ac praemissa inibi orationis sollempnitate, altare abominationis fregit, comminuit et eiecit; factaque reconcilationis emundatione, fracturas basilicae suis impensis emendari[f] fecit.

19. Cumque saepius eandem freqtientaret ecclesiam, quodam tempore pueros in platea ludentes invenit. Quos dum lingua barbara salutasset, veluti coniocando illis, etiam crucis signo in nomine Domini eos benedixit, et paululum procedens, animadvertit[g], quod universi, relictis lusibus suis, visendi studio collecti, a tergo sequuntur episcopum, hominum ignotorum, ut est mos illi aetati, aspectum habitumque admirati. Substitit homo Dei, et circumfusos blande alloquens, sciscitatur, si aliqui ex eis baptisma percepissent. Illi sese mutuo respicientes, coeperunt invicem prodere, qui fuerint ex eis baptizati. Quos episcopus seorsum vocans, quaerit ab eis, si voluntatis eorum sit, tenere fidem, quae ad baptismum spectat an[h] non. Illis autem se tenere velle constanter affirmantibus, episcopus: *Si,* inquit, *christiani esse vultis, et fidem servare baptismi, istos non baptizatos et infideles pueros ad ludum vestrum admittere non debetis.* Qui statim iuxta verbum episcopi similes cum similibus congregati, pueri baptizati non baptizatos a se abicere et abominari coeperunt, nulla eis ludi societate communicantes. Itaque videre pulchrum erat, quomodo hi[i] de professione christiani nominis gloriantes, familiarius agere et avidius intueri et audire doctorem etiam inter ludos suos[k], illi autem, quasi de infidelitate confusi et exterriti, a longius stare solerent[l]. Sed pater optimus et credentes miti sermone ad fidem plenius pro ipsorum capacitate instruxit, non credentes vero ad credendum tam diu exhortabatur, quousque se baptizari et christianos fieri omnes flagitarent.

20. Interim vero maiores natu et sapientiores quique, de rebus istis altius inter se tractaturi, consederant, et a mane usque ad medium noctis huic deliberationi vacantes, de salute propria et totius populi, de statu civitatis et conservatione patriae secundum prudentiam saeculi diligenter disputabant. Praecipue autem universa quae Ottonis erant dicta vel

a) sacerdos *add.* B. b) appellabat B 1. c) sunt mulctati B. d) usus B 1; eis B 2. e) intravit B. f) emendare A 2. g) intellexit B. h) vel 1. A 2. B'. i) hi pro defensione B 1. k) coeperunt *add.* B 1. l) *deest* 1. B.

1127. facta examussim[a] trutinabant, et mediante Spiritu sancto in hanc sententiam omnes communiter cedunt, ut funditus exstirpata idolorum cultura[b], ex integro se religioni christianae submittant; atque in hoc verbo concilium solvunt. Witscacus autem, qui omnibus his intererat, nocte ipsa cum paucis ad episcopum veniens, optatum nuncium affert, omne consilium ei breviter insinuans. Dein collectis ad episcopum clericis et aliis familiaribus, omnia quae audierat, quaeque in concilio de ipso dicta fuerant, scilicet ordinem liberationis ipsius qui loquebatur, et de miraculo, quod hastas vibrantes contra episcopum pridie obriguerant, et quod adhuc latebat episcopum, quando ad ecclesiam cum ministris per plateam praeparatus incedebat, tantus splendor vestium apparuit, ut maligni homines, qui ad eum necandum ex insidiis veniebant, nimiae claritatis aspectu in fugam, territi ac turbati, versi fuerint, denique virum illum, virum Belial, sacerdotem qui ei concionanti ad populum impedimento fuerat, ab ipsis civibus eiectum nunciat. Porro apud eos eius liberalitatis et elemosinarum inaestimatas[c] largitiones et captivorum redemptiones, quodque sine magna recompensatione[d] nullius eorum opes vel substantiam oblatam contigerit, suis impensis sese atque suos transigens, etiam basilicas exstrueret, destructasque reaedificaret; omnia haec quantae venerationis quantaeve admirationis habita sint, cum gaudio referebat. Igitur de mane consurgens episcopus, et cum gratiarum actione missas celebrans, convenientes[e] Aug. 15. cives[f] iterum alloquitur, et pronos atque obedientes ad omnia invenit[78]. Quicunque enim sese apostasiae vicio inquinaverant, Spiritus sancti virtute faciente compuncti, per manus impositionem in fonte lacrimarum suarum loti, ecclesiae sanctae reformantur. Pueri vero, et quicunque sacramentum baptismi nondum erant consecuti, baptizantur; fana destruuntur, ecclesiarum fracturae solidantur, et si quae destructae fuerant, reparantur. Omnis ergo populus iam quasi vir unus id ipsum sapiebat in Domino, gaudet episcopus, laetantur sacerdotes: *Magnificata sunt in consilio iustorum opera Domini!*

21. Praeter hanc autem spiritualis laeticiae occasionem, divina bonitas[g] illi civitati etiam de inopinato corporale commodum exhibuit. Nam immensae molis ac magnitudinis Ebbo III, 17. rombonem, circa portus maris et naves se ostentantem, piscatorum manus ad litus eiecit in mense Augusto, cum tamen in locis illis talis captura non nisi vernali tempore occurrat. Aug. Ex cuius carnibus ac pinguedine omnes cives partes capiunt, et episcopo, cuius meritis hoc munus asscribebant, plus quam absumere cum suis omnibus posset, apportant.

22. Verumtamen laetis eventibus temptatio non defuit. Nam cum delendis et exstirpandis fanis idolorum et sacris diligentius insisteret episcopus, etiam arborem nucis miran- Ebbo III, 18. dae pulchritudinis idolo dicatam, ne scandalo esset rudibus, volebat incidere[79]. Vicini autem, qui umbra eius et amoenitate saepe delectati fuerant, ne incideret eam, rogabant. Porro agri possessor vehementius irasci atque indignari coepit, aliisque modeste agentibus, hic minis et clamoribus longius assistens, furorem cordis evomuit. Itaque quasi paululum furore sopito, silenter[h] a tergo accedit, nulloque sperante, securim bellicam utrisque manibus levans, caput episcopi ferire nisus est. Sed illo praesentiente atque in aliam[i] partem se rapiente[k], bipennis casso vulnere in trabem pontis, iuxta quem stabant, perlata est tam fortiter, ut a feriente reduci non posset. Accurrunt omnes, comprehendunt, trahunt, trudunt[l] infelicem illum, et nisi per interventum episcopi[m], eadem securi trucidassent.

Tiemo: Hic forte, hic aliquis grunniet malivolus auditor. Nam et ego quoque miror — si ita est, ut asseris — qui alias ad martirii palmam ultro se ingerere paratus fuit, quod hunc tam validum ictum non suscepit. *Qui enim totiens mortem appetiit,* dicet aliquis, *quare nunc venientem non sustinuit?*

Sefridus: An nescis, aliud esse ex consilio et fortitudine mentis corpus morti obicere, digna exsistente aliqua necessitate, atque aliud ex infirmitate carnis eandem pertimescere? Sed hoc etiam considerare potes, quod non de agone passionis tunc temporis cogitabat, sed magis de arbore nucis, de cuius incisione cum civibus tractabat. Et si altius rem contemplari volueris, animalis spiritus naturaliter exterioris substantiae salutem, quantum in ipso est,

a) diligenter A 2. b) idolatria B. c) inestimate 1. d) et quod *add.* B. e) concurrentes B. f) *deest* 1. g) divinitas omnipotentis B 1. 3*; dei *add.* B 2. h) silentio B. i) *deest* 1. k) ruente B. l) tradunt A 2; tundunt B 1. 2; cindunt B 3*. m) episcopus intervenisset B 1.

78) De hoc colloquio accuratius Ebbo III, 16, quod circa 15. Aug. factum apparet ex capite sequenti et Ebbone III, 16. 79) Vid. supra II, 32.

1127. tueri solet — appetit conducibilia, fugit contraria — quem tamen interna mentis ratio saniori consilio a conducibilibus interdum abstrahit, et contrariis passionibus affligit. Nichil ergo mirum, si ratione alias intentus, teneritudine oculorum faciente venientem ictum expavit. Denique divino etiam nutu hoc factum arbitror, scilicet ne multis aliis adhuc profuturus ibi occumberet, neve a christianis, qui nuper fidem susceperant, vel etiam amissam receperant, et in novitate reconciliationis et gratiae divinae doctor ipse interfectus praedicaretur.

Tiemo[a]*:* Nonnichil dictum est. Perge quo coepisti.

23.[a*] *Sefridus:* Ottone sic a periculo liberato, et percussore suo de manibus percutien-
Ebbo III, 19. tium salvato, inter astantes Adalbertus presbiter, ad Teutonicas partes se vertens, profundius inclinat, Deo et sancto Michaheli in Babenberc et fratrum orationibus gratias agit[b]. Et conversus ad episcopum: *En*, inquit, *scutum orationis fratrum et protectio sancti Michaelis archangeli!* De arbore vero ne incideretur, tandem cives multis precibus obtinuerunt, iureiurando firmantes, nichil unquam divinitatis vel sanctitatis arbori sese adscripturos, neque numinis vel idoli alicuius vice se illam habituros, sed magis pro utilitate fructuum et amoenitate[c] umbrarum.

24. Omnibus ergo quae ad cultum fidei spectant rite illic ordinatis, dum ad alia loca ire[d, 80] pararet, ab universis natu maioribus et prudentioribus civitatis rogatus est, ut, quia Deus cum illo erat et multa bona eis ostenderat, ducem Vratizlaum[e], cuius offensam gravibus culpis incurrerant, eis placare studeret, atque hoc facto cuncta circa se studia sua deauraret. Annuit; eligit viros honorabiles, aptos ad responsa reddenda vel accipienda,
Sept. ducem adiit[81], preces fundit, accusat populum et excusat. Dein potenti suadela mitigat indignantem, iubet, obsecrat, facit compositionem, pacatisque ad perfectum omnibus, legatus[f] cum legatis pacem affert civitati. Hinc toti ecclesiae valefaciens, miris affectionibus Iulinam ire dimittitur. Maligni vero sacerdotes, pleni demonibus, cum iam aperte non possent, vel per insidias servo Dei nocere moliti sunt. Conducta etenim magna sicariorum multitudine[g, 82] viam abeuntis in arctioribus navigii locis obsederunt, suis amicis, istarum rerum nesciis, mortem episcopi quasi per divinationem praenunciantes. At ubi ad insidias ventum est, hostes arma corripiunt[h], funambulos tenent, navigantes invadunt, sanguinem episcopi super omnia sitientes. At vero Stetinenses et nostri qui cum episcopo erant arma capiunt[i], ex rate prosiliunt, partim terra partim aqua consistunt, vim viribus audacter arcentes. Cumque aliquamdiu pugnatum esset[k], hi qui de insidiis erant a Stetinensibus coeperunt agnosci; et confusi de malefacto fugerunt. At sacerdos, qui haec machinatus fuerat[l], eadem hora domi cum amicis suis[m] residens, paralisi et vehementissimo languore vexari coepit, suis, ut arbitror, diis eum non inmerito[n] laniantibus. Cumque ore, oculis ac tota facie distorta[o], frontem ad scapulas verteret, et[p] miserabili corporis agitatione in mortem
Ebbo III, 20. solveretur, exclamavit: *Haec patior propter insidias et mala quae contra Ottonem feci!* In hac voce vitam finivit. Tantus autem foetor subsecutus est, ut Pluto ipse infernalis — vel quisquis illic maximus est — ab huius faucibus spirare putaretur. Item[q] alius quidam de sacerdotibus Ottoni contrarius[r], cum ad negocia sua cum institoribus forte navigaret, et in insula quadam nautae, ut assolent, ad[s] suas commoditates applicuissent, iste alienata mente, nec vultu nec voce sanum quid agens, a comitibus notatus est. Cumque seorsum ab aliis in silva veluti per amentiam vagaretur, iuvenes quidam quasi per lasciviam secuti, delirum fune per guttur ad arborem ligant et discedunt. Ille vero incautis motibus, vinculorum impatiens, se solvere luctabatur, sed divino iudicio constrictus, per funem, qui collo iniectus erat, intercluso anhelitu, mortuus est.

25. Episcopus autem Dei protectus auxilio[t] cum Iulinam venisset, nichil ibi adversitatis invenit. Omnes eius redargutiones de apostasia seu de aliis excessibus patienter ferebant, indigna et mala opera sua dignis emendationibus[u] ad eius doctrinam expurgare et corrigere parati. Ille vero per manus impositionem et sacri verbi exhortationem sanctae

a) Tiemo — coepisti *desunt codd. mut.* a*) B 1. 2. 3* *capp.* 23 *et* 24 *unum.* b) pro salute *add. codd.* c) commoditate B 1; utilitate B 2. d) iter B. e) Wratislaum A 2; Fructizlaum B. f) missis cum eo legatis B 1. 2. 3*. g) manu B 1. 2. 3*. h) arripiunt A 2. i) rapiunt *codd. mut.* k) *in rasura* 1. l) esset 1. m) *in margine* 1: miraculum. n) non im. *desunt* 1. o) distortam A 2. p) et *deest* 1 *et codd. mut. exc.* B 1. q) aliud miraculum *inscriptio* 1. r) contrariis *codd. mut.* s) propter B 1. t) adiutorio B 2. u) enim dacionibus 1.

80) Usedomam; Ebbo III, 20. 81) Ut accuratius habet Ebbo III, 21. 23, prius Iulinam, dein Caminam ad ducem profectus est Otto, ultimis diebus Augusti relicta Stetina, Ebbo III, 17. 82) 84; Ebbo III, 20.

et apostolicae ecclesiae omnes reformavit, baptizatis pueris et quoscumque huius sacramenti 1127. expertes invenit. Sicut enim exemplo Stetinensium pridem a fide recesserant, ita denuo, conversis illis, facile convertebantur. Illos enim per omnia imitari quasi pro sententia eis fuit.

26. Cum autem sacris operibus illic instaret episcopus, mulier quaedam in rure posita, nescio quo eventu subita cecitate percussa est. Audiens[a] autem antistitem adhuc esse in civitate, duci se illo iubet. Et veniens corruit ante pedes eius, auxilium petens super clade sua. Signum autem aeris ante fores pendebat ecclesiae, quod simplices, cum intrabant[b] oraturi, quasi ad excitandum sanctos pulsare consueverant. Episcopus ergo dum ad Ebbo III, 21. succurrendum a muliere crebro invocaretur: *Vade*, ait, *mater, vade ad ecclesiam, quassa campanam, excita sanctum Adalbertum, ut te adiuvet.* Abiit illa, Deum et sanctum Adalbertum invocans, arreptoque fune non prius a pulsatione signi cessavit, quam lumen oculorum reciperet. Videntes autem cives, gratias agunt Domino super gratia huiuscemodi, et magis in fide catholica roborati sunt. Sed dum hoc factum episcopi meritis ascribere vellent, prohibuit eos dicens: *Non me miraculorum factorem sed peccatorem sciatis, potius hoc beati martiris Adalberti meritis ascribendum certissime noveritis. Num obliti estis, quomodo priori anno*[83]*, cum tota civitas ista incendio vastaretur, hanc aediculam suam beatus martir in mediis flammis positam liberavit? Sed moneo, ut illius calamitatis memores, nec Iulium ipsum nec Iulii hastam, nec statunculas*[c] *idolorum vel simulacra ullo modo colatis denuo, pristina mala iterantes, ne mortem, pestilentiam, incendia et bella divina ultione incurratis.* Haec et his similia servus Dei ad eruditionem populi blanda oratione loquebatur.

27. Die vero quadam miles habens filium lunaticum, benedicendum eum obtulit episcopo, Ebbo III, 21 adductis cum eo quatuor bubus pascualibus, donarium et gratiam pro benedictione[d]. Sed doctor bonus manus suas excutere suetus ab omni munere, benedictionem quidem puero tribuit, ipsum autem puerum cum patre ac donariis ad papilionem suum, ubi capsae ac reliquiae sanctorum erant, deduci iubet, ut ibi, si vellent, facta oratione et[e] oblatione Dei misericordiam invocarent. Vadunt, sanatur puer, gratias agunt.

28.[f] Miles quidam frenesi ac dementia interdum capitis languore vexatus, in loco, ubi ad orandum steterant pedes eius, sese proiciens, sanitatem[g] recepit[h].

29. In die sancti Laurentii Bocceus, presbiter beati viri, ad villam pergebat[84]. Homines Aug. 10. Ebbo III, 22. autem terrae illius nondum consueverant observare[i] dies feriatos; in ipsa ergo die transeunte presbitero, rustici segetem metebant. Ille autem de observantia festi eos alloquens, merita martiris praedicabat, atque ut ab opere cessarent, sub contestatione ac reverentia beati Laurentii admonebat. Sed scriptum est: *Stultus verbis non corrigitur;* unde homo, qui magister operis erat, spreta sacerdotis admonitione, operarios suos magis ac magis urgebat. Contristatus ergo super illorum temeritate, presbiter cum abiret imprecatus est Dominum, ut digna ultione contemptum martiris sui vindicaret. Nec mora, ex improviso ignis venit et stantem segetem et eam quae iam messa fuerat undique afflavit, tantaque vis ardentis stipulae fuit, ut ipsi rustici de campo fugerent. Factumque est, ut qui salvis frugibus ab opere sponte cessare noluerant, perditis omnibus[k] cessarent inviti. Simile[l] quiddam Aug. 15. eodem presbitero per viam pergente in assumptione beatae semperque[m] virginis Mariae factum comperimus, duobus, videlicet rustico et eius uxore, in agro metentibus. Zelo etenim religionis presbiter eos prohibebat, dicens huic diei propter assumptionem Dei genitricis Mariae honorem deberi, Erat autem secunda feria[85]. Dicebat ergo rusticus: *Heri propter dominicam operari non licuit, et iterum hodie vacare iubemur*[n]*. Quae est haec doctrina, quae homines a rebus necessariis et bonis iubet cessare? Quando ergo collectas videbimus fruges nostras? Puto vos invidere utilitatibus nostris.* Cumque iam ad blasphemandum os aperire vellet, et falcem crebris tractibus messor vehemens in calamos vibraret, mirum dictu, subito extinctus, in sulcos cecidit, falcemque in dextra, segetem autem in sinistra, ut absecta erat, tam fortiter etiam mortuus tenebat, ut a nullo aufferri posset. Mulier autem

a) miraculum *in margine* 1. b) intrarent B. c) statunculos 1. A 2. d) miraculum 1 *in margine*. e) et obl. *desunt* 1. f) miraculum 1 *in margine*. g) orans *add.* B. h) obtinuit B. i) d. f. agere A 2; servare B 1. 2. 3*. k) quae habebant *add.* B. l) aliud miraculum *in margine* 1; A 2 *idem cap.*; B. *caput* 31. m) *deest* 1. B 2. n) debemus B.

83) 1126. Vide Ebbo III, 1. 84) Haec miracula Ebbone teste Caminae facta sunt; Otto erat Stetinae; III, 20. 21. 85) Simile miraculum cf. II, 23.

1127. infelix, socia operis, morte quidem mulctata non est, puto quia sub viri obedientia posita fuit, sed tamen sine poena et confusione non evasit. Nam corpus exanimis[a] viri ad ecclesiam secuta, falcem et segetem de manibus suis et ipsa excutere non potuit, quousque coram populo et clero argumentum hoc illicitae operationis probaretur. Sepulto ergo viro, et abeunte cum timore populo, mulier[b] soluta est. Ex hoc autem facto populus maiorem Dei genitrici[c] reverentiam maioremque aliis festis celebritatem doctus est exhibere.

86 30. Interea Rutheni[86], comperta fide et conversione Stetinensium, et quia in christianitate penitus roborati sunt, a societate illorum se avertunt[d], commercia omnia mutuaque negocia institorum ex indignatione abrumpentes, quasi alterius iam fidei populo communicare in talibus non deberent. Isti autem saepenumero a multis praedicatoribus[87] ad fidem vocati, de integro numquam venire[e] voluerunt, sed aliis interdum credentibus, alii non credebant, atque ex maiore parte paganicis ritibus degentes, semina fidei, veluti spinae suffocando[f], illic convalescere non sinebant. Ruthenia vero Danos adiunctos habet, porro archiepiscopo Danorum[88] etiam Ruthenia subiecta esse debuit. Sed populo fidem catholicam propulsante, superfluum est sacerdotes de parochiae terminis litigare. Rutheni ergo paulatim crescente odio, Stetinensibus publice adversari coeperunt, et primo quidem naves illorum a litoribus suis arcent[g], post etiam[h] ex communi decreto hostes eos haberi statuunt, Ottoni episcopo mandantes — audierant enim, quod illo ad praedicandum venire vellet — ne unquam fines eorum attingeret[i]. Dicebant enim nichil eum apud se inventurum, nisi acerbas poenas et mortem certissimam. Ille autem accepta legatione tali, tacite apud se exultat, animum parat ad martirium, cogitat et disponit omnia, tractat anxie apud se, an melius sit solum se ad tale convivium ire an cum multis. Stetinenses autem quidam viri boni et prudentes in comitatu episcopi erant Iulinae, gnari locorum provinciarum et morum cuiusque gentis. Hos ergo episcopus paulatim interrogationibus praetemptabat, scire volens, si quomodo eum illuc[k] perducere velint[l]. At illi de origine Ruthenae gentis, de feritate animorum, et de instabilitate fidei et bestiali eorum conversatione multa ei narrantes, etiam hoc quod archiepiscopo Danorum subiecti esse debuerint, non tacebant. Sperans ergo episcopus gratum fore illi, si converti possent, simulque attendens congruum esse, quod eius per licentiam ac permissionem ad praedicandum in eius parrochiam veniret, Iwanum[m] venerabilem presbiterum de latere[n] suo et alios nuncios navigio cum litteris et muneribus illo pro licentia direxit. Archiepiscopus vero in maximo gaudio et honore legatos accepit, habitisque apud se multa humanitate, plurima de statu, de doctrina et operibus beati Ottonis percontabatur. Erat autem vir bonus et simplex, bonarum rerum cupidus auditor, non mediocris scientiae ac religionis, in exterioribus tamen Slavicae rusticitatis. Nam et homines terrae illius tales sunt, ut in maxima ubertate atque divitiis generali quadam duritia omnes inculti videantur et agrestes. Urbes ibi et castra sine muro et turribus ligno tantum et fossatis muniuntur; ecclesiae ac domus nobilium humiles et vili scemate Studia hominum aut venatio aut piscatio est vel pecorum pastura. In his etenim omnes diviciae illorum consistunt; siquidem agrorum cultus rarus ibi est. Porro in victu vel in habitu vestium parum lauti habent aut pulchritudinis. Nostri ergo mediocres in comparatione illorum gloriosi erant. Iwanus vero presbiter archiepiscopo[o] ipso maior esse videbatur. Cumque esset boni oris, ad omnia composite respondens, illum valde oblectabat, nichilque satis ei esse potuit, quicquid de Ottone audiebat. Fama etenim ante annos plures[89] hunc notum habuit, et nunc[p] gloriari atque laetari habundantius coepit, quod eius dignos et praeclaros nuncios praesentes haberet, cuius tanta et tam praeclara facta vulgari fama passim praedicari prius audisset. De legatione autem eius ad praesens nichil se respondere posse dicebat, nisi ante principes Danorum[q] atque magnates per aliquas inducias consuluisset. Iwanus autem et legati hoc longum sibi iudicantes, dimitti se rogant, ne super eorum mora contristaretur episcopus. Annuit ille cum benignitate, ac litteras, donaria navemque grandiusculam, butiro plenam, signum dilectionis et amicitiae mittens, episcopo dicebat quantocius ex consilio principum per suos legatos de verbo praedicationis se

a) exanimi 1. b) quoque A 2. B 1. 3; et ipsa B 2. c) genitricis A 2. d) averterunt B. e) nulli submittere se vol. B. f) suffocantes B. g) arcerent A 2. B'; arcere B 1. 2. 3. h) naves illorum submergere prorsus *add.* B. i) contingeret B. k) Christus per eos se illuc B. l) dignaretur B. m) *ita* 1. A 2; Ivuanum B 1; Iunanum *et sic porro* B 2. n) latero 1. o) se *addit* 1. p) quidem *add.* B. q) Donorum 1.

86) Verani; Ebbo III, 23. 87) Danorum. 88) Lundensi, tunc Adcerio. 89) tempore primi itineris.

responsurum[90]. Quod utrum perperam[a] an simpliciter dixerit, parum nobis compertum 1127. Oct. ex. est. Nam dum per aliquos dies eius nuncios expectaremus, de partibus Alamanniae et de domo Babenbergensi plures nuncii venerunt, magnis et necessariis causis episcopum revocantes.

31. Rutheni autem crebris insultibus Pomeranos lacessunt, et Stetinensium fines Sept. Ebbo III, 23. armatis navibus perturbant. Cumque semel et bis repercussi a bello cessare noluissent, Stetinenses ex consilio communi arma tractare coeperunt, atque iterum venientibus coadunatis viribus occurrere. Sed quid plura? Tanta strage Rutheni fusi sunt, et tanti ex eis in captivitatem redacti, ut qui evadere potuerunt, nullum ultra victoribus bellum intulerunt[91]. Stetinenses igitur hac victoria gloriosi[b], domino Iesu Christo et servo eius Ottoni 91 honorem adscribebant, Ruthenos ultra iam non timentes, sed ex captivitatibus etiam ad humiles et satis indignas compositiones eos astringentes. Atqui Otto beatissimus, omnibus Nov. in. propter quae venerat bene completis, et civitatibus omnique populo in gaudio et fide apta compositis, visitans omnes quos potuit, decorum vale in maxima leticia illis faciebat per ducem Poloniae ac per alios amicos suos, iter ad sedem suam religens[c]. Itaque aliquot Nov. ex. diebus[92] gratiosa praesentia[d] sui et caris aspectibus ducem et Polonienses, dilectos dilectores suos, in plenitudine sanctitatis mansuetudinis et gratiae laetificans, ita se promovit, ut in vigilia sancti Thomae Babenberc in ecclesia kathedrali in multo desiderio et Dec. 20. Ebbo III, 24 expectatione suorum, quasi de victoria cum exultatione rediens, susciperetur, cantantibus clero et monachis tota mente totisque viribus: *Domine, suscipe me, ut cum fratribus meis sim!* Et ecce[e] hic excursus eius fuit et recursus, et haec opera bis peregrinantis pro dilatanda fide catholica. Fateor, insipiens factus sum; vos me coegistis.

Tiemo: Non te, ait, aestimes adhuc liberum, quia ex prima conventione nostra plura tibi ad narrandum servata recordor, quorum quidem unam partem, scilicet quid in barbaris nationibus egerit, tantum explicuisti; quomodo autem apud principem in curia deguerit, vel qua oportunitate in curiam venerit, et inde ad pontificatus dignitatem, nondum a te audivimus.

Sefridus: Ut video quasi debitorem me constringis, atqui ex voluntate obedire felicius puto quam ex necessitate. Igitur qua oportunitate Otto vester in curiam venerit, si audire libet, etiam ortum eius et prima rudimenta breviter edicam.

32.[f] Semper honorandae ac divae memoriae Otto beatissimus ex Suevia duxit originem. Parentes equidem eius, patrem dico ac matrem[93], ut verum fateamur, nobilitate magis quam divitiis claruerant. Nam ingenui conditione summis principibus pares erant, sed opibus impares. Cumque Ottonem filium suum prima aetate litteris traditum, diligenti cura proviso ei magisterio, ad annos discretionis perduxissent, defuncti sunt, et quae in possessionibus et pecunia reliquerunt, alter filius eorum Fridericus, miles futurus, possedit[94]. Ottone igitur gratia studii apud extera loca demorante, frater eius puer domum pro suo posse gubernabat, tenuiter adiuvans fratrem in studio positum. Otto autem, percursis aliquibus poetis et philosophis et grammaticae metrorumque regulis tenaci memoriae commendatis, cum ad altiora studia sumptus non haberet, fratri suo sive aliis cognatis importunus esse noluit vel odiosus, iam tum in ipsa adolescentia verecundiam secutus et bonae opinionis pulchritudinem. Itaque in Poloniam peregre vadens, ubi sciebat litteratorum c. 1080. esse penuriam, scolam puerorum accepit, et alios docendo seque ipsum instruendo brevi tempore ditatus atque honori habitus est. Linguam quoque terrae illius apprehendit, et ad altiora paulatim progrediens, parsimoniae, frugalitatis et castimoniae disciplinis litteraturam suam adornabat. Ob ea igitur studia omnibus gratus, magnorum virorum atque potentum, suffragante sibi etiam corporis elegantia, contubernio ac familiaritati sese appli- Ebbo I, 1 cuit; legationibus etiam et responsis inter magnas personas deferendis adprime aptus erat.

a) industria B. b) potiti B. c) relegens B 3*. d) preciosa 1. B*. e) Et ecce *usque in finem capitis in uno 1 leguntur.* f) *desunt capp.* 32—40 A 1. 2.

90) Post 6 hebdomadas i. e. exeunte mense Octobri rediit Iwanus; Ebbo III, 23. 91) Ebbo III, 23 narrat Iwanum post has victorias de Ruthenis reportatas in Daniam missum esse. 92) octo; Ebbo III, 24. 93) Vide quae de his disseruimus SS. XII, 747 n. 2. p. 748 n. 3. 94) 8. *Kal. Nov.* *Fridericus l. fr. Ottonis epi.* legitur in Necrolog. S. Michael. in Siebenter Bericht des histor. Vereins zu Bamberg p. 277. Num Otto noster alios duos habuerit fratres, ut ex eodem necrologio coniicitur ibid. p. 88, tacente vitae scriptore, valde dubito.

33. Denique occasione legationum duci Poloniae[95] innotuit, magnamque in oculis eius
et totius curiae gratiam invenit, ita ut duci placeret talis clerici obsequio domum suam
honestare. Ita ergo se multa oportunitate ac modestia duci aptavit, et toti curiae gratum
1085. fecit. Cumque aliquot annos probe ac sapienter ibi mansisset, uxor ducis defuncta est[96].
Dec. 25. Expletis igitur diebus lamentationis et luctus, cum se laetius dux habere coepisset, Otto,
cum maioribus terrae, qui frequentes erant[a], tractare et investigare coepit de animo ducis,
si quo modo ultra ad alios thoros venire cogitaret, adiungens, quod in partibus Teutonicis
honestissimum posset invenire matrimonium, per quod magna nobilitas, immo tocius Teu-
tonici regni potentia summis amicitiis ei coniungeretur. Dum haec Otto crebro moneret,
sermo ad ducem perlatus est. Primo[b] aput se ille tractare coepit, deinde consilium cum
aliis habere, postmodum autem ipsum Ottonem ad consilium vocare, plenius ab eo rem
cogniturus. Itaque Otto de imperatore[c] ac potentia regni Teutonici[d] et de nobilitate prin-
97 cipis pauca praemittens, de viduitate sororis eius dominae Iuditae[97], quodque imperator
digno eam coniugio copulare volens aliquamdiu eam non sine labore servaverit, felicem
fore, cui tantae pulchritudinis, tantae nobilitatis thorus contingeret; ex parte autem ducis
monebat ultra in nuptiis nichil ei quaerendum, nisi amicos, genus et potentiam, utpote cui
opes habunde suppeditarent. Quid plura? Dux ipse omnesque consilii eius participes a Deo
sermonem esse dicunt. Dein magis ac magis ducem hortantur sui, monent publice ac privatim,
hoc tam ingens decus, tam oportune venientem gloriam mature captandam. Ubi autem ad
plenum duci res animo sedit, non prius aggredi voluit, nisi et hoc principibus placeret Polo-
niae. Habito igitur colloquio invenit assensum; idem omnes sentiunt, probant, cupiunt tanta
claritate tantaque nobilitate illustrari Poloniam. Otto magnus et clarus haberi[e] pro tali
consilio. Et ecce, qua illum sublimare parabat divinae gratiae bonitas! Quid enim? Agitur
de nunciis, Otto eligitur, comites digni magnique viri ei decernuntur, vestitur, ornatur,
ditatur, omnibusque necessariis, quae usus honorque poscebat, habunde instruitur[f], sicque
in multa gratia dirigitur, gratam sane imperatori legationem portaturus. Eo etenim tempore
soror imperatoris in contubernio eius morabatur, in qua ille saepius, licet alias felix, fortunae
infelicitatem expertus, quia eam honeste servare non potuit, removendi eam a se occa-
siones anxie quaerebat honestas. Acceptis igitur nuntiis et petitione ducis, gaudet, miratur,
dissimulative tamen corde premens et gravitate virili gaudii magnitudinem, gratias agens
Deo, vota sua de sorore oportune promotum iri. Ergo ne forte vilitas negocio ex facili-
tate inferretur, moras trahit, consilium capit cum episcopis, archiepiscopis aliisque princi-
pibus seu magnis viris, magnifice tractat rem et retractat, nunciis interim ad decus
imperiale bene habitis. Dein ubi satis omnia exquisita videntur, vocatis eis, rem per se
breviter exsequitur imperator; ducem Poloniae nobilitate, opibus ac potentia dignum altis
thalamis, sororem quoque suam, unicam[98] unici fratris, gratam sibi prae cunctis rebus,
libenti animo tali viro copulare, quia suis fidissimis hoc visum sit consiliariis. Addidit etiam
hoc commercio duos populos confoederari, Poloniae res nobilitari, duci amicos potentes
et gloriam conquiri. Figitur ergo contractui locus et tempus, remittuntur nuncii magnis
cumulati muneribus, ingens utrimque apparatus pro personarum dignitate nuptialibus rebus
c. 1088. componitur[99]. Duce igitur optatis thalamis potito, maior iterum gratia Ottoni accessit,
Ebbo I, 1. suique paranimphi domina oblita non est, in omni domo sua inclitum carum et familia-
1088 rem eum habens. Et quotiens germano suo imperatori dona vel responsa mittebat, Otto
—1090 internuncius et fidus mediator fuit, factaque est per eum quasi una res publica domus
imperatoris et domus ducis. Cumque inter eos saepe iret et rediret, imperator, vir sagax,
legati fidem ac prudentiam animadvertit, et quamvis sorori ac sororis marito commodum
eum ac necessarium cognosceret, intelligebat tamen altiori dignitati hunc fore oportunum.
Quare clementi beneficentia[g] eum alliciens, sorori pro eo scripsit verba postulationis,
Ebbo I, 3. suis dicens talem clericum obsequiis necessarium. Soror autem et dux in multis divitiis

a) qui c. mai. t. frequenter erat B. b) autem *add.* B. c) maiestate B. d) Romani imperii B. e) habitus est B. f) expeditur B. g) benevolentia B*.

95) Wladislao Hermanno, patri Boleslai III. 96)450 Iuditha, filia Wratislai Boemorum ducis 25. Dec. 1085, testibus Cosma et Chron. Polonor. II, 1. SS. IX, 91. 444. 97) Vidua erat Salomonis regis Ungarorum 1087 interempti test. Bernoldo SS. V, 446. Ann. Sax. SS. VI, 724. 98) Praeter Iuditham tres fuisse Heinrico sorores constat. 99) Medio a. 1090. Ioditha erat uxor Wladislai ducis; Chron. Polon. II, 1, SS. IX, 445.

benefacientes capellano suo, in multa honestatis gratia imperatori eum, quamvis inviti, dimiserunt[1]. 1089.

34. Imperator vero primo in levibus eum rebus exercens, familiari eius servitio in multis bene usus, etiam psalmos et orationes privatas, si quando vacabat, cum eo ruminare solebat. Ebbo I, 6. Nam adeo litteratus erat imperator, ut per se breves legeret ac faceret. Videns igitur hoc placere imperatori, psalmos et ymnos, capitula et orationes per totum annum, ut memoriter cursum dicere posset, affirmare clericus elaborabat; aliisque capellanis alias intentis, hic semper praesto erat, et psalterium, quo uti solebat imperator, sub ascella sua iugiter ferens[a], vel ad sellam suam dependens, quociens opus erat, requirenti obtulit imperatori. Nichil enim Ottonis sollertia negligendum putabat, quo sibi gratiam domini conciliare valeret, unde mane, vespere, et omni tempore cum psalterio suo ad manum imperatoris praesto se[b] exhibuit. [c]Ipsum etiam psalterium usu et vetustate in extrinsecis lacerum diligenter ligatum novis rebus induit. At princeps cum ex more librum posceret, Otto praesto erat offerens ei renovatum. At ille: *Non hunc*, ait, *sed psalterium meum requiro.* E contra clericus: *Hoc est*, inquit, *domine, psalterium vestrum.* Quod tollens ille vertit ac revertit, visoque bene factum esse aiebat, corde magis quam verbo diligentiam probans. His ergo atque talibus modis, quos singillatim perstringere longum est, suos capellanos gratia et caritate longe antevadens, omnibus humilior fuit, nichil de se magnum, nichil immoderatum sentiens.

35. Porro illis diebus investituras ecclesiarum imperatores dare solebant, et quotiens episcopus decedebat, id moris erat, ut ecclesia illa baculum et annulum imperatori transmittens, de curia sibi postularet episcopum. Multi ergo nobiles et magni viri, cognati ac Ebbo I, 7. filii principum, in curia degebant, spe promotionis vice capellanorum imperatori obsequentes. Inter quos omnes tam aequaliter et composite Otto se gerebat, ut neque ex elatione invidiam, neque ex vilitate despectum incurreret. Denique quodam eorum qui cancellarius fuit ad episcopatum sublimato, Otto sigillum imperatoris et officium cancellariae suscepit[2]; tantaque industria et bonitate se in illa gessit, ut ab omnibus curialibus 2 amaretur, et a cunctis ei honor deferretur.

36. Imperator vero famosum illud ac laboriosum opus Spirensis monasterii habebat Ebbo I, 4 in manibus, omnes sapientes et industrios architectos, fabros et cementarios aliosque opifices regni sui, vel etiam de aliis regnis in opere ipso habens, aurum et argentum et pecuniam multam sumptusque infinitos annis singulis expendebat. At magistri operis, partim negligentes, partim etiam sua commoda sectati, rem tarde promovebant. Commonitus ergo princeps a fidelibus suis de iactura impensarum[e], diligentius tractare coepit, ac securus de Ottonis sui fide, diligentia et sagacitate, omne opus ei commisit, praecipiens, ut tam opifices quam magistri eorum illi soli parerent, omnem pecuniam, sumptus et impensas ab eo expeterent illique retaxarent. Sed quid? Non facile dici potest, quanta conservatio rerum facta sit, et quanta structurae promotio. Ita ergo in omnibus sibi Deo Ebbo I, 3. propitio praestabilem se et carum summis et mediocribus Otto faciebat, in aula regis quasi alter Ioseph curam gerens universorum.

37. Interea Rupertus Babenbergensis episcopus hominem exivit[f, 3]. 1102. Iun. 11. Itaque ex more temporis insignia episcopatus ad curiam allata sunt, et petitio ecclesiae pro pastore. Imperator sex mensium consilio ponit inducias, ecclesia vero Babenbergensis cum clero et populo Deo interim devotissime pro idoneo rectore supplicabat. Elapsis ergo induciarum diebus, cum iam tempus esset mittendi ad curiam pro episcopo, et imperator benignitatis

a) *deest* 1. B*. 2; habens B 3. 3*. b) Otto *add.* B. c) *quae sequuntur usque in finem capitis leguntur tantum in* 1 *et* B. 4. e) impensorum 1. f) de hac vita migravit B.

1) Si Ottonem ipsum audis in litteris datis ad Paschalem papam infra III, 40, *in obsequio imperatoris per annos aliquot degens* primo renuit episcopatum, id est Augustanum, ut testatur Heinricus III, 38; quod demum factum est post Sigifridi episcopi mortem 2. Non. Dec. 1096. Quum vero imperator a tempore vernali 1090. usque 1097. in Italia commoratus sit, cf. Böhmer Reg. 1939, Stumpf Die Reichskanzler 2903, Bernold. et Ekkehard. 1097, et de Ottonis itinere Italico his annis facto nullibi fiat mentio, eum iam anno 1089. in aulam revocatum esse nunc mihi persuadeam. Quae scripsit Boleslaus dux ad Ottonem II, 6, non ex sua sed aliorum memoria intelligenda sunt. 2) Ekkehardus 1102. consentit; at Ottonis nomen in nulla quod sciam Heinrici tabula occurrit. Mirandum, si Otto revera fuerit cancellarius, eum a legatis Babenbergensibus inter dominos curiae non habitum esse III, 38. 3) Ekkehard. 1102. 3. Id. Iun. Necrolog. cath. Babenb. Siebenter Bericht p. 193.

1102. Ebbo I, 7. et gratiae litteris nuncios evocans, idoneum illi ecclesiae inventum nunciaret episcopum, inter spem et metum anxii, attentius rem Domino Babenbergenses commendabant.

38. Abeuntibus ergo nunciis, summis et praecipuis de ipsa ecclesia viris, tam clericis Ebbo I, 8 quam laicis, reliqui omnes a minimo usque ad maximum in proxima dominica ante nativi- Dec. 21. tatem Domini, elatis crucibus, cum processione montem sancti Michaelis ascendunt, angelica suffragia quaesituri, scilicet ut beatus Michahel archangelus, coelestis militiae signifer, negocio huic se ingereret, ut eius strennuo interventu strennuum, bonum et gnarum super se provisorem accipere mererentur. Quos in misericordia et veritate summa divinitas et[a] beatus archangelus exaudisse ipse rerum probavit eventus. Nam et legati[b] ecclesiae 4 ab imperatoria maiestate honorabiliter suscepti sunt[4], et optime de negocio suo expediti. Imperator etenim accitis eis: *Quantam*, inquit, *sollicitudinem geramus pro ecclesia vestra, hinc advertere potestis, quod non temere aut subito rectorem vobis destinandum putavimus, sed magis consilio et deliberatione, mora temporis et cura diligenter exquisita. Nec mirum sane; a nostris enim proximis*[c] *ac progenitoribus, ut nostis, ecclesia illa fundata, praediis ac possessionibus feodatis et ministerialibus et omnium rerum affluentia ditata et sublimata est; et quod de aliis ecclesiis dicere non possumus, haec omnia illi adhuc integra manent et conservata. Quare in talem domum, providum et sagacem, et rerum conservatorem, non vanum, non superbum convenit intromitti rectorem. Unde alias non ita solliciti fuimus, sed cito et absque trepidatione fecimus quod faciendum erat.* Cumque his et huiusmodi verbis consilium suum legatis semel et iterum commendaret imperator, quidam ex eis, tanquam pertesi dilatione, ubinam vel quisnam esset sciscitantur. Imperator vero: *En*, inquit, *praesto est!* et manu arripiens Ottonem capellanum suum — erat autem elegantis personae ac bonis indutus vestibus, tonsura, forma totoque habitu intus et exterius clericum praeferens —: *En*, inquit, *hic est! Hic est dominus vester, hic est Babenbergensis ecclesiae antistes.* Consternati ad horam illi sese invicem respiciunt, illumque oculis deiectis sumunt et resumunt, aliique nobiles circumstantes, qui aut sibi aut suis cupiebant, nutu ac mussitatione legatos quasi ad contradictionem instigabant. Legati autem subtristes: *Sperabamus*, inquiunt, *aliquem ex dominis ac principibus curiae vestrae, parentatum ac nobis notum, dominatorem nos* Ebbo I, 8. *accepturos. Nam hunc, quis sit aut unde sit, ignoramus.* Imperator autem reprobationem personae haud sustinens: *Et vultis*, ait[d], *scire quis sit? Volumus*, inquiunt. *Profecto*, ait, *ego pater eius sum, et Babenberc mater eius esse debet. Verbum hoc mutare non poterimus. Qui*[e] *contra fuerit, sine dubio metum nostrum incurret. Non enim levitate aut privatis commodis ducimur, sed quod honestissimum, et maxime illi ecclesiae necessarium esse perspeximus, id simplici animo in hoc negocio sectati sumus. De expertis non incertum iudicium est. Longa hunc hominem experientia et probatione totum didicimus, fidem eius, longanimitatem, pacientiam, prudentiam, sagacitatem et diligentiam in exequendis parvis rebus, strennuitatem eius in magnis negociis notam habemus. Denique absentatio eius magnum domui nostrae impedimentum fiet, quam ipse de omnibus rebus strennue ac fideliter expedire solebat.* Otto igitur audita clementia imperatoris, ad pedes eius sternitur ubertim lacrimas fundens. Accurrunt legati, prostratum levant; ille humiliter recusat, se pauperem, se indignum tantae dignitatis affirmans; iustius esse viros ingenuos, claros, nobiles, potentes ac divites dominos et concapellanos[f] suos, ad tales honores conscendere. *Cernitis*, ait imperator, *qua hic homo feratur ambitione? Iam tertio recusat, iam duos episcopatus sibi oblatos ad socios suos traiecit*[g]. *Quid vobis videtur? Augustensi episcopatu eum locare voluimus, sed ille sciens, quia* Prov. 20, 21. *hereditas ad quam primo*[h] *festinatur in fine benedictione carebit, eos qui se priores in laboribus et exerciciis curiae nostrae extiterant, prius ad quietem venire iustum esse dicebat. Postea vero de Halberstatensi episcopatu*[5] *sibi a nobis oblato similiter fecit. Quid ergo? Spero*, ait, *Babenbergensi ecclesiae hunc divinitus esse reservatum.* Haec dicens, annulum episcopalem digito eius infixit et baculum dedit, sicque investitum legatis consignavit, moxque ab omni curia ei acclamatur. Legati ergo rem a Deo esse cognoscentes, suscipiunt, amplectuntur,

a) interventu b. archangeli exaudivit ut B. b) ali *manu poster. superscriptum* 1. c) parentibus B*. d) inquit B*. e) qui — incurret *in uno* 1 *leguntur;* Si quis autem huic nostrae ordinationi, quae a Deo est, contraire temptaverit, offensum nostrae indignationis procul dubio incurret. B f) capellanos 1. g) socios transferri rogavit B. h) in principio B 1.

4) Moguntiae, ubi imperator nativitatem Domini celebravit a. 1102. test. Ekkehardo et Annal. Hildeshem. 5) De hoc turbato atque de Augustano vid. Ann. Sax. 1100.

dominum et patrem suum illum vocantes. Quos etiam alloquens imperator: *Assumite*, ait, *dominum vestrum, et omni reverentia, dilectione ac bonitate ipsum complectimini. Testor eum qui novit omnia, non*[a] *me hodie nosse mortalem, cui honestius ac tutius eius loci cura credi potuisset. Me quoque vivo et in imperio Romanorum posito, qui hunc tetigerit, tanget pupillam oculi mei.* His modis, hoc ordine ad pontificatus gradum scandere coactus, aegre quidem et cum multa haesitatione consensit, propter de investitura contentionem inter regnum et sacerdotium, et propter electiones ecclesiarum, quas evacuare ac sibi vendicare vi magis quam iuste laborabat imperialis auctoritas. Cogitabat etiam non absque divinitatis nutu tertia iam vice episcopatum sibi offerri; quem si tertio repudiasset, timuit, ne sententiam incurreret illam, qua dicitur: *Noluit benedictionem et elongabitur ab eo.* Itaque in his (Ps. 108, 18.) angustiis positus, quod solum salutare putabat, ad sanctae et apostolicae sedis et catholicae matris auxilium confugere elegit[b]. In ipso igitur articulo adhuc in curia positus, votum vovit Domino nunquam se in episcopatu mansurum, nisi et consecrationem pariter et investituram canonice, consensu et petitione ecclesiae suae, a manu domini apostolici suscipere mereretur. Diem autem natalis Domini Moguntiae[c] cum imperatore celebravit, (1102 Dec. 25.) dehinc retentis ex parte atque ex parte dimissis legatis, qui pro se venerant, in curia (1103. Ian.) mansit diebus pene 40 decore magno et honestate, imperatore ipso et omni aula plurimum ei deferente.

39. Post haec princeps Augustensi[6] et Wirzeburgensi[d, 7] mandat episcopis aliisque de (6) curia sua honoratis viris, qui honestissima societate atque ingenti comitatu ad sedem suam in vigilia purificationis beatae semper virginis Mariae Babenberc eum deducebant, omni (Febr. 1.) clero et populo in magno desiderio et expectatione positis. Itaque propinquante illo ad locum, ubi primitus conspicere potuit monasterium cathedrale*, ab equo descendit, calcia- (Ebbo I, 9.) menta solvit, humilitatem cordis habitu corporis ostendit, frigora, nives et glaciem Februarii nudis pedibus usque in aedem beati Georgii calcavit, occurentibus ei longo examine clericis et monachis nobilibusque laicis in multitudine copiosa cum universa plebe Babenbergensis ecclesiae, in pompa et processione gloriosa, in ornamentis et reliquiis sanctorum, in ymnis et cancionibus[f] personae ac tempori oportunis; tantaque fuit exultatio et decus susceptionis, ut verbis explicari non queat. Salutatione autem completa, penetrabile gelu pedes episcopi sic adusserat, ut vitae sedem, cor et vitalia, frigus ex toto paene possederit. Episcopus autem rerum gnarus, aliis calidam aquam ad lavandos pedes offerentibus, ille frigidam poposcit, et imponens pedes frigore frigus pulsavit[g]. Memor ergo voti sui, post paucos dies susceptionis suae, antequam de aliis rebus suis ordinaret, nuncios Romam mittit et litteras in hunc modum:

40. *Domino et patri suo Paschali, sanctae et apostolicae sedis universali episcopo, Otto Babenbergensis ecclesiae id quod est, tam devotae quam debitae subiectionis orationes et servitium. Quia totius ecclesiasticae dignitatis ac religionis firmamentum*[h] *in Christo petra est, et in Petro eius diciplulo et eius successoribus, idcirco ab hac linea, ab hac virga directionis, virga regnorum, pontificatuum et omnium potestatum in ecclesia, insanum duxi aberrare. Vobis igitur, pater sanctissime, et sanctae matri meae Romanae ecclesiae collum devote submittens, auxilium et consilium de rebus meis flagito. In obsequio enim domini mei imperatoris per annos aliquot degens, et gratiam in oculis eius inveniens, suspectam habens de manu principis investituram, semel et iterum, cum dare vellet, rennui episcopatum. Nunc vero iam tertio in Babenbergensi episcopatu me ordinavit, in quo tamen minime permanebo, nisi vestrae complaceat sanctitati per vos me investire et consecrare. Quicquid ergo placeat discretioni vestrae de me, per nuncios meos*[i] *significate michi servo vestro, ne forte in vacuum*[k] *curram, si ad vos currere* (Gal. 2, 3.) *incipiam. Omnipotens Deus michi propitiam incolumitatem vestram custodiat.* Dominus autem apostolicus visis litteris gavisus est, eo quod pauci episcopi[l] Teutonici regni in ea malignitate temporum matri suae, ut iustum est, deferrent; ac tales ei litteras destinavit: *Paschalis*[m, 8], *servus servorum Dei, Ottoni dilecto fratri, Babenbergensis ecclesiae digno electo,*

* Nota, paululum extra villam Ampherbach. 1 *in margine.*

a) ne 1. b) delegit B. c) Mogontine 1. d) Wirtzburgensi B 2. f) confessionibus B. g) propulsavit B*. h) fundamentum B. i) mihi B. k) vanum B 3. 3*. l) *deest* 1. m) *incipit novum caput in* B 2. 3. 3*.

6) Herimanno. 7) Emehardo. 8) Jaffé Reg. pontiff. 4516. Iam mihi hae litterae cum Herbordo ad a. 1103. videntur reiiciendae; at quae sequuntur

III, 42 non sunt, ut vult, eiusdem anni, sed 1106. Haud pauca vitae scriptores silentio praeterierunt.

Prov. 10,1. *salutem et apostolicam benedictionem. Filius sapiens laetificat matrem suam. Opera tua et consilia*[a] *tua virum praeferunt sensatum. Nos igitur honorare te et profectus tuos iuvare congruum duximus. Nichil ergo de nostra benivolentia dubitans tuam nobis, quantocius vales, praesentiam exhibeto. Certi enim sumus, quod divina sapientia etiam malis hominum bene uti novit.*

1106. 41. Igitur acceptis litteris, iuxta verbum domni apostolici beatus Otto Romam, in
Mai. 5. ascensione Domini veniens, transivit, et in Anagnia, civitate Campaniae, domnum apostolicum invenit. Porro viri honorati qui cum eo erant, data et accepta salute, domnum
9 apostolicum etiam ex parte salutant ecclesiae[9], subdentes petitionem et vota sua pro electo. Otto vero nil cunctatus, ordinem et modum accessionis aperit, fatetur omnia, baculum ponit et annulum ad pedes apostolici, temeritatis vel errati veniam petit, insinuans tamen non voluntate sua sed potestate factum aliena; pro quo et severus[b] in se canonicae districtionis sibimet imprecatur ultionem. Apostolicus vero, vir summae prudentiae, constantiam eius admiratus, levare iubet insignia. Negat ille, indignum se et peccatorem protestatus. Tum apostolicus: *Sancti Spiritus*, inquit, *festum appropinquat; tanti arbitri consiliis rem hanc commendare debemus.* Dein ubi de his satis utrimque dictum est, benedictione accepta, Otto cum suis ad hospicium digreditur. Ibi multa secum tota nocte illa et sequenti die tractabat, maliciam temporum, anxietates et pericula pastorum, inobedientiam et inquietudines subditorum; postremo quicquid in tali re duri vel adversi esse potest, ante oculos ponebat, ac plena deliberatione, omnibus depositis, privatus et quietus apud se vivere decrevit. Itaque ascitis sociis viae, quid deliberasset aperuit. Moxque vale faciens domno apostolico et curiae, per viam qua venerat redire coepit. Cumque iter diei cucurrisset*,
Mai 12. missis legatis sub sanctae obedientiae mandato apostolicus redire iubet abeuntem; mittit dona donorum significativa, monet cor et corpus aptare donis Spiritus sancti. Quid faceret? Obedientia retrahitur, a comitibus impellitur[c], et cum tremore ac reverentia iuxta manda-
Mai. 13. tum domni apostolici reversus, in sancto die sacrosanctae pentecostes, petentibus nunciis ecclesiae suae, ab ipso domno apostolico investitur, multoque decore ac laetitia totius curiae, sancti Spiritus invocatione, inter missarum solempnia in episcopum consecratur[10]. Et revertens has de itinere litteras expectanti ecclesiae suae praemisit: *Otto*[d], *gratia Dei Babenbergensis episcopus, Eberhardo praeposito, Adalberto*[e] *decano*[11], *caeterisque fratribus omne bonum. Quantum ego novi et expertus sum caritatem vestram, scio vos iam diu expectare eventum nostri laboris, ut de nostro successu, si quid bene per misericordiam Dei successerit*[f], *gaudeatis. Ne ergo diutius suspensi aut dubii sitis de nobis, aut si iustum est, sincerissime gaudeatis*[g], *litteris istis vobis significare decrevimus, quam misericorditer Deus more suo post labores inmensos et sudores plurimos nobiscum operatus sit. In die sancto pentecostes, qui dies ex adventu sancti Spiritus sacratus et cunctis fidelibus iure sollempnis est, illo inquam die Deo sic ordinante, in Anagnia, civitate Campaniae, quae Romaniam dividit et Apuliam, episcopalis benedictionis munus, quamvis indignus, Domino largiente suscepi, venerabili papa*[h] *domno Paschali manum imponente, caeteris vero episcopis plurimis cooperantibus, clero quoque Romanae ecclesiae, cuius magna pars ea die in eandem civitatem convenerat, astante et consentiente; quod nulli a Romano pontifice consecrato nostris temporibus contigit, sine obligatione alicuius iuramenti consecratus sum. Huius loci, huius diei, huius gratuitae misericordiae Dei semper memores esse debemus, et ut vos memores esse velitis, cum gratiarum actione, obnixe, precamur, praecipue cum aliae quam plures venerandae personae de magnis rebus aput apostolicam sedem agentes, infecto negocio redierint. Valete.*

42. Apostolicus vero has commendaticias ecclesiae scripsit pro dilectione Ottonis episcopi: *Paschalis*[i, 12] *episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Babenbergensi salutem et apostolicam benedictionem. Quantae affectionis debito Babenbergensis ecclesia ab ipso suae constitutionis primordio sedi apostolicae constringatur, etsi nos lateret, litterarum vestrarum significatio manifestat. Quod affectionis debitum venerabilis frater noster Otto, vestrae ecclesiae*

* Nota, ad locum videlicet Sudra dictum 1 *in margine.*

a) consilium tuum B. b) severius B 3. 3*. c) repellitur B 3. 3*. d) B 1. 2. 3. *incipit caput; legitur haec epistola* A 1. 2. e) Egilberto A 1. 2. f) *deest* 1, *recte addunt Ebbo et cod. Udalr.* g) gratulemini A 1. 2. h) beatissimo p. P. B 1. 2. i) *leguntur litterae* A 1. 2. I, 9; A 2. I, 13.

9) Bambergensis. 10) In chronographia Heimonis SS. X, 3. legitur 4. Id. Mai. sed accuratissime descripsit Ebbo I, 11. 13. Mai. 1106. 11) Extremam huius epistolae partem, hic et in cod. Udalr. 229. resectam, habet Ebbo I, 15. 12) Ebbo I, 14. Cod. Udalric. 230. Jaffé Reg. 4531.

electus, non inconstanter tenuisse ac tenere cognoscitur, cum per tot et tanta pericula ad apostolicae 1106. *sedis visitationem tendere procuravit. Nos igitur eum debitae benignitatis affectione suscepimus, et iuxta vestrae dilectionis desiderium, nostris tanquam beati Petri manibus, salvo metropolitani iure, vobis per Dei gratiam praesulem ordinavimus. Hunc igitur sub praesentium litterarum prosecutione ad ecclesiae vestrae regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena*[a] *humilitate venerari. Confidimus enim eum disciplinae ecclesiasticae futurum esse custodem, et salutis vestrae sollicitum provisorem. Huic ergo sedulis officiis obedite*[b]*, et gratiam vobis in eo conciliate coelestem. Integritatem catholicae fidei firmam semper in omnibus conservate, sedi apostolicae semper devotius adhaerete, ut per eius consortium a contagiis omnibus liberi, ad aeternae salutis portum feliciter pervenire Domino largiente mereamini. Pax vobiscum*[c]. Cunctis ergo diebus, quocunque statu ecclesiae, apostolicae sedi constanter ac fideliter adhaesit beatissimus Otto episcopus, adeo ut in illa dolenda excommunicatione 1112. imperatoris Heinrici iunioris toto tempore scismatis cum sacerdocio perstiterit[13], canonicis 13 non sine ingenio quidem imperio pro conservatione rerum temporalium faventibus.

Ecce[d] habes quod volebas; vel adhuc me liberum fateare devotum caritatis tuae obedienciarium.

EXPLICIT DE VITA ET PREDICATIONE BEATI OTTONIS EPISCOPI.

EX SERMONIBUS IN MEMORIAM OTTONIS EPISCOPI.

1. Sed[e] ut ad id redeam unde sum rerum necessariarum annotatione digressus, tanto f. 88 pii Ottonis ad predicanda divinitatis eloquia igne pectus incaluit, atque in lucrandis Deo animabus tam valido amore flagravit, ut nichil illi dulcius quam populo Dei pervigili instantia verba eructuare celestia, quibus illum denunciato terrore supplicii a peccati delectatione frenaret, et ostensa suavitate supernā amatorem regni celestis efficeret. Et ut exteriora quoquè eius non taceam, erat ei in voce predicationis libera auctoritas, in auctoritate alta sonoritas, in sonoritate iocunda claritas, in claritate mira suavitas, quippe cuius vestimentis inserta fuere tintinabula, hoc est rectis eius operibus vox predicationis adiuncta. Predicabat operibus, insonabat et vocibus, sciens se spiritualem esse gallum, qui a Domino percipiens intelligentiam, dum alios ad vigilias bonae actionis clamoribus excitare parabat, semet ipsum prius cogitationum alis feriebat. Erat[f] sermo eius sapientiae sale conditus, qui non nimia fuit prolixitate protensus, sed omnibus amabilis, omnibus utilis, omnibus conveniens, omnibus sufficiens, omnibus proficuus, omnibus aptus, quia et pectoribus vulnera amoris inflixit et ad fletum vulnerata corda compunxit[g].

Is ergo cui Deus omnipotens sapientiae et intellectus donum tribuit, in cuius anima fol. 88'. spiritus consilii et fortitudinis sedem posuit, cuius spiritus scientiae et pietatis presto affuit, quem sedes apostolica speciali affectu semper amavit, cui imperatorum, cui regum[14], cui episcoporum, cui universorum dignitas principum venerationem detulit, cuius pedibus barbararum gentium feritas se stravit, cui divitum, cui pauperum devotio colla submisit, cui denique divitiarum secularium honor arrisit, is inquam spiritu timoris Domini repletus fuit, dum in tot dona gratiarum cor humile gessit[h].

Iam vero compassionem piae mentis qua brevitate percurram? quibus verbis exponam? fol. 89'. Pretereo pietatis viscera, quibus afflictis et tribulatis indoluit, et pretermitto vestes, nummos, cibos, quibus egenis miseratus semper occurrit; taceo quod famis tempore tot milia hominum peritura morti subtraxit; non recenseo quod antequam cibum ori suo offerret, cottidiano victu nunc suis nunc aliorum manibus inopum turbas saciare consuevit[15]; hoc solum narro, hoc solum promitto, hoc cunctis seculis audiendum, sciendum mirandumque proclamo, ad huius rei imitationem omnes Christi sacerdotes invito, quod Otto noster ille felix, ille beatus, christianorum in remotis mundi partibus a paganis captorum curam gessit, angustias flevit, vulnera planxit, dolores misertus ingemuit, ac pro eorundem redemptione

a) p. h. v. *desunt* 1. b) obedite obsequiis A 1.2. c) P. v. *desunt* A 1.2. B 2.3. d) *ultima verba desunt codd. mut.* e) Recommendatio eius *alia coaeva manu in margine* 1. *erasa inscriptione textus minio scripta* Aliud miraculum. f) nota predicator *in margine* 1. *eadem manu.* g) *in textu* Item aliud miraculum *minio scriptum, sed voces al. m. expunctae.* h) *expuncta inscriptione* Item aliud miraculum *fol.* 88'—89' *sequuntur Monachi Prieflingensis vitae Ottonis I,* 21—26 sepeliri decrevit. *Dein* Iam vero *etc.*

13) Fidem eius pallii praemio ornavit papa 1111, vid. Ebbo I, 12. 14) Belae regis Ungarorum, Herbord. I, 37; ducum Polonorum. 15) Herbord. I, 31. 33. 28.

captorum eisdem paganis ingentis precii quantitatem crebro direxit, ereptosque de vinculis, de carceribus ac de truncis quemque ad loca desiderata distinavit[a] [16].

f 90.

2. INCIPIT SERMO IN MEMORIAM BEATI OTTONIS.

Prov 10,7 Memoriam iusti cum laudibus celebrare nos monet sermo divinus, ut devotio nostra, quae debitum iustis impendit honorem, nobis proficiat ad salutem. Ad hoc siquidem iustorum memoriam frequentamus, ut dum iugiter eorum gloriam contemplamur, exemplis eorum instructi mundum cum suis oblectationibus spernamus, et ad gaudia vitae inmortalis toto desiderio anhelemus. Vox est gratulationis, vox est exultationis et salutis quae resonat in ore Ps 111, 7. fidelium, laudibus prosequens sanctam venerandamque iustorum memoriam: *In memoria aeterna erunt iusti, ab auditione mala non timebunt.* Quaenam uberior laetitia, quae maior iocunditas, quae excellentior est dignitas, quam iusti animam et apud Deum aeternae beatitudinis premia possidere, et in ecclesia sanctorum habere laudem et inter benedictos benedici?

In illo itaque cetu iustorum clarissimo, quorum nomina beatae predestinationis liber in supernis asscripta retinet, quorum memoriam sancta ecclesia venerabiliter recolit, egregius presul Otto vita et moribus preclarus emicat, qui in diebus suis ad exornandam sponsam Christi ecclesiam virtutum insigne pretulit decus, verbo et exemplo lucens omnibus qui in domo Dei sunt. Erat siquidem ardentissimus sanctae religionis amator ac strennuus divini cultus propagator, ecclesiae sanctae cui auctore Deo prefuit omnimodis magis prodesse quam preesse studuit, non dominari in clero affectabat, sed sic se gregi suo conformare atque coaptare satagebat, ut tamquam pater filios miro pietatis affectu omnes foveret. Nam adeo visceribus misericordiae affluebat, tantaque caritatis amplitudine sinum dilatabat, ut summa vigilantia omnem curam gereret ac sollicita circumspectione provideret, ne vel cibus doctrinae spiritalis vel alimonia corporalis indigentibus deesset. Sic sibi commissam Babenbergensem regebat ecclesiam, ut preter quae specialiter ad eius curam pertinebant, de hiis quoque quae in remotis terrae partibus erant paternam sollicitudinem gereret. Volvebat siquidem animo quo ingenio, qua industria, qua ratione ad id pertingere posset, ut de faucibus antiqui hostis erueret animas vario gentilitatis errore delusas; proinde desiderium animae eius tribuit ei Dominus, et quo inspirante fideliter expetiit, eius celeri largitate perfecit. Denique Pomeranorum fines ingressus, predicationis verbo ac lavacro regenerationis sanctae novam Christo familiam lucratus est, multaque hominum milia gremio sanctae matris ecclesiae sociavit. Gaudeat ergo bonus agricola, qui de terra illa, quam in sudore vultus sui indefessus excoluit, de qua spinas et tribulos infidelitatis eradicavit, cui in tempestate persecutionis verbi divini semina committere non cessavit, tam uberem fructum fidei metit, tam multam fidelium messem collegit! Revera operibus manuum eius benedixit Dominus, per quem ovium suarum numerum auxit, per quem terminos possessionis suae adeo dilatavit, illius inquam possessionis, de qua pater Psalm 2, 8. ad filium: *Postula,* inquit, *a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Ecce, vir iste beatus iam de corruptione huius vitae ad incorruptionis gloriam translatus, fines intravit possessionis magnae, ubi in domo summi patrisfamilias splendidum possidet mansionis locum. Haec est illa domus spaciosa, haec est illa pos-Baruch 3,24. sessio amplissima, de qua scriptura sancta loquitur ad Israel: *O Israel, quam magna domus Dei et quam ingens locus possessionis eius!* Haec est hereditas pii patris nostri Ottonis, qui preter Christum nichil in hoc mundo possidere affectabat. Veraciter namque cum propheta Psalm 15,5. dicere noverat: *Dominus pars hereditatis meae.* Nam partem illam hereditatis quam in seculo habuit ad opus pietatis ex toto convertit, ac patrimonii sui heredem Christum fecit; Psalm. 15,5. unde gaudens in spe celestium bonorum Domino cum psalmista canebat: *Tu es qui restitues hereditatem meam michi.* Speciali prerogativa caritatis monachos fovebat, quos in monasteriis, quae ipse copiosis sumptibus diversis in locis construxit, temporalibus subsidiis sustentans, nomini Domini cottidiana preparavit obsequia. Hinc pater monachorum iure appellatur, hinc, ut fidelis et prudens dispensator ecclesiasticae familiae, celesti remuneratione dignus super omnia bona Domini constituitur. Tanta siquidem pius pater sollicitudine necessitatibus pauperum communicabat, ut letaretur in refectione illorum, quos suis

a) Explicit de miraculis et virtutibus beati Ottonis Babenbergensis episcopi patroni nostri et Pomeranicae gentis apostoli. 1.

16) Mon. Priefl. III, 2. Herbord. I, 36.

impendiis saciabat, iocundaretur in vestitu eorum quorum nuditatem indumentis necessariis contegebat. Sentiebant humanitatem eius egritudines decumbentium, imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupillorum, desolatarum lamenta viduarum, in quibus iuvandis precipuam solitus erat exercere benivolentiam. Huius ergo patris merita gloriosa dignis attollamus preconiis, cuius venerandam memoriam anniversario depositionis ipsius die sincera filiorum devotio se suscepisse gratulatur; tempus quippe instat, quod ad laudandum[a] virum iustum oportunum fore sacra scriptura insinuat; nam sicut ex auctoritate sacri eloquii laudare hominem in vita sua prohibemur, sic laudare post vitam iubemur magnificareque post consummationem. Laudanda est militis fortitudo, sed postquam devicto hoste triumphum obtinuerit, laudanda est navigantis felicitas, sed cum navim ad littus perduxerit; quam ob rem memoriae hominum dare magis laudem debemus quam vitae, quia quamdiu vita nostra super terram temptationibus exercetur, dubio belli exitu inter carnem et spiritum certamen agitur, nec prius secure quisquam laudatur, quam post huius carnis terminum bonum certamen se certasse fidemque servasse letetur, hinc denique et apud Deum corona iustitiae iusti vita decoratur. Tunc etenim utiliter quisque meritam laudem consequitur, quoniam nec laudantem notat adulatio, nec laudatum temptat elatio.

Nos proinde memoriam dilecti patris nostri Ottonis cum laudibus celebremus, qui ut merito ab omnibus laudari debeat, laudabili vita ipse promeruit. Siquidem laus eius ipse Christus est, qui glorificantem se servum suum glorificabat, qui in opus sacri ministerii illum ascivit, qui in edificatione corporis sui, quod est ecclesia, sacerdotio eum fungi et habere laudem in nomine ipsius decrevit. Eius nempe industria sanctae ecclesiae structura et corporalibus proficit spaciis et spiritalibus amplificata est augmentis; superna namque aspirante gratia divini operis fructum propensius exequebatur, quia nimius amor Dei qui numquam est ociosus in illius flagrans mente, per eum magna operabatur. Non incongrue ipsius personae aptantur dicta, quibus quidam magni meriti vir in divinis sermonibus laudatur: *Ecce*, ait, *sacerdos magnus qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit* Sirach 50, 1. 2.
templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex edificatio et excelsi parietes templi. Qui videlicet omni tempore sacerdotii sui sicut novas basilicas fabricarat, sic fabricatarum sarta tecta cum summo studio reparat, easque reditibus, luminaribus, officiis atque donariis magnifice dotavit, in omnibus et super omnia divinis rebus intentus, et pastorali sollicitudine hinc inde circumspectus, ut celeste animal undique oculatus erat. Sic in exterioribus curis utilitati proximorum deserviebat, ut tamen in intimis fixa intentione duraret; cum Martha erga plurima occupatus suorum et maxime domesticorum curam summo opere agebat, cum Maria pedes Domini amplectens, in auditorio verbi divini dulces theoriae fructus iugiter carpebat. Sex opera pietatis, quae sunt esurientem pascere, sicienti potum dare, hospitem colligere, nudum cooperire, infirmum visitare, ad eum qui in carcere est venire, tanta diligentia exercere studuit, ut in his omnibus quasi presentem cerneret, quibus haec humanitatis officia exhibebat. His iustitiae ac pietatis fructibus vir Deo et hominibus dilectus habundabat, hiis benivolentiae operibus animam suam sicut adipe et pinguedine replevit. Magna quippe benivolentiae virtus est, quam si ex usu hominum tollis, tale est acsi solem mundo subtrahas. Nemo nisi benivolentia comite utilitati proximorum famulatur, nemo nisi ex usu benivolentiae peregrinanti viam monstrare, errantem revocare, hospicium deferre consuevit. Porro precipua pietatis opera, quae iam supra senario numero sunt comprehensa, cum ceteris virtutum ornamentis de bono thesauro cordis sui venerabilis ac Deo dignus Otto episcopus pius proferens, faciem ecclesiae conspicuo decore depinxit, vitam suam illustravit, ac perpetuam sui memoriam seculo dereliquit. Tandem consummata laboriosa huius peregrinationis actione, in requiem Domini verum cum populo Hebr. 4, 9.
Dei sabbatismum acturus feliciter introivit. In hoc profecto sui opificis similitudinem beata eius anima, meritis plena felicibus, habere novit, ut sicut ille sex diebus mundi opera perfecit et in septimo requievit, sic ille sex virtutum operibus exercetur, ut cum suo conditore post huius vitae laborem quasi post sex dies requiescere mereretur[b].

a) liberandum. 1. b) *Sequitur peroratio de sex ordinibus aeternae quietis.*

ANNALES ALTAHENSES MAIORES.

EDIDERUNT

WILHELMUS DE GIESEBRECHT ET EDMUNDUS L. B. AB OEFELE.

Annales Altahenses maiores, postquam triginta fere annis abhinc nomen eorum ab oblivione vindicavi fragmentaque dispersa singulari opusculo colligere conatus sum[1], inter praecipuos medii aevi fontes a viris doctissimis merito habebantur. Quamobrem fieri non potuit, quin opus illud egregium, cui Staindelius, Aventinus, Brunnerus tot et tantas res gravissimas de Conrado II, Heinrico III. et IV. imperatoribus debuerant, ubique summo cum studio quaereretur. Sed omnis illa opera, proh dolor! in irritum cecidit. Nusquam enim archetypum annalium Altahensium vel exemplum aliquod ex eo descriptum repertum est, ut denique plane desperandum videretur, librum illum adeo desideratum unquam rursus in lucem protractum iri.

Nihilo tamen secius obstinato animo in opinione perseverabam, annales illos etiam nunc esse servatos.

Nam compertum habebam, Aventini collectaneis quibusdam, quae in monasterio Altahensi inferiore anno 1517 ipse sibi confecerat, etiam extremis annis saeculi superioris Franciscum Töpsl, canoniae Pollingensis praepositum, usum fuisse et indicem eorum diligenter composuisse, quem Aretinus publici iuris fecit[2]. Neque vero ex notis huius indicis dubitari posse mihi videbatur, quin Aventinus in istam farraginem etiam annales Altahenses vel integros vel certe maxima ex parte descriptos recepisset. Sperabam igitur, fore ut ex his collectaneis annales illi deperditi nobis redderentur, cum codicem tanti pretii, etiamsi ad tempus latitaret, nostra aetate incredibili incuria periisse vix mihi persuaderem. Neque ea spes me fefellit. Mense enim Februario huius anni Edmundus L. B. ab Oefele, iuvenis studiis historicis mihi coniunctissimus, laeto vultu collectanea illa Altahensia Aventini mihi attulit, quae in apparatu proavi sui, clarissimi illius editoris Scriptorum rerum Boicarum, fortuna arridente repererat. Mox, librum avide perscrutantes, annales Altahenses prope integros in eum transscriptos esse et virorum doctorum votis editione eorum tandem satisfieri posse, summo cum gaudio perspeximus.

Collectanea illa complent codicem chartaceum 106 foliorum forma quadrata maiore. Maximam partem occupant annales Fuldenses et nostri annales, partim ab Aventino ipso partim a librario nescio quo ex codicibus Altahensibus descripti.

1) Annales Altahenses, aus Fragmenten und Excerpten hergestellt von W. Giesebrecht. Berlin 1841.

2) Beyträge zur Geschichte und Litteratur. 1805. Mai. p. 527.

Sed iis et initio praemissa et in fine adiecta et in medio passim interposita sunt multa alia, quae in libris et privilegiis Altahensibus Aventino notabilia visa erant quaeque hanc ob causam in eadem folia et ante et post annales descriptos retulit. In calce ultimi folii ipse adnotavit: Haec ex inferiore Alta anno Christi 1517 conlegi aestate[3]. *Plagulas sine iusto ordine compositas et inscriptas post in 13 fasciculos*[4] *complicandas et membrana*[5] *vestiendas curavit. Accidit vero, ut glutinator plagulis commutatis res iam confusas etiam magis perturbaret. Cui incommodo ut aliquatenus mederetur, Aventinus numeros foliis adscripsit et signa fecit, quibus interruptum rerum nexum lector restituere posset, vacua denique pagina in medio codice (fol. 56) usus est, ut indicem rerum adiungeret. Cum aliquanto post in componendis annalibus suis Boiorum collectanea Altahensia adhiberet, ad marginem codicis plurima ex Reginone, Herimanno Augiensi, Sigeberto Gemblacensi aliisque auctoribus nec non ex privilegiis imperatorum, quae ei Ratisbonae praesto erant, levi calamo adspersit.*

Ordo codicis, ut nunc se habet, hic est:

f. 1. *Variae notae, praesertim ex libro traditionum ab Hermanno abbate confecto.*

f. 2. *Annales Fuldenses ab anno* 714—739, *a librario Aventini descripti, quibus ipse nonnullas notas ex annalibus Altahensibus adiecit.*

f. 3—6. *Excerpta ex privilegiis imperatorum, ducum, comitum, ceterorum et ex Vita Godehardi posteriore c.* 1—5.

f. 7. *Annales Fuldenses* 740—771, *a librario descripti; in calce Aventinus ipse annales Altahenses* 708—712 *addidit.*

f. 7'—8'. *Annales Altahenses* 747—813, *excerpti ab Aventino, quibus ipse tum plurimas notas, maxime e Fuldensibus annalibus depromptas, et inter lineas et in utroque margine adiunxit.*

f. 9—55'. *Annales Fuldenses a.* 814—900. *Maximam partem absolvit librarius, cui se saepius in opere substituit Aventinus, qui post ex annalibus Altahensibus notas singulis annis adscripsit.*

f. 56. *Index voluminis.*

f. 56'. *Pars Ludovici de regno Lotharii (M. G. Legg. I,* 517.) *Cf. f.* 72.

f. 57. *Annales Altahenses* 899—927, *a librario exscripti.*

f. 57'. *Annales Altahenses* 928—951, *ab ipso Aventino exarati.*

f. 58—65. *Annales Altahenses* 952—1038, *partim ab Aventino, partim a librario eius transscripti.*

f. 65'. *Notae brevissimae ex variis diplomatis depromptae, quae ad saeculum decimum tertium et decimum quartum pertinent.*

f. 66. 67. *Excerpta ex chronicis Romerici (i. e. Ekkehardi) et Hermanni abbatis Altahensis.*

f. 68. 69. *Breves annales Altahenses* 741—1039, *quos Aventinus ex maioribus, ut nunc mihi persuasi*[6], *excerpsit et compilavit, priusquam priorem partem eorum fusius in collectanea sua transscribere in animum induceret. Nam*

3) Aventinum Nonis Iuliis Altaham inferiorem et pridie Kalendas Aug. Osterhofen advenisse ac rursus 4. Nonas Octobr. per illud monasterium iter fecisse, produnt eius ephemerides (Verhandlungen des historischen Vereins für den Regenkreis. 1836. p. 41 seq.). Eadem aestate Aventinus etiam alterum collectaneorum volumen Altahae confecit, ex quo Andr. Felix ab Oefele chronicon Hermanni abbatis multaque alia edidit.

4) Praeter decimum, qui decem folia habet, omnes sunt quaterniones.

5) In involucro nunc legitur: „Hystoria regum Francorum et sequentium Romanorum imperatorum ab anno Domini 714 usque ad annum 1083 (sic!) conscripta in Altach" et infra: „H. D. Hunds Liberey."

6) In errorem incidi, cum hos annales, priusquam inspicere liceret, pro vetustiore opere haberem, quod in conficiendis annalibus maioribus iam adhibitum esset. Cf. Geschichte der Deutschen Kaiserzeit II, 538.

7 *praeter duas notas, quarum una[7] sola negligentia scriptoris a verbis annalistae veteris recedere videtur, omnia in maioribus annalibus multo accuratius referuntur, et haec duo folia iam ante f. 57—65 ab Aventino inscripta fuisse, ipse*
8 *codex ostendit[8]. Quamobrem hi minores annales pro nihilo fere habendi esse videntur. Verumtamen cum ad verba maiorum annalium restituenda non plane negligendi sint, hoc loco eos proponi a re nostra haud alienum mihi visum est.*

f. 68.

[a] Anspertus ex Blithylt, filia Lutharii, genuit:
- Arnoldum ducem, eius filius Arnulfus, hic Flodolphum episcopum et Anchisum;
- Feriolum episcopum, Ucetiae martyr *(sic)*.
- Modericum episcopum Harisii;
- Tharsicia, Rodonis virgo vestalis *(sic)*.

741. Natus est Thassilo dux. Monasterium Alta construitur divo Mauricio.
742. Natus est Carolus magnus.
743. Carolomannus et Pipinus pugnant cum Utilone ad Lech.
750. Parochiae divisae consentiente Utilone duce, Vivilo Ba., Iohannes Saltz., Gaibald Ratisbo., Ermbertus Frisi., Wilibaldus Eistet.
815. Lutharius rex in Boiariam venit.
822. Ludovicus imperator regnum dividit inter filios.
842. Rabanus expellitur de monasterio, sequenti anno depositio regis.
844. Lutharius rex cum orientalibus Francis in Sclavia, regem Gestimulum occidit, Sclavos subegit.
862. Morbus in Germania.
867. Ventus; sequenti cometa, fames, pestilentia.
872. Aestas ferventissima; sequenti anno fames in Germania, locustae.
889. Ungari egressi.
893. Bellum magnum inter Ungaros et Boios.
907. Adalpreht occisus.
943. Praelium cum Ungaris in Weles, occisi sunt a Bois.
958. Signum crucis in vestibus.
972. Otoni Theophania Graeca mittitur, nubit Romae Otoni secundo, deinde in Franciam redeunt.
973. Otones cum uxoribus 14. Kal. April. Quindilaburg *(sic)*, pascha 10. Kal. April. Advenere legati Graecorum, Beneventanorum, 12 primates Ungarorum, Bulgariorum duo, legati Harioldi ducis, Bonezlavus dux Sclavienus. Misego dux Sclavienus filium obsidem misit. Obiit Non. Maii.
974. Henricus dux Boiorum, Abraham episcopus cum Bolizlavone et Misigone inierunt consilium, quomodo regnum Otonis disperderent. Beratholdi consilio Oto congregatis principibus, quorum consilio mittit legatos Popponem episcopum et Gebehardum comitem ad ducem vocatque ad concilium omnesque f. 68'. conscios coniurationis; quodsi venire recusent eo, proscriptos *(sic)* iri. Henricus continuo venit ad imperatorem cum omnibus consciis, sese dedunt imperatori. Dux Ingelheym, Abraham Corobiae servatur. Antequam res finita, contra Haroldum regem Danorum auctorem mali, domitat *(sic)*.
975. Boemanni familiam s. Mauricii occiderunt. Oto Boiemos vastat, incendit.
976. Imperator Bois *(sic)* armis adit, Henricum ducem consequitur, vindicantem dominium imperatoris. Comites, episcopi ad imperatorem deficiunt, dux evasit. Secundo imperator Boios intrat, Henricum pellit, Otoni duci Bois commendat.
977. Imperator Boemiam vastat, Bolislaum supplicem venire coegit. Interim dum haec aguntur, Henricus dux et alter eiusdem nominis, nepos eius, invaserunt Bazzowa. Imperator ubi hoc audivit, propere arma movet, urbem obsidet, ponte facto in deditionem coegit, inde in Saxoniam revertitur, in gratiam ipsum Henricum accepit.
978. Bolislaus ad imperatorem pascha venit, pacem impetrat, domum dimittitur. Aderat et Henricus et ille alius eiusdem nominis, comprehensi, in exilium acti.
982. Pugna cum Saracenis infelix. Obiit Oto dux Boiorum, nepos imperatoris ex fratre, succedit Henricus.
983. Oto imperator Romae moritur.
989. Henricus dux Carynthiorum obiit.
990. Regularis vita Altae restauratur per Erchanbertum abbatem.
991. Gothebardus fit monachus.
994. Obiit Wolfgangus.
995. Henricus dux obiit, succedit filius Henricus.
998. Mulier Altae enixa 5 filios.

a) *haec in summo margine adscripta sunt.*

7) Ad annum 842. Alteram notam, quae ad a. 1027 adscripta est, Brunnerus quidem in Annalibus Boicis P. II. col. 209 ex chronico Altahensi laudat, vehementer tamen dubito, num ex maioribus nostris annalibus deprompta sit. Certe non ante annum 1029 Heinricus rex in disciplinam Egilberti episcopi Frisingensis venire potuit, cum hoc demum anno Bruno episcopus, primus regis magister, obiret. 8) Fasciculus, qui fol. 66—71 complectitur, antea A 1. 2. 3. signatus erat.

1003. Henricus, Pertholdi comitis filius, et Bruno frater regis, ambo Bolislavones Bolanicus et Boiemicus, rebellant, Henricus ad regem fugiens in Gibicanstein custoditur.

1006. Fames.

1027. Chunradus rex fit imperator, filius eius rex Henricus dux Bavariae constituitur, qui prae- f. 69.
cedenti anno rex factus, educatus Frisio episcopo et Andex.

1030. Imperator in Ungariam properat, natali sancti Albani dominica die Altae pernoctat. Rediit sine effectu, fame compulsus. Wien ab Ungaris capta. Miseco dux Poloniae, Bezbrien frater eius, Ulricus dux Boemiae. Liutizi regionem imperator caepit, victo Misicone duce Polonie.

1032. Ulricus dux Boiemiae in exilium agitur. Bratislaus filius suscepto ducatu ab imperatore rebellat. Henricus rex expeditione facta eundem subegit.

1033. Henricus rex et dux Boiorum veniens in Ungariam, pace firmata cum rege Ungariorum, revertitur domum. Filius autem Stephani Ungarorum regis paulo post obiit, Henricus dictus.

1034. Guntharii heremitae rogatu Radesbonae dux Ulricus reconciliatur imperatori redditurque Boiemiae, qui tum excecat fratrem Germarum.

1035. Adalpero dux Carynthiae deponitur, succedit Chunradus. Mortalitas animalium, apium in Boiaria. Sequenti anno hiems valida. Gebehardus episcopus Ratisbonensis obiit, succedit Gebehardus frater imperatoris. Inde (?) rex Henricus ducit Chunigundam, nuptiae Niomagi.

1038. Gothehardus obiit, sterilitas, fames. Stephanus Ungariae rex, avunculus Petri regis, quoniam caruit filiis, hunc adoptavit.

1039. Imperator natale Gosolariae *(sic)* celebrat.

f. 69′—71. *Annales Altahenses maiores* 1039—1041, *primo a librario, tum ab Aventino ipso descripti.*

f. 72. *Pars Caroli de regno Lotharii. Cf. f.* 56′. *Accedunt notae aliquot geographicae.*

f. 72′ *vacuum.*

f. 73. *Alexandri II. bulla supposita de fundatione Wissegradensis ecclesiae, descripta ex codice interpolato Cosmae Pragensis. Cf. Mon. Germ. SS. IX. p.* 84.

f. 73′. *Privilegium Heinrici IV. imperatoris pro ecclesia Pragensi usque ad verba:* communi principum aspirante suffragio per D. *Ex Cosma Pragensi l. c. p.* 91. 92.

f. 74. 75. *Privilegium Friderici II. imperatoris, quo duci Austriae privilegium avi sui, quod minus vocatur, confirmat. Cf. Mon. Boic. XXVIII,* 1. *p.* 354—357. *Sequitur locus ex Cosma Pragensi descriptus:* Factum est, ut dux Boemie — vita, laus, victoria. *M. G. l. l.* 92. 93. *Spatio octo linearum, quod in folio* 75′ *etiam relictum erat, Aventinus usus est, ut annales Altahenses ad annum* 1041 *a verbis:* tempore autem prenotatae expeditionis *usque ad:* revertuntur. Idem Liutpoldus *inscriberet.*

f. 76—79. *Annales Altahenses* 1044—1047. *Init.:* Frater vero consentire noluit. *Fin.:* inde domum conversus.

f. 80—82. *Annales Altahenses* 1041—1044. *Init.:* Radasponae regi redeunti. *Fin.:* rex dare voluit.

f. 83—103. *Annales Altahenses* 1047—1073. *Init.:* praedictam intrat Mantuam. *Fin.:* in illa regione excreverunt. *Subiunxit Aventinus aliquot notas de interitu Thassilonis ducis.*

f. 103′. 104. *Varia ex variis diplomatis excerpta.*

f. 105. 106. *Europae provinciae.*

f. 106′. *Notae variae.*

Ex ea, quam exposuimus, codicis conditione consequitur, ut in edendis nostris annalibus nihil magis necessarium fuerit, quam primum, quicquid iis ex Aventini farragine tribuendum erat, ab alienis accurate secernere, tum suo quidque loco collocare. Quae cum Oefelius summa cum diligentia absolvisset, iam manifestum erat, usque ad annum 898 *Aventinum non plene quidem annales nostros in collectanea transfudisse, maiorem tamen partem excerpendo in suum usum vertisse, tum vero mutato consilio ab anno* 899 *usque ad finem integros annales praeter usitata*

quaedam verba, quae facile suppleri possent, fideliter transscripsisse; de suo ingenio eum raras tantum voces easdemque leves mutasse intelligebamus. Paucissima relinquebantur, quae dubitationem moverent, utrum ex nostris annalibus an ex alieno fonte Aventinus hausisset. Quae non plane omittenda, sed uncis, quibus inclusimus, notanda nobis videbantur. Sed id quoque Oefelius mox vidit, priorem annalium partem a posteriore tam esse diversam, ut totum opus neque ab uno eodemque auctore compositum neque uno eodemque tempore conditum esse possit.

Prior enim pars, quae usque ad annum 1032 *decurrit, auctoritate vetustiorum annalium Hersfeldensium et Hildesheimensium plerumque nititur. In monasterio Altahensi eam conscriptam esse patet, neque tamen lectorem effugiet, non monachum Bavaricum, sed clericum quendam in monasterio hospitantem, ecclesiae*
9 *siae Hildesheimensi adscriptum, eam condidisse*[9]*, et Wolfherium Hildesheimensem scriptorem esse Oefelius primus intellexit. Wolfherius enim, postquam Hersfeldiae in artium studiis sub Albwino magistro aliquamdiu versatus est, se ad monasterium Altahense contulit, cui Ratmundus, Godehardi episcopi nepos, tum praefuit. Abbas Saxonem, cuius condiscipulus Hersfeldiae fuerat, benignissime*
10 *excepit, eumque per complures annos in monasterio studiis retentum*[10] *saepius precibus adiit, ut de vita Godehardi adhuc superstitis librum componeret. Ille, diu voluntati abbatis adversatus, tum demum, cum Altaha relicta circa annum* 1035 *ad Hildesheimensem ecclesiam revertisset, illam Godehardi vitam, quae*
11 *prior nunc vocatur, conscribendam suscepit*[11]*. De his rebus Wolfherius ipse in praefatione operis nos certiores facit, neque vero de annalibus, quos Altahae composuerat, quidquam prodit, quamquam nullum alium auctorem eorum fuisse, nemo non videbit.*

Annales Hildesheimenses, quorum archetypum diversis manibus exaratum adhuc exstat, Wolfherius quasi pro fundamentis suorum annalium habuit, patriasque historias usque ad annum 1032*, ubi quondam operi finem impositum fuisse archetypum docet, diligenter exscripsit. Hildesheimenses annales, ut notissimum est, usque ad annum* 973 *praecipue Hersfeldenses nunc deperditos reddunt. Wolfherius vero annales Hersfeldenses non solum ex Hildesheimen-*
12 *sibus cognoverat, sed ipsos legit et plurima ex iis in suos annales transtulit*[12]*. Neque continuationem, quam Hersfeldiae repererat, neglexit, summamque ei gratiam habemus, quod plenius quam Lambertus aliique eam exscribendam curavit; gravissimas enim res sic solus servavit memoriae posteritatis. Post annum* 982 *annales Hersfeldenses admodum steriles erant, et ad annum* 997 *ultimum eorum vestigium in opere Wolfherii deprehendisse mihi videor. Annales Hildesheimenses et Hersfeldenses ante Wolfherium Altahensibus vix innotuerant, invenit tamen apud eos annales Alamannicos, quos fortasse Erkanbertus abbas, ad reformandum monasterium anno* 990 *de Suevia ascitus, secum inde attulerat. Vetustis annalibus, quos Alamannicos vocamus, in exemplo Altahensi continuatio quaedam accessit, quae ad finem fere saeculi decimi decurrit. Nam usque ad annum* 985 *Wolfherius ex illis annalibus nonnulla*

9) Cf. ad annum 1007: *nostro episcopo in suae abrenunciationis testimonium episcopalem ferulam tradidit, et usque apud nos retinetur.* Bernwardus episcopus Hildesheimensis erat, qui ferulam illam tunc accepit, ut in Vita Bernwardi c. 43 plenius narratur. 10) Si catalogo monachorum, qui Godehardi temporibus vixerunt, (M. G. SS. XVII. p. 368) fidem habemus, Wolfherius inter fratres Altahenses tum receptus est. Sed nusquam se monachum Altahensem ipse profitetur, et Othlon, qui eius condiscipulus Hersfeldiae fuerat, eum in Libro visionum (M. G. SS. XI. p. 378) canonicum Hildesheimensem appellat. Cf. annales Hildesheimenses ad annum 1039 (M. G. SS. III. p. 103). 11) Cf. Pertzium (M. G. SS. XI. p. 162. 163) et Hüfferum (Geschichtschreiber der Deutschen Vorzeit XI. Jahrhundert. 2. und 3. Band. p. XVI. XVII.) 12) De annalibus Hersfeldensibus et Hildesheimensibus vide M. G. SS. III. p. 18 seq.

deprompsit, quae cum continuationibus Murbacensi, Augiensi, Sangallensi nec non cum annalibus Weingartensibus et Sangallensibus maioribus saepius ad litteram conveniunt[13]. *Dubitari nequit, quin Altahae etiam breves Bavarici annales ad manum Wolfherii pervenerint. Vix enim aliunde locos quosdam memorabiles de ducibus Bavariae et de proeliis cum Ungaris commissis depromere potuit. Sed de origine et conditione istorum annalium certi quidquam contendere non audeo, quamquam eos Ratisbonae in monasterio sancti Emmerammi, quod per Romualdum abbatem cum monachis Altahensibus arctius coniunctum erat, conditos et inde Altaham delatos esse, persuasum habeo*[14]. *Praeter annales Wolfherius alia quoque scripta in rem suam convertit, ut Genealogiam domus Carolingicae (ad a.* 747*), Vitam Bonifacii (ad a.* 750*), Vitam Bernwardi (ad a.* 1007*); etiam Librum pontificalem Romanum (ad a.* 800*) inspexisse videtur.*

His subsidiis, quae Wolfherius ad annales suos conscribendos adhibuit, non semper cum consilio usus est. Interdum enim ei accidit, ut easdem res bis ad diversos annos diversis verbis repeteret[15], *tum in temporibus definiendis plus semel lapsus est et in alios quoque manifestos incidit errores. Verumtamen non modo ab aliis tradita compilavit, sed etiam de suo ingenio nonnulla adiecit, quae monachis Altahensibus commodo fore sperabat. Mandavit litteris quaedam, quae temporibus eius facta erant, sed nondum annotata videbantur. Descendit porro ad obscura ecclesiae christianae in Bavaria primordia, de quibus parum vel fere nihil in vetustis annalibus invenerat, ut opera sua tenebras illas aliquatenus illustraret. Neque tamen id ei ex sententia successit. Nam quaecunque de parochiis Bavariae anno* 750 *divisis refert, omnino improbanda sunt, neque illud, quod monasterium Altahense anno* 741 *fundatum iudicat, nihil dubitationis habet.*

Wolfherii annales non Altahae latitasse, sed etiam in Hersfeldensium et Hildesheimensium notitiam pervenisse, certa testimonia sunt. Wolfherius ipse, cum post Godehardi mortem circa annum 1054 *iterum vitam eius describere aggrederetur et de Altahensi quoque monasterio ordine ei narrandum esset, suos annales magna ex parte transscripsit*[16], *neque Lambertus Hersfeldensis in condendo opere suo celeberrimo annales Altahenses adhibere supersedit. Sed iam ante Lambertum Wolfherii annales Altahae e pulvere ad lucem reducti et a monacho quodam diligentissimo monasterii continuati erant.*

Annales nostros iam inde ab anno 1033 *non a Wolfherio scriptos esse, facile sibi quisque persuadebit. Ille monasterium Altahense anno* 741 *fundatum esse docuerat, ad annum* 1033 *annales nostri referunt, tunc monasterium post* 302. *aedificationis annum incendio consumptum esse; auctor igitur, quisquis fuit, fundationem anno* 731 *adscripsit, de qua re optime ei cum Herimanno Augiensi, cum Wolfherio minime convenit. Neque amplius nostri annales cum Hildesheimensibus eodem modo, quo ante, consentiunt, immo vero in plurimis rebus*

13) De annalibus Alamannicis et continuationibus eorum vide M. G. SS. I. p. 19 seq.

14) Ad annos 741 et 742 Wolfherii verba cum annalibus Iuvavensibus maioribus, ad annos 742 et 743 cum Iuvavensibus minoribus conveniunt. Haesito vero, num ipse annales Iuvavenses (M. G. SS. I. p. 87—89, III. p. 122) in manu habuerit, cum brevissimae notae eius generis etiam in alios annales facile transscribi potuerint. Confidentius de annalibus S. Emmerammi locutus sum, quamquam unus tantum locus (ad a. 819) ex vetustis illis annalibus, qui maiores S. Emmerammi vocantur (M. G. SS. I. p. 92. 93), descriptus videtur. Multa enim in sequentibus occurrunt, quae vix aliunde quam ex continuatione quadam antiquissimorum istorum annalium profecta esse possunt et modo cum annalibus minoribus S. Emmerammi (M. G. SS. I. p. 93. 94 cf. XVII. p. 571), modo cum annalibus Ratisbonensibus (M. G. SS. XVII. p. 582—584) cognationem quandam produnt.

15) Cf. de morte Adalberti ad annos 907. 908, de interitu Eberhardi et Gisilberti ad 938. 939, de expeditione Liudulfi in Italiam facta ad 950. 951.

16) Cf. Vitam Godehardi posteriorem, praesertim cap. 1—5. M. G. SS. XI. p. 198. 199.

discrepant. Incendium monasterii Altahensis nostri annales 4. Non. Martii, Hildesheimenses 6. Kal. Martii adscribunt. Mors Emerici, quam Hildesheimenses ad annum 1031 referunt, in nostris annalibus male ad annum 1033 narratur. De Conrado in ducem Carinthanorum promoto in annalibus Hildesheimensibus ad annum 1036 recte agitur, in nostris perperam ad annum 1035. Hildesheimenses annales ad annum 1036 de synodo generali Triburiensi verba faciunt, nostri de generali concilio Saligenstadensi. Rerum a Conrado imperatore annis 1037 et 1038 gestarum nostri annales multo maiorem copiam habent quam Hildesheimenses, quibuscum multo minus consentiunt, quam cum deperdita illa historia, cuius fragmenta apud Annalistam Saxonem exstant. Persuasum igitur habeo, scriptorem Altahensem continuationem illam Hildesheimensem, quae inde ab anno 1033 usque ad initium anni 1040 decurrit[17], haudquaquam inspexisse, sed proprio Marte vetustos annales monasterii produxisse usque ad sua tempora. Si qua ad annum 1036, praesertim de episcopis tum temporis mortuis, ad verba annalium Hildesheimensium propius accedunt, ea postea addita esse coniiciam. Nam continuationem illam Hildesheimensem monachis Altahensibus, cum arctissima eorum coniunctio cum ecclesia Hildesheimensi satis longum tempus permaneret, diutius ignotam fuisse, minime crediderim.

Mirum profecto est, quod in annalibus nostris ad annos 1033—1040, quamvis accurate res plerumque tradantur, tamen errores graves, praecipue in temporum definitione, haud raro deprehenduntur. Qui cum etiam ad insequentes annos nonnunquam nos offendant[18], in eam opinionem adductus sum, inde ab anno 1033 usque ad finem (1073) annales uno quasi impetu uno eodemque tempore ab uno auctore scriptos fuisse. Sic enim facile est explicatu, quomodo scriptor, licet res optime cognoverit, tamen in temporibus longe remotis saepius titubaverit. Quae mea opinio mihi eo confirmari videbatur, quod ubivis in hac altera nostrorum annalium parte de rebus affinitate quadam inter se connexis agatur, ratio describendi nusquam mutetur, neque unquam genus scribendi variet.

Quis monachus ille Altahensis fuerit, qui post triginta annos Wolfherii opus excepit, cum de se et rebus suis nihil fere ipse in annalibus prodiderit, incompertum habemus. Aventinus quidem in Wenceslao, qui ab anno 1055 monasterium Leonense in dioecesi Brixiana rexit, tum et Altahensibus abbas praefuit (1063—1068), annalistam deprehendisse sibi videbatur. Sed coniectura eius[19], quamquam viris doctis quondam probabatur, stare nequit, nisi forte quis totam enarrationem inde ab anno 1068 ab alio scriptore post additam esse demonstrare conatus fuerit[20]. Id tamen pro certo habeo, monachum illum Altahensem, qui Wolfherii annales continuaverit, arctissime Wenceslao abbati coniunctum fuisse, et in eius societate per complures annos inter Longobardos vitam egisse. Multus enim est de laude Wenceslai abbatis, et de rebus Italicis diserte ubique loquitur, nec non Italorum mores bene se novisse ipse prodit[21].

17) Inde ab anno 1034 usque ad finem hanc continuationem Hildesheimensem a Wolfherio ipso scriptam esse, id quod iam alii coniecerunt, mihi quoque veri simillimum videtur. Multus est auctor de laude Albwini Hersfeldensis, cuius virtutes Wolfherius ubique summo studio celebrat. 18) Cf. a. 1060. 1061. 1068. 19) Ann. Boiorum ed. Gundling p. 525 et in syllabo auctorum. 20) Res desperata, nam luce clarius est, unum eundemque scriptorem de Ottone Nordheimensi ad annos 1065. 1068. 1070 agere et haec omnia litteris consignata esse post annum 1070. 21) Cf. ad annum 1064: *Usum Longobardorum iam didicerat plane, quia multa verbis audacter minari soleant, quae tamen opere nullatenus adimplere audent*, et ad ann. 1068: *Itali, sua superbia elati et velut natali odio Teutonicum ducem audire dedignati, incondito clamore cuncta coeperunt turbare.* Episcopos Brixianos, Veronenses, Tridentinos, Tarvisienses inde ab anno 1055 mortuos scriptor ordine refert.

Ubi ad annum 1068 *de morte Wenceslai agit, in haec verba prorumpit:* Multi eorum, quibus praeerat in utroque monasterio, solent adhuc protestari una voce, similem illi pietate patrem se nunquam habuisse et si post habituri sint, nimium desperare. *Wenceslaum illum cum Bohemis coniunctionem quandam habuisse, iam nomen tunc inter Germanos inusitatum indicare videatur. Quamobrem ex ore eius annalistam plurima de iis, quae de rebus Bohemicis in opus suum transfuderit, accepisse opinor. Neque tamen minore veneratione, quam abbatem suum, monachus Altahensis Guntherium illum prosequebatur, qui cancellarius quondam Italicus sub Heinrico III. imperatore anno* 1056 *ecclesiae Bambergensi praefectus erat et in reditu a celeberrima peregrinatione ad sepulchrum Domini facta anno* 1065 *diem supremum obiit. Multa de hoc Guntherii itinere ex litteris eius ad Bambergenses missis monachus in opus suum recepit et morte episcopi relata haec addit:* Luctum inconsolabilem suis dereliquit. Ut enim cum pace omnium dicamus, nostris temporibus illo in virtutibus maior rarus quisquam surrexit aut nullus, et vix credi potest, si post eum iam talis sit aliquis surrecturus. *Itaque etiam Guntherio et Bambergensibus annalista noster arctius coniunctus fuisse videtur, neque mirum est, quod ad res Bambergenses saepius revertitur.*

Ex iis, quae a Wenceslao et Guntherio quondam audiverat, imprimis opus suum monachum Altahensem contexuisse, mihi persuasum est. Praeterea de multis rebus in monasterio suo facili negotio certior fieri poterat. Florentissimae enim tum erant res Altahenses; intimam cum multis coenobiis in Germania, Italia, Bohemia consuetudinem monachi colebant; undique litterae abbati afferebantur, hospites ad monasterium devertebant. Praesertim de rebus in Ungaria gestis optime Altahenses instructi erant; nam saepius imperatores cum maximis copiis in eam terram proficiscentes ipsi videbant, et fere quotidie inter eos hospitabantur, qui aut eo ibant, aut inde domum revertebantur. Non igitur est, cur miremur, quod in res Ungaricas verba annalistae tanta ubertate redundant. Sed etiam de Anglia a Normannis subacta nonnulla ab iis acceperat, qui eidem bello interfuere, *ut ipse ad annum* 1066 *refert. Sic scribenti non defuit copia rerum, quas universas ut ad singulos annos ordine disponeret, diplomata, necrologia, commentarii de viris illustribus mortuis et de palatiis, ubi imperatores dies festos celebraverant, aliaeque notae historicae subsidio ei videntur fuisse. Annales maiores, quos ante eum alii composuerant, parum eum inspexisse iudico. Quamquam cum Herimanno Augiensi easdem fere res tradit et interdum vel similibus verbis utitur*[22]*, ut non dubitem, quin eius librum inter scribendum evolverit, tamen rarissime vestigia eius persequebatur. Annales Sancti Emmerammi saeculo undecimo scriptos, quorum fragmenta nuper prodierunt*[23]*, a scriptore nostro adhibitos esse, non negaverim, sed fragmenta illa tam exilia sunt, ut certi quidquam statuere metuam.*

Monachus Altahensis uno impetu, ut diximus, opus suum videtur absolvisse[24]*; quod circa annum* 1075*, nisi fallor, factum est. Res usque ad mensem Augustum anni* 1073 *prosequutus, multa deinde mala in Saxonia excrevisse refert. Scripsit igitur aliquanto post annum* 1073*, sed ante annum* 1076*. Nam reformandae ecclesiae haud dubie studiosissimus, post certamen inter imperium et sacerdotium exortum de maiestate imperatoris et de seditiosis principibus*

22) Cf. adnotationes ad annos 1043. 1052. 1054. Etiam de anno fundationis, ut iam supra dictum est, annalista noster cum Herimanno consentit.
23) M. G. SS. XVII. p. 574. 575.
24) Quae ad annum 1069 referuntur, post mortem Alexandri II. (1073) manifesto scripta sunt. De rebus, quae ad Ottonem Nordheimensem spectant, cf. supra adnotationem 20.

nequaquam tam aperte disseruisset, ut fecit. Ottonem Nordheimensem, qui libertatem Altahensem deminuerat, ubique vehementer in eum invehens, de multis criminibus suspectum reddit; id quod certo non fecisset, si annales tum demum absolvisset et retractasset, cum ille inter propugnatores ecclesiae iam excelleret. Insequenti tempore paucissimi erant, qui de imperio et de rebus ecclesiasticis idem sentirent, ac monachus noster; quae praecipua causa fuisse videtur, cur opus eius praeclarum, quamquam res gravissimas magna cum industria descripserat coloribusque vegetissimis quasi depinxerat, diu inter homines vix circumferretur. Neque Lambertus, qui priorem partem nostrorum annalium in rem suam converterat, neque Hildesheimenses, cum sequenti saeculo interruptos suos annales longius producerent, quantum ego video, continuationem cognoverant. Ne Ekkehardus quidem, qui in bibliothecis Bambergensibus magnam librorum copiam evolverat, in notitiam annalium nostrorum venit. Latitabant ergo Altahae, ubi solus Hermannus abbas, antiquitatum monasterii sui studiosus, opus oblivione obrutum e pulvere saeculo decimo tertio paulisper protraxit et ex eo notabilia quaedam in suos libros transscripsit. Pauca tum in codicem
25 *tabularum et relationum, qui in tabulario caesareo Vindobonensi nunc tenetur*[25],
26 *tum in librum de institutione monasterii Altahensis*[26] *inde recepit, plura exemplo chronici Ekkehardiani, cui proprios annales adiuncturus erat, interserenda et*
27 *adiicienda curavit*[27]. *Tum rursus in tenebras annales nostri redierunt.*

Dum apud nos opus monachi Altahensis negligitur, in Ungaria, ubi nescio quo casu innotuerat, avide exploratum est. Iam sub fine saeculi decimi tertii
28 *Simon de Keza in chronico suo*[28] *multa ex monacho Altahensi deprompsit, tum in medio saeculo decimo quarto auctor chronici, quod Iohanni de Thwrocz post*
29 *tributum est*[29], *quam plurima ex eodem fonte hausit, sed uterque mirum in modum,*
30 *suae nationis studio ductus, Teutonici monachi sententias et verba pervertit*[30].

Inter nostrates primus Iohannes Staindelius, presbyter Passaviensis, in annalibus nostris curam et operam posuit. Cum circa annum 1486 *priorem partem chronici sui generalis conscriberet, molem eius adauxit plurimis locis ex monacho Altahensi depromptis, sed origo eorum usque ad nostram aetatem ignorabatur, quia Staindelius praesidia sua nunquam diserte indicaverat. Tum Aventinus, ut supra diximus, anno* 1517 *annales fere integros Altahae in collectanea sua recepit et plurima ex iis in Annales Boiorum transtulit. Wigulaeus Hundius et Christophorus Gewoldus, in quorum manus Aventini collectanea*
31 *post pervenerunt, annales Altahenses parum curaverunt*[31]. *Eo magis in rem suam convertit Andreas Brunnerus in altera parte Annalium Boiorum, quam anno* 1629 *edidit. Non in codice quidem Altahensi, cuius post Staindelium et Aventinum nusquam mentio fit, sed in eisdem collectaneis, quae nobis adhuc praesto sunt*[32], *Brunnerus nostros annales haud dubie legit, quos tanti fecit, ut se eos plerumque de rebus saeculo undecimo gestis sequutum esse ipse aperte fateretur*[33].

25) Notae annorum 990. 991. 997 in hunc Herimanni codicem transscriptae sunt. 26) Mon. Germ. SS. XVII. p. 369. 27) Auctarium Ekkehardi Altahense in Mon. Germ. SS. XVII. p. 360—365. 28) Endlicher, Monumenta Arpadiana p. 83 seq. 29) Schwandtner, Scriptores rerum Hungaricarum I. p. 47 seq. 30) Vide ea, quae in opusculo meo de annalibus Altahensibus p. 29—32 et infra in adnotationibus attuli. 31) In Metropoli Salisburgensi II. p. 4 Wenceslaus, abbas Altahensis, annalium Boioariae scriptor, laudatur, sed ex Aventini Annalibus Boiorum. Mabillonius (Ann. ord. S. Benedicti IV. p. 468) Hundii verba repetit, Mabillonii Ioh. Bapt. Lackner in Memoriali Altahae inferioris (Passavii 1779) p. 76. Nemo eorum annales nostros noverat. *De his annalibus*, inquit Lackner, *hodie vix fragmenta supersunt.* 32) Laudat ex chronico Altahensi II. col. 209, quae ex mea sententia non annalistae, sed Aventini sunt, de Heinrico III. in arce Andex educato. Cf. supra adnotationem 7. 33) *Nostri annales, quos fere sequimur. — Altahense chronicon optimae notae — per haec tempora optima fide scriptum.* Cf. Annales Brunneri II. col. 176. 204. 237 in editione Leibnitiana (Francofurti 1710).

Post Brunnerum etiam in collectaneis Aventini nostri annales vix a quoquam lecti videntur. Laudantur quidem in Annalibus Boiorum, quos Iohannes Adlzreitter edidit, sed ex Brunnero. Quae Hansitius in Germania sacra II. p. 162. 247 *ex chronico Altahensi affert, ex codicibus quondam Altahensibus nunc Vindobonensibus*[34], *non ex nostris annalibus deprompta sunt. Andreas Felix ab Oefele denique, cum alterum volumen ab Aventino Altahae confectum magna cum diligentia perscrutaretur et ex eo praeter alia etiam Hermanni abbatis annales publici iuris faceret, nostro volumini nescio quo casu similem curam impertire supersedit. Quo factum est, ut nostri annales denuo immerita oblivione premerentur et nunc demum, octingentis fere annis postquam scripti sunt, primum typis mandarentur. Posthac vero monacho Altahensi, cui maxima ex parte debentur, locus ille, quo medio inter Herimannum Augiensem et Lambertum Hersfeldensem multis nominibus dignus est*[35], *nunquam profecto denegabitur.*

Restat, ut de editionis nostrae ratione pauca adiungam. Constat, Aventinum eundem codicem Altahensem descripsisse, qui in Staindelii manu fuerat, sed exemplum vetustum, non autographum scriptoris fuisse, ex eo colligitur, quod apud utrumque menda deprehenduntur, quae librarii, non auctoris esse solent[36]. *Nos religiose Aventini vestigia sequuti, Staindelium, qui saepius verba ex suo arbitrio mutavit, modo adhibuimus*[37], *ut aut locos apud Aventinum corruptos corrigeremus aut aliquot voces in altera parte annalium ab eo omissas suppleremus. Usque ad annum* 896 *nihil nisi Aventini excerpta proposuimus*[38]. *Mediocri negotio haec excerpta fragmentis quibusdam, quae iam Georgius Waitz V. Cl. ex Staindelio collegerat*[39], *augeri poterant, sed quae sic allata essent, iam aliunde melius nota sunt, ac ne integritas quidem annalium hoc modo restituta esset. Vel in rebus quas vocant orthographicis scripturam ita retinuimus, ut in farragine Aventiniana repereramus. Nam cum Aventinum et eius librarium, quamquam interdum vacillarent, tamen vetustae scribendi rationi plerumque studuisse pateat, satius nobis videbatur, parum mutare, quam nimium. In quibus rebus si quid correximus, accurate adnotatum est praeter levissima quaedam librarii peccata*[40], *quae tacite emendavimus.*

Minoribus litteris impressa sunt, quae in priore parte annalium Wolfherius ex annalibus Hersfeldensibus, Hildesheimensibus, Alamannicis mutuatus est, quoad aliunde haec iam innotuerant. Ubi Wolfherius cum annalibus Iuvavensibus vel Ratisbonensibus et cum Lamberto consentit, minores litteras non admisimus, quia non in aperto est, unde Bavaricas res Wolfherius hauserit, et multis locis dubitari potest, utrum Lambertus verba sua ex annalibus Hersfeldensibus an ex Altahensibus descripserit.

In edendis nostris annalibus maiorem laboris partem Oefelius suscepit. Ego nihil aliud feci, quam ut verba scriptoris, quae ex codice restituerat, retractarem et varias lectiones subiungerem. Notas, quas annalibus apposui, lectoribus usui futuras esse spero.

Scribebam Monachii die 28. *Novembris* 1867.

WILHELMUS DE GIESEBRECHT.

34) Ex codice Hermanni abbatis in tabulario caesareo: Reichssachen Loc. 244. 14 A. et ex codice bibliothecae caesareae hist. prof. 989. Cf. M. G. Legg. II B. p. 170, SS. XVII. p. 371.

35) Cf. orationem meam academicam: Über einige ältere Darstellungen der Deutschen Kaiserzeit (München 1867).

36) *Luzici* pro *Liutizi* ad annum 1031, *Tusciam* pro *Troiam* ad annum 1038 etc.

37) Staindelii autographo (in bibl. regia Monacensi cod. Lat. 732), non editione Oefeliana usi sumus.

38) Nimis obscuras notas Aventini in hac parte aliquoties ex vetustissimis annalibus, quos Wolfherius sequutus erat, paucis verbis supplevimus.

39) Göttingische gel. Anzeigen 1842. p. 386—388.

40) Plerumque scripsit *nunccii* et, litteras c et t in codice vetusto non bene distinguens, *Frantiam, pontifitiam* etc.

I. PARS PRIMA AUCTORE WOLFHERIO HILDESHEIMENSI.

A. ANNALES EXCERPTI AB AVENTINO.

f. 7 in calce A. Hers. 708. Pipinus dominatur[41]. Chonreth Britannus rex Romam ivit, fit monachus ibi

A. Hers. 709. Durus, deficiens fructus.

A. Hers. 710. Pipinus in Alamanniam.

A. Hers. 711. Nimia inundatio aquarum.

A. Hers. 712. Mors Heriberti regis Langobardorum.

f. 2. in marg. A. Hers. 715. Obiit Tagobertus rex[42].

A. Hers. 718. Vastat Carolus[a] Saxoniam plaga magna

A. Hers. 719. Obiit Ratbodus rex. Sucsionum[b] victi Franci.

A. Hers. 720. Pugnavit Carolus[c] contra Saxones.

A. Hers. 722. Magna fertilitas anni.

A. H. et Alam. 723 Duo Drogonis filii ligati, unus obiit, Carlus infirmatur.

f. 2' in marg. A. Hers. 727. Sanctus Egbertus obiit.

A. Hers. 732. Carolus pugnavit contra Saracenos[d] die sabbati.

A. Hers. 733. Ecclypsis solis.

A. Hers. 734. Carolus perrexit[e] in Fresiam.

A. Hers. 735. Vascones vastat. Beda obiit.

A. Hers. 736. Initium Herfeldensis caenobii.

A. Hers. 737. Carolus pugnavit[f] contra Saracenos in Gothia.

A. Hers. 738. Carolus[g] Saxoniam vastat.

A. Hers. 739. Carolus Provinciam intravit[h] usque Massiliam.

f. 7 in marg. A. Hers. 740. Sine ulla hostilitate.

741. Natus est Thassilo[43]. Monasterium Altah construitur divo Mauricio[44].

742. Natus est Carolus magnus[45].

743. Carolomannus et Pipinus pugnant cum Outilone ad Lehhae[i, 46].

A. Hers. 746. Burchardus fit episcopus Wirziburgensis[47].

f. 7. A. Hers. 747. Carlomannus Romam pergens fratri regnum relinquit.

Gen. dom. Car. Anspertus ex genere senatorum duxit filiam Lutharii, nomine Blithilt, genuit

ex ea
- Arnoldum, is genuit Arnolfum, Arnolfus genuit Flodolphum episcopum et Anchisum, is Pipinum;
- Feriolum, Feriolus episcopus in Ucetia civitate martyr ibi sepultus;
- Modericum; in Harisio[k] sepultus episcopus;
- Tharsiciam; virgo vestalis in Rodonis civitate[l].

A. Hers. et Hildesh. 748. Grifo fugit in Saxoniam, inde fugiens petiit Baioarios et Hiltrudam sororem Pipini cum Thassilone[m] filio parvulo acquisivit.

A. Hers. 749. Grifo reversus de Saxonia.

A. Hers. (Ottenb.) 750. Pipinus fit rex. Parochiae Boiariae distinguuntur consentiente[n] Utilone iussu Zachariae, Vivilo episcopus Bathavinus, Iohannes Saltzburg, Gaibalt Ratisbone, Ermbertus Frisingin, Wilibaldus Eistat factus[o, 48] [Super constructo, id curante Utilone duce, stat[p] Altheae imago latericia coctilis: Utilo dux fundator[q]. Virgilius[r] et Sydonius papae scribunt contra Bonifacium de clerico[s] baptizante in nomine patria et filia et spiritus sancti. Zacharias in Germaniam scripsit de Bonifacio[49].]

A. Her. Alam. 751. Lantfridus dux obiit. Zacharias papa obiit, Stephanus electus occisus, alter Stephanus eligitur.

A. Hers. 752. Gripho obiit.

A. Hers. 753. Stephanus papa ad Pipinum veniens defensionem petit[t] contra Haistulphum.

A. Hers. 754. Papa duos filios Pipini ungit reges.

a) C. *deest in codice.* b) *sic codex.* c) P. C. *desunt in codice.* d) C. p. c. S. *desunt in codice, ubi perperam* d. s. *ad a.* 731 *adscripta sunt.* e) C. p. *desunt in codice.* f) C. p. *desunt in codice.* g) C. *deest in codice.* h) C. P. i. *desunt in codice.* i) *sic Aventinus f.* 68, *f.* 7. *solae hae voces inveniuntur:* Outilonem ad Lehhae. k) *sic codex.* Arisido *Genealogia dom. Car.* l) *totam hanc genealogiam iisdem fere verbis fol.* 68. *Aventinus iterum ex ann. Alt. descripsit.* m) Thessolone *codex.* n) c. *omisit Aventinus, alia manus, ut mihi videtur, post suprascripsit* ab. o) Vivilo episcopus Bathavinus, Gaibalt, Wilibaldus Eistat factus. *Sic Aventinus negligenter Annales f.* 7'. *excerpsit, f.* 68. *hoc modo:* Vivilo Ba. Iohannes Saltz. Gaibald Ratisbo. Ermbertus Frisi. Wilibaldus Eistet. p) sta *cod.* q) U. d. f. *minusculis litteris in codice scripta.* r) Vigilius *cod.* s) cleo *cod.* t) v. d. p. *Aventinus omisit.*

41) Cf. annales Nazarianos in editione Freberiana ad a. 707 et Hildesheimenses. Nota annalium nostrorum de morte Drogonis (conf. ann. Hersfeldenses), quam Staindelius servavit, apud Aventinum non invenitur. 42) Apud Staindelium ex annalibus Altahensibus haec leguntur: 716. *Carolus pugnavit contra Radbotum.* 717. *Carolus pugnavit contra Francos (in Vinciaco) dominica die ante pasca.* Cf. ann. Hers. et Hild. 43) Cf. annales Iuvavenses maiores. 44) Cf. Lambertum. 45) Cf. annales Iuvavenses maiores et minores et Lambertum. 46) Cf. annales Alamannicos ad a. 742 et annales Iuvavenses minores ad a. 743. 47) Aventinus omisit: *Sanctus Wighertus migravit ad Christum,* quae apud Staindelium leguntur. Cf. ann. Quedlinburgenses. 48) Haud dubie hic Wolfherius Vitam Bonifacii auctore Willibaldo cap. 7. sequutus est. Cf. Vitam Godehardi posteriorem cap. 2. 49) Uncis inclusa Aventinus eodem calami tractu exaravit, quo priora; vehementer tamen dubito, num ex vetustis annalibus Altahensibus descripserit. De imagine Utilonis certum non habemus. De Bonifacio vide eius epistolas (Jaffé, Bibl. III. p. 167).

755. Bonifacius obiit A. Hers

756. Stephanus papa obiit. A. Alam.

757. Organa venere in Franciam. A. Hers.

758. Pipinus tributum Saxonibus 300 equos imposuit[a]. A. Hers

760. Sanctus Otmarus Warini et Ruothardi potentia oppressus obiit. A. Alam (Sang. mai.)

764. Conventus Pipini magnus Carisiaci. Hiems dura. A. Hers

765. Ruodgangus[b] episcopus adfert sanctum Gorgonium, Naborem, Nazarium. A. Hers

766. Victi Sclavi in Weitahaburg[50] a Francis. A. Hers.

767. Paulus papa obiit. A. Alam

768. Pipinus Aquitaniam subiecit. Waifarius occisus. Obiit Pipinus 8. Kal. Octobris ad Sanctum Dionysium. A. Hers.

770. Sanctus Otmarus ad Sanctum Gallum transfertur. A. Alam (Sang. mai.)

771. Carolomannus frater Caroli obiit. A. Hers

772. Hirminsul fanum et Eresburch[c]. A. Hers

773. Carolus, Italiam ingrediens[d], Papiae obsidet Desiderium. A. Hers

774. Desiderius in Franciam ductus. f S A. Hers

777. Carolus in Saxonia Podrespunnum[e] placitum habuit[f]. A. Hers

778. Carolus pugnavit[g] contra Saracenos, Saxones Loganahi vastant. A. Hers

779. Sturmi abbas Fuldensis obiit. A. Hers

781. Carolus Romae, baptisatus filius Carolomanus, quem Adrianus mutato nomine Pipinum[h] vocat; ibi filia eius Ruotdrud desponsatur Constantino[51]. A. Hers

782. Comites Caroli a Saxonibus occisi Suntdal. A. Hers

783. Hildigard regina obiit, succedit Fastrat. Carolus contra Saxones in Thietmelli. A. Hers

785. Coniuratio Hartradi et orientalium Francorum oppressa[i]. Saxones subditi, Widikind venit Attiniacum[k] villam, ibi baptizatur, omnis Saxonia cum illo Francis subiecta. A. Hers

786. Lullus archiepiscopus obiit, succedit Richolfus. Carolus in Italiam. Multa prodigia. Signum crucis in vestimentis hominum, sanguis e caelo terraque profluxit. A. Hers.

787. Carolus Beneventum proficiscitur[l], monasterium sancti Benedicti adit. Mortuo Harigiso Grimoldum filium statuit Beneventanis.[52] Ecclypsis solis 16. Kal. Octobris hora secunda[53]. A. Hers.

788. Thassilo eiicitur, Thieotho filius similiter[m]. A. Hers

789 Carolus Wiltzos subegit[n]. A. Hers

790. Carolus perrexit in Pannoniam[o]. A. Hers

791. Carolus Avaros subegit. Fundatum templum sancti Bonifacii[p]. A. Hers

792. Coniuratio Pipini contra patrem detecta per Fardulphum, Pipinus fit monachus, partim alii decollati, alii crucifixi. Fardulpho commendatur monasterium sancti Dionysii. f S A. Hers

794. Heresis Feliciana Francfurt damnata. Fastrat regina obiit. A. Hers

795. Adrianus papa obiit in natali Domini, Leo successit. A. Hers.

796. Wandali suam patriam Pippino regi dant. A. Alam

798. Balthart abbas Herveldensis obiit. A. Hers

799. Leo papa truncatus lingua, cecatus, videns loquens venit ad Carolum in Saxonia Heristeille. Kerolt occisus. A. Hers A. Alam

800. Carolus Romam venit, obtulit natali purissimi auri libras in vasis aureis 500, discum argenteum rotundum magnum; circumsectione coronam auream obtulit Carolus librarum 50, suspensa manet catenulis super ara Petri, variis preciosissime lapidibus ornata, die[q] epiphaniae ad tumulum Petri calices tres, duos pro liberis, unum pro se, librarum auri purissimi 42, patenam auream librarum 22, egenis tria millia argenti libras. Advenere Hierusalem legati cum legato Caroli Zacharia, attulere vexillum, lanceam, duas tabulas[r] duobus attramentariis[s] scriptas, posituris (?) duas discretas, claves sepulcri Christi, de loco calvariae, monte oliveti, de porta speciosa, quae ultro (?) parta (?) Petro aptabant[t] ac omnia Carolo patefecerunt ad liberandum populum christianum[u. 54]. A. Hers

a) i. *Aventinus omisit.* b) Ruodgandus *cod. Haud dubie in ann. Alt. haec scripta erant:* R. e. corpora sanctorum Gorgonii, Naboris et Nazarii de Roma adduxit. *Cf. ann. Weiss. et Staind.* c) *haec verba tantummodo Aventinus ex ann. Altahensibus excerpsit. Cf. M. G. SS. III. p.* 37. d) i. *omisit Aventinus.* e) *sic cod.* f) h. *omisit Aventinus.* g) p. *omisit Aventinus.* h) Pipipinum *Avent.* i) detecta *addit Aventinus.* k) ad Tiniacum *Avent.* l) p. *omisit Aventinus.* m) succedit *Aventinus mendose scripsit. Cf. ann. Quedlinburgenses.* n) *Aventinus in margine adiecit:* Saxones ad gentilitatem revertuntur. *Cf. ann. Quedlinburgenses ad a.* 793 *et Ann. Hildesheimenses.* o) C Pannonia. *Avent.* p) *Aventinus iterum in margine adscripsit:* Saxones ad veterem numinum cultum revertunt. *Cf. adnot.* n. q) d. *omisit Aventinus, supplevi ex Staindelio.* r) censorii (?) *Aventinus suprascripsit.* s) *sic codex.* t) *haec tam negligenter scripta sunt, ut litterae vix discerni possint. Emendationibus abstinui.* u) *in margine Aventinus adiecit:* omnia se subiciendos (?).

50) Cf. Lambertum. 51) Aventinus hoc loco nonnulla omisit de episcopis tunc a Carolo in Saxonia constitutis. Cf. ann. Quedlinburgenses, Lambertum, Annalistam Sax. et Staindelium. Ex mea sententia in annalibus Altahensibus haec fere scripta erant: *Eodem anno Carolus, de Roma reversus in Franciam, divisit terram inter episcopos in Saxonia.* Cf. ea, quae Wolfherius supra ad annum 750 de episcopis in Bavaria constitutis retulit. 52) Cf. annales Laureshamenses ad a. 787 et Einhardi ad a. 788. 53) Cf. annales Lauresham. ad a. 787. 54) Locus memorabilis, qui procul dubio ad annales Altahenses pertinet. Cf. Aventini annales Boiorum p. 308. 311 et Staindelii chronicon ad a 800. Similia referuntur in annalibus Laurissensibus mai. ad a. 800 et in Libro pontificali (Muratori SS III. p. 199).

A Hers 801. Amarmurmulus rex Persarum elephantum mittit.
A. Hild 802. Carolus Boioariam venit[a], legati Avarorum ibi terram subiiciunt.
A Hers. 803. Leo papa in Franciam. Saxones Transalbani translati in Franciam.
A. Hers 805. Carolus iunior Beheimos vastat.
A Hers. 807. Mortalitas Fulda.
A. Hers. A Alam 810. Hohbuoch Albi impositum. Mortalitas boum. Leo papa obiit[55].
A Hers 811. Depositio sancti Liudgeri[56].
A Hers 813. Richolfus archiepiscopus obiit. Pons Mogontiaci incendio perit.
f 9 A. Hers. 815. Lutharius rex in Boiariam mittitur. Baugulfus abbas obiit. Praeceptum, ut omnes monachi cursum Benedicti cantarent.
A Her (817.) 816. Coniurātio Bernhardi contra regem.
f 9 A Hers (81) 817. Synodus Aquisgrani, canonicorum regula instituta.
A Hers (818. 819) 818. Ludovicus[b] Welfi filiam ducit Iudith. Fulda dedicata.
A Hers 819. Liudwit rebellat. Bernhard interiit[57]. Pestis magna boum hoc anno. Scriptus liber miss.[c]
f 10 822. Ludovicus[d] imperator regnum dividit inter filios.
f 11 A Her 824. Ludovicus[e] contra Wormacum[f] regem Britanniae pugnat[e].
f 11' A Her. 825. Wormacus occisus domi suae ab hominibus Lantperti. Heistolfus archiepiscopus obiit[g].
A. Hers. 826. Hiltwinus ossa Sebastiani adfert in Galliam.
f 12 A Hild 827. Barcinonensium et Gerundensium fines depopulati a Saracenis.
f 12 A Al. A Hers 830. Initium basilicae sancti Galli. Imperator deponitur.
A Hers. 831. Bun abbas et Rabanus fundamentum Sancti Wigberti fodiunt.
A Hers 832. Coniuratio Ludovici contra patrem apud Langobardonheim.
A. Hers 833. Regnum conversum Francorum ad Lotharium imperatorem.
A Hers. 834. Pipinus et Ludovicus fratres restituunt Ludovicum patrem in regnum.
f 13 835. Ebo archiepiscopus Remis deponitur, relegatur Hildenesheim, ibi efficitur episcopus[58].
A Hers 836. Ludovicus imperator cum exercitu ad Lehc contra filium Ludovicum[59].
A Hers 838. Coniuratio Ludovici ad Francfurt, regnum conversum est ad patrem eius.
f 13 A Her. 839. Ventus magnus 2.[h] Non. Novembris aedificia stravit.
840. Imperator contra filium venit[i] ad Heroldesfeldt[k] 6. Id. Aprilis. Bun abbas obiit[60].
f 14' A Her 841. Adalpertus comes occisus. Infelix bellum Lutharii contra fratres Carolum et Ludovicum.
f 15 A. Hers 842. Rabanus abbas pulsus de caenobio et Lutharius de regno.
f 15'. A Her 844. Lutharius rex cum orientalibus Francis in Sclaviam, eorum regem Gestimulum occidit, caeteros subegit.
A Hers 845. Heroldesfelt monachi concordati cum Otgario episcopo. Venit huc Ludovicus 2. Kal. Novembris, privilegia dat.
f 16 A Hers. 846. Ludovicus filius Pannoniam subegit, revertens Beheimos vastat.
f 6 A Her 847. Otger archiepiscopus obiit, Rabanus abbas Fuldae succedit[l].
f 17. A Hers. 848. Godoscalc hereticus[m].
A. Hers. A Al (849.) 850. 5. Kal. Novembris templum sancti Wigberti dedicatum a Rabano archiepiscopo. Terrae motus.
f. 18 852. Translatio sancti Lulli in cena Domini 7. Kal. April.[61]
f. 20 20. A. Hers 855. Ludovicus rex cum exercitu magno perrexit[n] contra Razidum regem Marahensium. Lutharius moriturus tonsuram et monachicum habitum suscepit.
f 21. A. Al. 857. Hildigart Ludovici filia obiit. Treveris in templo in sede episcopi canis visus[o. 62].
A Her (859) 858. Ludovicus, Carolus, Lotharius iuramento pacem firmant.
f. 23. A. Hers (858.) 859. Ludovicus filius contra Abotritos[p].
A Hers. 860. Mortalitas animalium.
f 24. A. Hers. 861. Fames validissima. Udo, Ernust, Bernger comites, Waldo abbas depositi.
A. Hers 862. Fames, morbus magnus in Germania[q].
A Hers. 863. Meginradus heremita martyrizatur[63].
f 27 A Her. A. Al. (863.) 865. Subitum diluvium, grando frugibus nocuit. Gens Hunnorum fiunt christiani.
f. 28. A Al. 866. Caroli regis soror Irmingart obiit.
f 28. A. Her. 867. Ventus magnus sternit aedificia.
A. Alam. 868. Cometa; fames, mortalitas subsecuta.
f 29. A Her 869. Lutheri, a Benevento reversus, ob fratris Ludovici discordiam istuc profectus, Romam venit, ibique[r] ab Adriano papa damnatus cum suis pene omnibus periit. Tiedo abbas Fuldae deponitur, succedit Sigihart.
f 30 870. Dividitur regnum inter Ludovicum et Carolum.

a) *Aventinus:* Boiorum; venit, *quod in codice deest, supplevi.* b) L. *deest in codice.* c) *sic Aventinus.* d) L. i. *desunt f.* 10', *leguntur f.* 68. e) L. p. *omisit Aventinus.* f) *sic cod.* g) *post addita sunt ab Aventino in margine:* Ludovicus rex in Boiariam venit. h) *sic cod.* i) v. *omisit Aventinus.* k) *sic cod.* l) *post Aventinus in margine adiecit:* et Hildbinus fit abbas Sancti Germani. *Cf. ann. S. Germani Paris. ad a.* 859 *(M. G. SS. III. p.* 167*) et Galliam christianam VII. col.* 427 *s.* m) *plura ex ann. Alt. omisit Aventinus. Cf. Staindelium ad ann.* 848. n) L. r. c. e. m. p. *omisit Aventinus.* o) *haec iisdem fere verbis et apud Staindelium leguntur.* p) Aebotritos *cod.* q) i. G. *hic Aventinus omisit. Cf. f.* 68. r) R. v. i. *Avent. omisit.*

55) Obiit anno 816. Cf. ann. Einhardi. 56) Obiit anno 809. Cf. Vitam Liudgeri (M. G. SS. II. p. 414). 57) Cf. annales S. Emmerammi maiores M. G. SS. I. p. 93. 58) Cf. chronicon Hildesheimense (M. G. SS. VII. p. 451), Annalistam Sax. ad a. 837 et Staindelium ad a. 835. 59) Cf. Staindelium. 60) Cf. Lambertum ad a. 846. 61) Cf. Lambertum et Staindelium. 62) Cf. ann. Bertinianos ad h. a. (M. G. SS. I. p. 450). 63) Cf. ann. Quedlinburgenses ad a. 860.

871. Thiedo abbas Fuldae obiit. f.31 A.Hers

872. Aestatis fervor nimius, siccitas fruges deperdit, domus cum hominibus pecoribus fulmine concremarunt. f.32 A.Hers

873. Fames magna in Germania[a], locustae. f.33 A.Hers.

875. Ludovicus imperator obiit. Altfrid episcopus Hyldenesheimensis obiit. Brunwart abbati Herfeldensi succedit Druogo. f.36 A.Hers Hi.d

876. Bellum iuxta Andarnacha. Hemma et Carolomannus filius Lutharii obierunt[64]. f.38. A.Hers A. Alam

878. Ecclypsis solis 4. Kal. Novembris. f.39' A. Al. (Weing.)

879. Ludovicus filius Caroli obiit et Carolomannus pater Arnolfi paralysi periit. Marchwalt episcopus Hyldenesheimensis occisus, succedit Wigbertus. f.40 A.Hers. A. Hild (875 880)

885. Wolfheri episcopus cum multis occisus a Sclavis. f.45' A.Her

887. Carolus placitum Triburi habuit, orientales Franci conspirant. f.46' A.Hild

888. Carolus obiit. f.47. A.Hers

889. Ungari ex Scythia egressi. f.47'

890. Liutbert[b] episcopus obiit, Sunderolt successit. f.48. A.Her

891. Sunderolt archiepiscopus occisus est, Hatto infidelis succedit. A. Hers.

892. Hardarat abbas Herveldensis[c] de Roma[65]. Arn episcopus occisus. f.49 A.Her

893. Bellum magnum inter Ungarios et Baioarios[d]. f.50. A.Hers.

896. Arnulphus Romam venit, fit imperator. f.51 A.Her

B. ANNALES INTEGRI.

899.[e] Arnolfus imperator obiit, cui successit filius eius Hludowicus. Ungri Italiam invaserunt et bello vicerunt. f.57. A.Hers. A. Alam

901. Hardarat abbas obiit et electus est Tiothart. A. Hers

902. Sclavi vastaverunt Saxoniam. A. Hers

903. Ebarhart[f] et Adalhart atque Heinrihc occisi sunt. A. Hers

904.

905. Chonradus comes occisus est ab Adalperto cum aliis multis in pago Hassiae. A. Hers

906.* Ungarii vastaverunt Saxoniam. A. Hers.

907. Adalperht comes decollatus est a Ludowico rege, qui fuit filius Arnolfi. Occisio Bawariorum in gentili gladio. A. Hers A. Alam.

908. Liutbolt dux[g] cum aliis multis interfectus est ab Ungariis. Adalperht comes occisus est[66]. A. Hers

909. Burchart dux Thuringorum cum plurimis occisus est ab Ungariis. A. Hers. Al.

910. Ludowicus rex pugnavit contra Ungarios. A. Hers

911. Ungarii vastaverunt Franciam atque Thuringiam. Proelium cum Ungariis[67] ad Liuhhinga[68]. A. Hers.

912. Ludowicus iunior rex obiit, Chonratum regnaturum relinquens. A. Hers.

913. Hatto archiepiscopus obiit, cui successit Heriger[h]. A. Hers

914. Oldo Saxonicus comes mortuus est. A. Hers.

915. Ungarii vastantes omnia venere usque Fuldam. A. Hers

916.[i]

917[k]

918. Chonradus rex fuit in Herfelde. A. Hers

919. Chonradus rex obiit, et Heinricus Saxonicus successit in regnum. Peratolt et Herchanger decollati sunt. A Hers A. Al. (Aug.)

920.

921.

922.

923. Haico abbas[69] obiit et Hildibrat electus est. A. Hild

924. Heriger archiepiscopus obiit[l]. A. Hers.

925.

926. Purchard dux occidit. A Al. (Aug.)

927. Thiothart iunior abbas[70] electus est cum consensu senioris. A Hers

928.[m] Idem Thiothart iunior episcopus ordinatus est et Burchard abbas electus. f.57' A Her

929.

930. Thiothart senior abbas obiit. A Hers

931. Henricus rex Abotritos subegit. A. Hers

932. Henricus rex fuit in Lonsicin. Thiotho episcopus obiit, successit Burchart. A. Hers

933. Megingoz abbas eligebatur. A. Hers.

934. Heinricus rex in Wocronin fuit cum exercitu. A. Hers.

935. Magna synodus in Erpesfurt. Henricus rex obiit, Oto filius succedit. Hagano abbas Herfeldensis electus. A. Hers

a) i. G. *hic Aventinus omisit. Cf. f.* 68. b) Liutbrant *Avent.* c) Helveldensis *Avent.* d) Boios *Avent. Staindelius correxit* Moravos *pro* Ungarios. e) *quae sequuntur, Aventini librarius scripsit.* f) Erbarhart *cod.* g) *in margine Aventinus:* suprascriptum pater Arnulphi ducis Boiorum. *Cf. auctarium Ekkehardi et Staindelium.* h) Hering *cod.* i) *Aventinus post inscripsit:* Chunradus Boios intrat, pellitur Arionulphus. Altheim synodus. k) *Aventinus post inscripsit:* Arnulphus acquisivit Boios et Ratisbonam, Eberhardo fugato. l) o. *librarius omisit.* m) *ipse Aventinus scripsit ea, quae sequuntur.*

64) Cf. ann. Alam. contin. Sangall. I. cod. Sirmond. 65) Cf. annales Weissenburgenses et Lambertum. 66) Annalista eadem, diversis subsidiis usus, bis adnotat. 67) Cf. annales Ratisponenses ad a. 911 (M. G. SS. XVIII. 583.) 68) Loiching ad Isaram supra Dingolfing quondam erat curtis regalis. Cf. diploma Caroli Crassi in Mon. Boic. XXXI, 1. p. 117. 69) Fuldensis. 70) Hersfeldensis.

A. Hers. 936. Oto rex fuit in Herfelde. Ecclesia sancti Bonifacii exusta.

A. Hers. 937. Eberhart comes Henricum fratrem Otonis captum coniecit in vincula.

A. Hers. 938. Ebarhart et Gisalperht occisi.

A. Al. (Aug.) 939. Oto rex Brisacham obsedit. Eberhardus occisus est, Giselbertus[a] submersus.

940.

941.

942.

A. Hers. 943. Praelium cum Ungariis in Weles et occisi[b] sunt a Bawaris[71]. Synodus ad Bunnam.

944. Albwinus presbyter monachus, religiosus vir, obiit 13. Kal. Aprilis[c].

A. Hers. 945. Nuncii Graecorum in Saxoniam ad regem venerunt cum muneribus maximis in vigilia omnium sanctorum.

946.

947. 7. Kal. Febr. Ethit[d] regina obiit.

A. Hers. 948. Peratholdus dux obiit[72]. Synodus in Engilenheim, Marinus apostolicus legatus praesędit.

A. Hers. A. Al. (Sang.) 949. Praelium cum Ungariis in Lŏa[73]. Chonradus dux ducit filiam Otonis. Nuncii Graecorum secundo veniunt cum muneribus preciosissimis ad regem in festo omnium sanctorum. Herimannus dux obiit Suevus[e].

A. Hers. A. Al. (?) 950. Bellum magnum inter Baioarios[f] et Ungaros. Liutolfo Alemannia committitur.

A. Hers. 951. Otdo rex in Italiam, cum eo filius Liutolfus et Chunradus dux, Fridurícus archiepiscopus Mogontinus, Adelheidam reginam ducit, Berngerum regem Italiae subiecit.

f. 58. A. Al. (?) 952. Liutolfus Italiam invasit[74].

A. Hers. 953. Dissensio inter Liutolfum et patruum Henricum, ipso rege partes fratris iuvante, durat duobus annis incendiis, caedibus, rapinis. Multi non solum de populo, sed et optimatibus occubuerunt. Mogontia obsessa et civitas Rossodal, ubi magnum bellum factum[75].

A. Hers. 954.[g] Fridurícus archiepiscopus Mogontiacensis ecclesiae obiit, summae abstinentiae vir, in religione sancta et doctrina probatus, et Willihelmus successit in locum suum, filius regis.

A. Hers. 955. Otdo rex Ungarios cum magno periculo sui suorumque magna et cruenta cede prostravit, in quo tamen bello Chonradus dux cum aliis multis occisus est, et Heinricus dux Bawariorum, frater regis Otdonis, obiit. Sed et rex Otdo periculosissime contra Abotritos conflixit, quos filius materterae eius Egberht contra illum congregavit.

A. Hers. A. Al. (?) 956. Ruotpertus Treverensis ecclesie episcopus et Hadumarus abbas Fuldensis coenobii obierunt, quibus Henricus episcopus et Hatto abbas successerunt. In eodem anno Liutolfus, filius regis, perrexit in Italiam eamque subegit imperio suo fugatoque Perengario Papiam intravit[76].

A. Hers. 957. Liutolfus in Italia mortuus est et inde ad Mogontiam transportatus ad Sanctum Albanum sepultus est.

A. Hers. 958. Signum crucis in vestimentis hominum apparuit illis, qui derisui illud habebant, mortem inferens, aliis autem pie et relligiose illud venerantibus nihil mali intulit.

A. Hers. 959. Hagano abbas reliquit dominium sui honoris propter infirmitatem sui corporis, et eo vivente electus est Guntherus cum consensu fratrum in locum suum, et patriarcha[77] fuit in Heroldesfelde.

A. Hers. f. 58′ 960. Venere Rusciae gentis legati ad regem Otdonem et deprecati sunt eum, ut aliquem episcoporum suorum transmitteret, qui eis ostenderet viam veritatis, et professi sunt, se velle recedere a paganico ritu et accipere religionem christianitatis. Et ille consensit peticioni eorum et transmisit ad illos Adalpertum episcopum fide catholicum. Illique mentiti sunt per omnia, sicut etiam postea eventus rei probavit, ut vix ille praedictus episcopus evaserit letale periculum ab insidiis eorum.

A. Hers. 961. Otdo rex a Ioanne papa Romam ad mitigandam arrogantiam Adalberti regis invitatur, et eodem anno Oddo iussu patris Oddonis rex factus est.

962. Oddo maior Italia subacta, Berengario obsesso, Adalberto fugato a Ioanne papa imperator effectus est cum summo Romanorum tripudio.

A. Hild. 963. Iohannes, ab imperatore deficiens, Adalbertum recepit, imperator vero, regrediens Romam, sinodum cum episcopis habuit et, Ioanne fuga lapso, Leonem in sedem apostolicam collocavit[h]. Ipso anno seva mortalitas invasit exercitum imperatoris et in ea Heinricus archiepiscopus Trevericae civitatis et dux Gotefridus vitam perdidere caeterique non pauci.

a) Giselfredus *cod.* b) occi *cod.* c) *diem Aventinus post addidit.* d) Ethet *cod.* e) S. *post ab Aventino additum.* f) Boios *Avent.* g) *pergit Aventini librarius.* h) collocante *cod.*

71) Cf. annales S. Emmerammi ad a. 945, Cont. Regin. ad an. 944, annales Ratisponenses ad an. 943, auctarium Ekkehardi ad an. 942. 72) Cf. Cont. Reg. ad a. 945, annales S. Emmerammi ad a. 947, annales Ratisponenses ad a. 949. 73) Cf. annales Ratisponenses ad a. 950: *Interfectio Bawarorum ad Lova* et privilegium Ludovici Infantis d. d. 16. Maii 905, quo cuidam Immoni donatur hoba *prope aquam, quae dicitur Lova,* in comitatu Liutpoldi (M. Boic. XXXI, 1. p. 175). Maioris et minoris Luae in pago Nortgowe mentionem facit diploma Heinrici III. imperatoris (Mon. Boic. XXXI, 1. p. 320). Sed ad illum rivum in palatinatu superiore, qui hodie Luhe appellatur, proelium cum Ungaris tunc commissum esse statui vix potest. Cum in Bavaria nomina Loh, Luh, Lohen plurimis locis indita sint, inprimis tamen vetustissimae villae Lohe, in parochia Stephansposching haud procul a Straubing sitae, rationem habendam esse Comes Hector de Hundt, vir de rebus Bavaricis optime meritus, perbenigne me docuit. 74) Pertinet ad annum 951. Cf. ann. Heremi ad an. 951 et Herimannum Augiensem ad an. 952. 75) Verba scriptoris ab Aventino paululum mutata sunt, ut apud Staindelium videmus. In annalibus Altahensibus scripta erant haec: *civitas, quae nominatur Rossodal, factumque est magnum bellum in illo loco.* 76) Cf. annales Heremi et Herimannum Augiensem. 77) Aquileiensis. Cf. ann. Weissenb.

964. Imperatore natale Domini Romae agente[78], Bernharius[a] capitur. Imperatori a Romanis mors machinatur, quae tamen machinatio ad velle eius honorifice sedatur. Imperator Roma egreditur; Leo papa a Romanis eicitur, Iohannes reponitur, quo mortuo Benedictus eligitur. Imperatore Romam remeante, populus Romanus vincitur, Benedictus papa Adaldago Hammaburgensi episcopo committitur, paulo post moritur[79]. Eodem igitur anno Berenhardus[b] rex Langobardorum obsessus est in monte sancti Leonis, ibique captus et cum vi deductus una cum regina eius cohabitatrice Willa in Bawariam ad castellum Babinberg, ibique novissimum diem praesentis vitae finivit. A Hers.

965. Otdo imperator de Langobardia venit ad Franconofurt et illum annum integrum in isto regno manebat, interimque[c] omnes suos adunavit ad pacem et concordiam. Et Brun archiepiscopus Agrippinae civitatis, frater imperatoris[d], vitam cum pace finivit. A Hers.

966. Iterum abiit Otdo imperator tertia vice ad Italiam, indeque adiens limina sancti Petri principis apostolorum, et illic Deo et sancto Petro supplicando gratiarum actiones referens, eo quod cuncta, quae erant erga eum, prospero cursu agebantur. f 59 A Hers.

967. Hoc anno transmisit Otdo imperator legatos suos ad Willihelmum archiepiscopum Mogontie, misit et ad alios principes eius, ut Otdonem filium suum cum omni regali dignitate proveherent ad Italiam. Illicque Otdo senior suscepit eum et secum deduxit Romam commendavitque illum apostolico[e] Ioanni posteriori, ut ab eo augustalem benedictionem recepisset, ut imperator augustus foret appellatus a cunctis, qui eum agnovissent, sicut pater eius. A. Hers.

968. Migravit a saeculo Willihalmus archiepiscopus. Egilolfus Herveldensis abbas[f] transmissus est ex parte imperatoris de Italia, ut fratres Fuldenses Werinherum eligerent ad abbatem, indeque adiit[g] Mogontiam, ut ille clerus simulque totus populus Hatdonem, virum venerabilem, sibi constituerent in dominium pontificalis honoris. Adalbertus primus episcopus in Magadaburg constituitur. A Hers

969. Hatdo archiepiscopus obiit, et Ruodpertus electus est in locum eius. A Hers

970. In isto anno Egilolfus abbas novissimum diem huius praesentis vitae clausit, et heu pro dolor non longe post novem monachorum Herfeldensium vitam finiere, et eodem anno Gozpertus electus est cum communi consilio fratrum Deum timentium. A Hers

971. Exustum est honorabile templum in Torenburc cum omni regali thesauro 6. Kal. Ian. A Hers

972. Otdoni gloriosissimo imperatori missa est filia imperatoris de Graecia suo filio item imperatori maritali connubio ac procreatione posteritatis sibi copulanda 18. Kal. Mai. Romam die dominica prima post resurrectionem Domini, et eodem die extemplo apostolica benedictione fiebat dignificata ac post tercia nocte cum divino timore naturaliter illi coniuncta. In eodem anno Otdo imperator augustus venit de Langobardia[h] et filius eius cum eo in Franciam. A Hers; f 59'.

973.[i] Otdo imperator maior et filius eius Oto item imperator cum imperatricibus 14. Kal. April Quidilingaburg venerunt, ibi diem paschalem[k] celebrant, is contigit 10. Kal. April. Illuc venere legati Graecorum Beneventorum cum muneribus, 12 primates Ungarorum, Bulgariorum duo; etiam legati ducis Haroldi, quem putabant resistere imperatori, omnia sua deditioni Otonis subiiciunt cum statuto vectigali. Boneszlawo [dux Sclavienus] regiis[l] eum inumerabiliter donans illuc venit muneribus. Miszego etiam dux[l] Sclavienus, terrore compulsus, filium mittit obsidem. Herimannus etiam dux sibi dilectissimus secum adventando argento, auro, aliis regiis muneribus prae caeteris illum honestavit. Inde abit in Thoringeam, ad Mimileiba obiit Nonis Maii, corpus Magaedaburg delatum. Occisus Werinzo, frater eius Reginzo de Lotheringea cum aliis multis a Reginherio et Lantperto. Sanctus Udalricus obiit. A. Hers; A Alam. (Sang. mai.)

974. Coeperunt filii Reginherii munire castellum Boscubt[80]. Interim audivit[m] imperator noster discordiam et periculum regni sui, adunavit suum exercitum pergitque ad Lutheringeam[n] ipsumque castellum concremavit et custodes aprehendit in Saxoniamque secum duxit, ipsi tamen domini Reginherius et Lantpertus evaserunt. Eodem anno Heinricus dux Bawariorum[o] et Abraam episcopus inierunt consilium cum Bolizlavone et Misigone, quomodo imperatori suum regnum disperderent; et hoc quidem tam infaeliciter fuit disputatum, ut[p] si divina miseratio non provideret et insuper ingenium Berahtoldi non disperderet, pene tota Europa destituta atque deleta esset. Igitur imperator, tali nefando comperto consilio, congregavit omnes principes suos et interrogavit eos, quid inde facturus esset. Illique invenerunt, ut Bobbonem episcopum et Gebehardum comitem transmitterent ad praedictum ducem et eum vocarent ad suum placitum per edictum et omnes, qui cum eo erant in eadem conspiratione, et si minime venire vellent ac in tali pertinacia voluissent perdurare, tunc demum procul dubio sciant se A. Hers.

a) *sic codex.* b) *sic cod.* c) Interim quod *cod.* d) f. i. A. c. *cod.* e) a. *omisit librarius, legitur apud Steindelium.* f) a. *omissum in cod., legitur apud Staindelium.* g) abiit *cod.* h) Longobardia *cod.* i) *notas ad hunc annum Aventinus ipse scripsit.* k) ibi paschalia *Aventinus;* diem dominicae resurrectionis *Staindel.* l) regiis — dux *signo apposito post* Boneszlawo *in margine a librario Aventini addita sunt;* dux *repetitur, cum etiam in contextu legatur. Haud dubie in archetypo scriptum erat:* Boneszlawo dux Sclavienus regiis — — Miszego etiam dux Sclavienus. *Eodem enim modo in excerptis f. 68 haec leguntur:* Bonezlavus dux Sclavienus. Misego dux Sclavienus filium obsidem misit. m) *abhinc librarius Aventinum excipit.* n) *sic cod.* o) Bawarioriorum *cod* p) ut *deest in codice.*

78) Cf. annales Heremi. 79) Cf. ann. Hild. ad an. 963. 80) Bossut, prope S. Ghislain.

esse spiritali gladio[a] peremptos. Enimvero Heinricus dux illico, ut audivit legationem eorum, Domino opitulante sine ulla dilatione se praesentavit domino imperatori cum eis omnibus, qui erant in eo consilio, ut ille ex eis fecisset, quicquid sibi placuisset. Continuo [f. 60] transmisit ducem Ingelemheim[b] atque Abrahamum episcopum Corobiae[c], alios quoque huc et illuc. Antequam haec omnia finirentur, Haroldus rex Danorum, incentor malorum, omnem provinciam trans flumen Albiae concremavit atque vastavit. Cumque hoc nunciatum fuisset Otdoni imperatori, adunavit suum exercitum, adiensque ad Haroldum, eique[d] grande bellum voluit inferre. Attamen Haroldus misit nuncios suos ad imperatorem eique expendit omnem thesaurum, ut eum in pace dimisisset. Imperator igitur, nunciis irritatus, reversus est ad suam regionem, ut talem exercitum congregaret, quo nisus[e] potuisset contra ire. Postquam Haroldus rex misit filium suum dominanti[f] ad obsidem omnemque thesaurum, quem habuit, insuperque promisit illi censum dare, quem antea dedit; tunc cessavit imperator suae sevitiae, Haroldum[g] in pace dimisit[81].

A. Hers. 975. Otdo habuit magnum conventum in Weihmari. Eodem anno Otdo imperator Boemos concremavit atque vastavit. Postea venit Otdo imperator ad Heroldesvelde. Boemanni familiam sancti Mauricii occiderunt. Hiems dura longa fit[h].

A. Hild. 976. Otdo imperator adunavit suum exercitum, adiensque ad Bawariam[i] Heinricum ducem consecutus est, eo quod iniuste vindicavit dominium domini sui imperatoris. Cumque imperator venisset illuc, episcopi ac comites Bawarii[k] venere cito ad suam praesentiam, [A. Hers.] ipse dux evasit. Altera vice perrexit Otdo imperator ad Bawariam, Heinricum ducem expulit, patriamque Otdoni duci Suevorum commendavit[82].

A. Hers. 977. Otdo imperator iunior in Boheima[l] duxit exercitum et maximam partem terrae illorum[m] incendio vastavit. Ipse quoque imperator ibi non parvam partem militum exercitus per fraudes et insidias provincialium amisit. Lues autem dissenteriae exercitum multum vastabat. Venit ergo ad imperatorem Bolizlawo cum paucis pacifice, per amicos suos et per semet ipsum supplicans, ut domum rediret, fideliter promittens, se cito secuturum cum muneribus et donis sibi congruis, et sui deditionem et totius gentis suae deditionem et subiectionem, quod et impetratum. Commorante imperatore in illis regionibus Heinricus et alter eiusdem nominis, nepos [f. 60'] eius, invaserant Bazzowam[n]. Quod ut audivit, festinato exercitum[o] movit atque urbem obsedit, et Heinricum ducem[p] naviculari ponte facto et longa obsidione atque amicorum suorum invitatione ad deditionem coegit et in gratiam suam recepit, et sic militem solvit ipseque ad Saxoniam perrexit.

A. Hers. 978. Venit Bolizlavo[q] ad imperatorem in sancto pascha, ut promisit, et honorifice per primates regni susceptus et cum honore habitus et magnifice regalibus muneribus honoratus, fide facta, cum pace dimissus, domum rediit. Aderat et Heinricus et ille alius eiusdem nominis, et comprehensi sunt atque in exilium missi[r]. Hoc etiam anno Lotharius rex hortatu et consilio filiorum Reginharii, qui fuit princeps et dux in regno Lotharii, cum electo numero militum repente invasit Aquisgrani palatium, seditque tribus diebus ibi, ordinans atque constituens, quae sibi congrua videbantur. Quod imperatorem, ut audivit, multum movit, et cum festinatione omnes vires regni sui coadunavit, et insecutus est[s] eum usque ad fluvium Sigonem[t] et usque ad monasterium sancti Dionisii, et eum non apprehendit, quia fugiendo evasit[83]. Revertente autem exercitu ventum est ad fluvium Asna[84], et transvadato fluvio castra posuere, et relictis in alia ripa fluminis victualibus cum plaustris et carucis et pene omnibus utensilibus, quae exercitui erant necessaria, et ecce repente filii Reginharii cum exercitu regis Lotharii irruunt et multos ex custodibus occiderunt, et quicquid secum asportare poterant, diripiebant, multum damnum exercitui inferentes[85].

A. Hild. 979. Infidelitas Geronis comitis per Waldonem publicatur, unde ipsi Magadaburc, grave duellum interserentes, ambo procubuerunt.

f. 61. A. Hers. A. Hild. 980. Imperator Otdo iunior[u] perrexit ad Langobardiam. Lotharius rex cum magnis muneribus ad imperatorem venit seseque cum filio suo imperatori subdidit.

a) esse *mendose iteratur in codice.* b) *sic codex.* c) *sic codex et Staindelius.* d) *sic codex et Staindelius.* e) q° n°. *cod. Emendavi, sed correctione mihi ipse vix satisfeci.* f) domnti *cod. Pertz emendavit.* g) Hardoldum *cod.* h) H. d. l. f. *in margine librarius addidit.* i) *sic Staindelius;* Bawariorum *cod.* k) Bavarii *cod.;* Bavarie *Staindel.* l) *sic codex;* Boemiam *Staindel.* m) *sic codex. Ann. Weiss. et Lambertus:* illius. n) Bazzowa *cod.* o) exercitu *cod.;* exercitum *Staindel.* p) e. H d. *desunt in codice et apud Staindelium. Cf. Lambertum.* q) Bolizlao *cod.* r) *Staindelii verba, quae in editione Oefeliana omissa sunt, ad litteram cum codice Aventiniano conveniunt.* s) e. *deest in codice.* t) *codex et Staindelius:* Ligera. *Correxi ex Lamberto.* u) O. i. *supra scripta in cod.*

81) Cf. Lambertum. 82) Cf. Lambertum. 83) Cf. Lambertum et ann. Ottenbur. 84) Aisne. 85) Cf. Gesta episcoporum Cameracensium I. c. 98 (M. G. SS. VII. p. 441).

981. Adalpertus Magadaburgensis archiepiscopus obiit, cui successit Gisilharius. Imperator natale Christi Romae celebravit[85]. A. Hers

982. Destructus est episcopatus in Mersiburc et eodem anno mirae magnitudinis edificium cecidit in[a] Magadaburc. A. Hers. Hoc anno pugnavit imperator iuxta mare Sicilicum cum Sarracenis et Mauris, in quo proelio Cf A. Hild. scrinia cum reliquis sanctorum, pro dolor, amisit, episcopis, capellanis, tribunis et pene omnibus qui interfuere comitibus interfectis. Cum vero imperator suorum fugam Sarracenorumque conspiceret audaciam, arma proiecit, vestimenta exuit seque in vicinum mare[b] praecipitem dedit, in quo dum incertus sui diu circumnatando laboraret, Dei ordinatione adversariorum quidam navigantes advenerunt eumque iam mergentem in navim levaverunt. Ibi, ut aiunt, simulavit, se non esse qui erat, dicens, se unum esse de militibus imperatoris. Cumque in hunc modum mutuos cum adversariis sermones conferret, subito mari insiliens ad proximum transnatavit littus, mirabili Dei adiutorio liberatus. Milites autem, qui belli periculum evaserunt, alii fame, alii nimio aestatis fervore perierunt. Eodem anno Otdo Cf A. Hild nepos imperatoris et dux Bawariorum et Werinheri abbas Fuldensium, cum caesaris licentia domum reversi, in Italia vitam finierunt. Otdoni successit Heinricus et Werinhario[c] Branthogus[86].

983.[d] Inter Sclavos et Saxones seditio, Sclavis Saxones persequentibus, ecclesias, caenobia multasque urbes destruentibus. Boppo Wirzpurgensis episcopus obiit, successit Hugo. Otdo imperator dissenteria Romae 6. Idus Decembris[e] perit, in templo sancti Petri sepelitur.

984. Otdo, filiolus Otdonis, fit rex in die natali Domini. Gozpertus abbas[87] deponitur, succedit Berenharius electione. fol. 61'. A. Hild A. Hers.

985. Chunradus comes Alemaniam sibi vendicat. Saxones Sclaviam[f] vastant. A. Alam. (?) A. Hild.

986. Oddo rex puer cum magno exercitu Sclaviam vastat et ibi Misaconem obvium habuit cum exercitu et muneribus. A. Hild.

987. Iterum Saxones coegerunt ipsos Sclavos ad deditionem. A. Hild.

988. Aestatis fervor nimius. A. Hild.

989. Henricus dux Karintanorum obiit[88]. Theophana imperatrix Romam perrexit, omnem regionem illam imperatori[g] subdidit. A. Hild.

990. Erchanpertus fit abbas. Regularis vita in Altahensi monasterio restauratur. Eclypsis solis. A. Hild.

991. Gotehardus diaconus monachus fit. Ignis de Rheno ascendit, villas prope ripam consumpsit[89]. A Hild.

992. Theophana imperatrix obiit. Oddo rex Brandaburg obsedit. A.Hild. (991)

993.

994. Sanctus Wolfkangus episcopus obiit[90], cui Gebehardus successit[h]. Filii Henrici comitis, Henricus, Udo, Sigefridus, contra pyratas navali proelio pugnabant, ex quibus Udo interfectus, alii duo capti, Henricus autem, filio et militibus obsidibus datis, pro colligenda pecunia, qua redimerentur, dimittitur. Sigefridus vero clam nocte aufugit, unde illi irati obsides truncatos reiecerunt[91]. A. Hild.

995. Henricus dux obiit, et filius eius ducatum obtinuit[92]. Maiolus abbas obiit[93]. Oddo rex Abodritos vastat. A. Hild A. Hers. (?) A. Hild.

996. Oddo rex ad mitigandam saevitiam Crescentii Romam invitatur. Defuncto papa, Brunonem, Oddonis ducis filium, papam dat, a quo et ipse imperialem[i] accepit coronam, Crescentio vero maiestatis reo ad preces papae vitam permisit. A. Hild.

997. Gotehardus abbas fit[94]. Adalbertus episcopus martirizatur. Iohannes Placentinus praesul contra Oddonem imperatorem sedem apostolicam invasit Crescentio consiliante. f.62. A.Hers. A Hild.

998. Mulier in Altahensi familia monasterii enixa est simul quinque filios. Predictus invasor Iohannes, ab imperatore Otdone caecatus, naso[k] truncatus deponitur. Crescentius, decollatus cum duodecim suis, ante urbem Romam suspenditur. A. Hild.

999. Adalheid imperatrix obiit. Bruno papa obiit, succedit Gerbertus. A. Hild.

a) in *omissum in codice, apud Staindelium legitur.* b) se *iteratum in codice.* c) Werihario *cod.* d) *quae sequuntur usque ad annum* 1027, *Aventinus ipse exaravit.* e) 6. I. D. *Aventinus in margine adiecit. Cf. Staindelium.* f) Sclaviam *suprascriptum pro* Sclavos. g) imperio *Staindel.* h) c. G. s. *omisit Aventinus. Supplevi ex Staindelio. Cf. Lambertum et auctarium Ekkehardi.* i) imperaialem *cod.* k) nasu *cod.;* naso *Staindelius.*

85) Error. In ann. Hildesh. ad a. 981 haec leguntur: *Imperator pascha celebravit Romae.* 86) Cf. Lambertum. 87) Hersfeldensis. 88) Cf. abhinc auctarium Ekkehardi (M. G. SS. XVII. p. 363. 364), ubi nonnulla ex nostris annalibus deprompta sunt. 89) Cf. Lambertum. 90) Cf. annales S. Emmerammi (M. G. SS. I, 94. XVII, 571). 91) Cf. Thietmarum IV. c. 16. 92) Cf. annales Heremi et Ratisponenses. 93) Cf. Lambertum. 94) Cf. Lambertum ad an. 996.

A. Hild. 1000. Ramuoldus abbas[1] obiit. Imperator causa oracionis ad sanctum Adalbertum[a] episcopum et[b] martyrem Sclaviam intrat, ibi synodo habita septem episcopia disposuit et Gaudentium, fratrem beati Adalberti, monachum archiepiscopum ordinari iussit. Inde reversus palmas Magaedaburg, pasca Quitilingaburg egit. Aquisgrani magni imperatoris Caroli ossa, a pluribus inscita[2], quaesivit. Inde Romam ivit.

A. Hild. 1001. Otdo imperator III. natale Domini Romae celebrat.

A. Hild. 1002. Otdo III. imperator obiit 10. Kal. Februarii[c], cui Heinricus dux Bawariorum succedit feliciter.

A. Hild. 1003. Incendium Papiae[d, 3]. Stephanus rex Ungaricus super avunculum suum Iulum regem cum exercitu venit, quem cum adprehendisset cum uxore ac duobus eius filiis, regnum vi ad christianismum compulit. Et castellum
A. Hild. Chrusna[4] destructum est. Henricus, Berhtholdi comitis filius, et Bruno frater regis amboque Bolizlavones, Bolianicus et Boemicus, a rege deficiunt. Sed et Henricus, ad regem refugiens, in Gibicanstein custodiae mancipatur.

A. Hild. 1004. Incendium Papiae.

A. Hild. 1005. Bernharius abbas[5] obiit, succedit Gothehardus abbas[6].

f. 62'. A. Hild. 1006. Valida fames. Guntharius monachus factus est.

Cf. A. Hild. 1007. Bernwardus Hyldenesheimensis episcopus Gandenesheimense monasterium dedicat, et Willigisus archiepiscopus conflictum, quem hactenus contra Hildenesheimenses exercuit impudenter, ibi in praesentia imperatoris et episcoporum aliorumque principum finit, nostroque episcopo in suae abrenunciationis testimonium episcopalem ferulam tradidit[7], et usque apud nos[8] retinetur. Expeditio ad Gent. Baldwin dux[e] Henrici regis dominatui substernitur[9].

A. Hild. 1008. Guntharius heremum inhabitare cepit.

1009. Mettis ab Henrico obsidetur[10] et Sarebrugka debellatur.

1010. Expeditio ad Sclavos, ex qua rex infirmatus cum quibusdam revertitur[11].

A. Hild. 1011. Willigisus archiepiscopus obiit, succedit Erchanbaldus abbas. Expeditio iterum in Lutheringas[f, 12].

A. Hild. 1012. Hermannus dux Alemanniae obiit. Metensis civitas iterum obsessa[13]. Gothehardus abbas, relicta Hersveldia, remeat ad[g] Altaha. Sanctus Colemannus apud Stokarawe patitur, marchione Henrico in Austria, patre[14] Adalberti marchionis[15].

A. Hild. 1013. Ingens eruptio aquarum[16]. Christianus Bataviensis episcopus obiit, succedit Berengerus. Incendium Hildinesheimensis ecclesiae, quo ingens librorum congeries cum optimis missalibus interiit.

Cf. A. Hild. 1014. Henricus fit imperator Romae 16. Kal. Martii.

A. Hild. 1015. Ernust, dux Alemannorum, in venatione ingratis sagittatus interiit, et Lantpertus infestissimus proeliator dignissima talione cruentae[h] caedis obcubuit. Expeditio domini imperatoris contra Bolizlaum.

A. Hild. 1016. Magnae molis grando venit et[i] plurimi fulmine exusti perierunt[k].

1017.

f. 63. A. Hild. 1018. Henricus marchio Austriae[l] subito periit, succedit Adalbertus[m] filius[17].

1019.

1020. Benedictus VIII. papa, ab imperatore Babinperc vocatus, advenit[18]. In multis terrarum locis multa et magna incendia[19].

A. Hild. 1021. Ingens terrae motus 4. Idus Mai.[20] hora 10. diei feria sexta post ascensionem Domini, et quasi duo soles visi 10. Kal. Iulii.

A. Hild. 1022. Bernwardus episcopus obiit, succedit Gothehardus, abbas Altahensis, monachus[n] sanctitate vitae.

1023. Ecclypsis lunae ter illo uno[o] anno, ecclypsis solis post natale Domini hora
A. Hild. decima diei. Wolframmus fit abbas Altahensis.

A. Hild. 1024. Henricus imperator obiit. Benedictus papa obiit, frater eius succedit[20*]. Chunradus rex factus est.

a) Albertum *cod.* b) e. e. *quae Aventinus omisit, leguntur apud Staindelium.* c) 10. K. F. *Aventinus in margine adiecit, cf. Staindelium.* d) *in margine* Babobergae. e) rex *in codice, quod correxi.* f) *sic cod.* g) ad *omisit Aventinus, legitur apud Staindelium.* h) cruentis *cod.*; cruentae *Staindelius.* i) ve. e. *quae Aventinus omisit, ex Staindelio supplevi. Cf. ann. Hild.* k) p. *in codice omissum supplevi ex Staindelio. Cf. ann. Hild.* l) A. *suprascriptum.* m) Albertus *cod. et Staindel.*; Adalbertus *Auctarium Ekkehardi.* n) monasterii *Staindel.* o) u. *post deletum.*

1) S. Emmerammi. Cf. annales S. Emmerammi Ratisb. et annales brevissimos eiusdem monasterii. 2) Cf. Lambertum. 3) Cf. a. 1004. 4) Creussen. Cf. Thietmarum V. c. 21. 5) Hersfeldensis. 6) Altahensis. 7) *In testimonium huius abrenuntiationis ferulam episcopalem domno Bernwardo tradidit.* Vita Bernwardi c. 43. Cf. Wolfherium in Vita Godehardi post. c. 17. 8) i. e. Hildesheimenses. 9) Cf. Thietmarum VI. c. 22. 10) Cf. Thietm. VI. c. 28. 11) Cf. Thietm. VI. c. 38. 12) De hac expeditione nihil compertum habemus. 13) Cf. Thietm. VI. c. 46. 49. 14) Error. Adalbertus frater Heinrici marchionis erat. 15) Cf. Thietm. VII. c. 54, Passionem Cholomanni (M. G. SS. IV, 675), annales Mellicenses (M. G. SS. IX, 497). 16) Cf. annales Quedlinburgenses (M. G. SS. III, 82), Passsionem Cholomanni (l. c. 676), annales Ratisponenses (M. G. XVII. p. 584). 17) Cf. supra ad a. 1012. 18) Cf. Annales Quedlinburgenses et Herimannum Augiensem. 19) Haec et notae ad annum sequentem ad litteram in chron. Hung. (Schwandtner SS. rer. Hung. I. p. 119) descripta sunt. 20) Cf. annales Ratisponenses. 20*) Cf. Herimannum Aug.

1025.

1026. Chonradi regis filius Henricus rex factus est. Wolframmus abbas subito obiit. Synodus in Saliginstat inter episcopos Aribonem Mogontinum et Gothehardum Hyldenesheimensem[21]. A. Hild.

1027. Chonradus rex imperator factus est, et filius eius rex dux Bawariae constituitur. Ratmundus abbas fit Altahensis[22]. A. Hild

1028.

1029.[a] Brun Augustae civitatis episcopus obiit, cui Eppo succedit. Sinodus in Palithi inter praedictos episcopos praesente[b] imperatore de Gandenesheimensi parrochia. f. 63'. A. Hild.

1030. Chonradus imperator in Ungariam cum exercitu properans natali sancti Albani in dominica die in monasterio Altahensi pernoctavit. Rediit autem de Ungaria sine militia et in nullo proficiens, ideo[c] quod exercitus fame periclitabatur, et Vienni[d] ab Ungris capiebatur[23]. A. Hild.
Arnolfus[e] Herfeldensis[f] abbas deponitur et Partho subrogatur. A. Hild. (1031.)

1031. Aribo archiepiscopus obiit, cui Partho abbas succedit. Imperator cum parva Saxonum manu Sclaviam autumnali tempore invasit et Misiconem, diu sibi ante rebellem, Lusizi[g] regionem cum aliquot urbibus et praeda, quae priori anno[24] facta est, sibi restituere et cum iuramento pacem firmare coegit. Eodem vero anno eundem Misaconem Bezbrien, frater eius, de Pollonia eiecit et in Beheim ad Udalricum ducem fugere fecit. Hoc anno in Premun facta est medio die et claro inter sollemnia missarum tenebrosa calligo et fluvius fundotenus[h] divisus. A. Hild.

1032. Bezbriem a suis occisus, Misaco ab imperatore est in locum restitutus. Udalricus dux Boemiae reus maiestatis inventus exilio damnatur, cuius filius, nomine Bratizla, suscepto ducatu patris, ab imperatore rebellans, Heinrici regis expeditione ad eum facta subicitur. Mons quidam in pago Salzpurgensi, ultra spatium quinque stadiorum decidens, casu suo inter terminos lites compescuit. A. Hild.

II. PARS ALTERA AUCTORE MONACHO ALTAHENSI.

1033.

Ventus cum turbine multa stravit edificia, naves multae submersae sunt, nonnulli periere[i] fulmine. Monasterium Altahense post 302.[k] edificationis suae annum 4. Non. Martii cum caeteris edificiis consumitur[25]. Imperator nativitatem Domini Potherbrunno feriavit[26]. Eodem anno Heinricus rex et dux Bawariorum veniens[l] in Ungariam et pace firmata cum rege Ungarorum reversus est in propria. Filius autem Stephani regis Ungarorum post non multum temporis obiit[27], qui dictus fuerat Heinricus et est canonizatus[28].

1034.

Rogatu domini Guntharii heremitae et provincialium comitum Udalricus exilio eiectus ad Radesponam venit, ubi Chonradus imperator placitum suum habuit, recipiensque ducatum[29] suum multa mala maioraque et peiora prioribus commisit. Insuper fratrem suum Germarum cecavit, sicque post octo menses malam vitam mala mors secuta est. Misaco obiit[30]. f. 64. 89

1035.

Imperator Chonradus placitum suum in Papinperc habuit, ubi Adalpero dux Karintanorum deponitur[31], Chonrado[m] in ducatum succedente illi[32]. Venit Bratizla, filius Udalrici ducis, illuc et pacifice ab imperatore susceptus est, obsidibusque receptis cum pace et

a) *librarius Aventini pergit.* b) *sic codex;* praesidente *ann. Hild.* c) nī *i. e.* nisi *cod.* d) *suprascriptum* Wienni. e) Alnolfus *cod.* f) Helfeldensis *cod.* g) Liutizique *cod. et Staind. Scribendum est* Lusizi. *Cf. ann. Hild.* h) fundetenus *cod.* i) perieri *cod.* k) clcii *cod.;* post centesimum secundum e. s. annum *auctarium Ekkehardi ad a.* 1033. *(M. G. SS. XVII, 363). Staindelius numerum omisit, quem in archetypo male expressum fuisse suspicor. Emendandum esse* CCCII, *nota Herimanni Aug. ad ann.* 731. *docet.* l) *sic cod. et Staindel.* m) Chonradum *cod.*

21) Cf. Vitam Godehardi priorem c. 30, posteriorem c. 22. 22) Cf. ann. Hild. ad a. 1026. et Vitam Godehardi priorem c. 31. 23) procul dubio Wien, cuius urbis nunc celeberrimae mentio antea nusquam fit. Aventinus in ann. Boiorum p. 491: *Ugri, inquit, Vianam Boiariae orientalis oppidum capiunt.* 24) *prioribus annis* Ann. Hild. 25) Cf. ann. Hild., ubi incendium 6. Kal. Martii adscribitur. 26) Cf. ann. Hild. 27) Filius Stephani iam a. 1031. defunctus erat. Cf. ann. Hild. et chron. Posoniense (Endlicher, Mon. Arpadiana p. 55). 28) Haec post a nescio quo in archetypo addita videntur, nam Emericus sive Heinricus non ante Ladislaum regem i. e. non ante a. 1077. sanctis adscriptus est. In auctario Ekkehardi ad a. 1033. haec leguntur: *Heinricus filius Stephani regis Ungarie obiit, qui tantis miraculis claruit, quod in sanctorum katalogo est adscriptus.* 29) Cf. auctarium Ekkehardi. 30) Cf. ann. Hild. 31) Cf. Wiponem c. 33. 32) Chonradus anno sequenti successit. Cf. ann. Hild.

regalibus muneribus honoratus ad propria remeavit, et statim expeditione facta ad Liutizos praeclarum nomen post ingentia facta adeptus est[33]. Inaudita mortalitas animalium et defectio apium omnem Baioariam multum afflixit.

1036.

Hiems acerba et nimis longa, in qua etiam multitudo arborum arefacta est, et in quibusdam locis exinanicio[a] frugum. Contigit autem diabolico furore instigante, Radespone duos iuvenes rixasse, quorum unus arrepto cultro percussit iniuriantem se, et ipse repercussus eodem cultro tercium, qui causa dirimendi eos acucurrit, in vires collectus appetiit, simulque in eodem die expiraverunt. Imperator in Saligenstat[b] paschale festum feriavit[34]. Gebehardus Radesponensis episcopus obiit, cui[c] succedit frater imperatoris[35]. Item expe-
36 ditio ad Liutizos[36]. Mortuique sunt episcopi Meginwercus Podarburnensis, cui successit Ruodolfus abbas Herfeldensis, et Brunicho Mersiburgensis, successitque ei Hunoldus, sed et Branthoh Halberstetensis, cui successit Burchardus, Coloniensis etiam Piligrinnus, et substituitur Hermannus, Sizo quoque Mindensis, quem Brun subsecutus est in episcopum[37]. Imperator in Saligenstat[38] generale concilium habuit episcoporum 35 et abbatum plurium. Deinde rex Heinricus, filius imperatoris, maritavit Chunigundam, Chnut Angli Saxonici regis filiam, et in Niumago nuptias fecit[39]. Imperator rediens de Liutizia instanti autumno festinus
40 cum exercitu in Italiam perrexit[40] et natale Domini Veronae celebravit[41].

1037.

f. 64'. Imperator pascalem festivitatem Placentiae[d, 42] celebravit, deinde Mediolanensis archiepiscopus, eum insidiose quasi ad convivium invitans, occulte[e] voluit perdere, sed malitiae suae diffamatus a pessimo incoepto condigne est frustratus, et ipse, comprehensus a imperatore et aliquamdiu retentus, eheu se custodientibus est fuga elapsus. Postea vero cum duodecim coepiscopis regalem curtem absque suspicione frequentantibus consiliatus est, ut ab eis aliquo modo rex periret deceptus, hocque consilio diffamato comprehensi sunt omnes pariter et in exilium per singula loca relegati. Sed et Poppo patriarcha Aquilegiensis, qui custodire suscepit archiepiscopum ecclesiae Mediolanensis, illo fugiente reus maiestatis effectus est, et ipse aufugit timidus. Postea vero, veniens discalciatus et laneis ad carnem tectus, gratiam impetravit imperatoris. Praenotatus autem Mediolani episcopus, in perfidia sua perdurans obstinatius, nunciis[f] ad Odtonem Burgundionum regem missis, participem eum fecit praescriptae coniurationis. Non multo post tempore comprehenditur quidam Adalbertus, cognomento Fortis, cum literis sepedicti archipraesulis, coniurationem indicantibus episcoporum et omnium Longobardie primorum, in die natali sancti Martini dominum imperatorem esse cum exercitu interficiendum et eundem Odtonem in imperii monarchia constituendum. Itaque patefacto indicio internuncius et auctor huiusce mali Adalpertus iuste decenterque vinculatus exilio damnatus[43]. Imperator sic liberatus Parmam civitatem proficiscitur ibique nativitatem dominicam acturus. Die vero sancto Parmenses tumultu maximo excitato omnes nostros una cum principe voluerunt exterminare. Cum utrimque fortiter pugnaretur et nostri pene superarentur, Deo donante incidit consilium imperatori, ut iuberet civitatem succendi. Unde provocatus exercitus, circumquaque per regiones diffusus, hinc inde advenerunt, cede et igne urbem vastaverunt[44]. Eodem anno vico Hallensi[45] res miseranda in familia sancti Mauricii evenit. Duo etenim germani fratres cum plebe sibi conducta patruum suum seditiosi invaserunt, ipsum occidere, filios eius sex cum eorum parvulis et reliqua multitudine promiscui sexus et aetatis non minus 50 hominum omnes simul in una domo incenderunt.

a) exianicio *cod.* b) Salingenstadt *cod.* c) sl' (scilicet?) *additur in cod. Omissum videtur* tertius. *Cf. ann. S. Emmerammi.* d) Placentia *cod.* e) oculte *cod.* f) nuciis *cod.*

33) Bratizla imperatorem in expeditione contra Liutizos facta adiuvit. Cf. Wiponem c. 33. 34) *Engelenheim* Ann. Hild. Cf. Stumpf, Reichskanzler II, 2. n. 2076. 35) Cf. Herim. Aug. 36) Cf. ann. Hild. 37) Eadem referuntur in ann. Hild., sed aliis verbis. Forsitan nostris annalibus post ex illis addita sunt. 38) Triburiae synodus habita est. Cf. ann. Hild. 39) Haec quoque post ex ann. Hild. adiecta videntur. 40) Cf. ann. S. Emmerammi saec. XI. M. G. SS. XVII, 571. 41) Cf. ann. Hild. et Wiponem c. 35. 42) Ravennae imperator pascha celebravit. Cf. Wiponem l. l. et Stumpf l. l. n. 2086—2088. 43) De hac coniuratione vide ann. Hild., Wipponem et Analistam Saxonem. 44) Cf. ann. Hild. et Wiponem c. 37. 45) Reichenhall, ubi monasterium Altahense praedia quaedam habuit. Cf. Mon. Boic. XI, 187.

ęgestate, a quo et nulla prius acceperat nisi bona, set ille velut malus pro bonis reddiderat mala. Rex tamen noster excepit eum cum omni gratia et plurima illi impendit beneficia, condolens eius miseriae et suae propter Deum oblitus iniuriae. Ungri autem, ut eum aufugisse cognoverunt, alium sibi regem statuerunt, qui Obo vocitatus regio more mox est consecratus[65]. Harum rerum summa a duobus regni principibus est perpetrata, quorum [65] unus Ztoizla nomen habuit, alter Pehzili dictus fuit[66]. Igitur rex idem, habito sinodico concilio, cum communi episcoporum et principum consilio omnia decreta rescindi statuit, quae Petrus iniuste secundum libitum suum disposuit, et episcopis duobus pontificia vi sublata reddere voluit, sed quia alii ordinati erant, hoc Romani praesulis iudicio reservandum censuit. Diotmarus Iuvavensis archiepiscopus, paralisi dissolutus, miserabiliter [f. 71.] defungitur, eique Belding[a] substituitur[67].

Item ad Boemos facta est expeditio meliori, quam pridem, Deo gratias auspicio. Ipsi quidem Sclavi regiae noluerant subdi potestati, sperantes, semet nunc quoque victores fore, ut fuerant prioris anni expeditione. Rex autem Henricus cum omnibus suis principibus [b]humiliavit se Deo, cum propheta dicens ore et animo: *Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me*, [Ps. 115, 71.] illam scripturam[c] semper meditans, quod *Dominus corripit castigando, corripit omnem filium, quem recipit.* [Hebr. 12, 6] Hinc iustus iudex omnium, nullum reorum impunitum dimittens, nostrorum humilitatem respiciens ac illorum protervitatem, quatenus nostros elevavit passionis adversis, tantum illos deiecit prior[d] prosperis. Nam rege cum exercitu adveniente ipsi sylvas occluserant, undique armis parati eos prohibere, ne terram eorum possent introire, sed providente gratia Dei optimum consilium incidit regi, ut aliquot dies contra viam munitam residerent, quasi illic pugnando ingressuri essent. Ubi saepe nuncii ducis advenerunt, sed nihil regia maiestate[e] dignum retulere. Rex autem, dimissa ibi magna multitudine, circuiens sylvam per devia, terram illorum invasit occulte, quod incolae non antea cognovere, quam omnes eos simul incolomes salva sua substantia infra regionem consistere audierunt. Sed et tanta eos tenuit superbia, ut neque fugata essent pecora, neque segetes messuissent eo, quod nullo modo[f] introventuros credidissent. Haec omnia propter divinam bonitatem nostris evenere ad utilitatem, qui sex ebdomadarum spacio cum omni abundantia conversati sunt in illo regno. Vastant igne, quae ibi supererant, exceptis duabus provinciis, quas illis humiliatis dimiserant. Hoc in tempore dux, certior factus de suo et suorum periculo, legatos tandem frequentes direxit ex animo ad omnes principes, ut deprecatores essent, sed quandoquidem conditionem placitam non obtulerunt, saepius infecto negocio coacti redire. Igitur multi terrae principes una cum Pragensi episcopo [f. 71'.] caesarem adeunt, inscio duce se dedunt gratiamque obtinent, consilium incolarumque aperiunt, aut ipsi duci ad caesarem sponte veniendum, aut ipsum propediem in vinculis sese adducturos. Quod ubi dux cognovit, insidias praeoccupavit, legatos ex animo supplices mittit, omnium familiarium[g] purpuratorum auxilium ac opem implorat, ut liceret, sese cum omni regno suisque dedere et gratiam caesaris, veluti ipsi suisque placeret, quaerere. Promisit quidem sub iuramento, se Radisbonam venturum et omnis subiectionis[h] humilitate caesari subditurum et octo millia semisses pondere regio pensurum et omnes captivos de Bolania redditurum et quicquid caesari vel cuiquam purpuratorum[i] vi vel fraude subtraxisset, totum in integrum restituturum. Et huius rei quinque dedit obsides, filium scilicet suum et pueros quatuor principum, quos caesar morte, qua liberet, perderet, nisi ipse condicta perficeret. Ipse etiam munitiones sylvarum iussit aperiri, qui antea fecerat eas muniri, et viam latissimam planavit, per quam totus exercitus sine vi et clade cum honore et maxima praeda repatriavit. Dehinc duarum hebdomadarum spacio[k] peracto, venit dux die condicto cum plerisque suis principibus et regiis, ut dignum erat, muneribus, et caesare sedente in palatio cum caetu seniorum[68], procidit ille ante consessum illorum [68] discalciatus, ut poscebat honor regius, iam plus humiliatus, quam antea supra se fuerit exaltatus. Primates ergo nostri, eius miseriae compassi, suum illi praebuere auxilium, regi decenter dant consilium, ut supplicem clementer susciperet et priorem dominatum

a) *sic codex. Cf. ad a.* 1060. b) *Aventinus ipse sequentia scripsit.* c) script *cod.* d) *sic cod.* e) regiae maiestati *cod.* f) dux *in codice post* modo *additum est, tum Aventinus superscripsit* sic. g) familiarum *cod.* h) subictionis *cod.* i) praefectorum limitum (?) *in codice supra scripta.* k) tempore *supra scriptum.*

65) Cf. Herim. Aug. 66) Toyslan et Pezli apud Thwroczium p. 123. 67) Cf. Ann. S. Rudberti Sal. (M. G. SS. IX, 773). 68) Rex mense Octobri Ratisbonae fuit. Cf. Stumpf n. 2220.

militiae perditis rediit sine successu prosperitatis[59]. Tunc etiam vini exiguum et factum est accerrimum.

1041.

Annum rex in Mimigartovurti[a] [60] initiavit, ubi Boemico duci filium suum, quem vadem habuit, remitti mandavit, ut ipse captivos redderet, quos in praedicto bello cepisset[61]. Mart. 22. Pasca oppido Traiectensi feriat. Diebus rogationum principum conventum in Saligenstatt Apr. 27 30. evocavit[62], consilium habiturus, qualiter dedecus suum esset correcturus. Illo Boemiorum legati devenere, seque ipsumque ducem in regis conspectum venturum spoponderunt. Nihil impetrantes redierunt, quoniam, pacem[b] saepius hoc anno temptantes, principes audierunt consiliantes, dux[c] nisi semet una cum regno deditum[d] veniret, regem cum exercitu super se rursus venturum sciret.

f. 70. Hoc anno Petrus rex Ungrorum regno est privatus, coniurantibus adversum se suis primatibus. Inde hoc ortum sit, audiat qui velit. Stephanus bonae memoriae rex, avunculus ipsius, cum filius eius patre superstite esset mortuus, quoniam alium non habuit filium, hunc fęcit adoptivum ipsumque regni heredem locavit; filium fratris sui digniorem in regno, quia hoc non consensit, cecavit et parvulos eiusdem exilio relegavit. Hic igitur ipso vivente in regno solidatus, iuravit, ut praeceperat avunculus, se dominam suam reginam semper honoraturum nec quicquam eorum, quae rex dederat ei, ablaturum, si post mortem ipsius vitam illi donaret Dominus. Quod ut firmius fieret, addidit iuramento, se contra omnes, qui eam vellent calumniari[e], pro posse et nosse semet subsidio fore, et in eadem verba omnes iuravere, qui principes regionis fuerunt. Stephano demum vita decedente et Petro eius gratia in regno succedente, fides ipsius[f] patuit, quae prius quasi bona latuit. Nam unius anni tempore tractavit eam honorifice, quo peracto spatio destituit illam omni bono. Primum quidem praedia, quae a marito vivente susceperat, et pecuniam, quam seorsum habuerat, ipse vi abstulit, eamque iurare compulit, ut de[g] residuo nihil daret cuiquam praeter suam licentiam. In quadam etiam urbe eam locavit talique custodiae mancipavit, ut nec ipsi potestas esset usquam progrediendi nec cuiquam advenientium eam conveniendi. Cum hoc toto triennio passa fuisset, et ipse nihil de iniuria minuisset, ipsa principes regni 63 convocavit et facti sibi iuramenti eos commonuit[63]. Qui, moti misericordia, regi suasere ab hac quiescere iniuria, ne omnes[h] simul cum illo in[i] miseranda inciderent[k] periuria. Set cum sepius esset amonitus, mala mens et malus animus in pertinacia perduravit finetenus. f. 70'. Postremo indicaverunt, semet nolle esse periuros et, nisi matronae suae cedat, illum deserturos. Quod cum parvipenderet, et nihil eorum, quae dicebantur, intenderet, tempus advenit Prov 16,18. Dei gratia, quo eius terminaretur nequitia, ut scribit quidam sapientissimus: *Ante ruinam exaltatum est cor eius*, quia nullo modo voluit consentire, nec[l] super hac re ullum ultra verbum dignabatur audire. Quo perspecto principes illius regionis unanimiter inierunt consilium, ut interficerent quendam illi fidelem, nomine Budonem, horum omnium malorum auctorem, cuius omnia fęcerat consilio, quoniam ipse illius congruebat animo. Venientes igitur ad regem, ad paenam mortis constanter expetierunt eundem, quasi omnium illorum hostem communem, qui terrae suae et comprovincialium tractaverit perniciem. Rex vero videns, semet ipsum in malo positum neque illi posse conferre praesidium, fertur respondisse: *Quandoquidem illum liberare nequeo neque morti tradere volo, non*[m] *vobis eum abnego.* Quod ut audierunt, mox eum comprehendentes interfecerunt ipsum, in frusta concidentes et duobus parvulis eius oculos eripientes. Unde rex vehementer extimuit, et eadem nocte in terram Baioariorum perfugit cum paucis, quamvis eos merito sibi infestos sciret eo, quod sine causa inimicos eorum adiuvisset. Nam quoniam omnes bonos studuit impugnare et consilium impiorum semper adiuvare, Boemico etiam duci, suo seniori, nostro regi repugnanti, maximo fuerat subsidio prioris anni, ut diximus[64], autumno. Et hoc divino factum est iudicio, ut quem ille lacessivit inmerito, huius indigeret pietate in suae dignae depositionis

a) Muniptgartovurti *cod.* b) quam pace *cod.* c) dux *supplevi.* d) reditum *cod.* e) calumniare *cod.* f) ipsis *cod.* g) de *deest in cod.* h) omnis *cod.* i) in *deest in cod.* k) incederent *cod.* l) ne *cod.* m) nec *cod.*

59) Cf. Ann. Saxonem, Herimannum Aug., Cosmam Pragensem II. c. 8—12. 60) Münster. Cf. Ann. Saxonem. 61) Cf. Herim. Aug. 62) Cf. Stumpf l. l. n. 2209. 2210. 63) Mirum est, quo modo Keza et Thwrocz, qui annalium nostrorum vestigiis hic insistunt, hanc narrationem corruperint. 64) Cf. supra ad a. 1040.

1038.

Imperator nativitatem Domini Parmae fecit, ut praenotatum est. Praedictus Odto, Burgundiae princeps usurpative factus, in pertinacia sua contra ipsum voluit perdurare f. 65. finetenus. Quod dolens Gozilo dux Lotharingiorum cum comprovincialibus eum invasit victumque extinxit et caput eius imperatori direxit[46]. Caesar in Sudrun[47] prope Romam 46 pascha peregit. Inde exiens Troiam[a] tetendit, ibique Pandulfi ducis uxor cum filio suo et filia venit, maximum thesaurum afferens et pignora sua vades imperatori relinquens; postquam gratiam sibi maritoque impetravit, domum remeavit. Ipse enim dux ideo non venit, quia nunquam se cuiusquam imperatoris faciem videre praesumpturum firmavit. Postea vero filius eius, quem obsidem miserat, nescio quo terrore perterritus fugam iniit, set soror eius remansit. Hinc caesar intelligens eum dolose agentem, cum nullo modo posset eum revocare, ducatum nepoti ipsius, nomine Weimaro, tradidit, indeque in montem Cassinum perrexit, quo ut pervenit, omnia a praedicto Pandulfo vastata repperit, res monasterii distractas, monachos fugatos. Et quia rector ibi defuit, ipse abbatem substituit, Rihherium scilicet abbatem Leonensem, monachum vero Altahensem, ipsumque una cum Weimaro persecutorem fecit Pandulfo malo[48]. His itaque compositis repatriare disposuit 48 temporibus Augusti mensis, unde et maximam partem exercitus perdidit, quos horrenda aestatis rabies miserabiliter extinxit. Chunigunda quoque nupta regalis et Herimannus, filius imperatricis, dux Sueviae cum innumera multitudine interierunt eadem clade.

Praesulis emeriti tunc et flatus Godehardi
Carnem dimisit et coelica regna petivit.

Cui substituitur Tiemo regius capellanus in episcopium Hildenesheimense[49]. Herimannus marchio obiit[50]. Stephanus Ungrorum rex in die assumptionis sanctae Mariae terminum fecit carnalis vitae[51]. Maxima defectio frugum per totum contigit Teutonicum regnum, ita ut in plerisque locis homines fame deficerent et multae villae fugientibus colonis vacuae starent.

1039. f. 69'.

Imperator natale Domini Goslarae feriat. Sophia abbatissa Gandesheimensis moritur[52]. Schebis marchio Ungarie eodem anno est defunctus[53]. Caesar pascale festum Niumago feriavit, pentecoste oppido Traiectensi, ibique altera die eiusdem festi obiit pridie Nonas Iunii, Henricum filium relinquens heredem regni. Eodem in tempore patruelis et equivocus eius viam tocius carnis est ingressus. Ribhardus abbas Fuldensis obiit, cui Sigiwardus ipsius monachus succedit[54]. Aestas calore validissima et maxima fuit frugum abundantia. Eclipsis solis facta est 11. Kal. Septembris. Reginpoldus episcopus Spirensis moritur, eique Sibicho substituitur[55]. Egilpertus etiam Frisingensis praesul est defunctus, et Nitzo in[b] pontificatum est subsecutus. Adalpero dux Carintanorum fuga est elapsus de exilio, vita decessit[56].

1040.

Rex Henricus natale Domini Radisponae[d] feriavit, et inde profectus Augustam venit. Illico devenerunt legati Italorum[57], expetentes regis iudicia. Paschale vero festum in 57 Ingelenheym celebravit, ibique conventionem cum principibus habuit. Illic Mediolanensis archiepiscopus, quem supra diximus dampnatum, regis gratiam et suum recipit[c] episcopatum[58]. Eiusdem anni autumno rex bellum indixit Boemico regno, ubi plurimis suae

a) *sic correxi* Tusciam, *quod in codice et apud Staindelium legitur. Cf. Wiponem c.* 37. b) in *deest in codice.* c) recipi *cod.* d) Radispona *cod.*

46) Cf. ann. Hild. et Ann. Sax. ad a. 1037. 47) In castello Spella (Ann. Hild.) imperator pascha peregit, non Sutrii. 48) Vide de his rebus Amatum (ed. Champollion-Figeac) II. c. 4—6, Desiderium in Libro dialogorum et chron. mon. Cassinensis II. c. 63. 49) Cf. ann. Hild. 50) fortasse marchio Misnensis, Ekkehardi frater, de cuius morte nil certi constare videtur. Cf. ea, quae annalista noster ad a. 1046. de morte Ekkehardi tradit. 51) Cf. Wiponem c. 38 et Vitam Stephani maiorem c. 18. 52) Cf. ann. Hild. 53) De hoc marchione Ungariae nil inveni, nisi forte Sebus ille est, cuius Simon de Keza (Mon. Arpadiana p. 109. 110) et Thwrocz Schwandtner SS. rerum Hung. I. p. 120. 122) mentionem iniiciunt, sed mortem eius anno 1041. adscribunt. Aventinus in Annalibus Boiorum p. 492 ad annum 1038. refert: *Schebus, dux Ungrorum, vitam finivit.* 54) Cf. ann. Hild. 55) Cf. Herim. Aug. 56) Cf. ann. Hild. ad a. 1036. et Herim. Aug. ad a. 1039. 57) Ann. Hild. 58) Cf. Ann. Saxonem.

illi redderet. Quem ubi recepit, iusiurandum regi fecit, ut tam fidelis illi maneret, quam miles seniori esse deberet, omnibus amicis eius fore se amicum, inimicis inimicum, et nihil plus Bolaniae vel ullius regalis provinciae sibimet submittere, nisi duas regiones, quas ibi meruit suscipere. Ita Deo gratias clades est reparata, quae priore anno in nostratibus fuerat perpetrata, et rebus bene compositis, unde venerunt, omnes domum redierunt.
f. 75 in calce. Tempore autem praenotatae expeditionis Liutpold, filius Adalperti marchionis Baioariorum[a], congregata multitudine, quanta potuit, urbem quandam invadit, quae in terminis marcharum Boiemiae ac Boiariae sita patri suo pridem vi fuerat ablata, et eam expugnavit, innumeram praedam hominum pecorumque abduxit, praefecti quoque filium vinciri iubet[b], urbem solo aequavit, incolomis domum redit. Homines etiam sui, illius[c] prosperitate provocati, Boemiam denuo perrexerunt, nec minore praeda potiti revertuntur. Idem Liut-
f. 80. poldus[d] Radasponae regi redeunti obviam venit et gratias maximas cum meritis muneribus accepit, inter alia equum optimum, ducis Boemi donum, quem ipse regi detulerat, cum sella miri ponderis et operis, quae tota ex argento et auro fabrefacta fuerat. Sed et marchio praedictum captivum praefecti filium regi tradidit, quem ille mox duci suo reddidit, post regia pietate indulsit eidem promissi thesauri medietatem[69].

Eodem anno in orientali Francia ventus validissimus magna dedit damna adeo, ut
70 iuxta Montem Pavonis[70] sylvae magnam partem prostraverit, innumera aedificia subruerit. Caritas et penuria frugum maxima per totum Franciae regnum. Hoc etiam anno Isac[71] fluvius iuxta Pozannunium[72] inundans miserandam stragem dedit, terram vinearum funditus usque ad saxa proluit et aliis iuxta iacentibus eandem ingessit et plerasque[e] taliter inutiles reddidit, ex utraque parte alvei aedificiorum, iumentorum et agrorum maximam cladem fecit. Sed et Athesis fluvius apud Veronam tanta eluvie[f] subito excrevit, ut domorum, iumentorum, hominum, agrorum partem vastando perdiderit, et vis diluvii homines, qui evaserant, coegit ad aedificium, quod vocatur Aerina[73], confugere et, quamdiu aquae decrescerent, illud incolere.

1042.

Caesar Heinricus natale Argentorati celebravit[g], quo magnum principum conventum
74 convocavit[74]. Et devenere inter reliquos Obonis Ungarici regis legati, Petro deiecto, ut diximus[75], substituti. Nam postquam audivit, Petrum eundem caesaris gratiam recepisse, extimuit, hoc suo dominatui cladi futurum esse. Ideoque misit legationem talem, ut perquireretur, an certas inimicicias sperare deberet an stabilem pacem. Caesar autem, ubi ex his verbis persensit superbiam eius mentis, talibus obviavit responsis: *Si quidem ille me et meos cavet iniuriis lacessere, ego nolo inimicicias incipere, sin vero ipse inceperit, quid*
f. 80'. *possim, Deo auxiliante sensurus erit*[76]. Cum his etiam suos legatos curavit dimittere[h], qui certitudinem aliquam de his sibi possent reportare. Ille autem hac occasione patefecit dolum, quem tractaverat ante. Nam omnes copias multitudinis, quam habuerat, continuo clam vocari iusserat, fide corrupta nostrates invasurus et, quicquid cladis latrocinando posset, facturus, et, ne fraus eius a quopiam posset praecaveri, omnes hospites, qui advenerant, mercatores, nuncios, sed et regios legatos, quod ubivis gentium nefas est, inibi iussit retentari. Et ex utraque Danubii parte perrexit terram Baioariorum spoliare, ipse rex in meridiana fluvii plaga cum innumero milite, duci suo praecipiens, in aquilonari itidem facere. Et, ut assolent Sclavi, euntes per sylvas, lupina fraude semet occultarunt
77 usque in locum, quem condixerunt. Incipientes igitur a flumine Treisama[77] grassati sunt miserabili praeda, alios quidem comprehendunt in lectis cubantes, alios vacantes et huiusce mali inscios sub tectis. Qui autem se et sua armis defendere nitebantur, nimia multitudine
Febr. 15. obruti perierunt, quoniam illi solitarii fuerunt. Hoc autem factum est feria secunda sexagesimae a primo crepusculo usque vespere. Dehinc circa Tullinam civitatem[78] pernoctantes,

a) Boiorum *Aventinus de suo more scripsit, quod correxi.* b) praefecti — iubet *in margine addita.* c) i. *supra scriptum.* d) *f. 75' in imo margine Aventinus notavit:* infra f. 80. e) plaerasque *cod.* f) eluviae *cod.* g) c. *omisit Aventinus, legitur apud Staindelium.* h) dirigere *in codice subscriptum est, quod omisi.*

69) Cf. chronicam Cosmae Pragensis II. c. 2, ubi similiter, sed brevius res referuntur, et Ann. Saxon. ad a. 1042. 70) i. e. Bamberg. 71) Eisack. 72) Botzen. 73) Arena Veronensis. 74) Ann. Saxo ad a. 1043. refert, Augustae regem nativitatem Domini celebrasse, sed in errorem incidit. Cf. Stumpf n. 2223. 2224. 75) Cf. supra ad a. 1041. 76) Cf. Thwroczium p. 123. 77) Traisen. 78) Tulln.

in terram suam redierunt ovantes. Nec inmerito, nunquam enim de Boiaria tantam praedam accepit Ungaria. Sed quod nostris peccatis exigentibus divina vindicta tunc in nobis perpetravit, hoc illis partim in posterum reservavit, partim interea loci repraesentavit. Nam quanta regi suisque sequacibus fuit prosperitas, tanta duci et suis conmilitonibus obviavit austeritas. Qui dum ex praecepto regis eadem die et simili fraude septentrionalem Danubii terram deberet vastare, quia similiter imparatos offendit, magnam quidem captivitatem congessit, sed eam Dei gratia citissime remisit[a]. Aderat ibi tum marchio Adalbertus f. 81. et Liupoldus, filius eius, cum parvissima manu militum et servitorum, quippe nec triginta habentes scutatorum. Alii etiam quidam nobiles et fortes in praediis suis morabantur, qui hoc malum nec sciverunt nec opinabantur. Ex re tamen et tempore sunt congregati et semet invicem cohortati, hostium legionibus obviare et, quantum sibi Deus auxiliari dignetur, temptare, dicentes, honestius[b] esse vitam perdere cum honore, quam cum dedecore prolongare. Hostium autem, ut comperimus, decem legiones fuerunt, quae in tres partes divisae sunt. Harum una praedam servabat, altera nostratibus pugnatura obviabat, reliqua post tergum irruitura latitabat. Nostratium autem, quamvis non adhuc essent trecenti, insiluere eos impetu ingenti, multos necabant, plerosque sauciabant, paucos, qui reliqui erant, fugabant. His Dei gratia superatis, diverterunt eripere multitudinem captivitatis. Sed et illos facile vicerunt, quia Dominum adiutorem habere meruerunt. Omnes quoque captivi, faeminae simul et viri, postquam suos cognoverunt, Deo gratias rettulerunt, et lanceis, cultris atque sagittis in captivatores sunt grassati, donec omnes iacebant trucidati. Quicquid enim sors obtulit, hoc ira telum facit. His ita gestis, Domino condignis laudibus redhibitis, domum redire volentes, maximas legiones, turmas vident post se in insidiis latitantes, partem scilicet[c] post tergum, ut dictum est, in se[d] paratam irruere et in ore gladii neci tradere. Quam mox ut videbant, pauci tantam multitudinem, mire titubabant, maxime quia iam de tanta cede fessi fuerant. Tandem spe conversa ad gigantem ecclesiae, cui peccatum est diffidere, inierunt praelium, invocantes auxiliatorem Dei filium; quo etiam adiuvante hostes sunt penitus occisi, praeter qui fugati incurrerunt gurgitem fluminis, Maraha[79] dicti, quorum etiam plurimi vitam sub undis dimi- 79 serunt, paucissimi evaserunt. Dux autem, vix fuga elapsus et equi subsidio ultra aquam f. 81 transvectus, praesentatus regi percepit pro mercede oculorum usibus carere. Mos namque est, milites donari felicibus praemiis, iste destitutus est ducatu donisque divinis. Hac de mercede manifestatur, quae ipse et sequaces eius fecerint[e]. Per idem tempus aliqui de Ungaria egressi contra Carintheam captivaverunt innumerabilem praedam. Sed Gotefrido marchione[80] superveniente et eosdem invadente, omnes occubuerunt praeter paucos, qui latenter effugerunt. Carintani autem, captivitate recepta, ovantes regressi sunt ad propria[81].

Hisdem diebus, id est in quinquagesima, traditus est principatus Baioariae in civitate Febr. 21. Basilea Henrico duci, fratrueli Henrici ducis et dominae Chunigundae imperatricis, uxoris Henrici piissimi et dignissimi imperatoris. Pascalem agnum deinde rex noster Coloniae[82] Apr. 11. victimavit et principes totius regni congregavit, consilium quaerens ipsorum, qualiter obviare deberet gestis Ungrorum. Qui omnes velut uno ore consiliati, terram illam decere cum exercitu invadi et Dei gratiam temptare, qui iusta iudicia nulli vult denegare de his, qui absque alicuius causae obiectione tanta in regnum Teutonicum grassati fuerant persecutione. Post haec pentecoste Wirtzburg fecit et[f] Brunonem episcopum[83] cum viris et Mai. 30. feminis misit ad desponsandam sibi Wilelmi[g] comitis Provinciae filiam[h]. Expeditio vero facta est in mense sequenti[84], coadunato exercitu ingenti, quibus divina misericordia prosperum cursum proficiscentibus et magnum honorem contulit pervenientibus. Pertransierunt etenim terram ex aquiloniali parte Danubii fluminis suasu et consilio Boemici ducis, qui tum inibi una affuerat cum copia, quae regem decuerat. Incolae autem missa legatione promisere, se, quicquid rex praeciperet, velle perficere, nisi tantum Petrum regem suum recipere, quod

a) *scriba Aventini exaravit ea, quae sequuntur.* b) honestum *cod.* c) se *additur hic in codice, quod in sequentibus desideratur.* d) se *omissum in codice.* e) fecer̄. *cod.* f) f. e. *omissa in codice ex Staindelio supplevi.* g) Vilielmi *cod.* h) Post haec — filiam *signo omissionis posito, librarius in margine adiecit. Cf. Staindelium.*

79) March. 80) Gotefridus, filius Arnoldi de Lambach, praefuit marchiae Carintanae. 81) Cf. de his rebus Herim. Augiensem. Keza et Thwrocz, nostros annales secuti, de industria omnia deformant. 82) Cf. Annal. Saxon. (1043.) et Stumpf n. 2226. 83) Praefuit ecclesiae Wirzeburgensi. 84) Autumno, ut Herimannus refert. Haesito, an emendandum sit: *mense Septembri.*

tamen rex summopere voluerat et propter quod eum secum adduxerat. Postquam etenim auxilium suum illi promisit, hoc[a] in restituendo regno illi ostendere cupivit, sed sui adeo f. 82. execrabantur, ut nequaquam[b] se illum recepturos faterentur. Novem ibi civitates rex deditione cępit, quas rogatu Bratezlavi et consensu incolarum fratrueli Stephani regis, qui cum eodem duce advenerat, dedit; duae tamen earundem urbium, Baioaricae marchae proximae, 85 ante adventum nostratium urbanorum ignibus sunt absumptae[85]. His itaque Dei adiutorio patratis, rex et sui redierunt ad propria, Deum laudantes de successu prosperitatis. [Heinricus rex 5. Idus Aug. fuit in Altaa[c].] Heribertus Eichstetensis episcopus obiit, cui germanus suus Gezman succedit, qui paulo post obiit[86]. Ulricus Ratisbonensis abbas obiit, ipsique succedit Erchanpertus abbas Monensewensis. Tegernsewensem abbatiam, quam idem simul habuit, Herrandt eius loci monachus accepit. Nitzo Leodiensis episcopus obiit, succedit Watzo praepositus eiusdem loci.

1043.

Rex natale Domini Goslare peregit. Illic[d] pontificatum Eichstetensem tradit Gebehardo. Inter alios principes adfuit Brateslav dux[e] Boemiae, qui decentia munera regi detulit, ipseque magnifice tractatus peractis diebus rediit, regiis donis honoratus[f]. Legati quoque Ruzonum magna dona tulerunt, sed maiora recipientes abierunt[87]. Bulanici ducis nuncii, cum muneribus suis reiecti, nec praesentiam caesaris aut affatum meruerunt, quia ipse, iuxta quod iussus erat, noluerat venire. Missa tamen denuo legatione se excusat et, quia venire non potuerit, iusiurandnm promittendo confirmavit, sicque gratiam recipere regis Febr. 14. meruit. Isdem temporibus Gisla imperatrix, mater caesaris, est defuncta et ab ipso et Apr. 3. episcopis atque principibus iuxta virum Chunradum imperatorem Nemidone sepulta[88]. Pa- Mai. 22. scha rex Leodii celebravit[g], inde regi Karlingorum fabulatum obviavit[89]. Pentecoste fuit[h] Boderabrunnun; illo venere legati Ungrorum, pacem cum nostratibus reformare cupientes, et proinde magnam exhibitionem regi promittunt, scilicet captivorum, quos haberent, remissionem, eorum, quos reddere non possent, coemptionem et insuper regis gratia multa 90 auri pondera[90]. Rex vero, pertractans eorum intentionem, scilicet quod impedire vellent eius expedicionem, respondit, quia pactum facere nollet, priusquam Radasponam veniret, et nisi tunc tale quiddam super exhibita adderent, quod satrapae sui contra illius terrae populis[i] probarent. Mox ergo, ut rex et sui expediti eo venerant, et illi, ut iussum fuit, aderant, iterata sponsione ampliantes cuncta, quae promiserant, sed ipsi una re pactum iam futurum turbaverunt, quippe quia regem pro pace iurare postularunt, ideoque infecto Aug. negocio redierunt. Veniens ergo rex ad terminum regni, ubi exercitus recenseretur, decrevit, ut hostilis terra procul dubio invaderetur, et factis machinis contra opus, quo fluvium Rapiniza[91] occluserant, in crastinum impugnare disposuerant. Tandem venere supplices legati, dolore animum stimulante, desperati, pacem et veniam pro delictis orantes, et quicquid regi et optimatibus placeret, se facturos spondent. Tunc condixerunt, captivum populum, ut praedictum est, remittere vel precium sub iureiurando reddere et partem regni[92] retradere, quae quondam Stephano data fuerat causa amiciciae, et insuper pro lenienda regi offensa dare 400 auri talenta totidemque pallia, et reginae Gislae reddere cuncta, quae maritus eius idem Stephanus ei donaverat, quae iste, sicut Petrus, illi pridem abstulerat. Haec autem omnia rex Ungaricus ipse iurando promisit et insuper datis septem obsidibus, quos nostrates voluerunt, stabilivit, ea lege, ut in festo Andręae his perfectis reciperentur aut infectis perderentur. Proinde Deo digna reddentes praeconia, unusquisque domum redit. Mox convocata non minori multitudine profectus est rex Vesontionum[k], urbem Burgundiae, et illic accipiens, quam praediximus, sponsam, duxit eam Mogonciacum ibique consecrari eam reginam curavit, consummatisque diebus ordinationis in Ingilenheim

a) hanc *cod.* b) nullum *librarius, Aventinus correxit.* c) Heinricus — Altaa *in margine addita sunt, quae ad hunc annum pertinere non possunt, cum eo tempore rex in Hassia moraretur. Cf. Stumpf n.* 2230. *Mense Augusto anni insequentis rex in regione Altahensi cum exercitu erat. Cf. Stumpf n.* 2244. d) p. l. *in codice omissa supplevi ex Staindelio.* e) rex *cod.;* dux *Staindelius.* f) *Aventinus ipse librarium excipit.* g) rex *et* celebravit, *quae Aventinus omisit, ex Staindelio supplevi.* h) f. *deest in codice, quod ex Staindelio supplevi.* i) *sic cod.* k) *sic Aventinus. Keza p.* 111 *et Staindel:* Bizanciam.

85) Cf. Herimannum Aug. 86) Cf. Lambertum. 87) Cf. Lambertum. 88) *Nemeti iuxta maritum imperatorem sepulta est.* Herim. Aug. 89) Cf. Stumpf n. 2240. 90) Lambertus narrat, iam Goslariae legatos Ungarorum venisse ad regem. 91) Repcze. 92) *regni usque ad Litaha flumen partem.* Herim. Aug.

fecit nuptias regio, ut decuit, appararatu[93]. Aderant omnes pene primarii de cunctis regio- Nov. nibus Romani imperii, praesules, duces, marchiones, praesides, sed et reliquarum dignitatum principes innumerabiles. Non multo post obiit Liutpolt, filius Adalperti marchionis, egregiae indolis iuvenis, qui multorum nimio dolore deploratus a patruo suo archiepiscopo Treveris est tumulatus[94].

1044.

Rex cum nova nupta Treveris[95] natale Christi celebravit[a], in Noviomago pascha[b, 96]. Apr. 22. Gozzilo dux Luthareorum obiit, et de bonis eius contentio inter filios oritur[97]. Duos enim ducatus totidemque filios habuerat, quorum alteri Godefrido ducatum unum, dum viveret ipse, tradi permiserat, alterum usque ad finem vitae sibi retinuit, quem alteri filio Gozziloni, defuncto patre, rex dare voluit[c]. Frater vero consentire noluit. Ita discessum, ut nec f. 76. rex illi primatum tradere, nec ille regi voluntarie cedere vellet. Item in Ungaria prorupit discordia intestina, quae iam diu in abditis fuerat conflata, scilicet contra iniustum regem iusta coniuratio, ut non digne exaltatum digna deponeret humiliatio. Conspiraverant enim plerique principes, quod in regem suum deliquerant coram Domino poenitere et, ut ipsum placatum habere possent, illum, quem inique substituerant, aut vinctum aut necatum caesari tradere quaerebant. Sed et hoc accedebat eius infortunio, quod regem nostrum offenderat denuo non complendo, quam praecedenti autumno sponsionem fecerat, quam etiam iureiurando, ut praediximus, firmarat. Igitur quidam, qui eiusdem conspirationis conscius fuit, suam salutem pactus omnes coniuratos regi prodidit, innotuit, quorum aliquos iussit necari, aliqui gratia Dei liberati eius effugere manus. Hac de causa amplius incitati omnes, qui potuere elabi, caesaris auxilium expetunt ipsique fraudes tyranni, quas pacto intulerat, retexerunt et eum ad expugnandam terram suam invitaverunt. Denique caesar, ab iis persuasus, sed plus, ut postea patuit, iussu divinitatis instinctus, iter suum ad illa loca disposuit, quam occultissime potuit. Ibi vero fuit cernere, quia iudex iustus Deus iniusticiam voluit[d] disperdere, quia nemo mortalium talem gratiam auderet optare, qualem postea per semet ipsum voluit demonstrare. Perrexit enim rex[e], quasi pactum[f] exacturus et de marcha Baioarica[g] reversurus geminum tantummodo ducens exercitum, Noricum et Boiemicum[98]. De reliquis regni sui partibus nullos nisi aulicos suos habebat, quoniam fructuum s penuria illis stipendia denegabat. Sed et hoc fecerat praeter consilium pene omnium suorum subditorum, ideoque credendum, Deum menti illius inspirasse, quod ipse ante saecula praedestinaverat futurum esse. Dum hoc iter ageret, Obonis legati complures venerunt et fugitivos suos, qui cum rege fuerant, repetierunt, eos praedones regni sui conquerentes et primos incentores adversus nostrates fuisse asserebant[99]. Principem quoque nostrum quaerebant avertere ab eo, quod[h] ceperat, itinere, plus aliquantulum, quam spoponderant, promittentes; maximopere tamen multitudinem explorare satagebant. Honorifice quidem ac sapienter retenti sunt, donec utrique exercitus unius diei itinere interiecto convenerunt, quoniam ille, qui pacem fictam quaeritaverat, immensas copias armatorum interim con- f. 76' gregarat. Cum vero, internunciis utrimque contionantibus, nec possent, nec vellent conciliare, statuerunt armis decertare et diem condixerunt tercium, in quo divinum apparuit iudicium. Quo die cum noster heros ad locum condictum venisset et illum minime reperisset, volens eum insequi ultra Rabaniza fluvium, invenit iter stagnantibus aquis et machinis more illis solito interclusum. Ducatum autem praebentibus Ungris, quos secum habuit, tota nocte equitando sursum per ripam crepusculo facili vado transit[i]. Quorum[k] adventum prospectantes, qui machinas custodiebant, relictis omnibus, quae habuerant,

a) c. *quod omisit Aventinus, ex Staindelio supplevi.* b) ěrvis *i. e.* ovis solemnitatem *in codice Staindeliano, id quod monachum scripsisse suspicor. In editione Oefeliana impressum est:* Kornis solemnitatem. c) *Aventinus in imo margine f. 82':* Supra fol. 76; *in summo margine f. 76:* infra fol. 82 *adnotavit.* d) *Aventinus primo scripserat* valet, *tum correxit.* e) rex, *quod in codice deest, adieci.* f) atque quadam benignitate *in margine ab Aventino addita sunt.* g) Baiorica *cod.* h) quod *iteratur in cod.* i) transsit *cod.* k) *sic cod.*

93) *Sponsam suam accipiens et Mogontiaci reginam ungui faciens, regales apud Ingelenheim nuptias celebravit.* Herimann. Aug. De tempore nuptiarum cf. Stumpf n. 2249—2255. 94) Iisdem fere verbis Herimannus Augiensis: *Liutpaldus, Adalberti marchionis filius, magnae virtutis et pietatis adolescens, — — Treveri a patruo suo Poppone archiepiscopo sepultus est.* 95) Cf. Lambertum. 96) Cf. Stumpf n. 2260. 2261. 97) Cf. Herim. Aug. 98) *Cum exercitu Norico et Bohemico* Simon de Keza p. 112. Eadem verba repetens auctor chronici Thwrocziani pag. 125 addit: *et phalangibus aulicorum suorum.* 99) Cf. Simonem de Keza et chronicon Thwroczianum l. l.

fugerunt. Sic nostratibus est via patefacta et multa victualium praeda relicta. Tercia demum 1 die post condictum praelium, cum primi nostrorum transirent Rhaba fluvium[1], ecce innumerae acies armatorum eminus apparent, qui campum latissimum, quasi sylva succrevisset, operuerunt. Sic parati paucitatem nostrorum suis copiis undique circumvallant, ut nullus eorum saltim fugiendo mortem posset declinare. Sed Deus, qui nihil dimittit impunitum, quod suis oculis videtur iniquum, iusticiam convertens in iudicium, omnem illorum intentionem redegit in nihilum et, quicquid ad nostrorum[a] instituerant deceptionem, translatum est in eorum perditionem. Dignum hoc[b] quoque fuerat Dei iudicio, ut non prius reconciliaretur illa regum commotio, quam illorum multo expiaretur cruore, quorum in- Matth. 26,52 cepta est furore, quia, *quisquis gladium acceperit, gladio*, sicut dicit ipsa veritas, *peribit*. Caeteris etiam gentibus per latum orbis spacium degentibus exemplum de istis dignatus Rom. 13, 1. est rex regum dare, qualiter primates suos et maxime reges debeant honorare, cum non sit potestas, nisi a Domino, ut testatur sancta lectio. Igitur eo die, cum vellent confligere, ut supra diximus, uterque populus tantum progressus, ut facilis invicem esset prospectus, tenuis nubecula, id est caeleste signum, adparuit iis[c], quos apostolicus, successor beati Petri, eo quod regem suum dehonestarant, iam pridem anathemizarat[d]. Et ecce turbo 2 vehemens, ex parte nostratium ortus, pulverem nimium adversariorum ingessit obtutibus[2]. Hoc sedato, nostris Dominum invocantibus et illis econtra incondite vociferantibus, pugna Iul. 5. nimis atrox inchoatur et summa vi utrimque decertatur. Nam illo primo congressu fortiter f. 77. resistebant, quia aliquorum de Baioaria legationibus freti erant de nostrae multitudinis raritate et sui exercitus multitudine. Postquam vero se viderunt inaestimabiliter cadere, terga vertere et cedere[e] ceperunt, et isti[f] ferme eos per sex miliaria insecuti sunt fugientes. Terram innumeris cadaveribus operiunt; lancea regis deaurata capitur[3]; episcopi, capellani, principes, alii complures retrahuntur; tandemque nostri, nimiae caedis pertaesi, ad castra sua ovantes sunt regressi. Denique caesar, discalciatus et laneis ad carnem indutus, ante vitale sanctae crucis lignum procidit, idemque populus una cum principibus fecit, ipsi reddentes honorem et gloriam, qui illis dederat tantam victoriam, tam mirificam, tam incruentam[g], sed et pro divino munere omnes omnibus dimiserunt, qui quippiam in se committentes eis debitores fuerunt. Post haec mortuos suos, qui perpauci erant, quaesierunt et eis debitum humanitatis impenderunt, vulneratis autem quam poterant curam, et eos remiserunt ad patriam. Interea populus terrae nunc gregatim nunc singillatim venit et caesari victori se dedidit, qui placido suscepit eos vultu, tradidit Petro regi suo. Inde 4 simul pergunt, Wizenburg[4] veniunt magno comitatu, regio excepti apparatu, ibique caesar Petrum regiis fascibus vestivit, et manu sua ducens in sede[h] sua restituit, et in templo Deiparae Virginis, ubi erat congregatio principum, et regis ad populum et populi ad regem facta est reconciliatio. Illis etiam petentibus concessit rex scita Teutonica[5], et relinquens illis suorum praesidia, ipse domum rediit et Radasponam venit. Non prius gustavit ea die quippiam, quam templa omnia nudis pedibus et in laneis circuivit et altaria templorum singulis palliis vestivit. Non visa prius in ea urbe tanta divina[i] exultatio plaebis et principum, tam devota clericorum et monachorum et virginum Christi laudatio. Caeterum Obo fugiens in quendam vicum pervenit, villaque fulmine succensa ipse pene interiit, et vix elapsus fugitando latitabat, usque dum comprehensus communi iudicio nostrorum et suorum capitalem subit penam.

His auditis dux Gotefridus[k] per amicos et nuncios aures caesaris cepit compellare, ut f. 77'. sententiam suam super illum dignaretur mutare, spondet, quicquid imponeretur, se libentissime acturum, passurum, si tantum retineret utrumque ducatum. His[l] caesar respondit, si vellet ab iniquitate desistere et germano suo sine vi primatus consortium annuere, regiam

a) istorum *cod.* b) huc *cod.* c) iis *deest in codice.* d) *in margine additum:* devoverat. e) caedere *cod.* f) *forsitan etiam hoc loco* nostri *corrigendum sit.* g) 108 desiderati sunt *addit Aventinus in margine.* h) saede *cod.* i) d. *superscriptum.* k) dux *post* Gotefridus *superscribendo Aventinus iteravit.* l) H. *superscriptum in cod.*

1) Raab. Cf. Herim. Aug. 2) *Tradiderunt Teutonici, quod, cum ad proelium appropinquassent, cum coelesti signo nebula tenuis apparuit, turboque vehemens divinitus incitatus terribilem pulverem obtutibus ingessit Hungarorum, quos iam pridem, ut dicitur, quia Petrum suum regem dehonestaverant, dominus apostolicus anathemate damnaverat feriendo.* Thwrocz p. 125. 3) Cf. annales Leodienses (M. G. SS. IV, 19) et Arnulfum Mediol. (M. G. SS. VIII, 18). 4) Stuhlweissenburg. Cf. Thwrocz p. 126. 5) *Ungarios petentes lege Baioarica donavit.* Herim. Aug. *Concessit petentibus Hungaris Hungarica scita servari et consuetudinibus iudicari.* Thwrocz l. l.

maiestatem nunquam memoraturam iam factae iniuriae propter indulgentiam, quam omnibus debitoribus fecerat in finibus Ungaricis; sin autem, eius iniusticiae se nolle consentire, sed, quantum Domino iuvante liceret, obviam ire. Eiusmodi rationis nuncium cum saepius audiret, sed ad hoc nullo modo perduci valeret, coniuravit cum rege Karlingorum adversus regem dominum suum. Sed et omnes terrae suae homines constrinxit iuramento, ut sibi adessent, contra quoscunque illos inducere vellet, triennio. Haec vero comperto caesare, rex illum ad se venire praecepit, quod ille causa dissimulationis indubitanter fecit. Cumque in conventu principum res eadem cepisset agitari et ipse manifestam rei veritatem non posset inficiari, exquisita sententia a contubernalibus eius est iudicatum, quicquid de parte caesaris haberet beneficiorum, iure esse cariturum. Itaque interdicto utroque ducatu domum rediit et fraudem, quam pridem clam conflarat, tandem aperte contra regnum et regem exercuit, potestatem interdictam usurpando, colonias et municipia[a] terrae muris et armis muniendo, quae dispositis praesidiis replevit, et exinde comprovinciales suos praesides et praesides regi fidos invasit, bona eorum caede, incendio et fuga vastavit. Ecclypsis lunae 4. Non. Novembres, solis 10. Kal. Dec.[6] Diotmarus episcopus Hyldenesheimensis obiit, Azilinus succedit[7]. Khazo[8] quoque praesul Niwenburgensis obiit in finibus Italicis.

1045.

Rex Nemidone, dilecto sibi in loco, natale Christi celebravit[b], tractans cum optimatibus, ut obviam iret conatibus Gotefridi. Peractis feriis, vocato exercitu ex illis partibus pergit tyrannidem eius opprimere suosque defendere a gentili infestatione, urbemque[9] situ loci munitissimam invasit eamque instructis machinis expugnavit, disiecit, penitus delevit. Id ipsum quoque reliquis[10] Deo iuvante fecisset, si non fame populi prohibitus fuisset, quae tam valida erat per totum regnum eiusdem anni temporibus, ut grandes vici plerique vacui remanerent, pereuntibus habitatoribus[11]. Itaque relictis ibi praesidiis, qui urbes obsiderent f. 78. et hostes ab incepta vastatione cohiberent, ipse inde Augustam venit, ubi Langobardorum Febr. 22. conventum habuit et cum eis de illius regni ordinatione disposuit[12]. Inde Frisingam pervenit, ibi quadragesimae primam ebdomadam peregit, eoque regis sui Petri Ungarici nuncii deve- Febr. 24. — Mart. 2. nerunt, qui ipsum, ut proximo pentecoste ad filium suum venire et idem festum cum eo dignaretur facere, petierunt. Dehinc die[c] palmarum in Babenberga ramos[d] arborum Domino Mart. 31. portavit[13], pascha in[e] Goslari regia villa feriavit[e], dieque sancto tradidit Otoni, filio sororis April. 7. tercii Otonis regis[f], Alemanniae ducatum[14], Ebboni capellano suo Niwenburgensem episcopatum[15]. Sed et filium Baldwini militem per manus accepit illique marcham suae terrae conterminam, pro qua Gotefridus contenderat, dedit. Dehinc ante dies rogationum veniens Mai. 12 18. Radisponam, navigio decenter instructo perrexit Bathaviam, ibi ascensionem venerans domini- Mai. 16. cam; inde movens citato cursu pertendit, quo vocatus erat, Ungariam. In eodem itinere tentatus est clade miserabili et non solum perpessis, sed[g] et omnibus audituris valde lachrymabili. Nam dum per aquae periculum, quod Poienstein dicitur[16], proficiscitur et episcopus Wirzeburgensis Brun, cognatus eius, ipsum sua nave subsequeretur[h], praesul idem in praescripto saxo fantasiam[i], daemonis vidit imaginem eamque sibi loquentem audivit: *Episcope, quo proficisceris, meae potestatis es et eris, qui quamquam nunc tibi nihil ago, in futurum tamen obviabo.* Ad haec verba constrictus pontificis exorcismo conticuit et evanuit omnino, sed quamvis semper mendax fuerit, hac tamen vice non ex toto fefellit. Etenim cum rex haud procul inde invitatus et intime rogatus divertisset ad Persinbiugun[17], ubi vidua Adalperonis comitis[18], qui in superiore quadragesima obiit, sibi paraverat convivium vocatis, quos voluit, caesar sedit in colloquio in eminentiori quodam vestibulo. Igitur fractis

a) *coloniae et municipia Aventinum sapiunt.* b) c. *omisit Aventinus, supplevi ex Stamdelio.* c) d. *in codice omissum.* d) Babinbergae ramosa *cod.* e) i. f. *omissa in codice.* f) regis *superscriptum in cod.* g) sed *superscriptum in codice.* h) *sic cod.* i) fantasciam *cod.*

6) Cf. annales S. Emmerammi saec. XI. (M. G. SS. XVII. p. 571), ubi lunae eclipsis 5. Id. Novembris adscripta est. 7) Cf. Lambertum. 8) i. e. Kadelohus, cancellarius regis Italicus. Cf. Lambertum ad annum 1045. 9) Böckelheim, non procul ab urbe Kreuznach situm. 10) sc. urbibus. 11) Cf. Herim. Aug. ad annum 1044. 12) Cf. Stumpf n. 2270. 2271. 13) Cf. Stumpf n. 2275. 14) Cf. Herim. Aug. 15) Cf. Lambertum. 16) Vortices Danubii infra Grein, qui nunc Strudel nuncupantur. 17) Persenbeug ad Danubium. 18) Richlindis, vidua Adalberonis comitis Ebersbergensis, qui die 27. Mart. in castro Persenbeug fato functus erat.

Mai. 19 angulis vestibulum concidit et omnes pariter considentes obruit. Caesar ipse plurimis super
eum cadentibus infimus cecidit, Deo tamen protegente mortis periculum evasit, praeter
quod subsequens lignum brachium, quod illi opposuerat, decorticavit. Prun autem dictus
f. 78. episcopus et Althmannus Ebarespergensis abbas fractis cruribus, conquassatis corporibus,
materque familias semianimes inde elevantur, ad cubicula deportantur, in lectulis collocantur, post non multum temporis decursum, eadem clade defuncti, migrarunt ad Deum[19]. Rex
inde profectus gratias Deo agit, quod de periculo mortis liberatus, pro his, quos morti
proximos dereliquit, animo anxius. Veniens autem Ungariam, regio more susceptus decenter
Mai. 26. est et honorifice retentus. In ipsa sancta solennitate Petrus rex regnum Ungariae cum
lancea deaurata tradidit caesari domino suo coram omni populo suo et nostro[20]. Post
peractum vero regio luxu convivium obtulit illi etiam auri pondus maximum, quod ille
totum militibus distribuit, quos in prioris anni victrici praelio secum habuerat[a]. Eodem
anno Berengerus Battaviensis episcopus hac luce privatur, eique Egilbertus, regine capellanus, successor ordinatur.

Oct. 9. Guntherius, vita decedens hac, heremita[b]
Percipit in coelis bravium cuiusque laboris,
Quem prius in mundo tulerat carni dominando[21].

Sub eodem tempore rex Franchonefurt venit ibique languescere cepit[22]. Cumque de die in
diem languor magis ingravesceret, quam aliquid decresceret, Henricus dux Boiariae et Otto
dux Sueviae, episcoporum nonnulli aliique nobilium quam plurimi in unum conspiraverunt
et quem illo mortuo regem exaltarent elegerunt, scilicet Henricum filium Hezilini comitis,
patruelem praedicti Ottonis. Deus autem, qui omnia, quae vult, facit, eorum consilia adnullavit et regem, quem castigans castigavit, morti nondum tradere voluit, sed ostendens
illi suum salutare non longo post eum levavit hac infirmitate. Adelheit abbatissa Quittiligenburgensis isdem temporibus carneis soluta est membris[23].

1046.

Ian. 24. Rex feriavit[c] Domini natale Goslare[24]. Non multo post tempore marchio Ekkihardus
Mart. 23 subitanea morte obiit[25], in Nuunburg[26] rege praesente sepelitur. Die vero palmarum Hildenesheimense templum insigne et maxima pars urbis consumitur igne[27]. Rex tempus
pascale celebravit in Traiectensi civitate[28]. Eadem vero aestate Moguntia et Ratisbona[29] civi-
Mai. 18. tates sunt igne concrematae. Adventum Aquisgrani Spiritus sancti cum magno principum
f. 79. concilio peregit[30], ibique Gottefrido duci gratiam suae reconciliationis dedit ac ducatum
unum, cui patre[d] vivente dominabatur. Alter vero nec illi nec fratri habendus permittebatur,
sed Gozziloni sublatus Friderico, Baioarie ducis fratri, est datus[31]. His omnibus peractis rex
Iun. 24. inde discessit ac Mersiburc, natale sancti Ioannis celebraturus, perrexit. Illuc etiam Bratizlao
dux Boemorum, Kazmir Bolaniorum, Zemuzil Bomeraniorum advenerunt atque regem donis
decentibus honoraverunt. Eodem die fecit rex filiam[32] ipsius velamine sacro velari simul-
Iun. 29. que abbatissam Quittiligenburgensem consecrari. Inde discedens apostolorum Petri et Pauli
festa Mihsina celebravit[33], ubi etiam conventionem secundo habens duces praefatos inter
se pacificavit. Illic etiam Teti, Dietrici comitis filius, marchas Ekkahardi duas a rege
promeruit, terciam, id est Mihsinensem[e], rex adhuc retinuit[34]. Dei autem genitricis nativita-

a) *pergit Aventini librarius.* b) *hic versus solus in codice descriptus est, tum exstat lacuna, quam ex Staindelio explevi.* c) f. *quod in codice deest, ex Staindelio snpplevi.* d) patri *cod.* e) Mihinensem *cod.*

19) Bruno episcopus d. 26. Maii, Richlindis comitissa d. 12. Iun. et Altmannus abbas d. 16. eiusdem mensis obierunt. Cf. Herim. Aug., chronicon Ebersbergense, Necrologium Ebersbergense (Scriptores rerum Boicarum II, 16). 20) *Petrus rex in ipsa sancta paschali* (sic!) *solennitate regnum Hungariae cum deaurata lancea tradidit coram Hungaris simul et Teutonicis multis.* Thwrocz pag. 126. 21) Cf. Herim. Aug. 22) Cf. Herim. Aug. 23) De tempore, quo Adelheidis mortua sit, adhuc nihil certi exploratum fuisse videtur. 24) Cf. Herim. Aug. et Lambertum. 25) *Subito moriens,* Herim. Aug. *Subitanea morte praefocatus,* Lambertus. 26) Naumburg. 27) *Nostrum monasterium — in dominica palmarum* 10. *Kal. April. miserabili incendio periit, simulque tota pene civitas et maxima pars villae interiit,* Wolfherius in vita Godehardi post. c. 33 (M. G. SS. XI, 215.) 28) Cf. Herim. Aug 29) Cf. annales S. Emmerammi saec. XI. (M. G. SS. XVII, 571) et Ratisponenses (l. l. 584). 30) Cf. Herim. Aug. et Stumpf n. 2291 — 2294. 31) *Fridericus, frater Heinrici ducis Baioariae, dux Lotharingorum pro Gotefridi fratre ignavo Gozzilone constituitur.* Herim. Aug. 32) Beatricem. 33) Cf. Stumpf n. 2295 — 2298. 34) Locus maxime memorabilis de tribus Ekkehardi marchiis.

tem rex honoravit Augustae[a, 35]. Igitur convenientibus illuc militibus, iter aggreditur pro- Sept. 8. speroque cursu ad Italiam convertitur, perveniensque Veronam civitatem ibi exercitus sui speculatur congregationem. Motis autem exinde castris, sic disposuit seriem itionis, ut ante festivitatem apostolorum Simonis et Iude intraret fines Papiae civitatis, ubi separatim Oct. 25. habuit sinodale concilium[b, 36] ac populare iuditium, sic nimirum ordinans ista, ut praedictam solennitatem ibidem celebraret in fascibus et corona. Proficiscenti autem illi exinde ac per Oct. 28. diversas mansiones iudicanti[c] iustissime occurrere ceperunt Romani, de die in diem magis magisque conglobati, donec veniret urbem Sudrun[37] dictam, habiturus sinodum Dec. 20. alteram. Causa vero huius conventus fuerunt tres pape, qui omnes pariter superstites fuerunt illo tempore. Nam primus[38] illorum, relinquens sedem illam propter illicitum, quod contraxerit, connubium[39], potius sua recesserat[d] sponte, quam ulla coactus adversitate. Unde in unum coniurati Romani supponunt alterum[40] illi adhuc[e] in carne viventi. Primus vero tercio[41] illud regimen pretio vendidit, quia ira permotus sibi subpositum hoc possidere noluit. Quid multa? Omnes in hac sinodo iudicati deponuntur, et Pabinbergensis praesul Suitigerus[f], tali sede dignus, ab omni cleri et populi concilio approbatur. Dec. 24.

Dum autem hec aguntur, recidiva coniuratio in Ungarico regno contra Petrum regem f. 79'. oritur. Nam principes eius et familiares, die noctuque cum illo conversantes, ad tantas insidias pervenerunt consiliantes inique, ut ipso ignorante advocarent quendam Andream, emulum eius, utpute ex eodem ortum semine, spondentes per nuntios, illum communi principum voluntate in regnum constituendum atque illum deiciendum[g]. Quibus cum ille credulus libentissime paruisset, necnon inmensam multitudinem conducticii exercitus secum advexisset, praescripti obtimates regni, comprobantes promissa sua, occurrerunt ei cum armatorum multitudine maxima. Sic autem concluserant iter regi suo, ut non haberet diverticulum ullo in loco, donec pagani et ignominiosi, quibus concessum erat propria voluntate uti, oculorum illum lumine privaverant, quod nunquam regio nomini accidisse audierant, ne, si in regnum Teutonicum sanus effugeret, inde sibi bellum recidivum[h] et clades bellica succresceret. Pontifices etiam terrae illius pene omnes hac sunt tempestate prostrati, necnon cum clericis monachorum nonnulli; omnes ergo perseverantes in fide trucidabantur miserabili crudelitate. Principum etiam unus, Zaunic nomine[42], omnibus modis cruciatus, ex hac luce migravit, quia, priorem fidem recolens, nunc fidem Petro servare voluit. Exules autem plerique sunt interfecti, quidam vero aufugerunt pedestres, nudi et spoliati. A tribus ergo pontificibus, qui residui erant, accepit ille regalem ordinationem[43], quamquam prius crudeliter grassatus fuerat in sanctae ecclesie gregem[44]. Wilelmus Nov. 6. Argentinensis episcopus obiit, succedit Hezilino; Ebbo Constantiensis obiit[i], succedit Diotri- Dec. 24. cus eiusdem congregationis[45].

1047.

Nativitatem Domini rex feriavit[k] Romae, consecrandus imperiali benedictione. Die sancto primum papa ordinatus legittime consecravit imperatorem cum imperatrice[46], archipraesulem etiam Ravenne, nec non antistitem Placentiae cum Fuldensi abbate. Finita autem sollennitate ac imperatore iter in Apuliam convertente, imperatrix gravida vicinaque partui Mantuam perrexit, ibique[47] filiam peperit. Caesar vero, pertransiens totam illam terram, pervenit ad civitatem Beneventanam[48]. Inde domum conversus[l] praedictam intrat Man- f. 83. tuam, celebraturus resurrectionem dominicam[49]. Post pasca vero illo inde proficiscente ac Apr. 14. in nativitate sancti Ioannis baptistae[50] Augustam intrante, Ebbo eiusdem urbis praesul

a) Dei — Augustae, *signo omissionis in contextu verborum posito, librarius in margine adiecit.* b) conscilium *cod.* c) iudicanti *in codice iteratur.* d) decesserat *cod.* e) aduc *cod.* f) S. *in margine adiectum.* g) a. i. d. *in margine addita.* h) reciduum *cod.* i) o. *deest in codice, quod ex Staindelio supplevi.* k) f. *deest in codice, supplevi ex Staindelio.* l) *in imo margine f. 79' adscriptum est:* infra fol. 83.

35) Cf. Stumpf n. 2305—2313. 36) De synodo Papiensi v. Herim. Aug., ann. Corbeienses, Mansi Coll. conc. XIX, 615, Stumpf n. 2314. 37) Sutri. 38) Benedictus IX. 39) Cf. Bonithonem (Jaffé Bibl. II, 626). 40) Silvestrum III. 41) Gregorio VI. 42) Zonuk in chronico Thwrocziano pag. 131. 43) *A tribus tantum episcopis, qui in illa magna strage christianorum evaserant, coronatus est,* Thwrocz p. 132. 44) Cf. Herim. Aug. 45) Cf. Herim. Aug. 1046. 1047. 46) Cf. Herim. Aug. 47) *In Ravennati territorio filiam peperit,* Herim. Aug. 48) Cf. Herim. Aug. et Lambertum. 49) Cf. Herim. Aug. et Lambertum. Stumpf n. 2332—2336. 50) Error. Imperator die 24. m. Maii Augustam venit. Cf. Herim. Aug. Erat dies Ioannae, unde error profectus esse videtur.

moritur et imperatore praesente sepelitur. Cum autem huic Henricum subrogasset[51] ac iter suum in occidentale regnum convertisset, invenit inibi hostem paratum, ducem scilicet Gotefridum praememoratum. Hic enim recidivam rebellionem paraverat, quia iam omnimodis desperatus erat gratiam imperatoris sibi ultra posse conciliari, idcirco quod hanc sibi denegatam viderat, ante limina sancti Petri relaxatis caeteris debitoribus. Quapropter Diotricum, Paldwinum omnesque, quos socios nequitiae suae adsciscere poterat, assumpsit ac regiam domum in Niumago[52] impletam aedificiis circumstantium villarum igne combussit[53], nonnullas etiam urbium captas munitiones, antehac iure caesaris attinentes, militibus imperatoris seductis, occisis et expulsis, suorum replevit multitudine, ut nulli nostratium fas esset intrare. Sed caesar, condolens ex animo tali clade, expeditionem suam in eum multis navibus paravit cum magno labore, videlicet ut modo forent pedestres, postmodum vero equestres. Ubi tamen eheu nihil tale gessit, quale regno aut laudi aut honori Oct. 14. fieri possit[54]. Dux Henricus Baioariorum in eo itinere obiit, dum sponsam voluit accipere. Sept. 7. Otto etiam dux Alamannorum obiit, succedit Otto Swinvurtensis. Suidigerus papa obiit, Bam- Oct. 9. Iun. 17. berg deducitur et sepelitur. Poppo archiepiscopus Treverensis obiit, Eberhardus succedit[55].

1048.

Natale Christi imperator feriavit[a] Pholide. Eo venerunt Romanorum nuncii[56], episcopum Brixinae[57] sibi papam petunt, qui mox eligitur, ut petivere, iuxta consensum totius senatus principum. Cum ipsis legatis episcopi quidam Romam dimittuntur, qui papam deducunt. Aug. 9. Hic post modicum obiit, pro eo Brun est electus[58]. Hartwico ibi[59] cancellario dat episcopatum Babinbergensem, ac proficiscens inde Ebboni abbatiam Fuldensem. Ita disposuit seriem April 3. f. 83'. itionis, ut pascha Radasbonnae celebraret[60]. Ebbo patriarcha obiit[61]. Modicum vini. Plaga crudelis in homines grassata; mures enim consumpsere fruges terrae. Terrae motus 4. Id. Octobris[62]. Autumno comes Diotmarus Saxo, maiestatis reus ac proscriptus, ab Arnoldo pridem milite suo singulari certamine victus, eisdem vulneribus occubuit[63].

1049.

Natale Christi Frisingii[b] imperator celebravit et[c] Gotepoldo cancellario patriarchatum Febr. 2. Aquilegiensem tradit. Inde Radasponam it, in purificatione Deiparae Virginis ducatum Baiariorum Chuononi concessit. Diotericus etiam iniustus, coniurationis Gotefridi et Paldwini ad- Ian. 19. versus imperatorem dominum suum socius, digna Dei ultione occisus est[64]. Ratmundus Altahensis abbas obiit, succedit Diotmarus eiusdem coenobii decurio[d]. Caesar Merseburg pervenit, Mart. 26. ibi pascha celebravit[e]. Item[f] expeditionem in occidentales hostes, Gotefridum et Baldwinum, Iul. 11. 12. direxit. Cum quo etiam papa ad Aquas graneas[g] ad palatium pergit[65]. Vitam et sanitatem praedictis ducibus impetravit eo tamen pacto, ut caesareo subderentur dominio. Qua spe adtractus, dux Gotefridus illo devenit et per manus se ille tradidit. Qui Trevirorum episcopo datur custodiendus, nullam misericordiam ab imperatore promeritus, quia pridem in electos eius caeteris crudelius fuerat grassatus. Sic imperatorem fultum divino iuvamine posteaquam contra se venire Baldwinus conspexit nec ipsum suosve incursibus suae fraudis patere, exemplo ducis iam dicti et ipse eius se subdidit dominatui[66]. His ita prospere transactis Oct. 19. rediit, et Mogonciaci autumno ad concilium papae occurrit[67].

1050.

Natale imperator Pholide feriavit[68], ibi episcopatum Cumanum dedit . . . .[h] Tum mar- April. 15. chio Gotefridus[69], ab iniquis circumventus, innocens misere occiditur. Diem resurrectionis

a) *Aventinus pergit;* i. f. *ex Staindelio.* b) *sic codex.* c) i. c. e., *quae Aventinus omisit, ex Staindelio supplevi.* d) *sic cod.;* decanus *legitur in auctario Ekkehardi, ubi haec adduntur:* qui quidem fratrum ac laicorum electione tali est sublimatus suggestu, quoniam maxima floruit pietate et industria in priori principatu. e) c. *supplevi ex Staindelio.* f) Ita *cod.* g) *sic cod.* h) *lacuna in cod.*

51) Cf. Herim. Aug. 52) Nimwegen. 53) Cf. Lambertum. 54) Cf. Herim. Aug. 55) Eadem fere refert Herim. Aug. 56) Cf. Lambertum. 57) Bopponem, qui post Damasus II. vocatus est. 58) Leo IX. Electus est mense Decembri. Quae de morte Damasi et electione Brunonis referuntur, post a scriptore addita videntur. 59) i. e. in palatio Pöhlde. 60) Cf. Herim. Aug. 61) Cf. Herim. Aug. 62) 3. *Id. Octobris* Notae Weltenburgenses (M. G. SS. XVII, 572). *Nocte* 3. *Id. Octobris* Herim. Aug. 63) Cf. Lambertum. 64) Cf. Herim. Aug. 65) Stumpf n. 2371 — 2374. 66) Cf. Herim. Aug. 67) Cf. Herim. Aug., Lambertum a. 1050, Stumpf n. 2376. 2377. 68) *In Saxonia,* Herim. Aug. 69) marchio Carintanorum. Cf. supra a. 1042.

Traiecti celebrat[70]. Post haec dolens sibi a pessimis quibusdam praereptam Ungariam, quae 1050. prius tam evidente Dei iudicio cesserat ditioni suae, in Nuorenberg[71] suo fundo principes Iul. 16. convocat Baioariae totius, quid super his ageret, consulturus. Complacitum est, urbem f. 84. Heimemburg[72] aedificari et interim ab armatis aedificantes custodiri. Sed quia hoc Dei inspiratione consilium dederunt, postea eius auxilio in re fortiter[a] comprobaverunt. Nam cum ipsum opus Baioaricis provincialibus solum fuisset iniunctum, admodum pauca multitudine illuc convenerunt armatorum. Hoc ut audierunt hostes, aliquod detrimentum sui inde suspicantes, ipsa nocte Thebeorum irruerunt in castra nostratium. Et cum in aliquo tabernaculo Sept. 22. colligerentur plus quam ducentae sagittae, nulli tamen hominum est vulnus inflixum. Hunc impetum ubi eadem septimana ter quaterque sustinuerunt, tandem in unum conglobati obviam iverunt[b]. Ecce divina clementia adfuit, quae nusquam in se sperantes deserit. Nam confestim ut conflixerunt, ipsi admodum pauci immanem exercitum vicerunt, fugaverunt et, quoscunque insequi poterant, prostraverunt. Quapropter protectorem sui Deum laudantes, ad propria regressi sunt ovantes, paucorum in urbe praesidium constituentes. Sed ne quid mala mens linqueret inexpertum, hanc Ungri destruere conati sunt, rursum tanto congregato exercitu, qui nullius posset comprehendi obtutu. Loquor ingentia, sed tamen comprobabantur fuisse maiora. Nam cum paucissimi diem dominicum cum feria secunda et tercia tanti exercitus sustinuissent impetum, nullum ex suis excepto uno cecidisse, laudabant Deum; ipsi vero tantam multitudinem hostium prostravere, unde redeuntes socii ad asportandum sex naves compleverunt. Caeleste etiam signum ibi non defuit, scilicet[c] proeliantibus illis turtur mirae pulchritudinis muros circumvolitavit. Ignem vero ad incendendum qualibet parte orientis et occidentis, meridiei vel aquilonis admovebant: hunc ventus occurrens[d] deflectebat. Ex quo posteaquam hostes cognoverunt reatum suum, discesserunt confusi[73]. Tum f. 84'. accusatur Kazemer dux Bolaniorum, quod vi sibi usurparit provinciam[74], datam ab imperatore Boiemorum duci. In villa regia Gosolarae ad imperatorem venit[75] et obiectum[e] iure- Nov. 24. iurando excusavit; in quibus culpabilis fuit, hoc iuxta placitum imperatoris correxit, accepta gratia domum rediit[76]. Autumno imperatrix[77] Deo gratias filium peperit[f].

1051.

Natale Christi caesar augustus Pholide celebrat[g, 78], paschalia Agrippinae feriat[h], ibique Mart. 31. filium baptizari curavit[79]. Ad Ungros expeditio facta incommoda ac satis[i] laboriosa. Totum namque aestivum tempus, pluviis abundans, inmanes fecit prorumpere aquas. Qua de re plures tam hominum quam equorum summersi[k] sunt. Imperator vero ita disposuit iter suum, ut navigio descendens[l] per Danubium adsumptionem Deiparae Virginis celebraret Aug. 15. Bathavorum urbe[80]. Illic Gotefrido duci praememorato beneficium suum, quod habuit ab episcopo Coloniensi, reddi iussit et eum contra Baldwinum iuniorem nuper rebellantem provinciae esse defensorem rogavit. Ipse vero cum valida manu Baioariorum, Longobardorum, Saxonum[m], Suevorum, Francorum, Sclavorum ad Ungariam usque pervenisset et iter illo ingrediendi interclusum fuisset, habito consilio longam circuitionem peregit[81] et absque navibus et plaustris solo equestri itinere regionem intravit. Nec mora, ad quaecunque loca accessit, igne ferro exceptis ecclesiis vastavit. Sed cum hostis palam luce occurrere non auderet et exercitus diuturnitate temporis fame laboraret[n], domum sese recepit, sequenti anno reversurus. Pardo Mogontinus archiepiscopus obiit, Liutpoldus Babenbergensis prae- Iun. 11. positus succedit[82]. Hunfrid archiepiscopus Parthenopolitanus obiit, Engilhart succedit[o]. Hun- Febr. 28. frid Ravennas episcopus obiit, Heinrihc succedit[p]. Dietricus Constantinus episcopus obiit, Iun. 22. succedit Rumolt[83].

a) foriter *cod.* b) *pergit Aventini librarius.* c) sed *cod.* d) occurrens *in margine repetitum.* e) obictum *cod* f) *post in margine haec verba Aventinus addidit:* Honoricum in die Martini. *Cf. Lambertum.* g) c. *in margine adscriptum.* h) f. *in margine adiectum.* i) satis *superscriptum in codice.* k) sumersi *cod.* l) descedens *cod.* m) Saxorum *cod.* n) laborare *cod.* o) s. *deest in codice. Supplevi ex Staindelio.* p) H. s., *omissionis signo in contextu verborum posito, Aventinus in margine adiecit. Cf. Staindelium.*

70) Idem refert Herimannus Augiensis. 71) Stumpf n. 2390. 72) Hainburg. 73) Haec paucis verbis ab Herimanno Augiensi narrantur. 74) Silesiam. 75) Stumpf n. 2393. 2394. 76) Cf. Herim. Aug. 77) *Imperatrix tandem imperatori filium peperit,* Herim. Aug. 78) *In Saxonia apud Goslare,* Herim. Aug. 79) Cf. Herim. Aug. 80) Cf. Stumpf n. 2411. 81) *longo propter fluviorum illuvionem circuitu per Carentani fines transiens.* Sic Hermannus Augiensis, qui multo accuratius de hac expeditione agit. 82) *Pro quo imperator Liutpaldum, Babinbergensem praepositum, constituit,* Herim. Aug. 83) Cf. Herim. Aug. et Lambertum.

1052.

April. 19. Natale imperator feriavit[a] Goslarae, pascha Nemidone. Rursus ad Ungros expeditio, f. 85. Aug. sed nihil honoris vel utilitatis adquisitum regno. Cum enim urbem Preslawaspurch[84], in finibus utriusque regni sitam, diutina premerent obsidione, papae adiuratione constricti inde discessere[b]. Quod factum est callida machinatione regis Ungrorum, qui promiserat, quaecunque papa iussisset, se facturum, si per eius obtentum imperator cessaret ab oppugnatione suorum. Cum vero Danubium transfretasset exercitus, cuncta, quae spoponderat, est mentitus. Sed cum etiam exercitui stipendia defecissent, in sua redierunt singuli cum exercitu, Oct. 7. reversuri anno subsequenti[85]. Radasponam autem veniens papa cum imperatore exaltationem sanctarum reliquiarum, ut decuit, celebravit, hoc est Wolfgangi et Erhardi episcoporum urbis praedictae[86]. Quo tempore imperatrix filium secundum genuit, Chunradum nomine[c,87]. Non modica penuria frugum, vini modicum et acerrimum. Nizo episcopus Frisingensis obiit, succedit Ellinhard[88]. Bonifacius marchio de Italia insidiis cuiusdam militis sui occiditur[89].

1053.

Natale apud Wangiones imperator celebravit[d]. Chuono dux Baioaricus et praesul Radasponensis Gebehardus ea tempestate gravissimas inter se inimicicias contraxere[90], sed April. 11. cum imperator Mersiburch pascha celebraret[e], illuc evocavit utrumque ad conloquium generale pariterque complures regni totius principum, quorum iudicio dux praememoratus ducatu est depositus[91]. Prolata enim sunt iniusta iudicia, quae pridem in populo fecerat et quoniam urbem quandam episcopi, Paracstein[92] dictam, incendio concremaverat. Quod quidem iudicatur pergrave, si quis in regno tale quid audet committere. Sed cum inde discessisset domum, intestina molitus est commovere bella. Quapropter brevi plures iniquitatis suae socios adquisivit eosque sibi firmos et fideles esse iuramento constrinxit. His ad velle dispositis, ipse cum manu valida per Carinthanos ad Ungros confugit et plures coniurationis f. 85'. eiusdem conscios domi reliquit, quos sibi postmodum bella moventi auxilio fore speravit. Hi ergo deprensi facile ab hac stultitia sunt repressi. Ipse vero adiunctis sibi Ungris Charionas invadit[93] et, plurima loca vastans, urbem quandam, Hengistiburg[f] dictam[94], occupavit ibique praesidio imposito in Ungariam se recepit. Quo tempore papa adversum Nordmannos pugnavit, in quo proelio eheu fere omnes amisit, quicunque ex regno Teutonico venerant in auxilium eius. Ipse etiam in Beneventana urbe invitus, ut fertur, aliquamdiu est retentus[95]. Vini, frugum maxima penuria[96] in tota pene grassatur Baioaria. Quapropter colono fugiente plurimi vici deserti remansere. Sybicho Nemidonensis episcopus obiit, Arnoldus substituitur[97]. Nov. 6. Hartwicus episcopus Babinbergensis obiit[98].

1054.

Apud Otingun imperator natale Christi, curtem regiam, celebrat, ibique maiori filio suo ducatum Baioaricum contradidit, Adalberoni consobrino suo tradit episcopatum Pabinpergensem[99]. Inde Radisponam ad generale colloquium recessit[99*]. Quibus diebus hi, qui in urbe Hengistiburc praesidio relicti erant a Chuonone, fatigati crebra provincialium incur- April. 3. sione, ipsi sua sponte urbem diripiunt et clam inde in Ungariam aufugiunt. Paschalia Mer-

a) i. f. *quae in codice desunt, apud Staindelium leguntur.* b) *Aventinus medio in contextu verborum haec verba uncis inclusa adiecit:* Qui legatus huc venit, vide eius Vitam Ratisbonae. c) Ch. n. *post addita sunt.* d) i. c. *desunt in codice.* e) celebrat *cod.* f) *sic in codice, post correctum* Hengistisburg. *Cf.* Hengistiburc *sub anno sequenti.*

84) Pressburg. 85) Cf. Herim. Aug. et Vitam Leonis IX. auctore Wiberto L. II. c. 8. 86) Cf. chronicon Ekkehardi, notas S. Emmerammi, auctarium Ekkehardi (M. G. SS. XVII, 572. 364). 87) Cf. Herimannum Aug. 88) Cf. Herim. Aug. 89) *Bonifacius, ditissimus Italiae marchio, immo tyrannus, insidiis a duobus exceptus militibus sagittisque vulneratus et mortuus, Mantuae sepelitur,* Herim. Aug. 90) Cf. Herim. Aug. 1052. 91) Cf. Herim. Aug. 92) Parkstein in Palatinatu superiore. 93) Cf. Herim. Aug. 94) Hengstburg, castellum quondam munitissimum, in Styria haud procul a S. Florian situm. 95) *Ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus,* Herim. Aug. 96) *Frugum penuria facta est non modica,* Herim. Aug. 97) Sibicho obiit anno 1054. Cf. necrologium Fuldense (Böhmer, Fontes III, 161), annales Weissemburgenses, Lambertum. 98) Cf. Herim. Aug. Lambertus mortem Hartwici perperam anno 1054 adscribit. 99) *Natalem Domini in villa Otinga egit, ibique Babinbergensis aecclesiae praesulatum consobrino suo Adalberoni donavit,* Herimannus Augiensis sub hoc anno, postquam de rebus anni praecedentis ultimo loco haec adnotavit: *Imperator vero, in Baioariam veniens, ducatum eiusdem provinciae filio suo aequivoco tradidit.* 99*) Cf. Herim. Aug.

siburch[1] imperator feriavit[a]. Leo obiit, vir sanctus; infirmi sanati ad eius sepulcrum[2]. [April. 16.] Pentecoste Quitilingunburch imperator celebravit[b], [Mai. 22.] quo ad se ducem Boiemicum ac Bolanicum evocat eosque post longissimam disceptationem inter se pacatos domum remittit[3]. Ipse vero expeditionem suam contra Baldwinum direxit. [Aug.] Improvisus ergo ingreditur provinciam, maximam frugum pecorumque inveniens abundantiam. Sed cum hostes non auderent palam occurrere, ipse plurima loca devastans ferro et igne disposuit repatriare. Cum vero inimici cognovissent, remissius militem agere, unam exercitus partem subito incursantes, non minimam stragem dedere solitoque sibi fuga consuluere. Quos imperator secutus, tendentes repperit, tantaque clade multavit, ut dux ipse cum admodum paucis vix evaserit[4]. Ungri iterum Charionas invadunt, factaque praeda in patriam laeti recedunt; [f. 86.] Chuonone cum suis ducente[c], orientalem saepius Baioariae oram invasere, plurima loca diripuere, hominum inmensam multitudinem captivam abduxere. Tandem provincialibus ad arma convolantibus, aliquot ex his et illis caesi, plures sunt vulnerati. Ungri tamen praedam, quam praemiserant, retinuerunt, sed post haec ipsam provinciam incursare cessaverunt. Quo tempore etiam Gotefridus novus hostis extitit. Ingressus enim Italiam viduam Bonifacii marchionis Beatricem uxorem ducit[5], quam tamen post brevi reliquit, expulsus inde communi conspiratione plaebis, ac se Baldwini rursus inmiscuit armis[6]. Hoc anno obiit [Mart. 8.] Azilinus Hyldenesheimensis episcopus, succedit Hezil[7]. Ulricus episcopus Brexionae obiit.

1055.[d]

Dominicum natale imperator celebravit in villa regali Goslare[8]. Ipsis diebus mortuus [Ian. 10.] est Bratizla dux Boemicus[9]. Post haec imperator Ratisbonam venit[10], [Mart.] ibique generale colloquium habuit. Ibi ergo Gebehardum episcopum Eichstattensem apostolicae sedi praefecit, quem et mox ante se in Italiam transmisit[11]. Zpitigneum etiam[e], maiorem filium Boemici ducis, in locum substituit patris, sicque dispositis aliis, quae voluit, in Italiam transivit[f]. Resurrectionem ergo Domini apud Mantuam sabbatizavit[11*]. [April. 16.] Ekkihardum in sedem Brexionae urbis constituit. Generalem sinodum papa sibi occurrente habuit[12], [Iun. 4.] ubi complures[g] episcopatu deponi fecit[13]. Quosdam de militibus Bonifacii rebellantes, filio etiam eius defuncto, facile oppressit, ipsamque Beatricem in custodiis servari praecepit[14]. Quo tempore Richerius abbas Cassinensis, qui et Leonensem abbatiam regebat, unam, id est Leonensem, sponte remisit, quam mox ex petitione ipsius Richerii apud Florentiam tradidit imperator Wenzlao monacho Altahensi, viro admodum[h] modesto et sapienti. Ea tempestate obiit Altahensis [f. 86'.] abbas Dietmarus, [Sept. 3.] vir omnigena pietate probatus, pro quo communi fratrum consensu eligitur Adalhardus, eiusdem congregationis monachus, bonis quibusque merito aequiparandus. Et quoniam pridem obierat Waltheri Veronensis episcopus, imperator ibidem constitutus[15] Diotpoldum substituit in locum eius. [Nov. 11.] Quod vero Deo amabilem principem divina providentia defendat semper et muniat, hinc, qui velit, colligat. Dum ergo in Italia commoratur, quidam de regni principibus, qui etiam familiariores illi videbantur, hoc est Gebehardus patruus eius Ratisbonensis episcopus, Welf Charintanorum dux aliique complures clandestina cum his consilia concinnant, qui pridem publici hostes extiterant. Igitur Deo dignum augustum vita simul et regno privare, Chuononem, qui ad Ungaros confugerat, in locum eius subrogare conantur[i], et quoniam in hac coniuratione erant, ut praedixi, imperatoris amicissimi, potuit miserabile facinus perpetrari, scilicet[k] nisi hoc Deus ut casses comminuisset aranearum, quoniam non est consilium neque fortitudo contra Deum. Primum igitur Chuono, quem principem elegerant, miserabili excruciatus peste, fraudem et nequitiam terminavit

a) i. f. *desunt in codice.* b) i. c. *desunt in codice.* c) *codex in contextu verborum* agente, *quod interpunctum est; in margine:* ducente. d) *pergit librarius Aventini.* e) et etiam *cod.* f) transmisit *cod.;* transivit *Staindel.* g) c. *deest in codice, ubi lacuna exstat.* h) honesto *additur in auctario Ekkehardi, ubi haec omnia exscripta sunt.* i) c. *deest in cod., Staindelius:* conantes. k) sed *cod.*

1) *Mogontiae*, Herim. Augiensis, cuius auctoritas pluris facienda est. Cf. Stumpf n. 2454. 2) Cf. Herim. Aug. 3) Cf. Cosmae Prag. chronicam II. c. 13 (M. G. SS. IX, 75). 4) Cf. Gesta epp. Camerac. Cont. c. 10—14. 5) *Beatricem, Bonifacii quondam marchionis viduam, uxorem accepit*, Herim. Aug. 6) Cf. Lambertum 1055. 7) Cf. annales Hildesheimenses et Lambertum. 8) Cf. Bertholdum et Lambertum. 9) Cf. Cosmae Prag. chronicam II. c. 13. 10) Stumpf n. 2464. 2465. 11) Vide anonymum Hasrensem c. 38 (M. G. SS. VII, 265). 11*) Stumpf n. 2470. Cf. Bertholdum. 12) Florentiae. Cf. Bertholdum a. 1055 et Bonithonem p. 637. 13) *Multi episcoporum per symoniacam heresin depositi sunt et quam plures per fornicationis crimen,* Bonitho l. l. 14) Cf. Bonithonem l. l. 15) Stumpf n. 2484.

morte. Mox etiam Welf, infirmitate correptus et in extremis iam poenitentia ductus, peccasse se publice fatebatur et, ut indulgentiam apud augustum mereret, supplex precabatur. Cui etiam curtem suam, Utingun dictam[16], delegari fecit, socios coniurationis aperuit et mox ultimum diem clausit. Et quoniam imperator de Italia iam fuerat reversus, ad commeatum evocatus episcopus. Cum ergo primum infitiaretur, postremo manifestis signis est victus, Febr. 11. custodiae mancipatur[17]. Hermannus archiepiscopus Agrippine obiit[18], successit Anno. Oct. 25. Arnoldus Nemidonensis obiit, cui Chuonradt successit[19], Azilinus de Mersiburch, pro quo f. 87. Wofpho substituitur[20]. Udalricus etiam Tridentinae urbis praesul moritur, quem Hatto in Febr. 25. episcopatu subsequitur[21].

1056.

April. 7. Dominicam nativitatem imperator ad Duras aquas[22] celebravit, pascalem agnum in Mai 26. Bodirbrunnun victimavit[23], sacrum pentecoste[a]. . . peregit, et mox regi Charalingorum[b] ad Iun. colloquendum in finibus utriusque regni occurrit[24]. Ibi rex cepit negare quoddam pactum, quod inter ipsum et imperatorem pridem fuerat factum. Sed cum imperator paratus esset, acie potius dimicare, quam veritatem[c] semel susceptam[d] omittere, ad ultimum etiam proposuit examen monomachiae per se ipsum et illum pugnandae. [e]Quibus rebus ut rex se iam Iul. 2. victum intellexit, cum suis omnibus noctu clam auffugit[25]. Imperator vero Wangionem rediit[26], quo etiam papa Italia nuper digressus occurrit[27], ubi de statu regni plurima disponit, Gebehardo episcopo ante iam custodia relaxato gratiam suam reddit, Chuononem nepotem suum poenitentem pro rebellione suscepit, et sic singulos domum redire permisit[28]. Hac Sept. 11. ipsa tempestate principes Saxonici contra Luidilizos[f] pugnarunt, sed heu turpiter victi inde fugerunt, magno inibi suscepto suorum detrimento, interfecto etiam marchione Willihelmo[29]. Annus iste extitit detestabilis et luctum inconsolabilem intulit multis. Cum enim Romanum imperium vigeret tranquilla pace, offensus peccatis nostris Deus se dignum imperatorem gravi percussit morbo. Cui cum vitae adventaret exitus, papa cum multis aliis universi ordinis praesentibus, publice confessionem peccatorum facit[30], filium suum Henricum, haeredem regni relinquens, omnibus commendavit et sic, sacro corporis et sanguinis Domini Oct. 5. viatico confirmatus, hominem exuit et stola inmortalitatis indutus aulam regni caelestis, ut vere credimus, intravit[31]. Cuius corpus, Nemidonum[g] translatum condigno honore, festo Oct. 28. Symonis et Iudae, quemadmodum vivens praeceperat, est tumulatum[32]. [h]Rex vero Henricus f. 87'. per dominum papam ad Aquasgrani deducitur et in sede regali collocatur. Post haec Colo- Dec. 5. 6. niam venit, ubi Baldwinum comitem, qui diu patri suo rebellaverat, in deditionem suscepit et sibi post haec firmum et fidelem fore iurare facit[33].

1057.

Dominicam nativitatem rex Henricus adhuc[i] puer parvulus Ratisbone celebravit, colloquium generale cum regni primatibus habuit[34]. Chuononi cuidam cognato suo[35] ducatum,

a) *lacuna in codice. Procul dubio supplendum est* Goslare. *Cf. Lambertum et diplomata apud Stumpf n.* 2497. 2498. b) *sic codex.* c) *sic codex.* d) suscesptam *cod.* e) *Aventinus ipse librarium excipit.* f) *sic codex.* g) *sic codex.* h) *librarius Aventini pergit.* i) aduc *cod.*

16) Utting ad lacum, qui Ammersee vocatur. Hanc curtem Welf ex hereditate Adalberonis, ultimi ex comitibus Ebersbergensibus, acceperat. Cf. anonymum Weingartensem apud Hess Mon. Guelf. p. 11. 17) Cf. chronicon Wirzeburgense et Ekkehardum. 18) Mortem Herimanni ad annum 1056 referunt Lambertus, Bertholdus, Marianus; auctor Vitae Annonis (M. G. SS. XI, 469) cum nostris annalibus et chronico Wirzeburgensi de anno 1055 consentit. 19) Cf. necrologium Fuldense (Böhmer Fontes III, 161), chronicon Wirzeburgense 1055, Lambertum 1056. 20) Uterque in Bawaria natus erat. Cf. chronicon epp. Merseburgensium (M. G. SS. X, 181. 182). De Woffone canonico Eichstetensi vide Gundechari Librum pontificalem (M. G. SS. VII, 249). 21) Cf. necrologium Fuldense l. l. 22) *Apud castrum Turegum,* Bertholdus. 23) Cf. Lambertum. 24) Ad villam Ivois. Cf. Lambertum. 25) Cf. de his rebus Lambertum. 26) Stumpf n. 2500—2503. 27) Auctor erravit; papa enim mense demum Septembri Goslariae imperatori obviam venit. Cf. anonymum Haserensem (M. G. SS. VII, 265) et Lambertum. 28) Vide chronicon Wirzeburgense. 29) Cf. Lambertum. 30) Vide anonymum Haserensem p. 266. 31) *Ad interminabilia coelestis regni gaudia, ut vere credimus, est translatus,* Anon. Haser. l. l. 32) Cf. anonymum Haserensem et Lambertum. 33) Stumpf n. 2528. 2529. Cf. Sigebertum Gemblacensem. 34) Cf. Bertholdum et Lambertum. 35) Fratri Heinrici, palatini comitis in regno Lotharii. Cf. Lambertum.

quem Welf habuerat[36], tradidit. Quoniam vero imperatrix mater eius fatebatur, se gravidam fore, ideo ducatum Baioaricum permisit eam retinere, ut si filius ex ipsa nasceretur, ipse eodem principatu potiretur. His igitur ita dispositis, post pauca Saxoniam secessit. Dominus etiam papa mox in Italiam rediit. Insequente quadragesima Adalbero episcopus Paben- [Febr. 14.] pergensis hac exutus est vita, quam sedem rex in festivitate pascali apud Wangionum[37] [Mart. 30.] tradidit venerabili Guntherio, eiusdem congregationis canonico, sed tunc temporis cancellario Italico, qui mox, ut potestatem suscepit, statim etiam ipso die sancti pascae benedictionem[a] cum magna gloria accipere promeruit. Ipsa aestate papa Victor moritur, et in eius locum [Iul. 28.] frater Gotefridi ducis Fridericus, cognomine Stephanus, a Romanis subrogatus, rege igno- [Aug. 2.] rante, postea tamen electionem eius comprobante. Episcopatum autem Eichstatensem, quem dominus papa habuit, rex Gunzoni capellano suo tradidit.

1058.

Dominicum natale rex Goslare[38] celebravit, agnum vero pascalem Mersiburg[39]. His [April. 19.] diebus in Bodurbrunnun maior ecclesia cum aliis duobus monasteriis est igne consumpta[40]. [April 10] Sacrum autem pentecoste apud Augustam rex peregit, ubi et generale colloquium tocius [Iun. 7.] regni principum habuit[41]. Defuncto igitur papa Stephano piae memoriae, alius substitutus [Mart. 29.] est[42] et consecratus occulte. Quod cum principibus non placeret, deposito illo Augustam [42] ad regem misere legatum[43], petentes, apostolicae sedi praeferri episcopum Florentinum[44]. [f. 88.] Qua eorum petitione approbata aliisque regni negotiis ordinatis, singuli regressi sunt ad propria. His diebus legati Ungrorum sepissime veniebant pacemque fieri postulabant, et, ut haec verior firmiorque haberetur in posterum, regis sororem[45] filio domini sui, nomine Salomoni, dari postulabant in coniugium. Hoc ubi tandem regni primatibus complacuit, rex cum matre in fines Ungarie venit[46], utriusque regni primores iureiurando pacem firmare [Sept. 20.] fecit, sororem tradidit et mox se in Franciam recepit. Autumnali igitur tempore dux Charintanorum[b] Chuono Longobardiam valida manu est ingressus, sed resistentibus sibi provincialibus turpiter est regressus. Ebbo abbas Fuldensis est defunctus, in cuius locum [Nov. 17.] eligitur Sigifridus, eiusdem congregationis monachus[47].

1059.

Nativitatem Domini apud Argentinam rex feriavit. Hoc anno frumenti et vini satis abundans copia in Baioaria fuit, sed gravis pestilentia hominum animaliumque per totam provinciam grassabatur[48]. Abbas Herfeldensis Meginherę obiit. Episcopus etiam de Halber- [Sept. 26.] statt, Purchardus nomine, et archiepiscopus Magontiacensis Liutpoldus viam ingressi sunt [Oct. 17. Dec. 7.] carnis universae[49].

1060.

Incarnationem Domini rex Frisingun egit[50], episcopatum Halberstattensem[c] Purchardo dedit. Sacrum epiphania Ottingun celebravit, ac Sigifrido abbati Fuldensi archipraesulatum [Ian. 6.] Magontiae tradidit[51]. Regressus autem in Franciam, Fuldensem abbatem statuit Wittradum, eiusdem congregationis monachum[52]. Hiems tam acerba per Teutonicum regnum habebatur, [52] ut immensitate ac diuturnitate nivis ac frigoris multi mortales hac luce privarentur. Mox secuta est aquarum talis effusio, qualis vix aut nunquam fertur in illo regno provenisse[53]. Rex autem in Halberstatt peregit sanctum pasca[54], et mox eo recedente ecclesia ipsa cum [f. 88'.] aliis aedificiis est igne consumpta. Hac aestate Chuonradus episcopus Nemidonensis obiit, [Mart. 26. April. 18.] cui Einhart successit[55]. Piae memoriae Baldwinus Iuvavensis archipraesul est defunctus. [April. 8.]

a) ben. s. pasc. *codex*. b) Charitanorum *cod.* c) Halbarstattensem *cod.*

36) ducatum Carintanorum. 37) Stumpf, Reichskanzl. n. 2534—2539. 38) *Mersinburg* Lambertus. Auctoritas monachi Altahensis pluris facienda videtur, nam regem die 27. mensis Decembris in palatio Pöhlde moratum esse constat. Cf. Gundechari Librum pontificalem (M. G. SS. VII, 246). 39) *Magadaburh* Annalist. Saxo. 40) Cf. Marianum Scottum. 41) Stumpf n. 2554—2557. Cf. annales Augustanos. 42) Benedictus X. Cf. Bertholdum et Lambertum. 43) Male Lambertus hanc legationem anno 1059 missam esse refert. 44) Gebehardum, qui post Nicolaus II. appellatus est. 45) Iudith. 46) Stumpf n. 2559. 47) Cf. Lambertum. 48) Cf. Bertholdum. 49) Cf. Lambertum. 50) *Wormaciae* Lambertus, cuius error manifestus est. 51) Cf. Marianum Scottum. 52) Cf. Lambertum 1059. 53) Vide Bertholdum et annales Augustanos. 54) Cf. chronicon Halberstadense ed. Schatz p. 34. 55) Cf. Lambertum.

pro quo eligitur Gebehardus cancellarius[56]. Hoc igitur anno obiit papa Nicolaus[57], pro quo episcopus Luccensis[58] a quibusdam Romanorum in sede apostolica est constitutus, qui statim consecratus Alexander nomen accepit, quamvis communi eorum voluntate electus non fuerit, ut insequentibus apparebit[a]. Episcopus autem Parmensis, Kadalo nomine, audita unius morte, alterius autem electionem simulans se nescire, sumpta secum, ut ferebatur, pecunia inmensa, curtem adiit, regem Augustae reperit, ibique cum matre regis et episcopo Augustensi[59], qui adhuc palatio praesidebat, res suas agere non quievit, donec se ad sedem
59 apostolicam a rege conlaudari et, ut mos est, infula pontificali investiri impetravit[60]. Qui mox in Italiam regrediens et illum iam consecratum apostolicae sedi publice praesidentem reperiens, illo quidem anno in episcopatu suo quievit, postea vero heresim magnam et bellum periculosum, quod in suo loco dicetur, Romanae ecclesiae invexit. Quoniam autem[b], ut iam diximus, Alexander communi Romanorum voto electus non fuerat, quidam eorum, furto surripientes, crucem auream, quae ante papam portari solebat, et alia quaedam pontificalia ornamenta ad istum detulerunt. Quibus ille mox indutus publice procedebat, et honorem apostolicum sibi ab omnibus exhiberi exigebat, quosdam etiam potentiores data pecunia ad hoc[c] inliciebat. Inicia dolorum haec. Rex enim puer erat, mater vero utpote femina his et illis consiliantibus facile cedebat, reliqui vero palatii praesidentes omnes avariciae inhiabant, et sine pecunia ibi de causis suis nemo iusticiam inveniebat, et ideo fas nefasque confusum erat.

Hoc etiam anno pax est rupta, quae dudum cum Ungris est facta. Refertur supra[61], qualiter regis soror filio regis Ungrorum fuerat nuptum data: cui conventioni regis frater, Bel nomine, cum filio non intererat, ideoque nostratibus semper suspecti erant. Ob hanc igitur causam in Ungariam mittuntur ex latere regis episcopus Eppo de civitate Citiza[62],
f. 89. marchio Saxonicus, marchio Baioaricus et alii quam plurimi. Igitur post paucos dies adventus eorum in Ungariam rex Andreas, iam aperte cognoscens coniurationem fratris adversus se factam, adsumens reginam, filium nurumque, conlectaque non parva multitudine principum gentis suae, simul cum nostratibus in Baioariam voluit exire, credens se in terra aliena tutiorem fore. Quem frater cum magno exercitu insequitur, subitoque in ipsis faucibus viarum, quas portam regni vocant, a tergo adgreditur, statimque nostris in
63 arma ruentibus ingens pugna exoritur, summaque vi utrimque bellatur[63]. Sed Ungri, qui cum rege erant, fugiendo tantum sibi consulebant, nostri autem, qui adversus tantam multitudinem pauci erant, angustia et difficultate locorum constricti, simul etiam innumera multitudine oppressi, amissis suorum plurimis, ad ultimum et ipsi cedere[d] sunt coacti, ibique rex vivus capitur[64], sed eodem momento, equis et curribus conculcatus, moritur. Regina tamen cum filio et nuru gentisque suae principibus in Baioariam simul cum nostris egreditur. Capti sunt etiam ex nostris episcopus Eppo, Willihalm Saxonicus marchio, comes Poto aliique quam plurimi. Inter multos autem, qui ibi fortiter pugnavere, virtus
65 duorum tamen emicuit maxime, scilicet Willihalmi marchionis et Potonis comitis[65]. Hii enim, dum nostri caederentur, in quodam eminentiori loco substitere, tantamque stragem fecere, ut ea, quae pridem de fortissimis quibusque admiratu digna habebantur, modo in comparatione istorum parva videantur. A vespera enim usque ad ortum solis pugnantes, nequaquam a tot militibus capi potuere, donec accepta fide publica semet ipsos dedere[66].
Dec. 2. Gebehardus episcopus Ratisbonensis obiit, succedit Oto canonicus Babenbergensis[67].

1061.

Ian. 6. Natale caesar Mogontiaci celebravit[e], mox post sanctam theophaniam[f] Radisponam cum matre venit[68]. Illuc ergo occurrit vidua regis Ungarici cum filio nuruque, quam tamen

a) *quae sequuntur, Aventinus ipse descripsit.* b) autem *superscriptum.* c) adhoc *cod.* d) caedere *cod.* e) c. *in codice omissum ex Staindelio supplevi.* f) theophania *cod.*

56) Cf. annales S. Rudberti Salisb. 57) Constat, mense demum Iulio anni 1061 Nicolaum II. mortuum esse. Quam ob rem omnia, quae hic de schismate narrantur, ad annum sequentem referenda sunt. Cf. commentationem meam, quam inscripsi: Die Kirchenspaltung nach dem Tode Nicolaus II. et fragmentis annalium Altahensium adiunxi. 58) Anselmus. 59) Heinrico. 60) Basileae, non Augustae, Kadalus insignia pontificis maximi accepit. 61) sub anno 1058. 62) Zeitz. 63) *Commisso praelio ab utraque parte fortiter est pugnatum*, Thwrocz p. 137. 64) *Captus est ad portas Musum*, Thwrocz. 65) De Potone, qui erat ex comitibus palatinis Bavariae, vide Ekkehardum sub anno 1104. 66) Cf. Bertholdum et chronicon Posoniense 1060. Lambertus, qui fusius de his rebus agit, eas sub a. 1061. male refert. 67) Cf. Lambertum. 68) Cf. Stumpf n. 2591. 2592.

statim remisit rex in orientalem marcham Baiariae, illic quidem[a] praecipiens ei de suo servire, filium autem eius sororemque propriam abduxit secum in Franciam[69], donec per- Mart. tractasset sapienti consilio principum suorum, qualiter ipsis recuperaret, quod amiserant, regnum. Bel autem, qui caput et causa horum erat malorum, nimium gaudebat sperans, f. 89'. se a rege pacisci, quae vellet, per eos, quos ceperat. Quod cum videret ad votum suum non provenire, quia Teutonici reges non solent minis cuiuspiam terreri vel cedere[b], episcopum ultro a captivitate relaxat, alios autem adhuc secum retinuit. Sed cum generositatem eorum iam didicisset vere, ipse marchionem cepit invitare, filiam suam in coniugium accipere. Quod cum ille promisisset se facturum, dimissus ad patriam rediit moxque diem extremum clausit[70]. Sicque anno sequenti etiam reliqui omnes a captivitate sunt relaxati. 70

His etiam diebus Roma intestino bello laborabat, quoniam, ut iam diximus, quidam illorum ob gratiam episcopi Parmensis Alexandro non communicabant et cum hoc[71] quasi fidem regi servabant, quoniam ab ipso laudatum audierant. Ob hanc igitur causam legati Romanorum Augustam venere, cum rex ibi adsumptionem Deiparae Virginis ageret et gene- Aug. 15. rale conloquium haberet. Ex his vero idem episcopus unus erat, qui Alexandrum consecraverat. Is ergo accepto dicendi loco tali perorabat modo[c]: *Succurrite, potentissimi principes, ecclesiarum matri, succurrite apostolicae sedi. Ecce enim, cum omnes per vos in pace agant, sola Romana ecclesia bellis intestinis quassatur per Alexandrum, qui se papam nominat, quod tamen non est nec unquam erit, siquidem de eo iuste iudicatum fuerit. Non enim ex consensu regis, utpote patricii nostri, ut pastor in ovile intravit, sed data pecunia Nordmannis, inimicis videlicet vestris, ut fur et latro aliunde ascendit. Ecce adsum ego ipse, qui eum consecravi, sed Deum testor, quia vim patiens et coactus hoc feci. Quapropter, iustissimi iudices, quaeso, huic pesti, dum tempus est, obviate, ne capite morbide putrescente etiam reliqua membra citius incipiant languescere.* His ergo in curia auditis, diu multumque est disceptatum, quidnam super hoc esset agendum, quia episcopis nec iustum nec facile videbatur, discipulos iudicare magistrum. Tandem ergo, facta deliberatione, mittitur episcopus Halberstatensis[d] cum regis et quorundam pontificum litteris, qui utrarumque partium allegationes audiret et vice caesaris et principum iuste exinde iudicaret. Is ergo Romam veniens et singula, f. 90. prout gesta erant, perdiscens, quibusdam comprobantibus, quibusdam etiam adhuc contradicentibus, etiam ipse Alexandri electionem ratam esse firmavit, sicque ad propria remeavit[72]. Hoc tempore mater caesaris ducatum Boiariae, quem dudum retinuerat, sua sponte 72 remisit, eumque Otoni, viro prudenti, commendari curavit[73]. Adalman Brixiae episcopus obiit, Ulricus succedit.

1062.

Natale Christi caesar Goslarae, pascha Nemidone[74] celebrat. Rex igitur iam adolescere Mart. 31. incipiebat, palatio autem praesidentes sibimet ipsis tantum consulebant, nec regem quisquam, quod bonum iustumque esset, edocebat, ideoque in regno multa inordinate fiebant. Quapropter Anno archiepiscopus Coloniensis, duces et optimates regni crebra conventicula faciebant, quid de hoc agendum foret anxie nimis ad invicem conquirebant. Tandem ergo firmato consilio, cum rex esset iuxta Rhenum in loco, qui Werida dicitur[75], cum grandi 75 multitudine ex improviso curtem adeunt, crucem et regiam lanceam ex capella auferunt, regem ipsum navi imponunt nulloque obsistente ad Coloniam[76] usque deducunt[e]. Mater ergo regis tristis discessit inde, sed cum recordaretur, quam grave est regni negocia tractare, faciens ex necessitate virtutem, sacrum sibi velamen postulavit imponi. Ergo praedia, quae sibi in dotem data erant, solummodo retinuit, caetera regni gubernacula ex integro cuncta dimisit, seque totam ad Dei servicium contulit. Namque vigiliarum et orationum eius instantiam, eleemosynarum frequentiam, cibi potusque parcitatem, vestium cultusque vilitatem et caetera humilitatis ac pietatis eius opera quicunque vidit, libere protestari potuit, quod haec inmutatio dexterae excelsi fuerit. Et quoniam episcopus tunc palatio praesidens iusticiae studebat, etiam res publica florescere incipiebat.

a) *vox atramento oblita in codice legi nequit.* b) caedere *cod.* c) loco *cod.* d) Halbarstatensis *cod.* e) perducunt *corr.* deducunt *cod.*

69) Stumpf n. 2593. 70) Cf. Lambertum 1061. 1062. 71) Parmensi episcopo. 72) Haec erroribus scatent. Burchardus, episcopus Halberstadensis, anno 1062. Romam missus est post synodum Augustanam, quae mense Octobri a. 1062, non Augusto a. 1061. habita erat. 73) Cf. Lambertum. 74) *Apud Traiectum* Bertholdus. 75) Kaiserswerth. 76) Stumpf n. 2607. Cf. Lambertum.

Hac ergo tempestate[77] episcopus Parmensis, de quo supra sermo fuit, sedem aposto-
f. 90'. licam, quam canonice non potuit, armis obtinere contendit. Ad quam spem illum hoc
induxerat, quod a rege laudatus erat. Insuper et quidam Romanorum illi favebant. Qua-
propter, conlecta non parva manu Longobardorum, Romam ire[a] perrexit, veniensque ultra
Mart. 25. Sutriam, quam nostri Sudrun dicunt, in loco, qui Campus crassus dicitur, tentoria fixit[78],
statuens ibi aliquot dies repausare exercitum, simulque sperans, solo suo adventu territis
Romanis aut sponte discedere Alexandrum, aut se magna auxilia ex Urbe habiturum.
79 Insuper et hoc illum animabat, quod fautores sui intra Urbem turrim Crescentii[79] tenebant,
insuper et aliam firmissimam turrim, quae est in ripa Tiberis iuxta pontem Olvii[80]. Alexander
autem fautoresque sui iam dudum adventum istorum praescierant, ideoque et ipsi armis
se defendere parabant. Quo cognito, episcopus Parmensis statim elevatis militaribus signis
castra movit, sicque instructa acie Romam tendit. Econtra igitur fautores Alexandri, et
ipsi armis instructi, processere, quibus etiam multi ex plaebe se miscuerunt cum propter
animi mobilitatem, tum etiam propter iram et indignationem, quoniam ipsis videbatur
grande dedecus fore, quod quisquam hostiliter armata manu praesumeret Romam propius
Apr. 14. accedere. Nec mora, statim primo congressu victi, Romani terga vertunt, sicque versus
Urbem fugientes, multi caesi et vulnerati cęcidere. Quidam vero, ad Tyberim festinantes,
navem intravere, sed istis subsequentibus et uno tantum lanceam iaculante, cum unus-
quisque timeret sibi, in unam partem ratis constipantur cuncti, et[b] nave reversata pene
81 omnes suffocati sunt in aqua[81]. His militiae gestis episcopus Parmensis cum suis iam
clari habebantur, et timor eorum per universam Romam cottidie augebatur. Attamen,
f. 91. priusquam urbem intrarent, supervenit huic perturbationi [c]dux Gottefridus[82], qui dudum
post mortem imperatoris in Italiam fuerat reversus et, connubio iunctus viduae Bonifacii,
maximus habebatur in illis partibus regni. Hic ergo nunc minis nunc consilio cum ambobus
non cessavit agere, donec utrumque persuasit ad sedem pontificatus sui redire, praecipiens,
amborum legatos secum ad regem ire, ut is postmodum sedem apostolicam sine contro-
versia teneret, quem rex et regni principes iudicarent. Huic diffinitioni ambo facile con-
sentiebant, quoniam uterque de sua causa praesumebat. Sed cum hi legati ad curtem
regiam venissent et causa haec in curia agitari coepta fuisset, omnibus placuit, ut is, qui
consecratus foret, rursus ad apostolicam sedem reverteretur, donec canonico et sinodali
iudicio auditus aut eidem sedi iuste praeferretur aut damnatus iuste deponeretur. Sicque
legati dimissi in patriam redeunt, et Alexander non multum post temporis reversus est
Romam[83]. Engilbart Magdeburgensis episcopus obiit, succedit Wezil[84]. Obiit etiam Adal-
Nov. 13. hardus abbas Altaensis, vir in monastica professione perfectionis summae.

1063.

Rex in Frisingun[85] natale Domini celebravit, ubi constituit Wenzlaum Altaensibus
patrem, eiusdem congregationis monachum et fratrem[d], sed tunc temporis abbatem Leo-
Ian. 1. nensem. Is ergo Altaham veniens in dominica circumcisione fratribus cunctis congauden-
tibus, susceptus est cum ingenti honore simulque communi leticia universae familiae.
Apr. 20. Sanctum igitur pasca rex in Goslare celebravit, ibique in sabbato sancto repentinus tumultus
86 subito exarsit[86], sed favente Dei[e] clementia mox sopitus cessavit.

Alexander ergo papa, ut iam diximus, Romam reversus erat et, ut mos est Romanae
ecclesiae, post pasca sinodum episcoporum et abbatum convenire fecit. In hac igitur sinodo
de episcopo Parmensi mota est questio, quod datis pecuniis, per heresim scilicet simo-
niacam, sedem obtinere tentasset apostolicam et, cum hoc non proveniret ad votum suum,

a) iri *in codice superscriptum.* b) sed *cod.* c) *pergit Aventini librarius.* d) patrem *auctarium Ekkehardi.* e) de *cod.*

77) Haec recte se habent. Mense Martio anni 1062. Kadalus primum Romam cum exercitu aggressus est. 78) Cf. Benzonem II. c. 9. 79) Castro S. Angelo. 80) *Milvii credo* adscripsit Aventinus in margine codicis. *Ad pontem Holbii* Benzo II. c. 13 (M. G. SS. XI, 617). 81) Cf. annales Augustanos et Bertholdum, annales Romanos (M. G. SS. V, 472) et Benzonem II. c. 9. (M. G. SS. XI, 616). 82) Cf. Benzonem II. c. 13 et Bonithonem p. 646. 83) Alexander II. ante pascha anni 1063. Romam rediit. 84) Necrologium Fuldense, Bertholdus, Annalista Saxo de morte Engelhardi anno 1063. consentiunt. 85) *Goslariae* Lambertus, haud dubie hic in errorem inductus. Cf. Stumpf n. 2617. 86) Tumultus ille pentecostes solemnia turbavit, non festos paschales. Cf. annales Corbeienses et Lambertum.

bellum et armatas manus intulerit Romae, matri ecclesiarum, sicque eo praesidente et f. 91'.
consiliante homicidia et membrorum[a] obtruncationes ibi multae forent factae. Haec igitur eius crimina cum cunctis essent manifesta, et ad negandum vel satisfaciendum pro his nec ipse veniret nec quemquam transmitteret, iudicatus[b] ab omnibus, anathematis iaculo est percussus. Ille vero, ut haec audivit, episcopos et clericos, quos potuit, apud Parmam collegit[87] et ipse Alexandrum similiter damnavit, dicens, se pastorem dominici gregis iure 87
habendum, utpute a rege, Romano[c] scilicet patritio, electum et constitutum, illum vero ab omnibus fore detestandum et insequendum, qui non a sacerdotibus vel a Romano populo canonice esset electus, sed a Nordmannis, Romani imperii inimicis, lupina fraude et furtim et subdole fuerat introductus. Hoc igitur modo se invicem isti invidiose mordentes accusabant et defendebant.

Rex autem regnique principes nimis anxii erant, quoniam soror regis cum viro suo iam pridem expulsi erant de regno suo, et necdum contra haec quicquam erat gestum, quod regio honori duceretur dignum. Quapropter generale colloquium apud Maguntiam habuit, ususque sapientum consilio, hac eadem aestate exercitum in Ungariam ducere disposuit. Sicque dimissi redeunt ad sua, et quoniam haec futura erat iuvenilis regis expeditio prima, unusquisque, prout potuit, se ad hanc summopere praeparare studuit. Bel autem, qui Salomonem de regno expulerat seseque iam regali unctione consecrari fecerat, cum audisset expeditionem hanc tali apparatu adornari, nimium cepit angustiari. Saepe etenim antea inter nostrates et Ungros bella gesta erant, ideoque illum non latebat nostrorum vel in consilio sapientia vel in bello audacia, et idcirco nimis cepit inquirere, qualiter expeditionem hanc posset praepedire. Tandem igitur excogitato consilio legatos mittit; primo omnium excusare se iussit, quoniam ipse regem Salomonem de regno non expulerit, sed cum ille sua sponte profugeret, nemine insequente, tunc sibi a tumultuante milite f. 92.
impositum diadema non licuisse recusare. Quapropter si rex vellet iam in regnum redire, ipse illum condigno honore, quemadmodum regem dominum suum, paratus esset suscipere eique servire, ea tamen lege, si se permitteret ducatum illum retinere, quam habuerat sub eius patre. Et ut omnem tolleret nostratibus suspicionem, huius pacti filium suum obsidem promisit se transmissurum ad regem. Attamen dolus et fraus Ungarica iam pridem nostratibus rerum veritate sepius erat experta, et ideo verbis his nemo voluit fidem accommodare. Legati redeunt infecta pace, ipse autem, ingenita sibi calliditate pacem se cupere simulans, legatos subinde mittebat, sed nihilo minus interea angustias viarum vallabat, urbesque muniens ad bellandum se praeparabat. Eius autem ars arte deludebatur, quia spes pacis verbis ei dabatur[d], re autem vera bellum ingeri parabatur. Quid plura? Adveniente igitur tempore opportuno rex ad fines Ungariae venit[88] cum exercitu magno, sed omnem ingre- Sept
diendi aditum reperit sibi interclusum tam firmissimis munitionibus operum, quam etiam sollicita custodia militum. Quapropter Ungris, qui cum Salomone ad se transfugerant, viam monstrantibus per quoddam harundinetum praemisit partem exercitus, praecipiens, eis ingressis, sibi renuntiari[e], si ipse cum reliquis posset subsequi. Ipsi autem ingressi propter nimiam difficultatem neminem remittunt, sed itinere duorum dierum urbem quandam, quae Miesiginburch dicitur[89], adeunt, hanc statuunt expugnare et illic regi ingre- 89
diendi viam aperire[f]. Rex autem hoc eorum consilium ignorabat, sed tamen ipse, illis nescientibus, ad hanc eandem urbem interim veniebat, sicque ex improviso sibi invicem occurrentes civitati utrimque appropinquabant. Nec mora, ingens tumultus exoritur, urbs quasi in momento capitur, apertisque portis rex cum omni exercitu salvo Ungariam[g] ingreditur. Bel autem cum filio non longe aberat, sed ad bellandum promtus inmensam multitudinem collegerat. Sed mox, ut hos adversum se venientes cognovit, spiritum exhalavit, filius autem, ne caperetur, vix fugiens evasit. Sicque Dei providentia gens et tota f. 92'.
illa terra sine sanguine per regem Henricum regi Salomoni est restituta. Salomon autem, non immemor factae in se pietatis, invitavit regem ad Wizinburg, quae est regni sui metropolis, celebratisque conviviis, muneribus regiae munificentiae dignis eum honoravit[h], nec

a) menbrorum *cod.* b) iudicatis *cod.* c) R. *in codice superscriptum.* d) quia — dabatur, *signo omissionis in contextu verborum posito, in margine codicis adscripta sunt.* e) renunciari *cod.* f) apperire *cod.* g) Ungrariam *cod.* h) honeravit *cod.*

87) Vide Benzonem II. c. 14. 88) Stumpf n. 2630. 89) Wieselburg.

quisquam principum decenter non donatus abivit. Gaudentibus igitur cunctis rex cum suis in Baioariam revertitur, et hoc modo rursus cum Ungris pax firmatur[90]. Hoc anno Hen-
Sept 3. ricus Augustensis praesul moritur, cui Embriccho successit[91].

1064.

92 Dominicam incarnationem rex peregit apud Wangionem[92]. His diebus rursus legati Romanorum venerunt conquesti, singulis episcopiis singulos praesules sufficere, de sola apostolica sede duos simul contendere. Hac illorum quottidiana querela rex et principes permoti, statuerunt apud Mantuam sinodum fieri, ubi possent concurrere ambo papae, si fas est dicere, pontifices Teutoni, Romani et Longobardi[a]. Huic decreto ambo simul, Alexander et Kadalo, libenter assentiebantur, quoniam, ut diximus, uterque de causa sua praesumebat. Synodus autem ista in die sancti penthecostes denunciatur futura. Superveniente autem aestate mittitur a caesare ad eandem synodum archiepiscopus Coloniensis cum aliis episcopis et principibus non paucis. Episcopus autem Parmensis cum ingenti multitudine ad locum, qui Aqua nigra dicitur, accessit. Exinde legatos ad archiepiscopum Coloniensem misit, mandans huic, huic concilio se nolle interesse, nisi sibi permitteretur synodum tenere et in loco iudicantis papae praesidere. Sed cum caesareis nunciis indecens ac iniustum hoc[b] videretur, ut Alexander, qui iam papa erat, absens et inauditus deponeretur, ipse quidem in loco, quo diximus, substitit, exploratores tamen inde cottidie Mantuam misit, per quos sciret, quaeque illic dicta vel gesta fuissent. Alexander autem ad synodum promptus occurrit, quoniam regulis ecclesiasticis in omnibus semper obedire
f. 93. studuit. Ex Italia autem pontifices et abbates aliique principes innumeri undique confluunt, et propter studia partium, quae inter illos magna erant, diversi diversis favebant. Igitur
Mai. 31. feria secunda sancti penthecostes cunctis in ecclesiam congregatis, post invocationem sancti Spiritus omnibus secundum morem positis subselliis, primum Alexander sermonem[c] fecit de pace et concordia, postmodum proferre iussit, si qua essent dicenda. Tunc archiepiscopus Coloniensis: *Rex*, inquit, *et regni principes audierunt de te multorum, qui haec vera adfirmant, relationem, quod per heresim symoniacam perveneris ad sedem apostolicam, cumque tibi conscius fores criminis tanti, Northmannos, Romani imperii hostes, socios et amicos tibi adscivisti, ut eorum auxilio contra regulas ecclesiasticas, etiam rege invito potestatem hanc retineas: quapropter nos a rege directi sumus, ut, quid inde verum sit, cognoscamus.* Tum ille — ut verbis ipsius utamur — respondit: *Nostis quidem, filii charissimi, si accusatores mei veraces vellent esse vel videri, modo deceret eos, sicut me, adfore in praesenti. Quibus tamen non cogerer nisi mea sponte respondere, quia cuncti novimus, iustum non esse, discipulos magistrum accusare vel iudicare. Attamen nunc*[d]*, ne sancta Dei ecclesia scandalum habeat super me, testor et iuro per hunc, quem colimus, adventum Spiritus sancti, quia conscientiam meam nunquam symoniaca heresi conmaculavi, sed me reclamantem et renitentem traxerunt et in sede apostolica invitum statuentes consecraverunt. Et hoc illi fecere, qui secundum antiquum Romanorum usum eligendi et consecrandi pontificis curam et potestatem noscuntur habere. Quod autem mihi obiicis Northomannorum societatem et amiciciam, nihil est, quod de hoc modo respondeam, sed si quando filius meus rex ipse venerit Romam ad suscipiendam imperialem benedictionem et coronam, ipse tunc praesens comprobabit, quid ex his verum sit.*
f 93'. His auditis, cuncti credentes, eum obiecta bene purgasse, et ipsi eius electionem laudavere, clero canente: *Te Deum laudamus*, reliquis autem in commune Deum benedicentibus et laudantibus. Tandem silentio facto Alexander papa de Parmensi episcopo quaestionem movebat, quem tamen ipse non episcopum, sed hereticum nominabat. Cumque eius crimina nemo esset, qui refelleret, synodali iudicio rursus eum devovebat, Cisalpinis et Italicis cunctisque, qui dicere noverant, incidentibus: *Fiat, fiat!* Et hoc quidem modo solutum est
Iun. 1. concilium die illo. Sequenti vero die archiepiscopus Coloniensis non intererat, et ecce fautores Parmensis episcopi ecclesiam cum magno strepitu irrumpebant, Alexandrum papam hereticum vociferabantur, quidam etiam evaginatis gladiis mortem ei minabantur. Quo viso, qui in concilio erant, pene omnes fugere, solus papa vix remansit in loco

a) *Aventinus ipse pergit.* b) h. *superscriptum in codice.* c) sermone *cod.* d) ne *cod.*

90) Cf. Lambertum, qui paucis verbis de hoc bello agit. 91) Cf. ann. Augustanos. 92) *Coloniae* Bertholdus.

sessionis suae, adiuvante et consiliante illi Wenzlao venerabili abbate, qui usum Langobardorum iam didicerat plene, quia multa verbis audacter minari soleant, quae tamen opere adimplere nullatenus audent. Quod et hic eodem modo accidit, quia mox, ut Beatrix, uxor Gotefridi ducis, templum cum suis intravit, omnis ille tumultus et fragor bellicus in momento et, ut ita dicam, in ictu oculi deficiens cessavit. Sicque reliquis duobus diebus cum pace ordinatis, quae ordinanda erant, Alexander papa Romam regreditur. Reliqui omnes ad propria revertuntur.

1065.

Natale Christi Coloniae[93] caesar celebrat. Igitur fides catholica iam longe lateque 93 florebat, omnia oracula prophetarum, quae ante adventum Christi admodum pauci intelligebant, iam eo nato et passo cunctis credentibus luce clarius[a] liquebant, inter quae videbatur et illud esse completum: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Hoc etenim anno Iheru- Ies. 11, 10 salem pergebat multitudo tanta, ad sepulchrum Domini adoratura, ut quivis credere f. 94. posset, quia plenitudo gentium intraret, et quoniam multa dicenda forent de eodem itinere, queso, ne cui videatur grave, nos etiam exinde pauca quaedam summatim perstringere. Inter eos igitur, qui pergebant, principes isti erant: Sigifridus archiepiscopus Moguntiacensis, Wilelmus[b] episcopus Traiectensis[c], Otto episcopus Ratisbonensis, Guntherius praesul Babenpergensis. Hic ergo, quamvis caeteris adolescentior esset aetate, reliquis tamen inferior non erat sapientia animique virtute, et quod iam post mortem eius sine dolore et gemitu non possumus recordari, tunc temporis decus et columna videbatur tocius regni. Ut enim secretorum illius conscii solent affirmare, ad unguem factus erat multarum virtutum perfectione. Hos igitur primates sequebatur tanta multitudo comitum et principum, divitum et pauperum, quae videtur excedere numerum duodecim millium. Igitur mox, ut fluvium, qui Marowa dicitur[94], transierunt, statim pericula latronum et raptorum crebro incidere, quae tamen ipsi prudenter declinantes et caute, tandem urbem Constantinopolitanam adiere. Illic ergo tam honorifice se agebant in cunctis, ut ipsa graeca et imperialis arrogantia nimium miraretur super his. Pro magno etiam spectaculo praesulem Guntherium inhiabant ipsumque non episcopum, sed regem Romanorum esse credebant, et ob hoc in forma episcopi se occultare[d], quoniam aliter per illa regna sepulchrum Domini non posset adire. Igitur post aliquot dies inde exeuntes, Aliquiam[95] venere per varias angustias et tribulationes, quemadmodum idem Guntherius episcopus manifestat, ex eodem loco inter caetera scribens ita ad suos, qui domi erant: *Vere, fratres, transivimus per aquam et ignem, et tandem perduxit nos Dominus ad Aliquiam, quam sacra scriptura commemorat Laoditiam. Experti enim sumus Ungros sine fide famulantes, Vulgarios occulte*[e] *rapientes, fugimus Uzos aperte debachantes, Constantinopolitanos vidimus graece et imperialiter arrogantes, Romanitas perpessi sumus ultra omnem humanam et ferinam rabiem sevientes; gravia quidem perpessi sumus, sed adhuc*[f] *graviora supersunt.* Cum ergo in Aliquia morarentur dies paucos, ecce multi redeuntes ex Hierosolimis ceperunt occurrere per dies f. 94'. singulos, comitum suorum mortes innumeras nuntiantes, suas autem calamitates recentibus et adhuc[f] cruentis vulneribus demonstrantes; publice protestantur, neminem per illam viam posse transire, quoniam sevissima gens Arabitarum, humanum sitiens sanguinem, omnem illam occupasset terram. Quid ergo agerent, quo se verterent? Inito igitur consilio citius complacuit, semet ipsos sibi abnegare, totam spem suam in Domino ponere, scientesque, se sive viventes sive morientes Domini esse, alacri mente per terram paganorum versus civitatem sanctam ceperunt abire. Mox igitur ad civitatem quandam, quae Tripolis dicitur[96], cum pervenissent, et dux ille barbarus tantam multitudinem vidisset, 96 sperans, se infinitas pecunias invenire, omnes pariter crudeli ense decrevit trucidare. Sed hoc iniquis meditantibus, divina clementia Domini non defuit in se confidentibus. Confestim ergo de mari, quod civitatem ex una parte inundabat, nubes quaedam tenebrosa ascendebat, ex qua fulgura et choruscationes cum tonitru et horrore nimio procedebant. Cumque tempestas haec usque ad sextam alterius diei extenderetur et mons undarum marinarum

a) *quae sequuntur, librarius Aventini descripsit.* b) Wielmus *cod.* c) Treiectensis *cod.* d) ocultare *cod.* e) ocultte *cod.* f) aduc *cod.*

93) *Goslariae* Bertholdus et Lambertus. In errore versatus est scriptor noster. Cf. Stumpf n. 2655. 94) March. 95) Laodiceam (Latakieh). 96) Tripoli.

plus solito elevaretur, ipsi pagani necessitate constricti vociferabant inter se, civitatem ipsam
simul cum plebe quantocius[a] in abissum dimergendam fore, Deo christianorum pro suis
pugnante. Quo metu mortis dux ille ab intentione animi sui revocatur, moxque maris com-
motio placatur, christianis abeundi facultas conceditur. Variis ergo tribulationibus et angustiis
1 vexati, per totam paganiam tandem veniunt ad urbem Caesaream[1] nominatam, ubi et cenam
Mart. 24 Domini celebrabant, quae illo anno 9. Kal. Aprilis occurrebat. Etiam quasi pericula cuncta se
evasisse gratulabantur, quoniam hinc usque ad Iherusalem non plus quam duum dierum iter
Mart. 25. computabatur. Altera autem die, id est in parazave[b], hora diei pene secunda[2], cum egre-
f. 95. derentur Capharsala[3] vicum, subito incidere in manus Arabitarum, qui mox ut lupi, esu-
rientes diu desideratam praedam, super eos insiliebant et primos quosque dilaniantes
miserabiliter trucidabant. Nostri autem primo temptabant resistere, sed cicius, ut inermes,
compulsi sunt in vicum refugere. Quibus fugientibus quantae ibi fuissent hominum cedes,
quam innumerae mortis species, quantae calamitates et miseriae, quis valeat verbis expli-
care? Ibi ergo episcopus Traiectensis[c] Wilelmus graviter vulneratur, et vestibus cunctis
exutus cum aliis multis, miserabili modo caesis, in terra iacens dimittitur. Reliqui autem
tres episcopi simul cum diversarum gentium non parva multitudine atrium quoddam mu-
4 ratum duasque turres lapideas occupavere[4], exinde, quamdiu Deus daret, parati se de-
fendere. Porta autem atrii nimis angusta erat, ac hoste imminente[d] onera equorum
deponere non valebant; ideoque perdiderunt ipsos equos et mulos cum omnibus, quae por-
tabant. Quibus hostes divisis inter se, mox ipsos pecuniarum dominos properabant extin-
guere. Econtra illi arma iudicantes, quaecunque in manum venerant, fortiter resistebant.
Quapropter maiori indignatione hostes permoti, acriores insurgebant. Quos nihil omnino
contra se ausuros putabant, iam viriliter repugnare videbant. Tribus igitur continuis diebus
summa vi praeliatur utrimque, quoniam nostris, quamvis fame et siti vigiliisque laboran-
tibus, tamen pro vita et salute res erat, hostes vero lupina rabie frendebant, quia praedam,
quam sibi videbantur inter fauces retinere, nullo modo permittebantur transglutire. Tandem
Mart. 27. igitur in ipsa dominica sancti pascae hora diei quasi nona, dicta inter eos pace, octo prin-
cipes paganorum permissi ascendunt in turrim, in qua erant episcopi, velut ibidem cogni-
turi, quanto pecuniarum pondere vitam suam ac abeundi licentiam vellent redimere. Sed mox
ut ascendere, is, qui maximus inter eos videbatur esse, ad pontificem Guntherium, quem
principem omnium putabat, accessit, lintheum, quo caput suum involutum erat, absolvit,
f. 95'. collo episcopi sedentis circumposuit[5]: *Ecce*, inquiens, *te solo capto omnes hos in mea
potestate habeo et iam iamque tecum pariter in arbore suspendam, quantoscunque ex vobis
voluero.* Hic, hic agnosci potuit, quia iustus ut leo confidit. Nam cum haec illius facta et
dicta per interpretem agnovisset, venerabilis vir ille nequaquam territus est ex innumera
et circumfusa hostium multitudine, sed protinus exiliens uno ictu manus suae paganum ad
terram deiecit[e] collumque eius pede suo pressit: *Eia*, inquiens, *mei, insurgite, omnesque
istos comprehensos vinculis fortiter constringite, telisque suorum, qui nos impugnant, nudos
opponite.* Nec mora, simul cum dicto factum est, quod iussit, et hoc modo impetus in-
pugnantium paganorum illo die quievit. Sequenti igitur die hora quasi nona dux regis
6 Babyloniorum, qui praeerat in civitate Ramula[6], auditis his, quae fiebant, quamvis gentilis,
tamen ad liberandum nostros cum magna multitudine veniebat. Cogitabat enim, si isti
perirent tam miserabili caede, nullum posthac causa orationis per illam terram venire, et
exinde se suosque grave damnum incurrere. Cuius adventu cognito, Arabes undique
dispersi fugere, et ipse, acceptis his, qui comprehensi erant et ligati, nostris ianuam
patefecit exeundi. Qui egredientes ad civitatem Ramulam pervenere, ibique a duce et
oppidanis[f] illis retenti duas heptomadas inviti resedere. Tandem igitur dimissi, 2. Idus
Apr. 12. Aprilis civitatem sanctam sunt ingressi. Quantus ergo illic fons lachrymarum sit effusus,
quantas et quam puras precum hostias Deo inmolaverint, quam hilari mente iam post multa
Ps. 131, 7. suspiria decantaverint: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius*, quis verbis explicare

a) quantotius *cod.* b) *sic cod.* c) Treiectensis *cod.* d) iminente *cod.* e) *Aventinus ipse abhinc pergit.* f) oppidaneis *cod.*

1) Kaisarieh. 2) *Circa terciam diei horam*, Lambertus. 3) *Carvasalim* Marianus Scottus. Chabarzaba sive Antipatris oppidum antiquis temporibus nominabatur; non est Capernaum, ut Lambertus sibi persuasit. 4) *Atrium quoddam occupant*, Lambertus. 5) *Linteum, quo caput more gentis obvolverat, expediens, facto vinculo, in collum episcopi iniecit*, Lambertus. 6) Ramleh.

poterit? Ibidem igitur per 13 dies intima devotione vota sua Domino solventes, tandem ad Ramulam regrediuntur ovantes. Arabes autem multo plures undique convenerant, omnesque aditus viarum mente crudelissima insidiantes obsederunt, quoniam extractam sibi de faucibus praedam nimium dolebant. Sed hoc nostri non ignorantes, mox negociatoribus illis naulum dantes ventumque aptum observantes, navem ascenderunt, prosperoque f. 96. cursu octavo die in portu urbis Aliquiae applicuerunt. Post aliquot ergo dies moventes Mai. exinde, quamvis non sine magno labore et difficultate, tamen laeti post longa viarum spacia in finibus Ungariae et in ripa Danubii fluminis tandem consedere. Sed fallax hoc saeculum quid laetum unquam habuit aut laeto fine terminavit? Iam enim flumen ipsum transsierant, iam se patriae propinquare gaudebant, et ecce saepe dictus vir inlustris pontifex Guntherus, velut iam de die mortis suae praescius, in ipsa ripa fluminis genu in terram flexit, terramque exosculans: *Laus*, inquit, *et gratiarum actio Deo omnipotenti, qui me in haec loca perduxit. Nam ubicunque iam ipse constituerit obitus mei horam vel locum, certus tamen sum, quia fideles mei ad Babenperch deferent corpus meum.* Quid multa? Eadem hora morbo corripitur, nec tamen ab itinere retardatur, donec pervenit ad urbem, quae Deserta civitas nuncupatur[7]. Ibi ergo non valens diutius morbo reluctari, sed pro certo sciens, iam 7 appropinquare diem obitus, tribus illis coepiscopis aliisque compluribus sacri ordinis viris facta confessione, sancti olei delibutus unctione, et suscepto viatico dominici corporis et sanguinis, 10. Kal. Augusti obiit. Iul 23. Cuius corpus fideles illi comites et coepiscopi lamentantes inde levavere et, quia maxima multitudo fidelium eius, aliud de eo sperantium, occurrebat cottidie, cum ingenti luctu pene totius Baioriae et Franciae ad Babenperg detulere et ante aram sanctae Gerdrudis, quemadmodum ipse adhuc vivens ordinaverat, cum honore decenti sepeliere. Et licet ille, ut vere credimus, ad meliora conscenderit, luctum tamen inconsolabilem suis dereliquit. Ut enim cum pace omnium dicamus, nostris temporibus illo in virtutibus maior rarus quisquam surrexit aut nullus, et vix credi potest, si post eum iam talis sit aliquis surrecturus[8]. Succedit in episcopatum illi Herimannus, Mogontinus canonicus[9]. Egilbertus Bathavinus episcopus obiit, Altmannus succedit[10]. Rutheri Tarvi- Mai. 17. siensis episcopus obiit, succedit Wolframmus, tum abbas Oziacensis[11], pridem vero monachus Altahensis. Hoc anno abbatia Altahensis in beneficium datur Otoni duci Baioarico[12], f. 96'. quod mox multi coeperunt opinari et dicere, quia non ei cessurum esset prospere.

1066.

Natale Christi rex Mogontiaci[13] celebrat, paschalia vero Nemidone[14]. Apr. 16. Tribus proximis diebus ante pascha per totam Italiam stella quaedam mirae magnitudinis apparebat, quae radium unum in modum hastae versus orientem mittebat. Post pasca autem in diebus rogationum non per Italiam solum, sed iam per totum regnum stella cometa apparuit et per quatuordecim dies[15] magno miraculo intuentibus fuit. 15 Quibus diebus rex iam adeo coepit infirmari, ut penitus de eo desperassent medici et quidam principum spe et cupiditate iam occupassent solium regni[16]. Sed agente divina clementia rex, qui castigando salubriter castigatur, citius sanitati restituitur, sicque spes iniqua corvorum hiantium deluditur. Cum vero sponsa illius iam esset adulta, quam pater eius secum adduxerat novissime regrediens de Italia, et cum ipse iam flore iuventutis vernaret et Wirziburch natale apostolorum Petri et Pauli celebraret[17], regia benedictione eam coronari fecit, moxque in Ingilinheim[18] cele- Iun. 29. bratis nuptiis regali munificentia, ut par fuit, in consortium regni eam adsumpsit. Iul. 13. Hac aestate Aquitani[19] cum Anglis Saxonicis navali praelio pugnaverunt[20], eosque victos suo

7) Oedenburg. Hoc civitatis nomen etiam Aventinus in margine codicis adscripsit. Albae (Weissenburg) Guntherius fato functus esse in Vita Altmanni (M. G. SS. XII. p. 230) dicitur. 8) De Guntherii itinere ac morte et Lambertus et Marianus agunt, sed minus accurate, quam monachus Altahensis. Vide et Ingulphi, qui ipse itineri interfuit, enarrationem (Savile SS. rer. Angl. p. 903. 904). 9) *Vicedomnus Mogontinus* Lambertus. 10) Conf. Lambertum. 11) Praefuit monasterio Ossegg in Bohemia. Conf. auctarium Ekkehardi. 12) Cf. Lambertum 1063. 13) Goslariae a rege natale Christi actum esse, Lambertus refert. Sed cum initio anni rex conventui Triburiensi interfuerit, fides annalium nostrorum praestare videtur. 14) *Traiecti* Lambertus et Bertholdus. 15) *Per quatuordecim fere noctes continuas* Lambertus. 16) *Rex — — gravissimam aegritudinem incidit, ita ut a medicis desperaretur et principes de regni successione consilia conferre coepissent*, Lambertus. 17) Cf. Stumpf n. 2693. 18) Errat scriptor. Triburiae nuptias celebratas esse, ex diplomate regis compertum habemus (Stumpf n. 2694). Cf. Lambertum. 19) Normanni. 20) Terrestri proelio Anglos a Normannis devictos esse, inter omnes constat.

dominio subiugaverunt. Retulerunt ergo nobis, qui eodem bello interfuere, duodecim millia 21 hominum ex parte vincentium cecidisse[21]. Quanti autem ex parte victorum sint mortui, haud facile fuit numero comprehendere. Quidam etiam interpretabantur, idcirco stellam crinitam tam terribilem pridem exarsisse, quod tot millia hominum eodem anno periere[22].

1067.

f. 97. Natale Christi rex peregit[a] Radisponae[23], pascha Goslarae. Igitur dux Gotefridus, Apr. 8. qui viduam Bonifacii in matrimonio habebat, rege permittente, ut iam diximus, per fines Italos principatum administrabat[24]. Nordmanni autem, qui dudum Apuliam invaserant, per multos annos nimium iam confortati erant, ideoque ignominiosas[b] legationes et responsa regi regnique principibus saepe remittebant[c]. Sed cum rex in aliis regni partibus occupatus esset et idcirco illorum superbiae obviare non valeret, praedictus dux Gotefridus magnam multitudinem Teutonicorum ac Italorum conlegit et ad comprimendam illorum arrogantiam perrexit. Cui etiam dominus papa et Romani se coniungebant, quoniam ipsi iam diu potentiam Nordmannorum nimium metuebant, nec per se resistere illis confidebant. Mai. Confestim igitur facile ceperunt[d] quaedam castella, quae reddiderunt illis, quorum pridem erant propria, sed per vim Nordmannorum ablata. Cum ergo urbem Aquinum[25] vallassent obsidione firmissima et iam iamque urbs esset capienda, Richardus ducem se convenire per legatos oravit, qui mox, precibus eius annuens, ad pontem Karilan[26] illi obviam venit, ibique in medio pontis eiusdem secreto se invicem sunt allocuti, et mox dux obsidionem solvit. Sicque singuli ad propria sunt reversi[27]. His temporibus inter principes Baioaricos periculosae erant exortae inimiciciae, unde factae sunt hominum mortes[e] innumerae, oculorum effossiones aliorumque membrorum miserrimae detruncationes. Dux autem Oto, utrimque accipiens pecuniam, nihil horum curae habebat, et ideo magna pars provinciae incendio et 28 depraedatione vexata laborabat. Inter haec etiam Trevirorum praesul obiit[28], quem pontificatum contra voluntatem eorum rex Chunrado, Coloniensi praeposito, dedit. Cum autem clerus pariter et populus hoc ferrent indigne, quidam episcopii milites eundem episcopum illo venientem vivum cępere et de quadam altissima rupe praecipitari fecere. Quo casu nullam membrorum lesionem passus, cepit fugere, sed mox eum captum secundo praecipitavere. Sicque tercia vice reductus est et deiectus, tandemque moriens ad meliora conscendit, ut vere credimus, miraculis quippe magnis ad tumbam eius coruscantibus. Interfectores autem eius postea, ferreis circulis constrictos, poenitentiam agere conspeximus. Tandem ergo Treviris, concessa electione, elegerunt Utonem virum nobilem et honoratum, eiusdem congregationis canonicum[29].

1068.

f. 97' [f]Nativitatem dominicam rex peregit in Goslare[30] et post haec Augustam venit in puri- Febr. 2 ficatione Mariae, paratus inde in Italiam transire[31]. Sed cum regni principibus laboriosum videretur simul ire, facile persuaserunt regi, pueriliter utpute multa consideranti, in Saxoniam redire et pro se legatos in Italiam transmittere. Mittuntur igitur Anno Coloniensis archiepiscopus, Henricus Tridentinus[g], Otto dux Baioaricus. Hi ergo cum Ravennam venissent, civitatis illius pontificis[32] usi sunt confabulatione et convivio, nec etiam devitabant

a) r. p. *in codice omissa ex Staindelio supplevi.* b) ignominiosa *cod.* c) remittebat *cod.* d) caeperunt *cod.* e) motes *cod.* f) *Aventini librarius pergit.* g) Trendentinus *cod.*

21) Quindecim millia alii scriptores numerant. Lappenberg, Geschichte von England II, 61. 22) Cf. annales Augustanos. 23) *Spirae* Bertholdus. *Apud Bavenbergam* Triumphus S. Remacli I. c. 18 (M. G. SS. XI, 446). Regem, qui initio mensis Decembris Goslariae moratus erat (Stumpf n. 2698) et ante purificationem Mariae Augustam venit (Ann. August.), Bambergae natalem Christi egisse, verisimillimum est. Tum Augusta Ratisbonam iter fecit (Stumpf n. 2700. 2701). 24) Cf. supra verba scriptoris a. 1062. 25) Aquino. 26) Est Liris amnis, qui hodie Garigliano vocatur. Convenerunt Godefredus et Richardus in ripa ad pontem S. Angeli in Todici, haud procul a monasterio Casinensi siti; pons interruptus erat. 27) Cf. de his rebus Amatum (Ystoire de li Normant) VI. c. 9. 10, chron. mon. Casinensis III. c. 23, Bonithonem p. 652. 653. 28) Eberhardus, archiepiscopus Treverensis, iam die 15. mensis Aprilis anni 1066. mortuus erat. 29) Cf. annales Weissemburgenses et Lambertum a. 1067. Vitam Conradi archiepiscopi Treverensis (M. G. SS. VIII. p. 213—219) et Gesta Treverorum (M. G. l. l. p. 182. 183). 30) Cf. Lambertum. 31) Haec haud dubie pertinent ad annum 1067, quo rex in purificatione S. Mariae iter Romanum Augustae parabat. Anno 1068. nativitatem S. Mariae Augustae celebravit. Cf. annales Augustanos. 32) Heinrici, qui partes Kadali tuebatur.

Parmensem episcopum, sese adeuntem alio in loco, quos utrosque Alexander papa ligaverat anathematis vinculo. Ob hanc igitur causam noluit eos videre, cum Romam venissent, videlicet quia excommunicatis a se communicassent[a]. Sed quia scriptum est: *Corripe sapien-* Prov. 19, 25 *tem et diliget te*, citius reconciliari meruere humillima satisfactione, tandemque audita eorum legatione post paucos dies, dimissis illis, mandat regi, quae voluit. Ipse vero more solito post albas[33] sinodum episcoporum habuit, in qua sinodo pontifex a civitate Turtun[34] ad- 33 erat, qui temporibus piae recordationis papae Leonis contra vastatores episcopii sui dimicando homicidium fecerat et ob hoc iam tot annis sacerdotali ministerio caruerat. Cum vero huc usque perseverasset in luctu penitentiae, illic reconciliari et ministerium suum recipere meruit tocius sinodi intercessione, quoniam, ut diximus, hoc fecerat in defensione ecclesiae. Florentinus autem praesul, quia per heresim simoniacam in episcopatum intraverat, accusatus et manifestis indiciis convictus protinus deponitur[35]. Affuit etiam illic Uto, Trevirorum praesul venerandus, qui et ipse de eadem heresi est accusatus, sed mox, per iusiurandum se excusans, innocens est iudicatus et post haec in magna veneratione a papa et Romanis est habitus[36]. Episcopi autem regii nuntii, Roma digressi, confestim ad propria sunt reversi. Solus Otto dux substitit in Italia, quasi cum principibus terrae regni illius tractaturus negotia. Huius rei gratia obviam ei venit cum magna multitudine Italorum dux Gotefridus in urbis Placentinae campestribus. Cum ergo consedissent, et res aliqua f. 98. agi[b] cepta fuisset, Itali, sua superbia elati et velut natali odio Teutonicum ducem audire dedignati, incondito clamore cuncta coeperunt turbare et nullo perfecto negotio ducem compulerunt abire. Fuere tamen, qui iam tunc inciperent suspicari et dicere, quoniam vir ille regi non esset fidelis perfectę et idcirco in Italia mansisset[c], si vel ducem Gotefridum vel alium aliquem socium consilii sui posset adsciscere.

Intra haec illae graves, quae inter Baioaricos principes exarserant, inimiciciae Deo miserante facile sunt restinctae. Cum enim ad tantam insaniam prorupissent, ut contra se invicem cum valida manu armatorum in orientis partibus convenirent, tanta mentes eorum quadam die corripuit rabies, ut parentes, cognati et affines, velut iam iamque pugnaturi, armatos contra se invicem educerent et instruerent legiones, spectabaturque miserrima cedes. Sed quid non praestas fidelibus tuis, Ihesu benigne? Ecce enim, cum iam in mutuis corporibus loca vulneribus oculis metirentur et manus eorum ad iaciendum et feriendum iam iamque levarentur, in ipso congressionis articulo et, ut ita dicam, minus quam momento, Deo respiciente, tanta mentes eorum subito pervasit inmutatio, ut, armis depositis, cum fletu et lachrymis, quae pridem egerant, sibi invicem perdonantes et pacis oscula libantes, cuncti ad propria regrederentur sani et ovantes[d]. Annus hic Altahensibus et Leonensibus extitit detestabilis, quia dominus Wenzla, utriusque monasterii pater venerabilis, 8. Kalendas Octobris viam ingressus est universae carnis. De cuius viri virtutibus Sept. 24. supervacuum duxi aliqua disserere, ne plura dicens inveniar minus dixisse. Hoc tantum de eo viro sufficiat nosse, quoniam multi eorum, quibus praeerat in utroque monasterio, solent adhuc protestari[e] una voce, similem illi pietate patrem se nunquam habuisse et, si post habituri sint, nimium desperare. Eodem anno Rabing patriarcha obiit, cui Sigihardus cancellarius successit.

1069.

Dominicum natale rex Moguntiae[37] peregit, moxque expeditionem contra Liutizos[f] in f. 98'. ipso hiemis tempore parari iussit[38]. Quo tempore dux Otto, qui in beneficium habuit Altahensem abbatiam, fratribus illis[g] eligendi inter se[h] abbatis concessit licentiam. Qui mox sine ulla dilatione elegerunt quendam suae congregationis fratrem, nomine Walkerum, virum multis virtutibus adprobatum. Expeditio autem, quamvis subito iussa esset et facta, tamen admodum utilis est probata. Terra etenim illa paganorum aquis et paludibus est

a) communissent *cod.* b) a. *superscriptum.* c) mansisse *cod.* d) *a verbis:* Deo respiciente *usque* ovantes *Aventinus ipse annales descripsit, tum librarius denuo opus prosecutus est.* e) prostrari *cod.* f) Lutizes *cod.*; Liuticos *Staind.* g) illi *cod.*; illis *in auctario Ekkehardi et apud Staindelium.* h) inter se *in codice omissa, in auctario Ekkehardi et apud Staindelium leguntur.*

33) Albae sunt dies hebdomadae, quae pascha subsequitur. Pascha eo anno incidit in diem 23. mensis Martii. 34) Tortona. 35) Cf. Mansium in Collect. conc. XIX. p. 993. 36) Cf. Jaffé Reg. Rom. pont. n. 3434. 37) *Goslariae* Bertholdus et Lambertus. Cf. Stumpf n. 2721. 38) Cf. annales Weissemburgenses, Bertholdum, Sigebertum Gemblacensem.

plena, sed tunc, hiemis scilicet tempore, nimium erat congelata, et ideo exercitui[a] facta est facilis ingrediendi et egrediendi via. Levi igitur congressione urbes aliquot ceperunt, villas innumeras vastantes succenderunt, predam et captivitatem inmensam secum abduxerunt. Ipsis ergo diebus facinus infandum patrandum fuisset, nisi Deus iniquorum consilia dissipasset. Cum enim, dimisso exercitu, rex iter ageret cum admodum parva multitudine, saepe dictus et dicendus dux Otto cepit eum rogare, domum suam, quae[b] illius civitatibus in via erat, secum adire, promittens, se inibi serviturum studiose. Qui mox annuit petenti, quia necdum ab eo suspicabatur quicquam mali. Erat autem tunc inibi
39 Chuno, minister et nutritor regis[39], qui ferebatur gratiam ducis non habere. Iniit ergo, ut dicunt, cum suis dux consilium, ut idem Chuono dehonestaretur, quasi iugulandus ante cubiculum et, cum rex ad sedandum tumultum cubiculo prosiliret, ab aliquo confossus interiret. Tunc igitur militibus ducis, quod sibi iussum erat, conantibus et verborum contumelias, unde litis initium fieret, iaculantibus, moxque his et illis: *Arma, arma!* conclamantibus, Chuononi citius socii sui in armis adstiterunt, sicque temere cepta facile quieverunt. Rex autem nec quisquam ex suis illa hora intellexit, cuius rei causa haec machinata
f. 99. fuerint, attamen verum esse ita, ut diximus, quidam, Egino nomine, postea manifestavit, qui huic consilio eadem nocte interfuit, quique de manu ducis gladium se accepisse affirmabat, cum quo interfectorem regis se fore ipsi promiserat[40]. Haec autem cum illo tempore essent cęlata et sedata, non idcirco tamen quievit iniquorum mens prava. Proxima etenim aestate duodecim Francorum et Saxonum principes contra regem coniuraverunt, quorum unus dux Otto rursus ferebatur esse. Scientes igitur, familiarem hostem ad nocendum esse promtiorem, palam rebellare fecerunt Teti marchionem[41], Adalbertum comitem[42]; reliqui vero simulabant se regi servare fidem, quo vel prospere[c] agentibus rex facilius interiret, vel[d], si victoria regem sequeretur, istis adiuvantibus illi citius veniam et regis graciam recipere mererentur. Nec mora, urbem quandam, nomine Scidingun[43], episcopi Babenpergensis marchio occupavit, Adalbertus autem regiam abbatiam, Nienburg dictam[44], invasit et praedia regis, quae in circuitu erant, sibi servire coegit. Rex autem Ratispone[e] positus, ubi haec audivit, collecta multitudine ceptis eorum obviare festinavit. Cuius reditum Adalbertus comes ut cognovit, de civitate, quam pervaserat, profugit. Quem principes quidam cum provincialibus sunt insecuti, sed ab illo illo quidem die miserabiliter caesi sunt et fugati. Rex autem in Thuringia[f] civitatem marchionis, nomine Pichilingun[45], obsedit, quam primo impetu captam succendi iussit. Movens ergo inde Scidingun pervenit, quae licet et ipsa expugnaretur, prima congressione tamen ex parte regis multi
16 vulnerati et mortui cecidere[46]. In praesentia dux Oto tunc aderat, sed nec hos nec illos adiuvabat, nec quemquam ex suis auxiliari sinebat. Haec autem reliqui coniuratores videntes prospere geri, nullo modo se manifestari sunt ausi. Quapropter marchio et Adalbertus, se derelictos sentientes consciosque suos pene ante tubam trementes, magnam praediorum suorum partem regi dantes, gratiam eius meruerunt omnesque consilii sui
f. 99'. coniuratos nominaverunt. Quos[g] tamen rex interim dissimulavit se scire, quia incautum videbatur sibi fore, tot regni primates inimicos simul adsummere. Aliam autem inrationabilem causam ipsis diebus cepit moliri, quae Deo prohibente non potuit perfici. Inlicitis namque concubinarum amplexibus adhaerere solebat et idcirco reginam, quam[h] consortem regni legaliter duxerat, penitus abiicere cogitabat. Auxit autem hanc eius iniquam voluntatem episcopi Mogontini confortatio, qui promiserat, se illi hoc permissurum synodali iudicio[47]. Dum autem haec synodus expectatur, interim regina apud Lorasham[48] morari iubetur. Grandis erat multorum admiratio et, quid inde futurum esset, stupens expectatio.
Oct. Cum vero dies synodi venisset et pontifex procedens iam consedisset, ecce missus domini

a) exercitu *cod.* b) *aliquid librarius omisisse videtur.* c) illis *in codice excidisse videtur.* d) *quae sequuntur, Aventinus ipse exaravit.* e) Ratisponte *cod.* f) Thuryngia *cod.* g) Quo *cod.* h) q. *in margine codicis additum.*

39) Cf. diploma regis, die 26. mensis Octobris anni 1064. datum, quo Cunoni praedia quaedam concessit (Stumpf n. 2652). Rex profitetur, se liberaliter agere *ob fidele servicium humilemque supplicationem Cunonis iuventutis suae pedissequi.* 40) De Eginone vide Lambertum a. 1070. et Brunonem c. 19. 41) Praefuit marchiae orientali. 42) de Ballenstedt. 43) Scheidungen in Thuringia. 44) München-Nienburg ad Salam. 45) Beichlingen, haud procul a Kölleda situm. 46) Cf. Lambertum, qui de his rebus fusius agit. Multa ab eo aliter narrantur, atque in annalibus nostris. 47) Eadem fere Lambertus refert. 48) Lorsch.

apostolici[49] adfuit, qui terribiliter ei minando nunciavit, quia, si ipse auctor fieret huius iniustae separationis, papa vivo nunquam illum compotem fore ministerii sacerdotalis. Quo audito synodus est soluta et regina regali thoro rursus restituta. [a] Temporibus ipsis in Italia contigit huiusmodi[b] res quaedam miserabilis. Adelheit, socrus regis, Laudasanis irata fuit; quapropter, vastata provincia, ipsam civitatem Laudam[50] cum magna multitudine obsedit, quamque expugnatam igne fecit succendi, et portis obstrusis nullum patiebatur egredi. Igitur monasteria ecclesiae cunctaque urbis moenia igne sunt concremata; quo incendio virorum, mulierum ac parvulorum perisse feruntur multa milia Huius reatus causa post haec Romam adiit, sed papa non indicta penitentia eam redire iussit. Fatebatur enim, se nescire, si qua vel qualis in tot et tantis criminibus deberet indici penitentia vel subsequi indulgentia. Sed quia eundem virum novimus pium ac mitem fuisse, nequaquam credimus, hoc eum dixisse, si cor illius perspexisset digne contritum et humiliatum fuisse[51]. Hoc anno dux Gotefridus obiit, cui filius suus Gozilo[c], qui et Gotefridus, in hereditate et principatu successit[52]. Eodem anno Hartwicus Veronensis episcopus moritur, pro quo Huswardus eligitur. Dec. 24. f. 100

1070.

Dominice nativitatis festum rex egit in Frisingun[53]. Post paucos ergo dies obiit vir venerabilis Wolframmus, Tarvisiensis episcopus, pro quo Azili est constitutus. Sacrum autem pasca rex Nemidone[54] celebravit, et in pentecoste in Mihisina[55] colloquium principum habuit. Otto autem dux nullo modo quiescere patiebatur, sed occulta[d] consilia semper contra regem machinabatur. Et cum iam hoc pene omnibus esset in ore, rex tamen dissimulabat, se credere, donec Egino praedictus regem adiit et rem omnem, cuius ipse optime conscius fuerat, manifestavit. Quo cognito rex ultra silere incautum credidit, ducem in sui praesentiam venire iussit; quae de eo audierat, coram multitudinem aperuit[56]. His ille auditis, ut erat callidus nimium, constanter perstabat negare, tandemque dimissus iubetur domum ire, certo die ad Goslare venturus et de eodem crimine coram rege et principibus singulari certamine se purgaturus. Quibus induciis finitis cognoscens, regem in sua sententia perdurare et Eginonem, consiliorum suorum conscium, sibi congressurum fore, die quidem constituto adfuit, sed tamen in praesentiam regis venire noluit, mandans regi, se non posse[e] curtem venire, nisi rex sibi venienti et abeunti concederet fideiussores pacis firmae. Cui rex: *Pax*, inquit, *ei ad me venienti firma erit et post, prout reus et innocens apparuerit.* Quod responsum secum altius ut tractavit, rursum mittens alias inducias rogavit, moxque equum ascendens festinus abscessit, quia regem non aliud, quam quod ipse postulabat, facturum esse putavit. Cum hoc autem in curia auditum esset, fuere, qui mox insequendum putarent, sed amicis eius, qui in praesenti aderant, contranitentibus et, quibus poterant, verborum argumentis tota die causam protrahentibus, subito rex inquisivit principes sub sacramento regalis iusticiae, quod iustum esset, se iam de hac re agere. Quorum iudicio reus maiestatis esse decernitur, et in regis potestatem[f] redacto ducatu, quem habuerat, ipse, ubicunque inveniretur, persequi ab omnibus iubetur. Quapropter quidam ex familiaribus regis predia illius invasere, omnibusque vastatis edificia ipsius villasque concremavere, ipse vero in montana silvae, quae Chetil dicitur[57], se coniecit, quos potuit, socios collegit, exinde eruptiones nunc hic, nunc ibi faciebat, episcopia villasque regales praeda et incendio vastabat. Tali perturbatione terra Saxonum et Thuringorum toto illo anno laborabat[58]. Apr. 4. Mai 23. Aug. 1. f. 100'.

1071.

Natale dominicum rex[g] in Babenberg celebravit[59], ubi ducatum Baioaricum cuidam principi, Welf dicto, tradidit. Is ergo Welf filiam eiusdem Ottonis, de quo loquimur, uxorem duxerat et hanc se legaliter habiturum iureiurando firmaverat. Ergo cum iam soceri sui

a) *abhinc usque ad finem omnia librarius Aventini descripsit.* b) *vox corrupta videtur. Forsitan scribendum sit.* hoc modo. c) Gozili *cod.* d) oculta *cod.* e) ad *excidisse videtur.* f) potestate *cod.* g) rex *deest in codice.*

49) Erat Petrus Damiani. 50) Lodi. 51) De his rebus in aliis historiis nihil inveni. 52) Cf. Bertholdum 1069. et Lambertum 1070. 53) Consentiunt Bertholdus et Lambertus. 54) *In Hildenesheim* Lambertus. Cf. Stumpf n. 2733. 55) *Merseburc* Lambertus. 56) Hoc factum est Mogontiae mense Iunio. Cf. Lambertum. 57) Thüringerwald. 58) Cf. Lambertum. 59) Natalem Christi rex Goslariae egit. Cf. Lambertum et diploma regis d. d. 6. mens. Ianuar. (Stumpf n. 2740).

ambiret ducatum et hoc regiis consiliariis non videretur cautum, eandem uxorem suam
patri remisit et se posthac nunquam ad illam accessurum rursus iuravit. Quo facto prae-
60 diorum suorum et pecuniarum quantitatem regi donavit[60], ducatum accepit, moxque cuius-
dam Angli Saxonici principis, Tostig[a] nomine, viduam uxorem duxit, factumque est mani-
festum periurium et publicum adulterium[61]. Cum autem rex in Luticha celebraret pasca
Apr. 24. dominicum[62], accidisse illic audivimus ab his, qui intererant, tale miraculum. De mona-
sterio, quod Stabelaus[63] dicitur, rex cellam quandam[64] cum omnibus ad eam pertinentibus
abstulerat, quam archiepiscopo Coloniensi tradiderat. Cum igitur fratres nullo modo pos-
sent hanc iterum recuperare, corpus sancti Remaclii in feretro levantes, ad curtem de-
Mai. 8. tulere et ante regem et episcopum, simul convivantes, super mensam posuere. Et: *Eia*,
inquiunt, *sancte Dei, supplices tuos exaudi et defende, bonaque tua noli alienis in praedam
concedere. Nec enim ante ad monasterium tuum a nobis portaberis, quam res pauperum tuo-
rum tibi vendicare dignatus fueris.* Quo viso et audito, rex et episcopus irati de mensa se
levare, abbatem fratresque minis et contumeliis verborum nimium affecere. Illis autem
recedentibus mirabili modo ruptis pedibus[b], qui firmissimi videbantur, mensa ad terram
f. 101. decidit et, unum[c] de circumstantibus, qui et contra sanctum Dei latraverat, opprimens,
tibiam eius confregit. Monachi autem in eodem loco cum reliquiis sanctis pernoctabant,
Mai. 9. lacrimisque perfusis incessanter divinum auxilium flagitabant. Altero[d] autem die, quo rex
ibi commessurus erat, sanctum levantes, inde in quoddam pomerium detulere. Ibi ergo
cunctis, qui ibi aderant, videntibus, quidam contractis adreptans manibus mox incolomis[e]
est erectus. Post pauca quidam cecus accessit, moxque lumen recepit, sicque per unius
horae spacium factae sunt curationes quinque hominum. Quo audito fit ingens populi con-
cursus, et campanis subinde sonantibus cunctisque divinas laudes acclamantibus, rex et
episcopus, qui iam ad mensam consederant, timore perculsi[f] surgunt, ad locum miraculi
accedunt, videntesque vera esse quae audierant, in commune cum caeteris et ipsi Deum
sanctumque eius glorificabant. Mox igitur rogante episcopo rex cellam, quam abstulerat,
reddidit, tantundemque praediorum de suo addidit abbatemque et fratres in pace abire per-
65 misit[65]. Rege autem diem pentecostes in Halberstat celebrante[66], cum saepe dictus Otto
iam sentiret, res suas non proficere, episcopum Adalbertum, quem prius offenderat, sibi
conciliavit, eumque causae suae oratorem erga regem fore rogavit. Is ergo inter missarum
sollemnia non cessavit tamdiu pro eo agere, quousque regis gratiam meruit recipere prae-
diaque sua ex integro possidere. Beneficia[g], quae inmensa habuerat, perdidit ex parte
maxima, inter quae etiam abbatia Altahensis libertati pristinae est restituta[67]. Fuere
etiam, qui crederent, idcirco illum de tanto dignitatis culmine cecidisse, quoniam locum
ipsum subiugasset servituti suae, quod nullum praecessorum unquam audierat fecisse.

Hoc anno archiepiscopus Mediolanensis[68] episcopatum sponte sua dimisit[h] et mona-
chicum habitum conversationemque assumpsit. Mox igitur quidam ex clericis[69] ipsius pro
episcopatu rogaturus regem adiit, mille libras se daturum iuravit et pontificatu suscepto
f. 101'. rediit. Mediolanenses autem audientes, haec taliter acta esse, nullo modo consenserunt
illum urbe recipere. Alexander autem papa, ut haec agnovit, utrosque illos anathemati-
zavit, illum quidem, quia semel susceptum regnum pontificatus deposuit se nesciente,
hunc autem, quia seniore suo vivente et per heresim symoniacam hoc ausus fuerat usur-
pare[70]. Et quoniam ad haec venimus, nemini, quaeso, odiosum sit, aperire nos paucis,
qualiter eodem anno saepe confutata sit ipsa heresis. Igitur presule Constantiensis[i] eccle-
siae moriente[71], quidam Halberstatensis[k] canonicus, Karlimannus nomine, praedia sua

a) *nomen, quod in codice omissum est, supplevi.* b) pedis *cod.* c) unus *cod.* d) Altera *cod.* e) in coloniis *cod.* f) persulsi *cod.* g) Beneficiaque *cod.* h) suadi misit *cod.* i) Constantiense *cod.* k) Halbarstatensis *cod.*

60) *Nihil pensi habens, quantum auri, quantum argenti, quantum redituum ac possessionum dilapidaret.* Lambertus. 61) Haec omnia apud Lambertum eodem fere modo narrantur. 62) Coloniae, non Leodii regem pascha egisse, Lambertus docet. Sed post pascha Heinricus Leodium venit. Cf. Triumphum S. Remacli II. c. 1 (M. G. SS. XI, 450). In suspecto quodam diplomate regio (Stumpf n. 2900) haec verba leguntur: *apud curiam nostram Legiae celebratam in pascha, anno videlicet inc. Dom.* 1071. 63) Stablo. 64) monasterium Malmundariense (Malmedy). 65) Cf. Triumphum S. Remacli l. l. 450—459 et Lambertum. 66) Cf. Lambertum, Annalistam Saxonem, chronicon Halberstadense p. 34. 67) De Ottone regi reconciliato Lambertus minus accurate agit. 68) Guido. 69) Godefredus. 70) Cf. Arnulphi Gesta archiepp. Mediolan. III. c. 22 et Bonithonem p. 651. 652. Novi nonnihil nostri annales afferunt. 71) Romualdo, qui anno 1069. fato functus erat.

pecuniasque inmensas regi tradidit et eundem pontificatum emit, et quia, ut quidam sapiens ait[72]: *qui ecclesiae semel per venalitatem subrepserit, quamdiu eidem praefuerit, nunquam* 72 *redimere cessabit*, mox ut Constantiam venit, clericorum ac laicorum suorum beneficia cepit aufferre substantiasque eorum publicare, volens de rebus eorum pecunias recolligere, quas prius pro acquirendo episcopatu videbatur expendisse. Constancienses autem, hac perculsi clade, nequaquam dominum apostolicum hoc celavere, sed eius auxilium contra vastatorem Christi ovium imploravere. Is ergo, ut querelas et preces eorum iustas agnovit, archiepiscopo Moguntiensi, cuius erat suffraganeus, mandavit, ut nullatenus pontificalem benedictionem a se susciperet, nisi prius causam eius sinodali iudicio examinasset[73]. Ad quam etiam sinodum vice sua adesse praecepit Gebhardum Iuvavensem archiepiscopum. Facta igitur sinodo et rege assidente, simul legato sedis apostolicae manifestis indiciis est Aug. 15. victus, deponitur, et post paucos dies alius pro eo constituitur[74]. Quando abbas Augiensis obiit[75], episcopus Hildenesheimensis[76] magnam pecuniae quantitatem regi dedit et eandem abbatiam consanguineo suo, abbati de Hildenesheim, Sigiberto nomine[77], dari impetravit, quam cum ille per aliquot tempus tenuisset et cuidam in confessione, qualiter sibi in potestatem obvenerit, manifestasset, audivit ab eo, in huiusmodi reatu nullam confessionem vel indulgentiam fieri posse, nisi homo id, quod suscepisset iniuste, adhuc[a] in carne vivens dimittere festinaverit sua sponte et iuste. *Quam*, inquit, *pro*[b] *hoc peccato remis-* f. 102. *sionem poterit quis sperare, quod nec in die exitus sui vult a se separare.* Hoc ille audiens, opportunitatem cepit inquirere, ut eandem abbatiam honeste posset dimittere. Inter haec extitit quidam Luitpoldus[78], familiaris regi, qui cepit regem precari, ut de eadem abbatia 78 curtem unam in beneficium sibi iuberet dari. Hoc igitur rege praecipiente sub obtentu gratiae suae, venerabilis ille vir, nactus[c], quam quaerebat, occasionem ultra noluit dissimulare, sed: *Ecce*, inquit ad regem, *paratus sum ipsam abbatiam prius ex integro relinquere, quam ob vestri gratiam Deum et sanctam Mariam offendere.* Et hoc dicens virgam pastoralem regi reddidit, ipseque ad priorem suam abbatiam in Hildenesheim rediit. Nec diu post idem tempus Luitpoldus letabatur, quia res sanctae Mariae inquietare moliebatur. Nam in praesentia regis cum iter ageret, equo expavescente cecidit, et gladio proprio confossus Iul interiit. Cum autem abbatis praedicti gesta in ore multorum versarentur et ab omnibus, qui audierant, laudarentur, quidam Ruodpertus, abbas de monasterio sancti Michaelis[79], triginta libras auri[80], ut ferunt, regi obtulit et eandem Augiensem abbatiam emit. Quod cum fratres et milites eiusdem loci agnovissent et a rege exinde iustitiam habere non possent, missa legatione auribus domini apostolici hoc insinuavere. Qui, ut erat strenuus in rebus ecclesiasticis, litteras mox direxit et eidem abbati ministerium sacri altaris interdixit; cuius praecepto cum nollet obedire, milites eiusdem monasterii eum exinde fugavere[81]. Haec autem Deo teste non scribimus studio detrahendi, sed quia confidimus hoc aliquibus fore ad exemplum cavendi, ne quis deceptus frivola spe huius mundanae exaltationis et sibi per heresim Deo odibilem[d] mercetur intollerabile dedecus turpissimae deiectionis et in futuro penas perpetuae dampnationis. Hoc autumno, dum haec aguntur, regina filium genuit, qui in albis vita decessit[e].

1072.

Festum incarnationis dominicae rex celebravit Ratisbonae[82]. Igitur per longum iam f. 102'. tempus potentes quosque rex ceperat contemnere, inferiores vero divitiis et facultatibus extollere et eorum consilio, quae agenda erant, amministrabat, optimatum vero raro quem-

a) aduc *cod.* b) per *cod.* c) nactam *cod.* d) odibem *cod.* e) Werhardus Mathhilt re . . *adiunxerat librarius, quae post ipse delevit.*

72) Nescio, cuius verba scriptor hic laudet. 73) *Praecepit, nisi se heresi praedicta expurgaret canonice, quod nequaquam eum consecraret.* Bertholdus 1070. 74) Praeter Bertholdum et Lambertum vide acta synodi Moguntinae et litteras de his rebus a Sigifrido archiepiscopo ad papam datas (Geschichte der Deutschen Kaiserzeit III, 1197—1203). 75) Udalricus abbas Augiensis anno 1069. mortuus est. 76) Hezilo. 77) Meginwardus vel Meginbardus vocatur apud Bertholdum Bernoldumque et Lambertum. 78) Luitpoldus de Mörsburg. Cf. Lambertum (M. G. SS. V, 185) et Brunonem de bello Saxonico c. 81 (M. G. SS. V, 362). 79) Bambergensis. 80) *Irrupit Ruobertus, abbas cognomento Nummularius, annumeratis in aerarium regis mille pondo argenti purissimi.* Lambertus. 81) Cf. Lambertum et Bertholdum. 82) *Wormatiae* Lambertus. Cf. Stumpf n. 2752. Sed paulo post rex Ratisbonam venit.

quam secretis suis admittebat, et quia multa inordinate fiebant, episcopi, duces aliique regni primores de regalibus[a] se subtrahebant. Inter quos Ruodolphus et Berhtoldus duces ad regem sepe vocati sunt, sed tamen venire noluerunt, quousque etiam rex suspicari ceperit, quia contra se rebellare pararent. Cum etiam sermo ferretur, quoniam expeditio contra eos pararetur, ipsi semper mittentes inducias petebant, sicque impetum regis deludebant. Hoc anno Henricus archipraesul Ravennatis ecclesiae moritur, pro quo Wigbertus constituitur. Huswardus etiam Veronensis episcopus obiit, cui Brun successit.

1073.

Apr. 21. Natale Domini rex in Babenberg celebravit[83]. Quo anno Alexander papa ex hac luce
migravit, pro quo Romani constituerunt Hildebrandum, eiusdem Romanae ecclesiae archi-
Mart 24. diaconum, quem[b] consecrantes nominaverunt Gregorium. Diem palmarum rex in Eih-
statti[84] celebravit, ubi et Ruodolpho et Berhtoldo ducibus gratiam suam reddidit[85]. Agnum
Mart 31. vero pascalem Ratisbonae victimavit, in festo pentecostes apud Augustam colloquium
Mai. 19. principum habuit[86], moxque se in Saxoniam recepit. Captus etenim nescimus qua locorum
dilectione, in silva, quae Harz dicitur, urbes multas iam dudum ceperat edificare. Sed
quia in vicino ipsarum urbium praedia pauca vel nulla habebat, illi, qui civitates custo-
diebant, propter inopiam victualium praedas semper faciebant de substanciis provincialium.
87 Si quis vero curtem adisset haec lamentari[87], contumeliis affectus videbatur expelli. Cum-
que malum hoc cresceret de die in diem, et rex in Goslare ageret principis apostolorum
Iun. 29. festivitatem[88], plures Saxonici principes illo devenere, si finem his malis possent impetrare.
f. 103. Qui post aliquot dies, vix intromissi ad regis praesentiam causaque dicta, sine honore et
certo responso regrediuntur ad propria. Mox igitur crebra conventicula faciebant et, quid
de malis hiis agerent, anxie tractabant. Tandem ergo convenit illis, minis et rebus bellicis
res suas potius agere, quam leges patrias libertatemque propriam tam irrationabiliter
amittere. Cum autem rex in dilecto sibi loco, Harzesburg dicto, maneret et regale con-
vivium familiaribus suis exhiberet, subito narratur a clientibus[c], quia magnus Saxonum
in proximo consedisset exercitus. Statimque misso nuncio rex, ut causam conventus eorum
agnovit, turpe putans, minis eorum cedere, propter paucitatem vero militum metuens,
Aug. 8. sanguine iudicium facere, ratus tempori cedendum, in Franciam disposuit abire. Cui
abeunti saepe dictus Otto in via insidias tetendit et, multo maiorem militum copiam habens,
transeunti tamen se inspicienti congredi[d] non praesumpsit. Sicque rex in Franciam ac
Nov. deinde in Baioariam usque pertransiit[89]. Post regis autem abscessum Saxones urbem illius,
Heimburg dictam[90], obsiderunt eamque in deditione susceptam destruxerunt, villas quas-
dam succenderunt, ac deinde mala multa in illa regione excreverunt.

a) negotiis *excidisse videtur.* b) quemque *cod.* c) dicentibus *cod. Correxi ex mea sententia.* d) egredi *cod.*

83) Consentit Lambertus. 84) *In civitate Augusta* Lambertus. 85) Idem refert Lambertus. 86) In his omnibus Lambertus cum monacho Altahensi convenit. 87) i. e. ad haec lamentandum. 88) Cf. Brunonem c. 23. 89) Cf. Lambertum et Brunonem c. 27. 90) Heimburg, castellum prope Blankenburg situm. Cf. Lambertum (M. G. SS. V. p. 201) et carmen de bello Saxonico (Reuber Scriptores p. 203. 204).

INDEX RERUM

AUCTORE WILHELMO ARNDT PH. D.

Nomina quae in locis ab Ottone Frisingensi aliunde desumptis offenduntur, hic recepta non sunt.

A.

B.

D.

F.

Fridericus, Fredericus.

G.

Geraldus, Geroldus, Gerolt.

Gertrudis, Gerdrudis.

H.

Henricus, Heinricus.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

Q.

R.

U.

V.

W.

GLOSSARIUM

AUCTORE WILHELMO ARNDT PH. D.

ablaticus, nepos 39, 35.
absida 639, 1.
acolitus 31, 15.
advocator 39, 35.
agiographus 52, 1.
agonitheta, *agoniteta* 61, 35. 738, 1.
alba 677, 45.
albeolus 68, 15.
almutium 483, 25.
altile 324, 1.
amaricare 401, 15.
ambo, suggestus sacer 373, 15.
ammiraldus 250, 35. 251, 20.
amnestia 318, 1.
anastasis, resurrectio 639, 25.
angariari 251, 25.
angelus, nuncius 46, 35.
antelucanus 490, 20.
antigraphus, cancellarius 53, 45.
apostatare 332, 45.
arbalista 509, 20.
archiater 63, 10.
archimandrita 54, 25.
archisolium 325, 20. 329, 35.
arenchium, concio 39, 35.
audientia 39, 5.
aurifrigium 739, 1.
autenticus 28, 40. 605, 20.
baiulus, *baiuli* 420, 25. 456, 45.
bannum 552, 50.
baptismalis ecclesia 655, 10.
baro, *barones* 71, 10. 327, 20.
birsare, *bissare* 432, 30. 490, 25.
bonissimus 419, 30.
bosretum 520, 15.
bubalus 745, 15.
burgravius 492, 20.
burgus 348, 15. 375, 5.
butirum 745, 45. 762, 50.
caballarius 364, 40.
caduceator 77, 40.
calefactorium 677, 40.
caliph 249, 35.
camerarius 432, 15.
camisia 739, 1.
campania 400, 1.
canapum 745, 45.
caniclinus, cancellarius 442, 45. 443, 5.
capitaneus 28, 40. 396, 45. 440, 20.
capa, *cappa* 24, 40. 27, 45. 688, 15.
capitium, *capicium*, *caputium* 268, 20. 471, 30. 714, 10. 739, 1.
cardinalia 482, 20. 483, 15.
carrata 745, 45.
cartusia 541, 50.
casula 677, 45.
catapanus 542, 45.
cathecismus 731, 10. 741, 40.
cathezizare 730, 50. 738, 15.
catti 315, 30.
chronographia 52, 25. 53, 40.
ciborium 632, 1.
circulus candelae 664, 25.
claustralis 520, 15.
claustrensis 520, 15.
clima 53, 20.
clitella 746, 1.
cloca, campana 37, 20.
coclibatus 267, 35.
collecta 47, 5.
completorium 664, 25.
concambium 631, 25. 655, 40.
concilìabulum 469, 35.
confidentia 257, 25.
consistorium 411, 25.
constipatio 441, 20.
contina 741, 5.
cophinum 717, 5.

coraula 76, 1.
correptorium 520, 15.
cucullа 666, 5.
cyrographum 664, 20. 665. 25.
dalmatica 70, 30.
decretistae 331, 5.
decumani 33, 15. 47, 10.
deificus 265, 30.
derudare 30, 10.
differentialis 354, 50.
dimidiare 30, 15.
doma, domatis 709, 15.
economus 717, 15.
edictalis lex 448, 1.
effimera febris 490, 15.
elemosinator 717, 45.
emenda 22, 5.
epylemsiacum 587, 10.
equitatura 541, 20. 717, 20.
eramentum 678, 25.
ergasterium 445, 10.
ericii 315, 30.
essencia 523, 10.
ethmologia 725, 10.
eulogium 729, 20.
exalbati pueri 738, 25.
excrustare 499, 35.
exfestucare 357, 40.
exorcista 31, 15.
faleramentum 317, 20.
fantasia 675, 10. 801, 35.
farmatia 408, 1.
fassallus 635, 40.
fermentatus 265, 20.
ferto 665, 20.
feodatus 749, 1.
feuda 395, 45.
flebotomatus 332, 10.
florenus 683, 1.
fodrum 397, 35. 408, 1. 440, 5. 447, 20.
friscalium 717, 30.
fundibularius 400, 1. 408, 60.
fustanum 717, 30.
gablum 535, 25.
gabuta, gambuta 29, 10. 38, 30.
girator 353, 30.
gradale 608, 20.
grandiusculus 762, 50.
guera, guerra 30, 45. 40, 15. 45, 10. 71, 45.
gumfum, catena 62, 10.
harnascha, harnasch 431, 25. 45.
hilarescere 363, 35.
hinulus 628, 40.
hiperbole 724, 45.
homagium 257, 35.
hominium 318, 10.
ignominare 45, 20.
immantare 474, 10. 481, 45. 483, 1.
immantatio 487, 25.
inargentare 717, 25.
incastellare 265, 10.
incidentia 308, 45.
infeudatus 448, 15.
infirmaria 654, 10. 662, 25. 666, 25.
investitura 48, 5. 66, 30.
lantling 689, 30.
larvalis 458, 40.
laudamentum 422, 5
lazur 632, 40.
lectritum 620, 30.
leporarii canes 432, 30.
limbo 642, 30.
logotheta 428, 15.
ludria, lutra 28, 40.
machinamentum 255, 40.
macilentia 441, 45.
maldrum, maltrum 330, 35 553, 1.
manga 400, 20. 468, 45.
mansionarius 572, 15.
mantele 641, 10.
mantica 36, 40.
mantum 471, 20.
mappalia 73, 5.
marchisa 501, 25.
marchisus 56, 35. 67, 45.
marscaldus, marschalchus 324, 45. 332, 40. 432, 1.
meditullium 713, 45. 744, 35.
megalina pellis 716, 10.
metropolita 58, 5.
ministerialis, ministeriales 385, 40. 635, 40.
minuimentum 44, 10.
mitra 39, 5.
monarchia 648, 10.
muscipula 409, 10.
nappus 641, 5.
negare, ital. anneyare 28, 40.
novalia 654, 35.
oberrdtor 353, 30.
orbitatio, orbatio 36, 25.
ostiarius 31, 15.
pacative 314, 35.
palafredus, palefridus 47, 5. 431, 35.
paranimphus 764, 40.
paratura 676, 40.
patriarchia 482, 5.
patrinus 731, 15.
paupertinus 705, 35.
pechinum 641, 5.
pedaticum 440, 45. 445, 20.
phonastrum 520, 15.
pirale 736, 5.
plebeianus 36, 5.
plebesana ecclesia 549, 25.
popularis ecclesia 637, 10.
portenaticum 34, 35.
potestas, podesta 309, 35. 450, 30.
pravilegium 255, 25.
prependiculum 641, 10
primicerius 23, 5. 26, 20. 46, 30.
privare, se reponere 412, 35.
propitiatorium 675, 1.
protonotarius 489, 25.
protoplastus 71, 45.
prunatum 717, 30.
quaternum 524, 25.
recommunicare 364, 30.
refectorium 680, 5.
refricare 454, 5.
refrigidarium 715, 25.
regalia 360, 10. 411, 30. 447, 15.
retentaculum 664, 30.
sabbatizare 807, 25.
sacramentorium 598, 20.
sacrista 532, 20. 533, 45.
sacristia 663, 40. 664, 10.
sagmarius 730, 30.
sariandi 312, 15. 328, 1.
sarpa 740, 20.
saumarius 495, 5.
scabinus 606, 1.
scema 584, 1.
scisma 39, 45.
secretarium, sacristia 21, 20.
sedimen 52, 5.
sinaxis 723, 20.
sintagma 52, 5.
soldanus 317, 1. 494, 25. 495, 20.
solidarii 428, 15.
sorex 598, 15.
sortilegus 746 5.
spera 712, 40.
stacionarius 325, 35
stambucinus 30, 10.
stola, stolla, pallium 21, 30. 81, 50.
strepa 309, 25. 486, 20.
stupa 731, 30. 736, 5.
subcinculum 24, 5.
symonia 26, 10. 538, 25.
talpae 315, 30.
tapetes 325, 30.
tapetiolum 641, 10.
tapetum 520, 40.
testum 46, 5.
topografi, topographus 396, 10. 411, 15.
treuga, trevia, treuia 34, 35. 72, 15. 77, 50. 359, 25. 399, 10.
trotannus 352, 1.
turadia 34, 35.
turneimentum 360, 35. 449, 40.
ultramontanus 371, 10.
valvassor 440, 20.
vasallus 448, 25.
vavassor, vavasor 36, 35. 44, 30. 396, 45.
veredarius, veredarii 60, 35. 68, 25. 321, 10.
vestiarius 679, 10.
werra 657, 1.
xenodochium 54, 5. 717, 15.
xerophagi 57, 50.
zelotypus 376, 35.
zendath 663, 10.

ERRATA TYPOGRAPHORUM.

Pag. 85, 8. *lege* Claustroneob. — *p.* 86, 20. *l.* Atqui. — *p.* 96, 32. *l.* agitata. — *p.* 111, 17. *l.* episcoporum. — *p.* 113, 37. *l.* Iohannes. — *p.* 114, 9. *l.* Neresheimensis. — *p.* 115, 21. *l.* Ragewinus. — *p.* 151, 35. *l.* Capitolium. — *p.* 160, 18. *l.* mare, de. — *p.* 163, 41. *l.* Urbe. — *p.* 188, 1. *l.* papa. — *p.* 195, 8. *l.* libidinem. — *p.* 195, 34. *l.* Iohannis. — *p.* 199, 45. *l.* autem. — *p.* 205, 49. *l.* Iohannis. — *p.* 213, 42. *l.* translatam. — *p.* 219, 12. *l.* imperii. — *p.* 229, 33. *l.* miliciae. — *p.* 256, 21. *l.* Unde. — *p.* 256, 38. *l.* Orientalis. — *p.* 268, 21. *l.* seraphin. — *p.* 268, 37. *l.* itidem. — *p.* 281, 38. *l.* principales. — *p.* 284, 11. *l.* credenda. — *p.* 285, 26. *l.* opprobriis. — *p.* 290, 25. *l.* fortasse. — *p.* 330, 55. *l.* quinquaginta. — *p.* 339, 29. *l.* confirmati. — *p.* 431, 7. *l.* Augiensi, — taceo. — *p.* 431, 8. *l.* existam, — his. — *p.* 434, 50. *l.* decollatum. — *p.* 435, 48. *l.* exempla. — *p.* 462, 12. *l.* requisitos. — *p.* 508, 3. *l.* Herberto de Firmitate. — *p.* 579. 29. *l.* RELIQUIARUM. — *p.* 595, 20. *l.* beata. — *p.* 611, 1. *l.* in Villari. — *p.* 695, 52. *l.* Bernardi *de Suspina*, de se ipsa. — *p.* 705, 15. *l.* laetificans. — *p.* 798, 20. *l.* iusiurandum. — *p.* 799, 1. apparatu. — *p.* 800, 24. *l.* manu.

EMENDANDA.

Pag. 688, 27. *pro:* Marquardus qui et Azone prepositus, Dippoldus *Winterus, parochus Schönebeckensis, emendavit:* M. qui et Azo nomine, prepositus Dippoldus — *p.* 705, 30. *l.* quoad vixerimus.

HANNOVERAE, TYPIS CULEMANNORUM.



